UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.D. Iacobi Marchantii, Pastoris Et Decani Covviniensis SS. Theolog. Professoris, Rationale Evangelizantivm

Marchantius, Jacobus

Coloniae Agrippinae, 1661

urn:nbn:de:hbz:466:1-56372

Visual Library








Th. 3319.




H. VII
19











R. D. IACOBI

MARCHANTII

CONCIONES MORALES

CONTINENTES

I. Rationale Evangelizantium.
II. Vitem Florigeram.
III. Opuscula Pastoralia & diversa alia.
IV. Mariale de B. M. Virginis Encomiis.

Opera PP. Societatis JESU Scholiis ac Indicibus expolita.

R. D. IACOBI MARCHANTII
PASTORIS ET DECANI COVVINIENSIS
SS. Theolog. Professoris,

RATIONALE EVANGELIZANTIVM

Evangelica Sacerdotibus, Pastoribus, ac Concionatoribus ad pectus appendenda, plebique per Anni circulum Dominicis & Festis diebus è Cathedris proponenda & exponenda, continetur.

HAC QVARTA NOSTRA EDITIONE OPVSCVLIS Pastoralibus aliisque ejusdem Authoris Tractatibus auctum, correctum.

Indicibus additis, & in meliorem ordinem per RR. Patres Soc. IESU distributum.

Pones in Rationali doctrinam & veritatem. Exod. 28.

Societatis JESV Paderborna 1671.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM BVSÆVM Bibliopolam
ANNO DOMINI M. DC. LXI.

CVM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS.



D. O. M.

AUGUSTISSIMÆ

TRINITATI PERSONARVM

VNA DIVINITATE

ÆTERNVM REGNANTI IN COELO, TERRA, & ſubter Terram,

NEC NON

AVGVSTÆ CÆLORVM REGINÆ

MATRI DEI

VIRGINI MARIAE

SANCTISSIMÆ PATRONÆ

Cæterisque Sanctiſſimorum Angelorum & Hominum beatiſſimis exercitibus, potentiſſimisque

DOMINIS SVIS,

Humillime dedicat præſentem hunc laborem & ſumptus in eundem factos

IOANNES BVSÆVS

CIVIS ET BIBLIOPOLA

Colonienſis.

AD DIVINI VERBI PRÆCONES ET ANIMARVM PASTORES.

PRÆFATIO.

ADlucubrationes, novosque labores, rursus evocatis calamum stylumque meum, oppido lassum, quietis cupidum, Typis nuncium remittere paratum. Sufficere cùm mihi, tum vobis debuerat, quod obviis ulnis excepistis *Hortum Pastorum, Candelabrum Mysticum, Virgam Aaronis, Tubam Sacerdotalem* quibus post secundum in Belgio prælum & typum, Academia Parisina tertium dedit, Gallicanæ Ecclesiæ Pastoribus ut faceret satis. Sed ulterius urgetis ut *in Dominicas & Festa Elucidationes* è Musæi nostri latebris emittam. Excusavi me frequentius: tum quod non foret calamus meus *Calamus Scribæ velociter scribentis*, sed laboriosè cum valetudinis detrimento exarantis, nec cor meum, *Cor cum plenitudine spiritus verbum bonum eructantis*: tum quòd hoc foret *Actum agere*, quandoquidem innumeræ prostent de his Commentationes & Conciones à doctissimis & disertissimis. Interim, quia excusationi locum negastis, asserentes inchoatam à me Pastorum Institutionem plenam fore, si & hic studium recens impenderem, præteritoque Operi Coronidem hanc adponerem: en vestris tandem obsequor votis, & Institutionis Pastoralis annuum trado Curriculum, per Lectiones quasi per Rotulas & Notulas more & stylo meo distinctum. Lectiones hæ copiosam materiam subministrant, qua suopte quisque ingenio Concionem vel exhortationem adornet. Id exiguo labore fieri posse reor, non quidem omnia à nobis dicta proponendo (nam pro variis varia dicenda fuere, & varius vario palato cibus fuit adponendus) sed seligendo quæ sunt accommodata ad propositum & auditorium.

Cæterùm, Opus istud vocavi *Rationale Evangelizantium*, alludendo ad antiquum illud Rationale Pontificis antiqui, cui inscriptum erat. *Doctrina & Veritas*. Etenim si Sacerdoti Legali *Doctrina & Veritas*, pro Symbolo sacro consignabantur, Sacerdoti Evangelico quantò magis illud convenit? Hanc ergo utramque Sacerdos & pectori adpendere, & cordi adprimere, & verbis ac operibus debet exprimere. Quia verò de Rationali illo antiquo dictum est Moysi: *Rationale facies judicii opere polymito, ex auro, hyacintho, & purpura coccoque bis tincto, & bysso retorta.* Ideo Veritatem & Doctrinam Evangelicam hic propositam conatus sum variis SS. Patrum documentis exornare, variisque sacrarum Historiarum fimbriis polymitis circumdare, ut non deesset decori hujus Rationalis purpura aut coccus bis tinctus ex Historiis Martyrum, nec aurum fulgidissimum ex vita & scriptis Apostolorum & Apostolicorum Virorum charitatis auro rutilantium, nec hyacinthus conversationis cœlestis Confessorum, nec byssus retorta & candida Virginum. Rogo interim, ut qui Rationale istud inspecturus est, rationis æquo oculo intueatur, & nonnullus excuset currentis Typographi litterales impactiones. Spero autem, si rationis lance Rationale hoc nostrum expendatur, subservire posse multa in illo ad moralis *Doctrinæ* elucidationem, & *Veritatis* practicæ suadelam efficacem. Cùm autem orationis vestræ subsidio me ad Operis hujus consummationem pertigisse confidam, liceat mihi dicere cum S. Ambrosio: *Vos si quam nostro gratiam inhalastis ingenio, vestrum est quidquid ille redolet iuber.*

Exod. 28.

Ambros. l. 3. de virg.

Et quoniam quot homines, tot sententiæ:

Si quid defæcatum est in sermone nostro, omnes legant:
Si quid decoctum, maturiores probent:
Si quid modestum, pectoribus inhæreat:
Si quid florulentum, ætas florentula non improbet:
Si quid impolitum, excuset & suppleat prudentia.

Pergite porrò, & mihi ex me confusione digno perseverantem orationem pro labore vobis subsidiario rependite, ac gratiam *Doctrinæ & veritatis* sacrificiis vestris impetrate: ut cùm Dominus Jesus Christus Sacerdos supremus & Sacerdotum Iudex *Rationale Iudicii* portabit coram Patre & universo orbe, inveniar inscriptus in eo cum Tribubus à se electis; nam non absque causa formidare debeo, ne fortè cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar. Hoc ut avertat Deus Opt. Max. impensiùs obsecrate. Sic opto ut valeatis, & apud Dominum nunc fructificetis fœlicissimè, ut postea meatis abundanter in beata æternitate.

APPRO-

APPROBATIO.

RAtionale Evangelizantium Authore R. Domino IACOBO MARCHANTIO, Pastore & Decano Couvinienſi, in celebri Cœnobio cum Floreffienſi, tum Lobbienſi quondam Sacræ Theologiæ Profeſſore, ad populum Chriſtianum erudiendum, & omnem virtutem promovendum aptiſſimum eſt, quapropter bono communi plurimum profuturum cenſeo, ſi in lucem committatur. Datum Montibus Hannoniæ.

Gregorius van der Gheeſt S.T.L. Eccleſiæ Collegiatæ S. Germani.

IStæ Conciones IACOBI MARCHANTII, quia neque contra fidem, neque contra bonos mores quicquam complectuntur; dignæ ſunt, quæ & publicam lucem adſpiciant, & piorum uſibus deſerviant. Dabam authoritate Ordinarii Coloniæ, Anno 1641. 3. Septembr.

Arnoldus Meshovius Lippienſis SS. Theol. D. Paſtor S. Petri, m.p.

HÆc Opuſcula Paſtoralia de diverſis, Authore Eruditiſſimo D. IACOBO MARCHANTIO, Paſtore & Decano Couvinienſi in Cœnobiis cum Floreffienſi, tum Lobbienſi celeberrimis, quoddam SS. Theologiæ Profeſſore, plena pietatis, ſalutariſque Doctrinæ, ad erudiendum populum Catholicum, & ad omnem virtutem proliciendum aptiſſima ſunt. Quapropter digniſſima cenſeo; quæ lucem publicam videant, ut paſſim Paſtorum ac Concionatorum manibus cum fructu terantur. Datum Montibus Hannoniæ die 28. Menſis Septembris 1647.

Ioannes de Trieu SS. Theol. Bac. Form. Beguinagii Parochus Archiepiſcop. Librorum Cenſor.

QVando, ut reliqua jam in publicum edita, *Opuſcula Paſtoralia* Adm. Rev. & Doctiſſ. Viri ac Domini IACOBI MARCHANTII, nihil contineant, quod ſit contra orthodoxam, Catholicam fidem noſtram, & bonos mores; placet, ut accedente conſenſu Ordinarii, ad majorem Dei gloriam, & uberiorem Lectorum fructum in lucem edantur. Dabam Coloniæ Anno 1648. 3. Septembr.

Arnoldus Meshovius Lippienſis. SS. Theol. Doct. Paſtor S. Petri m.pp.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII CÆSAREÆ MAIESTATIS.

LEOPOLDVS Divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c Rex: Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wittenbergæ, Comes Tyrolis, &c. Notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis Noster & Sacri Imperii, fidelis dilectus PETRUS HENNINGIUS Civis & Bibliopola Colonienſis humillimè exposuerit se Librum quendam: cui titulus *Reverendi Domini Iacobi Marchantii Pastoris & Decani Couvinienſis Rationale Evangelizantium* excudendum dare decrevisse: vereri autem, ne, quod fieri solet, Typographi quæstus causa, hanc editionem suam imitentur, ideoque demisse Nobis supplicavit, ut indemnitati ipsius consulere atque adversus eiusmodi periculum Privilegio Nostro Cæsareo munire dignaremur: Nosque id genus precibus, uti equitati consentaneis benignè annuendum censuerimus, prout per præsentes annuimus. Idcirco omnibus ac singulis Typographis, Bibliopolis, aliisque quibuscumque librariam Negotiationem exercentibus firmiter inhibemus & vetamus, ne quis prædictum *R. D. Iacobi Marchantii Rationale Evangelizantium* per decem Annorum spatium, à die quo Nostræ hæ literæ datæ sunt computandum, intra Sacri Romani Imperii Regnorumque & Dominiorum Nostrorum Hæreditariorum fines, simili aut alio quovis typo vel forma; sive in toto sive in parte recudere, vel alio recudendum dare, vel etiam alibi impressum vendere, vel distrahere, clam, palam citra voluntatem & absque ipsius PETRI HENNINGII inscriptis obtenta licentia, præsumat. Si quis verò secus faciendo Privilegium & interdictum hoc Nostrum Cæsareum spernere, negligere aut transgredi ausus fuerit, eum non modo huiusmodi libris perperam quippe recusis & adductis, si quos quidem prædictus PETRUS HENNINGIUS ubicumque deprehensos sive propria auctoritate, sive Magistratus illius auxilio sibi vendicare poterit: de facto privandum sed & pœnâ insuper decem marcarum auri puri fisco Nostro Cæsareo fraudis vindici vendenda, omni spe noxiæ sublata, decrevimus mulctandum uti latiùs patet in litteris datis Viennæ die quarta Mensis Martii 1661. Regnorum Nostrorum Romani tertio, Hung. sexto, Bohem. vero quinto.

LEOPOLDUS

Vt. Wildericus Baro de Walderdorff m.p.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium
I. Walderode m.p.

Prædictus D. PETRUS HENNINGIUS Ius suum supradicti Cæsarii privilegii cessit IOANNI BUSÆO Civi & Bibliopolæ Colonienſi.

RATIO.

INDEX GENERALIS TRACTATUUM LECTIONUM, PARTIUM, &c.

TRACTATUS I.

DE voce Turturis in terra nostra, sive de vocibus Ecclesiæ pro Adventu Domini suspirantis. Introductio, fol. 1
Lectio 1. De gemitu & desideriis Patriarcharum, 2
Lectio 2. De gemitu & desideriis Prophetarum, 3
Lectio 3. De gemitu & desideriis B. Virginis Mariæ, De exspectatione ardentissima partus in Deipara, 7. & 8
Lectio 4. De secunda causa gemitus Turturis, 10
Lectio 5. De tertia causa gemitus Turturis, 11
Lectio 6. De prima voce Turturis gementis, Explicatio horum verborum : *O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti,* 13
Lectio 7. Explicatio horum verborum: *Attingis à fine usque ad finem fortiter, & disponis omnia suaviter,* 14
Lectio 8. Explicatio horum verborum: *Veni ad docendum nos viam prudentiæ,* 17
Lectio 9. De voce secunda Turturis gementis : *O Adonai, & Dux domus Israel, qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, & ei in Sina legem dedisti, veni ad redimendum nos in brachio extento.* Explicatio horum verborum : *O Adonai, Dux domus Israel.* De variis nominibus Dei, 19
Lectio 10. Explicatio horum verborum: *Qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, & in Sina legem dedisti.* Explicatio Rubi & mysteriorum ejus. 22
Lectio 11. Explicatio horum verborum : *Veni ad redimendum nos in brachio extento.*
Lectio 12. De tertia voce gementis Turturis: *O radix Iesse, qui stas in signum populorum ; super quem continebunt Reges os suum, quem Gentes deprecabuntur, veni ad liberandum nos, jam noli tardare.* Explicatio horum verborum: *O Radix Iesse, qui stas in signum populorum,* 25
Lectio 13. Explicatio horum verborum: *Super quem Reges continebunt os suum, quem Gentes deprecabuntur,* 28
Lectio 14. De quarta voce Turturis gementis: *O Clavis David, & sceptrum domus Israel, qui aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit, veni & educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris & umbra mortis.* Explicatio horum verborum; *O Clavis David, aperis & nemo claudit,* 30
Lectio 15. Explicatio horum verborum : *O sceptrum domus Israel,* 31
Lectio 16 Explicatio horum verborum: *Educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris, &c.* 35
Lectio 17. De quinta voce gementis Turturis: *O Oriens splendor lucis æternæ & Sol justitiæ, veni & illumina sedentes in tenebris & umbra mortis.* Explicatio horum verborum: *O Oriens & splendor lucis æternæ,* 37
Lectio 18. Explicatio horum verborum: *O Sol justitiæ,* 39
Lectio 19. Explicatio horum verborum : *Illumina sedentes in tenebris & umbra mortis.* 41
Lectio 20. De voce sexta gementis Turturis ? *O Rex Gentium: & desideratus earum lapis angularis, qui facis utraque unum: Veni & salva hominem, quem de limo formasti.* Explicatio horum verborum : *O Rex Gentium & desideratus earum,* 42
Lectio 21. Explicatio horum verborum: *O Lapis Angularis, qui facis utraque unum.* 44
Lectio 22. Explicatio horum verborum: *Veni, & salva hominem, quem de limo formasti,* 46
Lectio 23. De voce septima gementis Turturis : *O Emmanuel, Rex & Legifer noster. Exspectatio Gentium, & Salvator earum, Veni ad salvandum nos, Domine Deus noster.* Explicatio horum verborum: *O Emmanuel.* 48
Lectio 24. Explicatio horum verborum: *Rex Legifer noster, exspectatio Gentium & Salvator earum.* 49
Lectio 25. Explicatio horum verborum : *Veni ad salvandum nos, Domine Deus noster.* Cur Christus exspectatus tamdiu tardarit. 51
Lectio 26. Recapitulatio brevis & epilogus eorum quæ dicta sunt, pro die Natalis Domini *Transeamus usque Bethleem & videamus verbum quod factum est, quod fecit Dominus, ostendit nobis.* 52

TRACTATUS II.

De Evangeliis in Ecclesia legi solitis per Dominicas Adventus Præfatio. 55
Lectio 1. tripartita. De Evangelio Dominicæ I. Adventus : *Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis, & in terris pressura gentium, arescentibus hominibus præ timore.* Prima pars docet. Quomodo misericordia divina cum justitia semper juncta sit. Secunda, Quem terrorem inducent signa divino judicio præambula. Tertia, Quam fructuosa sit consideratio judicii & signorum ejus. 55
Lectio 2. tripartita. De Epistola Dominicæ I. Adventus: *Fratres scientes, quia hora est jam nos de somno surgere.* Prima pars breviter docet, quis sit bonus somnus, à quo non est surgendum. Secunda, quod somnus frequentissimè statum peccati mortalis designet, qui cito excutiendus est. Tertia, Torporem & teporem designare, à quo excitandus est animus 59
Lectio 3. tripartita. De eadem Epistola Dominicæ I. Adventus : *Fratres hora est nos de somno surgere,* &c. Praxis brevis plebi in Adventu insinuanda. 64
Lectio 4. bipartita. De Evangelio Dominicæ II. Adventus. Prima pars agit de vinculis Joannis Secunda de legatione ejus ad Christum missa, *Tu es, qui venturus es, &c.*
Lectio 5. tripartita, continet responsum Christi ad legationem factam, pars prima. Secunda continet laudes Joannis à Christo decantatas. Tertia agit de arundinibus vento agitatis. 68 72
Lectio 6. 5. part. *Cæci vident, surdi audiunt, claudiambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt.* Explicatio mortalis de cæcis, surdis, claudis, leprosis, mortuis 1. Dicemus in prima parte Xenodochii hujus cæcos habitare.

bitare. 2. In secundo habitaculo surdos agere. 3. Habitaculum tertium claudos & paralyticos in colere. 4. Habitaculum quartum designatam esse leprosis. 5. Ibidem locum esse ubi jacent mortui. 78

Lectio 7. tripartita. De Evangelio Dominicæ III. Adventus. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes & Levitas ad Ioannem, ut interrogarent eum, Tu quis es.* Prima pars agit de legatione Judæorum & responso Joannis. Non sum Christus. Secunda agit de superbia diaboli, & Prophetarum ejus dicentium, Ego sum Christus. Tertia applicat ad mores illam interrogationem. Tu quis es? 82

Lectio 8. tripartita. *Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.* Prima pars explicat illud: Medius vestrum stetit. Secunda explicat illa verba: Quem vos nescitis. Tertia explicat illud: Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti 86

Lectio 9. De differentia baptismi Joannis & Christi. *Ego quidem aqua baptizo vos, veniet autem fortior me, cujus non sum dignus corrigiam calceamentorum solvere, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.* 89

Lectio 10. bipartita. De Evangelio Dominicæ IV. Adventus. *Anno Imperii Cæsaris quintodecimo, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.* Prima pars docet, non sine mysterio indicari tempus, & Principes, sub quibus Joannes cœpit prædicare. Secunda docet, non sine mysterio locum ubi prædicavit, designari. *Venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ.* 93

Lectio 11. *Ego vox clamantis in deserto? Parate viam Domini.* Explicatur hic specialiter, quomodo Joannes sit vox clamantis, quare, & quid clamaverit. 96

Lectio 12. *Parate vias Domini, rectas facite semitas ejus.* De triplici via præparanda. 1. De via contritionis. 2. De via confessionis. 3. De via satisfactionis. 200

OPUSCULUM II.

TRACTATUS III.

CAntici Zachariæ Sacerdotis Explanatio per singulos versus pro tempore sacro Adventus continens Memoriale amplum Incarnationis Dominicæ, & multa Documenta moralia.

Lectio 1 Introductio ad Canticum Zachariæ, *Benedictus Dominus Deus Israel.* Luc. 1. De Excellentia hujusce Cantici, & de Auctore ejus. 104

Lectio 2. *Benedictus Dominus Deus Israel. Luc. 1. v. 1.* Prima pars docet quòd Deus benedicatur ab omni creatura. 2. quod ob beneficium Incarnationis specialiter sit benedicendus. 3. explicat quid sibi velit ille titulus Dominus, Deus Israel Conclusio. 107

Lectio 3. *Quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ. Luc. 1. v. 1.* Prima pars declarat multiplicem Dei erga nos visitationem. Secunda declarat, quomodo huic visitationi non debemus esse ingrati. Conclusio. 111

Lectio 4. *Et erexit nobis cornu salutis in domo David pueri sui. Vers. 2.* Explicatio Versus secundi. Hæc Lectio docet per cornu salutis varia posse intelligi 1. Robur & potentiam salutiferam, quam Christus ostendit. 2 Abundantiam salutis, quam attulit. 3. Unctionem regalem & sacerdotalem, qua nos consortes effecit 4 Docet alludi ad cornu Unicornis, imò & ad cornu Arietis in Jubilæo. 115

Lectio 5. tripartita. Hæc lectio continet Explicationem Versus tertii. *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum ejus Luc. 1.* Agitur hic de mysterio incarnationis prædestinato ab æterno; de ejus figuris à sæculi initio; de ejus Prophetica prædictione Sanctorum ore. 119

Lectio 6. Hæc lectio continet Explicationem Versus quarti. *Salutem ex inimicis nostris & de manu omnium qui oderunt nos. Luc. 1.* Prima pars docet omnes qui olim populum liberarunt, gessisse figuram Christi Secunda explicat qui sint inimici, à quibus per Christum liberamur. 124

Lectio 7. Explicatio Versus quinti. Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris & memorari testamenti sui sancti. *Luc. 1.* Agitur hic de misericordia Dei cum Patribus nostris, & de pacto sive testamento cum illis. Prima pars. Pars secunda. Et memorari Testamenti sui Sancti. 127

Lectio 8. bipartita. Explicatio Versus sexti. *Iusjurandum quod juravit ad Abraham Patrem nostrum daturum se nobis. Luc. 1.* Hæc lectio agit de duplici pacto jurato quod fecit Deus cum Abraham, & quomodo Christum nosque concernat, ostendit. 131

Lectio 9. Explicatio Versus septimi. *Ut sine timore de manu inimicorum liberati serviamus illi. Luc. 1.* Pars prima ostendit Christum velle, ut sine anxietate illi serviamus. 2. declarat; cur in scripturis, timor cum fiducia commendetur. 3. explicat, quomodo timor servilis expellendus sit, ut locus sit spiritui amoris. 137

Lectio 10. *In Sanctitate & Iustitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ. Luc. 1.* Hæc lectio continet Explicationem Versus octavi. 140

Lectio 11. *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis. Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus Luc. 1.* Explicatio Versus noni: Explicat hæc Lectio laudes S. Joannis à Patre pronunciatas in ejus circumcisione, dum hoc Canticum prompsit. 145

Lectio 12. *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum Luc. 1.* Hæc lectio continet explicationem piam Versus decimi. 148

Lectio 13. Explicatio versus undecimi. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Luc. 1.* Pars prima explicat, quæ sint viscera misericordiæ Dei nostri. Secunda explicat, quomodo visitarit nos Oriens ex alto. 149

Lectio 14. Explicatio Versus duodecimi. *Illuminare his qui*

bis qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Luc. 1. Pars prima ostendit quos Christus illuminavit in tenebris agentes. Pars 2. declarat, quomodo dirigat pedes nostros in viam pacis. 153

TRACTATUS IV.

De Festis Infantiæ Domini JESU. 160

Lectio 2. tripartita. De festo Nativitatis Domini. *Impleti sunt dies Mariæ, ut pareret, & peperit Filium suum Primogenitum, & eum pannis involvit, & reclinavit eum in præsepio.* In prima parte agitur de profectione MARIÆ in Bethleem ob descriptionem Orbis, & de impletione dierum partus ejus. In secunda, de modo quo peperit cum integritate, & de Infantis quem peperit qualitate. In terra, de his quæ MARIA egit circa Infantem mox à partu. Pannis involvit, & in præsepio reclinavit. 164

Lectio 3. tripartita. De eodem festo Nativitatis. *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio.* In prima parte agitur de diligentia fidelis animæ quærentis JESUM natum, & de responso gaudium magnum nunciante. In secunda, de causa hujus gaudii, quia natus est Salvator, qui est Christus Dominus In tertia, de signo dato Nativitatis. Invenietis Infantem in præsepio. 172

Lectio 4. tripartita. De eodem festo Nativitatis. *Transeamus usque Bethleem, & videamus verbum hoc, quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis.* In prima parte agitur de JESU, Maria, Josepho, Angelis, Pastoribus, transeuntibus in Bethleem. In secunda, de Pastorum diligentia & devotione in hoc transitu. In tertia declaratur, quando omnes pii illuc debeant transire in spiritu. 178

Lectio 5. tripartita. Pro eodem festo Jubilus Natalitius. *Benedicite omnia opera Domini Domino, &c.* In prima parte incitatur Cælum empyreum cum Angelis, cælum sidereum cum suis stellis, cælum aëreum cum suis meteoris ad benedicendum Domino. In secunda, invitatur terra cum suis germinibus, collibus, pecoribus, & aqua cum suis piscibus. In tertia, invitantur filii hominum, spiritusque & animæ justorum 182

Lectio 6. tripartita. In festo Circumcisionis Domini. *Postquam consummati sunt dies octo, factum est ut circumcideretur Puer.* Prima pars agit de circumcisionis præcepto, & an illud Christum concerneret. Secunda dat rationes, cur voluerit Christus circumcidi. Tertia agit de Circumcisione spirituali, quam nos Christus edocuit. 156

Lectio 7. Pro eodem festo Circumcisionis. *Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.* 189. & 196

Lectio 9. Pro eodem die Circumcisionis Domini, sive pro anni infœlicis Exordio. *Deus misereatur nostri, ut benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.* 199

Praxis Christianorum in anni auspiciis.

Lectio 10. Pro eodem festo Circumcisionis. De variis Floribus in xenium offerendis. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* 202

Lectio 11. Pro festo Nominis JESU. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra* 205

Lectio 11. Pro eodem festo Nominis JESU, *Domine nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ.* 208

Lectio 12. tripart. De festo Epiphaniæ. *Ecce Magi veniunt ab Oriente Ierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus stellam ejus &c.* Prima pars docet quinam fuerint hi Magi. Secunda, a qua Regione venerint Tertia, qualis fuerit Stella, quam viderunt. 210

Lectio 13. tripart. De eodem festo Epiphaniæ. Prosecutio Evangelii. Prima pars agit de Herodis turbatione, & quomodo illam dissimulat. Secunda, de egressu Magorum & stella iterum apparente. Tertia de adoratione eorum; & oblatione munerum. 214

Lectio 14 tripartita. De eodem festo Epiph. *Magnificatus est Rex pacificus, super Reges universa terra, cujus vultum desiderat universa terra* Prima pars ostendit, cur dicatur Rex pacificus JESUS Christus, & quomodo in ortu suo ejus magnificentia appareat. Secunda, quomodo specialiter sit magnificatus in Regum adventu, adoratione & oblatione. De morte Regum adorantium. Tertia, quomodo eum & nos magnificare debemus adoratione & oblatione. 220

Lectio 15. De festo Purificationis MARIÆ, & Oblationis JESU *Postquam impleti sunt dies purgationis MARIÆ secundum legem Moysis, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino.* Agitur in hac Lectione de causis quatuor, ob quas MARIA à lege exempta voluit se in templo sistere purificandam. 227

Lectio 16. De candelis in hoc Festo accendi solitis, & de earum significatione. *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* 231

Lectio 17 De occursu Simeonis & Annæ. *Homo erat in Ierusalem cui nomen Simeon & venit in spiritu in templum, cùm inducerent puerum Iesum Parentes ejus.* 233

Lectio 18. tripartita. De Cantico Simeonis: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* In prima parte dicitur, quomodo Christus qui est Deus absconditus, semper tamen aliquibus se manifestarit. In secunda, quomodo specialiter se manifestarit Simeoni. In tertia, quomodo ille nos doceat fœliciter mori. 2.3. & 235.

TRACTATUS V.

De Dominicis post Epiphaniam, usque ad Dominicam Quadragesimæ. 239

Lectio 1. bipartita. De Evangelio Dominicæ I. post Epiphaniam. *Cùm esset annorum duodecim; ascendentibus illis Hierosolymam, secundùm consuetudinem diei festi, remansit puer Iesus in Hierusalem.* Prima pars declarat, quare MARIA & Joseph cum JESU ascenderint Jerosolymam. Secunda, quare voluerit JESUS remanere in templo anno ætatis suæ duodecimo, 239

Lectio 2. bipartita. De eodem Evangelio. *Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te.* Prima pars agit de dolore Virginis Filium quærentis, & de gaudio in ejus inven-

tione. Secunda explicat, quomodo inventus sit, quibus verbis Maria eum interpellarit, quibus verbis responderit. 244

Lectio 3. tripartita De Evangelio Dominicæ II post Epiphaniam. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat Mater IESV ibi. Vocatus est autem & IESVS, & Discipuli ejus ad nuptias.* Prima pars declarat Matrimonium esse Sacramentum, & conferre gratiam. Secunda docet, ut fœlix sit Matrimonium, debere vocari JESUM, Matrem, & Discipulos. Tertia ostendit, quinam sint qui eos non vocant, & ideo infœlices sunt in Matrimonio. 249

Lectio 4 tripartita De eodem Evangelio. *Erat Mater IESV ibi. vocatus est autem & IESVS.* Prima pars ostendit titulo parentelæ Mariam ibi adfuisse, ideoque parentum consensu ineunda esse matrimonia. Secunda declarat, quis fuerit Sponsus in his nuptiis. Tertia explicat petitionem Virginis, & responsum Christi. 354

Lectio 5. tripartita De Evangelio Dominicæ III. post Epiphaniam *Cum descendisset IESVS de monte, ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis potes me mundare.* Prima pars declarat leprosi hujus pietatem, & fidem illis verbis manifestatam: *Si vis, potes me mundare.* Secunda ostendit, cur Christus extendendo manum, voluerit sanare. Tertia declarat, cur Christus præceperit nemini dicere, sed sacerdotibus se ostendere. 258.

Lectio 6 tripartita De eodem Evangelio. *Accessit ad eum Centurio, dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Prima pars agit de qualitate Centurionis, & pretiositate servi, simulque de officio Dominorum & servorum. Secunda explicat descensum Christi, ut sanet servum, & excusationem Centurionis. Tertia explicat laudem à Christo datam Centurioni, simulque prædestinationis ejus significationem. 265.

Lectio 7. bipartita. De Evangelio Dominicæ IV. post Epiphaniam. *Ascendente Iesu in naviculam secuti sunt eum Discipuli ejus: Et ecce motus factus est magnus, ita ut navicula operiretur fluctibus. Surgens imperavit mari & ventis.* Prima pars ostendit; cur Christus ascendat naviculam, cur dormiat, cur permittat excitari tempestatem. Secunda ostendit, quomodo eum excitent Discipuli, & quomodo imperarit mari & ventis. 272

Lectio 8. De eodem Evangelio *Ecce terræ motus factus est magnus, ita ut navicula operiretur fluctibus.* In hac Lectione applicatur Evangelium istud Ecclesiæ, & declarantur varii fluctus, quos passa est, quosque nunc patitur 277

Lectio 9 tripartita De Evangelio Dominicæ V. post Epiphaniam. *Simile est Regnum cælorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo.* Prima pars declarat scopum esse parabolæ hujus, docere, malos aliquos fore inter bonos in finem usque sæculi. Secunda explicat duas primarias ration-s, ob quas hoc vult Deus. Tertia ostendit, quomodo zizania à dæmone proveniant, & quod illa tandem colligent Angeli igni tradenda. *Sinite ea crescere usque ad messem, &c.* 282

Lectio 10. tripartita. De Evangelio Dominicæ VI. post Epiphaniam. *Simile est regnum grano sinapis, quod minimum est omnibus seminibus.* Prima pars docet, cur Christus tot parabolas proposuerit de regno cælorum. Secunda ostendit, quod Ecclesia vocetur regnum cælorum, & quare assimiletur grano sinapis. Tertia ostendit, quomodo illa creverit, ita ut in ramis ejus habitent volucres. 287

Lectio 11. tripartita. De Evangelio Dominicæ Septuagesimæ. *Simile est regnum cælorum Patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam* Prima pars docet, Deum esse Patremfamilias, & vineam ejus esse universalem Ecclesiam. Secunda docet, unamquamque animam esse etiam vineam in particulari. Tertia explicat horas varias, quibus vocantur operarii, docetque esse ætates diversas. 292

Lectio 12. tripartita. De eodem Evangelio. *Voca Operarios & redde illis mercedem.* Prima pars docet, quomodo Deus reddat mercedem perseverantibus. Secunda docet, quomodo in recipienda mercede noviſſimi sint primi. Tertia docet quomodo multi sint vocati, pauci electi, ideo omnibus esse timendum. 297

Lectio 13. bipartita De Evangelio Dominicæ Sexagesimæ *Exiit qui seminat seminare semen suum.* Prima pars explicat, quomodo Christus sit seminans semen suum usque in finem sæculi. Secunda explicat, cur semini assimiletur verbum Dei externum & internum, atque etiam æternum. 304

Lectio 14. tripartita. De eodem Evangelio Dominicæ Sexagesimæ. *Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, &c.* Prima pars explicat, quomodo Concionatores grande habeant meritum, licet paucos & rudes & infrugiferos habeant Auditores. Secunda agit de triplici terra infrugifera in hoc Evangelio à Christo explicata. Tertia explicat illa verba: Qui habet aures audiendi, audiat. 309

Lectio 15. tripartita. De Evangelio Dominicæ Quinquagesimæ. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur, &c.* Tres declarantur rationes, cur Christus frequenter de sua Passione locutus fuerit. Prima pars. Quia illam magnopere desiderabat. Secunda. Quia Apostolos præmonere volebat. Tertia. Quia ejus memoriam nobis commendare optabat. 316

Lectio 16. tripartita. De eodem Evangelio Dominicæ Quinquagesimæ. *Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans.* Prima pars declarat, quomodo per cæcitatem quandoque glorificetur Deus in Sanctis suis. Secunda explicat circumstantias illuminationis cæci prope Jericho. Tertia ostendit, quomodo figuram gerat cæcorum spiritualium. 322

TRACTATUS VI.

De Quadragesima, & Evangeliis per Dominicas occurrentibus. 327

Lectio 1. bipartita. Pro die Cinerum. *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Prima pars docet, quid

cineres significent. Secunda, Cur cum de morte agitur, vox Memento adjiciatur. 327

Lectio 2, bipartita. Pro eodem die Cinerum. Prima pars docet, monitionem Cinerum omnem statum concernere in particulari. Secunda docet, quomodo Deo dicere debemus: Memento quod pulvis sumus. 331

Lectio 3, tripartita. De Evangelio Dominicæ I. Quadragesimæ. *Ductus est Jesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo.* Prima pars affert rationes itineris Christi in desertum. Secunda ostendit, quomodo eum nonnulli secuti sunt in desertum. Tertia, quomodo nullus hic agat sine tentatione. 334

Lectio 4, bipartita. De eodem Evangelio Dominicæ I. Quadragesimæ. *Cùm jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurit.* In prima parte agitur de mystico numero Quadragesimæ. In secunda, de Christi esurie. 338

Lectio 5, bipartita. De eodem Evangelio Dominicæ I. Quadragesimæ. *Accedens tentator dixit: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant* In prima parte explicatur, quam aptè diabolo Tentatoris nomen conveniat. In secunda Tentatio ejus prima aperitur, & primum certamen cum Christo. Exempla miraculosa conversionis escæ in lapides. 342

Lectio 6. De secundo certamine Christi & Satanæ. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum, &c. Non tentabis Dominum Deum tuum.* 345

Lectio 7. De tertio Christi & Satanæ certamine: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me, &c. Ostendit illi omnia regna mundi, &c. Tunc reliquit eum Diabolus, & Angeli accesserunt, &c.* 348

Lectio 8. tripartita. De Evangelio Dominicæ II. Quadragesimæ. *Assumpsit Jesus Petrum & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Prima pars explicat mysteria contenta in transfiguratione Christi. Secunda agit de Apostolis ibi præsentibus, & de loco. Tertia explicat modum transfigurationis. 351

Lectio 9. tripart. Eadem Dominica. *Apparuerunt Moyses & Elias loquentes cum Jesu* Prima pars agit de Elia & Moyse, & sermone eorum cum Jesu. Secunda, de responso Petri: Domine, bonum est nos hic esse. Tertia, de voce Patris Æterni: Hic est Filius meus. 355

Lectio 10. tripartita. De Evangelio Dominicæ III. Quadragesimæ. *Erat Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Prima pars ostendit, quomodo munus Christi fuerit ejicere dæmonia. Secunda, quinam habeant dæmonium cæcum & mutum. Tertia, quinam habeant dæmonium loquax. 358

Lectio 11. bipartita. De eodem Evangelio. *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia, &c.* Prima pars, de blasphemia Pharisæorum, simulque de dæmonum principatu, agit. Secunda explicat responsum Christi ad eorum blasphemiam. 364

Lectio 12. tripartita. De Evangelio Dominicæ IV. Quadragesimæ. *Cùm sublevasset oculos Jesus, & vidisset multitudinem, dixit ad Philippum: Unde ememus panes.* Prima pars ostendit, quare Christus abierit in desertum, & quanto plebs cum fervore secuta sit. Secunda agit de compassione Christi super plebe, & de Discipulorum infirma fide. Tertia, de panum benedictione & multiplicatione. 368

Lectio 13. tripartita. De Evangelio Dominicæ Passionis. *Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico vobis, quare non creditis?* Prima pars docet, quomodo Christus à peccato liber fuerit, & impeccabilis. Secunda docet, quod cæteri homines ex se peccato sint obnoxii, & timere debeant arguentem Deum, conscientiam, Angelum. Tertia docet. Christum irreprehensibilem esse non solùm in vita, sed etiam in doctrina: Ideoque inexcusabiles esse qui ei non credunt, sive Judæos, sive malos Christianos. 375

Lectio 14. De eodem Evangelio. *Qui ex Deo est, verba Dei audit* Explicantur in hac Lectione quatuor signa prædestinationis, quæ ex hoc Evangelio colliguntur. Primum signum, lubenter audire Verbum Dei. Secundum odisse peccatum, & mox ab illo resurgere. Tertium signum, in injuriis patientem esse & mansuetum. Quartum signum, gloriam Dei quærere, & non suâ 381

Lectio 15 De Evangelio Dominicæ Palmarum. *Turba quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes O Sanna Filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini.* In hac Lectione describitur triumphus Christi & ejus celebritas declaratur. Primò, ex parte animalium quibus insedit Secundò, ex parte turbæ concurrentis Tertiò, ex parte vocis resonantis Quartò ostenditur, non sine mysterio huic triumpho lacrimas admixtas fuisse. 386

Lectio 16 tripartita. Pro die Jovis Sancto, de lotione pedum. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Prima pars docet, quanto amore Christus pedes Discipulorum laverit, & à quo inchoarit. Secunda explicat responsum à Christo factum Petro obsistenti, & mysteria lotionis. Tertia ostendit, quomodo nemo partem cum Christo habeat sine lotione ejus. 392

TRACTATUS I.

DE EVANGELIIS à DOMINICA PASCHATIS, usque ad Ascensionem Domini.

PRo die Paschatis, Lect. I. bipart *Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, &c* Prima pars ostendit, quomodo mulieres Evangelicæ perseveranter amarint Jesum. 2. explicat in particulari quæ sint hæ mulieres, & quot venerint ad monumentum. 461

Eadem die Pasch Lect 2. bipartita. De colloquio Angeli cum mulieribus. *Nolite timere, Jesum quæritis Nazarenum, Crucifixum, surrexit, non est hic* 1. pars explicat illa verba: Nolite timere, Jesum quæritis Nazarenum. 2. explicat illa verba: Surrexit non est hic. 465

Eadem die Pasch. Lect. 3. tripartita. Canticum Paschale. *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem.* 1. pars ostendit, quomodo & cur Christus dicatur Agnus, cur etiam describatur stare quasi occisus 2 quis sit iste liber, post cujus apertionem laudes Agni decantantur 3 quare in speciale laudes de

primere videantur omnes creaturæ in Christi Resurrectione. 470

Octava Paschæ. Lect. 4. tripartita. De apparitione Christi coram discipulis. *Stetit Iesus in medio, & dixit eis: Pax vobis.* 1 pars ostendit quomodo Christus resurgens requirat discipulos. 2. explicat salutationem quam eis est apprecatus. 3. dat rationes cur retinuerit cicatrices, quas ostendit Apostolis. 484

Eadem Oct. Lect. 5. tripartita. De apparitione facta Thomæ. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, &c.* 1. pars ostendit quam benignè erga Thomam se gesserit Christus. 2. ostendit utilitates ex incredulitate Thoma exortas. 3. explicat vocem ejus, & responsum Domini. 489

Dominica II post Pascha, Lect. 6. tripartita. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* 1. pars declarat varias rationes, ob quas se Christus Pastorem nominat. 2. ostendit cur etiam nos censeamur nomine ovium. 3. explicat triplex signum boni Pastoris ex hoc Evangelio. 493

Dominica III post Pascha, Lect. 7. tripartita. *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* 1 pars explicat, quid sit Modicum, de quo loquitur Dominus, & ostendit quomodo hic omnia sint quid Modicum. 2. ostendit, cur ploraverint Apostoli, cur etiam plorent hic justi. 3. explicat promissionem Domini; de tristitia convertenda in gaudium. 499

Dom. IV. post Pasch. Lect. 8. bipartita. *Expedit vobis ut ego vadam, si enim non abiero, Paraclytus non veniet ad vos.* 1. pars docet quomodo Christus tristitiam leniat discipulorum ab eis discedens. 2. dat rationes, cur Spiritus S. non erat venturus, nisi ipso discedente. 506

Eadem Dom. Lect. 9. tripartita. De triplici Officio Spiritus sancti. *Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, de justitia, & de judicio.* 1. pars explicat primum officium ejus quod est arguere mundum de peccato. 2 explicat secundum officium, quod est arguere mundum de justitia. 3. explicat tertium officium, quod est arguere mundum de judicio. 511

Dom. V post Pascha, Lect. 10. Explicat quatuor Conditiones Orationis efficacis. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* 1. conditio est, ut cum affectu & attentione fiat. 2. ut qui orat, sit in gratiæ statu. 3. ut oratio postulet quæ saluti conveniunt. 4 ut sit conjuncta oratio cum fiducia. 416

Feria 2. Rogationum Lect. 11 bipartita. *Petite & accipietis: Quærite & invenietis Pulsate & aperietur vobis.* Hæc Lectio explicat ultimam conditionem efficacis orationis, quæ est Perseverantia. 1. pars declarat rationes cur Deus citò non exaudiat nos. 2. affert exempla perseverantiæ ex Scripturis, & ex sacris Historiis. 523

TRACTATUS II.

De Festis Domini Sabaoth, Die Ascens. Domini, Lect 1 tripartita. *Elevatis manibus benedixit eis, & ferebatur in Cœlum.* 1. pars, de qualitate ascendentis. 2. De testibus ascensionis. 3. De modo elevationis & benedictionis. 528

Dominica infra Ascensionem, vel pro die Pentecostes, Lect. tripartita. *Cùm venerit Paraclytus, quem mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me, &c.* 1 pars docet quomodo Spiritus Sanctus procedat à Patre, & cur vocetur Spiritus Sanctus. 2. cur dicatur Spiritus Veritatis. 3 quomodo testimonium perhibuerit de Christo per se & per Apostolos. 533

De Ascensionis, aut Pentecostes, Lect. 3 quadripartita 1. pars. *Quis ascendit in Cælum, atque descendit? 2. Quis continuit spiritum in manibus? 3 Quis colligavit aquas quasi in vestimento? 4 Quis suscitavit omnes terminos terræ?* 538

Festo Pentecostes, Lect. 4. bipartita. *Apparuerunt illis dispartitæ linguæ tanquam ignis, sedítque supra singulos eorum.* 1. pars declarat quomodo Spiritus S. apparuerit in tribus olim symbolis, in columba, in nube, in igne. 2. explicat rationes, cur in igne & linguis igneis. 542

Festo SS. Trinitatis, Lect. 5 tripart. *Tres sunt qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus & hi tres unum sunt.* 1. pars explicat primum fundamentum fidei, qua credimus Deum esse. 2. explicat secundum fundamentum fidei qua credimus Deum esse infinitum in perfectionibus. 3. explicat tertium fundamentum, Deum Unum esse in natura, Trinum in personis. 547

Eodem Festo SS. Trinit Lect. 6. bipart. *Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, Sicut erat in principio, &c.* In prima parte explicatur, quomodo homo sit creatus ad benedicendum Deum Trinum & Unum In secunda quod ab omni ordine Sanctorum habeat ad id incitamentum. 552

Festo Sacramenti, Lect. 7. tripart. *Iubilate Deo omnis terra servite Domino in lætitia, introite in conspectu ejus in exultatione.* Explicat hæc Lectio Psalmum nonagesimum nonum, & totum applicat festivitati Venerabilis Sacramenti. 557

Eodem Festo Ven. Sacram. & Octava Thema. *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* Explicatur in Candelabro Mystico. Tract. 4. Lect 1. 562

TRACTATUS III.

De Dominicis post Pentecosten Dominica II. à Pentecoste, Lect I tripart *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos, &c.* 1 pars agit de qualitate cœnæ & de Patre familia invitante. 2. agit de excusatione quam adfert primus & secundus ex invitatis. 3. agit de excusatione quam adfert tertius. 562

Eadem Dom. Lect. 2. bipart. *Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos, introduc huc.* 1. pars ostendit, cur visa ingratitudine illorum qui prius erant vocati, mittat in vicos & plateas. Secundo, cur mittat postmodum in vias & sepes, & jubeat aliquos compelli. 569

Dom III. post Pentecosten, Lect. 3. tripar. *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* 1. pars ostendit quam merito

meritò ad Christum erant appropinquantes peccatores. 2. quam immeritò ea de re conquerantur Pharisæi. Tertia, cur Christus manducaret cum illis. 573

Eadem Dom. Lect. 4. tripart. *Quis ex vobis habens centum oves si perdiderit unam ex illis, &c.* 1. pars docet quid in elligendum sit per 99. & per unam quæ periit. 2. ostendit miram charitatem Pastoris ovem requirentis & reducentis. 3. declarat gaudium illius, cujus participes voluit esse vicinos. 578

Dom IV post Pentec. Lect. 5. tripart. *Irruebant turbæ, ut audirent Verbum Dei.* 1. pars docet turbas cum fervore concurrisse, ut audirent Christum. 2. docet concurrisse, ut viderent eum. 3. docet premendo irruisse, ut tangerent eum. 585

Eadem Dominica, Lect. 6, quadrip. *Duc in altum, & laxate retia in capturam.* In prima parte ostenditur Romanam Ecclesiam designari per Naviculam, ex qua docet Christus. In secunda quid sit laxare rete in verbo Christi. In tertia quomodo homines hujus sæculi tota nocte laborantes nihil capiant. In quarta explicatur mysterium copiosæ multitudinis piscium rumpentis rete. 590

Dominica V. post Pentec. Lectio 7, tripart. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnorum Cælorum.* 1. pars docet Justitiam Christianorum debere superare externam Pharisæorum 2, non solùm debere superare Justitiam illorum fictam, sed etiam veram, declaratque quomodo Christiani obligentur ad perfectionem. 3, Christianos gravioribus suppliciis plectendos quam Judæos, aut infideles, si justitiam vocationi suæ correspondentem non assequantur. 598

Eadem Dominica Lect 8, tripart. *Omnis qui iratus fuerit Fratri suo, reus erit judicio.* 1. pars ostendit, iram posse quandoque esse justam, & sine vitio. 2, declarat gradus iræ inordinatæ à Domino hic prohibitos Tertia ostendit, quomodo eorum qui fovent iram, preces & vota non sint Deo grata. 604

Dominica VI post Pentec. 9, tripart. *Misereor super turbam, quia triduo sustinent me, nec habent quod manducent, &c.* 1. pars docet, quam proprium sit Deo misereri, & quomodo non deserat unquam eos qui ipsi adhærent, & confidunt in ipso. 2, agit de diffidentia discipulorum, & quorundam qui eos imitantur, dum egenis est subveniendum. 3, explicat mysteria contenta in multiplicatione panum & piscium. 611

Dom. VII. post Pent. Lect. 10 tripart. *Attendite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* 1. pars docet, Hæreticos esse hos falsos Propheras atque lupos. 2, quæ sint vestes ovium, in quibus veniunt. 3, quomodo à fructibus suis agnoscantur hæretici. Appendix de variis lupis sub ovina pelle rapacibus, ad prædicta verba Evangelii. Veniunt ad vos, &c. 616

Eadem Dom Lect 11, trip. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* 1, pars paucis explicat quæ sint arbores bonæ. 2, agit de arboribus malis ignis destinandis. 3, agit de arboribus quæ solum folia & flores habent, & hortatur omnes ad ferendum fructum vocationi suæ congruum. 626

Dominica VIII post Pentecost Lectio 12, tripartit. *Homo quidam habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quod dissipasset bona ipsius.* 1. pars docet, quomodo omnis homo sit villicus Dei, & quod id ad contemptum divitiarum, & fidelem administrationem incitare debeat. 2. quomodo reddenda sit ratio villicationis unicuique. 3, quid sit illud; jam non amplius poteris villicare. 632

Eadem Dom. Lect. 13, trip *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* 1, pars docet, cur Dominus divitias vocet Mammonam iniquitatis. 2. an liceat ex injustè acquisitis facere eleëmosynas. 3, quomodo eleëmosyna & pauperes nos recipiant in æterna Tabernacula. 652

Dom. IX. post Pent. Lect. 14, trip. *Videns civitatem flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses & tu, &c.* 1, pars declarat, quomodo in his verbis Domini misericordia cum justitia elucear. 2, declarat causas lacrimarum Christi, scilicet peccata tunc inundantia, ingratitudinem, & cœcitatem populi sui, destructionem civitatis. 3, ostendit, quomodo Christus flens super Jerusalem, fleverit etiam super omnem civitatem sceleratam, immo super omnem animam peccatorum. 645

Eadem Dom. Lect 15, bipart. De Judæorum calamitate & dispersione, quam etiam hic deplorat Dominus. *Videns civitatem flevit, &c.* 1, pars declarat, quantum sit odium Judæorum in Christum adhuc modò. 2, affert rationes, propter quas Judæorum gens non est deleta, sed dispersa. 673

Dominica X. post Pent. Lectio 16, trip. *Duo homines ascendebant in templum ut orarent, &c.* 1, pars declarat vitium primum orationis Pharisæi fuisse jactantiam. 2, vitium alterum fuisse confidentiam in justitia propria, 3, vitium principale orationis ejus fuisse contemptum proximi. 657

Eadem Dom. Lect 17, bipart. *Publicanus autem percutiens pectus suum dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori.* 1. pars agit de oratione Publicani & ejus circumstantiis. 2, de sententia Domini decernente inter Publicanum & Pharisæum. 653

Dom. XI. post Pent Lect 18, bipart. *Adducunt ei surdum & mutum, &c.* 1, pars explicat circumstantias hujus muti & surdi. 2, quomodo per hunc surdum & mutum designetur peccator, & quomodo sanetur eodem modo à Domino. 668

Dom. XII. post Pent. Lectio 19, bipart. *Magister quid faciendo vitam æternam possidebo?* 1, pars ostendit cur Dominus dicat beatos oculos qui eum vident, & aures quæ ipsum audiunt. 2, ostendit utilitatem quæstionis à Legisperito hic propositæ. 675

Dom XIII. post Pent. Lectio 20, bipart. *Cum ingrederetur quoddam Castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, &c.* 1, pars agit de lepra corporali horum leprosorum & precatione eorum. 2, de lepra spirituali, quæ in peccato reperitur. 680

Eadem Dom. Lect. 21, bipar *Steterunt à longè, & levaverunt*

verunt vocem, &c. 1. pars explicat remedia lepræ spiritualis. 2. agit de gratitudine imitanda redeuntis Samaritani. 685

Dom. XIV. post Pent Lect. 22. bipar. *Non potestis Deo servire & Mammonæ.* 1. pars ostendit, quomodo sit impossibile servire Deo & divitiis. 2. præscribit remedium contra servitutem Mammonæ & divitiarum, scilicet nimiæ sollicitudinis eliminationem. 689

Eadem Dom Lect 23. bipar. 1 pars explicat rationes quas ponit Dominus ad tollendam anxiam sollicitudinem. 2. explicat conclusionem Domini, qua nos præcipit quærere primum regnum Dei. 695

Dom XV. post Pent Lect. 24. trip. *Ibat Iesus in Naim, & ecce efferebatur defunctus filius unicus matris suæ.* 1. pars ostendit, quomodo adolescens defunctus nos doceat mortis memoriam. 2. quomodo mater comitans funus doceat pietatem mortuis deferendam. 3. quomodo Christus occurrens doceat misericordiam proximis impendendam, &c. 702

Dom. XVI. post Pent. Lect. 25. tripar. *Cùm introisset in domum Principis Pharisæorum Sabbatho manducare panem, &c.* 1. pars agit de Domini benignitate frequentantis convivia peccatorum. 2. de observatione malevola Pharisæorum convivantium. 3. de sanatione hydropici in Sabbatho, &c. 709

Eadem Dom. Lect. 26. bipart. *Si licet Sabbatho curare?* 1. pars ostendit quæ illicita sint in Sabbatho Christiano 2. quæ in illo sint agenda. 716

Dom. XVII. post Pent. Lect. 27. bipar. *Magister quod est mandatum magnum in lege?* 1. pars docet quare hoc mandatum dilectionis dicatur magnum vel maximum. 2. quid sit Deum diligere ex toto corde, &c. 720

Eadem Dom. Lect. 28. bipar. *Secundum est simile huic: Diliges proximum tuum, &c.* 1. pars declarat quomodo hoc præceptum sit simile primo. 2. quid à nobis requirat dilectio vera proximi. 725

Dom. XVIII. post Pent Lect. 29. bipart *Ecce offerebant ei Paralyticum jacentem in lecto. Videns autem fidem illorum, &c.* 1 pars agit de fide & charitate offerentium Domino paralyticum. 2. de benignitate Christi respicientis eorum fidem; & paralytico remittentis peccata. 730

Eadem Dom. Lect 30. tripart. *Ecce quidam de Scribis dixerunt intra se, hic blasphemat, &c.* 1. pars declarat, quomodo Christus non blasphemet remittendo peccata, &c. 2. quomodo idem Christus se Deum ostendat detegendo cogitationes eorum. 3 quomodo Deum se ostendat auctoritativè sanando paralyticum. 735

Dom. XIX post Pent. Lect. 31. tripart. *Simile factum est Regnum Cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* 1. pars explicat quis sit Rex quis Sponsus, quæ Sponsa, qui servi invitantes. 2. qui sint invitati ingrati, vel rebelles, tum Regi, tum servis invitantibus, nolentes venire. 3. agit de illo, qui advenit invitatus, sed carens veste nuptiali. 741

Dom. XX post Pent Lect. 32. quadrip. *Domine descende, priusquam moriatur filius meus.* 1. pars explicat causas urgentes Regulum ut ad Christum accedat. 2. quomodo ejus exemplo partes solliciti esse debeant pro filiis. 3 responsum Christi: Nisi signa videritis, &c. 4. ostendit profectum fidei non solum in Regulo, sed etiam in tota ejus domo ex sanitate reddita filio. 748

Dom XXI. post Pen. Lect 33. tripar. *Simile est regnum Cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, &c.* 1 pars ostendit, quomodo nos simus servi Domino per peccatum obstricti, quamque benignè se erga nos gerat. 2. explicat ingratitudinem servi erga conservum post gratiam perceptam à Domino suo 3 explicat increpationem Domini severam in servum ingratum, simulque conclusionem, quam Dominus subjicit ad nostram instructionem. 754

Dom. XXII. post Pent. Lect. 34 quadrip. *Licetne censum dare Cæsari, an non, &c.* 1 pars explicat malitiam Pharisæorum Christum accedentium, ut interrogent de tributo an solvendum sit? 2 ostendit quàm verè de ipso dixerint: Magister viam Dei in veritate doces, &c. 3. ostendit quid de tributis dicendum, & quid de illis Christus responderit. 4 explicat moraliter illud: Cujus est imago & superscriptio? 764

Dom. XXIII. post Pent. Lect. 35. tripar. *Mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur à duodecim annis, accessit retrò, &c.* 1. pars explicat sanatæ mulieris sollicitudinem, fidem, pietatem. 2. Christi sanantis virtutem, misericordiam, benignitatem. 3. explicat figuram hic designatam animæ peccatricis, &c. 771

Eadem Dom. Lect. 36. bipar. *Domine filia mea modò defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.* Agit de filia Principis Synagogæ suscitata ad preces patris, continetque varia documenta moralia, tum ex parte puellæ, tum ex parte patris, tum ex parte Christi. 778

Dominica ultima post Pentecosten, Lect. 37. tripar. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usquemodo, neque fiet.* 1. pars docet, quàm salubriter timeatur judicium; antequam veniat. 2. agit de tempore, quo judicium fiet, & quo finietur mundus. 3. agit de signis judicium præcedentibus. 782

NOVUS INDEX RERUM ET VERBORUM HACTENUS VALDE DESIDERATUS.

A.

ABrahæ desid. Messiæ 2
Abstinentia 68
Accedens ad Deum tentationi resistat 325
Adventus tempore agenda 67, antiphonæ O 13, & seqq. ad 54
Æternitas consideranda 200
Affectus æger ex injuria accepta est macula 746
Afflictio justorum 69, ut palmæ sunt afflicti 631
Agnus occisus stans Christus est 471, & seqq.
Alapa Christi 410
Amor Dei amorem reposcit, 10, 24, Vis ejus 462
Amygdali flores strena Ecclesiast. 202, 631
Angeli Vigiles Ecclesiæ, 172, custodes 348, 351, Christo apparens & confortans 400, in resurrectione erudiens mulieres, 465, non sunt justis formidini, 466, nuncii primi resurrectionis, 477, creati ad benedicendum Deum, 553, gaudent super pœnitente, 584
Anima est Vinea 294, asina 387
Antichristus & præcursores ejus 785
Antiphonæ O. Vide Adventus
Antithesis, Adæ & Christi 438, patientis & Resurgentis 485, nascentis & resurgentis 469
Apostoli ad nuptias vocandi 251, sunt ploraturi, 501, causæ tristitiæ ibid. seminatores, 306, imitatores Christi 316, affectus eorum in præsentem Dominum imperfectus fuit 50, præmoniti sæpe à Christo 318, erant præsentes Transfigurato Christo 352, Testimonium dant de Christo 536, nubes volantes 543, auctorati per ignem 545, Moysi comparati 676
Aqua & sanguis lateris Christi 449
Aqua peccata significans 540, Item gratiam 540
Araneæ similes mundani 594
Arbores bonæ 626, malæ 627, fructus earum 630
Arundines Vento agitatæ 77
Arca Testamenti apparebit in fine mundi 787
Ascensio Domini 582, testes ejus 539
Attendite vox Evangelica 616
Avaritia 566
Audire verbum Dei. Vide Verbum auditores ejus varii 589, & 594, & seqq.
Augustus Cæsar honorator Christi 163
Aures audiendi 316

B.

BAcchanalia celebrantes 320
Baptismi Joannis & Christi collatio 89, character ejus 768, analogia cum circumcisione 189, erit malis Christianis augmentum pœnæ 603
Beati Christum credentes, 492, videntes 676
Beatorum voluptates 357
Beatitudo initialis, 676, finalis, 679. Vide Regnum Cælorum
Bellum Satanici duces 326
Benedicite, Canticum Trium, explicatur, 181, & 475
Benedictus Canticum Zachariæ 104
Benedictus V. Jesus. Maria. Electi. Nox resurrectionis.
Benedictio panum 372, Variæ secundum gradus & ætates hominum, 196, & seqq. ciborum, 515, cinerum, 327, Christi efficax 532
Blasphemia 364. Nestorii 167
Bona temporalia sub conditione petenda, 260, cœlestia absolute, 521. Inter bonos etiam mali, 282, 596
Bonus pastor V. Christus. Signa boni pastoris triplicia, 496, quærit ovem perditam 577

C.

CApharnaum miraculis clarificatum 730
Cæremoniæ Ecclesiæ probantur 670
Calcantes undas SS. 272
Calceamenta & corrigia Christi 88
Calvariæ mons 457
Calvini miraculum
Canticum Benedictus, 104. Trium puerorum explicatum 182, paschale 470, 474, & seq.
Caritas mandatorum magnum & maxima virtus 721
Caritas Christi, 193, timorem pellit servilem, 138, est vestis nuptialis, 743, exigitur à Deo, 762, Violata punitur 762
Carolus V. Imp in monasterium 297
Causæ gaudendi in Nat. Domini, 172, &c. in paschate, 475, & seqq. non citæ exauditionis dum oramus 523, irruentium ad Christum turbarum, 585, gemendi Ecclesiæ ante Christum, 1, & seq post ejus adventum 10, impellentes ad eum adeundum 748
Centurio 265 Virtutes ejus, 266, laus 270
Certitudo salutis data aliquibus 271
Christianus demonstrat se opere, 721, diligat Deum & proximum, 723, 726, benedicere debet SS Trinit. 553. Dei servus est, 168. Solide & internè justus, 598 & seq. Christum repræsentet 602
Christiani oves, 493, tenentur omnes ad perfectionem, 601, mali gravius Judæis plectentur 603
Amorrhæi. 26, Jessæi. 26
Christus Vide Jesus Cibi in lapides conversi, 344, &c. cum benedictione sumendi, 616, 372, cibus Christi peccatoris conversio 576
Cinerum usus, 327, benedictio ibid.
Circumcisio præcepta, 189, analogia ejus cum baptismo ibid Christus eam recepit, 19, mystica 195
Claudus Claudorum hospitale mundus 80
Claves Christi, 30. Dei, 32. remittendi peccata triplex, 736
Clerus 202, 631
Cæcus ad viam, 322, mysticus, 329, eorum hospitale mundus 78
Cæna magna, 562, duplex 563
Cæli, & quæ eis contenta, 185, triplex cælum 477

Collatio sui cum Deo salutis initium 85
Colloquium cum ancilla 415
Columba & turtur mystica 231
Concionator seminat, 306, meriti grandis, 309, non deficiat etsi non fructificet 310
Conditiones orat efficacis 517
Condolendum Christo 455, 457
Concupiscentia carnalis, 567 Remedia. Vide Remedia.
Confessio 102, 685
Confidentia in propria justitia 661
Conjugum amor 256
Conscientia tortor malorum 57, 77, 376
Constantia. V. perseverantia
Consensus parentum ad matrimonia 254
Consolatio afflicti in matrimonio 254
Contemptus proximi 662
Contritio 101, 666
Conversio peccatorum cibus Christi 576, 777
Convitium convitio ne pellas 383
Convivia nuptialia, 254 Christi 709, & seqq. Mala. 711
Cor bonum 315. durum, 313, maledictum 317
Corporei morbi & causa 733
Cornu salutis 115
Creaturæ certæ mensuræ, & numeri 15, vocantur ad benedicendum Deo, 182, & seq. in omnibus laus Dei est, 474, omnes enumerantur in Cantico Benedicite V. Canticum.
Cedere in Christum, Christo, Christum, 513, in Deum fundamentum est fidei 547
Crucifixus 116
Crucifigentes Christum denuo 320
Crucis Christi figuræ. Virga Aaronis, 432, duo ligna Sareptanæ ibid. Josephi, 439, nisi illa Sacratius 432, onus gravissimum, 433, obedienter ferenda. ibid ex quo ligno? ibid. ejus Titulus 438
Curiosi 322, 326
Cupidorum miseria, 565, servitus 690

D.

Dæmon pacta non servat, 131, inimicus est, 285, seminat Zizania ib. concionatus est aliquando, 313, tentator est 342, abutitur scriptura, 347, loquax 362, mutus, 361, ejus principatus, 364, ordo. ib. præfecturæ, 365, decipit confidentes in se, 349, benefaciendo perniciem molitur. ibid. quidvis fingit, 350, ad majora proserpit ex parvis initiis, 351, tribus modis homines occupat, 359, varius est 360
Deserti petendi causæ, 335, in eo plurimi SS. ibid.
Desperandum nulli 16
Desiderium adventus Christi 2, 3, 4, 5, 7, 12
Devotio pastorum Bethlehemitarum, 179. cujusvis animæ 187
Deus vocat diverso tempore, 295, ejus nomina varia, 19, & seq apparuit in igne rubi, 21, redemit Israël in Brachio extento, 22 Tituli ejus ibid. Vocatio non negligenda. 297. Bonitas, 298, 483 Brachium extentum, 22, dignatio, 47, misericordia & justitia, 55, 645. Subvenit in tribulatione, 94, 612, benedicitur à creatura, 107, benedictus, 108. Visitatio ejus triplex, 111, misericordia, 127. Testamentum & pactum cum PP. 129, juramenta, 132. Consilium immutabile 164, non deest ex sua parte, 130, fidelis, 130, plus petito donat. 171, 443. Vigilat & dormit diversis, 275, quærendus in tribulatione, 275, 281, pater familias, 292, perseverantes coronat, 297, glorificatur in SS. 322, permittit hominem occupari à dæmone, 360, arguit peccatores, 376, justificatus in morte Judæ proditoris, 418, ei in fine vitæ maxime commendandi, 448, potentia, 483. Sapientia & providentia, 483, laus. Vide Benedicite & Canticum, cur non cito semper exaudiat, 523, quatuor causis ibid esse per creaturas cognosci potest, 547, infinitus in perfectionibus, 548, unus trinus, 551, optat cito impleri cælum & numerum salvandorum, 572, miseretur in se confidentium, 611, puniendorum, 645, mandata ejus magna, 720 Rex est 741
Dies natalis Christi, 166. V. Jesus Rogationum, 517. Ascensionis benedicta, 512, multi SS eo die mori optarunt ibid. Dies festi ut servandi 718
Diffidentia 613
Diligere Deum ex toto corde. 722, exempla, 724, proximum, 725, fervor primi Christianismi. 926
Diis diversis dicata 186
Discipuli Christi 410, 414
Discretio boni & mali Angeli 466
Divites inidonei Evangelio, 75, cænæ magnæ, 566, in eorum locum pauperes vocati, 571, sint olivæ, 631, an Deo servire possint, 692, raro salutem curant, 744
Divitiæ, Mammon iniquitatis, 638. Variis modis. ibid, ab Ecclesiasticis vitandæ 692
Dolores justorum & Ecclesiæ quasi parturientium. 504
Domini officium, 269, non parendum ei contra conscientiam 266
Duodenarii numeri mysteria 243
Duodennes SS. 243
Dura corda 313

E.

Ebrietas 60
Ecce, emphaticum 173
Ecclesia gemit, 2. temporibus, 1. tribus causis 1, & seq. ad 13, est granum sinapis, 289. Regnum cælorum, 288, &c. Vinea, 292, pientissima mater, 10. Impugnata per Judæos 278. Tyrannos, 279. Hæreticos, 280. Catholicos gravantes, 281, 296, initia ejus vilia, 289, incrementa magna, 290, habet status uti ramos arbor, 292. Deus eam non deserit 94. propugnat, 279, navicula est Petri, 590. Vigiles ejus triplices, 171, 286, persecutores ejus humiliati 29
Effectus gratiæ matrimonialis, 250, status, 253, effusi sanguinis Christi 451
Effusiones sanguinis Christi 452
Electio status, 252, requisita ibid.
Electis omnia in bonum vertuntur, 17, laudantur, 287, à peccato quidam immunes, 377, numerus non imminuetur 570

Eleëmosynæ fructus, 616, an ex inique partis licitæ, 640, ad æterna tabernacula commendant, 642, extinguunt peccata, 642, patrocinantur in morte, 643
Elementa illustrarunt Natalem Domini 128
Epitaphium Jonathæ accommodatum Christo 457
Evangelica piscatio cur sine fructu subinde 593
Eucharistia humillime capienda, 269, exempla, ibid. ea sola usi SS. in quadragesima, 339, ejus figura panis benedictus per Christum, 373. Jubilatio Eucharistica, 557, & seqq.
Excitanda mens ad amorem redemptoris, 67, puritatem 229
Excusationes vocatorum 164, & seqq.
Exempla require sub singulis Virtutum & Vitiorum nominibus.
Expectatio ardens partus Virginei 8
Ezechias flens ob mortis nuntium 152

F.

Falsi Prophetæ 617
Familia Dei triplex 292
Fasciculus myrrhæ strena pauperum & afflictorum 204
Fervor spiritus 369, & seqq.
Festa luminis septem, 231. Expectationis partus, sive O. 1, 8, 13, observantia eorum, 241. Ascensionis prodigiis clara 530
Fides latronis in Cruce, 442. Sola non dat vitam æternam 680
Fides, Spes, Caritas exhibita, 730, figurata cereo accenso, 232, cum Fiducia orandum, 522, quomodo fiducia in bonis operibus habenda 661
Figura Sacrificii Christi in Cruce est Sacrificium Abrahæ, 432. Crucis. V. Virga Aaronis. ibid. duo ligna Sareptanæ, 432. Vide Crux. & Jesus.
Filius Dei. Vide Jesus. Olei. 517
Finis matrimonii triplex 253
Flere rectè docet Christus 436, &c.
Flores in strenam oblati, 202. Solos ferentes flores arbores quæ sint 630
Frœnum peccati timor Judicii 58
Fundamentum fidei credere 547

G.

Galilæorum pervicax mens in recusando Cæsare 424
Gallicinium triplex 64
Gaudium in Nativ. Christi, 173, paschate, 475, & seqq. 483, in Ascensione ejusdem, 529, justorum, 504, & seqq. mundi, 502, super peccatore converso 583
Gedeon figura Christi 175
Gemitus Ecclesiæ 1. Patriarcharum 2. Prophetarum. 5 B. Mariæ V. 7
Gentes ad Christum conversæ, 28, expectarunt incarnationem, 49, in locum Judæorum admissi, 272, per Simonem Cyrenensem ad gloriam crucis ordinatæ, 433, ex vicis & plateis vocati 570
Genuflexio in honorem nominis Jesu 208
Gloria patri &c. explicatur 554
Glorioſus. V. Deus. Jesus. B. V. M SS. Justi. Ascensio Nativitas, Epiphania, Resurrectio.
Gratia Dei invocanda ad proposita, 200. in ea debet esse efficaciter oraturus, 318, cooperandum est ei, 723
Gratiæ agendæ pro præterito, 199, beneficiis, 237, 264 687.
Gratitudo ob Visitationes Dei, 113, 687, maxime diebus festis 718

H.

Hæresis circa matrimonium, 249, similis est rasis, 364, unde oriatur, 597. Deo & omni creaturæ bellum infert, 621, malum maximum ibid.
Hæretici athaumasti, 74, blasphemi, 365, 736. Impugnatores Ecclesiæ, 280, imitatores Satanæ, 348, 619 Judæorum, 412. Similes scribis. 215. Lupis, 617, vulpibus, 618, non sunt de piscibus Christi, 597, & seq. falsi Prophetæ vestimenta eorum, quibus se tegunt, 618, quomodo ex fructibus cognoscantur, 620, male citant scripturam, 620, tribulos & spinas inducunt conscientiis, 622, ipsi de suæ fidei securitate dubitant 622. Antichristi sunt 786
Heliotropium, 187, strena senum 203
Herodis turbatio & simulatio, 214, 215. Tres Herodes memorati in S. Sc. 424, cur ei non. Respondit Christus, 425, ei multi magnates similes. ibid. induit Christum alba veste 425
Homines selecti ad benedicendum Deum, 184, & seq. stupidi ad divina, 318, & seq. duplex sors, 502, hujus sæculi in nocte laborant, 594, quadruplex genus hominum 730
Hominis lapsi miseria, 18. Analogia cum arundine, 77, antithesis cum Deo septentuplex 85, 86, nullus liber à miseriis 749
Homo novus 141, mundanus, 326, sibi est speculum & liber, 548. Creatus ad benedicendum Deum, 552. cur reparatus & non Angeli, 580, est villicus, 632. Vindicantis sese crudelitas 645, 758
Honor hujus temporis modicum est 500
Hortus Christi floridus 202
Hospitale est mundus 78
Humiles Deo magni, 202, exaltati à Deo 667
Humilitate dæmon fugatur, 84, 89, laus ejus, 29, condit excusationem, 269, utilis ad Eucharistiæ sumptionem 269

I.

S. Jacobus Hisp. Apost. 311
Jerusalem civitatis angustiæ, 649. typus animæ peccatricis 650
Jesus Christus, 205, nomen memoriale, 208, & efficax in morte. ibid. ejus varii tituli alphabetico ordine utcumque digesti. Absconditus, 215. Ab Angelo confortatus, 400, nunciatus resurrexisse, 477. Actiones ejus triplices, 257. Adonai &c. nomina Dei Hebraica, 19. Adorandus 160 & seq. prostrato etiam corpore, 259. Agnus de petra deserti, 180. occisus, 470. Agnus zzz, 480. Alba ab Herode indutus, 425, Allicians ad spem, 171. Amans medii, 246. Apparuit Thomæ 489. Apprecator pacis, 485. Aquila, 489, 531. Apprehensus, 402. Ascendit in navim 272, ad cælos

æælos,528, & seqq glorioſiſſimè, 538. Aſſumptus à Diabolo,346, aſſumpſit ſpecialiter quoſdam, 397, avulſus à ſuis,398. Baptiſmi author, 92. Barabbæ poſtpoſitus,426. Benedictus,107,390. Benedicens 531, vide Benedicere. Benignus in omnes,325, in Judam etiam, 403, in Thomam, 489, & ſeq in peccatores, 574, in portitores paralytici, 732, in Hæmeroiſſam, 775 Blaſphematus variè, 440. Caritas in circumciſione elucens, 193. Clamavit, 315. Clarificatus à parte, 220. Claves ejus variæ, 30, 736. Cereo ardente figuratus, 231. Circumciſus, 189, & ſeqq. Clemens in homines 65. Congregationes Cordium revelando ſe Deum probat, 738. Commendat paſſionis ſuæ memoriam, 320. Spiritum patri, 448. Compaſſus plebi, 370, compati Chriſto, 455. Conſilium periit ab Apoſtolis, 371 Conſummator, 447. & ſeq. Contrarius Sataræ, 367. Conviva peccatorum, 709. Cornu ſalutis, 115. Crux ejus figurata per virgam Aaronis, ligna ſareptaniæ duo, 432 Dæmones ejicit, 358. Deſideratus à SS. 12, Patriarchæ &c. I B. Virgine, 7. Gentibus, 43, omni creatura, 44, debuit mori ſecundum legem, 429, deſideratus à multis, 588, derelictus, 445. Detulit nomini divino, 412. Deus abſconditus, 235, & manifeſtus. Vide, oſtendit ſe Deum. Diligens in finem, 392, 396 Dirigens in viam pacis, 152. Diſcedens ſuorum leniit dolorem, 507, fructus diſceſſus ejuſdem ibid. Docens in monte, 259, in veritate, 765 dolores Chriſti, 431 dominus, 108, & ſeq. dormivit, 273. ductus in deſertum, 334. dure cur matri reſpondit, 256. dux domus Iſraël, 10. Egreſſus ejus varii 340

Jeſus elevatus in Aſcenſione ſua, 531. Emmanuel, 48, Encomia ejus, 457, 474. Epitaphium ejus, 457. Eſuriit variè, 340. Examinatus de Regio titulo, 420. Excitatus à ſomno imperat mari & ventis, 273. Expectatio gentium, 49. Extenta manu ſalvans, 261. Facies ejus amabilis, 587. Faciens utraque unum 45. Faſciis involutus, 170. Faſciculus myrrhæ, 400. Feliciter occurrens, 234. Figuratus per Gedeonem, 175. Sampſonem, 413, 466. Salamonem, 220. Samuelem, 318. Jonatham, 457 Eliſæum, 489, & ſeq. 752. Eliam 531, & ſeq. Per Gedeonem figuratus, 175. Generatus ab æterno, 13 Gratias agens patri, 615. Herodi cur non reſponderit, 425 Honoratus à magis Vide magnificatus. Hora ejus, 257. Humillimus in utero clauſus, 165, & in circumciſione 192
Illuminans paucis gratus 161
Impeccabilis 375
Incarnatus 14
Indutus alba ab Herode 425
Innocens 376
Intravit domum Centurionis 268
Interrogatus à diſcipulis, 410, à Pilato ab Origine, 430, regio titulo 420
Invenit diſcipulos dormientes 401
Inventus & ſalutatus 246
Irreprehenſibilis, 377. Lacrimatus, 390, 647, & ſeqq. Lapis angularis, 44, myſticus, 398. Latus ejus ſtillavit ſanguinem & aquam, 449. Lavit amantiſſime pedes, 392. Secundum legem debuit mori, 429. Legifer, 49. Lenit abiens ſuum dolorem, 507. Leo 457, 471, 480. Liber à Lege, 228, Liberavit è purgatorio animas in Reſurrectione, 481. Lilium, 167. Convallium, 440. Locutus ſæpe de ſua paſſione, 316, de vita æterna, 679. Lumen, 231. Magnus Dominus, 65. Jeſus & parvus humilitate, 178. Magnificatus in ortu, 221, &c. Manducat cum peccatoribus. 576, Manifeſtans ſe, 235, 236, &c. Manſit in templo. Medicus, 66, medio aſſuetus, 179, 87, in medio Doctorum, 246. Latronum, 440. Melchiſedech, 50. miraculorum patrator, 73 Miſericors eximie, 612, in monte docens, 259, 353, mulieres docuit recte ſtere, 439. Nativitas ejus triplex, 37, tempore deſcriptionis, 165, die Dominica, 162, parallela Reſurrectionis. 469. Nomen admirabile, 205, & ſeq. Non reſpiciens perſonas, 766, obtulit primitias redemptionis ſuæ in Aſcenſione, 538 Oblatus in templo, 229, horto, 401, cruce ibid differentia harum oblationum, 229, occulta paſſus, 414, oculi ejus feneſtræ ſalutis, 370. Oravit in horto, 398. Operibus ſe manifeſtans, 72. Oriens, 37, ex alto, 186, oſtendit ſe Deum, 276, 529, 737, 759, oſtenſus à Pilato cruentus, 427. Deo Angelis B.V. &c. 427, pacificus Rex, 210, pacificator omnium, 486, parabolis crebris uſus, 207, paupertatis ſectator, 615, paſſio ejus frænum & calcar, 320, paſtor, 495, & ſeq. 577, peccata dimittens Deum ſe probat, 735, petiit ignoſci crucifigentibus, 441, plagatus alapa, 410, potens, 315, 450, præſens author gratiæ, 253, præſentatus Annæ, 410, & 4. Tribunalibus, ibid primogenitus, 168, primus reſurgentium, 469, proditus à diſcipulo, 401, prudentiſſime reſpondens matri, 247, pulcherrimus, 587, purpura à Pilato indutus, 425 Quærens ovem perditam, 577. Radix Jeſſe, 16. Recipit peccatores, 557, & ſeqq. Redemptor, 22. Regnum ejus non eſt de mundo, 421. Reputatus ut leproſus, 262. Reſpondit percutienti ſe & non Pontifici, 412. Reſurrectio benedicta, 470. Rex pacificus, 221. Gentium, 42, & ſeq. Rex Legifer, 49 Requirens diſcipulos diſſipatos, 484. Rubens ardens, 23, 24. Sanavit Malchum, 406, paralyticum, 739. Leproſos, &c. per Salomonem figuratus, 220. Samuelem, 318. Sampſonem, 413. Sanans mutum & ſurdum, 669. Mulieres, 771, virtus ejus ſanativa, 772. Sceptrum domus Iſraël, 33. Seceſſit in deſertum, 368, ſedit ſuper Aſinam, 386. Seminans, 304, ejus ſemen ibid. ſequentes Chriſtum turbæ, 435. Signum populorum, 26, 177. Contradictionis, 27. Silentio ſuo accuſatus nobis dedit exemplum, 423 Splendor lucis æternæ, 38. Sitiens, 446. Sponſus, 741 Sol juſtitiæ, 39, 42, 66, 789. Suavis in verbis 585. Subditus patri, 399. Legi, vide circumciſus, Suſcitavit terminos terræ, 540. Tactus ejus ſalutaris, 588. Tentatus, 343. temperantiæ ſtudioſus, 615, Teſtificans veritatem, 421. Teſtimonium triplex dat ei Spiritus S. 136, & Apoſtoli, 537. Tituli Redemptor 22, 528. Tractus per vias, 426. Traditus oſculo, 403. Transfiguratus, 352. Traductus calumniis, 405. Triumphator, 386, tituli ejus, 528. Triſtis in hor-

in horto. 397. Venit in sanguine & aqua. 449. verba VII. in cruce. 441. & seqq. Verbum incarnatum. 114. Vestes ejus divisæ. 440. Vestigia pedum impressa ascendens. 530. Victima 375. Videntes eum Beati. 675 Vinctus manus 417. Virga Moysis. 32. Visitans ex alto 110. Cornis. 119. Vox Christi suavissima. 442. dolorosa. 444. dolorosissima. 445
Iguis symbolum divinitatis. 543. est sepulchrum arborum malarum. 627
Ignoscere inimicis. 441. & seqq.
Imago duplex in homine. 769. naturalis & supernaturalis ibid. Item vitiosa. 770
Imitatores centurionis humiles. 269. mulierum evangelicarum. 462
Impii, 287. retrorsum cadunt. 404. ululant in morte. 239. exempla ibid. dissidentes contra justitiam concordes. 425. Vide Judæi, Hæretici, peccatores, timent. 467. specie mulieris visa impietas. 656
Impudicitia malus somnus. 60
Imprudentia multorum. 17
Incarnatio F. D. Angelis revelata. 46. gentibus. 49. dilata 51. benedicta 108. prædestinata. 120. signis & figuris præmonstrata in statu Innocentiæ. 121. in Lege Naturæ. ib. Mosaica. 122. propheriis præmonita. 122 ejus tempus. 136. ostendit Dei misericordiam. 150
Inclinationes pravæ inimici nostri. 126
Incredulitas Thomæ. 490
Infideles sedent in tenebris: 41
Ingratitudo execrabilis. 10 Judæorum. 407. 788
Inimici nostri inclinationes pravæ. 126. liberamur ab inimicis per Christum. 125. & seq. non timendi. 137. ignoscendum. 442
Innocentium cædes. 216
Insignia nati Domini. 167
Inspiratio Spiritu S. 214
Intentionis bonæ necessitas. 252. pro matrimonio triplex. 253. in oratione. 577
Interrogatio sui est principium salutis. 85
Invidia. 61. 712. 713
Invitati ad Nuptias. 743. Natuitas eorum. 743
S. Joannes vox clamantis 96. materia clamantis. 98. laus ejus 76. 77. 145 & seq. Tituli ibid. vincula. 68. ætas. 7. Tempus prædicantis. 93 misit suos ad Jesum. 70
Ira justa potest esse, & sine vitio. 604. ira inordinata. 605. damna ejus. 607. gradus. 607. remedia 608. Iratorum preces ingratæ. 609
Jubilus natalis Domini. 167. paschalis. 475. Eucharisticus. 557
Judas proditor. 401. obduruit lotione pedum. 395. revocatus varie. 403. pœniteus. 417. desperans. ibid. Absolon alter ibid.
Judæi in anno ascendebant ad Templum. 240. colant culicem glutientes camelum. 419 excæcati 215 impugnant Ecclesiam. 278 ingrati summe. 407. eorum concilium sanedrim. 416. Constantia in malo. 417 quomodo eis interficere non licebat. 419. minis Pilatum terruerunt. 427. 430. clamaverunt sanguis ejus, &c. 431. voluntati eorum traditus Dominus. 431 oderunt adhuc Christum. 653. dispersi. 656. fæces. 657.
Judicii dies latentia aperiet. 57. timenda 781. tempus ejus. 784. signa ibid.
Judicis officium. 634
Judicium temerarium. 264. 577
Juramentum Abrahæ. 3 licitum & requisita. 131
Justi afflicti. 69 adversus probantur. 274. cnuunt Regnum cælorum. 298. sedent in tenebris cum tribulantur. 42. eorum desideria ad Christum videndum. 8. lugent triplici causa. 503. filii dolorum. 505
Justitia servimus Deo. 140. duplex est Christiana & pharisaica 598. ejus emblema. 634
Justificatio hominis difficillimi opus. 739

L.

Lacrymarum Christi causæ. 647
Per lapides Satan tentavit. 343. & seq.
Lapsorum cautio. 490
Lascivia & Lascivi. 68
Latronis in cruce fides. 442. conversio. 443. prima fuit Christi præda. 444
Laus Dei in omnibus creaturis. 474. & 182
Hominum transitoria. 78
Lectio pia super mensam. 710
Legatio Joannis ad Christum. 70. 71. 83
Lepra multiplex. 81. animæ & corporis. 262. 683. pœna peccati. 681. Item ex vitio naturæ. 681
Leprosus missus ad sacerdotes. 262. 682. pietas ejus. 258 resignatio. 260. multitudo eorum in Israel. 258 681 Sancti qui leprosi fuerunt. 262
Leprosi X. 680
Leprosorum est mundus. 81
Lex timoris. 139. amoris. ibid. Nova & vetus 545. analogia earundem. ibid. Nova ad perfectionem obligat. 601
Liber laudum Christi 473. tales sunt septem, ibid. septem etiam sigilla. ibid. septem folia. 483
Lilium cum Rosa Arena est adolescentum. 204
Linguæ aliquorum post obitum incorruptæ. 361. Igne super Apostolos. 544 dispertitæ. ibid. donum speciale ibid.
Litaniæ. 417
Lotio humilis pedum. 392 X. seqq. ejus mysteria. 394. & seq.
Luctus funebris Christi. 456. & seq. fallax. 706. pius pro anima peccatrice. 779
Luminis festa septem. 231
Lupi varii sub ovis pelle. 623
Luxuriose similes sydropico. 710

M.

Magi ab oriente qui. 210 unde. 212. Jerusalem ingressi. 215. egressi. 217. adorantes & munera offerentes. 218. 223. mors. 224. sepultura. 224
Translatio Coloniam. 221
Magnates multi Herodi similes. 425
Magnitudo gaudii, vide Gaudium.
Magnificentia Christi. 221. & seq.

Mandatum dilectionis magnum, 720
Mansio in templo, 242
Mala cogitant luxuriosi, 738 iracundi, ibid. avari. 739.
Maledicta ut ferenda, 303. & seq. maledictiones VIII. contra Beatitudines, VIII. 600
Mali serviunt bonis, 125
Malum consilium & consortium est perditio, 577
Manuum Christi impositio, 669. multiplex in Ecclesia, 670
Manus arida, 711
Mare laudat Deum, Vide benedicite, maris dominium etiam SS. 176
Maria agnovit filii divinitatem, 169. assimilata filio suo 228. Ascendit ad templum, 240. accersenda ad nuptias Christianas, 251. adoptiva mater Joannis, &c. fidelium, 444. Christus in cruce allocutus eam, 444 Compassa, 452. &c Constans, 453. Desideravit adventum Messiæ, 7. omnia SS. PP. desideria in ea collecta, 165. Dolorosa, 244. 444. 452. excitat ad pietatem, 229. Gaudiosa, 244. Imitata filium, 228. impetrans prolem conjugibus, 251. interest passioni filii, 453 Libera à Lege, 228. Lilium inter spinas, 245. mater electorum, 168 S. Joannis, 444. &c. fidelium, ib. meruit, 456. obtulit filium, 229. patrona in periculis partus, 167. profecta in Bethlehem, 164. purificata, cur, 227 peperit Messiam, 166. sine impuritate & dolore, 167 planxit filium, 455 Rubus ardens, 23. Regina martyrum, 453. servivit humillimè, 170. securitatem donat 235 silentii amans 247. stetit in doloribus, 454. vellus Gedeonis, 176
Mars emblema iræ injustæ, 607
Materia prædicandi optima, 96. 97
Matrimonii Sacramentum, 249. convivium, 354. solutio rati per votum, 255. parentum in illud consensus. 255
Medicis utendum, 722
Memento, 329. Super mensa tractanda, 710
Merces impletæ mensuræ; 286. Sero subinde datur, 298. operariorum non differenda, ibid. 300
Meritum duplex, 128. Concionatorum, 309
Messias quid sit, 71
Militia non reprobanda, 265. militum vitia, 255
Mirabilia florum, 186
Miracula Christi divinitatem ejus probant, 73. 74. non patrant hæretici, 74 propria vel aliena vi fiunt. 73
Miseria hominis lapsi, 18. 778
Misericordiæ, 4. mystica flamma, 611. Commendatur exemplo Christi. 706
Missæ officium, 67
Modicum, 496
Mons Calvariæ, 417. & seq.
Mori feliciter docet Simeon, 238. SS. cum gaudio optant, 238
Mortui spiritualiter 81 numerus eorum 82. mortis memoria 702. portitores mortui quatuor 674. Sepelire mortuos pium 704. Tres à Christo excitati, 780
Mulieres Evangelicæ perseverabant, 465. Sanatæ à Christo, 771. In multitudine vitia, 599
Mundani similes araneæ, 594
Mundus est speculum Dei, 548. & liber insignis, 482. Hospitale variè miserorum, 78. & seq. Cæmiterium mortuorum, 81. desertum mysticum, 100. Jericho, 326. ejus gloria & regna somnium, 348. miseria, 349. gaudia, 502. beneficia inscribit pulveri, 688. senescit, 783.
Munera mystica, 225. Religiosa, 225. murmur. 301
Mutus senatus, 669
Mysterium incarnationis, 119

N.

NAtivitas Christi, 164. ejus & Resurrectionis analogia, 469
Navicula Petri Ecclesia, 590
Negatio Petri, 414
Novissima sæpè inculcanda, 97
Novissimi sæpè primi, 300. 302
Nox passionis Domini atrox & mira, 414 resurrectionis benedicta, 470. Nocte mala geruntur, 61. in nocte laborare, 594
Nuptiæ sine Jesu infelices, 254. convivio celebrantur, 254.

O.

OBedientiæ fructus, 592
Oblatio Christi in cruce templo, 229. Cerei grata est SS. 239
Oblationes primorum Christianorum, 609. ex inique partis. 641
Observatio aliorum, 712
Oculus nequam, 301. 712. & seq.
Odium in corde foventes, 361
Festum O. vel exspectationis partus, 1. 8. 13
Offensa reconcilianda, 610. se offerendi forma, 227
Offerre prolem natam Deo salutare, 230
Officium Domini ac servi, 265. 269
Omnes invitantur ad Jesum, 170. ad transitum in Bethlehem, 181. ad laudem Dei, 182. ad cineres pœnitentiæ, 330
Opera charitatis, 68. consilii & præcepti, 240
Operarii Ecclesiæ, 298
Optimates similes terebintho, 631
Orandum cultu interno & externo, 260
Orantium triplex ordo, 519. Inordinate orantium exempla, 521
Oratio Christi in horto, 398. ut fieri debeat, 516. & seq. transformat hominem, 355. Conditiones ut sit efficax, 517 quid orandum, 520. pharisæi vitiosa, 657. & seq.
Otiosorum pœnæ, 299
Oves Christiani, 495. officium ovium bonarum, 497
Oves nonaginta novem relictæ, 578

P.

POenitentia falsa est via erronea, 103 veræ pœnitentiæ tres actus, 101
Pœnitere nolentes, impotentes facti, 65
Panis benedictione multiplicatur, 372, valet ad turelam

lam fidelium, 373. mysteria panum à Domino multiplicatorum, 614
Parentes assuefaciant proles sacris, 241. eis incumbit cura prolium, 750. 779. quid docere debeant filios, 753.
Patrem habentes cum Christo, 491
Partus Virginis, 167
Parvulorum ora aliquando oracula, 385
Paschale gaudium, 483
Pastoris boni signa. 496. pastores Ecclesiæ vigiles, 286 172. imitatores sint Christi, 582. vide Jesus.
Passio Domini excessus, 356
Patres in limbo in tenebris sedentes, 42. illuminati, 144. adorant Christum, 162
Pauper secus viam, 324. eis evangelizandum, 75. non contemnendi, 268 in divitum locum allecti, 571. opprimuntur, 760
Pax, 48 emblema ejus, ibid. Deo gratior sacrificio 609 610.
Peccata sunt nubes impedientes, 519. Aquæ. 540. umbra mortis, 41. timori SS 376. lepra, 683. servitus, 757. Hydropicus, 714 sedent in tenebris, 41. belluæ sunt, 100.
Peccatorum figura Sampson, mortuus in Naim, 708. 351. Christum postponunt Barabbæ, 426. cæci Spiritu, 326. habent timere, 376. non tamen desperare in vita, 751. exhortatio ut attendant sibi, 628. coangustatio. 650. 652. similes paralyticæ, 735. sunt infideles villici, 633. surdi & muti, 672
Pedes animæ sunt affectus, 155
Ad Perfectionem tenentur & sæculares & religiosi. 601.
Persecutiones Ecclesiæ X. 279
Persecutores Ecclesiæ humiliati sunt, 29. Judæi & Tyranni, 278
Perseverantia in amando Christo, 461. 453. in orando, 525. exempla, ibid. affert præmia, 289. meretur Dei misericordiam, 613
Petrus reprehensus à Christo, 406. Malchum mutilavit aure, ibid. Negavit Dominum, 414. peccatum ejus, 415. pœnitentia, 416. flevit, ibid. Navicula ejus Ecclesia, 590. fundavit principales orbis Ecclesias, 591.
Pharisæorum murmur, 575. justitia, 558. jactantia, 657. oratio vitiosa, 658. malitia, 764
Philippus III. Hisp. Rex mortuus pie, 234
Pilatus Dominum purpura induit, 425. uxor ejus visis territa, 425. ipse territus minis Judaicis, 427. voluit absolvere Dominum, 430. voluntati Judæorum tradidit, 434
Piscium copia evangelica quid notet. 592. 596
Piscatio evangelica cur sine fructu sit, 593. dispar est, 598.
Potestas sublimis obnoxia timori, 216
Porus Christi, 417
Prædestinationis signa, 380
Prædicatio maturæ ætati committenda, 95
Prædicatores optimi S. Joannem Bapt. imitantur, 98
Præsides exemplo potentes sunt, 754
Præsumptio, 415
Principes Gentium ad Christum conversi, 28
Profectio B.M.V in Bethleem, 164
Prophetæ vigiles Ecclesiæ, 172. eorum desideria de Christo, 5. & seq. falsi, 617
Prophetiæ capaces impii, 123
Proximi dilectio, 725. quid requirat, 727
Prudentia carnis & Spiritus, 17
Publicani oratio, 663. humiles mores, 664
Pueri assuefiunt sacris rebus, 241
Puerperarum cæremonia, 230. superstitio, ibid.
Puritas mentis quærenda. 229

Q.

QUæstionum Evangelicarum utilitas, 676. aliæ noxiæ, 678

R.

RAdix Jesse, 15
Ramus olivæ strena conjugatorum, 203. palmi afflictorum, 204
Ratio villicationis reddenda, 635. de quibus, ibid. Rationes Christi contra anxias hominum sollicitudines, 695
Reconciliatio offensorum, 608. 610
Redemptionis humanæ tempus prænuntiatum, 136
Reges, volucres cæli, 291. mutantur, 93. adorantes Christum, 162
Regna mutantur, 93. dissidiis evertuntur, 366
Regnum cælorum distabat olim valde, 97. per Christum appropinquavit, 96 parabolis explicatum. 287 &c Christi Regnum non est de hoc mundo, 421
Regnum Dei quærendum, 698. triplex, 699. illud quærentium exempla, 700
Regulæ octo Negotiatorum, 744
Religiosi quare à primo flore deciderint, 577
Reliquiæ de Circumcisione Domini, 190. & seqq. SS. efficaces, 774. & 777
Remedia peccatorum, 683. contra concupiscentiam opum, 692. contra anxias sollicitudines, 695
Resignatio summa, 260
Respectus personarum, 766
Rete laxare in verbo Christi, 592. scissum est per Lutherum & Calvinum, 597
Risus Sardonius typus gaudiorum mundi, 502
Romana Ecclesia, 590
Rosarium SS. Trinitatis, 514
Rubi ardentis Moysis mysteria, 22
Rudium eruditores SS. 310

S.

SAcerdotes uncti, 117. adhibiti matrimoniis, 254. etiam pravi venerandi, 263
Sacramentum matrimonii, 249. ejus affectus, 250
Sacrificium Abrahæ, 431. figura sacrificii in cruce, 432. nullum olim sine igne, 544
Salvatio hominis, 46
Salvatores vet. Testam. erant figuræ Christi, 124
Sampson figura Christi, 413. 466. Item peccatorũ, 351
Sancti cupiunt dissolvi, 36. 238. timent rigorem divini judicii

judicii, 57. etiam in carceribus converterunt homines, 70. corpora quorundam post mortem oleum sudarunt, 117. meruerunt incarnationem Dei, 121. 128 brevi somno usi sunt, 273. mari imperitant, 277. prosperis & adversis probantur, 245. aliqui leprosi fuerunt, 262. & rudibus & paucis evangelizare parati, 310 in deserta acti, 336. quosdam Deus permisit corporaliter Sathanæ, 346. & declinant persecutiones, 368. sæpè panes multiplicavere, 374. solum timuerunt peccatum, 382. Tres eorum ordines, 388 Subditi voluntati divinæ, 400. per gladium quidam ad Episcopatus inaugurati, 407. testes veritatis, 421. sæpè suos consolati sunt in morte, 508. optarunt die Ascensionis Dominicæ mori, 532. per uxores quidam seducti, 567 oves perditas diligenter requisiere, 582 in his opere is sermone petentes, 586. servientes Deo omnibus diebus suis, 143. noluerunt eleëmosynas malorum, 641. de se non præsumpserunt, 662. in fiducia & fide orantium exempla, 732
Sanctitas in servitio Dei, 140. triplex est communis Relig. & sacerdotum, ibid.
Sandalia Christi, 80
Sanedrim concilium Judæorum, 416
Sanitas corporis & animæ, 732
Satisfactio, 103
Scandalum Judæorum in Christo, 75
Scientia salutis, 148. ejus studiosi, ibid & seq.
Sceptrum Israel, 33
Schismata unde orta, 597
Scripturam malè citant hæretici, 621
Securitas cordis à B. Virg. venit, 235
Sedentes in tenebris, 41. 151. illuminati sunt à Christo, 153.
Sabbati observantia, 716. quæ in eo licita & illicita, ib. violatores, ibid.
Senex impius, 296
Senio deficiens, 59
Septenarius numerus sacer, 13
Sepultura mortuorum pia, 704. & seq.
Sero vocati, 296
Servitus Dei, 140. omnium dierum, 142. & seq. impossibilis cum servitio divitiarum, 689. exemplo, 690
Servus, 265. in quibus debitor, 266. boni qualitatis. ibid. Dei servus, 268. 741. & 742. maximè pastores & sacerdotes. ibid.
Sibyllæ de Christo, 123. & seq.
Signa nati Christi, 176 salutis varia data diversis, 176 misericordiæ & justitiæ Dei, 56. prædestinationis, 380.
Semen verbum Dei, 307
Simeon & Anna, 233. occurrerunt Domino, ibid. specialiter se Simeoni manifestavit Dominus, 237. petiit dimitti, ibid.
Simeon Cyrenæus est figura & exemplum, 433 &c.
Silentium Christi mirabile. 424
Simulatio Herodiana, 214. &c.
Sitis Christi in Cruce, 446. &c.
Societas malorum, 415
Sollicitudo præpostera, 699. maxima sæpè maximæ materinopiæ, 70. Somnus bonus, 59. malus, ibid. infelix, 63 brevis, 55. in usu fuit, 273. damnosa, 992. & seq. pia S. Monicæ, 750. moderata, 694. diversorum diversa, ibid. 694
Sol justitiæ Christus, 39. naturalis Christum nascentem honoravit, 163
Speculum, 328
Splendor Christi, 38
Spinæ mystiæ, 314
Spiritus varii in sac. Sc. 539. Spiritus S. nomen proprium 524. proprietates ejus, 524. digitus Dei, 367. non venturus nisi Christo abeunte, 508 arguet mundum de peccato trifariam, 511. &c. de Justitia etiam trifariam, 513. de Judicio, 514. procedit à patre & filio, 533. est veritatis index, 535. perhibet testimonium de Christo, 536. apparuit variis figuris, 541. 544
Sponsus Christus & sponsa natura humana, 741. item Ecclesia. 742
Status gratiæ, 253
Stella Magorum, 213. 214. 217 218
Stella signa SS. 278. Sanctorum emblema, 789. Vide sancti per Strena benedictiones diversæ, 196
Sudarium S. Veronicæ & plautillæ, 436
Superbia diaboli & suorum, 84
Superbi, 663. humiliati, 667
Hydropicis similes, 214
Surdorum hospitale est mundus, 79
Suscitatus est orbis terrarum à Christo quinque modis, 541
Symbola prudentiæ, 18. Regiæ authoritatis, 33. 233. Christianorum, 139. misericordiæ Dei, 151. Virginitatis, 167 animæ piæ, 86. Victoriæ, 388. fidelium, 610

T.

TActus Christi desiderabilis, 590. sanativus. V. JESUS.
Tempestatis causæ. 274
Templa Christiana cur navis forma construantur. 591
orationi dicata, 657
Tempus præteritum recogitandum, 200. Adventus præcollocandum, 64. Sacrum, vide Dies.
Tentatio Christi, 336 sine ea nemo, 337 vide Afflictio. Homo miseria morbus, Dæmon, Tribulatio.
Tepor in cultu Dei, 61. Unde, 62. Remedia, ibid.
Terra & quæ in ea, 183. triplex est, 311. infrugifera, ib. deserenda terrena. 510
Terrore è signis Judicii extremi, 56., Vide Judicium, peccatum.
Testamentum Dei. 129. 131. 49
S. Thomæ Christus apparuit, 489
Timor inimicorum, 137 servilis, 137. 139. stimuli ejus pro omni statu, 303 pius. 304
Titulus Crucis Christi, 438. Vulnerum ejus, 448
Tractus hominum ad Deum sit diversimode, 17
Transeuntes in Bethlehem literaliter, 178. mystice, Tribulatio magna in fine mundi, 287. in ea Deus est quærendus. 275

Tributa 767
SS. Trinitas, 51, & seq ejus laus, 555. Rosarium 554
Tristitia Justorum mutabitur in gaudium 504
Turbæ irruentes in Christum 585
Turturis gemitus, 1, ad 13. Voces ejus septem, 13, ad 54, solatium, 51, mystica significatio 231

V.

VAgi 312
Vana gloria fugienda 781
Venti, & Spiritus analogia 524
Verbum Dei est semen, 307, fructificat ibid. & seq. est triplex, 308, ejus diversi auditores, 301, audiendum, 300, simile est reti 595
Veritas debet annuntiari maxime à VII. classibus hominum, 422, odiosa est 377, & seq.
S. Veronicæ sudarium 441
Vestes & Vestimenta. Substernere, 388, scindere, 413 Nuptialia 745, baptismi, 746, tegētia hæreticos, 619
Vidua vera 707
Vigiles Ecclesiæ triplices, 172, 286. Vide pastores. Vigilantes beati 63
Villicus. Homo est, 632. Villicatio, 632, & seq. tempus ejus breve, 637, ratio 635
Vindicta crudelis 645
Vinea est Ecclesia, 292, item anima, 294, cultura ejus, 294
Virgines fatuæ 630, 637
Viscera misericordiæ Dei 149, & seq.
Visitatio Dei triplex 111
Vita præsens, modicum, 499, similis Jordani, 97, carceri, 35, discutienda, 67, nihil 329
Vitia in omni multitudine, 596, gradu & statu. ibid.
Vitis cultura 294
Unio div. & humanæ Naturæ, 45. Utriusque Testamenti, 49. Judæorum & Gentium, 45. Angel. & Hominum 45
Unctio Regalis & Sacerdotalis 117
Unicorni est similis Christus 118
Vocandi ad nuptias, 250, ad cænam, 564, ex Vicis & plateis, 569, item viis & sepibus, 571, tempora diversa 295
Volucres cæli sunt Reges & Principes, 291, item pii & Religiosi 292
Voluptas Beatorum 357
Vox Dæmonis, 346. Dei patris, 357, triumphalis 389
Vulnera Christi, eorumque encomia, 448, cicatricum eorundem causæ, 486. Usus 485
Uxor pilati 426

X.

XEnium Christo offerendum Heliotropium, 186, aliis 196

Z.

ZAchariæ Hæsitatio, 105, occisus inter templum & altare, 106, quare 228
Zelus indiscretus Deo ingratus, 284, fervens, 369, animarum 384
Zizania, 285, eà ubique 286

INDEX NOVUS MARIALIS D. MARCHANTII.

NUMERUS PRIOR PAGINAM MARIALIS, POSTERIOR COLUMNAM DESIGNAT, Qui ubi desunt inter B. V. titulos in aliis opusculis Authoris reperiri poterunt.

AAronis mitra symbolicè 191, 2
Abrahæ semen ut stellæ cæli & pulvis terræ, 67, 2
Adam uxorem vocavit Evam 18, 2
Adolescentia pictura, 28, 1. Adolescens B. Virgini devotus revixit ad pœnitentiam, 25, 1, alius è vinculis ereptus 25, 2
Adriani moles castrum S. Angeli 145, 2
Advocati plurimi in cœlo 97, 1
Affectus congratulationis ad V. in resurrectione Domini 152, 1
B. Alanus Rosarii restaurator 82, 1
Albertus Austriacus pius in Deum & Deiparam, 112, 2, ei templum ædificat 113, 1
Alleluja repetitur tempore Paschali, 149, 1, quid, & quo fructu? 150, 1
Alexander de Ales petenti nomine B. V. nihil denegavit, 82, 1. Alexander Oliva Card oblitus sui nominis nomina Jesus & Mariæ memoriâ retinuit 114, 1
Alma, vox, 117, 1 & 9. & 2. & seqq. Almæ matris imago gentilis B. V. applicata, 117, 2. Alma Redemptoris auctor quis, 1, 1, & 2, 1. Alphonsus à Spina 12. lapillos ex puteo haurit Jesu nomine insignitos 115, 1
Alphonsi Rodriquez devotio erga Salve Regina, 100, 2
Amor Amicitiæ & concupiscentiæ, 135, 1. S. Augustini erga Deum, 135, 2. Deiparæ erga suos 105, 1
S. Angeli Spiritus & quomodo 97, 1, interpellant B. V. pro nobis cum sanctis, 99, 2. concinuerunt Responsa. Felix namque es, 94, 1. Gabrielis exemplo SS. varia cantica composuerunt, 1, 1 Angeli B. V. dominam agnoscunt, 128, 1. festivitates B. M. V. promulgarunt, 129, 1, auctores Antiphonæ: Regina cæli 145, 1
Animæ piæ irrigantur & inebriantur, 74, 2, & pœnas in purgatorio mitigat B. V. per Angelos, 109, 1, liberantur è purgatorio festis Paschæ, Nativitatis & Assumptionis B. V. 109, 2. Antiphonæ Alma redemptioris, Salve Regina & hymnus Ave Maris stella à quo compositæ, 1, 1. & 2, 1. Antiph. Regina cœli istando recitatur, 147, 2. S. Antonino Episc. Flor. B. V. in morte adfuit, 51, 1. S. Antonius de Padua cultor B. V. eximius, 2, 1, tentationes & Dæmones vicit hymno: O gloriosa Domina, 2, 1, à B. V. in morte solatium habet 51, 1
Aquæ nivium frigus inferni denotant 65, 1
Arbor thuris odorifera symbolicè 180, 2
Ave multæ significationis, 126, 1. B. M. V. & nobis gratissimum ex tribus causis, 28, 1, continet omnes festivitates B. V. sæpe recitandum & à quibus id factitatum.

✠✠✠

tatum, 125, 2. symbolum militare Emmanuelis Portugalliæ Regis, 134, 2. initium & fundamentum Pacis & salutis 16, 2

B.

BAsiliscus venenum fundit ex oculis 100, 1
Beatitudo primaria & secundaria in quo consistat, 52, 2
Beneficiorum suorum Deus poscit memoriam 81, 1
S Bernardus delectatus Antiph. Salve Regina, 114, 1 eam complevit additis ô clemens, ô pia, &c 1, 1, mirè delectatur hymno: Ave maris stella, 2, 1, ei B. M. V. lac propinavit ex uberibus ibidem
S. Brigittæ in B. M V. affectus 137, 1
Bethunienses à peste servati 165, 2

C.

CAdere retrorsum, 122, 1, irreparabili casu ibid.
à Carmelo & Carmelitis incepit crescere devotio erga B V 68, 1. Carmelitanæ laudes. ibid. Carmeli fructus, 71, 1. Hortus B. V. irriguus, 73, 2. Carmelitæ specialiter fratres B M. vocantur & quare, 66, 1, B. V. quomodo specialis soror Carmeli, 66, 1. Ex ordine Carmelitarum quam multi SS. Martyres, 68, 1. Confraternitas montis Carmeli est hortus Mariæ, 73, 1. quomodo in horto illo plantari debeant plantæ & irrigari, 74, 1. Carmelitæ cum scapulari sepeliuntur, 74, 2. Carnuti in Galliis indusium B. M. V. 2, 1. & 125 2. Carnutenses ope B V. profecti 2, 1
Caroli filii S. Brigittæ affectus erga B M. V. 137, 1
S. Carolus Borromæus in sua diœcesi jussit statuam B. V. supra templi fores collocari 12, 2
Carthusianus B. V. in morte habuit Consolatricem, 54, 1
Castor & Pollux à gentilibus maris Præsides habebantur & quare 4, 2
Castitas carnis passiones moderatur, 45, 2, tuta non est nisi subsidio B. V. 46, 1, eam impetrat S. Vincentius Ferr. 46, 1
Christus benedictus per excellentiam, 106, 2, in nomine Domini, 102, 2, primarius advocatus, 97, 1. Clemens, 111, 1, remittit peccata in gratiam Matris, 155, 2 fons omnium gratiarum, B. V. canalis, 144, 2, sol, 146 1, in Dominica resurrectionis Matri Rosam auream obtulit, 148, 1, dignitas ex Titulo, Filius Dei, 151, 1
Cistercienſium devotio in B. V. 105, 2
S. Clara in sinu B. V. expirat, illa cum Virginibus apparuit 51, 2
Civitates gloriosæ, & B. V. civitas 52, 2, & 57, 1
Clavus navis symbolicè 176, 2
Clementia B. V. 111, 1, in Genofam. 112, 1, in cæcos, 26, 2, & 8, 2
Cœlum triplex in scriptura 146, 2
Columna ignis de nocte, & nubis de die 50, 2
Cœcorum varia genera, 26, & seqq. Cœci corporaliter sectè invocant. B. V. 26, 2. & Cœci mente, ut hæretici & infideles, 27, 1, & Cœci diversis passionibus, 27, 1
Congregatio Misericordiæ erecta Ulyssipone 91, 2
Consolatrix afflictorum B. V. 31, 2
Cognatio spiritualis consistit in adimpletione voluntatis divinæ 64, 2
Const. Copronymus hostis B. V. punitus 8, 1, & 2
B. Conrado apparet B V. cum filio 104, 1
Cor S Francisci ubi asservetur, 104, 1. Corde potius quam ore clamandum 93, 2
Cultores B. V. feliciter transeunt ex hac vita, 66, 1, 73, 1
S. Cyrillus Alex. hostis Nestorii 8, 1

D.

DÆmones permissu Dei quandoque pestilentia homines percutiunt, 16, eosdem vicit S. Antonius de Padua, 2, 1. Deiparæ elogia, 62, 2, ante & in partu Virgo, 124, 1, vide Maria Virgo vel B. V.
Desiderium videndi Jesum, 52, 1. Beatam V. 33, 2
Dies Sabbati B. M. V. Sacri 43, 1
Dispositio ut ubere misericordiæ B. M. fruamur 37, 1
Doctores & Concionatores Ord. S. Francisci 86, 2
S. Dominici cultus Rosarii, 82, 1, ei Christus scalam dimisit è cælo 51
Dulcedo B. V. 115, 1

E.

ECclesia laudibus Marianis adjicit sit laus Deo, &c. quare, 54, 2, ei fons est Christus 73, 2
S. Edmundus annulum in digitum imaginis. B. M. V. inseruit 42
Elephas flexis poplitibus Lunam honorat 3, 1
Elias Fundator Carmelitarum 70, 2
B. Elisabeth magna Mater Domini 7, 2
Elogia B. M. V. 61. Pii V. 80, 2. Stanislai Koskæ, 40, 1
Evæ & MARIÆ Antitheses 93, 2
Excellentior titulus B. V. Mater DEI 7, 1
Exhortatio ad populum diu durante flagello, 168, 1, sublato, 170, 1. Exempla B. V. Matrem nominatium & experientium, 339, & seqq. ejusdem fructum laudantium, 62, 2. Misericordiam imitantium 91, 1

F.

FAcies B. V. ab Angelo picta 139, 1
Fasciculus è spicis messis symbolicè expositus, 178, 1
Festa B. M. V. distributa, 43, 1, ea ab Angelis promulgata, 129, 1, inter ea est unum de Victoria, 80, 2. Flos symbolum virginitatis; fructus fœcunditatis 7, 1
Flores horti olivarum cum inscriptione: ô mors quam amara, &c. 148, 2
S. Forennanus in lignis duobus decussatis cum 12. sociis mare navigavit 3, 1
Franciscus Binans nomen Jesu & Mariæ pectori insculpsit 114, 2
S. Franciscus Assisias, 12. Rosas à B. V. accepit, 81, 2, omne bonum ordini suo à B V. venisse agnoscit, 85, 2, quæ suos favore summo dignata, 86, devotio erga Salve Regina, 100, 1, cor ejus asservatur 104, 1
Franciscus Rezza mirè addictus cultui B. V. 105, 1
S. Franciscus Xaverius Catechismum sinebat. Salve Regina 101, 3

S. Fulbertus Carnotensis à B.V. sanatur 107,2

G.

GAudia B.M.V. in cælo, 136, 2, 53, 1, ea soluntur septem Pater & Ave 136,1
S. Gabriel glorificatur cum Ave ejus recitatur 17,2
S. Gerardus roganti per amorem B.V. nihil negat 92,1
S. Gerardus Caunadiensis perpetuum incensum curavit ante aram B. V. 23,1
Gentiles Solem & Lunam adorarunt 145,2
S. Getrudem amavit Christus, 42.2. S. Gregorius PP. deplorat evectionem suam, 52,2. Author versiculi, Ora pro nobis Deum 154,2
Gloria respondet gratiæ 142,1
Gloria B.V. ostensa B Arnulpho 142,2
Gratiæ agendæ Deo 171,1
Gaudium B.V. in Resurrectione filii, 145,2. Patrum, 52.1

H.

HÆretici cultum B.V. impugnant, 154, 2, videns miracula B. V. fit cœcus, pœnitentiam agens sanatur, 16,2. B. Hermannus Contractus, Salve & Alma composuit, 1,2, ejus ob hoc favores. ibidem. apparitio & scientia, 1,1, & desponsatio 42,1
Hierosolyma merito B.V. expugnata 81,1
Homo opus fidereum, 4,1, post peccatum Adæ lapsum promissimus 110, & seq.
Honor SS. nihil cultui divino derogat 38,1
Hortus conclusus B V. est. vide elogia B.V. Item Religiosi ordines, Carmelus &c. hunc hortum B.V. plantat, 84,1, rigat 85,2
Hostes B.M.V. duplices, Virginitatis & Maternitatis, 8,1, sed hos triumphat ibid. 2
Hostem pro nobis vicit B.V. 79,2
Hospitalia eriguntur in honorem Matris misericordiæ 91,1
S. Hyacinthus fluvium sicco pede pertransiit relictis etiam vestigiis viæ 5,1
S. Hedvvigis digitis imago B. V. adhæsit in tumulum usque 51,2
Hymnus 1, & 2

I.

JDæa omnium SS. 31,1
Jesus & Maria duæ portæ, & una 13,2
Jesus fructus benedictus, 101, & seq desiderabilis, 52,1
Ildephonsus devotus B.M.V. 42,1. Imago B.V. adhæsit digitis S. Virginis, 51,2, primum à S. Luca picta est, 139,2. Deiparæ è cœlo allata est B. Gallæ, 96,2. Imago Almæ Matris gentilium applicatur B.V. 317,2
Impuritas displicet B.V. 46, 2. Incarnationis memoria juvat puerperas, 106,2, miraculorum est maximum, 123,1
Indusum B.Vvid: Carnuti.
Joannes Ximenez excitatur ut pro defunctis oret 26,1
Ingratitudo est non vivere conformiter beneficio, 72,2
Insigne PP. Servitarum 99,1
Israelitæ in deserto typus noster 50,1
Italia Turcarum irruptionibus liberata 69,2
Judith typus B.M.V. 79,1
S. Ivo advocatus Pauperum 101,1
Justus die septies cadens 121,2

L.

LAc B.V. asservatur Venetiis, in Belgio & Apulia, 116,1
Lacrimis nostris B. V. compatitur 95,2
Lana & Linum mystica 66,2
S. Lucas B.V. depinxit 139,2
Lucerna symbolica, 174,2. S. Ludouicus Gall. Rex voto B.V. de Carmelo naufragium evasit 5,2
Luna Regina cæli dicta 146,2

M.

MAla 28, & seq.
B. Margaretha de Castello Virginitati Mariæ devota 125,1
S. Mariæ nomen, 3,1, dignitas, 2,2. Altera Eva, 17,1, in multis opposita primæ ibid. Aquæ ductus, 73,2. Alma mater, 9,2. Altare thymiamatis Abyssus & officina miraculorum, 123,1. Arca Testamenti. Advocata data mortalibus, 57, & 100. maxime Religiosis, 98, &c. Amans Virginum, 42,1. Auxilium mundi, 107,1. Aurora consurgens. Auxilium Christianorum. Arbor thuris, 80,2. Beatus venter, 62,2. Benedictus fructus, 102,1, & 62, 1. Castrorum acies ordinata. Canalis gratiarum à Christo emanantium, 144, 2, causæ lætitiæ, 66,1, & 73,1, civitas magni Regis, 56, 2, civitas Refugii. Columnæ ignis in nocte, 50,2. corona gloriæ in manu Domini, 35, 1. Consolatrix afflictorum, 38. 2, cælum animatum, 2, 2, crescens in mille millia, 67,2, conterens caput serpentis, 60,1, clypeus omnium sperantium. Decora, decore suo ostendens excellentiam Redemptoris, 2, 2. Dives, cujus quidquid in terris est pretiosum, 6, 1. Dux in via vitæ, 49,2. Deipara Vide Mater. Dulcis, 113,1. Dulcedo, 92,1. Domina Angelorum, 128,1. Domus Dei, 21,2. Esther 38,2. Evæ nomen mutans. Electa ut Sol. Excellentissima fœminarum, 82,2. Exemplar virtutum, 49,2, 41,1. Favus mel distillans Fons signatus. Fœderis arca, 78,1. Fœcunda, 115,1. Fundatrix castitatis, 41,2. Gratia plena, 90,2. Genitrix religiosorum, 85,1. Genitrix Vitæ Gloriosa, 142, 2, & 143, 1. Gloria Jerusalem, 81,1. Hortus conclusus, 6, 1. Janua cæli. Index viæ. 51.1. Idæa Sanctorum, 72,1. Invocanda puerperis, 9,1, captivis, 24, 25, peccatoribus, 23. & seq. Læta mater in filio, 147, 102, in semetipsa. Vide Gaudia Lignum vitæ 130 Lilium inter spinas. Mater, 32,1. & 22.1. & 11,1. & 37, 1, & 32 1 Mater Dei, 151,2. Salvatoris, 38.2. Christi, 72 1. divinæ gratiæ 25 36, purissima, 47, castissima inviolata, 47,1 ex Intemerata, 47.1. amabilis. 41 1. 139 141 admirabilis 104, 140, & 143. Viventium, 97, 107, 92, 115, pulchræ dilectionis, 47,1, & 105,1. Sanctæ Spei, 108, 2, & 39, 1, & 106,1, & 51,1. Mulier amicta sole. Mare Misericordiæ, 90,2, & 99,2, & 36,1 mitissima 43.2. Matersam provida, 65.2. Mediatrix apud Deum 37 & seq. Mulier Thecuitis, 38,2, meritissima, 72,1. Navis Instito ris

ſtitoris de longe portans panem. Nubes in die, 50,2. Oſtendens filium ſupplicibus, 103, 104, 107, & ſeqq. omnes omnium virtutes continens, 41,1. Odor vitæ. Officina miraculorum 123, 1. Operatur præclara ut ſunt confirmare vacillantes, 2, oculi ejus caſtitatem generant, 100, apparet ſæpe ut olim ſæpe, 104, &c. plagas mundi tollit, 29, &c. lacte multiplici ſuos paſcit, 34, 36, ubera miſericordiæ exhibet peccatoribus, 35, juſtis, 36, intercedit apud filium, 38, ſanitatem impertitur, 107, in morte aſſiſtit, 51, 1, odit ſuperbiam, os bilingue, omnem viam pravam, 47. Pia, 113,1 Pulchra ut Luna, 141, propitiatorium altiſſimi porta cæli, 119, 1, 133, 2. Paradiſus voluptatis, 63, 1, præſes viæ, 51, & 115, & 118, puteus aquarum viventium. Radix ſanctitatis, 130, 1. Refugium peccatorum, 23, 24, 25 Roſa myſtica Vide Roſa & Roſarium. Rubus ardens incombuſtus, 179, 1. Regina pacis, 6, 2, cæli, 146, & 127. Regina Angelorum &c 143. Sara altera 20, 1. Sanctorum ſolatium, 104. &c. 107, & 42. Spes, 92, 2 & 16, 1, & 115, & 29, & ſeq & 35, 36, 37. Singularis, 41, 2, & 140. Speculum ſine macula, & Speculum Juſtitiæ. Vide Exemplar virtutum, & Idæa SS. Sedes ſapientiæ, 1, 1. Solium gloriæ Dec. 41, 2. Stella matutina, 3, 2, & 119, 2. Scala Jacob, 14, 1. Salus infirmorum, 3, 2. & 16. 1. Vide invocanda ſanctuarium Dei, 39, 97, 88, 100. Stella maris, 41. Tabernaculum fœderis. Tabern. Dei cum Hominibus. Theutis. Vide mulier. Thronus Dei, 3, 1. Salomonis, 21, 2. Turris Davidica 60, 2. Turris eburnea Virgo Virginum, 41, 1. Vas Spirituale. Vas honorabile, 56, 1. Vas inſigne devotionis. Vide Exemplar Virtutum. Vena Vitæ, 92, 1. Virga Moyſis 50, 1. Virga Jeſſæ. Vide Radix gratiæ. Vellus Gedeonis. Victrix hoſtium, 60, 61, 79

S Maria Magdalena per Angelos in extaſi ad inferos deducta 109,1

S Maria Ægyptiaca converſa ope B.V. 12,2

S Maria de Oignies ante mortem gaudia cæli prægustavit 54,1

Manſuetudo cor aptat gratiæ, 45, 2, in ea excellens. B. V. 45, & ſeq.

Mare præſens ſæculum, 4, 1, præſides gentiles Caſtor & Pollux, 42, nunc B.V. 3, 2, & ſeqq. imo mare miſericordiæ 90,2

Matrona filias ſuas B.V. offert non ſine fructu 42,1

Mercurius olim viatorum Deus 50,2

Memoria Incarnationis Domini utilis puerperis, 106,2

Mel ex Roſario virgineo 83,1

Miracula in cereis B. V. oblatis 41,2

Miſericordiæ Dei dimenſiones, 91,1. B.V. omnibus imitanda, ibid. exempla ibid.

Miſericordia virginalis in Judæam & Judæum 9,1

Mitra Aaronis ſymbolica 171,2

in Montibus multa Deus myſteria exhibuit, 76,1. Vide Carmelus.

Moyſis rubus ſymbolicus 173,1

Mulieres fortes, 57, 2. B V. & fructum ejus laudantes, 62, 2, conterens caput ſerpentis, 60, 1, exclamant; Beatus venter, &c. 62, 2, prægnans 26,2

Mundus exilium eſt, 107, 1, vallis lacrimarum 34, 2, viſionis onerum ibid. in eo quatuor obtulit 119,2

Mutatio nominum in ſcriptura cum myſterio 26,2

N.

NAtivitas Chriſti

Nationes omnes B.V. Dominam ſuam vocant, 29,2

Navis inſtitoris portans panem 66,1

Nautæ Deos ſuos tutelares in puppi geſtabant 4,2

Naufragium evadens ope B. V. 5,2

Neſtorius Hoſtis B.V. condemnatus 7,2

S. Nicolaus Tolentinas ante mortem prælibavit gaudia cæli 54,1

Nominis Mariæ excellentia ſumma, 61, 1, dulciſſimum, 114, 1, poſt Jeſum ſuper omne nomen, 21, 1, maxime cultum 21,1

Nomen Eva 18

Nix bonæ & malæ appellationis 65,1

Nubecula ab Elia viſa B. V. 70,2

Numerus myſticus 82,2

O.

OBſtetrices recurrunt ad Jeſum & Mariam 106,2

Oculi B. V. pleni gratia & miſericordia, 99, 2, benedicti, 100, conferentes caſtimoniam, noſtri ad B. V convertendi 101,1

Olivæ virentis ramus ſymbolicus 179,2

Onus Babylonis Ægypti, &c. 94,2

Oratio B.V potens, 157, 2. Ordo S. Franciſci ſpiritualis Paradiſus, 34, 2, ejus lilia, roſæ, vineæ, 86, 2, ora pro nobis Deum, expoſitum, 157, ordo ſtelliger inſtitutus in Francia in honorem B. V. 120,2

Oſcula manuum 3,1

Os bilingue B. Virgo deteſtatur 47,1

P.

PAcis nomine omne bonum intelligitur 16,2

Paradiſus delitiarum allegoricus 84,1

in Paſchate olim rei liberati 155,2

Patrocinium B.V. potentiſſimum 154, & ſeq.

Patroni & Advocati quarundam Provinciarum, 97, 2

Patriarchæ & Prophetæ, tempore peſtis invocandi, 162,1

Peccata vincula & funes dicuntur, 28, 2, ex primo peccato quæ mala 79,3

Peccator Matrem miſericordiæ invocans à B.V. increpatur 72,2

Peccatorum patrona eſt B. V. 39,1

Pectus tundere 60,2

Peſtis Romæ quieſcit beneficio B.V. 96, 2, celebres ſancti peſte defuncti, 168, 2, pro remedio ejus invocandi Chriſtus & B.V. 158, & ſeq. item Angeli, SS, Apoſtoli & Martyres, 161, & 163, ibi. Confeſſores & Pontifices, 164, 2, Sanctæ Virgines & Mulieres, 167, 1, à Peſte conſervati Bethunienſes 165,2

S. Philippus Nerius à B. V. ſanatus 107,2

Pietas magnatum decus, 112, 1, propria Deo, 112, 2, etiam Pontiff. Impp. & Regum. ibid. & 133. Deo transfertur etiam ad Imperatores.

Placentæ Reginæ Cœli 146,2

Plagæ mundi per B.V. ut Virgam Mosaicam tolluntur, 29, & seq.
Pomum acridulæ symbolicum 175,2
Pomus in Nativitate Christi poma ferens 125,1
Portæ 69,1
Puer jugulatus à Judæis in odium B.V. vivus è tumulo surgit 8,2
Pulchritudo, Dei donum & sæpè index animi, 138,1. B. Virginis, 139,1. Spiritualis, 140,2. Corporis fallax, 137,2, simillima flori ibid.
Praxis piè salutandi B. V. 17,2
Promissiones Christi 157,1
Puritatem vitæ amat B. V. 47,1

Q.

Quadriga salutis symbolica 183,2
Quisquina Siciliæ quovis anni tempore Rosas fert 83,2

R.

Ramus olivæ, 179,2, palmæ 184,2
S. Raymundus veste in mari strata pro navi usus, 160, milliaria sex horarum spatio confecit 5,1
Regina est B.V. 89, præposita Reginis Bersabeæ, &c. 90,1
Reginarum erga P. Mariam affectus. ibid. Item Regum & Impp. ibid.
Reginæ cœli placentæ 146,2
Religio Hortus conclusus, 88,1. Carmelitarum in fine mundi sub Elia resumet. vires 69,2, omnes religiosi ordines à cultu B.M. inceperunt, 131, 1. Religiosus in fide vacillans à B.V. confirmatur, 5,2. Religiosi ab uberibus B.V. Romæ pascuntur 32,2
Reliquiæ de lacte B.M.V. Venetiis, in Belgio & Apulia, 116,1
Resurrectio Christi speciale gaudium Virginis 153,1
S. Robertus in utero B.V. annulo desponsatus 42
S. Rosaria V. Rosario addicta, 82,2, florum munera ab Angelis accepit, 83,2, corona ex Rosis & auro coronata 84,1
Rosa benedicitur Romæ à Papa Dominica Lætare, 147,2, natæ ex ore mortui Josei cultoris B.V. 21,1, à B.V. accepit S. Franciscus 81,2
Rosarii cultus commendatur 81,2, restaurator B. Alanus, 82,1, specialiter S. Dominicus, 51,2. Rosarium breve psalterium, 82,2, cithara Davidica, 83,1, ejus lapilli apud Deum potentes, 83,1, est memoria præcipuorum salutis mysteriorum 82,2
Rubus Moysis 179,2

S.

SS. instar montium, 28,2, propitiam B.V. experti, 5,1, peste defuncti, 168,2, cantica in honorem B.V. composuerunt, 1,1. Invocandi pro remedio pestis, 168,2. Salve Regina, 2, servit adversus fulmina & tempestates, 88,1, nautis usurpatum. ibid. Salutatio Angelica B.V. grata, 15,2, & 120,1. ejus singula verba correspondent singulis festis B.V. 126,2, salutationes nostras B.V. libenter audit, 87,2, quales esse debeant ibid.
Sara typus B. Virginis 20,2
Scala peccatorum B. V. 143
Scapulare signum salutis Virgineæ, 68,2, & 77,1, pacis ac fœderis, 78,1, & sacræ fraternitatis. ibid. 1. sola gestatio non sufficit, 78,1, liberatè purgatorio, 110,1, tituli ibid. varia bona promissa, 77,1, signa divinæ protectionis, 75,2, comparatum Eliæ pallio, 76,1, est à B.V. 69,1. V. Simon Stock.
Semen B.V. possidet hostium portas 68,2
Servitarum PP. insigne 99,1
Signum salutis primarium devotio erga Christum Crucifixum & passionem, 76,1, secundarium devotio erga B. Virginem 76,1
B. Simon Stock Scapulare recipit à B.V. 3,2
Sortes diversæ hominum flentium 94,2
Societas Jesu à cultu B.V. incepit 131,1
Sodalitas Rosarii Dominicam primam mensis solemnius celebrat 3,1
B. Stanislai Koskæ à Societate Jesu elogia 49,1
Statua Deiparæ stillat sanguinem variis in locis 95,2
Stella B.V. 3,2, ejus radicis quadruplex, 4,1. Visa super S. Bernardinum & Joannem Capistranum 120,1
Stellifer odio in Francia in honorem B.V. 120,2
inter Stellas collocati inclyti 3,2
antiphona: Stella cœli, antidotum contra pestem cœlitus datum 3,2
Symbola diversa sancti à B.V. acceperunt
Symbolica Xenia vide in X.

T.

TEmplum Salomonis B.M.V. appropriatur 21,2
Templa Romæ in honorem B.V. erecta 36,2
Theophilus syngrapham, qua se Diabolo tradiderat, à B.V. recepit
Theodoricus Canisius in morbo omnium oblitus etiam nominis tui, protulit nomina Jesus & Maria, 114,1
Testimonia de Resurrectione Christi ex veteri testamento 152,2
Thronus Dei B.V. 3,1
Tribulationes tria bona conferunt, 29,1, ejusdem tria opponenda ibid.

V.

VErbum Dei audire via ad perfectionem 54,1
Vincula pœna 25,1
Viri inclyti inter stellas collocabantur à priscis 3,2
B. Virgo V. Maria.
Uterus virginalis comparatus horto concluso fonti signato templo Salomonis, Velleri Gedeonis, Cœlo, &c. 62,63
S. Vincentius Ferrariensis Castitatem à B.V. impetrat, 46,1
Via vitæ nostræ prædonibus plena 50,1
Vita bona & pura, 48,1, ejus puritas duplex ibid.

X.

S. XAverius duce Maria Virgine Japones convertit 134,2
Xenia symbolica 171, & seq.
Xenodochia in honorem B.V. erecta 91,2.

Finis Indicis Mariani.

INDEX

INDEX NOVUS IN VITEM FLORIGERAM ET OPUSCULA QUINQUE.

A.

Adoratio Dei in Spiritu & veritate in sacrificio missæ, 414, in Spiritu Sancto, 416, in interno animi affectu, 412, ad inventiones Dei ad conversionem peccatorum, 440
Adulatores simiæ 49
Ædificatio Corporis Christi est pastorum 364
Ægyptus, 40, 41. Æmulatio abest ab electionibus 372
Affectus pedes animæ, 556. Affectus inordinatus parentum in proles, 167. Sacerdotum ad terrena, 551. Humanus in Electionibus, 371, afflictionum tolerantia parit gemmas gloriæ 267
S. Agatha mulier fortis 62
S. Agnes secuta Christum in vita, morte. & post eam 51. Sponsi illius qualitatis 52
Agricultura mystica 434
Aliena negotia & verba ut accipienda sint 422
Ambitus sublime malum ruina multorum 368, 370
S. Ambrosius S. Augustinum erudiit, 218, ejus imitator Carolus Borromæus 380
Ambulare coram Deo, 325. Capite amputato aliquot SS. ambularunt 263
Amor auri quæ mala gignat, 12. Dei in S. Theresia 270, in S. Francisco in S. Petro vide. SS. Singulos. Amor Dei Maria Lucia &c. SS. Virgines & martyres.
S. Andreas primus vocatus à Christo, 3. dupliciter ibid. obediens valde, 4. vocavit Petrum, 2. amavit ardenter Crucem ibid.
Angelus major homine, 90, honorat hominem. ibid. Virginum speciales custodes, 343, custos cuique datus est, 242, officia ejus, 248, honorant Sacerdotes, 356. eis similes sint Sacerdotes, 358, chori Angelorum & ordines 358
Animalia quatuor Propheræ diversorum ministeriorum in Ecclesia figuræ 376
Animarum triplex status 542, 559
S. Anna comparata Annæ Semuelis, 334, exemplar educantium matrum, 334. Deo Proles offerentium, 335, plus omnibus obtulit, 335. Encomia ejus, 169
Annuli pronubi SS. diversi, 343. V. S. Joseph.
Annunciatio B. M. V. 89
Apostolorum nomen, 213. duodenarius numerus figuratus varie, 66, 212, in aliquibus pari potestate cum S. Petro 162, alias eminentior est S. Petrus 163, adfuerunt dormitioni B. Mariæ, 188, electi, 211, duodecim fontes aquarum, 401, pedes eorum speciosi, 285, mansio in Ecclesia 288
Aquæ vitæ, 396. Christi & mundi diversa. 398. mirabilia aquarum, 399, baptismi aqua, 509, doctrina Sacra 400. Spiritus S. gratia, 401, multiplices aquæ de fontibus Salvatoris 439
Aquila symbolum veri pastoris vel Prælati 381
Areopagus, 258. Areopagita ibid.
Ascensio Domini & assumptio Virginis collatæ 195
Avegratissimum B. Mariæ 90
S. Augustinus olim lutum, 216, item æs & ferrum 218 factus aurum, 218. Conversus per matrem suam, 219, virtutes ejus, 210. Elogia, 220, benedictiones, 220
Aurem inclinare quid sit 6
Aureola Sanctorum triplex 34
Aurum sequi 12
Austeritas nimia vitanda 8
Auxilium animarum defuncto Orare pro def. item SS. Vide Sancti & patroni & Angeli.

B.

Baptismus Aqua viva 399, 400
Barbara aurem inclinavit, 6, celebris inter filias Dei, 7, ad matrimonium impulsa inclusa 7, meditatur, 8, oblita patrem improbum, 9, ab eo truncatur 11
Bartholomæi Apostoli encomia, 211, electio, 212, martyrium 214
Beati in cœlo honorant Sacerdotem, 356, requiescunt à laboribus 553
Beatitudines VIII. explicatæ, 293, 308, symbola earum octoni numeri 308
Benedictio, 84, quotuplex, 516, consummata ibidem, quænam eæ sint, 515, benedict. in transitu hominis ad hominem fieri solita, 516. Campanarum miracula operata 452
Benedictiones SS. 220
S. Benedictus Abbas spiritualiter benedictus, 84, benedicentes ei benedicti 88
Benedicti dicuntur Justi 515
Beneficia Dei in nos, 100. Angeli Custodis 247
S. Bernardi Electio à Deo, 204, oblatio ibid. ornatus Corona gratiarum, 205. Complacuit Deo. ibidem multiplex in eo Spiritus, 206. Zelus ejus, 206, prophetia, 207, protulit judicium & veritatem 208
Bonaventuræ laus, 149, luxit in Statu privato religiosi doctoris & generalis ac Cardinalis ibid.
Bos symbolum veri Pastoris, 377, qualitates boves. ibid.

C.

S. Cæcilia sollicite custodiens suam castitatem, 336. Sponsum convertit, 338, est apis Argumentosa. cœlibatus ad Dei servitium aptior matrimonio, 336, à SS plurimis prælatus 336
Campanæ 452
Canonicorum munia & obligationes, 365, nomen, 367
Canticum peccatoris Conversi 438
Capillorum usus bonus in Maria Magdalena 187
Cardinalis lucens 152
Caritas S. Petri, 127. S. Pauli. 132. S. Dominici, 177. inter triplices homines maximè debet esse, 170, fovenda per Clerum 368
Canticum B. Mariæ explicatum 142

Cantus

Cantus Eccleſiæ ad quid & quotuplex, 342, Cantare organis V. organa
Candelabra aurea quid 107
Carmen Beatorum 542
S. Carolus Borromæus vocatus, 321. Elogia ejus, 322, qualitates Prælati in ſe exactè tenebat, 376, imitator S. Ambroſii 380
Caſtitatis media, 337, in S. Jacobo Apoſtolo, 109. S. Paulo, 135. Lamberto, 231 Corona, 339. Chriſto diſponat, 343, votum prima B. Maria Virgo edidit, V. Maria. Alii ejus exemplo, ibid. etiam poſt Sponſalia, 25
S. Catharinæ cuſtodes Angeli in pueritia. adoleſcens morte, & poſt, 343. Sapientia ejus mira, 345. Ambulavit ſupra aſpidem, 346, picta per Columbam, 346, illuſtris mors ejus, 347, miracula 348
Cultus apud Religioſos ordines 348
Cathedra optimæ doctrinæ Crux Chriſtus Viator pro nobis, 482, rogandus in via ut nos juvet, 484. Suavis & prudens. 406, deregens peccata, 410, meſſias & unde Chriſti nomen, 418 Zelus mirificus, 428, & toto opuſculo 2. index in die noviſſimo. opuſculo tertio, fons pietatis 480
Chriſtus Dominus cur quinque vulnera retinent, 29. Filius Dei vivi, 126, fons pietatis apparuit Stephano morienti, 33. & Paulo. V. converſio Pauli & Sanctus Hubertus in Ægyptum profectus, 40. Verbum ejus apud Thomam efficax, 29. Vide. Paulus, Matthæus, & cur innocentes non eripuit, 44, in monte pernoctavit orans, 211, eſt Sponſus Max. Virginum optimis qualitatibus, 51, ut Deus & homo, facit voluntatem Patris, 429. Convivium ejus quale, 241, pedes ſpecioſi, 283. Controverſiarum Fidei deciſor, 412, miſit binos ante faciem ſuam diſcipulos, 476, fatigatus ex itinere ſedebat, 385. Seſſionis ejus myſteria & mira opera, 389, & 390. Sitis ejuſdem 381, in vertice cervi aliquando apparuit, 317, ab eo nil niſi vita, 401. Propheta agnitus, 410, & 418. Sacerdos, 418, & rex ibid. 477, vocantis modi diverſi, 1, & valde diverſorum V. Paulus, Thereſia, Matthæus, Auguſtinus, &c. vocatio
Chriſtianus ſignum eſt ad ſagittam 46
Civitas Regis magni Eccleſia 15, & B. M V. ibid. civitas refugii 18
Claves 4 ſibi Deus ſervavit, nempe pluviæ, Vitæ, Alimoniæ, ſepulchrorum 171
Clericorum munus 368
Conceptio B. M. 15, & 172. Chriſti domini 90, 93
Conditiones tres militum Gedeonis applicatæ Sacerdotibus, 309, &c. eligendorum 372
Conjugalis ſtatus V ſtatus triplex inferior
Cœlibatus V. Cælibatus
Conjuges Caritate præſtantes 170
Confeſſio peccatorum ſuaviter à Chriſto inducta, 406 humilis 409
Confeſſorum manſio in cœlo 290
Conſummatio Sanctorum 363
Conſcientia liber 469
Continentia vide caſtitas, cœlibatus, Virgo
Controverſiæ fidei cur proponendæ 412
Converſio lapſorum, 56. Pauli, Auguſtini, Magdalenæ V. in nomine eorum
Curioſi lamiæ ſimiles 23
Corona Domini ſpinea 116
Correptio humiliter accepta eſt argumentum ſalutis, 410, exoſa ſignum indurati ibid.
Crucifixi pro Chriſto 114
Crux Chriſti, 111, honoranda, 113, amata ardenter ab Andreas eſt Cathedra doctrinæ Chriſtianæ, 5, ad Crucem vocatis eſt Triumphus Chriſti 489
Currus Eliæ & S. Franciſci, 150, rotæ ejus 4, ibid.

D.

Dæmon V. Sathan
Damaſcenus Joannes à B. V. adjutus 542
Defunctorum triplex ſtatus 242
Deus pacis titulo gaudet, 282, non vult ſibi Aſinos offerri, 335, optat mediatores, 195, parva petit ut det magna, 392. Suaviſſime agit cum peccatoribus hic, 406, decrevit fugam Chriſti, 40, oculus ejus ſpecialiter reſpuit Adultero, 408, probat corda Sagittis, 46, gradatim illuminat ad veritatem, 409, exempla. ibid. etiam ſubito illuminatorum. ibid. eligit alios prolapſis, 65, ædificat domum fidelem 324, ſub titulo Patris olim non colebatur, 413, adeſt ſuis max. in tormentis, 98, in ore & corde SS eſt 102
Dei virga percutiens triplex, 196, aſſiſtentia cauſa bonorum, 92, abſentia malorum. ibid beneficentia, 100, in S Franciſcum, 256, in infirma 264, favores ſpeciales erga ſuos, 267. Dei donum, 394, in Dei manu omnia 549
Deo Dilectus S. Joannes, 36, S. Joſeph 30
Dextra Judicis Chriſti quid ſit 514
Diaconus, 32, ejus officia 180
Dies Dominus violatus punitur, 104. Animarum Fidelium, 311. V. orare.
Dies Judicii pro defunctis qualis, 442, pavor antecedens, 447, ejus cauſæ ibid. cur dicatur dies Rationis, 494
S. Dionyſii Areopagitæ converſio mira, 258, ſapientia 260, tituli, 260. Conſtantia, 261. Prophetia ibid. martyrium, 262, miracula 263
Dilecti Deo S. Joannes, 36, S. Joſeph 80
Diſcipulatus Chriſti quanti ſit 276
Diſcipuli, 72. Chriſti ſunt, 72, palmæ 491
Divinæ vocis vis 59
Doctæ inſtar ſtellarum, 70. Lucent. 151, aureola eorum 34
Doctrina Chriſti Cathedra S. Epiſcoporum propria, 109, ſimilis aqua vivæ, 400, defluent in mare mortuum, 401, fructus ejus eſt emendatio peccatorum, 423, & bonus odor virtutum, 424 Converſio, 426
Domeſtici hominis inimici

S. Do-

S. Dominicus Dei servus specialiter, 164, & filius Ecclesiæ, 177, ac Mariæ ib. Symbolum ejus catulus, 176
Dominus tecum explicatum 92
Domus fidelis quæ 324. & ædificatur à Deo 324
Dona Dei V. Deus. sunt similia aquæ vivæ, 398, donum perseverantiæ à Deo 523
Dona mundi aquæ mortuæ similia, 398, & aquæ contradictionis

E.

Ecclesia, civitas regis magni, 15, mulier fortis, 20, castra Dei, 279. Corpus ex membris variis, 283, 365
Educatio prolium recta, 334. Ante electionem prælati invocandus Deus 373
Electorum signa 513
Electio Dei, 65, varia vide SS. singulis Apostolorum factæ in die, 211. Matthiæ Apost 375. S. Francisci. 255
Electiones hominum cœlitus approbatæ, 69, 374, prodigiosæ, 103. Electi milites sint Sacerdotes & Pastores 349
Electio Prælati ut curanda, 369, duo mala in eo cavenda 370, judicium electio, 371, eligendi conditiones 372
Eleëmosynæ 69
S Elisabeth exultans 139
Elogia SS. Specialia seu sententiæ 271
Episcopale munus & laus, 107, ornamenta V. litt. O.
Esurire Justitiam, 298, sic Esurientium Exempla 299
Eva mala Maria bona 140
Evangelistarum dignitas, 273, quatuor mundi flumina 274, quatuor animalia prophetæ ibid. vexilliferi Domini ibid quatuor columnæ 275
Exercitus Dei multiplex, 279. Angelorum, stellarum.

F.

Falsi dii & cultores eorum 415
Familiaritas cum Christo 111
Fatigationis Christi mysterium 388
Favores Dei V. Deus. Angelus Custos. B. M. in S. Dominicum 178
Festa Martyrum militum cur celebria, 64. Nativitas B. M. unde? 229
Fides S. Petri eminens 126
Fidelitas à Sacerdotibus requisita 357
Figuræ duodenarii Apostolici 66
Filiæ Dei cui ornatui student 7
Filios Christo offerre, 24. S. Annæ & præsentatio B. Mariæ.
Flamma Symbolum zeli 109
Fletus quarta pœna Inferni 537
Fontes in & apud Sacra loca, 388, tres mystici Samaritanæ Emaus & Æthiopis 410
Fons pietatis Christus 400
Fortia quatuor, 226. Vinum, rex, mulier, veritas.
Fortitudo S. Luciæ, Agathæ, Georgii, Theresiæ V. in nomine eorum triplex contra mundum, Satanam, carnem 62
Fortuna bona apud fontes vel puteos 390
S Franciscus Assis. Pater & currus Israël, 249, fœcunditas ejus spiritualis mira, 250. Comparatus Eliæ ibid.
servus Dei Electus, 254, privilegia ejus, 257, susceptus à Deo, &c. ibid.
Fratres 5 modis dicuntur, 285, cur tales Christus vocavit, 4. Fuga SS. 9
Funebres conciones opusculo quarto.
Funis Christi aquam haurientis 397

G.

Gaudium B. M. V. in Annuntiatione, 89, causa Triplex ejus, 91, procuratur ab Angelo custode 248
S Georgius miles, 94, ejus virtus 95
S. Germanus Episcopus Parisiorum laudatus 100
Translatus 105
Gloria Dei. V. Zelus B. M. V. in cœlis, 195. Mariæ SS. V. S & singulos eorum
Gradatim Deus illuminans animas ad veritatem ducit 409
Granum frumenti Martyr 186
Gratiæ plenitudo in B. V. eximie, 91, in aliis Sanctis alio modo. ibid. singulorum SS. gratiæ. V. singulos.
Gratia Spiritus Sancti aquæ vivæ 401
Gratis quomodo salvemur, 479. quomodo grati simus Christi laboribus 490

H.

Hæresis vitiorum Mater 321
Hæretici Samaritanis similes 393
Hirci in novissimo die qui sint futuri, 512. Sex eorum proprietates peccatoribus applicatæ ibid.
Hœdus in lacte coctus, 42. Hædi in extremo judicio qui sint 512
Homo arbori similis est 546
Homo homini varie Lupus, 307, ejus vita militia est, 325, est Symbolum veri pastoris, 370. Hominum quatuor differentiæ, 149, verissime dicitur miser, 472, sæpe injuste indicat 491
Hora sexta moralizatur 385
S. Huberti vocatio, 316, peregrinatio Romana, 318. Symbolum Cornu, 318. Stola gloriæ inductus, 319. & Stola per Angelum allata 318
Humiles Christus elegit, 3. Humilis 328
Humiliatione interna & externa opus est ad orationem 522

I.

S. Iacobus major Apostolus primogenitus, 161, specialiter, 63, primus ex Apostolis. Martyr. 163, visus cum gladio contra Hostes, 164, excelsus præ Regibus terræ 164
S. Jacobus minor similis Christo, 106. Frater Christi ibid. virtutes ejus ibid.
Jesus nomen à S. Joseph impositum invocandum, 484.
Jesus non invenitur sine Maria 92, 82
S Ignatius de Lojola ardens zelo 271
Ignari cur ad Apostolatum evecti 212
Ignis præceder diem Judicii, 445, quare? 445, est prima pœna inferni 525
Imitatores SS. Matthiæ, 244. Lamberti 234
Impii specialiter in manu Dei 549
Inchoata vocatio & perfecta 1, & 2
Incontinentia summe maculat clerum 368

Indul-

Incontinentia ſumme maculat clerum, 368
Indulgentia Parentum nimia reprehenſa, 7
Infallibilis aſſiſtentia Spiritus S. in Capite Eccleſiæ, 125.
Infantes non baptizati an in judicio ſiſtendi, 455
Inferni pœnæ, 525. Utile eſt earum horrorem cogitare ſæpius, 528
Inimici hominis domeſtici, 210
Interfectores S. Lamberti cito periere, 36
S. Innocentes ſunt agni, 42. Victimæ primæ, ibid. prima Acies exercitus Chriſti, 43. Flores Martyrum numerus eorum, ibid. mors læta, ibid. manſio in cælis, 293
Iniquitas omnis hic vel in futuro punitur, 470
Inventio S. Crucis, 111
Invocantes Deum varii, 510. vide Oratio.
S. Joachimi encomia, 169
S. Joannis Baptiſtæ laus, 118. 224. vox clamantis, 224. lucens & ardens. 225
S. Joannis Evangeliſtæ laus, 36. caſtitas, ibid. Sapientia, 37 Aquila ibid. Secretarius, 95 mirabilis Angelis, ibid. alter Moyſes, ibid. charitas ejus, ibid. comparatur cum S. Petro, 39. patientia, ibid.
S. Joſeph creſcens in vita gratiis, 75 laus ejus, 76. creſcens poſt mortem gloria, 78. nomen quinque Sanctis commune, 80. dilectus Deo & hominibus, 81. & 82. Annulus ejus, 81. honoratur ab omni ſtatu conditione ſexu, 83
Itinera varia quibus Chriſtus nos quæſivit, 487
Jubilæum Sacerdotii, Religionis, Conjugii. 382
Judæi reſtaurantes templum horrenda paſſi, 413. Salus ex eis, ibid.
Judicium & veritas à S. Bernardo prolata, 209
Juſti ſpecialiter in manu Dei, 549
Lachrimæ cientur, 2. cauſis, 297. Magdalenæ, 154. S. Auguſtini, 223. pœnitentis vim faciunt Leo, 496

L.

S. Lambertus Epiſcopus glorioſus, 231. Innocens & caſtus, 232. coactus ad Epiſcopatum, ibid. multos convertit, 233. patientia gloria & imitatio ejus, ibid.
Laudare Deum, 103. & 104
Laudes & encomia, 180. deſiderium ante paſſ. ibid. magnanimitas in ea, 182. poſt paſſ. gloriæ, 184
Laus Dei, 366
Lectio Sacra, 367
Leo Symbolum veri Paſtoris, 378. qualitates ejus, ibid.
Libri curioſi obſunt fervori, 269. libri in extremo judicio proferendi, 461. Ezechieli tranamiſſus & volans, 462. Agni ſeu vitæ, 463. conſcientiæ, 465
Liber involutus lamentationum & Script. Sac. 542
S. Lucas Evang. diſcipulus, 275 interpres, 276. explorator Sacer. 277. Deiparæ familiaris, 277. primus imag. ejus pinxit, 278. Caſtus & Martyr ibid. Symbolum ejus bos. 278
S. Lucia mulier fortis, 20
Lucere in ſtatu ſuo, 149
Lucerna Dei in judicio ext, 469
Luctus triplici cauſa, 897
Lugentes beati, 897

M.

Macula, 11
Magnanimitas V. S. Laurent. Lambert. & Martyres.
Magnificat explicatum, 142
Majeſtas judicis in die judicii, 443
Maledictiones octo oppoſitæ beatitudinibus, 309. reproborum, 52
Manſiones multæ in cælo, 287
Mare gignit nubes, 3. Chriſtus adiit, ibid
S. Mariæ Conceptio, 15. nativitas, 226 præſentatio, 331 334. oblatio à parentibus, 334. occupatio in templo 336. annunciatio & gaudium, 89. viſitatio, 133. languor & dormitio, 187 aſſumptio & coronatio, 180. tituli ejus, 335. nullos illicitos ſenſit motus, 16 Thronus Salom. 18. Civitas regis magni, 15 fundamentum ejus, 17. civitas refugii, 18. murus contra Tentationes 19. mulier fortis, 20. ei gratiſſimum Ave, 90. mare gratiarum, 91. Non invenitur ſine Jeſu. 93. benedicta inter mulieres, 93. 140 Conceptio filii Dei ad ejus conſenſum, 93. meritum hujus conſenſus, ibid. ſerculum Salomonis, 135. omnes ſtatus mulierum ſupergreſſa, 140. magni ſilentii, 142. magna ei fecit dominus, 145. laudanda, 148 unica filia Annæ, 173 favit S. Dominico, 178. Amor in Deum, 192. gaudiis plena, 229. ſtolam dedit S. Ildefunſo & Huberto, 319 inventrix prima Virginalis Status ſervandi, 332 & voti, ibid. principes Virginum, 334. perfectiones omnium SS. in ea, 228. in multis ſingularia habet, 228 Honorat Sacerdotes, 356
S. Mariæ Magdalenæ virtus, 154. lachrimæ lotrices, 154 capilli torſorii, 157. unguentum, 158 multa dilectio, 159. curata ab Angelis, 249
S. Maria Ægypt. à B. V. M. adjuta, 19
S. Martinus miles duplex, 325. contra carnem, 326. caſtus contra mundum concupiſcentem, 327. &c. contra Dæmonem. 329
Martyres milites, 94. cur celebrentur, ibid. zelus, 110 manſio in cælo, 289 multitudo, 279. exercitus Dei, ibid. Martyrii aureola 34. perfectum ſacrificium, 181
Matres Chriſto filios offerentes, 44-33 probè educantes, 334. Matrimonium V. Status.
S. Matthæus Apoſtolus vocatus à Chriſto, 240 ſecutus 242. Convivium fecit gratus in Dominum, 242
Martyrium tulit, 244
S. Matthias Apoſtolus electus, 65 Commendatus, 68
Media virtutum, vide Singulas virtutes,
Mediatores in plagis Dei ſunt Sancti, 196
Meditationes S. Barbaræ recluſæ, 8
Memoriæ SS in benedictionem, 98. vide benedictio, benedictus meritum duplex, 505
Meſſis eſt conſummatio ſæculi, 431. item fidelium in Eccleſia Collectio, 432. item bona opera, 434
S. Michael dux Iſraëlitarum, 245. Chriſtianorum, ibid. inſignia, ibid

✠✠✠✠✠

Milite

Milites Christi, 94. Simul infideli imperatori militarunt, 95. martyres, 94. &c. Martyres Sebastianus, Gregorius, &c. Sacerdotes & Pastores Ecclesiæ electi milites, 349. milites Gedeonis figura Sacerdotum, 351
Ministri Ecclesiæ ut probandi, 349. &c. dignitas eorum & obligatio, 352 etiam improbi honorandi ob officium. 355. opus ministerii, 394
Ministerii locus non dominium spectandum in electione, 374
Misericordes beati, 100. exempla, 361
Misericordia Dei excellit inter attributa, 277. multiplex est in vita, morte, post, 300
Miracula in conceptione Christi, 93 in inventione S. Crucis, 111. in fuga Christi ad Ægyptum, 42. in fuga Sanctorum, 9 S. Teclæ, S. Innocentum, S. Sebastiani S. Huberti stola V. sub suis nominibus in servandis Christianis fœminis damnatis ad lupanaria V. 53. 54. 55. in aquis facta, 399
Mysteria vitæ, 555
Missa à S. Jacobo Apostolo habita, 108
Mites beati, 295. exempla, 296
Monica Augustinum convertit, 219. similis Racheli & Naimiticæ viduæ, ibid.
Mors Sanctorum pretiosa V. singulos Sanct. Christ. & B. M. mors comparata, 191. & 194. mors amare separat, 558. mori in Domino quid sit, 552
Miseriæ in omni statu, 361
Mulierum vanitas, 6. revelationibus credendum, 266. status triplex, 53 nempe Viduarum, Conjugum, Virginum, quanta cautela cum eis agendum, 421. exempla SS & Christi ibid per mulieres hæreses dissemnatæ, 427. etiam Sana doctrina valdè propagata, 427
Mulier fortis, 20. fortis, 20. Christianæ ad lupanaria damnatæ, 53 mundus igne consumendus. 443
Mundi corde beati, 302. exempla, 293
Murmur impium Pharisæorum, 243
Musici probi, 340 in Sacris semper eorum usus fuit, 342
Mysteria Dei puteus profundus, 396. varia Dei mysteria.

N.

NAtalis dies hominum deplorandus, 226. celebrari tamen prodest, ibid. Nativitatis lætæ, 229. B. M. V. v. in Maria,
Nescientes quid petunt, 168
S. Nicolaus, 12 post aurum non abiit, 13 fuit sine macula, 13. largus, 14. mirabilia fecit in vita, morte, & post 14.
S. Nortburgis, 239
Nominum à Deo impositorum vis, 75. & 76. imponens nomen. 82
Nubes è mari, 3. mystica, Apostoli, ibid.

O.

OBedientia ad vocationem, 41
Obliviſci domum patris, 9
Occulta peccata quomodo corrigenda, 402. in Iudicio extremo revelantur, 468
Oculos Dei super adulteros specialiter, 408
Odor bonus Christi, exempla Cleri bona, 368
Officium divinum ut dicendum, 341. pastorum & ministrorum ecclesiæ, 349 non omnes ad id apti, 350. fortia agere & dura pati, 350 fidelitas, 357. triplex, 362
Opus Dei redimere hominem, 430
Orate pro defunctis Sanct. est, 311. Confirmatur lege Dei, 311. Naturæ, 312. praxi perpetua, 332. salubre, 313 exempla, 314. est medium castitatis, 337. & 339.
Oratione Carcer apertus, 104. oratio justorum digna audiri, 506 perstantium in peccato indigna, 507. desiderantium exire à peccatis digna, 509 adorationem opus est humiliatione intima, 520
Ordo Sancti Benedicti commendatur, 85 Sancti Francisci, 200. novi ordines contra novas hæreses instituti. 176
Ordo petendorum, 404
Organa musica varia, usus. mysteria, 340. non in salicibus appendenda ibid. differunt a Cytharis, 341
Ornamenta pontificalia, 317. per Angelum allata, 318
Ornatui interno opera danda est, 7
Otium sectari Sacerdotes, 350
Oves quæ sint, 510

P.

PAstores electi milites, 349. ut probandi, 350. non omnes apti, ibid. vigilantes sint, 350. triplex officium, 362
Pacifici beati, 304. Varii, ibid. exempla, 305
Parentum nimia indulgentia reprehenditur, 7. & austeritas, 8 inordinatus affectus in prolem, 166
Patientia S Pauli, 133. vide cæteros Martyres, parit coronas, 267 S. Pauli, Samaritanæ in cõfusione sui, 409
Patriarcharum mansio in cælo, 288
Pater S. Barbaræ eam inclusit, 7. sævit. 9
Patroni sunt sancti & laudandi & imitandi, 237. eis tria debentur honor, laus, amor, ibid.
Patronus in peste S. Rochus, 203. in necessitate S. Sebastianus, V. lit. S. musicorum S. Cæcilia. Item B. Leo II nunc patroni sunt rogandi, 474. & eligendi, ibid.
S. Paulus vas electionis, 16. conversio ejus, 57. specialia conversionis ejus, 57 58. virtutes, 130
Pauperum cura, 182. 200. 301.
Pauperes laudabili voluntate beati, 294
Paupertatis amor in S. Francisco, 252
Peccata SS cur recensentur, frustra ea teguntur, 467. deserenda sunt, 423
Peccati remedia tria, 408. damna, 496
Peccatorum conversio Christi opus, 423. quærit dolorem, 496
Peregrinationis nostræ via multiplex, 248
Perfectionis semita, 315
Pernoctario in laude Dei, 102
Persecutiones variæ à Sathana, proximo, seipso, 507. patientes persecutionem beati, 306
Pestiferis inservire, 198. exempla S. Rochus &c. ibid.

Perseverantiæ donum à Deo, 523. ea opus est, 32. pro ea orandum, exempla, ibid.
S. Petrus vocatus per Andream, 2
Privilegia ejus, 125 130. Humilitas, 162
S. Philippi Apostoli laus, 110
Piscatores Christus cur elegit, 3. piscatio Christi, ibid.
S. Plectrudis, Noitburgis, 239
Pluralitas Nuptiarum, 407
Primitiæ discipulorum Christi, 2
Primogenituræ privilegia, 161
Privati status lex, 149
Privilegia S. Petri, 125. &c. primogenituræ, 161
Probare Sacerdotes & Pastores, 350. 351
Poderis Symbolum episcopatus, 107
Pontificalia ornamenta, V. ornamenta,
Precum nostrarum dignitas qualis, 505
Primitias gentium Christus in honore assumpsit, 419
Processio prima instituta Christo, 136
Prodigia in SS. 103
Pœnæ inferni, 525
Prophetiæ Spiritus in S. Bernardo, 207. in Christo eminenter opusc. 2. toto secreta cordium penetrare est pars Prophetiæ, 411
Protectio Dei generalis & specialis, 100. quorundam ab utero, ibid.
Providentia Dei in lapsorum Conversione, 56. in opc ægrorum, 202
Pulchritudo vera, 7 fallax & vana, ibid.
Puniri cito est misericordia, 471
Purgatorii lamentationes, 542
Puteus in Sichem apud quem dominus quievit, 387
Profundus mysteria Dei, 366
Putei mundani Calumniæ, inimicitiæ, 399
Putei Christi, 399

Q.

Quæstio de controversia religionis Christo proposita. 411

R.

Rebelles Sacerdotibus punit Deus, 356
Reges honorant Sacerdotes, 356
Reliquiæ S. Stephani honoratæ, 34. SS. Innocentium, 45. translatæ, 105. de Cruce Domini, 113. 110. S Bartholomæi, 214 S. Lamberti Translatæ, 236. petitæ & divinitus datæ S. Martino, 331. abrutis honoratæ, 307 Angelis ibid miraculis clarificatæ, 348
Remissio peccatorum & quæ ad eam, 496
Reprehensibilis indulgentia nimia, 7
Resurrectio mortuorum fiet in sepulchris, 454. difficilis articulus fidei, 457. confirmatur per facta ante, ib. Deo est facilis, 458. motiva credendi eam, 459
Revelationes non rejiciendæ, 266. nec omnibus maximè fœminarum credendum, 269
Revocatio tepidorum per Deum, 269
S. Rochus mediator in peste 197. placuit Deo variis causis, ib à Deo directus, 199. adjuvat in peste, 198. probatus & ipse per pestem, 199. adjutus per canem & Angelum, 200

S.

Sacerdotes dii sunt, 557
Sacrificium missæ, 414
Sagittis probat Deus corda, 46. ad salvandum hominem multa concurrunt ex parte Dei, 479. prædestinatio, redemptio, vocatio, glorificatio.
Sacerdos fidelis quis sit, 322. Sacerdotes electi sunt milites, 349. probandi, 350. Vide officium.
Sancti sunt columnæ domus Dei, 80. mediatores Deo dilecti, 196 ducentes per desertum mundi Israëlitas, 245. plerique eligerunt cœlibatum præ Matrimonio 336. eis debetur honor laus Amor, 238. eorum benedictiones, 221. sententiæ aliquot specialiter ab illis usitatæ, 271. Contemptere tormenta tyrannorum, 47. 48.
Samaritani unde, 395. mulier Samaritana conversa, 389 Judæi his infensi 393. similes hæreticis, v. Hæreticus.
Sathan insidiatus S. Benedicto, 88. S. Martino, 129 Huberti ordinationi, 318 infirmus est, 52. si contemnatur, 266. contra eum fortis fuit S. Agatha, 64. S Theresia, 266. ter in vita maximè tentat, 329. timet Sacerdotes, 351
Sinistra Christi judicantis, 514
Sebastianus signum ad Sagittam, 46. laus ejus, 48. miracula, 50
Secreta cordium penetrarunt SS. 411
Securitas quæ in judicio & morte, 475
Sequi agnum quomodo contingat, 51
Servus Domini, 175
Sessio Christi ad fontem vel puteum, 388
Severitas discussionis in judicio, 450
Sexus fœminei vanitas, 16
Sichem moralizatur, 387
S. Simonis & Judæ Apostoli specios pedes, 283 Fratres 5. modis, 285
Spes jungitur veræ pœnitentiæ, 501
Spiritus Domini super aquas, 339. vis ejus, 402, multiplex in donis, 150. & multiplex in sanctis ut in S. Bernardo, S Dionysio 261. vide cæteros sanctos, 206
Sors S. Matthiæ qualis, 69. 375. Domini, 366
Sponsi qualitates, 51. & 52
Stationes sextuplices in cælo habent meditatores, 288
Status triplex personarum, 93. 40
Stella, 70
S. Stephani benedictiones in vita, 31. in morte, 34. fulgor, 32. patientia, ibid. caritas, ibid.
Stola S. Huberti miraculosa, 319
Stola gloriæ in hac vita, 319. post eam, 320
Stridor dentium in inferno, 539
Strictior ratio ab eis exigetur, 537
Studium ornatus interni, 7
Supplicia martyrum, 97
Suscitari à Deo, 321. alios suscitare, 322

T.

Temeritas in dicendo, 169
Templorum causæ & usus, 417
Tepor in religione unde, 159 damnabilis, 181

Tenebræ 3. inferni pœna, 533
Tentatio in vita accidit maximè tec, 319
Theresia Virgo electa, 264. petiit aquam Samaritanam 405. fortis comparata Debboræ, 264. Mater in Israel 265 illuminata cælitus, ibid. vocata in pueritia, 268. labia ejus vitra coccinea, 269. caritas sublimis, 271. elogia, ibid. misericordiam Dei experta, 273. intuita sese uti in inferno positam, 540
Testimonium sanctorum multiplex, 118
S. Theclæ laudes, 10
Theophilus à Beata Virgine adjutus, 18
Theophoria prima à Beata Virgine emanat, 136
S. Thomæ Apostoli peccatum, 27. conversio, 29
S. Thomæ Aquinatis encomia, 70. Stella multis modis. 70. maximè triplici radio fulgens ibid. Aquila, 74. Humilis, 74. testimonia de eo, ibid.
Timore judicii novissimi multi religionem ingressi, 451
Timor Dei benè disponit ad mortem, 544. fons omnis boni, ibid.
Ad Tribunal Dei appellantes, 492
Tuba Dei novissima, 452
Tuba Apostolicæ doctrinæ V. Sacerdos,
Tyrannorum fraudes, 21. supplicia Martyribus inflicta, 97. Christianas fœminas ad lupinaria damnarunt, 53.

V.

VALlis Josaphat vallis concisionis, 432
Væ inferni, 542
Vanitas mulierum, 6
Venator S. Hubertus, S. Eustachius, 317. item Deus mistice venatur, ibid.
Venatum poculum, 101
Vermis est secunda pœna inferni, 529
Veritas à S. Bernardo prolata, 209
Via Crucis quæsiti sumus, 488
Victimæ Christi Innocentes, 43. multæ in templo Salomonis offerebantur, 181
Victoria triplex de mundo carne Sathana, 62
Viduitas propter Deum servata, 408
Vigilate contra subitaneam mortem, 547
Vindicate se quam malum, 498
Virginitas prædita conjugio V. status ejus aureola, 34 inventrix Maria, 231. vorum primum de ea, 332. fructifera, 81
Virginum multitudo sunt castra Dei, 250. symbolum earum columba, 281. mansio in cælis, 290. insignia. 291. Viæ ibid. agnum sequuntur, 292. auxilium ferunt ibid. exemplum Mariæ sequuntur, 333. Regales sunt filiæ, 333. virtutes & laudes. V. in singulis virginibus.
Vir sine macula 11. post aurum non abiens, 12
Visitatio B.M. Salutaris, 137
Ungere pedes Domini, 158
Unctio triplex, 418
Vocatio Dei duobus modis fit, 14. Varia, 223 268. 269. 316. inchoata & perfecta, 12. ad crucem, 4. sanctorum Matthæi, Augustini, Martini, Theresiæ V. in suis nominibus,
Vir Samaritanæ mulieris, 406
Vocis divinæ vis, 59
Votum castitatis prima B.V. fecit V. Maria post Sponsalia multi fecere sancti, 21
Urgeri ad matrimonium, 7
S. Ursula dux Virginei exercitus, 280. fœcunda, 281. honor, 281. privilegia, 281. 282
Vulnera quinque Christus servavit, 29. Impressit S. Francisco, 256

Z.

ZElus animarum, 103. duplex in S. Jacobo Apostolo. 109. S. Bernardo, 206. in S. Francisco, 251. S. Theresia, 270. 271. 32. Cæcilia, 33
Zelus gloriæ Dei, 251. in Theresia & aliis SS. 271. V. Martyres,
Zona aurea ad mamillas explicatur de Episcopo, 10

FINIS.

TRACT

IHS

TRACTATUS I.

DE VOCE TURTURIS IN TERRA NOSTRA, SIVE DE VOCIBUS ECCLESIÆ PRO ADVENTV DOMINI SVSPIRANTIS.

INTRODUCTIO.

ECCLESIA nomine Turturis in sacris Litteris solet designari, cum ob castitatem, tum ob gemitū, Hæc est enim illa de qua in Canticis: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut Turturis*, Hæc iterum illa est de qua Psaltes: *Turtur invenit sibi nidum ubi ponat pullos suos*, Nempe habet duas genas speciosas simplicitatem & puritatem, in his eius pulchritudo consistit, atque ad se oculos Spō si rapit per has genas sacri amoris illices. Habet & nidum in Cruce Christi, in vulneribus Crucifixi, hæc est arbor electa, in qua nidificat, hæc sunt altaria ad quæ volatum init per fidem & amorem; Illucque deducit pullos suos, filios ex baptismo regeneratos, ut doceat eos illic nidulari, illic requiescere, illic gemebundam elicere vocem. *Habet & alterum nidum in solitudine Bethleemitica, in stabulo exciso in rupe, quasi in foraminibus petræ & cavernæ macieriæ.* Ibi frequens vox eius, iuxta præsepium, & primum lectulum Sponsi sui in terra nostra. Illuc frequenter evolans provocat ad volandum pullos, provocat ad commorandum cum quiete filios suos, iuxta primum Sponsi sui altare, hoc est, iuxta præsepe, in quo se primum obtulit in Sacrificio matutino.

Cant. 1.

Psalm. 83.

S. Hieron.

Itaque Ecclesia varia in Scripturis sortitur nomina, varias ob qualitates, & modo *Columba*, modo *Turtur* nominatur ob gemitum. Sed licet jugiter habeat quod gemat in hac solitudine, in hac plorationis convalle, à Sponso absens, *Duo* tamen præsertim tempora seligere videtur ad gemitum, quibus sponsum sibi repræsentat, vel ut proximè orientem, vel ut proximè morientē. Recolit enim *Passionem* eius annuè per quadraginta dies, Recolit quoque Incarnationem, per aliquot hebdomadas prævias, quas *tempus Adventus* nominat, atque filios suos ad gemitum specialiter tunc excitat tribus potissimum de causis.

Ecclesia

Duob. præsertim tēporib. gemit.

Ex 3. causis gemit

Ex tribus dejunxerunt Eccl.

Ac *primo* quidem repræsentat voces gementes SS. Patrum, ac desideria ardentia iustorum Spirantium Adventum Filii Dei, Sponsi sui: quibus antiqua scriptura est referta. Hæc enim desideria, iam ab Orbis conditi primordiis suum sumpsere exordium, nec cessarunt, donec ipse adveniens, his terminum imposuit, & exspectationem Orbis gementis vertit in gaudium exultationis. Nam & ideo dicebat Prophera non solum ex sua, sed ex omnium iustorum persona: *Propter Sion non tacebo & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius, & Salvator eius ut lampas accendatur* Hi porro gemitus repræsentantur per illas voces: *O Sapientia! O Adonai! O Radix Iesse!*

Isaiæ 82.

Ieſſe! O Clavis David! O Oriens! O Rex gentium! O Emmanuel! His ergo vultjungi voces noſtras, vota & lachrymoſa ſuſpiria.

Secundò gemit & ipſa eo quod adventus iſte & redemptio per eum allata, adeò multis inefficax ſit & inutilis. Quia nimirum plerique adventum & vitam, labores & ſudores, ſanguinem & mortem, meritaque omnia Filii Dei reddunt per flagitioſam ſuam vitam & converſationem non ſolum ſibi inutilia, ſed etiam ad graviorìs damnationis cumulum exprobranda. Dignum planè eſt id lachrymis & gemitibus noſtris ſacro iſto tempore, quibus & noſtras eluamus culpas, ne eorum numero numerari indigno accenſeamur.

Tertiò gemit Eccleſia cum juſtis, ad ultimum adventum ſuſpirans, quando finem accipiet peccatum & prævaricatio, regnum peccati, & Satanæ imperium? quando etiam conſummabitur regnum Dei ac Chriſti, cum quo regnabunt & electi. Omnia ergo iſta repræſentantur pariter per voces iſtas *O Sapientia! O Adonai! O Radix Ieſſe! &c.* Nec enim hæ ſolùm fuere voces juſtorum, ut adveniret Redemptor: ſed adhuc ſunt voces Eccleſiæ & Sanctorum, magno cordis clamore flagitantium, ut efficax ſit omnibus redemptio quam attulit, & ſanguis eius non ſit ſolum propitiatio pro peccatis noſtris, ſed & pro totius mundi. Denique & voces hæ reſpirant ad conſummatam redemptionem, per quam plene eruamur de periculis, de tenebris, de umbra mortis, de exilio & captivitate.

Hæ porrò tres jam dictæ gemitus Turturis cauſſæ paulò plenius & attentius à nobis ruminandæ ſunt ſacro Adventus Dominici tempore, paulòque plenius populo proponendæ, ut gemitum etiã filius Turturis, ſive filius Eccleſiæ, excutiant. Ideo fuſius has explicare aggrediar, & primò quidem de deſideriis SS Patrum, ac eorum ſacris gemicibus mihi diſſerendum eſt.

LECTIO I.

De gemitu & deſideriis Patriarcharum videndi Meſſiam.

FRequentiſſima ſunt teſtimonia in veteri Teſtamento ardentium deſideriorum, quibus flagrabant corda juſtorum, ab initio ſæculi uſq; ad Adventum Chriſti. licet enim myſterium Incarnationis, *Magnum pietatis ſacramentum, abſconditum fuerit à ſæculis in Deo*, abſconditum ſcilicet ab hominibus in ſæculi tenebris degentibus: ſemper tamen ſpecialis gratiæ prærogativa aliquibus Dei amicis inſinuatum fuit, & lumine fidei, vel Prophetiæ agnitum, & hoc quidem, ut Salvator omnium ſæculorum ab aliquibus omni ſæculo adoraretur: & non ſolum qui ſequebantur, ſed & qui præibant Chriſtum, una voce clamarent: *Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus illuxit nobis.* *Pſal.117.*

Quapropter etiam Salvator, cùm adveniſſet diebat ſuis: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis! Dico vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Unde putas otiebatur iſtud deſiderium illorum, niſi quod jam fidei luce colluſtrati, à longe adſpiciebant, & ſalutabant venturum? Videbant eum jam per ſpeculum & in ænigmate, unde & *Videntes* dicti ſunt, *facie autem ad faciem* propius contueri exoptabant. Sed quinam ſunt Reges illi? qui Prophetæ? Singulos equidem certum ad calculum vocare haud poſſumus, quia teſte Salvatore multi ſunt: & ſoli illi adæquatè numerus ille notus eſt, qui dignatione ſua illis ſui notitiam infudit. Aliquos tamen eorum ex ſacris Scripturis aguitos percurramus, & eorum ardentibus deſideriis noſtra etiam vota & gemitus conjungamus. Fuerunt illi nobiſcum membra ejuſdem *Columbæ*, ejuſdem *Turturis* gemebundæ, filii ejuſdem Eccleſiæ ab *Abel* juſto inchoatæ: immò fuere membra Chriſti nobiſcum, quia ipſe Caput eſt omnium juſtorum, tam priorum quam poſteriorum ſæculorum. Sed illi præceſſerunt caput, ante illud exorti, illi tamen cohærentes, ipſius nativitatem ſummo deſiderio optantes & gementes. Sicut, quando homo naſcitur, licet manus antea egrediatur quam caput, aut alia membra, ut fuit factum in *Phares*, non ideo deſinunt juncta eſſe capiti, quod perfectè necdum natum eſt: imò naturæ quodam impetu trahunt ſecum caput, ut naſcantur, & totum corpus apparens tandem lucem videat. Sic & in corpore Chriſti myſtico, Patriarchæ & Sancti antiqui membra fuere prius enata, capiti tamen connexa, gemituum & deſideriorum ſupernaturali quodam attractu caput ſuum attrahenſia, ut in lucem tandem ederetur ex utero parturientis Synagogæ, ſive Eccleſiæ antiquæ lux, vita, & ſalus omnium generationum in diem uſque æternitatis.

Primo igitur, nemini ambiguum eſſe poteſt tres illos ſublimes & Regios viros, ex quibus tot Reges pregnati, & quorum ſe Deum Deus gloriatur: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob*, agaoviſſe & magno deſiderio deſideraſſe myſterium illud Incarnationis: quandoquidem ex eorum ſemine Meſſias promiſſus fuerit. Nam Abrahæ dictum fuit: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Quod ſemen illud, niſi Chriſtus? Ita interpretatur Apoſtolus ipſe. Nempe in illo & per illum omnes benedicendi, qui per fidem futuri erant ſpirituales filii *Abrahæ*, & tamquam ſtellæ innumerabiles cælo inſerendi, ut fulgeant in perpetuas æternitates. Ideo & Abrahæ divinitus nomen immutatum eſt, quia cùm prius *Abram* nominaretur, hoc eſt, Pater excelſus, poſtea *Abraham* dictus eſt, hoc eſt, Pater excelſæ multitudinis, multarum Patergentium. Addita nimirum eſt nomini ejus littera, H, ſive, He, quæ apud Hebræos ſignificat

Luc.10.

1.Cor.13.

Gen.38.

Exod.3. 1.

Deſiderii Abrahæ.

Gen.32.

Ephes.3. Col.3.

Gen.15.

Rom.9.

significat vitam, & est una ex quatuor litteris mysticis, quibus constat Nomen Dei Tetragrammaton, ineffabile dictum: bisque in nomine Abraham repetitur. Significabatur ergo hac editione mysterium Incarnationis, quod scilicet caro Salvatoris, qui vitã afferre debebat, ex eo processura erat.

Quomodo juraverit Abrahã.

Et hoc absque dubio *Abraham* cognovit, & ejus filii. Hinc etiam solemne eis juramentum erat, tangendo femur illud, ex quo Christus promittebatur oriundus. Sic enim adjuravit Abraham Eliezer œconomum domus suæ, cùm mitteret eum ad despondendam uxorem filio suo Isaac:

Gen. 24. *Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum: sed ad terram & cognationẽ meam proficiscaris, & inde accipias uxorem filio meo.* Nempe juramentum fieri solet super re sacra; femur ergo illud tamquam sacrum habebatur, ex quo oriundus Messias: & ideo per illam partem, quæ est origo humanæ generationis adjurantes, quasi per sanctissimam Issu carnem inde processuram adjurabant. Audi hac de re S. Greg. *Manum sub femore subet ponere, quia per membrum illud descensura erat caro ejus, qui Filius Abrahæ esset ex humanitate, & Dominus ejus ex divinitate, quasi dicat: Tange filium meum, & jura per Deum meum. Vnde non super femur, sed sub femore manum ponere jussit: quia inde erat ille descensurus, qui homo quidem, sed super omnes homines veniret.* Simili adjurationis forma usus est *Iacob* ex ejusdem mysterii notitia.

Gen. 27. Quandoquidem igitur *Abraham* omnia jam dicta probè noverat, ô quanto desiderio illud semen desiderabat, in quo cæteri ejus filii erant benedicendi! ô quantis votis optabat cito advenire illam benedictionem, illam seminis multiplicationem!

Ioan 8. *Exultavit Abraham, ut videret diem meum, vidit & gavisus est*, inquit Christus. Vidit nimirum in spiritu, & magno perfusus est gaudio, ex magno videndi desiderio. At, ô quantum fuit gaudiũ, dum eum conspicatus est præsentem in limbo, in domo carceris, ad quem tam diu tot jam gemitibus, eum suo semine suspirarat?

2. *Desideriũ Isaac.*

Secundo: Quid de *Isaac* dicemus? Cùm jam senio confectus, & sepulchro vicinus, benediceret filium suum *Iacob*, caligabant oculi corporis, sed non caligabant oculi mentis. Illis enim in filio benedicendo videns Christum ex se & illo oriundũ, osculatus est eum, & sentiens odorem vestimentorum ejus, dixit:

Gen. 27. *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli benedictionem, & de pinguedine terræ abundantiam. Esto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ.* Vtique Isaac dans osculum, non tam Iacob, quàm Christum osculo & amplexu sibi stringit. Ostenditque summum desiderium, quod animo suo insitum gerebat, amplexandi Salvatorem; simul etiam sibi & posteris rememorabat, quomodo per Incarnationis mysterium divina natura humanam naturam erat osculatura, illique sacri amoris & hypostaticæ unionis glutino consœderanda. O quam ardenti hujus rei desiderio flagrabat Isaac! O mysticum ejus osculum! O perspicacem in ipso fidei oculum! O sagacem odoratum! Nempe omnia longo post tempore futura perlustrans, mysteria, Christi pronunciat, & jam odoratur odorem suavitatis, qui ab ejus veste, id est, ab ejus humanitate virtutum omnium & donorum fragrantia imbuta, promanare debebat. Iam agnoscit rorem cœli cum pinguedine terræ coadunatum, omnis benedictionis, omnisque boni fore originem; quando scilicet res divinitatis, virgineæ terræ per ineffabilem unionem se conjunget. Agnoscit quoque Christum omnium fratrum Dominum, ab omnibus fidelibus curvato poplite adorandum, benedicendum, glorificandum. Ad illum jam spiritu rapitur, in ipso figit desiderium; quem etiam pro salute omnium didicerat antea immolandum, in illo Patris sui Abrahæ sacrificio, in quo liber evaserat monitu divino, immolato ariete inter spinas & vepres reperto.

3. *Desideriũ Iacob.*

Tertiò; Nonne & Jacob vivens ac moriens desiderio flagravit Salvatoris, quem in tot mysticis symbolis ac visionibus agnovit? Scalam enim ei Deus manifestarat, à terra in cælum usque pertingentem, Angelosque per eam ascendentes & descendentes. Et quid illa scala repræsentabat, nisi incarnationem verbi, & generationem Christi ex ipso orituri, & per varios gradus descensuri, hoc est, per varias generationes & progenitores? Duo scalæ latera, misericordia & veritas, sive fidelitas de Messia promisso; quæ duo ad nos verbum descendere fecerunt. Hæc scala rangit terram, quia carnem sumpsit Christus è terra. Tangit & cælum, quia divinitatem sumpsit è cælo Et hæc duo jungens, ima summis, terrena divinis copulavit. Deinde descendunt Angeli, ut hoc mysteriũ hominibus annuncient. Ascendunt quoque, ut ardentia Patriarcharum desideria, gemitus, orationes, sursum ferant. Agnovit ergo hoc mysterium in hac scala Iacob, Agnovit & illud postea in nocturna illa lucta, quam cum Angelo illo habuit, qui Filium Dei repræsentabat in carne venturum. Luctabatur Iacob cum eo, ut extorqueret benedictionem, pro se & semine suo. Quomodo luctatur? Gemitibus, desideriis, lachrymis: *Invaluit ad Angelum, & flevit.* Ergo fortitudo ejus in lachrymis. Per has vicit, & benedictionem extorsit, fortis contra Deum: nomen quoque *Israel* impetravit, hoc est, *videns Deum*, vel ut volunt aliqui Interpretes, *Princeps cum Deo.* Reportavit quidem benedictionem, sed etiam claudicationem, ob nervum femoris tactũ, qui mox emarcuit. Quia aliqui ex semine suo benedicendi erant, in Christum credituri, Israelitæ veri: alii reprobandi, à Christo claudicantibus vestigiis recessuri, & in infidelitate permansuri.

Scalam Iacob repræsentat.

Gen 28.

Lucta Iacobi cum Angelo.

Gen. 32.

Osea 12.

Vnde hac de re sic loquitur S. Aug. *Erat unus & idē Iacob, & benedictus & claudus: benedictus in eis qui in Christum ex eodem populo crediderunt, atq; in infidelibus claudus. Nam semoris latitudo, generu est multitudo. Plures quippe sunt in ea stirpe à fide Patrū degenerantes, & à præceptis auctoris sui deviantes, & in erroris sui semitis claudicātes, de quibus prophetice prædictum est. Et claudicaverunt à semitis suis.* Porrò quomodo idem Iacob, non solum vivens agnoverit spiritu Prophetiæ Christum ex sua stirpe oriundum, sed & moriens idem prædixerit, in eiusque desiderio ardenti mortem obierit, manifestum est ex Genesi, ubi plurima de Adventu & mysteriis Messiæ lumine Prophetico pronuntiat: *Non auferetur*, inquit, *sceptrum de Iuda, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* An non hic aperta Prophetia de Adventu Christi? Ac ibidem de eius ascēsu ad Crucem dicit: *Catulus Leonis Iuda, ad prædam Fili mi ascendisti.* Denique jam proximè oculos & vitam claudens, fidem, spem, desideriumque adventus Salvatoris his verbis exprimit: *Exspectabo salutare tuum Domine.* Ingemiscebat nempe ad Deum in spiritu, de quo exultans Simeon canit: *Viderunt oculi mei salutare tuum.* O gemitum, ô desiderium Iacob, imitatione dignum!

S. Aug. 16. civil. c. 39.

Genes. 49.

Luc. 2.

Quartò, jungamus his tribus viris magnis Ezechiam Regem, de stirpe eorum prognatum. Quanta illa fide, quanta luce agnovit è progenie sua Christum oriundum? Quanto timore pertimuit, ne suis peccatis tanta gratia se redderet indignum? Ægritudine in flore ætatis percussus, animo percellitur, non tam ob timorem mortis, quàm ob desiderium Salvatoris. Timet nimirum, ne sine progenie ex hac luce commigret, sicque orbetur expectata benedictione, & Christi ex suo semine oriundi promissione. Quid ergo? Convertit se ad parietem templi è lectulo suo, cum lachrymis & gemitibus, ultrà non valens dolorem premere, vel abscondere. Oculos mentis, & quoad potest etiam corporis, convertit ad Aream, ad Sanctuarium, ad propitiatorium, ut ibi inveniat sui remedium doloris, cataplasma infirmitatis. Tandemque in hunc gemitum erumpit: *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi. Quæsivi residuum annorum meorum, & dixi, non videbo Dominum Deū meum in terra viventium. Generatio mea ablata est, & convoluta est à me, quasi tabernaculum Pastorū.* Quasi dicat, Ecce ego adhuc juvenis in media ætate constitutus, quadragesimum necdum attingens annum, jam præmatura morte demetendus sum, in portis inferi, in limbo habitaturus. Quæsivi residuum annorum, nam adhuc ut minimum quadraginta anni restabant, ætatis & naturæ cursu ordinario. Sed hoc forsitan parvi pendendum foret: at illud gravius & intolerabile: si culpa mea non videatur Salvator ille promissus in terra, si & ipse non adveniat, ut videam eum in limbo, si nec nunc, nec alios liberaturus sit, & in terram viventium perducturus, visioneque sua beaturus. Et quomodo iam id sperem, cum ex progenie mea sit promissus, & illa fato nunc præmaturo succidatur, me succiso? Eheu, de mane usque ad vesperam finies me: In una die præcides telam vitæ meæ, quam prius feliciter ordiri videbar. Quid porrò restare mihi potest, dum spes mea velut abrupto filo concidere videatur, & aratrum meum, ut dici solet, ad ultimum sulcum pertigisse? Ad te tamen, ô Domine, iterum iterumque oculos converto, & in excelsum suspicio, & suspiciam, ut pullus hirundinis ab his qui eum genuerunt desertus, ingemisco & inclamo sicut columba, sicut turtur vocem gemebundam ad te extollo, & in amaritudine animam meam elevo, ne tantum dispendium orbis perditus patiatur, ut orberur Salvatore suo. Respice ergo gemitus hos ac lachrymas, & imple promissiones tuas de Salvatore ex semine meo suscitando qui projiciat post tergum omnia mea, ac totius mundi peccata, qui eripiat à morte animas, qui vivificet nos, cuius visione tandem beati, glorificemus illum tecum in domo tua æterna. Hic fere est compendio abbreviatus discursus pij Regis: Hic est gemitus Turturis in terra nostra, ad Salvatorem, & ad terram viventium suspirantis.

Desideriū Ezechiæ Regis.

Isaiæ 38.

Verum enimverò, siste lachrymas, ô Ezechiat nec enim morieris ex hac infirmitate. Respexit pios gemitus, & vota tua Altissimus, tuo satisfaciet desiderio, tua ex prosapia orietur Salvator ille tantopere exoptatus. Et ecce securum tibi divinæ promissionis signum. Sol retrogradietur decem lineis in horologio Achay: Et hoc te edocere poterit, Solem justitiæ per novem gradus, per novem choros Angelorum, descensurum ad decimum usque gradum, ad humanam usque naturam, quam ex tua sumet progenie, in tuam totiusque orbis salutem. Viden' desideria pientissimi Regis non inania.

Postremò, cùm multos Reges Christum agnovisse, votisque ardentibus illius adventum exoptasse exploratum sit; tamen inter omnes Davidem, Regem pientissimum in hoc desiderio & mysterii hujus scientia eminuisse certum est. Propterea in omnibus bene Psalmis Christum respicit, Christi adventum prænuntiat, Præcoque electus eius mysteria proclamat. Omnes creaturas, cœlum & terram, maria & flumina, ligna & montes ad jubilum & plausum invitat, quia venit brachium Domini, salutare Dei nostri. O quot desiderijs, precibus, lachrymisque cœlum pulsat, ut quantocyus adveniat, & orbi perdito opem remediumque ferat? Quid enim aliud volunt istæ voces sæpius in Adventu ab Ecclesia repetitæ: *Tu exurgens Domine misereberis Syon, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.* Quasi dicat: cur instar dormientis remedium differs? quamdiu non exaudis angustias supplicantis totius naturæ, in miseriis peccati jacentis? Tempus nunc salutis, tempus misericordiæ, tempus implendi promissionem tuam, & pa-

Desiderium Davidis.

Psal.

Num.

Psa.

Da. ad. usp.

ctum quod fecisti cum Abrahã & Patribus nostris.
Psalm. 83. Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum,
Psalm. 79. nunc tandem exurge. Et iterum alibi: *Ostende nobis misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.*
Et iterum. *Qui regis Israel, intende qui deducis velut ovem Ioseph. Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse. Excita potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos.* quasi dicat: O Messia, qui ab initio populum Israel, populumque Ioseph, à Ioseph in Ægypto receptum, quasi pastor vocem regis, & educis per desertum, ut in terram promissum introducas: nunc etiam tanquam verus Pastor veni, & educ genus humanum de tenebris peccatorum, & captivitate dæmonum; solus id potes, nemo præter te. O tu, qui sedes super duo Cherubim in cœlo, qui etiam sedes super duo Cherubim super arcam, in figura incarnationis futuræ, nunc veni, ut sedeas super duo Cherubim animæ & corporis in eadem humanitate, item ut sedeas super duo Testamenta novum & vetus, & sedeas super duos populos ad fidem convertendos, ex Iudæis & gentibus. Veni ergo, & sicut olim tres illas Tribus præcedebat
Num. 2. Arca in deserto, Ephraim, Benjamin & Manasse, ita te manifestum redde populo Christiano, illumque præcede & dirige, per *Ephraim* significatum, qui interpretatur *Augmentum*, per *Beniamin* qui interpretatur *Filius dexteræ*, per *Manassen*, qui interpretatur *oblivio*. Hic est enim populus, qui per te geri debet, & dilatari per totum orbem. Hic est populus, quem generare & regenerare debes, ut fit filius dexteræ tuæ, æternorum bonorum tuorum hæres. Hic est populus, qui debet oblivisci antiqui Patris sui Satanæ; antiquæ Matris suæ Gentilitatis, antiquæ suæ infidelitatis & idololatriæ, ut tibi vero cultu adhæreſcat. Hic est populus, cuius per tot sæcula oblitus esse videris, nunc ergo memor esto illius, ostende faciem tuam, ut salvus tandem fiat. Denique sic Deum alloquitur:
Psalm. 88. *Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, memor esto opprobrii servorum tuorum, quod cõtinui in sinu meo multarum gentiũ. Quod exprobrauerunt inimici tui, Domine, quod exprobrauerũt cõmutationẽ Christi tui.* Quasi dicat, O Pater æterne, ubi sunt misericordiæ, quas antiquis Patribus promisisti, de Filio tuo Christo mittendo, Eheu! Tam diu differs, ut jam malis fracti animi, spem illam abiicere videantur. Imò inimici nostri & gentes infideles, dum vident nos in tot malis contabescentes, exprobrant nobis inanes esse promissiones, inanem exspectationem nostram, teque sententiam mutasse de mittendo nobis Messia & Christo. Sic habent Hebræa. Exprobrant nobis commutationẽ Christi tui, hoc est, dilationem, tarditatem, itinera, & vestigia eius. Exprobrant gressus eius, eumque vocant tardigradum, vel loripedem, & claudum. Dicunt enim habere crura fracta, calces læsas, pedes enervatos, ut qui nondum venerit, aut venire possit. Memor esto Domine, huius opprobrij in te redundantis & in servos tuos, quod in sinu & corde continere & portare cogor, ægrè tamen valeo concoquere, quia in tuam redundat offensam, promissionisque tuæ elevat & evacuat veritatem. Non ergo spem servorum tuorum ita diu affligas; sed quamociùs illum mitte, qui nostris debet medelam afferre malis, & ab hostium vindicare opprobriis. Sic urget sæpe pius Rex, importunis desideriis, adventum Christi, eiusque accelerationem. Ideò illius gementes voces sæpe Ecclesia tempore Adventus repetit, ut illis nostras, ardoris pii & amoris in Christum indices, conjungamus & excitemur ad eius Adventum piâ consideratione rememorandum.

Davidis ad Deum ejaculatio.

LECTIO II.

De gemitu & desideriis Prophetarum.

CVm explicuerimus desideria Regum in Christum tendentia, explicemus modò desideria aliquot Prophetarum. Quamvis enim illi Reges etiam Prophetæ fuerint, & hi Prophetæ etiam Reges dici possint (quia viri excelsi animo suo & passionibus imperantes, ut explicat Ven. Beda in c. 10. Luc.) tamen non sine causa Dominus utrosque exprimit & distinguit.

Primo itaque loco inter hos Prophetas recenseamus Moysem, qui ardentissimi desiderii Incarnationis Filii Dei significationem dedit, cum Domino pro liberatione populi sui ipsum mittere destinanti, respondit: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.* Quasi dicat: Quid est, Domine, quod de me mittendo ad tanti negotii executionem meditaris, cùm inidoneus sim, & tanto impar muneri? Cùm non solùm imbellis & imporens sim, sed etiam sermone tardus, ineloquens, & imperitus? Cũ denique sciam, te alium debere mittere, cujus ideò nomen est, *Missus*? Eja, Domine, illum, obsecro, tantopere desideratum, & Patribus nostris promissum, mitte, me autem inidoneum dimitte. Postmodum eum Filium suum jam tanquam populi sui Ducem, sed invisibilem mitteret Deus, & sub nomine Angeli, sive Legati, qui præcederet castra promitteret, illius videndi desiderio accensus est Moyses, urgetque instantissimè: *Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Cũque in foramine petræ, jubente Domino, se collocasset, & transeuntis conspiceret posteriora, seu quosdam quasi humeros, symbolum humanitatis, quam assumpturus erat, coactus est inclamare: *Dominator, Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiã in millia.* Porro tunc Moysi præsignatam fuisse & promissam visionem humanitatis in trãsfiguratione, tradunt SS PP. Nempe humanitas inferior & posterior pars Christi est, Divinitas autem est prior & potior, quasi facies. Negatur ergo

Desiderium Moysis.

Exod. 3.

Humanitatis Christi Moysi præsignata.

Exodi 34.

Aug. l. 2. de Trin. c. 17. & alii.

ei visio divinitatis: aliqua conceditur visio & agnitio humanitatis, ac gloriæ ejus; necdum tamen plena & perfecta, sed in monte Thabor perficienda. Nam gloriæ ibi ostendendæ specimen tantum aliquod exhibetur: ut ardenti Moysis desiderio satisfiat, videndi eum qui mitteandus erat Dux Israel, & cujus jam facies, id est, Divinitas præcedebat castra Israel. Vnde, cum Moyses diceret: *Si tu non ipse præcedas, & ne educas nos de loco isto*: Dictum est ei: *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* Itaque absque dubio Moyses, Prophetarum maximus, Incarnationis divinæ mysterium agnovit: & aliquam percepit non solum notitiam, sed & gloriam illius, de quo Ioannes: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.* Ideo in vocem exultationis, admirationis, jubilationis erumpit, inclamans: *Dominator Domine* &c. Hic si desiderii sui ex parte solum impletio, tantam ei parit lætitiam: quantò percipiet majorem, dum in monte Thabor, & in lymbo, non solum tergum, sed & videbit tantopere desideratam Salvatoris faciem? Dicamus porro & nos cum Moyse, ex Salvatoris ardenti desiderio hoc sacro tem; ore: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.* Ostende nobis Domine faciem tuam desiderabilem, non in monte Horeb, faciem Dei terribilis, sed in valle lachrymarum, in Bethlehem, faciem Dei amabilis, Dei parvuli, Dei lachrymantis, Dei vagientis, Dei lactentis: ut illam contemplando, toto cordis gemitu inclamare valeamus: *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam tuam in millia: qui auferis iniquitatem & scelera atque peccata, nullusque apud te per se est innocens.* Humiliatio enim ista, lachrymæ, vagitus, lactatio Dei infantis, omnibus inclamant tuam Deus, misericordiam & miserationes tuam clementiam & patientiam, tuam veritatem & fidelitatem in promissis, tuam benevolentiam & amorem in millia. Omnibusque insinuant, quod sis Deus auferens iniquitates & scelera; quod sis Agnus tollens mundi peccata: quod omnibus per innocentem infantiam tuam reddere velis innocentiam, & dimittere reatum omnem ac delicta.

Secundo loco connumeremus Isaiam Prophetam, qui clara spiritus prænotione Christi venturi mysteria est contemplatus. Vnde quasi illius interesset conceptui & partui, sic ait: *Dixit ad me Dominus: Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis. Velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles Vriam Sacerdotem & Zachariam filium Barachiæ: & accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus. Accelera spolia detrahere, festina prædari. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & Matrem suam, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ.* Maria est Prophetissa illa, ad quam proximè per spiritus prænotionem accessit Isaias, & in visione ostensa est ei ope divina concipiens, patiensque filium suum Emmanuelem, Nobiscum Deum. Sed & dicitur ei, *Voca*, sive prædic vocandum hoc mystico nomine, *Accelera spolia detrahere*; futurus enim est talis, ut jure hoc nomine vocari possit. Quia antequâ naturali modo possit dicere, Pater mi, Mater mea incipiet prædari, & Satanæ prædam ac spolia eripere. Quod fecit, dum ex infidelitate Reges tres eduxit, dum millia infantium dæmon eripuit, dum idola infans confregit. Prævidit ergo Isaias illud idem quod olim Iacob, de Christo ex tribu Iudæ nascituro prænuncians: *Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti.* Ad montana Iudææ conscendisti, ubi Ioannes adhuc in utero ob peccatum originale satanæ subjectus, præda tibi fieret per sanctificationem. Ad Ægyptum etiam contendisti per mõtes & colles, ut prædam ibidem invenires, sanctificans loca illa, in quibus postea tot Religiosorum millia tuæ se devoverunt servituti. Ad Calvariæ montem, & in Crucem ascensum parasti, ut ibi prædam & spolia inferno eriperes. Hæc prævidebat Iacob; prævidebat & Isaias, & designabantur illa omnia nominis huius impositione arcana. Quantis porrò desideriis & gemitibus hujus divini infantis ortum efflagitarit Isaias, satis manifestant illæ ipsius voces ab Ecclesia toties repetitæ: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Advocat cœlum, terram, nubes, & velut invitat ad cooperandum huic mysterio, adeo expetito, & toti Orbi profuturo; ut divinitate è cœlo & nubibus instar roris defluente, fœcunderur Virginis uterus, & terra virginea germinet fructum suum, quem omnes creaturæ, quodammodo etiam illum parturientes, exspectabant. Iterum alibi hac de re desideria animi sui expandens, exclamat: *Emitte, Domine, Agnum Dominatorem terra, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Tandemque sic ingemiscit: *Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes, à facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, & aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis, à facie tua gentes turbarentur.* Quasi dicat: Vtinam jam de cælis carne indutus venias, ut præsentia tua ignis amoris exardescat, quo & homines superbi velut montes diffluerent, humiliarentur, & tibi cederent: Segnes autem & molles sicut aquæ arderent & fervescere inciperent: Gentesque omnes ad pœnitentiam commoverentur, ut nomen tuum, quod modo in sola Judæa notum est, innotescret etiam gentibus inimicis tuis. O quam vehemens, quam ardens desiderium & votum Prophetæ! Væ nobis, quia cum jam illud desiderium illius adimpletum sit, ut cœlos velut disrumpens, & omnes obices discindens nostri causa advenerit cum amoris ardentissimo igne; nostra interim corda montibus & rupibus permanent duriora, aquisque frigidiora. Nec immensâ hac amoris

flammâ

Exod. 17.

Ioan. 1.

Desiderii Isaiæ.

Isaiæ 8.

Gen. 49.

Luc. 1.

Matth. 2.

Isaiæ 45.

Isaiæ 16.

Isaiæ 46.

flammâ liquefiunt, nec ardent; immò Deo usque ad carnis assumptionem & crucem humilitato, cedere adhuc renuunt. O insensibilia, ô superba & reproba corda!

Desiderium Ieremiæ.

Ierem. 31.

Tertiò loco prodeat Propheta Hieremias, qui quantam mysterii Incarnationis notitiam habuerit, satis manifestat cap. 31. ubi inter cætera prænunciat: *Novum creavit Dominus super terram: Fœmina circumdabit Virum.* Nempe cernitudinem illius mysterii, in divinâ prædestinatione & præordinatione præparati, cognoscens quasi de præterito loquitur: *Novum creavit Dominus super terram.* Quod verò lumine Prophetico intuebatur cum desiderio & affectu, etiam in effectu exhibendum proclamans, defuturo subjungit: *Fœminacircumdabit Virum.* Quæ est hæc fœmina, potens utero suo claudere virum? Aut quomodo potest vir utero circumdari? Non enim dicit parvulum, aut infantem, sed virum. Ergo res nova & inaudita proponitur. Nempe Christus vir ille, qui licet staturâ & ætate infans, tamen à primo conceptionis instanti vir est perfectus sapientia, ratione, gratia. O Virum desiderabilem! O Fœminam admirabilem & amabilem! O novitatem inauditam! Vtero circundatus Vir novus, Homo Deus, ex nova Matre Virgine; novo modo sine viro, nova generatione procreatus. O verè virum novum, qui in novo orbe, novam legem, novum fœdus, Sacramenta nova dabit, & postea novos cœlos & terram. O quanta desideria in corde Hier. Proph. ut hunc videret personaliter postea venientem, quem tunc videbat imaginariâ, & Propheticâ visione, matris uterum fœcundantem!

Desiderium Abacuc.

Abac. 1.

Quarto loco constituamus Prophetam Abacuc qui urgentissimis desideriis & vocibus Christi adventum efflagitavit: *Vsquequo clamabo & non exaudies? vociferabor quasi vim patiens & non salvabis? Quare ostendisti mihi videre iniquitatem & laborem? lacerata est lex, prævalet impius adversus justum.* Quasi dicat: Regnat ubique Dei oblivio, & profunda iniquitas ac injustitia: ego verò clamo ad te, ut mittas eum qui debet salvare, oppressosque eripere, & iniquitati finem dare. Sed respondet ei

Abac. 2.

Dominus: *Scribe visum, & explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit.* Quasi dicat. Visionem quam tibi ostendo, scribe apertis litteris, ut non immoretur qui legerit. Quid verò jubetur scribere? Istud nempe: *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Ac postea Adventû Christi prioribus istis verbis promissum obtutu prospiciens Propheticò, canticum istud voce sonorâ depromit; *Domine audivi auditionem tuam, & timui. Domine opus tuum, in medio annorû vivifica illud. In medio annorum notum facies, cû iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Quod ex lectione 70. Interpretum sic aliqui Patres vertunt. *Domine consideravi opera tua & expavi, in medio duorum animalium cognoscêris;* quando scilicet in medio duorum animalium jacebis in præsepio, fulgebis in cœlo. Hoc enim Incarnationis & Nativitatis mysterium Abacuc cognovisse, & in illius consideratione in admirationem raptum grandem lætitiam concepisse, manifestat quod in fine decantat: *Ego in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Attende ergo voces, attende gaudium, attende desiderium suspirantis Prophetæ; sic & in ipso agnosces vocem turturis resonantem in terra nostra.

Desiderii Michææ Aggæi & Danielis.

Matt. 2.

Agg. 2.

Postremò posset & his annumerari Michæas, apertissimè de Christi Nativitate vaticinatus: ex cuius solius testimonio Reges ejus ortum in Bethlehem futurum à Scribis & Legis Doctoribus didicerunt. Item & Aggæus apud quem scriptum est: *Adhuc unum modicum, & ego commovebo cœlum & terram, mare & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Sed claudat agmen Prophetarum Daniel, in quo omnia aliorum desideria cum fervore renovata fuêre, unde & Vir desideriorum appellatur. Propterea ergo apparuit, Gabriel Angelus, cum instruens de tempore Adventus Christi, tanquam infantiæ ejus minister futurus. Vnde ait: *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo, ego autem veni ut indicarem tibi, quia Vir desideriorum es. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.* Orabat nempe Daniel ferventissimis precibus ac desideriis in jejuniis, sacco & cinere, non solum pro captivitatis Babylonicæ liberatione; sed & pro abolendis populi peccatis, quod per Christum fieri debere pernoverat. Dicit ergo ei Angelus: Quia vir desideriorum es desiderio gloriæ Dei, desiderio salutis hominum, desiderio liberationis populi summè flagrans, mereris audire Dei eâ de re decretum & secretum. Ecce septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, annorum sc. hebdomades, quæ conficiunt 490. annos, definitæ sunt à Deo: & cum potuisset plures statuere, propter tua & aliorum suspiria prævisa, hoc breve tempus constituit. Et tunc per Christum peccatum delebitur, satisfactione perfectâ, quia ipse erit justitia, redemptio & sanctificatio vestra, & ungetur ipse Sanctus Sanctorum.

Dan. 9.

LECTIO III.

De gemitu & desideriis B. M. Virginis.

EX jam dictis satis constare existimo, nullo tempore defuisse aliquos gementes, è quibus vox turturis conflaretur, & terra nostra in cælum usque se tollens. Propter illos etiam istud verificare possumus: *Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes fœderunt odorem suum.* Hi enim erant grossi, hoc est, primi fructus, quos produxit ficus à Deo planta-

Cant. 2.

plantata, antiqua Synagoga. Hi sunt vineæ florentes desiderionum sanctorum flores cum bono odore expandentes, ut fructus ille desideratus tandem enascatur, *Botrus Cypri*, ad crucis torcular portandus, de quo *Vinum germinans Virgines* debet exprimi, liquor cæli terræque pretiosissimus. Itaque ex Synagoga antiqua semper prodiêre aliqui justi, aliqui electi, aliqui dilecti, ex quibus Christus secundum carnem nasceretur, sicque in illa non defuere aliqui gementes, qui forent membra Columbæ & Turturis, non defuere, aliqui viri desiderionum. Et hos de congruo meruisse Incarnationem Christi, sive ejus accelerationem tradunt Theologi. Congruum enim erat preces justorum & amicorum Dei exaudiri. Congruum erat, ut propter gemitum pauperum tandem exurgeret Dominus. Congruum erat, ut adimpleretur illud, *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Salvatorẽ & Propugnatorem qui liberet eos.* Figura huius rei præcesserat Dominꝰ Moysi, *Vidi afflictionem populi mei qui est in Ægypto, & clamorem eius, sed veni mittam te ad Pharaonẽ, ut educas populum meum.* Tẽporalis liberatio filiorũ Israel per manum Moysi, figura fuit futuræ liberationis omniũ hominũ per manũ filij Dei. Sicut ergo clamor filiorũ Israel & assidua deprecatio oppressorũ promeruit descensum Dei, Salvatoris & Liberatoris, ita ut videatur dixisse Pater Æternus Filio suo, sicut quondam Moysi: *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius, veni & mittam te ut educas populum meum.* Consideravi electorum meorum afflictionem, sub virga & captivitate dæmonis in servitute plusquam Ægyptiaca, & audivi clamorem eorum, quo opem liberationemque efflagitant, veni igitur, & mittam te ut Salvatorem, qui eruat eos à tyrannide & oppressione exactoris.

Zach. 9.

S. Th. 3. p. q. 2. a. 11. Iustorum preces incarnationẽ Christi meruerunt

Isaiæ 19.

Exodi 3.

Equidem verum est omnium justorum desideria id promeruisse, quæ magis magisque accendebantur, quo proprius tempus illud adventabat: ut patet de Sim. de quo dicitur: *Et ipse erat exspectans redemptionẽ Israel, & responsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mortem nisi videret Christum Domini.* Interim haud dubium, quin id maximè promeruerit Virgo nostra, à Deo ab æterno electa, ut esset Deipara, Vnde illa dicere potest illud: *Dum esset Rex in accubitu suo Nardus mea dedit odorem suavitatis.*

Luc. 2.

Pro omnibus meruit B. M. Virg. Christi incarnationem.

Cantic. 1.

Nonne Nardus eius fragrantissima Æterni Regis Filium attraxit; à paterni sinus accubitu, ad sinum suum virgineum? Nardus eius, ardentissima charitas, ferventissima & humillima oratio, purissima virginitas, immaculata innocentia, ad nos attraxit Filium Dei, ut fieret homo; attraxit ad uterum suum, ut ipsa fieret Mater Dei, Thalamus & Tabernaculum Altissimi. In ipsa maximè agnosci potuit *vox Turturis in terra nostra*, quia hanc Filii Dei incarnationem de congruo promeruit super omnes iustos. Erat utique Turtur solitaria, semper ad id ferventissimè gemens, jam à tenera ætate, noverat enim oracula, noverat incarnationis mysterium, quamvis quomodo & per quam, sive in qua complendum foret eam lateret. In templo undecim annis educatam, gemitu & lachrymis frequentissimè adimplectionem tanti mysterij postulasse, testis est S. *Bonaven.* Sic ergo iam quodammodo precibus & lachrymosis suspiriis enitebatur in spiritu, quem postea carne ex utero enixa est puerpera. Equidem tunc temporis in spiritu angebatur, & clamabat ad Deum quasi parturiens masculum illum, quem postea debebat in utero gestare & parere, fœcunda sine corruptione, gravida sine gravamine, puerpera sine dolore. Certè cum appariturei Gabriel Angelus, fuisse eam in desiderijs ferventissimis adventus illius qui omnium desideria debebat complere, tradunt communiter Doctores contemplativi, Nempe clariori lumine præ Prophetis edocta, & præ illis ardentiori amore flagrans, urgebat tunc apud Dominum, ut propriis oculis videre posset istud prodigium, quod erat Dominus facturus super terram. Præterea cum nosset per Isaiæ oraculum, in virgine istud complendum fore, quamvis nesciret in qua & quomodo, optabat certè Virginem illam posse tandem contueri, illi posse ancillari, vel solo impressa eius vestigia posse exosculari. Cum verò in simili sacra meditatione exardescceret ignis amoris in corde eius, adfuit Angelus modum mysterii demonstrans, atque in ipsa & per ipsam perficiendum edocens, eamque ad id ab æterno electam certo denuntians. Atque ubi consensit, O quantus ignis, & quam supra modum omnem cogitabilem accrevit & exæstuavit? Certè necesse fuit, ut Spiritus sanctus, qui ignem illum accenderat, etiam obumbrares. Vnde dicitur ei: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, Quasi dicat Angelus, Spiritus ille qui est ignis consumens, miro amoris divini ardore te afficiet, quem viribus naturæ vix sustineres, sed in medijs flammis consumereris, vitamque tuam dissolvi oporteret: nisi ipse umbram præstaret & refrigerium, virtutemque suppeditaret, ut tantam ferre possis vim amoris. sicque in te renovabitur miraculum Rubi flammantis, & in medio flammæ nequaquam sese consumentis.

Apocal. 12.

Luc. 1.

De exspectatione ardentissimâ Partus in Deipara.

MARIA Virgo à tenera quidem ætate, ut dixi, suspirabat gemebunda, ad illum qui in Scriptura nominatur *Desiderium collium æternorũ*, Vnde sicut Daniel dictus est, *Vir desideriorum*, sic & ipsam rectè dixeris *Mulierem desideriorum*, in qua quodammodo recollecta, aggregata, abbreviata fuêre omnia desideria justorum, quia & per ipsam debebant illa compleri, quandoquidem is qui erat desideriorum omnium obiectum, finis & centrum, in eius utero sibi locum elegerat. Cum porro illa concepisset Filium Dei, & jam approinquaret tempus partus, è corde eius, velut fornace

Gen. 49.

Dan. 9.

Maria mulier desideriorum

Maria Turtur.

nace exæstuante, ardentissima desideria, quasi scintillæ flammantes exsiliebant, & continuò in cœlum se tollebant : quibus summoperè optabat illum tandem parere mundo, quem cœlum & terra, infernus, orbisque totus tamdiu expectârat. Propter istud Mariæ frequentissimum ferventissimumque desiderium, in Hispania & alibi, institutum est festum quoddam approbatum in Concilio Toletano, vocantque *Festum exspectationis partus* Mariæ; & celebratur 18. Decembris. Vocant quoque festum de, O, eo quod in primis ejus Vesperis Antiphonæ illæ solemnes per O, inchoantur : *O Sapientia, &c.* Et durant usque ad Virginis partum, sive usque ad Nativitatem Domini, per quam finita sunt omnia desideria : dum is exhibitus est in re qui exspectabatur in spe. Et quia illæ Antiphonæ omnium justorum desideria in Mariæ corde jam coadunata rememorant ; ideo solemniter præviis illis Natali Domini diebus, ad *Magnificat* decantantur, plerisque etiam in Ecclesiis pulsatis omnibus campanis. Atque in nostrâ Ecclesiâ Leodiensi solet illud, O, continuâ voce repeti per singulos versus. Dum enim unus Chorus versum intonat, alter O, repetit continuo quodam sono sine motis. Atque utinam solemnitates istæ ad pietatem institutæ, & ad rememorationem desiderii Sanctorum, sive ad præparationem præviam Nativitati Salvatoris, non darentur in occasionem carnis : Videmus enim in Ecclesiis aliquibus, sive Cathedralibus, sive Collegiatis, successivè a Canonicis in officio aliquo constitutis convivia temulenta instrui sacris istis diebus, quibus Ecclesia gemens instar Turturis jejunandum & sobrie ac pie vivendum docet, ut præparentur Domino corda nostra. Tunc poculis & cyathis decertant asoticè, quando pane lachrymarum cibandus foret animus cum pietate. Singulis singulæ illæ Antiphonæ piè intonandæ assignantur in Choro, sed illas deridere & conspurcare videntur in temulento symposio. Hinc ille versus ludibundus, sed pudibundus;

O Radix Iesse, noli sic ebrius esse,
Ecce tuus Adonai noster amicus heri

Sed Missa hæc faciamus (quæ & paulatim à clero dimittenda, vel moderanda speramus) & ad Virginis puerperæ, dum partui appropinquaret, pia & ardentia desiderio revertamur. O quanto desiderio avebat Maria parere hunc Solem mundo tenebroso, ut quoquo versum coruscans, densas errorum tenebras effugaret ; O quanto desiderio Virginea terra germinare optabat florem & fructum, Angelis & hominibus odoriferum, peccati putorem omnem fragrantiâ sua è cordium lacunis fœtentibus eliminaturum ; O quanto desiderio, Maria, Fons signatus, effundere gestiebat venam aquæ viventis utero suo conclusam, quæ irroraret arida hominum corda ! Instar Rebeccæ, illam putei viventis aquam, non solum pueris Abrahæ, sed & camelis ac jumentis, hoc est, peccatoribus computrescentibus in stercore suo desiderabat communem efficere. O quanto optabat ardore divini illius infantis cernere faciem, qui in ipsâ cœlesti virtute & Spiritus Sancti operatione, sine integritatis læsione formatus, haud eam gravabat, sed lætificabat, illuminabat, accendebat ! Ille jam radios in Corde Matris jaciebat intus, quibus etiam lux & ardor excitabatur foris. Ex illo mille suspiria quasi scintillæ exsiliebant, donec illum quem cordetenus gestabat, facie tenus intueri concederetur. Si tanto desiderio Moyses Dei faciem educentis populum suum in terram promissionis videre desiderabat, ut diceret : *Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Quanto majori desiderio, & gemitu amoris, flagitabat Turtur nostra Maria, cernere eum, quem jam tot mensibus in utero absconditum gerebat ? Certè in ejus corde, nil nisi flamma, nil nisi fervor & amor exæstuans, ab illo qui in visceribus ejus degebat sacri Deus amoris. Hic in ejus animo languorem sanctum pariebat, adeò ut posset illud de Cantico amoris pronuntiare : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Et iterum illud : *Osculetur me osculo oris sui.* Quasi diceret. Non solum jam animum animo, cor cordi jungere opto ; quod inter absentes solus affectus suo modo facit : Sed etiam ore ad os, facie ad faciem præsens loqui cupio, & videre absconditum sub velo carnis meæ ; illumque amplecti parvulum tandem inter ulnas pendulum, & circumdare tamquam torquem collo meo. Immò & hoc desidero, non solum inter brachia mea illum collocare pignus utique cordis mei clarissimum ; sed & toti orbi intuendum, amplexandum, adorandum proponere, Orbis Lucem & Vitam. *Exod. 33. Cant. 2.*

Et certè verisimile prorsus est, Virginem Deiparam cum adhuc fœtata in aluo puerum contineret, similibus ad illum sæpè usam verbis, quibus Parens ejus David : *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Quasi diceret illi : O mi Jesu, fili uteri mei, dilecte votorum meorum. Sol meus & lux mea, salus, vita, & gloria omnium te desiderantium ! Tu nosti, quomodo cor meum tuo amore succensum nonnisi de te, & pro te, cogitationes eliciat & affectus. Tecum loquitur intus, tibi unione indicibili se conjungit, in te magis est, quam in se. Tu etiam nosti quod idem cor amore tui ardens, summum in me desiderium excitat, ut faciem tuam desiderabilem requiram : ut quem agnosco interius operantem, exterius tandem valeam adorare nascentem. Exquisivit igitur te facies mea ; faciem tuam requiram, & instanter requiro. Hæc est deprecatio cordis mei, ut faciem faciei, oculos oculis, frontem fronti, labia labiis, brachia brachiis tandem conjungere valeam. Nec cessabunt gemitus & desideria suspirantia, donec te videam foris sugentem ubera mea : donec adorem te in sinu meo, sinu matris, quem cernunt & adorant Angeli in sinu æterno, *Psal. 26.*

sinu patris. Certè nemo amantium Christum ullo tempore (quamvis multi & magni fuerint) id verius, vel majori cum affectu pronunciare potuit, quam MARIA. Quia cor Seraphicum Virginis sicut omnes amore, sic & desiderii fervore superavit.

LECTIO IV.

De secunda causa gemitus Turturis.

SEcundam causam gemitus Turturis, sive Ecclesiæ, diximus esse dolorem, quem concipit ex eo quod Adventus Filii Dei : & redemptio per eum facta, multis reddatur ineffieax & inutilis, eorum culpâ & socordiâ. Monet ergò ipsa filios suos cum gemitu, sacro tempore Adventus, ut huic rei advigilent, stentque super custodiam suam, & videant quid respondeant sint ad arguentem se, si frustranea eis fuerit Incarnatio, Nativitas, redemptio, sanguis effusus JESU CHRISTI. Graviter enim & frequenter ea de re conqueritur ipse, sacris in litteris. Unde apud Isa. sic ait : *In vacuum laboravi, sine causa & vanè fortitudinem meam, consumpsi; ergo judicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo.* Quasi dicat Patri. Tu scis, ô Pater, me nullis pepercisse laboribus pro hominum salute ; hoc erat opus ad quod me miseras, & munus istud meũ omni conatu adimplere curavi. Interim frustra in multis, ut video, laboravi, frustra animi corporisque vires impendi, frustra pro eis sanguinem ipsum expendi. Tu porro esto Judex, nam opus meum apud te est ; & decerne inter ipsos & me, num ex parte meâ aliquid defuerit, num potiùs ipsi sibi defuerint paratis sibi à me remediis salutis non utendo, sicque in caput suum certam damnationem accersendo. Eodem modo conqueritur apud Ezech. quod tanto sudore exantlato toto mortalis vitæ suæ decursu, maneant nihilominus animæ aliquæ immundæ, cum tamen sudorem suum etiam sanguineum in animarum ablutionem obtulerit, simulque ignem ardentissimæ charitatis adhiberit, ut omnis eraderetur & excoqueretur inveterata immunditia & rubigo. Sic enim loquitur animæ induratæ & reprobæ : *Multo labore sudatum est, & non exivit nimia rubigo, neque per ignem. Immunditia tua execrabilis est, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus.*

Deus Ingratitudinem peccatorum execratur Isa. 49.

Ezec. 24.

Et porrò quis non videat justam esse Christi querelam de his qui pereunt, pretiumque redemptionis sibi acquisitum aspernantur ? Ostendamus istud similitudine. Audi : Est aliquis apud Barbaros tetro in carcere detentus ; Pater vero ejus miseriæ condolens, divenditis omnibus, patriâ relictâ lytrum & redemptionis pretium tulit secum. Tandemque variis in via laboribus, injuriis, vulneribus confectus, ad finem pertingens eum invitat ad reditum persoluto pretio : immo ei repræsentat gemitus matris charum gnatum expectantis, fratrum lachrymas, amicorum collachrymantium vota. At ille, nescio quo ingratitudinis spiritu ductus & excæcatus, aspernatur patrem pretiumque allatum, & tot labores susceptos, matris gemitus, fratrum vota contemnit : vult in carcere manere, amat vincula, negligit paternam domum & dona. An non hic cæcitas & ingratitudo summè execrabilis ? Nonne is turpissimâ & dirissimâ nece dignus ? Quid aliud eheu faciunt homines, venundati sub peccato, captivi sub diabolo ? Pater æternus per filium suum data passum offert pretium redemptionis, invitat ad reditum in domum paternam, ubi tot Sanctorum animæ eos expectant, tot fratres, tot amici condolentes miseriis eorum, & interim tantum beneficium aspernantur. Nec tanti Patris dilectionem, nec filii redemptionem, nec sanguinem fusum pro pretio, nec cœlestia gaudia, nec Ecclesiæ matris gemitus, nec desideria Angelorum aut Sanctorum æstimant ; in peccatis suis & vinculis hærere malunt, & æternæ morti æternisque ignibus victimas se vovere. O cæcitas ! ô ingratitudo ! ô abominatio sanguineis lacrymis deploranda !

Talem igitur mentem amentem à filiis suis aver- *Ecclesia, mater* tere enitens Ecclesia, mater pientissima, monet illos etiam cum gemitu & lacrymis, sacro isto tempore *pientissima.* quo Adventum Sponsi sui rememorat ; hortaturque seriò maternis ex visceribus, ut ponderent, & plene considerent tot Dei dona, tot favores cœlestes, tot thesauros & divitias salutis in incarnationis mysterio comprehensas, ipsisque exhibitas : simul obsecrans, ne eas socordia suâ perire, aut sibi inutiles reddi patiantur. Quomodo enim qui filium dedit, nonne & omnia simul cum illo nobis donavit ? Considerari *Amor* igitur optat, & in pondere Sanctuarii appendi hanc *Dei, a-* Dei dilectionem, hunc profusissimum amorem, quem *more* nonnisi cordatissimo amore possimus compensare. *compen-* Hinc Aug. *Ama amorem illius, qui amore amoris sandus.* *tui descendit in uterum Virginis ; & amorem suum a* *cap. 4. de* *morituo copulavit, humiliando se, sublimando te, con-* *Cat. rud.* *jungendo lumen Æternitatis suæ limo mortalitatis tuæ.* Sic & fratres suos eadem consideratione exhortans, *serm. de* dicebat S. Bernardus *Profit nobis, Fratres, tanta charitas* *Nativ.* *quam nobis Deus Majestatis exhibuit, tanta humilitas quam suscepit, tanta benignitas qua nobis per humilitatem Christi apparuit : & agamus gratias Redemptori, per quem nobis innotuit tam bona erga nos voluntas Dei Patris. Tale enim est cor Dei Patris erga nos, quale nobis expressit qui de Patris corde processit.* Similibus vocibus materno ex affectu prodeuntibus filiorum corda pulsat, ut valeat ab illis ingratitudinem omnem propulsare.

Deinde, condolens his qui in tenebris & cæcitate, letali quondam torpore detinentur, forti eos excitat clamore, vellicat eis aures non sine gemitu & mœrore, ne eos contingat somnum conjungere æternâ cum morte. Jubet ergo oculos aperire, lucem adspicere rutilantem, ac excusso peccati mortisque sopore respirare ad vitam. Propterea voces illas intonat & per præcones suos in pulpitis ubique resonare jubet :

Fra-

Rom. 13. *Fratres, hora est nos de somno surgere; nunc enim propior est nostra salus. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum.* Et rursum ad lachrymas invitans, sic ait: *E sursum Agnus mittitur laxare gratis debitum: omnes pro indulgentia vocem demus cum lachrymis.* Videsne vocem Turturis pro filiis suis gementis, & ad gemitum eos secum excitantis? Sed & ad Redemptorem à Patre semel in carne visibiliter missum, nunc verò invisibiliter salutis nostræ perficiendæ ac Redemptionis consummandæ gratia venientem, gemebunda vota convertens, pro illis maximè qui sub regno satanæ in captivitate peccati detinentur, inclamat: *O Sapientia*, veni ad docendum eos viam prudentiæ, viam salutis & vitæ. *O Adonai*, veni ad redimendum eos in brachio extento. *O Radix Iesse*, veni ad liberandum eos è captivitate; jam noli tardare, ne appropinquent perditioni æternæ. *O clavis David*, aperi eis domũ carceris, ut exeant: aperi januã tuæ pietatis, ut inrent. *O Oriens* splẽdor lucis æternæ, illumina eos sedentes in tenebris & umbra mortis. *O Rex gentium*, salva eos quos de limo formasti. *O Emmanuel, Legifer & Salvator*, veni ad salvandum eos, Dominus Deus eorum. Quid aliud his & similibus vocibus intendit Turtur & Columba gemens, nisi Salvatorem deprecari, & obsecrare ut non sit frustraneus adventus ille quo semel venit visibilis in terris: nec frustranea sit illa redemptio pro tot millibus animarum, quæ adhuc in peccatis hærent damnationi æternæ obnoxiæ, nisi eruantur, & auxiliaris manus eis præbeatur? Auxilium ergo istud ab eodem Salvatore gemebundis vocibus postulat, ut qui semel venit visibiliter, millies dignetur venire invisibiliter, ad sanctificationem animarum, ad eruendas eas è luto, & eluendas eas ab omni peccato. Obsecrat ut misereatur nostræ infirmitatis & captivitatis, ignorantiæ & cæcitatis, propter quam toties relabimur in vincula & peccata, sub illis gemere coacti.

Nulli peccatorum desperandum.

Denique filios suos his ipsa vocibus animat, ut numquam desperent, quantumlibet in profundo vitiorum jaceant, quibuslibet vinculis colligati, quantumlibet inveterati, in captivitate & inolita consuetudine peccandi, quibuslibet in tenebris, etjam in umbra mortis detenti. Etenim de profunda abyssi voragine clamare eos docet gemebundis his vocibus, certò sibi persuadendo, quod adhuc Salvator prope sit, ut misereatur & succurrat, ut manum porrigat & eruat, ut tenebras fuget, ipsamque mortem. Tempus adhuc miserendi, adhuc venit tempus; solum ore & corde per desiderium & ardentes preces dilatato, ex intimis est præcordiis invocandus. Non est abbreviata manus ejus, ut possit salvare. Novit modum salvandi tanquam sapientia Patris; potest id tanquam Deus fortis, Deus salutis; vult idipsum tamquam misericors, miserator, & justus. Et verum est, consideratione que digna illud Prophetæ: *Expectat Dominus, ut misereatur vestri, & exaltabitur parcens vobis: quia Deus judicii Dominus, beati omnes qui expectant eum. Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus, non est qui consoletur eam ex universis charis ejus, omnes spernentes eam quasi inimicam.* Plorans nequaquam plorabis, miserans misereberis tui, ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi. Nempe excitatur subitò ad vocem oviculæ perditæ Pastor, ad vocem pulli gallinæ, ad vocem filii Pater, ad vocem captivi Salvator. *Et eduxit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.* Invocandus ergo cum gemitu, sacro quem constituit tempore, quærendus dum inveniri potest, invocandus dum prope est; ait enim: *Tempore accepto exaudivite, & in die salutis adjuvi te.* Tempus quo rememoratur Adventus ejus, tempus est acceptabile, dies salutis.

Isai. 30.

LECTIO V.

De tertia causa gemitus Turturis.

TErtiam causam gemitus Turturis nostræ, diximus esse adspirationem ardentem ad ultimum Adventum Christi, & perfectum regnum ejus. Ad illud enim cum gemitu tendunt justorum desideria, deplorantium incolatum suum adeo prolongatum, & conversationem cum habitantibus Cedar, cum his qui oderunt pacem, cum Carne, Satana, & Mundo. Gemunt tam longam moram in Babylone, & confusione, nis civitate cum ipsi sint Filii Sion & Jerusalem æternæ; ad id nati, ut in ea gaudeant in perennantis pacis visione. Unde hic est illorum planctus: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion. In salicibus, in medio ejus, suspendimus organa nostra.* In quem locum S. Augustinus dicit; Quid est Sion nisi ubi decet Hymnus Deum? Quæ sint ergo flumina Babylonis, nisi omnia quæ hic amantur & transeunt? Et quid est nostrum sedere & flere in recordatione Sion, nisi suspirando dicere: O Sancta Sion ubi totum stat & nihil fluit! Quis nos in ista flumina præcipitavit? Quare dimisimus conditorem tuum, & societatem tuam? Ecce inter fluentia & labentia constituti, vix quisque raptus à flumine, si tenere lignum potuerit, evadet. Certè si cives sumus Sion, tion tantum hæc cantamus, sed & agimus. Si cives sumus Sion, in ista vitâ, in ista confusione hujus sæculi, in ista Babylonia non cives habitamus, sed captivi detinemur. Oportet ergo, ut non tantum ista decantemus, sed & faciamus, & ficamus affectu cordis pio, religioso desiderio æternæ Civitatis. Hæc S. Augustinus. Hoc etiam docebat David, in persona justorum, dicens: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie. Ubi est Deus tuus. Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum Tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.*

Psal. 136.

Psal. 41.

Iustorum gemitus ex multis oritur.

Cæterum, justi in hoc sæculo, qui sunt membra præcipua Turturis & Columbæ gementis, non solum, gemunt propter se, desiderantes Regnum Dei, ut liberi sint ab hac peregrinationis tædiosa afflictione; sed & maximè propter totum corpus

Ecclesiæ, mysticum scilicet Christi Corpus, ac propter ipsius Christi gloriam ad adventum ejus ultimum suspirant. Quia nimirum tunc finem accipiet peccatum, quod adversatur gloriæ ejus. Tunc concupiscentia, & alia vulnera è primigenio peccato exorta, longè erunt à corpore ejus, quod est Ecclesia. Tunc implebitur numerus electorum & prædestinatorum, & ruinæ cœlestis Jerusalem adimplebuntur. Tunc finietur omnis captivitas, fugiet omnis metus, omnis rebellio, recuperatâ pace perfectâ cum Deo, cum Angelis, cum carne, cum exteriori & interiori homine. Ergo tunc Regnum Christi & Salvatoris nostri perfectâ quâdam ratione inchoabitur in electis, destructo penitus regno peccati & satanæ, subjectisque inimicis suis sub pedibus; nullis in ejus regno existentibus scandalis, nullo existente qui regno desit, aut cui quicquam in fœlicissimo illo regno desit.

An non igitur meritò filii Dei, Patris sui gloriam quærentes, regnique istius futuri consortes, ardentibus votis exoptant, ut cito adveniat Salvator sic perfectè regnaturus? An non etiam meritò donec id adimpleatur, ingemiscunt? Nos verò appositè desiderium istud indicari asserimus, per illas septem gementis Turturis voces; *O Sapientia, ô Adonai Dux domus Israël, ô Radix Iesse, ô Clavis David, ô Oriens, ô Rex gentium, ô Emmanuel*: Etenim voces illæ gemebundæ ad Christum diversis titulis directæ, non aliud deposcunt, quam consummari redemptionem illam, ob quam primus ejus adventus fuit, nobisque per illum dari hæreditatem ejus sanguine acquisitam: ut tandem finitâ omni captivitate, regnemus cum ipso, & ipse in nobis. Atque ut singulas has voces breviter perstringamus: Quid aliud *prima* postulat, quàm Sapientiam Æternam ad nos à Patre missam, ad terminum ultimum perducere opus suum, electorum numerum adimplendo? Quid deinde aliud *secunda* poscit, quam ut Salvator Christus, Dux domus Israel, Dux electi populi, illum in terram promissam introducat? Quid vero *tertia* aliud flagitat, quàm ut Christus, qui vexillum crucis erexit, sub illo militantes ab hostibus omnibus & periculis liberos; tandem in Ecclesiam Triumphantem perducat? Quid porro *quarta* aliud obsecrat, quàm ut is qui tenet clavem David cum sceptro Israel, Regiæ suæ civitatis portas nobis aperiat, & introducat? Quid *quinta* aliud intendit, quàm ut is qui Oriens ex alto per viscera misericordiæ suæ nos visitavit, tandem dirigat pedes nostros in viam æternæ pacis? Quid *sexta* aliud rogat, quàm ut is qui dicitur Rex gentium & Salvator earum, perfectè eis dominetur, suppeditato satanæ & peccati regno? Quid denique *septimum* aliud inclamat, quàm ut is qui est Emmanuel, Nobiscum Deus, postquam nobiscum commorari dignatus est, hoc brevis nostri ævi tempore, tandem dignetur nos secum collocare, in nunquam terminanda Æternitate? Sic ergo gemebundæ voces istæ ad regnum Christi gloriosum sacræ sunt adspirationes, à cordibus pijs ad hunc scopum ejaculandæ.

Rectè observat S. Augustinus ante Adventum Christi, omnium Sanctorum desideria fuisse in ipsius Christi incarnatione tendentia. Post Christi vero incarnationem, passionem, resurrectionem, ascensionem, omnium Sanctorum desideria esse in Adventum Christi gloriosum tendentia, in quo perfecta erit felicitas omnibus qui ejus adventum dilexerint. Sic dicit Apostolus. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex; non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum ejus.* Est itaque JESUS CHRISTUS velut centrum in medio circumferentiæ; & omnium justorum desideria sunt velut lineæ à circumferentia ductæ, tendentes ad centrum istud directè. Antiquorum justorum desideria & gemitus illum respiciebant, ut venturum in carne; nostra vero desideria & gemitus illum spectant ut venturum ad judicium cum gloria & mercede. Antiquorum desideria expectabant adventum & ortum parvuli amabilis nimis in civitate terrena: nos expectamus beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei in civitate superna. Interim omnes utrimque clamamus: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, sive qui præcesserunt eum, sive nos qui subsequimur, quia ipse est Salvator priorum & posteriorum. Ipse est constitutus in medio *Moysis & Eliæ*: ipse salvat Moysen defunctum, suspirantem ad faciei suæ visionem: salvabit & Eliam adhuc viventem, ejus adventum ultimum inter ultimos expectantem.

Aug. in Psal. 118. Conc. 20.

2. *Tim. 4.*

Omnia olim Sanctorum desideria, Christum respiciebant.

Ergo & nos sacro hoc tempore triplicem adventum rememoremus, *visibilem* in carne, *invisibilem* per gratiam in spiritu animaque nostras; *gloriosum* in sæculi consummatione; & suspiremus cum gemitu & voce Turturis ad postremum. Hoc enim est proprium filiorum Dei, dicente Apost: *Nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, exspectantes redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus* Immo addit: *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc.* Si res creatæ omnes quodammodo ægrè ferunt, & cruciantur, quod cogantur sub peccati regno servire, peccatoribus frequenter illis abutentibus contra Dei obsequium & à fine verò eas detorquentibus, qui est per obsequium homini exhibitum Deo famulari: Si ingemiscunt, & quodammodo parturiunt optantes liberari ab hac corruptionis servitute, ab hac subjectione, qua vanitati nolentes sunt subjectæ: Quid nobis igitur faciendum, quantopere ingemiscendum, ut tandem à regno peccati liberemur, & à vanitatis servitute, cui obnoxii sumus, & ut consortes simus libertatis perfectæ, ac gloriæ filiorum Dei, quando destructâ morte & pec-

Rom. 8.

peccato, erit Deus omnia in omnibus ? Veni ergo citò Domine Jesu, Sapientia æterna, Dux Israel, Rex noster, Splendor lucis æternæ, & Sol gloriæ; nosque æternitatis tuæ, regni, ac luminis fac consortes. *Spiritus & Sponsa dicunt, Veni* Et nos audimus, & dicimus; Veni. Et tu dicis; *Etiam venio cito.* Et nos dicimus, *Amen.* Veni Domine Jesu.

Apoc. ult.

LECTIO VI.

De prima voce Turturis.

Septem voces Ecclesia exprimit, ut supra diximus, quibus universim insinuat & comprehendat omnia desideria justorum, tam antiqui, quam novi testamenti, tendentia in Christum Salvatorem, principium & finem omnium desideriorum. Nempe septenario numero ferè solet universitas designari, estque mysticus omnino sacris in litteris, tam antiquis quam novis. Notum est in antiqua Scriptura de septem columnis quas excidit *Sapientia* : de septem lotionibus *Naaman* in Jordane de septem aspersionibus leprosi: de septem tubis Jubilæi: de septem crinibus *Sampsonis*: de septem oculis in lapide uno: de septem spicis *Pharaonis*, & similibus multis. Notum etiam in Scriptura nova, de septem stellis, de septem sigillis libri agni, de septem stellis & lucernis, de septem cornibus agni, & similibus plerisque. Denique Oratio Dominica septem constat petitionibus, & in cruce septem verbis suum Christus Testamentum consummat. Ergo & Ecclesia rectè septem vocibus utitur, ut desideria omnia justorum appropinquante Christi expectati ortu exprimat prima vox.

Septenarius numerus mysticus.
Prov. 9.
4. Reg. 5,
Judic. 16,
Gen. 41.

1. *O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter, veni ad docendum nos viam prudentiæ.*

Hæc vox tripartita est.

Secunda in divinis personæ multis exprimi solet nominibus sacris in litteris : quia nimirum perfectiones & proprietates ejus uno nomine indicari nequeunt. Quapropter, ut connaturalis & consubstantialis Patri ostendatur, *Filius* nominatur. Ut ostendatur in nullo dissimilis Patri, *Imago* dicitur, & *Figura Substantiæ ejus*. Ut ostendatur coæternus, appellatur *Splendor & Candor Lucis æternæ*. Ut declaretur immaterialiter genitus; dicitur *Verbum*. In *Principio erat Verbum*. Ut per intellectum procedere designetur, dicitur *Sapientia Patris*. Itaque ad filium Dei dirigitur vox ista: *O Sapientia quæ ex ore Altissimi prodiisti!*

Prima partis explicatio.

Heb. 1.

Considerationem quoque dignum est, quod generatio ista æterna. quæ nobis ineffabilis est, variis modis metaphoricis exprimatur ; ut ad eam concipiendam ab humanis ad divina noster assurgat intellectus. Primo. Aliquando dicitur ex utero Patris genitus, sive ex vulva & matrice Patris, ut Hebræa loquuntur, Ex *utero ante Luciferum genuite*, ipsi quid Pater æternus. Et sensus est: Ego te genui, non ex nihilo, sicut res alias creatas: sed ex fœcunda substantia mea, tamquam filium connaturalem & consubstantialem, & quidem ante Angelum primum, ante omnes stellas, ante omnem creaturam, ante omnia sæcula. Fœcunda substantia paterna instar matricis est, & instar uteri æterni filium generantis & concipientis ; quia in illa generatione & conceptione Patris & Matris officium simul gerit is qui generat & concipit. Nec extra se generat, sed intra; & quem generat utero æterno instar Matris portat. Secundo. Quandoque etiam dicitur procedere è sinu Patris filius, illique inesse. Sic ait Sanctus Joannes: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit nobis.* Sinum Patris appellat, Evangelista, quem Psalmista Uterum appellaverat, inquit Sanctus Augustinus in Psalmis. Ex illo ergo sinu procedit, & in illo coexistit Patri coæternus, Patri dilectus & intimus, in ejus sinu & gremio secreto æternum recumbens, secretorum omnium conscius, quæ nobis enarravit. Tertio. Aliquando etiam dicitur procedere è corde Patris. Est enim filius cordis, amore infinito & æterno à Patre intimè dilectus : & nos in ipso dilecti sumus; nec nisi per ipsum Patri placent, quicumque placent: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* De ipso ergo dicit Sanctus Bernardus. *Tale est cor Dei Patris erga nos quale nobis expressit, qui de Patris corde processit* Et iterum alibi ait: *Sapientia Paterni cordis fructus est uteri Virginalis.* Quarto. Denique dicitur ex ore Altissimi prodire, tamquam Sapientia & Verbum Patris. Unde de se sic ait: *Ego ex ore altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Nempe instar Verbi ab æterno à Patre suo processit: Patremque generare filium in divinis, non aliud est, quam Verbum suum dicere, illud quidem Verbum, de quo Joannes. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* De quo & subdit. *Et Verbum Caro factum est.* Semel ergo ab æterno loquutus est Deus; producens hoc Verbum: sed & in æternum loquitur, quia producit verbum suum in æternum. Et productio illa non transit, aut præterit, sed semper in Deo manet: Idemque est in ipso, gignere & genuisse, loqui & locutum esse.

Filij Dei æterna generatio qualiter concipienda.

Psal. 109

Joann. 1.

Psal. 109.

Eccl. 24.

Joann. 1

At Verbum istud Æternum & Internum Pater in Tempore exterius voluit carne vestire, ut per illud nobis jam loqueretur : non locutione ad intra & immanente, ut loquuntur Theologi ; sed locutione ad extra voluntatem suam nobis manifestante, ad notitiam suæ divinitatis nos ducente, & tandem etiam ad participationem æternæ suæ gloriæ perducente. Ideo ergo ad Verbum illud Increatum, ad Sapientiam illam Æternam inclamamus: *O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, veni nunc ad docendum nos viam prudentiæ*, viam æternæ vitæ, ob quam causam mitti te oportuit à Patre.

Et certè multæ sunt rationes à Sanctis etiam Patribus insinuatæ, cur potius congruum fuerit venire Verbum incarnatum, quam Patrem aut Spiritum S. licet æque Pater & Spiritus sanctus carnem sumere, *Dei cur*

præ cæteris personis incarnatus.

& redimere mundum potuissent, ac filius. Quæ quidem rationes etiam faciunt, ut ad ipsum potius vocem dirigamus, quàm ad Patrem aut Spiritum Sanctum. Has verò rationes breviter percurramus, licet alibi iterum meminerimus.

Ratio.

Prima quidem ratio sumi potest ex parte primi peccati, à Protoplasto commissi, cui ut remedium Incarnatio ordinabatur. Peccârat enim primus homo appetendo scientiam boni & mali à Serpente promissam: congruum ergo erat, ut per Verbum veræ Sapientiæ, & per illum in quæ thesauri scientiæ sunt reconditi, homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum scientiæ recesserat à Deo. Cum ergo ruinæ occasionem dederit appetitus scientiæ & similitudinis Dei, quæ spe erat ad filium: ideo filius venit, ut illam ruinam repararet, quàsi diceret cum Jonâ: *Si propter me orta est tempestas, mittite me in mare.* Hanc rationem affert, & explicat Sanctus Bernardus. Itaque, Sapientia quæ ex ore Altissimi prodijt æterno, in tempore venit, ut satisfaciat pro insipientia & peccato, quod prodijt ex ore primi hominis de ligno scientiæ comedentis. Propter damnum ligni scientiæ boni & mali, lignum veræ sapientiæ & scientiæ salutis, adest modo in medio nostri. Parens noster ex superbia insipienter appetijt divinitatem, ex erroneo promisso serpentis: *Eritis sicut Dii.* Nobis verò posteris ejus ex humilitate sapienter idem appetentibus, divinitatis suæ consortium impertitur filius ex vero promisso & profusione bonitatis suæ, dum nobiscum conversari in carne dignatur.

Ioann. 1. Ser. 1. de Adventu

Ratio 2.

Secunda desumitur ex eo quod homo ad imaginem Dei conditus, hanc imaginem deformarat, imaginem peccati superinduceus, characterem Satanæ. Congruum ergo fuit, ut verbum (quod est imago Patris ac figura & character substantiæ ejus) veniret: & sic imago imagini succurreret, primitivumque decorem, velut sigillo iterum impresso, renovaret. Hæc est ratio S. Ambrosij dicentis: *Verbum Dei ad eum qui est ad imaginem, id est, ad hominem venit: & quærit imago eum, qui est ad imaginem sui, ut iterum signet, iterum conformet.*

S. Ambr. in ps. 118.

Resp. 3. 2. p. q. 3. a. 8.

Tertia est *S. Thomæ*, quæ ex eo desumitur, quod finis incarnationis sit adimpletio prædestinationis eorum scilicet qui præordinati sunt ad hæreditatem cœlestem, quæ non debetur nisi filijs. Congruum ergo fuit, ut per eum qui est filius naturalis participarent similitudinem hujus filiationis per adoptionem. & ut per eum ad hæreditatem filij adoptivi reducerentur. Venit ergo filius æterni Patris & dedit *potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Hoc est, dedit nobis hanc dignitatem & excellentiam, & per fidem & baptismum, per spirituale semen divinæ gratiæ, longè sublimiorem habeamus generationem, quam quæ fit ex sanguine commixto diversi sexus, & ex voluntate seu concupiscentia viri & mulieris: dedit generationem scilicet planè divinam, quâ ex Deo nascimur, quam & filiatio divina in nobis consequitur. Quam quidem filiationem si conservaverimus (cujus rei potestatem dedit, quia eam nobis nemo auferre potest, nisi nos ipsi eam abjiciamus, & ei renunciemus) certo etiam hæreditatem æternam eandem cum ipso assequemur. O *magna benevolentia!* inquit Sanctus Ambrosius. *Unicus natus est, & voluit manere unus, non timuit habere coheredes, quia hæreditas ejus non fit angusta, si eam multi possederint.* Ad hunc itaque finem venit ut ad hæreditatem illam deduceret filios adoptivos, fratres jam suos. Et ad hoc factus est filius hominis, ut filios hominum faceret filios Dei non solum inani nomine sed etiam verâ divinæ naturæ participatione.

Ioann. 1.

Quarta est *Divi Damasceni*, quæ ex eo desumitur quod homo per Verbum est factus; est enim Verbum exemplar & Sapientia, per quam facta sunt omnia: Congruum ergo fuit, ut per eandem Sapientiam incarnatam omnia instaurarentur, & ad excellentiorem dignitatem promoverentur. Unde dicit Apostolus. *Proposuit Pater in ipso instaurare omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris.* Etenim, interprete S. Augustino. Per ipsum instaurantur quæ in cœlis, dum quod in Angelis lapsum est ex hominibus redditur, & quæ in terris, dum homines à vetustate corruptionis renovantur, & restaurantur ad vitam æternam. Hanc itaque hominis reparationem, & in ipso Universi restaurationem, fieri per Verbum & Sapientiam Patris incarnatam decebat, per quam omnia primitus perfectè facta erant. Solet enim Artifex per primum conceptum suum, per primum exemplar in mente, opus suum restaurare. Quapropter ad Sapientiam æternam merito inclamamus: *O Sapientia quæ ex ore Altissimi prodiisti,* non solum processione æternâ, quâ ab æterno Verbum Tuum Pater loquitur; sed & initio temporis, quando *ipse dixit, & per Te facta sunt omnia. & sine Te factum est nihil, quod factum est.* Veni etiam nunc in medio temporis, ut per te restaurentur omnia, quæ per peccatum hominis corrupta sunt vel dilapsa. Veni, ô Sapientia, quia tu es exemplar perfectissimum in Æterni Patris mente, per quod proposuit opus suum in integrum restituere, & restaurare.

Resp. 4. Orat. 1. de Nativ.

Ephes. 1. Enchiri. c. 62.

Porro id jam nobis latius explicandum est, quomodo omnia per Sapientiam a Patre instaurentur & perficiantur, quod in subsequentibus verbis indicatur *Attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter.*

LECTIO VII.

De Secunda Parte

Attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter.

NOtissimum est ex Scripturis, Patrem æternum per Verbum & Sapientiam omnia condidisse

dilisse, conservare, regere, ordinare, & ad fines suos perducere suaviter & fortiter: hoc est, sine violentia, & tamen efficaciter. Quia scilicet operatur in eis non solum motum, sed & modum naturæ congruum, ut effectum suum unumquodque suaviter producat, & finem suum assequatur. Et hæc Sapientiæ operatio nota est, non solum in naturalibus, sed & maximè in supernaturalibus, non solum in esse naturæ, sed potissimum in esse gratiæ ubi & virtus & suavitas ejus maximè elucescit. *O si possemus comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, sublimitas & profundum.* Sapientiæ hujus! Latitudo ejus ex creatione cognoscitur; Longitudo ex conservatione rerum creatarum; Altitudo ex opere redemptionis; Profunditas ex providentia & prædestinatione. Sed paucis disseramus, quomodo attingat à fine usque ad finem in rebus naturalibus; ac deinde quomodo in rebus supernaturalibus.

Ephes. 3.

Quomodo Sapientia attingat omnia à fine ad finem in rebus naturalib. Prov. 8.

Primo igitur, quod spectat ad rerum naturalium creationem, ordinationem, conservationem, notissima sunt quæ de se Sapientia eloquitur. Priori quidem loco sic dicit. *Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum. Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Nempe de Sapientia Dei omnia creata sunt, tamquam de idæa Architecti, quam ante omnia opus est in mente ipsius esse, ut in ea videat omnium faciendorum rationes, numerum, & mensuram. Sic ergo fuit Sapientia in mente Dei, præcedens omnia ab æterno. Deinde secundum illam operatus est in tempore, & effudit illam super omnia opera sua, quia in illis omnibus Dei Sapientia mirabiliter relucet, & quo sunt perfectiora opera, eò magis admiranda Sapientia. In cœlo, luna, stellis, in elementis, admirabilis resplendet Dei Sapientia; multo magis in hominibus & Angelis. Posteriori loco sic iterum: *Ego feci ut oriretur in cœlis lumen indeficiens, & sicut nebula omnem terram obtexi.* Hoc factum est primo die, quando tenebræ erant super faciem abyssi, sive etiam quia posti lumen creatum fecit diei succedere noctem, quâ velut nebulosa caligine omnem terram suo tempore obtegit. Addit: *Gyrum cœli circumivi sola, & profundum abyssi penetravi, & in fluctibus maris ambulavi, & in omni terra steti.* His omnibus indicat Sapientia, se semper ab initio omnia superiora & inferiora moderatam fuisse: nihilque esse adeo altum aut profundum, latum vel amplum, ad quod ipsa non pertigerit creando, regendo, disponendo.

In omnibus Dei operibus sapientia relucet. Eccl. 24.

Itaque, *à Sapientia à fine usque ad finem pertingente & omnia suaviter disponente*, provenit ordo ille Hierarchicus in Angelis, ordo ille refulgens in cœlis in Sole, luna, & stellis, quæ dicuntur in Scriptura, *Militia Cœli*, quasi acies ordinata Dei. Ab illa provenit subordinatio illa & qualitatum variegatâ teperies in elementis, diversitas & pulchritudo tanta in plantis, arboribus, & vegetabilibus, cum fœcunditate conjuncta, ut unumquodque fructum producens attingat finem suum. Ab illa est varietas illa speciei in animalibus; ac in corpore hominis aliorumque animalium tanta membrorum, arteriarum, nervorum, musculorum, venarum ordinata series in anima verò, potentiarum diversitas, in intellectu, voluntate, memoria, in quibus relucet Imago Dei. Adde, quod omnia disposuerit in *numero, pondere & mensura.* Et hic est Sapor quo condivit omnia Deus, ut ex eo sapore cognoscamus, quam sapida sit ipsa Sapientia, & quam amabilis & desiderabilis. Res nimirum creatæ omnes certam habent mensuram, certum numerum, certum pondus. Tum ut distinguantur à Deo; qui non habet mensuram, quia est immensus; nec numerum, quia est summè unus & simplex quo ad essentiam; nec pondus, quia ejus æstimatio & pretium superat omnem æstimationem & pretium. Tum ut bonæ & pulchræ sint: *Vidit Cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Habent igitur cunctæ res eam mensuram quæ necessaria est ad finem consequendum, cujus gratia factæ sunt: nec potest illi mensuræ aliquid addi vel detrahi, quin res deformis, vel inutilis, ac per hoc minus bona reddatur, dicente Ecclesiasti *Cuncta fecit Deus bona in tempore suo, nec possumus eis quicquam addere, vel detrahere, quæ fecit Deus ut timeatur.* Cœlo dedit mensuram amplissimam, quoniam omnia inferiora ambitu suo complecti debet. Aëri minorem quam Cœlo, sed majorem quam terræ & aquis, quæ unum globum efficiunt & ab aëre undique continentur. Elephanto maximam corporis mensuram dedit, ut onera maxima & ipsas turres hominibus refertas portaret. Equum paulo minorem fecit, ad unum equitem ferendum. Aviculas minutas fecit, ut in ramis arborum nidum suspendere possent. Apes & formicas minutissimas, ut in foraminibus vel alveariorum vel terræ delitescerent. Idem de numero dicere possumus, quod res in tali numero fecerit Deus, qui necessarius foret ad finem consequendum, cujus gratia factæ sunt. Unum creavit Solem, quia ad illustrandam totam terram unus satis erat. Lunam unam, quia ad noctem illuminandam sat erat. Stellas plurimas, ad pulchritudinem; & ut cum sol & luna abessent, tenebras noctis utcumque discuterent. Adde quod singulis rebus numerum partium constituit, qui nec augeri, nec minui potest. Sic dedit homini duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes, nasum, os, pectus caput unum: & res pulcherrima homo est. Si vero invertas ordinem, & homini unum oculum, duos nasos, unam aurem, duo ora, unam manum, unum pedem, duo pectora, duo capita ponas; nihil fœdius aut inutilius. Denique pondus, id est, æstimationem Deus unicuique rei attribuit, quam ejus natura requirebat. Nomine verò ponderis, sive pretij, intellige quali-

4. Reg. 13.

Sap. 11.

Omnes res creatæ certam habent mensuram,

Et numerum partium

Et pondus

litates, quæ bonas res & pretiosas reddunt. Hæc enim tria, res omnes perficiunt, Numerus partium qui necessarius est, ut nulla omnino desit; commensuratio, sive apta proportio partium; denique qualitates internæ & externæ, ut coloris suavitas in exteriori superficie corporis, & virtus interna, quæ ad actiones varias utilis vel necessaria est. Sic ergo à fine usque ad finem attingit Sapientia, & disponit omnia suaviter in rebus maximis, & in rebus minimis: ut etiam in minimo grano seminis virtutem inserat producendi radicem, triticum, ramum, folia, fructus maximarum arborum; ut & tribuat apiculæ tantam industriam & solertiam, cum tanta utilitate, ut dicat Sapiens,

Eccl.11. *Brevis in volatilibus apis, initium dulcoris fructus ejus* Et hæc quidem dicta sufficiant, ut intelligatur quomodo Sapientia omnia moderetur, quantum ad esse naturæ.

Verbum Dei supernaturalia suaviter disponit.

2. Sapientia attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter, non solum in ordine naturæ, sed & in rebus supernaturalibus, in ordine gratiæ. Patet id in efficacia illa & suavitate, quam ostendit in procuranda electorum salute, ut ipsi finem suum assequantur, juxta propositum pijssimæ voluntatis suæ immutabile. A fine enim usque ad finem attingit, ab æterno usque in æternum, à prædestinatione æterna usque ad glorificationem æternam, illos deducit variis auxilijs gratiæ efficacissimis, nulli tamen violentis. Adducit eos ad se, & ad finem à se præfixum destinat, vocando, alliciendo, monendo, illuminando, delectando, corripiendo, interius loquendo ad cor, terrendo, docendo, & infinitis alijs vijs quas ipsa sola novit Sapientia. Nemini tamen violentiam inferendo, quia si ex parte sua fortiter agit & efficaciter, ex parte tamen liberi arbitrij suaviter & congrue ejus libertati. Nempe ita suaviter cor emollit, ut ejus gratia etiam à duro corde non respuatur: Trahit ipsa cor, sed non invitum trahit. Trahit enim amore, trahit voluntate, trahit voluptate. Tractus

Osee.11. iste nequaquam est violentus, quia fit *in funiculis Adam, in Vinculis charitatis*: hoc est, fit per funiculos proportionatos cordi humano, cum quadam delectatione interiori, non cum aliqua violentia.

Tract.26. in Ioann. Quod simjlitudine quadam declarat Sanctus Augustinus. *Ramum viridem ostendis ovi, mox currit, trahitur, & quod currit trahitur, amando trahitur, cordis vinculo trahitur.* Quapropter etiamsi Spon-

Cant.1. sa in Canticis suis dicit: *Trahe me post te, curram*, non tamquam mancipium invitum, non tamquam currus inanimatus, sed curram, quasi attracta *in odorem unguentorum tuorum*. An odor unguentorum vim infert? Nonne suavitate delectabili attrahit? Sic & Sapientia attrahit electos odore suavè olentis gratiæ; & illos infallibiliter in finem suum transmittit efficacia suavi, suavitate efficaci. Idque fit tam variis modis & viis, ut in illius rei consideratione exclamare

Rom.11. cogatur Apostolus. *O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles vie ejus!* Aliâ viâ *Paulum* ad se trahit, aliâ viâ *Petrum*, *Paulum* per vocem & lucem vocat. *Petrum* per gallum cantantem, & oculum respicientem à peccato revocat. Alia via *Magdalenam* ad se allicit lachrymantem, alia via *Samaritanam* aquam vitæ sitientem. Alia viâ educit *Matthæum* sedentem in telonio. Aliâ viâ *Latronem* pendentem in patibulo. Aliâ viâ ad se convertit *Mariam Ægyptiacam* è libidinis luto, aliâ *Thaidem* vel *Pelagiam* è quæstu meretricio & prostibulo. *Deus diversimode homines attrahit.*

Interim hos omnes è peccato educens, & per vias sibi notas ducens, ad finem destinatum infallibiliter perduxit Sapientia, attingens fortiter disponens suaviter omnia quæ eorum salutem concernebant. *Indica mihi*, inquit Sapiens Job, *si nosti omnia, in qua via lux habitet, & tenebrarum quis sit locus: ut ducas unumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus ejus.* Utique, solius Sapientiæ divinæ est, id intelligere, sola novit vias suas investigabiles, per quas spargit lucem & æstum divini amoris in corda prius tenebrosa & frigida. Sola novit vias, per quas certo & infallibiliter deducit unumquemque ad terminum suum, & ad æternitatis suæ domum perducit. *Iob.38. Vide late de hu Cand. Myst. ita. 5, lect 2.*

Adde, quod Sapientia ita fortiter & suaviter disponit omnia pro electis, ut quæcumque eis accidunt, vertantur in eorum profectum. *Scimus enim quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt Sancti.* Omnia, inquam, tam adversa quam prospera, dolor, morbi, mors, tentationes, persecutiones, dæmon, Infernus, quin & ipsa peccata. Quia teste Sancto Augustt. *Prædestinati, ex casu humiliores, cautiores, & ferventiores resurgunt.* Attingit ergo Sapientia à fine usque ad finem, quia teste Apostolo. *Quos præscivit & prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* *Electis omnia vertuntur in bonum. Rom.8. Lib.de correp. & grat. ca.1 Rom.8.*

Denique attingit à fine usque ad finem. Nam *per Sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi, Domine, à principio*, inquit ipse Sapiens. Audi specialius. *Sap.9.*

1. *Hæc illum quiprimus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus custodivit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia sub imperio scilicet suo. Ab hac ut recessit Cain injustus in ira sua, per iram homicida fraternitas deperijt.* *Sap.10. Gen.4.*

2. *Cum aqua deleret terram, sonavit iterum, Sapientia per contemptibile lignum, justum Noe gubernans.* *Gen.7. & 8.*

3. *Hæc & in consensu superbia cum se nationes extulissent, scivit justum Abraham, & conservavit sine querela Deo, & in filiis misericordiam fortem custodivit, sive promissionem constantem de posteritate innumera.*

4. *Hæc justum Loth à pereuntibus impijs liberavit, descendente igne in Pentapolim, quibus in testimonium*

nium nequitia fumigabunda constat terra, & incerto tempore, id est intempestivos fructus habentes arbores; & incredibilis, sive incredula anima memoria stans figmentum, id est simulacrum & statua salis.

5. *Hæc profugum iram fratris justum Iacob deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei in visione scalæ mysticæ; & dedit illi scientiam sanctorum, & custodivit eum ab inimicis, & à se ductoribus tutavit illum, ab Esau scil. & Laban; & certamen forte dedit illi ut vinceret, luctans cum Angelo; & sciret quoniam omnium potentior est sapientia.*

6. *Hæc venditum justum Ioseph non dereliquit in vinculis, sed descendit cum eo in foveam, donec afferret illi sceptrum regni, & daret illi potentiam, adversus eos qui eum deprimebant: & mendaces ostendit qui maculaverunt illum, & dedit illis claritatem æternam.*

7. *Hæc populum justum Hebræorum liberavit à nationibus Ægyptiorum, quæ illum deprimebant. Et intravit in animam servi Dei Moysis, & stetit contra Reges horrendos in portentis & signis.*

8. *Et reddidit justis mercedem laborum suorum*, spoliatis scil. Ægyptiis, *& deduxit eos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum nocte; & transtulit eos per mare rubrum, inimicos autem illorum demersit in mare.*

9. *Et decantaverunt Domine nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudaverunt pariter: quoniam Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas; quia qui prius non audebant loqui pueri ac imperititi inter illos, etiam laudes tuas insonabant.* Sap. Cap. 10. *Ex quibus omnibus deducitur quomodo à principio sæculi se habuerit Sapientia erga electos, attingens fortiter, disponens suaviter omnia quæ eos concernebant. Ergo meritò invocatur illa ut veniat, dirigat, deducat, & viam prudentiæ nos edoceat.*

LECTIO VIII.

De Tertia parte.

Veni ad docendum nos viam prudentiæ.

HOmines hujus sæculi cæci & imprudentes per varias ambulant vias, sed obliquas distortas, & incuruas: ideoque non tam procedere censentur, ut ad metam & terminum viæ pertingant, quam in circuitu exerrare, impingere, corruere. Quamvis idipsi vix advertere velint, complacentes sibi in erroneo itinere, quasi in recto. Unde verum est hic illud Sa-
Prov. 14. pientis: *Est via quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem.* Nempe, plerique per philautiæ vitium, fascino quodam obductos habent oculos, sibique placentes suam vivendi rationem approbant, cum illa an fractibus plena eos ad præcipitium ducat, & interitum. Hoc illi serò agnoscunt, qui apud Sa-
Summa multorum imprudentia, Sap. 5. pientem dicunt gementes: *Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.* Via utique improborum difficilis est, quia lutosa in luxuriosis, tenebrosa in iracundis, spinosa in avaris, petrosa in detractoribus, cavernosa in simulatoribus, montuosa in superbis, inquit *Hugo Cardinalis.* Plerique etiam hominum prudentiam quidem amant, & exquirunt, sed prudentiam illam quæ est de terra, de quibus Baruch:
Filii Agar qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, *Baruc. 3.*
negotiatores terræ & Theman (est Civitas Idumeæ) *& fabulatores, & exquisitores prudentiæ & intelligentiæ: viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas ejus.* Quasi dicat: Multi sunt inter filios, *Agar*, inter *Chananæos* & *Idumæos*, qui profitentur, vel operam dant Sapientiæ & prudentiæ mundanæ, in mercimoniis, in negotiatione, in rebus nauticis & astrologicis, in Philosophia terrena, & fabulis Poetarum; tamen viam veræ sapientiæ & prudentiæ nescierunt, quin immò eam neglexerunt. Sic solent oculati & sapientes esse filii hominum in rebus sæculi; cæci & insipientes in rebus Dei. Prudentiam quæ de terra est, sectantur, eam quæ de Cœlo est, insectantur.

Prudens erat *Achitophel*. consilio suo & prudentiâ Reges & Principes moderans, fælici successu bella sceptraque ancipiti etiam in discrimine disponere gnarus. Sed prudentia ejus de terra; in Regum terræ negotiis apparuit: at in negotio cœlum æternamque salutem concernente, infatuata est, & disparuit. Nam fatuo consilio, propria manu parato suspendio, infeliciter, & æternum periit. Prudens quoque ille videbatur in Evangelio, qui solerti labore prævideratque de *2. Reg. 17.* annona copiosa domui suæ: unde jam seipsum ad quietem, & geniales dies exhortans, dicebat. *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, bibe, comede, epulare.* Sed dicitur ei: *Stulte hac nocte* *Luce 12.* *repetent animam tuam à te, & quæ parasti, cujus erunt?* Sic est qui sibi thesaurisat, & non est in Deum dives. Hæc nimirum est prudentia, de qua Dominus: *Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis, in generatione* *Luc. 16.* *sua.* Hæc non est prudentia spiritus quæ est vita & pax; sed prudentia carnis, quæ inimica est Deo. Hujus viam multi norunt, & sectantur; istius viam vel ignorant, vel aspernantur. De hac utraque pru- *Lib. 10.* dentia agens *S. Greg.* sic ait: Prudentia carnis, id *Mor. c. 1.* est, sapientia hujus mundi est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt fallacia demonstrare: honorum culmina quærere, adeptâ temporalis gloriæ va- *Differentia prudentiæ carnis & spiritus.* nitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere: cum vires suppetunt nullis resistentibus cedere; cum virtutis possibilitas deest, quicquid explere per malitiam non valet, hoc in pacifica bonitate simulare. Prudentia vero spiritus, id est, justorum sapientia est, nihil per ostensiones fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa evitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quàm facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumelias pati, lucrum putare.

Sed & maximè prudentia vera, tamquam oculus animi perspicax, non solum præsentia respicit sed & præterita & futura: docetque quomodo præsentia ordinanda sint, præterita recogitanda, futura providenda. Quare antiqui, teste Pierio, Prudentiam cum triplici facie depingebant, tanquam respicientem tempus præteritum, præsens & futurum. Itaque illius munus est animæ prospicere, & æternitati; qui eam negligit, viam prudentiæ ignorat, & in illam Moysis querelam incidit: *Gens absque consilio est, & sine prudentia, utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent* Vides ergo quænam sit via prudentiæ?

Prudentiæ symbolum,

Deut. 32.

Cæterum, nullo unquam tempore reliquit hominem Deus sine luce & duce, qui hanc vitam edoceret & præmonstraret. Nam habuit homo post peccatum legem naturæ cordi inscriptam, cujus ductum si sequeretur, per hanc viam ad vitam pertigisset; nec ei deerat cælitus auxilium. Verum corruptio naturæ tanta fuit per peccatum, ut invalescente concupiscentiâ, malitiâ, ignorantiâ, homines hanc legem planè obscurari permiserint: & in varia peccata corruerint; etiam nefanda, & dictæ legi maximè adversa. Ita ut obscurati insipientiâ, etiam ligna & lapides colerent, volucres & quadrupedes, serpentes, & alia animalia, ut docet S. Augustinus. Deinde lapsi sunt in passiones ignominiæ, & libidines præposteras, masculi in masculos, fœminæ in fœminas turpitudinem operantes. Lege itaque naturæ contra corruptionem & virus peccati invalida, missus est Moyses cum lege, ut viam prudentiæ & vitæ edoceret populum Dei; missi & Prophetæ, quorum ductum ac doctrinam si sequeretur, salutem certò consequeretur. Verum nec lex sufficiens fuit ad tenebras omnes fugandas luce sua, nec ut perfectum populum redderet. Quia ille non obstante illâ lege ad idololatriam sæpius defluxit, vitulum conflatilem adoravit, idolo Moloch pueros suos consecravit, cum filiabus Moab contra divinum præceptum sese commiscuit, & flagitiis multis Deum continuo exacerbavit: ita ut Moyses moriens, contra suos invocare cogatur cœlum & terram. Sed ne Prophetæ eos ab errorum tramite ad veram veritatis viâ potuerunt traducere instructionibus, monitis, minis. Quapropter necesse fuit Christum venire, filium Dei incarnatum, cum ampliori gratia & luce; ac ipsummet docere viam prudentiæ & vitæ, penitus ignotam & obscuratam corruptionis invalescentis nebulosa caligine; nemo enim præter eum hanc potuit detegere, & per illam nos ducere.

Miseria hominis lapsi

Rom. 1.

Exod. 38.

Christus prudentia & vitæ viam docuit.

Hoc oratione diserta docuit Propheta *Baruch*, Apostrophen emphaticam ad populum Israel dirigens, & in illo ad posteros omnes, omnibus sæculis futuros, docens eos ad Christum respicere Doctorem veræ sapientiæ & prudentiæ, æternitatis & vitæ. Sic vero orditur. *Audi Israel mandata vitæ, auribus percipe, ut scias prudentiam. Quid est Israel, quod in terra inimicorum es? inveteraſti in terra aliena? coinquinatus es cum mortuis? deputatus es cum descendentibus in infernum? Dereliquisti fontem Sapientiæ. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna.* Hoc non solum antiquo populo, sed & nobis convenit, qui in exilio longo consenescimus, & inter inimicos afflicti degimus, corpore carcerati, morbis, ærumnis, ac morti obnoxii, inferno proximi, vitiis irretiti & captivi, operibus mortuis coinquinati, & velut in regione umbræ mortis cum mortuis deputati; cum tamen de Israel simus; hoc est, ad visionem Dei creati, ad visionem æternæ pacis, ad participationem æternæ vitæ vocati. Hæc omnia autem nos mala circumdant & prægravant, quia dereliquimus fontem Sapientiæ, fontem pacis & vitæ. Proicquitur ergo Propheta: *O Israel! Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus: ut scias simul ubi sit longitudo vitæ, ubi sit lumen oculorum, & pax.* Quasi dicat; Tot malis circumcingentibus & afflictantibus aperire te oculos convenit, illisque erudiri, ut respires, & requiras fontem veræ Sapientiæ, a quo omnia bona in te refluent, donum prudentiæ & intellectus, donum fortitudinis & virtutis, longævitas & æternitas vitæ, rerum & victus copia, lux illuminans oculos mentis; denique & pax interna, paxque æterna. Verum subdit: *Quis invenit locum ejus*, locum scil. Sapientiæ? *Et quis intravit thesauros ejus?* Utique non illi Principes gentium, *qui in avibus Cæli ludunt, qui dominantur super bestias terræ, qui argentum thesaurizant*, aurumque fabricant divites in mineralibus, & fodinis aureis, ex illis aurum eruentes & monetam; cur imagines suas imprimant, exinde in dominio super homines, super bestias, super aves cœli, super elementa gloriantes. Sed hic principatus, pompa, & gloria, quid illis contulit? Multum vanitatis, nihil veritatis. An his thesauris vitam & sapientiam conquirere potuerunt? Immò verò, *exterminati sunt, & ad inferos descenderunt: Viam autem disciplinæ ignoraverunt; neque filii eorum susceperunt eam* Sed nec illi qui sapientes existimati sunt de regione Chanaam aut de Theman Academia Idumeæ, aut negotiatores periti totum orbem & mare peragrantes, intellexerunt semitas ejus, aut inraverunt in thesauros ejus. Quinimò, nec illi gigantes, *qui fuerunt ab initio statura magna, scientes bellum*; hoc est; viri bellicosi illi & famosissimi, non inverunt viam prudentiæ, ideo propter insipientiam suam perierunt. Quid ergo? Ab homine nusquam, nec in cœlo, nec in terra reperiri potest sapientia vera, aut semitæ ejus, nisi Deo eam revelante: quia tota divina est & cœlestis. Et nemo potest eam docere, aut per ejus semitas nos ducere, nisi ipse qui est fons & pelagus sapientiæ. Et quidem revelavit eam olim per Moysen & Prophetas populo suo Israelitico: sed cum hanc ipsi neglexissent, in carne ipse venit ut personaliter plenissimè eam doceret, & per semitas ejus duceret electos suos, ipse Doctor, ipse Doctor. Hæc est summa Doctrinæ Baruch, quam his verbis concludit: *Posthac in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Sic & Per Prophetam Isaiam promissus erat Christus tamquam Doctor, qui hanc viam edoceret. Sic enim ait. *Non faciet ultra avolare ate Doctorem tuum, &*

Baruch cap. 3.

Baruch 3.

Isaiæ 30.

eritus

erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum, & audies vocem post tergum monentis te. Hæc est via, ambulate in ea. Quasi dicat. Is qui invisibiliter te prius docebat, & quem audiebas loquentem per Angelos, per Moysen; per Prophetas, quem non videbas nisi in figuris & ænigmatibus, in visionibus imaginariis, is inquam, jam tibi apparebat visibilis. Oculi tui videbunt eum præsentem, aures audient loquentem, sedebit in medio tui docens, sedebis ad pedes ejus audiens, demonstrabitque tibi ore & digito, verbo & exemplo, viam prudentiæ, viam vitæ per quam debes ambulare: ut jam non possis exerrare, nisi oculos & aurem claudas; ipsiusque ductum relinquas, & à vestigiis ejus discedas rebelli tua voluntate.

Conclusio primæ vocis.

Has igitur promissiones considerans Ecclesia (de filio scil. Dei mittendo in orbem, ut tamquam Sapientia Patris doceat, & reducat errantes) excitat se & renovat desideria Sanctorum, & tamquam Turtur gemebunda inclamat: *O Sapientia quæ ex ore Altissimi prodisti, attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter, veni ad docendum nos viam prudentiæ.* Orbis à suo aberrat fine imprudenter & cæcè; tu veni, ut reducas errantes in viam veritatis & vitæ. Non valuere Prophetæ, non Moyses, non lex naturæ hanc sufficienter viam edocere, nec ad perfectum adducere. Tu ergo, ô Sapientia, veni, & loquaris nobis. Non Moyses, non Angelus, non Prophetæ, sed juxta promissum tuum tu ipsa veni & loquere, & nos in via præcede. Quærimus te, invocamus te; nec invenire valemus, nisi tu ipsa ostendas te. Nescimus quis sit locus Sapientiæ; Abyssus dicit: *Non est in me.* Mare loquitur, & ait: *Non est mecum.* Perditio & mors: *Auribus nostris audivimus famam ejus.* Quis educet eam ex nubibus? Ostende ergo tandem te, conversans nobiscum in terris, instruens Jacob puerum tuum, & Israel dilectum tuum. Veni, ô Fili unigenite, è sinu Patris, ut filios adoptivos illi adducas, & cohæredes. Veni ô figura & imago substantiæ ejus, ut eum qui est ad imaginem repares, & illam expuncto charactere Satanæ, divino tuo charactere itetum consignes. Veni, ô Verbum & vox Patris, & dic; *Ego qui loquebar, ecce adsum*: Veni, & fac ut disrupta surditate audiamus quid loquaris in nobis. Veni, ô Sapientia, ignorantiam & errorem tollens; & sic nos ducas, ut tandem in Æterni Patris tui sinum perducas, in quo quiete perennante perfruamur.

Job. 28.

Isaiæ. 52.

LECTIO IX.

De secunda voce Turturis Gementis.

O Adonai, & Dux domus Israel. 2. qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, & ei in Sina legem dedisti. 3. veni ad redimendum nos in brachio extento.

2. Vox in tres partes divisa.

Explicatio Primæ partis O Adonai & Dux Domus Israel.

Variæ Dei nomina.

DEus quidem non eget nomine proprio; tum quia unus est; tum quia ineffabilis. Propter hanc primam rationem, Attalus Martyr, ut refert Eusebius per contemptum rogatus à Tyranno: Quod nomen haberet Deus? Respondit: *Qui plures sunt, nominibus decernuntur, qui autem unus est, non indiget nomine.* Propter secundam, Sapiens, cùm interrogasset varias de Deo quæstiones: *Quis ascendit in cælum, atque descendit? Quis continuit spiritum in manibus suis? Quis colligavit aquas quasi in vestimento? Quis suscitavit omnes terminos terræ?* Tandem & hanc quæstionem subjungit: *Quod nomen ejus est, & quod nomen Filii ejus, si nosti?* Quasi dicat: Si perfectè nosti eum, si perfectè filium ejus, edissere nobis nomen ejus. Sed cùm sit incomprehensibilis, perfectè eum nosse non potes; cùm sit ineffabilis, nomen ejus proprium effari nequis. Et certè ita est. Nam nomen ejus internum & adæquatum nemo novit nisi ipse; unde illud silentii potius adoratione venerandum judicarunt Antiqui, quam eloquii oratione. Quia tamen Deus dignatus est nobiscum agere & colloqui, aliquod nomen externum alicujus suæ perfectionis index dignatus est etiam manifestare, quo eum etiam alloquamur. Unde Moysi dicit: *Nomen meum Adonai non indicavi eis.* Et cum Moyses ad populum è captivitate Pharaonis liberandum mitteretur, ausus est interrogare Deum, & dicere; *Si dixerint, quod est nomen ejus, quid dicam eis.* Dixitque Deus ad Moysen: *Ego sum, qui sum.* Sic dices filiis Israel: *Qui est misit me ad vos.* Ergo nomina duo, ab ipsomet indicata, Sed verè innumera sunt ejus nomina; quia innumeræ perfectiones sunt, quæ diversis nominibus debent indicari à nobis, licet in ipso sint una simplicissima perfectio. Cæterum Sanctus Hieronymus Epist. 36. ad Marcell. apud Hebræos decem esse nomina Dei, annotavit, quæ ex Scripturis deducuntur.

Lib. 6. c. 3.

Prov. 30.

Exod. 6.

Exod. 3.

Primum nomen Dei Hebræis est, EL, id est Fortis. Quo quidem nomine Deus rectè indicatur, dicente Moyse: *Quis similis tui in fortibus, Domine?* Quasi diceret: Quis similis tui in fortibus, qui mergis in brachio tuo forti Pharaonem cum curribus & equitibus ejus in mare? Quis similis tui in fortibus Domine, qui deleviſti omnem carnem apertis cataractis, cœli, diluvio inundante? Quis similis

Exod. 15. Deus fortis.

Gen. 7.

Gen.19. tui in fortibus, Domine, qui Pentapolim subitò depopulatus es usque ad extremum germen, igne iræ tuæ exardescente ? *Isai 40.* Quis similis tui in fortibus Domine, qui tribus digitis, ut ait Propheta, appendis molem terræ, qui omnia portas verbo virtutis tuæ ? *Heb.1.* Quis similis tui in fortibus, Domine, qui tenes extrema terræ, ut ait *Iob.* & concutiens (sicut *Iob.38.* ventilator paleas) impios ex ea potes excutere. Quis similis tui in fortibus Domine, qui uno momento universum mundum, & uno nutu potes de- *2. Mach. 8.* lere, ut dixit *Iudas Machabæus.* Ergo meritò, *EL*, id est, Fortis nominatur, quia Regibus & Regnis dominatur, Orbemque totum moderatur invictâ suâ *Iob.11.* fortitudine. *Si subverterit omnia, & in unum coarctaverit, quis contradicet ei* ? inquit Job. Sed & hoc *Isaiæ 9.* nomen optimè congruit Verbo incarnato, cui & attribuitur specialiter per Isaiam : *Puer datus est nobis, & Filius natus est nobis, & vocabitur Admirabilis,* *2. pet. 2.* *Deus, Fortis.* Utique Fortis in prælio contra Lucifer um in cœlo, quem rudentibus inferni detraxit in abyssum. Fortis contra ipsum in pueritia, prædam ei auferens, idola & virtutem ejus conterens in Ægypto. Fortis contra eundem, è corporibus & animis obsessis eum ejiciens, dum egit in mundo. Fortis contra ipsum, tentatus in deserto. Fortis contra ipsum colluctatus in crucis patibulo. Fortis contra eundem, captivos deducens è limbo. Fortis contra ipsum ; quia spiritu oris sui interficiet impium, primarium Satanæ Ducem in mundi termino ; & relegabat Satanam, sive ulla alterius potestate demersum in abyssо. Ergo ipse *EL*, ipse *Deus*, *Fortis*. Ab hoc verbo desumptum nomen est illud, *Emmanuel*, Nobiscum Deus : & illud Gallicum nostrum, *Noel*, Noster Deus. Item & illa nomina Angelorum, *Gabriel*, Fortitudo Dei ; *Michael*. Quis ut Deus, *Raphael*. Medicina Dei.

Secundum Dei nomen est ELOHA, & ELOHIM, quod est plurale ab ELOHA. Ita ubi nos habemus : *In principio creavit Deus cœlum & terram.* *Gen.1.* Hebraicè est. *Elohim creavit cœlum & terram.* *Deus creans, gubernans & judicans mundum.* Sicque vocatur Deus, quatenus creans, gubernans, judicansque mundum. Hoc enim nomine usus est Moyses jam ab initio, quod Deum Judicem repræsentaret ; ut scirent homines eundem esse Conditorem Orbis & Judicem ; ut scirent etiam ejus voluntate, sapientia, judicio conditum esse, illumque regi & conservari ; ac in ipso mundo illum esse inspectorem singulorum, qui possit Vindex esse universorum. Hæc omnia indicantur in verbo, *Elohim*. Quando vero in plurali, *Eloha*, dicitur, significantur tres personæ in una divina essentia.

Tertium nomen est, DEUS SABAOTH, id est, Exercituum. Hoc nomine frequenter intitulatur Deus in Scripturis, quia diversos habet exercitus sibi militantes. Habet enim novem choros Angelorum, & in illis innumeras legiones, quæ pro ipso stetère, quando factum est prælium in cœlo, & Michael pugnavit cum Dracone & An- *Deus exercituum*

gelis ejus. Sed in finem usque sæculi pro ipsius gloria dimicant, nobisque subsidio sunt & præsidio. *Apoc. 12.* Habet & in Ecclesia sua diversos exercitus, quæ propterea Militans appellatur ; & illi sub ipso summo Imperatore sacramento militari sunt devincti. Habet Martyres, habet Prophetas, habet Virgines, habet Confessores, habet Doctores, habet diversos magno numero Religiosos Ordines, qui sunt velut *Isaiæ 24.* castrorum acies ordinata. Denique habet & militiam cœli, per quam quandoque in Scripturis stellæ & sidera intelliguntur ; quæ ordine pulcherrimo ab ipso dispositæ, instar exercituum dimicantium *Iud. 5.* pugnicant, & ipsius nutu procedunt, eique obsequium reddunt. *Stellæ manentes in ordine suo pugnaverunt adversus Sisaram.* canebat Debora. Ergo meritò, *Deus exercituum*, de quo Job. *Numquid non est numerus militum ejus* ?

Quartum nomen, ELION, Excelsus. Excelsus porro, sive Altissimus dicitur, tum altitudine sub- *Gen.14.* *Deus excelsus.* stantiæ, quia omnes rerum essentias immensum transcendit, & omnes eminenter continet : tum scientiæ celsitudine, quia illa incomprehensibilis est, dicente Apostolo : *O altitudo sapientiæ & scientia Dei* ! Tum altitudine potestatis, quia omnia *Rom. 11.* quæcumque voluit, fecit, in cœlo & in terra. Tum altitudine majestatis & dominationis, quia omnia *Isaiæ 45.* ei subdita eum adorant, *Mihi curvabitur omne genu.* Tum altitudine habitationis, quia in cœlo empyreo habitat, vel in throno gloriæ, ubi eum Angeli & Beati glorificant. *Qui sedet super Che-* *Psal. 79.* *rubim.* *Deus liberalis.*

Quintum nomen est SADDAI, id est, Munificus & liberalis, & quasi mammeus : quia nimirum omnem sufficientiam & abundantiam omnibus *Psal. 135.* tribuit. *Qui dat escam omni carni* ; qui dat jumentis *Psal. 146.* fœnum, & pullis corvorum rorem invocantibus eum. Habet ipse mammas abundantia lactis plenissimas, quibus alit omnem creaturam. Sed maximè ex illis homines, tanquam infantes lactandi, omnem gratiam, omnia dona spiritualia, omne alimentum sugere valent : Ipseque paratissimus est eo charitatis affectu illa dare, quo Mater amantissima infantem solet ube- *2. Tim. 6.* ribus applicare. Idèo monet Apostolus, sperandum in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum. De illius plenitudine omnes fugimus, qui solus potest animæ nostræ sitim extinguere, corque nostrum satiare, cordis nostri sinus amplissimos adimplere. Quod perfectè adimplebitur post hoc sæculum, quando nobis ipse erit omnia in omnibus, quando inebriabimur ab ubertate domus ejus. Propter hæc igitur omnia rectè ab Hebræis *Saddai* nominatur, quasi sufficientissimus, abundantissimus, copiosissimus in omnibus bonis, illa suis distribuens liberalissimè.

Sextum nomen est, IA, quod nomen sonat in voce *Alleluya* : est enim vox composita ex *Hallelu*, *Alleluia.* id est, laudate, &, *ya*, id est, Deum. Hæc est vox lætitiæ inchoatæ in hac Civitate Dei terrestri, &

per-

Apoc. 19. *Qui est*

perfectius resonabit in Civitate cœlesti, ut dicitur in Apoc.

Septimum nomen est, QUI EST. Hoc nomine se ipsum indicavit Moysi. Et illi recte convenit, qui ex se solus habet Esse, & alia omnia ab ipso habent esse, tamquam à fonte & pelago inexhausto essentiæ; estque principium, medium & finis rerum omnium & omnis esse. Deinde, ipse est qui est; quia habet esse æternum & immutabile. Nam id quod mutatur, proprie non tam est, quam desinit esse quod fuit, & incipit esse quod non fuit. Cætera ergo cum sint mutabilia, & in quodam fluxu, non ita perfectè dicuntur esse. Ideo de nobis dicitur: *Dies nostri sicut umbra declinaverunt*, omnes tamquam aquæ dilabimur. De Deo vero dicitur: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Tu Domine in æternum permanens.* In quem locum ait: *Æternitas est Dei substantia, qua nihil habet mutabile: ibi nihil est præteritum, quasi jam non sit: nihil est futurum, quasi nondum sit; quia non est ibi, nisi Est.* Solus ergo Deus proprie est; nam & Angelus continuo à Deo pendet, in fluxu jugiter continuato à Deo sustentatur, quem ipse singulis momentis subtrahere potest; & si eum subtraheret, in nihilum ex quo venit relaberetur. Homo etiam cum cæteris rebus in fluxu continuo est, continuò mutatur & corrumpitur; ita ut potius ejus nomen sit, *Non sunt*, quam, *Ego sum*. Audi Eusebium. *Corrumpitur juventus in vetus, vir in senem, puer in Iuvenem, infans in puerum, & qui heri fuit, in eum qui est hodie; quod & hodie est, in crastinum, manet autem nullus idem. Nullus enim est idem, sed omni momento circa phantasmata communtatur. Quomodo enim, si sumus ijdem, alia nunc quam antea gaudemus? Alio modo amamus, atque odimus, alijs passionibus movemur, non eandem figuram, non eandem de rebus sententiam habentes.* Hæc ille.

Psal. 101.

S. Aug.

Lib. 11. de præparat. Evang. c. 7.

Deus ineffabilis.

Octavum nomen est, JEHOVA, quod vocant Tetragrammaton, sive quatuor litterarum, ex Jod. He, Vau, He, constans. Et ineffabile dicitur apud Hebræos, quia apud illos habebatur sacratissimum & summe venerabile, tanquam nomen Dei primarium & essentiale, essentiam ejus immensam ac Majestatem incomprehensibilem, ineffabilemque significans. Unde & ipsi, religionis & reverentiæ causa, illud effari & pronunciare non audebant. Soli Sacerdotes seu Pontifices illud poterant pronunciare in Sacrificijs, aut solemni benedictione populi: & maximè in ingressu in Sancta Sanctorum, ut tradit Philo in vita Moysis. Atque etiam moderni Judæi nunquam audent jurare per nomen illud Tetragrammaton; sed hac formula per illud juraut (rarò tamen & nonnisi coacti) *Iuro per Iod, He, Vau & He*, quæ sunt quatuor literæ nominis istius; illudque juramentum apud eos summum est & sacratissimum. In illis porro literis quatuor hujus nominis, significatur Trinitas cum Verbi Incarnatione. Nam littera prima *Iod*, significat Principium, & designat Patrem. *He* significat Vitam, & designat Filium. *Vau* est conjunctio apud Hebræos, & significat Spiritum Sanctum, qui est Patris & Filij unio, & amor notionalis. *He* iterum repetitur, & significat duas naturas in Filio divinam & humanam. Unde litera *He* addita fuit nomini Abrahæ & Saræ, dum ille prius *Abram*, postea dictus est *Abraham*, & illa quæ prius *Sarai*, dicta est *Sarah*, ut significaretur ex illis Christus incarnandus. Instar hujus nominis Tetragrammati, pleræque nationes etiam nomen Dei quatuor literis pronunciant. Sic AEgyptij Deum vocant *Toud*, Hetrusci *Esar*, Arabes *Alla*. Assyrij *Adoad*, Turcæ *Agdi*, Græci *Theos*, Latini *Deus*, Germani *Godt*, Galli *Dieu*, Hispani *Dios*, &c. Possunt & quatuor litteris dici designari quatuor principalia Dei attributa; Potentia, Sapientia, Misericordia, Justitia; atque ob illud significatum nomen Tetragrammaton ineffabile dici potuit, & incomprehensibile, quia hæc attributa nobis sunt incomprehensibilia, & inexplicabilia.

Iuramentū Iudæorum Iehova designat SS. Trinitatem.

Dei nomen 4. literis pronunciatur.

Postremum Nomen Dei est, ADONAI. Quod quidem nomen frequens est apud Hebræos, quia quoties in scripturis sacris occurrebat nomen, *Iehova*, quia non fas erat illud pronunciare, legebant pro illo, *Adonai*. Imo & Christus & Apostoli, quoties citant Scripturam Hebræam, in qua habetur nomen *Tetragrammaton*, pro eo nomen, *Dominus*, substituunt. Adonai enim idem est quod Dominus. Eandem ob causam, cum Moysi Deus ait: *Nomen meum Adonai non indicavi eis*; Hebræi legunt: *Et nomine meo Iehova non fui cognitus eis*. Nam nomen, *Adonai*, id est, *Dominus*, antea cognoviisse certum est.

Deus Dominus

Exod. 6.

Ecclesia igitur hunc loquendi modum imitata, invocat Filium Dei sub nomine Adonai, & inclamat: O Adonai, Dux domus Israel! Idem est, ac si dicat: O Domine Deus! O Jehova! O tu, Quies! O Fili Dei, qui sub nominibus prædictis te Moysi revelasti, & dignatus es te promittere Ducem Israelitis, te advocamus, ut promissionem tuam adimpleas, etiam in nobis. Dux fuisti domus Israel egredienti de Ægypto. Dux per mare, Dux in deserto, Dux in columna nubis de die. Dux in columna ignis de nocte. Dux bellans pro eis. Dux submergens Pharaonem, cum suis Ægyptijs, Dux vincens Amalec, Chananæum, Amorrhæum Jebusæum, Moab, Philistijm, & cæteros hostes, ut pertransiret populus iste quem possedisti, donec introduceres eos, & plantares in monte hæreditatis tuæ. Verè ergo gloriosus tibi Titulus, Dux DOMUS ISRAEL; quem decantant ipsi cum gratiarum actione in victoriæ suæ Cantico, dicentes: *Dux fuisti in misericordia populo quem redemisti: Et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctū tuum. Ascenderunt populi, & irati sunt dolores obtinuerunt habitatores Philistijm. Tunc conturbati sunt Principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor obriguerunt omnes habitatores Chanaam.* Sed & nos, ô Adonai, ô Domine Deus, Israelitæ sumus, & do-

Exod. 15.

mus Israel: quod in typo tunc apud illos gestum est, exhibe modo in veritate: *Veni*, & esto Dux noster, & fac ut simus domus Israel, secundum spiritum & veritatem, sub tua manu egredientes de seruitute, dæmonis, & tyrannide peccati. Esto Dux noster in die, in nocte, in prosperis, in adversis, in adolescentia, in senecta, donec Israel fiamus, videntes Deum, Principes cum Deo, tecum triumphantes in æterno tuo Palatio.

LECTIO X.

De secundâ parte.

Qui Moysi in igne flammæ Rubi apparuisti.

De apparitione in igne flammæ Rubi.

NOta primò. Deus apparuit Moysi in Rubo ardente, qui non consumebatur, ut significaret, quod ignis tribulationis, licet ardentissimus, populum non esset consumpturus, aut deleturus, licet fruticem debilem, infirmum & senticosum. Quin potius fore, ut Ægyptij ejus spinas persentiscerent, & vulnerarentur.

Exod. 3. Secundo, in medio Rubi existens loquitur Moysi & dicit: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, propter duritiam eorum qui præsunt operibus: & sciens dolorem ejus descendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam & spatiosam, quæ fluit lacte & melle.* Gemebant ergo filij Israel sub onere & servitute, & gemitus, clamor, lachrymæ eorum in cælum usque pervenerunt, divinamque misericordiam ad compassionem commoverunt, ut afflictis succurreret.

Exod. 6. Tertio, virtutem & modum quo eos decrevit liberare, indicat capite sexto. *Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de servitute, & redimam in brachio excelso, & judicijs magnis*, Hebræa legunt; *In brachio extento*, quam lectionem in hac Antiphona secuta est Ecclesia. Hoc autem peractum est, per tot plagas Ægyptijs inflictas, in quibus extendit Moyses brachium cum virga potentiæ sibi à Deo consignata, in qua & nomen Tetragrammaton, sive Quadrilitterum, inscriptum fuisse, aliqui tradunt. Putantque fuisse quadratam, sive quadrilateram, & unicuique lateri unam Nominis illius ineffabilis litteram inscriptam fuisse. Propterea forte vocatur *Virga Dei*, Exodi quarto. *Reversus est Moyses in Ægyptum, portans virgam Dei in manu.* Sed attende particularius, quomodo Deus eos redemerit in brachio excelso & extento, ac judicijs magnis. Primo extendit brachium Moyses cum virga super aquas, & illæ versæ sunt in sanguinem. Dignum enim fuit, ut is fluvius, cui parvulos Hebræorum crudeli nece mergendos tradiderant, auctoribus sceleris poculum sanguinis redderet & cruorem polluti gurgitis, quem particidali cæde macularant, potando sentirent. Secundo

Exod. 4. Deus redemit Israel in brachio extento.

1.

2. Extendit brachium super terram, & ranæ, cinifes, muscæ, locustæ, diversis vicibus & plagis in Regiam & Cubicula Pharaonis penetrantes, ingenti eum pavore cum tota Ægypto affecerunt. Tertio, Extendit 3.
brachium super aërem & cœlum, & statim tonitrua, grandines & fulmina, ac altera vice tenebræ triduanæ exortæ sunt. Quarto, Extendit brachium super 4.
homines & animalia, & pestis ac vesicæ turgentes & ulcera in hominibus & animalibus, in ipso etiam Pharaone ac Magis apparuerunt, gravissime & lethaliter eos torquentia. Quinto, Extendit super primogenita, 5.
& in omni domo funus aliquod jacebat, & nil nisi mortis imago occursabat. Sexto. Extendit denique 6.
super mare brachium suum, & divisum est, tramitem Israelitis reserans: Extendit iterum, & reversum est in locum suum, oppressis & sepultis omnibus Ægyptijs viam Israelitarum sectantibus. Vides ergo in his omnibus brachium excelsum & extentum, quo populum suum redemit Deus?

Quarto promittit eis: *Assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus & scietis quod ego sum Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum.* Ubi nos legimus: *Ero vester Deus.* Hebræa habent. *Ero vester Elohim*, id est, Ero vester Provisor, Gubernator, Protector & Dux. Et ita omnia Nomina, omnes Tituli qui Deo attribuuntur juxta dicta, eminuerunt in liberatione Israelis de Ægypto. Primo Eduxit eos tamquam EL, tamquam Deus fortis, in brachio forti 1.
& extento, Secundo Eduxit eos tamquam ELOHIM, 2.
tamquam Judex & Vindex in judicijs magnis, tamquam Providens & Gubernans adfuit in omnibus necessarijs. Tertio, Eduxit eos tamquam ELION, 3.
id est, Excelsus, in brachio excelso & prodigijs de cœlo. Quarto, Eduxit eos ut SADDAI, id est, Munificus & Liberalis, vasa aurea & argentea, Ægyptiorum spolijs eis donans; deinde in deserto eos alens, manna defluente de cœlesti habitaculo. Quinto eduxit eos ut 5.
JEHOVA & QUIES T, quia hoc nomen specialiter insinuavit Moysi, agens de populi sui liberatione. Sexto. Eduxit eos ut ADONAI, & Du. domus Israel, Dux ad egrediendum de Ægypto, Dux per mare, 6.
Dux in deserto, Dux in columna nubis de die, Dux in columna ignis de nocte, Dux bellans pro eis, Dux submergens Pharaonem cum curribus, Dux vincens Amalec Chananæum, Amorhæum, Jebusæum, Moab Philistiim, cæterosque hostes, ut ante dixi: idque ut pertransiret populus iste, de quo dicit? *Ero vester Deus.* & ut tandem cum intuduceret, & plantaret in monte hæreditatis suæ. Vere ergo gloriosus ipse Titulus. *Dux Domus Israel*; quem decantant meritò Israelitæ cum gratiarum actione, in Cantico suo: *Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti, & portasti eum in fortitudine tua ad habitaculi sanctum tuum. Ascenderunt populi, & irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philistiim, Tunc conturbati sunt Principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* Nempe super eos extendit brachium suum *Adonai*, ut agnoscerent cum om-

Exod. 6. Tituli Dei in eductione populi Israel emisnus.

nis

nis terræ Dominum, omniumque Regum, cujus potentiæ nemo potest obsistere, & ideo metuendum nimis.

Quinto: Educto populo suo in montem *Horeb*, sive *Sinai*, ubi primo in Rubo apparuerat; dedit ibidem eis legem, scriptam digito suo, non in charta aut pergameno, sed in tabulis lapideis. Idem porro Mons est *Sinai & Horeb*; dictus *Sinai*, à solitudine & siccitate, dictus *Horeb*, à ruborum copia. In quo eodem *Exod. 17.* Monte percussit petram Moyses & dedit populo a- *3. Reg. 19.* quam, in quo & Eliam allocutus est Dominus, in sibilo auræ tenuis, cum prius pertransisset turbo, ignis & petrarum commotio. Legem vero ibi promulgans, voluit locum tonitruis fulgoribus, igne, nebulis, circumvestiri, & totum terribilem esse; tamquam Deus ultionum futurus, in eos qui eam forent transgressuri, aut à pernaturi.

Sed quoniam hæc omnia jam dicta, sive de apparitione ejus in Rubo, sive de liberatione populi ex Ægypto, sive de legislatione in monte; figura erant eorum quæ in nova lege gerenda erant per Filium Dei in carne, paucis nunc illa explicemus, & singula illi applicemus.

Explicatio Rubi & visionum ejus.

CAnctorum Patrum communis est Doctrina, liberationem temporalem filiorum Israel per manum Moysis, designasse omnium hominum liberationem futuram per manum Filij Dei. Unde sicut filij Israel sub servitute & captivitate Pharaonis gemebant in operibus paleæ & luti, simulque plorando clamabant ad Dominum pro auxilio implorando: Sic & populus Dei gemebat sub captivitate Dæmonis & peccati, respirans ad Adventum Filij Dei Liberatoris & Vindicis. Jam satis diu cogebatur servire natura humana crudeli cum labore, in luto & latere & stipulis colligendis; hoc est, sordidis operibus & peccatis se commaculare, & paleam qua sibi ignem æternum succenderet, congregare. Ut finiretur tandem hæc servitus maculosa & damnosa, & Dæmonum oppressionum crudelitas, intolerabilis terminum suum acciperet, annis plus quatuor millibus assidua Sanctorum Patrum deprecatio in cœlum cum lachrymis ibat. Tandem igitur his ardentissimis oppressorum votis commotus Deus, idem videtur Filio dixisse, *Exod. 3.* quod olim Moysi: *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem ejus, sed veni, & mittam te, ut educas populum meum.* Immo Filius ipse considerans oculo pietatis & misericordiæ, visceralis, afflictionem tantam electorum, in Ægypto, sive in mundo hoc tenebroso sub servitute & tyrannide Satanæ in cœlum clamantium, *Isaiæ 62.* illud dixisse videtur: *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini. Et nunc quid mihi est hic, dicit Dominus, quoniam ablatus est populus meus gratis? Dominatores ejus iniquè agunt, & jugiter nomen meum tota die blasphematur. Propter hoc sciet populus nomen meum in die illa, quia ego qui loquebar, ecce Adsum.*

Venit ergo Dei Filius, ut gratis nos redimeret, sine ullo merito nostro: quia eramus venditi gratis, quia vilissimo pretio. Venit, ut sceptrum exactoris, & potestatem crudelem dominatoris tartarei confringeret & contereret, nosque in libertatem assereret. Venit, ut manifestaret nomen suum, Nomen Salvatoris: & qui loquebatur antea per Angelos & Prophetas, apparens in ænigmatica & umbratili visione; apparuit per se personaliter in veritate. At quomodo apparuit? Certè ut olim in Horeb, ut Ignis in Rubo incombusto, sed tamen ardente. Vis id pleniùs intelligere?

Primo quidem: Quid est Ignis in Rubo, nisi Filius Dei in carne, Divinitas in humanitate? Quid Rubus spinosus, asper, humilis & vilis, aliud designat præter Christi humanitatem, quam subditam sponte ærumnis & laboribus spinosis elegit, pauperemque humilemque ac vilem nostræ salutis causa suscepit? Quid iterum incombustus Rubus, & tamen flammans, aliud designat, quam humanitatem, ejusque mortalitatem & infirmitatem ab igne Divinitatis non fuisse consumptam? Sicut ergo in Rubo integer mansit Rubus & ignis, ita in Christo duæ naturæ integræ, illæsæ, inconfusæ, ut dicit S. Cyrillus.

Ignis in Rubo Vitæ Dei in carne.

Secundò: Quid est Ignis in Rubo incombusto, & tamen ardente, nisi Christus conceptus in Virgine, & natus sine Virginitatis læsione? Sic canit Ecclesia: *Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem, Dei Genitrix.* Audi Richardum de Sancto Victore hanc Moysis visionem in Rubo sacrosanctæ Virgini applicantem, initio Expositionis super Apocal. ubi ait: *Visio quæ Moysi in Rubo extrinsecus apparuit typica significatione plena fuit. Quid namque accipimus per flammam, nisi Spiritus Sancti gratiam. Quid per Rubum, arborem parvulam, asperam, viridem & floridam nisi Beatam Virginem Mariam per sui contemptum humilem, per virtutum exercitium asperam contrà mollitiem, viridem per fidem, floridam per castitatem? Domino itaque apparente in Rubo, flamma Rubum non lasit, & Filio Dei in Virgine carnem sumente, obumbrante Spiritus S. gratia, pudor virginalis illæsus permansit. Hæc igitur visio cælestis Sacramenti virtute redundat. Unde Moyses*: Vadam & videbo visionem hanc magnam, *Revera enim visio magna fuit, quæ & præsens tunc miraculum exhibuit, & incarnationem Verbi, ac Virginis Matris integritatem perpetuam præsignavit.* Hæc ille. Accedamus & nos, sacratoque hoc tempore contemplemur visionem istam magnam, prodigium duplex in Rubo insinuatum. Quomodo ignis Deitatis uniatur fragili Rubo humanæ naturæ, quæ tamen integra & illæsa perseverat. Quomodo mulier etiam fragilis & florida per castitatem, Deum hominem concipiat, illæso flore, illæsa castitate. Appropinquemus Deo-Homini, appropinquemus Virgini-Matri, ut lumine suo illuminet nos ad fidem, & suo ardore accendat ad charitatem. Sed prius solvenda calceamenta de pedibus, ut cum humilitate accedamus, depositis affectionibus terrenis, &

Ignis in Rubo, gratia Spiritus S. in Maria.

invo-

involucris cogitationum carnalium, exutisque & procul à nobis rejectis operibus mortuis, per pelles animalium mortuas, ex quibus fiunt calcei, designatis. Tunc inveniemus gratiam coram Deo, ut ignem in Rubo, & verbum in carne possimus intueri, Deumque nobis loquentem audire.

Ignis in Rubo Christus in Cruce.

Tertio: Quid est Deus in Rubo, nisi Christus in spinosa & rubente cruce, amoris flamma ardente circumdatus, spinisque pungentibus coronatus? Ibi nempe loquitur, ibi arcana sua manifestat fidelibus accedere volentibus, ibi agit de populi sui liberatione è captivitate peccati, è servitute Satanæ. Frutex humilis & asper Crux Christi, verè Rubus, pungens quidem carnem Filij hominis, sed à nobis filij hominum peccatum expungens. Ibi Cor ejus duplici igne ardet, doloris & amoris, sed sine consumptione. Nam pauco tempore dolorem fortiter tolerans, æterno amore ignitum perennabit pro nobis. Accedamus ergo & nos ad hanc visionem magnam, flammam, vitam & pacem quam loquitur in plebem suam, & super eos qui convertuntur ad Cor.

Deus in Rubo Christus in Ven. Sac.

Quarto: Quid est Deus in Rubo ardente & incombusto, nisi idem Christus in Eucharistico Sacramento? Ibi Divinitatis ignis continetur in Rubo humanitatis latens, Sacramentalibus speciebus quasi foliis & cortice circumvelatus. Nec Rubus ad hoc igne comburitur, nec cortex, aut folia circumambientia consumuntur, Inde nos alloquitur in finem usque sæculi Deus, de nostra redemptione & salute. Sed illuc nemo debet accedere, nisi depositis calceis: hoc est, affectionibus impuris, simulque rationibus humanis & terrenis. Alioqui spinas reperiet, quibus lædetur, nodosas & spinosas difficultates, quas ratio sola non potest penetrare; inveniet & ignem, quo aduratur. Ignis immortalis sunt mysteria Christi, noli ea perscrutari temere, ne in eorum perscrutatione comburaris. Noli accedere indigne, nisi damnum sentire velis pravæ conscientiæ.

Rubus ardens cor ominus Deo plenum Luc. 12. Exech. 28

Quinto denique, Mens nostra & Cor nostrum sit Rubus ardens: Igne Deo plenus, & lucidus. Hic est enim ignis divinus, de quo dicitur: *Ignem veni mittere in terram & quid volo, nisi ut ardeat?* Hic est ignis, quo igniti sunt lapides illi, de quibus in Ezechiele ad primum Angelum peccato jam obtenebratum dicitur: *In medio lapidum ignitorum ambulabas.* Ab hoc igne, Spiritus illi cœlestes Seraphim dicti sunt; id est, Ardentes & Accensi. Hic ignis, quo animus instar Rubi sibi vilis & humilis succenditur, non consumit sed perficit, non destruit sed instruit, non in cineres sed in Deum transformat, luce & ardore cœlesti totum perficiens hominem. Sed hæc satis de Rubo.

Nunc vide ulterius quomodo Adonai & Deus noster, qui in carne apparuit, & in cruce tamquam in Rubo, etiam legem dederit nobis in monte. Et quidem ipse Moysi legem dedit in eodem monte, in quo apparuerat, in monte scilicet Sinai sive Horeb. Ibi duas tabulas tradidit lapideas, in quibus lex terroris insculpta fuit. Et ut se Terribilem exhiberet, tonitruis & coruscationibus, fumo & nebulis locum ita implevit, ut diceret populus: *Non loquatur nobis Dominus, sed tu, Moyses, loquere nobis.* Adonai vere & Deus noster dedit nobis legem; non terroris, sed amoris; non in monte Sina, monte solitudinis & sicitatis; sed in monte Sion, monte visionis, pleno tunc sanctæ multitudinis; non in tabulis lapideis sculptam sed in tabulis cordis: idque non attramento, sed spiritu Dei vivi. Missitque de excelso iguem, non terribilem & nebulosum in vertice fumante: sed pellucidum in linguis igneis, suaviter corda succendentem & illuminantem. O ignis sancte, quam suaviter ardes, quàm secrete luces, quam desideranter aduris! Sic loquitur Sanctus Augustinus de hoc igne. Sic etiam Sanctus Leo: *Ad veteres tenebras abigendas, nova lucis fulgura coruscabant cum micantium splendore linguarum, & verbum Domini lucidum, & eloquium conciperetur ignitum, cui ad creandum intellectum, consumendumque peccatum, & efficacia illuminandi, & vis inesset urendi.* Ad hanc ergo legem suspirans Columba & Turtur nostra inclamat: O Adonai, qui in Rubo apparuisti, & in monte Sina legem dedisti; quasi dicat: Nunc, nunc ut in Rubo novo appareas, & nobis loquaris, te exspectat ardens desiderium nostrum: exspectant & vota nostra à Te novam legem; à Te inquam Legislatore summo scribendam in cordis nostri meditullio. Ergo veni, & id perage: sed prius libera nos ab hostibus, & redime nos in brachio tuo extento.

Exod. 10. Per Moysen in mente lex terroris per Christum amoris data.

Leo ser. 1. de Pent.

LECTIO XI.

De tertia parte secundæ vocis.

Quodnã sit brachium extentum

POstremò itaque, hic explicandum restat, quomodo Adonai, & Deus noster redemerit nos in brachio extento. Solet in sacris eloquijs filius Dei brachium Domini vocari, sicut & Spiritus S. Digitus Dei. Quia sicut brachium à corpore promanat; ita & Filius a Patre procedit: & sicut digitus, è corpore & brachio, ita Spiritus Sanctus à Patre & Filio, inquit Sanctus Hieronymus in cap. 52. Isaiæ. Deinde, quia Pater per Filium potentiam & fortitudinem suam ostendit, sicut homo robur suum per brachium extentum solet ostentare. Sic Interpretes plerique illud accipiunt: *Fecit potentiã in brachio suo dispersit superbos mente cordis sui* Ut sit sensus: Pater Æternus potentiam suã ostendit in Filio, in Christo: cum contra superbos Dæmones, eos superando & plectendo: tum circa infideles & superbos Judæos, eos dispergendo. Sic & de Christo intelligunt illud: *Brachium Domini cui revelatum est? Domine quis credidit auditui nostro?* Quod Apostolus de Evangelio, in quo Christus relevatus est, interpretatur. Ergo brachium ex-

Luc. 1.

Brachiũ extentum

ten-

Christus est. tentum, quo redempti sumus, Christus rectè nominatur.

Isaiæ 51. Quapropter appositè huic nostro proposito, quo invocatur ad redimendum nos, usurpare possumus, & ad illum dirigere illud: *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini, consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum: Numquid non percussisti superbum, vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementu, qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati?* Vocat Pharaonem Draconem, vocat & Superbum, qui Dominum noluit agnoscere, sed in brachio Domini percussus est, vulneratus, in profundum mersus, post tot prodigia & portenta. Et tunc Israeliticus populus per mare traductus est, & in libertatem assertus. Sicut ergo in diebus antiquis id factũ est; ita in sæculis posterioribus exurgente brachio Domini, innovata sunt signa, immutata mirabilia. Sicut Adonai & Jehova contrivit & debellavit Pharaonem & Ægyptum: Sic Christus virtus Patris Dæmonem & Infernum. Sicut Adonai & Jehova id fecit multis portentis, Sic Christus multis editis miraculis. Sicut Adonai & Jehova Hebræos per mare duxit in terram promissam, Sic Christus per Sanguinem suum, quo abluimur, deducit nos in patriam cælestem. Sicut Ægyptii submersi sunt in undis: Sic peccata nostra in Baptismi aquis. Sicut per virgam Moysis facta sunt omnia illa mirabilia: Sic per Crucem Christi, tanquam per virgam virtutis suæ, patrata sunt longè majora.

Variis modis & vicibus Christus brachia extendit. In brachio igitur extento redemit nos Salvator noster.

1. Extendit brachia adhuc infans in præsepio, vel in matris gremio: & illorum virtutem jam ex tunc sensit Infernus & Idola, quibus aliqua detraxit spolia. Nam & nomen ejus statim ab ortu vocatum est apud Prophetam: *Accelera spolia detrahere.* Videntur fasciis colligata ejus brachiola, & tamen spoliant infernum, silentium oraculis idolorum indicunt, Reges ab Oriente nutu suo attrahunt, & Pastores à Judæa.

2. Extendit brachium jam Vir existens super elementa, & imperante illo mari & ventis fit tranquillitas magna.

3. Extendit manum suam ad Petrum, & solidum ei præbet super aquas vestigium, significans, quod extento brachio suo nos valeat de periculis & naufragio liberare, & ne mergamur aut pereamus, protegere.

4. Extendit brachium, & imposuit manum ægris, cæcis, mortuis & eis sanitatem, visum, vitam reddidit.

5. Extendit brachia in oratione, sicut Moyses in monte, & exinde nobis contra hostes cessit victoria.

6. Extendit brachia in Cruce, & omnis virtus diaboli concidit. Attraxitque ad se una manu populum gentilem, altera populum Hebræum. Immò ibi sterit, & brachiis extensis mensus est orbem.

7. Extendit brachia moriens, & Solem obscurat, ac velut tegmine nebuloso obduxit, velum templi simul discindit, & petras findit.

8. Extendit brachia in sepulchro, & licet infirma videantur, illis tamen tunc multorum sepulchra aperuit. Extendit brachium virtutis suæ etiam ad inferos descendens, & vectes ferreos confregit, ligavitque fortem, & spolia ejus diripuit, captivam educens captivitatem.

9. Extendit brachia in Ascensione, & universum orbem censetur tunc multiplici benedictione locupletasse, diabolique manum toto orbe extensam, inefficacem & irritam reddidisse, Videsne igitur, quomodo redemptio nostra inchoata sit à Christo in brachio extento, in suo in hunc mundum ingressu adimpletaque in brachio extento in progressu; tandemque consummata in brachio extento, in egressu?

Meritò ergo repetimus, & cum voce gemebunda Turturis inclamamus; *O Adonai, Dux domus Israel, qui Moysi in Rubo apparuisti, & in Sina legem dedisti, veni ad redimendum nos in brachio extento.* Veni, ô Adonai, ô Jehova, ô Domine virtutum, & esto Dux noster; quia nos domus Israel sumus, *Generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.* Ostende ergo te, quem totis votis quærimus, ostende faciem tuam, & salvi erimus. *Esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis*, redimens nos in brachio extento. Videamus tandem te extendentem manus in præsepio: extendentem super idola in Ægypto: extendentem in oratione, in montibus, in deserto: extendentem fortiter in crucis supplicio: extendentem suaviter in sepulchro: & tandem completa redemptione extendentem illas ut amplectaris nos, & introducas ac perenniter quiescere facias in Æternitatis tuæ habitaculo.

Psal. 23. *Isaiæ 33.*

LECTIO XII.

De tertia voce Turturis.

1. O Radix Iesse, qui stas in signum populorum, 2. super quem continebunt Reges os suum, quem gentes deprecabuntur, veni ad liberandum nos, jam noli tardare. *3. Vox Bipartita.*

Explicatio Primæ partis O Radix Jesse qui stas in signum populorum.

DEsumitur initium hujus vocis ex cap. 11. Isaiæ, ubi dicitur. *In illa die radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Ibidem præcedit: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus Sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit* *Prior pars Quæ radix Iesse signum populorum.*

plebit eum spiritus timoris Domini. Christus ergo vocatur quandoque flos ortus ex Maria, tanquam virga & frutice sine nodo; ex Anna & Ioachim, tanquam trunco; ex Davide & Jesse, tanquam radice: super quos omnes requievit spiritus Domini & benedictio Altissimi, propter florem illum, imo & per illum.

Isai. 53. Quandoque etiam vocatur Radix, Virgaque, seu Virgultum, ex quo fructus nostræ redemptionis pependit. Sic Isa. *Ascendit sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* Quasi dicat. Sicut virgultum, sive surculus tener, nasci solet ex arbore cum puritate: ita orietur Christus de Virgine Matre sine impuritate, sine viri semine: & sicut terra sitiens, sive arida & inaquosa, etiam inculta arbusculam producit in altum sese paulatim erigentem: ita terra virginea nullo humectata semine, non culta viri operatione, ramusculum suum dabit, insublimem tandem arborem crescentem coram Domino.

Christus, quomodo sit radix Jesse.

Hic vero dicitur *Radix Iesse Christus*, sed multiplici significatione. Primò quidem, *Radix Iesse*. Id est virga, seu surculus ex radice Jesse pullulans, sive ex stirpe Davidis & Jesse. In qua significatione Apoc. 2. dicit de seipso: *Ego sum radix & genus David.*

1. *Apoc. 2.*

Secundò, Radix David & Jesse hoc sensu rectè dicitur & proprie, quod scilicet quoad Divinitatem eorum sit radix; licet quoad humanitatem ex eorum sit radice.

2.

Nempe Christus natus est ex semine David secundum carnem: David tamen ab ipso ortus est, ab ipso productus & creatus, ut explicat B. Rupertus. Tertio, David & Jesse fuere tantum semen ex quo ortus est Christus, quasi Radix germinans omnes Fideles, omnemque in eis tamquam surculis succum gratiæ producens, fructumque bonorum operum, & tandem fructum gloriæ. Quarto etiam Christus dici potest radix Jesse & Davidis secundum humanitatem; quantum scilicet ad sanctificationem, exaltatus, & glorificationem. Ob hoc enim exaltatus fuit David, & tot donis cumulatus, quia ex stirpe ejus nasciturus erat Christus, Filius David appellandus.

3.

4.

Christiani dicti Iessei.

Refert Epiphan. hæresi 29. in Ægypto primos Christianos vocatos fuisse Jessæos. Unde putas istud nomen eis datum est, nisi à Jesu radice Jesse? Nempè omnes nos tamquam surculi oleastri sylvestris, ex gentilitate orti, bonorum operum steriles, per baptismum inserti sumus Christo tamquam olivæ fructiferæ, ut socii simus radicis & pinguedinis, ut ratiocinatur Apost. hoc est, ut simus participes gratiæ & pinguedinis Spiritus Sancti, qua imbuta est radix illa olivæ, Radix Jesse. Sic ergo Jessæi sumus: radix illa nos portat, succum frugiferum & divinum nobis communicat. Sed si radix sancta est, debent esse & rami, ut idem Apostolus dicit: ne excindantur, & Divinæ sentiant Justitiæ securim, si inveniantur iterum sylvescere, aut fructus acerbos radici non correspondentes producere. Quid vero fiet de ramis istis infæcundis post excisionem? Inutiles certè ad omne opus, non possunt non æternis ignibus deputari. Hi

Rom. 11.

sunt improbi Christiani, peccatorum acerbum germen producentes; qui à Christo avelluntur, ut rami reprobi à radice cui erant insiti. Et non agnoscuntur ut semen spirituale Abrahæ, aut de genere Jacob & Israel, nec de genere Jesse aut David: quia eotum non sectantur opera, fidem, & sanctitatem. Nequaquam ergò Jessæi sunt, sed illis convenit illud. *Radix tua & generatio tua de terra Chanaan, Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Impii erant Amorrhæi & Cethæi, in impudicitias & alia flagitia proni; his ergò comparantur, & dicuntur quasi ex illis nati, qui eorum mores & vitia imitantur. Quomodo & apud Amos dicit Dominus: *Numquid non filii Æthyopum estis vos omnes mihi, Filii Israel?* Quasi dicat. Tantis estis vitiis sordidati & denigrati, ut non censeam vos inter veros Filios Israel, Filios Dei electos, sed potius inter vices & reprobos Æthyopes, in nigredine vitiorum obduratos & inveteratos, sicque lotionis & candoris gratiæ meæ vix capaces. Hæc omnia improbos certè Christianos concernunt, qui cum ex radicè optima & genere illustri prognati, fructum & opera deberent ferre pietatis, justitiæ, charitatis, castitatis, & sanctitatis, cæterarumque virtutum; nonnisi producunt opera carnis, & fructus acerbos superbiæ; invidiæ, intemperantiæ, impietatis quasi prodirent ex venenata & non sancta Radice: Ideoque potius vocandi sunt cum S. Baptista *Genimina viperarum.* Imò similibus Christus exprobat: *Vos ex Patre diabolo estis.* Opera scil. serpentis, opera Satanæ operantur; ideoque Filii ejus sunt per imitationem.

Impii Christiani Amorrhæi.

Amos. 9.

Luc. 3.

Ioan. 8.

Solerter ergo nobis advigilandum est, ne qua radix amaritudinis sursum germinans, radix venenata peccati, originem nostram sanctam deturpet & nos excisionis & ignis reos statuat. Ut sic semper fide, gratia, opere simus veri Jessæi, veri Filii Abrahæ, veri Filii Israel; immò veri Filii Dei, veri Filii Christi. *Abraham* enim *nescivit nos, & Israel ignoravit nos; Tu Domine Pater noster, Redemptor noster, à sæculo nomen tuum.* Nos enim, ô Christe, genus tuum electum, populus acquisitionis, gens Sancta. Tu radix nostra es & origo, tu vita nostra, & gloria. *Tu in nobis es, Domine, & nomen sanctum tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos, Domine Deus noster.*

Isai. 63.

Ierem. 14.

IAm vix ortus fuit Christus ex MARIA, quæ de familia David & Jesse erat, quin statim declaratur positus in signum salutis omnium. Hinc Angelus *Christus stat in signum illud manifestans Pastoribus, dixit: Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator mundi, qui est Christus Dominus in civitate David; Et hoc vobis signum. Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio.* Vide quale signum Regis & Redemptoris Israel, panni humiles, stabulum vile, præsepium angustum & abjectum. Nempe à Patre in loco isto obscuro positus est in signum salutis, in signum humilitatis, paupertatis, obedientiæ, pœnitentiæ iis, qui salvandi sunt. Quia per hæc oportet salu-

signum positum pro pulorum.

Luc. 2.

tem

rem recuperare, à qua per superbiam, inobedientiam, concupiscentiam excidit homo. Signum sanitatis recuperandæ, & victoriæ contra hostes, Ezechiæ Regi datum est à Domino per Isaiam Prophetam Et illud quidem fuit, non Sol ascendens, sed descendens decem lineis in horologio Achaz per umbram. Sic signum nobis salutis & redemptionis datur Sol æterni luminis, infra novem choros Angelorum descendens quasi per novem lineas; & ad humilitatem nostram se demittens, umbra mortalitatis nostræ se vestiens.

Hoc ergo salutis suæ signum certissimum, à Patre æterno positum Angelico ministerio demonstratum, intueantur & adorent, in finem usque sæculi omnes populi. Infantem scil. de radice & genere Iesse, in civitate parvula David Parentis sui ortum, in stabulo & præsepio jacentem, involutum vilibus pannis & fasciis. Hoc enim signum agnoverunt & adorarunt Angeli? agnoverunt & adoraverunt Pastores; agnoverunt & adoraverunt Maria & Ioseph; agnoverunt & adoraverunt Magi per stellam instructi; agnoverunt & adoraverunt Simeon & Anna à Spiritu S. edocti, & alii cum eis expectantes redemptionem Israel. Ideoque decantavit Simeon: *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.* Luc.2.

Christus, signum contradictionis.

Sed quoniam prævidebat Simeon, quomodo justa providentia Deus signa & mysteria sua revelat parvulis & humilibus; relinquitque ea abscondita à Sapientibus & superbis, Spiritu Prophetico ipse prædicit. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Quasi dicat. Ipse quidem venit in mundum, non ut judicet mundum; sed ut salvetur mundus per ipsum: ipse venit, ut vitam habeant & abundantius habeant quicumque eum agnoscere voluerint, & in eum credere. Sed eheu! vitio ipsorummet hominum in ruinam est futurus multorum, qui excæcati eum haud recepturi sunt: impingentes enim in eum tamquam lapidem offensionis propria malitia & cæcitate, corruent & conterentur. Et qui positus erat omnibus in signum salutis jam vertetur in signum contradictionis. Sic est positus in signum cui contradicitur, Iudæis, Ethnicis, Hæreticis, qui ejus fidem & doctrinam non recipiunt, sed oppugnant Sic & improbis Christianis positus videtur in signum cui contradicitur: quia etsi doctrinam receperunt, moribus & vita illi contradicunt. Certè propositus est nobis à Patre, jam ab ortu, in signum humilitatis, paupertatis, charitatis, patientiæ, obedientiæ, castitatis. Sed ejus humilitati contradicunt superbi, ejus paupertati avari, ejus charitati invidi, ejus patientiæ vindicativi & iracundi, ejus castitati impudici, ejus obedientiæ rebelles & protervi. Ioan.3.

Tota vita Christi stat in signo populorum.

Secundò, stat Christus in signum populorum totius vitæ suæ decursu, quæ signis, miraculis, portentis plena fuit, ut ad salutem populos convocaret. Unde dicit: *Ecce ego & pueri mei mecum, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israel.* Maria & nova Christi generatio, vita, mors, resurrectio, doctrina, miracula, signum erant omnibus advertere volentibus, jam exhibitam esse redemptionem & salutem, per Prophetas promissam. Et hæc omnia omnes ad salutem invitabant, & ad fidem: nec opus erat alia testimonia quærere, vel signa. Quia testimonia & signa data sunt è cœlo, & è terra, & ab omnibus elementis, cum Salvatorem inclamantia; ejus Divinitatem attestantia. Signum è cœlo non solum in ortu ejus datum est, Angelis decantantibus gloriam Deo; Sed & in baptismo per cœlos apertos: per vocem Patris, per columbam descendentem super eum. Sic & in transfiguratione, per eamdem Patris vocem; *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite*: per nubem, per testes vivos & mortuos, per Moysen & Eliam. Item in deserto, per Angelos ei ministrantes? de quibus etiam dictum est *Amen dico vobis videbitis cœlum apertum, & Angelos descendentes & ascendentes super Filium hominis.* Ex inferno etiam non defuere signa & testimonia, ab ipsis dæmonibus è corporibus hominum obsessis clamantibus: *Quid nobis & tibi Iesu Fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos.* Ab illis quoque qui è limbo egressi resumpserunt corpora sua, & venientes in civitatem sanctam apparuerunt multis. Denique signa edita in elementis manifestissima fuere, dum mare & venti obediunt ei, dum aquæ ei solidum præbet obsequium ambulanti, dum petræ scinduntur, & terra contremiscit in ejus morte & resurrectione. Vide ergo quomodo omni ex parte Radix Iesse Christus stat in signum populorum, tot signis & portentis eos advocans ad fidem & salutem, Magnâ certè cæcitate Iudæi ab illo signum petunt, qui tot signa videntes non vident, tot portenta audientes non audiunt. *Magister*, inquiunt, *volumus à te signum videre.* Quibus respondet Dominus. *Generatio mala & adultera signum quærit, & non dabitur ei signum, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ.* Signum petebant de cœlo, & eis Christus dat signum de profundo terræ? sed efficacissimum, & ad hoc destinatum, ut intelligerent quod sicut Ionas fuit signum Ninivitis, post mansionem in ventre Ceti tribus diebus vivus redditus, per signum istud probans se missum esse à Domino ad prædicandum pœnitentiam: sic etiam intelligerent, filium hominis in sepulchro triduo mansurum, ac deinde resurrecturum, ut Iudæis & Gentibus annunciet pœnitentiam, & novam vitam, per Apostolorum prædicationem. Ideo diserte dicitur. *Sicut Ionas fuit signum Ninivitis, ita & erit filius hominis generationi isti.* Sed Ninivitæ surgent in judicio, & condemnabunt incredulos huic

signum populorum. Isai.8.

Matt.17.

Ioan.1.

Matt.8.

Matt.12.

Luc.11.

huic signo, hoc est, Filio Dei, verbo & exemplo viam salutis ostendenti, & in finem usque sæculi miraculis & signis doctrinam suam confirmanti. Ipsi verò Ionæ prædicanti statim crediderunt, & ad pœnitentiam conversi sunt sine aliis signis. Tu igitur, ô Christe, Radix Iesse, qui stas in signum populorum, deterge cæcitatis nostræ tenebras, & aperi nobis oculos, ut intueamur te ut signum nostrum, in exemplum novæ vitæ positum. Aperi nobis cor, ut doctrinam salutis tot signis confirmatam, & in finem usque sæculi confirmandam, lætocorde & plena fide suscipiamus; ut in die judicii à Ninivitis, qui ad unicum Ionæ verbum ad pœnitentiam traducti sunt, non confundamur cum incredulis aut obduratis.

Christus stat in Cruce in signum populorũ.

Tertio, stare Christus dicitur in signum populorum, maximè & propriissimè in cruce. Elevatus enim & exaltatus in cruce, crucem & ipse elevat, crucem exaltat, tamquam signum & vexillum suum: ut omnes nationes ad sua castra vocet, & signet sibi milites fidos, sub illo militiæ suæ vexillo fortiter dimicaturos contra Satanam & infernum, tandemque victoriam reportaturos tali Duce, tali Labaro. Ibi Radix Iesse stat in signum populorum, ut genus electum, & populum acquisitionis ad se adducat. Ibi Christus signatus quinque rubentibus notis familiam suam congregat, quam iisdem stemmatibus & nobilitatis insigniis notari & decorari decernit, ut de genere illos suo prognatos agnoscere possit. Ibi denique stat ipse in signum populorum, in signum fœderis æterni, quod Deus init cum genere humano, cui antea infensus erat, ab illo offensus. Nam sicut olim posuit Deus arcum suum in nubibus, variis depictum coloribus, in signum fœderis inter se & terram; Ita & in perpetuum stat Christus in cruce manus extendens, in formam arcus, variis respersus livoribus & vulneribus: & se Patri repræsentat, ut leniatur ira ejus signo novi fœderis. Intuere & tu, ô homo, signum istud fœderis tui, arcum plenum sagittis amoris, & à peccatis aversus ad illud signum cor converte, ut Patri repræsentes. Audi monitum Ecclesiastici 13. *Vide arcum, & benedic illum qui fecit eum, quia valdè speciosus est in decore suo.* Stat modo populis omnibus in signum salutis; sed stabit postea his qui averterit oculos ab eo, in signum ultionis. Quando scil. patebit signum Filii hominis, quando plangent omnes tribus terræ: quando videbunt in quem transfixerunt. O Radix Iesse, esto nobis semper in signum salutis, in signum amoris, in signum æterni fœderis, & fac ut numquam contingat, infœlicitate & cæcitate nostra, te nobis commutari in signum confusionis, in signum ultionis, in signum æterni luctus & doloris. Sub Te & Cruce tua militare optamus, tamquàm sub Duce & vexillo militiæ nostræ: Te in corde nostro & mente gerere, tamquam sacrum amoris & cordis nostri signaculum: Te pictatis oculo intueri, tamquam signum nostræ redemptionis, ut illam in nobis efficacem reddas, perficias, & consummes.

Gen. 9.

Eccli 43.

LECTIO XIII.

De Secundâ Parte.

Super quem continebunt Reges os suum: quem Gentes deprecabuntur.

Reges & Gentium Principes ad Christum conversi.

SUper quem nempe divulgata & agnita Christi potentia per præcones Evangelii per signa Spiritus sancti, per miracula varia, per ipsum verbum Dei (quo tanquam virga & sceptro suæ potentiæ dominabitur in toto orbe) illi resistere Reges non audebunt. Sed manum ori apponent, non audentes ultra Christum vel ejus doctrinam & fidem calumniari, aut in dubium vocare? & quasi timore perculsi in tot portentis, totque mysteriis, continebunt os suum cum reverentia, quasi non ausi sistere in tantæ Majestatis præsentia & fulgore. Immo ipsi licet prius barbari & crudeles, mutatâ feritate, ad Christum convertentur, sicque adimplebitur illud: *Vitulus & Leo Agnus & Lupus, Isai 11. Vrsus & Ovis simul pascentur, & puer parvulus minabit eos.* Nempe Reges superbi quasi Leones, rapaces ut lupi, crudeles ut ursi, dimissâ superbiâ & fastu cum pauperibus aliis & humilibus Christianis pacificè conversabuntur: eorundem Sacramentorum, in iisdem doctrinæ sacræ pascuis, ejusdem escæ spiritualis participes erunt, sub eodem Ductore humili & mansueto instar pueri parvuli) eos ad pascua minante & dirigente. Nempe Apostoli ad fidem Christi deduxerunt Reges & Principes idololatras, humilitate, patientiâ, & mansuetudine suâ.

S. Bartholomæus Apost. in Armeniam progressus, *Polymium Regem* & duodecim civitates ad Christi fidem traduxit.

S. Matthæus in AEthyopiam transiens, hospitio primùm exceptus fuit ab *Eunucho Candacis Reginæ*, quem bapt. sarat *Philippus*; ac postea Regem, Reginam, cum totâ familiâ regia convertit ad Christi cultum. *Act. 8.*

SS. Petrus & Paulus in quietè apparuêre *Constantino* Imperatori, qui lepræ curandæ causa sibi ex infantium sanguine balneum meditabatur, præceperuntque ei, ut si ex lepra curari vellet, omissa impiâ balnei immanitate *Sylvestrum* in Soracte Monte latitantem accerseret: à quo salutari lavacro recreatus in omni ditione Romani Imperii templa Christiano more ædificari imperaret, sublatisque inanium Deorum simulacris, verum vero Deo cultum adhiberet. Constantinus igitur cœlestibus monitis obtemperans, Sylvestrum diligentissimè conquisitum vocat, à quo Apostolorum imagines recognoscens, baptismo sanatur, & ad tuendam propagandamque Christi religionem inflammatur.

Sic

Sic & alij Apostolici viri, Reges & Principes cum populis suis adduxerunt ad cultum Salvatoris, & ad ejus militiæ signa capessenda. Inter quos celebris est *Sanctus Remigius* Francorum Apostolus, qui Clodoveum Regem ad baptismum perduxit, & huic fontem baptismalem ingresso dixisse refert Gregorius Turonensis, hæc verba: *Mitis depone colla Sicamber.* Itaque Evangelij præconio per orbem insonante, illud Isaiæ impletum est de Christo & Ecclesia: *Erunt Reges Nutricij tui, & Regina Nutrices tuæ: Vultu in terra demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. Ecce levabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferent filias tuas in ulnis, & filios tuos super humeros portabunt.* Quasi dicat. Elevabo vexillum Prædicationis Evangelicæ sive per Apostolos, sive per Apostolorum successores; & conversio gentium undique fiet. Accurrent cum filijs & filiabus, agnoscentque *Radicem Iesse in signum populorum positam.* Principes & Reges venient, opes & divitias suas humiliter afferent, & offerent adorantes, ut filios Ecclesiæ nutriant, maximè primogenitos, Sacerdotes scilicet & Ministros. Quod & repetit Isaias de Ecclesia loquens. *Venient ad te curvi filij eorum qui humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum qui detrahebant tibi. Suges lac gentium & mamillâ Regum lactaberis: & scies quia ego Dominus salvans te, & Redemptor tuus fortis Iacob.* Ubi 70 Interpretes legunt & Chaldæa: Satiaberis divitijs populorum, & divitias Regum comedes. Et hæc quidem vaticinia manifestissima fuêre à temporibus Constantini, qui Ecclesiam tot privilegijs, tot donis, tot opibus adornavit. Patuit quoque in alijs pijs Imperatoribus, Regibus, Principibus, qui ubique magna munificentia Templa Christo dicârunt, fundârunt, dotârunt. Et hæc quidem Templa in singulis adhuc Provincijs testantur apertè Principum Pietatem, & Mamillam Regum, quibus Ecclesia & Christi fides adhuc in ortu & infantia sua fuit lactata. Denique manifestum est tot sæculis decurrentibus, quomodo filij eorum qui Ecclesiam antea vexarant, postea ad eam venerint curvi: Osculantes pedes illius qui in ea Christi locum tenet. Sic Reges Visigottorum, Francorum, Anglorum, Normannorum, Longobardorum, Germanorum, Hungarorum, & aliarum gentium Romam venêre, & ad pedes Vicarij Christi sese abjecêre; Christum in ipso honorantes, & crucem calceis ejus affixam. Quem honorem voluit ei exhiberi Christus, quia eum repræsentat in summo fastigio: quinimmò per oracula jam dicta voluit illum prædicti honorem, sibi in Vicario suo exhibendum in osculo pedum.

Isaiæ 49.

Isai. 60.

Ecclesiam vexantes postea curvi eam adierunt.

Ex his igitur satis constat, quam verum sit, quod hic canitur: *O Radix Iesse qui stas in signum populorum super quem Reges continebunt os suum, quem gentes deprecabuntur.* Sed & hoc silentio hic non est prætereundum, quod Reges illi & Principes qui noluerunt se continere à calumnijs, blasphemijs, persecutionibus Ecclesiæ ob fidem Christi infligendis; infœlicibus fatis, justâ Dei vindictâ abrepti interierint. Ut sic nimirum alijs exemplo suo funesto silentium indicerent, certoque sibi persuaderent, se numquam *Radicem Iesse* cum germine suo posse succidere: quin imò quemlibet id tentantem, conatum & ictum omnem in caput suum retorquere.

Persecutores Ecclesiæ miserè interierunt.

Sic Julianus, impius Christi hostis, statuerat (teste Orosio libro septimo) post partam victoriam de Persis, Religionem Christianam funditus perdere. Et Hierosolymis Theatrum ædificari jusserat ad eorum cædem, ut ibi esset carnificina, ubi illa Religio erat orta. Verum in bello contra Persas, sagitta è Cœlo vulneratus est, ut impietatis jam conceptæ æternas lueret pœnas, Cœlo pro Christiana fide pugnante. Nec eum latuit à Christo hanc necem sibi inflictam esse; nam è vulnere cava manu sanguinem hauriens, in cœlum vociferans projiciebat cum his verbis *Vicisti Galilæe vicisti.* Et iterum quasi Christum conspiciens, inclamabat: *Saturare Nazarene, saturare.* Sic ad extremum usque spiritum insectatus est Christum, sed in exitium suum. Succidet e voluit *Radicem Iesse*, de Nazareth floridam, de Galilæa primum Germinantem, simulque Nazaræos, Galilæos, Jessæos, quibus nominibus vocati fuêre olim Christiani: sed in caput suum omne ejus consilium, & molimen retorsit Deus, dum ipsemet succisus, æternis est flammis mancipatus.

Primi quoque illi Christi & Christianæ Religionis persecutores, *Nero, Domitianus, Decius, Valerianus, Maximianus,* & alij, ignominiosissimâ & acerbissima morte interierunt. Nero cum sententia in eum lata per Senatum fuisset, ut nudus per publicum duceretur, furcâ collo ejus insertâ, virgisque ad mortem cæderetur, (eo quod universum Senatum interficere decrevisset) desperatione fractus, vili indutus veste, fugam arripuit. Et in spelunca delitescens quarto ab urbe lapide, cum equites se quærentes adventare cognovit, sibi ipsi manus intulit. Cumque ægre moreretur, quidam qui cum ipso fugerat, eum in hac ignominiosa morte adjuvit; & confecit, idque accidit 4. Idus Junij, eâ die quâ olim Octaviam conjugem interfecerat, agens suæ ætatis annum 32.

Sueton in Nerone

Similiter *Domitianus*, miserabili fato suorum conspiratione confossus interijt; quia secundam post Neronem persecutionem acerbam moverat in Christum & Christianos, odij & impietatis Neronianæ hæres: Ipse est, qui Sanctum Joannem Evangelistam in ferventis olei dolium mitti jusserat, ex quo cum illæsus exisset, eum in Pathmos insulam relegârat.

Decius quoque, & *Valerianus* ejus Collega, aliam persecutionem excitârunt, sub quibus in craticula tostus fuit Sanctus Laurentius, Sancta Agatha in mamilla torta. Sed justo Dei judicio Decius à Gothis cæditur in alieno solo, & inter confusas turbas, cadaver ejus in gurgite paludis submersum num-

quam potuit reperiri. Valerianus verò à Sapore Persarum Rege captus, miserabili servitute cogitur Regi, dum equum conscenderet, subsellij vice subservire, & micas, canis instar, sub ejus mensa comedere.

Galerius Maximianus, cum aliud persecutionis incendium susciasset, apostemate in partibus verendis, & in interioribus recessibus corporis ulcere purulento percussus est. Atque exinde pestifero & lethali fœtore, vermium multitudine redundante, fœtidè interijt. Sic justo Dei judicio pereunt acerbo fato, qui Christo se opposuère. Et qui radicem Jesse excindere conati sunt, excisi ictu cœlesti jacent. Unde de his omnibus illud Sancti Gregorij Nazianzeni orat. 2. in Julian. repetere licet. *Quomodo facti sunt in desolationem, repente destituti sunt, perierunt propter scelera, tanquam pulvis qui dispergitur à procella tanquam arena vento disjecta, tanquam vos matutinus, tanquam ictus tonitrui, tanquam corruscatio perstringens.*

Euseb. l. 8. cap. 18.

Isa. 2.

Ergo, ô Principes gentium, continete os vestrum super eum qui potens est vos subitò delere: *Quiescite ab homine cujus spiritus est in naribus ejus; quia excelsus reputatus est valde*, inquit Isaias. Quasi dicat: Absit ut Christum, ejusque cultores insectemini; quia licet ipse ut homo naribus respiret, flatu tamen & spiritu solo potest vos in momento subvertere, quia excelsæ est potentiæ. Et vos, O Reges, id intelligite, ideoque servite illi in timore, qui potest vos tanquam vas figuli confringere: *Apprehendite disciplinam*, sive (ut Hebræa habent) *Osculamini filium*, adorate eum, qui licet sit de radice Jesse secundum humanam naturam, est tamen filius Dei Patris consubstantialis secundum divinam. Ideoque Rex Regum à Patre constitutus est, cui in subjectionis & servitutis symbolum oportet vos manus exosculari, ut solent subditi legitimo Principi, & homagium offerre, vultumque ejus deprecari. *Veni, jam noli tardare.*

Psal. 2.

Cæterum, quoniam tempus sibi illud repræsentat Ecclesia, quo Christus expectabatur oriundus de genere Jesse & David, dominaturus que Regibus & gentibus; ideo voce gemebundâ, Turturis instar aut Columbæ, precatur ut cito veniat, & dicit: *Veni ad liberandum nos, jam noli tardare.* Quasi dicat; Ubique regnat iniquitas, & Dei oblivio profunda, ubique oppressio violenta; fractique ex parte animi, tam longâ dilatione, pene videntur desperare: ergo ne differas auxilium, adjutor in oportunitatibus, in tribulatione. Imple promissiones tuas, per os Prophetarum nobis factas. Inclamante enim & vociferante Prophetâ Abacuc, justisti judicari, immò & tabulis consignari hoc promissum: *Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Et per Isaiam dixisti. *Prope est ut veniat tempus ejus & dies ejus non elongabuntur, miserebitur enim Dominus Iacob & Israel salvabitur.* Ergo nunc exurge, tempus est; periculum in mora est, veni ad liberandum nos, & noli tardare. Miserere Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Abac. 2.

Isa. 14.

LECTIO XIV.

De quarta voce Turturis.

O Clavis David, & sceptrum domus Israel, qui aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit; veni & educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris & umbra mortis.

CLavis cum sit facultas quædam ad aperiendum, potestatem variam sacris in eloquijs designat. Sic Christus Dominus dicit se Petro dare claves regni cœlorum, dans illi potestatem remittendi peccata. Similiter asserit Pharisæis datam à Deo clavem scientiæ sed eos non introisse, quin potius eâ clave abusos etiam aliis ad introeundum impedimento fuisse, quia nimirum doctrinam sinceram legis pervertebant quâ potuissent homines ad Christum deduci, & sic impediebant eos, ne introirent ad veram scientiam & veritatis cognitionem, cujus ostium erat fides in Christum. Denique, notum est per clavium traditionem quosdam inaugurari ad Magistratum, Principatumque ad civitates scilicet plena & sublimi potestate gubernandas.

Quomodo & qua Clavis Christo competat Luc. 11.

Itaque Christo Domino competit clavis varijs de causis.

Primo quidem ei competit singulariter clavis regni cœlorum, ratione potestatis, excellentiæ, & principatus supremi in Ecclesiam Militantem, quæ in Scripturis, Regnum cœlorum nonnunquam nominatur. Hanc nimium plenissima gubernat potestate in omnibus, tamquam Rex & Summus illius Sacerdos habens Vicarium in terris, cui administrationem illius commisit. Hæc est domus David, cujus clavis ei concredita dicitur apud Isaiam *Dabo clavem domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat, claudet & non erit qui aperiat.* Nemini datur ingressus in Ecclesiam, nisi ipso aperiente & admittente. Nemo participat in ipsa aliquam potestatem, nisi ipso illam communicante. Quinimmo ipse non solum dicit se clavem habere, sed & ostium esse: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* Nemo quoq; participat ullam gratiam, nisi per ipsum. Cui vult thesauros gratiæ aperit, cui vult ipse claudit. Denique per Baptismum, quasi clavem & primum ostiũ introducit infideles in domum suam, in Regnum suum, in Ecclesiam suam.

Diversæ claves ex diversis causis Christo competunt.

1. Clavis regni cœlorum.

Isa. 22.

Ioann. 10.

Secundo competit ei clavis Regni cœlorum, ratione potestatis in Ecclesiam triumphantem. Quia jus habet & facultatem in illam introducendi quos voluerit Fideles. Ipse solus aperit, dignos faciens illos quos introducit; solus claudit, indignos repellens. Hanc tamen etiam dignatus est communicare Ecclesiæ suæ, dum potestatem remittendi peccata est impertitus Petro & successoribus: quia per illam cœlum aperitur credentibus.

tibus, omniaque obstacula removentur. Etenim sola peccata reatusque eis annexus, fores cœlestes claudunt improbis : *Nihil coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum.* O sublimis potestas remittendi peccata. O sublimis clavis removens talia obstacula ! O fœlix Ecclesia tali potestate, tali clave!

Apoc. 21.

Tertiò competit Christo clavis mortis & inferni. *Ego sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo claves mortis & inferni.* Ipse nimirum est, *Alpha & Omega, principium & finis* omnium, secundum divinitatem : mortuus fuit secundum humanitatem, & resurrexit secundùm propriam virtutem, ut vivat in sæcula sæculorum, aliisque vitam communicet sempiternam, auctor & largitor veræ vitæ. Sed & habere se asserit claves mortis & inferni; hoc est interprete B. Ruperto, claves duplicis mortis, videlicet animæ & corporis. Mortis namque nomine dissolutio corporis, inferni autem nomine mors animæ quæ æterna est, rectè significatur; cujus utriusque mortis claves, id est potestatem ipse habet, juxta illud: *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit.* Habet ergo claves mortis & inferni, qui habet potestatem occidendi, & occisos æternis pœnis mancipandi. Deinde habet claves mortis & inferni (interprete Richard. de S. Vict.) quia per potestatem suam portas mortis & inferni in fine aperiet, ibique diabolum & sectatores ejus sine fine cruciandos includet. Talem ergo differentiam inter mortem & infernum possumus accipere; ut per mortem intelligamus tormentum reprobis præparatum, per infernum autem locum tormento destinatum. Denique habet claves mortis & inferni, quia potestatem habet supra mortem, quæ eum detinere non potuit; & supra infernum, quia destructis claustris ejus & repagulis, captivos inde traxit: habetque potestatem nostræ mortis, & nostræ resurrectionis : immo per claves istas, recte intelliges cum Joachimo Abbate jura antiqui hostis, quæ habuit in genus humanum jam inde ab initio per seductionem Adæ, reddens hominem morti obnoxium, & inferni suppliciis: quæ jura Christus illi per passionem eripuit.

3. Apoc. 1. Clavis mortis & inferni.

1. Reg. 2.

Quartò competit illi specialissimè & eminentissimè Clavis scientiæ : quia cùm sit Sapientia æterna in sinu Patris, mysteria à sæculis abscondita æternitatis consilia, potuit & potest quando vult, & quomodo vult aperire, sive per se, sive per Prophetas, per Apostolos, per Doctores in Ecclesia futuros usque ad consummationem Sanctorum, ad ædificationem corporis sui mystici. Et hanc clavem vocamus clavem David, quia Davidi eminenter fuit communicata scientia mysteriorum divinorum, & ipse præ cæteris Prophetis, genere, gestis, regno, vaticinio, mysteria Christi prænunciavit, aperuit, & ad vivum expressit. De hac ergo clave rectè intelliges illud, *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* In quem locum Richard. de S. Vict. Hæc dicit sanctus & verus, sanctus in bonitate, verus in promissione : qui eo quod sanctus, numquam peccat; & quia verus, numquam mentitur; & quia habet clavem David, cui vult mysteria sapientiæ aperit & largitur. Quid enim per clavem David apparens Filii hominis similitudo nobis rectius designavit, quàm gratiam spiritualis sapientiæ, quæ & Davidi, & aliis Prophetis mysterium humanæ redemptionis luculenter aperuit? Quæ specialiter dicitur David, & propter prærogativam manifestationis, & propter promissionem sibi factam. Qui aperit & claudit : aperit corda ad intelligentiam fidei, aperit ora ad prædicationem verbi, aperit intellectum scripturarum, aperit naturas rerum, aperit sensum ad cognitionem, aperit affectum ad dilectionem, aperit linguam Doctorum ad docendum, aperit corda populorum ad credendum, & quoniam quæ electis aperit, reprobis claudit, rectè dicitur claudit & nemo aperit. Sic aperuit duobus in Emaus euntibus sensum scripturarum, claudit reprobis Judæis, quibus usque hodiè velamen remanet super cor clausum

Apoc. 3.

Luc. 24.

4. Clavis scientia seu clavis David.

Denique convenientissimè per clavem David Crux Christi intelligitur. Unde dicitur hæc clavis imponi *super humerum ejus.* Quod factum est, dum per Crucem Christi patientis humeris impositam inauguratus censetur ut Rex, prius diademate spineo coronatus, & purpureo paludamento ornatus. Hæc ergo fuit clavis Regia, Symbolum potestatis, & Insigne imperii sui. De qua iterum fit mentio : *Factus est principatus super humerum ejus.* Per hanc clavem & cœlum aperuit & infernum. Cœlum quidem, quia illud antea clausum erat, & nemo poterat ingredi Quomodo clausum? Per rigidum illud claustrum decreti universalis, quo prohibebantur Filii Adæ ab illius ingressu, donec pro peccato totam naturam inficiente pretium satisfactionis & sanctificationis fuisset exhibitum. Et hujus quidem decreti & impedimenti Symbolum fuit romphæa flammans & versatilis, in aditu paradysi posita, ne Adam cum Filiis illuc regrederetur. Sed Christus Dominus cruce suâ omne removit obstaculum, omnem obicem, omne decretum. Perrupit omnia claustra, extinxit cruore suo omnem gladii aciem & flammam : illoque amoto Filiis Adæ ostium latum aperuit, & viam stravit, quâ redirent ad gratiam, ad Paradisum, ad cœlum. Per eandem quoque vim crucis infernum aperuit limbum, vectes ferreos referans, & educens *in sanguine testamenti vinctos de lacu in quo non erat aqua.* Sic captivam reduxit secum captivitatem, regnis cælestis jam apertis inferendam. Quapropter in ejus ascensu triumphali inclamatur. Virtutibus

Crux Christi : clavis David. Isai. 22.

Isai. 9.

Gen. 3.

Zach. 9.

tibus cœlestibus ; *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* O clavis, primùm quidem onerosa portanti, sed gloriosa ascendenti ! O clavis efficax in cœlo, in terra, in inferno, cujus virtute cœlum aperitur, sepulchra reserantur, eductis captivis Satan inferno claditur !

Psal. 23.

Quatuor claves naturæ Deus sibi reservat. Deut. 28.

Dixerunt Hebræi, Deum sibi specialiter quatuor claves naturæ reservasse. 1. Clavem pluviarum, ut è thesauris absconditis illas ad libitum emittat, vel retineat quadam clausura coarctatas. Deut. 28. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cœlum ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo, benedicetque cunctis operibus manuum tuarum.* 2. Clavem vitæ, hoc est generationis, dando fœcunditatem, vel immittendo sterilitatem. Hinc in sacris eloquiis dicitur Deus claudere vel aperire vulvam Quapropter cum Rachel infœcunda & invidens sorori suæ Liæ, diceret marito suo Jacob: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Gen. 30. Resp. Jacob iratus: *Num pro Deo ego sum, qui te privavit fructu ventris tui?* 3. Clavem alimoniæ, ad famam depellendam. Unde Psal. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Psal 144 4. Clavem sepulchrorum, hoc est resurrectionis. Unde Ezech. Hæc dicit Dominus: *Aperiam tumulos vestros, &c. ducam vos de sepulchris vestris populo meus, & scietis quia ego Dominus.* Ezec. 37.

An non hæc omnia si ad sensum spiritualem referamus, Christo cui clavis David attribuitur, aptissimè convenire inveniemus ? *Primò* quidem, nonne ipse est qui de thesauris suis pluviam nobis donat, roremque de Cœlo, quo arida cordis nostri terra fructificet in germen optimum, & frugem optimam. *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.* Psal. 67. Cùm tribus annis videretur cœlum clausum tempore Eliæ, nubecula ascendente de mari, quæ habebat vestigium quasi hominis aperuit illud Deus, & pluvia abundantissima perfudit terram. Tres ibi status rectè dixeris designatos antiqui temporis, unum ante legem, alterum sub lege, tertium sub Prophetis : quo tempore cœlum videbatur clausum, quia cœlestis gratia rara erat, & vix è cœlo defluere in animas videbatur. At Christus nubecula humanitatis nostræ vestitus clavem habuit, & in cœlum potestatem, abundantissimam gratiæ pluviam post suum in cœlum ascensum effundens : ex qua tot benedictionis germina in hæreditate suâ exorta cognovimus, tot Martyrum rosas purpureas, tot Confessorum virentes flores, tot Religiosorum millia quasi cœlestes violas, tot candida Virginum lilia. Ergo clavis pluviæ apte ipsi convenit. 3. Reg. 18.

1. Clavis gratiæ.

2. Clavis generationis sacræ.

2. An non ipse est qui clavem habet generationis sacræ, quandoquidem uterum MARIÆ fœcundavit, & aperuit sine virginitatis detrimento ? Ex illo processit non solum ipse, sed & membra omnia ejus mystica ; hoc est, omnes fideles, quos spiritualiter Mater illa & Virgo enixa censetur. An non iterum ipse est, qui uterum Ecclesiæ, sponsæ suæ, ita aperit & fœcundat, ut in finem usque sæculi pariat amplissimam generationem filiorum timentium Dominum, generationem quærentium faciem Dei Jacob ? Et quidem tanta ejus fœcunditas jam ab initio fuit, ut eam admirans Propheta exclamarit : *Quis audivit tale? Quis vidit huic simile? Numquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul? Quia parturivit & peperit Sion filios suos.* Respiciebat nimirum exordia Ecclesiæ, cum tot fideles ipsa peperit, Christo ejus uterum fœcundante & aperiente : quando uno die tria millia, altero quinque millia fidem susceperè, Petro prædicante. Sic ergo & clavis generationis aptè Christo attribuitur. Isai 66,

3. Clavis alimoniæ angelicæ.

3. Nonne est ipse qui instar Joseph (quem Salvatorem Ægypti vocavit Pharao (clave suâ aperit regium horreum, pro fame depellenda ? Nonne omnes invitat ad frumentum electorum, omnibus illud abundè suppeditans ? Immo aperit & ipse cellaria Regis, ut introducat sitientes dicente ejus Sponsa : *Introduxit me Rex in cellaria sua* ; in cellam scil. vinariam, ubi reficit sitientes non tumultuoso vino spiritum vertiginis germinante, sed vino quod germinat Virgines, & recalcitrantem mentis & ventris sopit pruriginem Quis verò illuc potest introducere, nisi ipse ? Aperit quoque quotidie quinque rivulos, usque ad cordis sui secretum originem habentes, ut omnes abundè pascat, reficiat, satiet. Sic ergo clavis alimoniæ ei rectè attribuitur. Cant. 1,

4. Clavis resurrectionis spiritualis,

4. Quis est qui aperit sepulchra, & educit vinctos & fœtidos Lazaros, nisi ipse ? Quis peccatores jam inveteratos, in tumulis criminum suorum, & non solùm quatriduanos, sed & quatuor immo quadraginta annis fœtentes, è tumulis educit, apertis, & ad vitam reducit, nisi ipse ? Quis Magdalenam, quis Matthæum, hunc è sepulchro avaritiæ, illam è sepulchro concupiscentiæ eruit, nisi ipse ostendens eis vias vitæ ? Et nonne tandem in fine sæculi omnium sepulchra aperiet, personante novissimâ tubâ ; & qui audierint vocem Filii Dei procedent in resurrectionem vitæ ? Sic ergo & clavis sepulchrorum illi rectè assignatur. Et quidem hæc omnia ei competunt virtute crucis suæ.

O Clavis David, unica quidem, virtute tamen multiplex ! O quam admirabilis es, quam multiformis in effectibus tuis, dum aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit ; Veni, O Filii David, ut sedeas super sedem Patris tui David, juxta divina promissa. Veni & mystica tua clave aperi nobis intellectum ad te cognoscendum, aperi nobis cor ad te amandum, aperi memoriam nostram ad beneficia antiqua & nova recolendam. Aperi os & linguam ad laudes tuas decantandum, aperi aures mentis & corporis ad te audiendum & obedien-

dum,

dum, aperi viscera ad compatiendum, oculos aperi ad lachrymas & fletum. Tu enim solus potes aperire, & dum aperis nemo potest claudere. Veni, O Fili David, & mysticâ tuâ clave, claude oculos & sensus nostros, ne ultra hauriant vanitatem, sed soli pateant veritati. Claude corda fœdo & profano amori, ac cupiditati; claude os & labia maledictioni, & venenatæ detractioni: claude aures Satanæ sibilo, & pravæ suggestioni, Claude omnes animæ fenestras, omnemque in nos aditum prohibe peccato, inferno, & morti. Tu enim solus potes claudere, & dum claudis nemo, potest aperire.

Veni, O Domine Jesu, aperiatur cœlum, aperiantur nubes, aperiatur terra, & te germinet Salvatorem. Aperi nobis cœlum, & cœlestes nubes, ut ros & pluvia descendat super nos, quasi stillicidia stillantia super terram cordis nostri aridam: sic ipsa cœleste germen germinabit à te irrorata. Aperi fontes gratiæ, fontes vitæ, de quibus cum gaudio hauriamus aquas salutis: quia clausi sunt & signati, tuque solus potes aperire. Veni & aperi absconditos thesauros, filiis tuis electis elargiendos. Aperi regnum cœlorum omni amoto impedimento, ut intrent electi tui, dilecti tui. Sic introeamus ad te, aperiente te: introeamus ad cortuum per ostium latum lateris, per januam illam apertam pietatis? introeamus ad gloriam, & ad conclave ac Sponsi thalamum, ad æternitatis regnum, ubi te laudare valeamus in sæcula sæculorum. Ibi confortabis seras portarum tuarum, ut nemo ingrediatur inimicus, nemo egrediatur amicus: ut eum illis quibus aperuisti, æternùm maneas; ut quibus clausisti, jam amplius non aperias: quia clave æterna clausa erit janua, electorum tuorum numero adimpleto

LECTIO XV.

De sceptro domus Israel.

Sceptrum cujus rei symbolum.

Sceptrum signum est Regiæ auctoritatis, & supremi Principatus symbolum. Quin immo ad divinum etiam imperium designandum, sceptri nomine sacri & profani utuntur auctores. Hinc Ægyptii Sapientes olim depinxere Deum tamquam sceptrum, cui Oculus insculptus erat; designantes per id ejus potentiam omnia regentem, simulque ejus providentiam ac vigilantiam, omnia circumspicientem, & moderantem. Testis est hujus rei S Cyrill. Cui consonat visio Hieremiæ, ubi Dei potentia & providentia semper vigilans, ut plectat sceleratos, repræsentatur ei per *Virgam vigilantem*: hoc est, ut aliqui vertunt, *Oculatam*, sive oculos apertos & vigiles habentem, ut flagitia pervideat, & vigili curâ in illa animadvertat. Erat ergo Virga illa sceptrum Dei regium; sceptrum justitiæ, sceptrum potentiæ oculatum. Phryges quoque non absimili modo pingebant Deum, quasi sceptrum Sole exornatum, ut testatur Macrobius. Est enim Deus Sol, qui omnia videt, omnia audit, omnia regit, & illustrat. Ergo Sol ipse & Sceptrum.

Lib. 9. contra Julianum

Jerem. 1.

Lib. 1. c. 21.

Simili ratione Christus Filius Dei qui est potentia Patris, Sceptri nomine designatur. Et quidem *Sceptrum domus Israel* specialiter appellatur, quia missus est ut Domum Israel, regat & moderetur. Domum scilicet Israel, non tam illam quæ Israelis est secundum carnem, quam illam quæ Israelis est secundùm electionem & benedictionem. Missus enim est, ut electos colligat, illos moderetur, illos in finem æternæ prædestinationis dirigat. Et hi sunt Domus Israel, generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob: hos regit & pascit *Virgâ Decoris*. Reprobis quidem & ipse dominatur, sed in malum eorum, æternis tandem suppliciis eos plectens & scelera vindicans. Et hos ergo regit, sed *Virgâ ferreâ*, vel Virgâ *Funiculus* nuncupatâ. Ait enim per Proph. *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, alteram vocavi Funiculum, & pavi gregem.* Quid per illas duas Virgas designatur, nisi duplex regimen? Unum est suave, speciosum, & decorum, quo boni reguntur, amore, clementiâ, suâvitate: alterum severum, pœnis & suppliciis permixtum, quo rebelles non tam reguntur, quàm constringuntur, quasi funiculis in hac vita, rudentibus postea detrahendi & detinendi in æternis suppliciis. Quibus etiam minatur Prophetâ Isaias *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & tamquam vinculum plaustri peccatum.* In modum scilicet funis, qui ex pluribus filis crescit, peccata à reprobis contexuntur, donec crescant in crassum rudentem plaustri, quo ad supplicium tandem æternæ damnationis in præceps pertrahuntur. Propter hos ergo assumit Virgam *Funiculus* nuncupatam, variis eos minis & pœnis constringens in hoc sæculo. Sed quia his minis pœnisque non retrahuntur à peccato; postea *Virga ferrea, tamquam Vas Figuli confringet eos*, & in fornacem æternum cruciandos detrudet.

Christus sceptrum domus Israel.

Zach. 11.

Isai. 5.

Psal. 2.

Cæterùm, si hujus sceptri domus Israel magnificentiam, potentiamque vis intelligere, memineris Virgæ prodigiosæ, quâ Moyses Filios Israel eduxit de Ægypto in tot portentis. Virgam istam rectè Sceptrum domus Israel nominaveris: nam & typus ac symbolum fuit protestatis quâ Christus Filius Dei eductus erat fideles de servitute peccati, & de Satanæ potestate. Et illam quidem Virgam, quasi regiminis sibi à Deo in populum suum concrediti sceptrum, projecit Moyses jussu Dei in terram, & in colubrum versa est: sed cùm eam iterum è terra in manus sumpsisset, coluber in Virgam est reversus. Quâ quidem duplici transmutatione, diversus status Hebræorum in Ægypto designatus fuit. Quia illi primò virgam, hoc est sceptrum & principatum tenebant, vivente & regente Joseph, & tunc amabantur ab Ægyptiis. At postea dum Joseph vitâ functus fuit, exosi fuere Ægyptiis, quasi essent colubri & serpentes, vitæ eorum insidiantes: sicque in terram projecta Virga, seu

Virga Moysis figura Christi.

sceptrum Joseph, in colubrum videtur versa, principatu ejus contempto & in odium vocato. Sed tandem coluber in Virgam reversus est in manu Moysis: quia ei rursum data est potestas & principatus potens instar sceptri, ut in libertatem assereret Israelem: Sed

Lib. de Incarn. c. 14. recte mystico sensu docet S. Cyrill. significatum fuisse, Christum qui est potentia Patris, tenens sceptrum directionis & æquitatis) quasi in terram fuisse projectum, per incarnationem & corporis terreni assumptionem, sicque factum esse, ut in hac humilitate non fuerit agnitus, sed potius odio habitus, & tandem sicut serpens, hoc est, sicut homo venenatus & malignus, in crucem elevatus & despectus. At iterum per resurrectionem serpens hic in Sceptrum & Virgam regiam commutatus cernitur, dum Rex & Dominus universi specialiter est à Patre constitutus. Unde illi

Psal. 109. Regius Vates canit: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion; Dominare in medio inimicorum tuorum.* Quasi dicat: Sceptrum potentiæ tuæ regalis, sceptrum fortitudinis, ex Civitate & Monte Sion incipies propagare usque ad ultimum terræ, per legatos tuos Apostolos; & tunc acclamabitur tibi tamquam triumphatori: *Dominare in medio inimicorum tuorum*: Dominare Fili David cum Clave tua mystica ✠ super omnes Reges elevans Thronum. Dominare Rex pacifice, cum Virga potentiæ tuæ, totum Satanæ suppeditans Regnum. Dominare instar Moysis super Pharaonem, & ejus exercitum, demergens eum in profundum. Dominare cum sceptro domus Israel super omnes tuos & Israëlis hostes, ut pertranseat populus iste quem possedisti, & pertingat ad habitaculum sanctum tuum. Dominare, ô Galilæe, ô Nazarene, in medio Neronum, Julianorum, Deciorum, Maximinorum, & omnium persecutorum. Dominare ô Rex gentium & Judæorum, in medio omnium infidelium, vel hæreticorum, te antea blasphemantium. Hoc nimirum potes virtute Virgæ tuæ, virtute Crucis tuæ, quæ est sceptrum domus Israel, omne aliud sceptrum superans cujuslibet Exactoris vel Tyranni. In hujus rei

Exod. 7. figura, Virga Moysis devoravit Virgas Magorum Pharaonis, in conspectu ipsius Regis. Et iterum in ejusdem rei significationem, monetur populus Dei à jugo captivitatis liberatus exultare, & Regi Babylonio insultare: *Et erit in die illa cum requiem dederit tibi Deus, à conculsione tua, & servitute dura, quâ ante servivisti, sumes parabolam istam contra Regem Babylonis, & dices: Quomodo cessavit exactor, quievit tributum, contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cadentem populos in indignatione plagâ insanabili, subjicientem in furore gentes persequentem crudeliter*; His enim omnibus, sub typo servitutis Ægyptiacæ vel Babyloniæ, servitus sub peccato & Dæmone insinuatur, quæ per Christum sublata est virtute Crucis. Et hæc est Virga Moysis, & Sceptrum domus Israel, Virga dominans Pharaoni, libertatem asserens Israeli.

Sceptri 2. Si intelligere cupis sceptri hujus domus Israel magnificentiam, potentiam, & mysterium: memineris sceptri Joseph, sive Virgæ quam gerebat in symbolum potestatis sibi datæ in Ægypto, quâ primus erat à Rege. Hoc sceptrum non fuisse sine mysterio, indicat Apostolus dicens: *Vide Iacob moriens, singulos filiorum Ioseph benedixit, & adoravit fastigium virgæ ejus.* Et licet Genesis 47. solùm legamus: *Adoravit Israel Deum, conversus ad lectuli caput*; nec mentio fiat Virgæ aut Sceptri: attamen 70. Interpretes, & ex illis Sanctus Paulus legit: *Adoravit fastigium Virga ejus.* Et utraque lectio ac versio canonica est, & vera. Utrumque enim fecit Jacob. Cum enim juxta petitionem suam promisisset ei filius suus Joseph, quod in Chanaan apud Patres suos in terra promissionis ossa ejus sepeliret; illi gratias egit, & curvando se reverentiam exhibuit: simulque veneratus est sceptrum, & in illo regiam potestatem Josepho filio suo non tam à Rege quam à Deo datam. Deumque simul adoravit, & gratias egit de tali potestate filio suo impertita, per quam etiam multa futura præsignata cernebat.

domus Israel potentia & mysterium. Hebr. 11. Gen. 47.

Prophetice ergo id fecisse Jacob credendum est prævidebat enim ex Joseph nascituros Reges, qui gererent sceptrum Israel, sive decem Tribuum in Samaria: hinc adoravit sceptrum Joseph, vaticinans ex illo nascituros Reges, quos subditi essent cuivis populo veneraturi. Sic explicat S. Chryf. & Theod. Sed asserendum est id potissimum fecisse; quia in Joseph & ejus sceptro prævideret mysteria Christi: ideo Apostolus specialiter attribuit fidei Jacob hanc adorationem Virgæ. In Joseph ergo typum Christi cernebat, quem fide adorabat ex se nasciturum, & orbi dominaturum per potestatem sibi à Patre traditam: in Virga etiam, tamquam in typo, hanc potestatem agnoscebat, crucemque ejus, Virgam virtutis, & sceptrum domus Israel, adorabat.

Propheticè Iacob sceptrum adoravit. Procopius Sedulius, & alii.

Cur verò fastigium Virgæ adorasse dicitur, mystico verisimiliter osculo illud exosculatus? Rectè *B. Ephrem* per fastigium istud Virgæ designari dicit Tabellam crucis, in qua nomen istud venerandum Jesus Nazarenus exarandum erat, quod & in spiritu Jacob prævidebat. Moriens ergo in fide Redemptoris, irruit osculatutus, & veneraturus Crucem, Nomen, Sceptrum, & Potestatem illius cujus aspectu frui non poterat. Ut sicut nunc Christiani morientes Jesum Crucifixum ore & corde invocant, illiusque imaginem exosculantur: ita & Jacob fide Christum adorans, ex hac vitâ decedere voluit. Unde dicitur adorasse Dominum, non Joseph. Atque etiam in fine vitæ diserte de Christo Salvatore spem & fidem suam expressit, dicens: *Expectabo salutare tuum Domine.* Adde, quod propter hanc fidem & spem adjurarit Joseph, ut eum sepeliret in terra Chanaam, in terra promissionis: prævidebat enim in spiritu Christum in illa terra nasciturum, illam vestigiis suis sanctificaturum, illam sanguine suo aspersurum, in illa moriturum & resurrecturum; seque consortem

Cur Iacob adoraverit fastigium virgæ. Gen. 49.

fore

fore illius resurrectionis. Quia virtute sceptri ejus, hoc est crucis, è limbo educi debeat, & corpus resumere cum alijs Prophetis & Patriarchis, qui in die resurrectionis cum Christo resurrexerunt, de quibus dicitur:
Matt. 27 *Multa corpora Sanctorum surrexerunt, & apparuerunt multis.* Inter hos enim Jacob fuisse vix potest dubium esse.

Tu ergo, ô Christe, qui tenes sceptrum Israel, agnitum à Patriarchis, prædictum à Prophetis, à Jacob in Virga Joseph adoratum, ab omnibus veris Israelitis cunctis sæculis agnoscendum, & adorandum: Veni, & illius virtutem in nobis ostende, ut illud veneremur, & illi nos subjiciamus toto corde, illius fastigium exosculemur in vita, exosculemur in morte. Illius virtute in medio cordium nostrorum dominare, ut possit de nobis dici: *Regnum Dei intra vos est.* Illius virtute hostes nostros nobis subjice, ut illis subactis, perfectius domineris in nobis, adeptâ plenâ pace. Quod fiet quando tandem ex domo Jacob fiemus domus Israel; ex domo luctante, domus videns Deum; dum lucta contra adversarias potestates finita, perfectè sceptrum tuum agnoscetur in electis.

Luc. 17.

Sceptri hujus magnificentia.

Tertio, si inte lligere vis magnificentiam hujus sceptri, memineris sceptri aurei Regis Assueri, quod protendere solebat Rex in signum clementiæ accedentibus ad se. Quod si accederet quispiam non vocatus, & Rex virgam auream non extenderet, morti sine ul-
Esther 5. la cunctatione erat obnoxius. Unde & Esther Regina non est ausa ad Regem accedere nisi hoc sceptro & signo vocata, licet pro vita sua & salute populi sui deprecatura veniret. Stabat ergo in atrio domus Regiæ, & sedebat Rex super solium suum in consistorio palatij. Quam ubi vidit Rex, placuit oculis ejus, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens osculata est summitatem virgæ ejus, Certè Filius æternus Dei sicut dicitur Brachium & sceptrum potentiæ Patris, sic & sceptrum clementiæ ejus esse, haud obscurum est. Illud autem clementiæ sceptrum nobis ostendit, & omnibus extendit per mysterium Incarnationis, ut jam nemo vereatur ad ejus Regium solium accedere quidlibet petiturus, hoc signo clementiæ invitatus. Christus ergo Brachium est in Divinitate, à Patre procedens ut brachium à corpore, illi consubstantiale. Sceptrum ejus humanitas, & quidem aureum, aureis gratiæ donis adornatum, & pretiosis meritis, quæ nobis communicat, ut veniamus ad Patrem. Sicut nemo habebat accessum ad Regem Assuerum nisi per Virgam auream: sic nemo ad Regem æternum, aut ad ejus Regiam, nisi per Christi humanitatem. Hanc oportet primum exosculari & adorare, si Deo volumus appropinquare, si eum alloqui, si aliquid impetrare. Qui fidit in sejpso aut meritis suis, sicque audet & præsumit ad divinum Thronum accedere, repulsam patitur, immo morti se obnoxium reddit. Quia hæc est voluntas supremi Regis, ut nemo per se & per merita sua præsumat accedere, sed per merita Jesu Christi. Per illa tanquam per signum clementiæ omnes electi prædestinantur, vocantur, justificantur, glorificantur. Unde Apost. *Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, salvi erimus ab ira, per ipsum, per quē reconciliationem accepimus. Per ipsum habemus accessum in uno spiritu ad Patrē.* Itaq; hoc signo clementiæ regiæ nobis exhibito invitati ad Regem: *Adeamus cum fiducia ad Thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, & inveniamus gratiam in auxilio opportuno.*

Rom. 5.
Eph. 2.
Heb. 4.

LECTIO XVI.

De vinctis è domo carceris educendis.

MEritò antiqui Patres non habentes accessum ad Regis hujus thronum tum quia clausa erat Regia ejus aula, Justitiæ decreto ob peccatum emanato obfirmata; tum quia in loco exilij adhuc carcere erant detenti, & ne appropinquarent vinculis colligati; inclamant ut clavis illa mystica veniat, qua aperiente nemo claudit; & sceptrum illud, divinæ clementiæ signum appareat. quo exhibito ipsi de tenebris & ūbra mortis egredientes, coram Rege compareant plenè reconciliati, & ejus præsentia æternum fruituri. Et hoc igitur est, quod eorum unusquisq; ingemiscens inclamat: O Clavis David! O sceptrum Domus Israel! veni & educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris & umbra mortis. Nempè oraculis Prophetis promissus erat Christus, tamquam aperturus tenebrosos carceres, & educturus carceratos & cōpeditos. Sic apud Isa. ei dicitur: *Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terrā, & possideres hæreditates dissipatas, ut diceres his qui vincti sunt: Exite, & his qui in tenebris, revelamini.* Quæ verba S. Ans. in Elucid. refert ad animas justorū, olim in limbo & purgatorio existentes, quas omnes putat Christum liberasse. Et ita sensus est. Misi te, ut his qui in vinculis sunt & potestate Dæmonis, diceres; *Exite*, ego vos in libertatem assero: Atque ut etiam his qui in tenebris jacent, diceres: *Revelamini*, sive velum caliginosum discindite, & ad lucem quam vobis affero, respirate. Et id quidem generaliter non solum ad justos in limbo, sed & ad omnes peccatorū tenebris & vinculis detentos rectè dirigitur, ad quos omnes Christus mittendus erat a Patre, jux a promissum ut è tenebris & compedibus eos erueret. Clamabant ergo ad eum qui in limbo erant in domo carceris, ut educerentur. Clamabat & tota humana natura jam quatuor millibus annorum velut æruinis carceris pressa, in ergastulo serva, in compedibus peccati detenta. Clamabat ad hunc liberatorem, qui vinctos & in umbra mortis lugentes poterat eripere: & renovabat Patris ea de re promissionem in sacris ejus litteris signatam.

Isai. 49.

Unde iterum eadem promissio, imò missio Filii, repetitur apud eundem Isaiam, *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium. Ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris, sedentes in tenebris.* Ex quibus verbis hæc Ecclesiæ vox desumitur, qua renovat & repræsentat instar gementis Turturis antiquos justorum gemitus,

Isai 42.

ad illam liberationem suspirantium. Immò & illos quibus tota adhuc natura ad ultimum adventum Redemptoris ingemiscit ; & clamores quibus ad consummatam redemptionem in exilio posita respirat, quæ tandem per Christum est perficienda. Nam hactenus justi clamant : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* ? Et iterum : *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo* Quid est enim corpus hoc corruptibile, quo animus compeditur, nisi domus lutosa & tenebrosa carceris? Quid est vita nostra nisi mortis umbra ? O vita hæc mortalis, vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, plena miseriis & erroribus! O vita quæ non est vita dicenda, sed mors, in qua momentis singulis morimur per varios mutabilitatis defectus diversis generibus mortium; cui tandem mors extrema ita finem imponit, ut cum esse desierit, non fuisse putetur. Sed heu ! mors ista vitalis, aut vita mortalis, umbra mortis, tot licet respersa amaritudinibus, à multis diligitur, multos suis dolorosis capit illecebris, multos fallis decipit promissionibus. At justi perspicacius ejus omnia mala, laqueos subdolos, falsa promissa contuentes, tædium & odium illius concipiunt : petunt enixè à Domino cum suspiriis & lachrymis eripi ex hoc obscuro carcere, & umbra mortis. Et de lutea ista ac fuliginosa domo gemitus præmittunt ad Domum Dei luminosam & speciosam, & ad veram qua ibi vivitur vitam, inclamantes, cum S. Aug. O tu vita, quam præparavit Deus his qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, tristitiæ nescia, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate & mutatione. Ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus, & timor nullus, ubi dies æternus, & unus omnium spiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur. Illuc ergo meritò suspirant, quicumque hic agnoscunt domum carceris, & umbram mortis. Illuc gemitus suos Turtur nostra dirigit pro suis membris, hoc est, Ecclesia pro suis Fidelibus.

Rom. 7. Psal. 41.

Vita hominis carcer, & umbra mortis.

Exempla Sanctorum dissolvi cupientium.

Illuc pulli ejus electi toto volitant conatu & desiderio mentis, quamdiu nequeunt pertingere mole præpediti corporis. Interim sub illa mole ingemiscunt, donec dissolutionem imminere cernant ; ad quam suspirant, ut jam non vincti, sed liberi ad Deum pergant.

Sic *Apost. Paulus* æterna desiderans, sed adhuc corruptionis suæ sarcinam portans, vinctus clamat : *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Dissolvi non quæreret, nisi se procul dubio vinctum videret. Idem ergo est ac si diceret ; Educ me vinctum de domo carceris & umbra mortis.

Philip. 1.

4. Mor. c. 41.

Audi S. *Greg.* Quum corruptibili carne exuimur quasi ab his quibus nunc adstringimur, molestiæ vinculis relaxamur. Præsentari namque jam Deo cupimus, sed adhuc mortalis corporis obligatione præpedimur. Jure ergo vincti dicimur, quia adhuc incessum nostri desiderii ad Deum liberum non habemus. Hæc S. Greg.

Sic & S. *Petrus* gaudens monebat Fideles renovato zelo ; cum jam sui corporis dissolutionem, & è domo carceris istius liberationem imminere certior à Deo factus fuisset : *Fratres satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Salvatoris* JESU CHRISTI. *Justum autem arbitror suscitare vos in commonitione, certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod Dominus noster* JESUS CHRISTUS *significavit mihi.*

2. Pet. 1.

Sic & S. *Martinus*, cum ad Candacensem vicum suæ Diœcesis in febrim incidisset, assidua Deum oratione precabatur, ut se ex illo mortali carcere liberaret. Testatur Breviar Rom. 11. Novemb.

Sic S. *Nicolaus* Tolentinas, sex ante obitum mensibus cum singulis noctibus concentum Angelicum audiret, & jam Paradisi gaudia prægustaret, crebro illud Apostoli repetebat ; *Cupio dissolvi & esse cum* CHRISTO. Nec cessavit, donec Christus, comitante Virgine Matre à dextris, & S. August. à sinistris, ei apparens, dixit : *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui* : sicque è corporeæ molis carcere est eductus, æternum Deum laudaturus.

Philip. 1.

Sic denique S. *Franciscus* æger in Ecclesiam Beatæ Mariæ Angelorum deferri se curavit, & ibi Psalmum 141. *Voce mea ad Dominum clamavi* in spiritu extremo prontmcians, cum ultimum illum versum dixisset ; *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo ; me expectant Justi, donec retribuas mihi* ; His verbis animam ab omni vinculo carceris hujus exutam, Redemptori & & Liberatori reddidit.

LECTIO

LECTIO XVII.

De quinta voce Turturis.

Vox hæc Tripartita.

1. *O Oriens splendor lucis æternæ.* 2. *& Sol justitiæ* 3. *Veni, & illumina sedentes in tenebris, & umbra mortis.*

Explicatio Primæ partis O Oriens splendor Lucis æternæ.

Cur Christus oriens dicatur.

TRiplici hic nomine sacris ex litteris desumpto Christus advocatur. Vocatur enim *Oriens. Splendor lucis, Sol justitiæ.* Primum nomen desumitur ex Zach c.6. *Ecce Vir oriens nomen ejus.* Et iterum c.3. *Adducam servum Orientem.* Hoc porro nomen ei rectè appropiatur.

Pr. 1. Primò, quia licet omnis creatura suum habeat ortum, ipse tamen tamquam æternus Dei Filius, ante omnem creaturæ ortum exortus est, ante omnia sæcula est Oriens ejus. Ideo per os Psaltis dicit ei Pater: *Psal.109.* *Ex utero ante Lucifer am genuite*; hoc est, ex mea fœcunda substantia ortus es, ante omnem Angelum, omnes stellas, omnia astra matutina, omnem creaturam. Ergo meritò, *Oriens nomen ejus.*

Pr. 2. Secundo & specialius hoc nomen ei convenit; quia aliæ creaturæ habent quidem ortum, sed qui brevi finitur & transit. At verbum oritur de mente Patris ab æterno, & in æternum est semper oriens, semper ortus: idem enim est in Patre gignere & genuisse, idem in Filio gigni & genitum esse. Sic nunquam occidit ejus nativitas, ab æterno oriens est, & usque in æternum. Ergo merito *Oriens nomen ejus.*

Pr. 3. Tertio, Oriens dicitur nomen ejus, etiam secundùm humanitatem: duplicem enim habet orientem: unum ab æterno Patre alterum in tempore à Matre. Ad hunc posteriorem orientem suspirabant Sancti Patres, & justi antiqui, optabant enim eum videre jam per nativitatem terrenam Orientis nomen susceipientem, quiper nativitatem divinam ante omnia sæcula ortus erat. Propter utramque ergo Nativitatem di- *Zacha.6.* citur apud Prophetam: *Ecce Vir, Oriens nomen ejus.* Unde subdit Propheta: *Et subter eum orietur.* Quia scil. in Christi Nativitate subter eum qui Deus est, orietur, & nascetur homo: & vice versâ, subter homine oriente & nascente orietur & quasi nascetur Deus. Etenim cum Christus natus est, Deus nobis ortus, & quasi natus est: quia in eo latebat divinitas, quæ sibi personaliter uniendo humanitatem, cum ea quodammodo nasci & oriri videbatur in terra. Atque etjam exinde Christus semper oriens, semper crescens, semper proficiens, ætate, gratia, sapientia apud Deum & homines; semper splendorem & lucem majorem spargens, per novam doctrinam, miracula, opera.

Pr. 4. Quartò, Oriens est nomen ejus, non solum ob nativitatem æternam, aut temporalem, sed etiam propter novam quandam nativitatem & ortum in sua resurrectione, quæ & regeneratio in Scripturis appellatur. In resurrectione enim (inquit B. Rupertus) Christus futurus erat Oriens, quia deinceps semper futurus in ortu, numquam in occasu. Unde à morte ejus, apud inferos timentibus nomen Domini ortus est ipse, ut Sol: & postea ascendens, cœlo, terræque novum attulit orientem, numquam moriturus amplius: in multitudine gentium & gloriâ resurgentium magnificandus. Et rursum, tunc verum fuit quod sequitur: *Subter se orietur, & ædificabit templum Domino, & ipse portabit gloriam.* Quia nimirum virtute non aliena sed propria resurget; & orietur cum ipso novum templum Domino, nova Ecclesia, cum splendore & luce in orbem universum se diffundens, ipseque coronam portabit gloriæ emptam morte sua, quam & suis communicabit, quos & resurrectionis suæ consortes efficiet.

Triplex Christi nativitas

Porrò de hoc triplici Christi Oriente, per nativitatem æternam, per nativitatem temporalem, per nativitatem & regenerationem novam in resurrectione, rectè illud intelligitur: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Primò quidem, *hodie*, id est, in & ab æternitate, in qua est unum hodie, unus dies æternitatis, unum nunc stabile, unum perenne præsens, in qua idem est genui, gigno, gignam, & id quidem *Hodie.* Hoc interpretatur de æterna nativi- *Heb.1.* tate Filii Apostolus ipse. Secundo, Ego hodie genui te, hoc est, in hoc die temporis, è matris sinu genera vi te, qui ab æterno è sinu meo tamquam Patris sinu processeras. Ita interpretatur Ecclesia, à Spiritu S. instructa, in officio Natalis Domini. Tertio, Ego hodie genui te, id est, novo quodam Oriente, nova regeneratione, è sepulchro tamquam utero te eduxi, novæ reddens vitæ, & tamquam Phœnicem novum ex cineribus tuis te genui, te suscitavi, in gloriosa illa & fulgida resurrectione, qua factus es *Primogenitus mortuorum.* De hac resurrectione etjam illam scripturam interpretatus est Apostolus Petrus. Quapropter vix ambigere possumus triplicem illum sensum à Spiritu Sancto esse inventum: & propterea etiam tripliciter Christo Domino Orientis nomen aptissimè convenire.

Psal.2. 1. 2. 3. *Apoc.1.* *Act.12.*

Ad illum ergo Orientem ab æterno, respiciebant Sanctorum mentes, & deprecabantur ut oriretur tandem in tempore ex Matre, qui ante omnia sæcula ortus erat ex Patre; & ideo clamabant: O Oriens, O Splendor lucis æternæ, O Sol justitiæ: Adorabant Orientem illum æternum, cui noster Oriens, omniumque ortus rerum, sive Angelorum, sive hominum, sive aliarum creaturarum, homagium debet & servitutem. Ab illo enim dependent, qui Patris Verbum & Filius est, per quem fecit & sæcula: à quo non solum vita & esse nostrum corporale, sed & vitae esse spirituale, supernaturale, & æternum dependet & oritur, nostra scilicet gratia, nostra salus & gloria. Ex-

spectabant vero cum justi antiqui & sancti Patres ferventissimis votis: quia qui sibi ortus erat & Patri in illa æternitate & inaccessibili luce, ipsis & nobis debebat oriri in sæculorum revolutione, ad illuminandum sedentes in tenebris & umbra mortis, Quod factum est, tum quando venit in hunc mundum in nativitate, tum quando resurrexit cum nova luce. Unde Sanctus Athanasius. *Solis instar Deus exoritur, illustrans uniuscujusque animum. Quocirca & in salutifera passione non apparuit Sol, indicans finem prioris adesse creaturæ, & alterius principium supervenire, quæ diluculum suum & exortum in Salvatore consecuta est. Hanc cum vidisset Propheta, ita locutus est: Ecce Vir, Oriens illis cognomen. Ac rursum: Vobis timentibus eum, exoritur sol justitiæ. Non enim omnium hæc dies est, sed eorum qui mortui sunt peccato, & vivunt Deo.*

Tract. de Sabb. & circumcis.

Hæc omnia adimplenda, immò quasi jam in spiritu adimpleta cernens Isaias, dicebat: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis,* Nempe per Christi ortum, per ejus doctrinam, per miracula, per opera lucis, per mortem & passionem, per resurrectionem per Apostolorum prædicationem, per Sacramentorum institutionem, lux magna orta est his, qui in tenebris & cæcitate infidelitatis, errorum & vitiorum versabantur. Lux quoque magna orta justis in carcere tenebroso limbi detentis, per Christi adventum; ad quam ipsi lucem clamoribus pijs anhelabant meritò cum gemitu repetentes; O Oriens, veni, & illumina sedentes in tenebris & umbra mortis, triplicis dicti Orientis desiderio.

Isai. 9.

Sed & nos quoque triplicem hunc Orientem adoramus, & continuo illum invocamus, ut lucis, quam affert, consortes reddamur, vocati in partè sortis Sanctorum in lumine, & facti filij lucis per illum Orientem, qui antea filij tenebrarum, & incolæ umbræ mortis in caligine volvebamur, ab internis tenebris ad æternas devolvendi. Propterea antiquitus qui baptismum suscipiebat, dum renuntiationem illam trinam faceret, quæ cæremonijs baptismi continetur scilicet Satanæ, operibus, ac pompis ejus; solebat se primo ad Occidentem vertere, deinde ad Orientem. De qua re sic loquitur Sanctus Dionysius *Sacerdos Occidentem versus habitandum statuens, illuc intendentem, manuque impingentem ad eandem regionem conversus, insufflare ter Satanam jubet, ac abrenunciationem profiteri. Et post trinam abrenunciationem, ad Orientem illum traducit aspicientumque in cœlum, atque intendentem manus, sacra omnibus divinitus traditu consentire jubet.* Eandem cæremoniam interpretans S. Hieronymus in cap. 6. Amos, sic dicit: In mysterijs primo renuncianus ei, qui in Occidente nobiscum moritur cum peccatis: & sic versi ad Orientem, pactum inimus cum Sole Justitiæ, & ei servituros nos promittimus. Itaque quilibet Christianus meritò repetit illud: O Oriens, & Splendor lucis Sol justitiæ, illumina sedentem in tenebris & umbra mortis.

C. 2. Hier Eccl.

Ut plenius dicta intelligantur, particularius explicemus, cur is qui oriens nominatur, Splendor Lucis æternæ, & Sol justitiæ conjunctim vocetur. Hæc enim nomina varia, ex sacris eloquijs desumpta, licet affinia sint, & quasi synonima: quodlibet tamen eorum suam habet emphasim & energiam alicujusque proprietatis in Christo Filio Dei specialem designationem.

Ac *Primo* quidem, Splendor Lucis æternæ Filius in Trinitate nominatur, quia à Patre procedit, sicut Radius & Lux à Sole. Quomodo & Spiritus sanctus Calor dici potest hujus Æterni Solis: quia sicut calor à Sole & Radio producitur, sic ille à Patre & Filio. Hoc est ergo Symbolum Trinitatis; SOL, RADIUS, CALOR; ut meritò de tenebris nostris, de frigida & cæca, in qua degimus, peccatorum nocte, ad illam Trinitatem suspirantes, exclamemus: ô Sol æternæ, ô Lux de luce, ô Calor vivifice! Illumina, purifica, accende cor nostrum tenebrosum, sordidum, algidum. Atque in Scripturis, tam novi quam veteris Testamenti, Filius Dei Splendoris nomine designatur, vel Candoris. Sic enim de Sapientia Æterna loquitur Sapiens. *Emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera & ideo nihil inquinatum in eam incurrit.* Et iterum *Candor est Lucis æternæ, & speculum sine macula Majestatis Dei, & imago bonitatis illius.* Eodem modo loquitur & Sanctus Paulus, dicens de Filio Dei; quod sit *Splendor gloriæ, & Figura Substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ purgationem peccatorum faciens.* Ecclesia etiam canit in Symbolo Missæ eum natum ante sæcula, Deum de Deo, *Lumen de Lumine,* Deum verum de Deo vero.

Cur Christus Splendor lucis æternæ.

Trinitatis Symbolum

Sap. 7.

Heb. 1.

Sed attende, quam apte nomen Splendoris ei convenit. Imprimis significat ejus cum Patre unitatem, coæqualitatem, coæternitatem. Nam sicut splendor est in Sole illi intimus, ejusdem cum Sole claritatis; illique coævus; ita Filius est in Patre illi intimus, nec est inferior Patre dignitate, nec posterior tempore; sed ejusdem cum illo essentiæ, Majestatis & gloriæ. Et licet à Patre producatur, non tamen ideo Pater est illo prior. Sicut nec Sol est prior radio, licet radius ab illo producatur.

Nomen Splendoris apte Christo convenit.

Deinde, Splendoris nomen, puritatem signat generationis Filij à Patre. Splendor enim radians purissimè generatur à Sole, sine mixtione sine detrimento Solis, aut ejus mutatione. Sic & Filius procedit à Patre purissimè, sanctissimè, divinissimè. Nec puritas illa generationis æternæ aptior similitudine apud plebem explicari facilè potest, quando quidem illa sæpe utantur eloquia Dei examinata & casta, & Sanctorum Patrum scripta.

Denique, significatur diversitas, generationis nostræ, & generationis divinæ. Nostra enim transit & præterit; nam cum semel generati aut nati fumus, non amplius generamur aut nascimur illa autem non transit aut præterit, sed eadem in Deo permanet. Ea ideo

Fi-

Filius semel quidem, sed semper gignitur à Patre, semper actu nascens, semper actu natus, sine mutatione, sine discontinuatione, sine defectu, aut imperfectione; cum idem sit in ipso nasci, & natum esse. Nempe sicut Sol semper generat splendorem & radium, & semper splendor & radius est genitus à Sole, sic est quodammodo in divinis, Pater semper generat Filium, & Filius semper est genitus à Patre. Et sicut Sol numquam à radio & splendore separatur, nec radius aut splendor à Sole; ita numquam Pater à Filio, nec Filius à Patre dividitur. Meritò ergo illi inclamamus: O Splendor lucis æternæ! Utique Splendor æternus, lux æterna, quam nullus vapor crassus obnubilat, nulla nubes obscurat, nulla impuritas inquinat, nulla eclipsis intercidit, nullus defectus inficit, nulla vicissitudo interrumpit, nullus temporis fluxus variat.

LECTIO XVIII.

Explicatur Secunda Pars.

O Sol Iustitiæ!

Cur Christus Sol Iustitiæ dicatur. Malac 4.

QUi in divinitate vocatur Splendor paternæ gloriæ, Candor lucis æternæ; in humanitate appellatur Sol justitiæ. Sic enim loquitur Propheta: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol Iustitiæ.* Christus nimirum ortu & adventu suo (instar Solis cuncta inferiora illustrantis & fœcundantis vivifica sua luce & calore) illuminavit, calefecit, fœcundavit terrena corda, terrenas hominum mentes; eas replens gratia & justitia, donisque suis vivificans. Sol ergo justitiæ, quia justitiæ, hoc est gratiæ sanctificantis radios undique diffudit, justificans peccatores omnes, qui eum intueri voluerint, vel in eum credere: sicut Sol omnibus, qui ad se oculos convertunt, lucem & hilaritatem infundit. Quapropter subdit Propheta: *Et sanitas in pennis ejus.* Pennas Solis vocat ejus Radios, quia sicut pennæ aut comæ avem, sic radij circumornant & vestiunt Solem: Et Sol oriens videtur radios suos expandere, instar avis expansis alis volantis. Nam & Ægyptij Solem pinxerunt quasi avem longas spargentem pennas circumquaque; eamque vocarunt Phœnicem. Hinc aliqui opinantur, quod Phœnix non sit avis vera, sed symbolica; scilicet ipse Sol: Hinc unus esse dicitur Phœnix, quia unicus est Sol in mundo, & dicitur degere Heliopoli, id est, in urbe Solis; atque interire & renasci, quia sol occidens vesperi, manè rursum oritur & resurgit.

Solis similitudo propter 4. Christo convenit.

Itaque Solis similitudo ob multa Christo convenit, tamquam Soli justitiæ, Soli gratiæ, Soli salutis & vitæ, Soli felicitatis æternæ; ut erroneè quidem Solem tamquam Deum immo tamquam Christum adorarint Manichæi, vere tamen dixerit ipse de se: *Ego sum lux vera*, Et hanc lucem colere, adorare, & invocare nos convenit, sine qua nec videmus nec vivimus

℣. 1. O Sol

Primo igitur Sol inde dictus est, quod solus sit, id est, unicus: quodque solus cum est exortus, obscuratis omnibus alijs sideribus appareat; à quo & cætera sidera lumen mutuant, tamquam à luminis fonte & principio. Sic Christus unus est, solus ipse Deus & Homo, solus ut talis colendus & adorandus; quo solo fruens beatus fit cultor ejus, & quo solo non fruens omnis mens misera est, quamlibet alia re perfruatur. *Unus est Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus*, ait Apostolus, unus Illuminator & Vivificator, in quo vita est & lux hominum tamquam in fonte & primævo principio. Solus ex se lucet; ab illo lucent, quæcumque lucent. Coram illo cœli luminaria obscura sunt, quia illi comparati Sancti, exiguum luminis habere censentur: & ab illo quidem mutuatum. *Omne datum optimum, & omne bonum perfectum desursum est, descendens ab hoc Patre luminum*, sicut omnis illuminatio, quæ in cœlo, quæ in aere, quæ in terra, à Sole tanquam luminis Parente procedit. Itaque quod de Sole multiplicibus elogijs *Plinius l. 2. c. 6* pronunciavit; de Christo Justitiæ Sole maximè verum est. Planetarum medius Sol fertur, amplissima magnitudine ac potestate, nec temporum modò, terrarumque, sed siderum etiam ipsorum, cœlique Rector. Hunc mundi totius esse animum, ac planius mentem, hunc principale naturæ regimen ac numen credere debet, opera ejus æstimantes. Hic lucem rebus ministrat aufertque tenebras. hic reliqua sidera occultat, hic vices temporum, annumque semper renascentem ex usu naturæ temperat. Hic cœli tristitiam discutit, atque etiam humani animi nubila serenat. Hic suum lumen cæteris quoque sideribus fœnerat, præclarus, eximius, omnia intuens, omnia exaudiens. Quis non videat hæc potius Christo convenire Soli nostro in ordine gratiæ, quam Soli corporeo in ordine naturæ? Nempe Sol iste mundi visibilis imago quædam est Dei, naturæ parens, & principium vitæ in rebus sublunaribus. Sed Christus Deus Sol est Solis hujus, vim omnem ac efficaciam ei tribuens, & tamquam imaginem suam, luce, virtute, operatione adornans. Solque supernaturalis ipse est, parens & principium vitæ supernaturalis, in cœlo & in terra, in tempore & in æternitate, in Angelis & hominibus, vitæ scilicet gratiæ & gloriæ. Ergo meritò eum hoc invocamus titulo: O Sol justitiæ!

quasi solus id est unicus.

Aptatur Christo.

1. Tim. 2.

Iacob 1.

Secundo, sicut Sol dicitur in pennis suis habere sanitatem, quia radijs suis plantas, & animalia, ac homines nocturno frigore languentes & torpentes, ac quasi in umbra mortis per somnum jacentes excitat, roborat, lætificat: Ita & Christus Sol justitiæ oriens in mundo, in pennis & alis suis attulit sanitatem: dum per radios prædicationis suæ & doctrinæ quasi vitam novam, novam lætitiam Orbi attulit, sanans infirmitates corporum, sanans & languores animarum. Item per Apostolos, quasi radios un versum per Orbem sparsos, lucis novæ & salutis nuncium misit: & quasi per pennas celerrime per illos quocumque volans, diem veritatis, gratiæ, & justitiæ adduxit, fugata caligine errorum, peccatorum, superstitionum

2. *Sol latissicat.*

Christus etiam.

Nem-

Sol fugat serpentes & noxias feras.

Nempe Sol radiis suis fugat serpentes aliaque animalia venenata, lupos quoque & noxias feras dispellit, vespertiliones in antra sua remittit. Unde Psaltes dicit: *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt, omnes bestiæ, silvæ. Catuli leonum rugientes ut rapiant.* Psal. 103. *Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur: Exibit homo ad opus suum, & operationem usque ad vesperam.* Sic Christus, tum per se, tum per radios suos Apostolos, Dæmones effugavit, idola eliminavit, cæcos infidelitatis errores, tamquam noctis vespertiliones ad orcum, ad primævum suum latibulum, ex quo orti erant, remisit. Et luce sua homines infirmos & jacentes excitans, dedit eis animum operandi opera vitæ, & ambulandi dum dies est, quia mortis nox ventura esset, in qua non licet amplius operari. Sic & quotidie dum exoritur in animis fidelium, peccatæ fugat, concupiscentias, tentationes, & pravas cogitationes, opera tenebrarum & noctis vespertiliones. Datque luce gratiæ suæ illis vires ad operandum opera vitæ, opera lucis & veritatis. Ideo quotidie ei inclamamus: *Tu Christe somnum discute; Tu rumpe noctis vincula; Tu solve peccatum vetus: Novumque lumen ingere.* Et iterum dicimus: *Consors Paterni luminis: lux ipse lucis & dies: Auser tenebras mentium: fuga catervas dæmonum*, &c.

Christus etiam.

3. *Sol beneficus in omnes.*

Tertio. Sol mane oriens, quasi Sponsus egreditur de thalamo suo speciosus & splendidissimus, de hemisphærio, in quo dormivit, exurgens, ut per jubar suum speciem suam ostentet. Ac deinde veloci cursu incipit procedere, quasi gigas exultans ad currendam viam suam, nec momento cessat à cursu & operatione sua, ab Oriente usque in Occidentem, ab extremo cœli usque ad extremum pergens, beneficus in omnes populos & nationes. Nec enim acceptio est personarum apud illum, non solùm Gallis, Belgis, Hispanis, aut Germanis, sed & Indis, Ægyptiis, Æthyopibus, lucem & influxum suum communicat, bonis & malis benefaciens: *Nec est qui se abscondat à calore ejus*: Sic Christus, Ecclesiæ Sponsus & Sol in matutino tempore, in aurora nativitatis suæ, è Virginis thalamo & solio splendidissimo exoriens mundo, incepit mortalis vitæ suæ cursum exultans, & ad currendum nos invitans, viamque luce sua aperiens depulsa caligine. Ac nullum passum inutilem fecit, sed statim ab infantia fidei lucem communicavit Regibus, Pastoribus, Senioribus & Junioribus, Sacerdotibus & Plebeis, omnibusque qui eam recipere voluerint. Ac postea sicut Sol beneficus, *pertransiit benefaciendo, & sanando, omnes.* Luxit certè non solùm super bonos, sed & super malos, Samaritanam illuminans, Magdalenam è tenebris eruens, Matthæum luce sua trahens, Publicanos & meretrices convertens, Paulum blasphemum & persecutorem vi luminis sui prius quidem excæcans, ac deinde clarè videntem efficiens. Sic & modò perpetuo influxu non cessat ex parte sua lucem suam & gratiam communicare, his qui voluerint accedere: *Accedite, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Non est acceptio personarum apud illum, æque lucet servo ac nobili, plebejo ac Regi, æque Græco ac Hebræo, æquè Indo ac Europæo: quia omnes homines vult salvos fieri, ac ad agnitionem veritatis venire. Non est injustus in quempiam, sed omnes ad justitiam & lucem invitat; sicque Titulus ejus honorificus est, *Sol justitiæ.*

Psal. 18. Aptatur Christo.

Psal. 33.

Act. 10.

4. *Sol equis 4. vehitur, quò & in Christo notantur.*

Quarto, Sol primo mane purpureus apparet, paulò post nitidior, in meridie verò fulgidissimus, & vesperà pallidus. Ideo quatuor equis Quadrigam Solis vehi dixerunt Poetæ quorum primus Purpureus foret, secundus Candidus, tertius Accensus, quartus Pallidus terras aspiciens. Deinde occumbit Sol ad tempus, nostrum deserens hemisphærium, alterum interim suo illuminans splendore: sed paulò post in nostrum redit Orbem, cum novaluce. An non hæc singula in Christo Sole nostro reperies, dum vitæ hujus mortalis cursum peregit? Nonne ipse in primo infantiæ ortu apparuit purpureus circumcisionis cruore circumfusus? Nonne postea clarior & nitidior in annis pueritiæ, licet infirmæ carnis nubecula velatus? Proficiebat gratia, sapientia, & ætate, in templo etiam radiolos claritatis spargens, veritatis & doctrinæ. Deinde nonne in monte Thabor fulget tamquam in meridie? Vespere verò eclipsim patitur in cruce, & eandem in occasu est, in morte pallido suffusus colore? At postquam inferorum hemisphærium visitavit, in lymbo illuminans sperantes in Domino, tandem iterum nobis exoritur, & radiis gloriæ immortalis, effulget in Resurrectione. In Ascensione verò ad supremum cœli culmen conscendit, ut inde directius & efficacius nos illuminet, & calefaciat. Sed redibit tandem in fine rubens nimis & formidabilis in Judicii die. Tunc verè Sol Justitiæ impiorum omnium dolosam & absconditam injustitiam deteget, & in lucem producet, Judex & Vindex. Piorum verò justitiam & virtutem, quæ in hac vita ab impiis obscurabatur & deprimebatur, splendescere faciet & coruscare, instar Solis obscura illuminantis, & omnium oculis conspicua exhibentis. Ergo rursus propter hæc omnia Christus Dominus jure merito Sol Justitiæ intitulatur.

LECTIO XIX.

Explicatur Tertia Pars.

Veni & illumina sedentes in tenebris.

Variè sedent in tenebris.

EX dictis satis conspicuum esse potest, cur advocetur Messias, ut veniat, & illuminet sedentes in tenebris & umbra mortis. Quia tamen sacra eloquia hoc loquendi modo varij generis personas solent designare, paulò altiùs & latiùs id repetere haud supervacaneum erit.

2. Infideles

Ephes. 4.

Isaiæ 42.

Primò quidem, Scriptura sancta per sedentes in tenebris & umbra mortis solet intelligere eos, qui in caligine infidelitatis detinentur. Unde de Gentibus idololatris & infidelibus dicit Apostolus: *Tenebris obscuratum habentes intellectum, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.* De quibus etiam Isaias dicit: *Ducam cæcos in viam quam nesciunt, & in semitas quas ignoraverunt, ambulare faciam, ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta.* Nempe ipsi in tenebris ignorantiæ & infidelitatis & in periculo æternæ mortis sedentes, & habentes obscuratum cor & intellectum, nesciunt videre vias vitæ, semitas justitiæ, portas felicitatis æternæ. Nesciunt Deum à quo facti sunt, nesciunt viam qua itur ad eum, nesciunt illam felicitatem cujus gratia facti sunt Immo ignorant seipsos, ignorant se filios iræ, mortis obnoxios, ignorant naturæ suæ vulnera & insufficientiam ad bonum, ignorant gratiæ & regenerationis necessitatem, ignorant Mediatorem, ejusque sanguinem quo restituimur ad vitam. Ideoque in caligine rectè sedere dicuntur, in confusione, in tenebris & umbra mortis. Qui verò fidei lucem perceperunt, hæc omnia norunt, viam veritatis & vitæ requirunt, gratiam implorant. Mediatorem invocant, scientiam ejus adamant. Unde Apostolus de se, & illis qui ab infidelitate conversi erant, dicebat: *Ille qui de tenebris dixit lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Iesu Christi.* De his etiam supra explicuimus illud: *Populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.*

1. Cor. 4.

Isaiæ 9.

2. In tenebris sedent peccatores.

Secundò, per sedentes in tenebris & umbra mortis, possunt intelligi quilibet hærentes in statu aliquo peccati. Hi in tenebris agunt, quia interiori lumine destituti sunt, & quasi cæci, res ut oportet, non intuentur, nec dijudicant. Ponunt enim bonum malum, & malum bonum, & in electione gravissimè errant. Ac tandem, dum tenebras suas excutere non satagunt, sed statum suum tenebrosum amant tamquam filij tenebrarum, de tenebris in tenebras pergunt, de internis ad æternas. Hi sunt, qui post hanc vitam, dum pœna eis cœperit oculos aperire, serò, sed sero inclamant: *Ergo erravimus à via veritatis, & Iustitia lumen non luxit nobis, & sol intelligentia non est ortus nobis.* Et quidem antea non agnoscebant, sed ut loquitur Sanctus Iob : Rebelles lumini erant, & si aurora gratiæ eos ad conversionem morum, ad novæ vitæ inchoationem invitabat, ipsi arbitrabantur umbram mortis, placentes sibi in tenebroso illo statu, in tenebris quasi in luce ambulantes. Similes planè ipsi populis Atlanticis, & quibusdam æthyopiæ habitatoribus, qui dicuntur ab Historicis inimici Solis, tempore ortus & occasus maledictionibus eum impetentes. Quia scilicet nigris istis populis nigra placet nox, auroram & lucem insectantur, qua nihil commodius, cum & omnium in tellure bonorum sit scaturigo. Non absimiliter sanè aliqui in peccatorum nocte sedentes fugiunt lucem veritatis, quasi umbram mortis, de quibus dicitur: *Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem* Et unde istud, nisi quia obscuratum habent intellectum, & cor cæcum.

Iob 24.

Simile

Ioan. 3.

Hoc tandem fassus est de se Sanctus Augustinus, qui cum contuitus esset ætatem floridam in carnis vitijs & cæca nocte sæculi, veritatis lumini, Matrisque lachrymis & monitis rebellis, postea conversus, & oculos aperiens ad candicantem gratiæ auroram, gratias Deo sic agit: *Vere Domine tu es Deus meus, qui eduxisti me de tenebris & umbra mortis: & vocasti me in admirabile lumen tuum, & ecce video. Gratias tibi illuminator meus. Et conversus sum, & vidi tenebras in quibus fueram, & abyssum tenebrosam in qua jacueram, & expavi, & dixi: Va, va tenebris meis: Va va cæcitati illi in qua videre non poteram lumen cœli! Va va præteritæ ignorantiæ meæ, quando non cognoscebam te, Domine. Sero te cognovi lumen meum verum, sero te cognovi, sed gratias tibi, quoniam illuminasti me, & cognovi te & me*

Soliloq. c. 3.

Cum itaque Deus sit lux per essentiam, sicut dicit Sanctus Joannes: *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ulla.* sequitur, peccata quæ aversionem à Deo generant, tenebras esse. Unde concluditur idem: *Qui dicit se in luce esse & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc* Et iterum: *Qui odit fratrem suum, in tenebris est & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quia tenebræ occæcaverunt oculos ejus.* Passiones nimirum inordinatæ, odium, ira, invidentia, caliginem offundunt animo & quandam cæcitatem. Eadem ratione peccata umbra mortis dicuntur, quod in illis sit quædam mors, sive mortis quædam imitatio. Sicut enim mors est quædam privatio vitæ, separans animam à corpore vitam habente, ita peccatum mortis similitudinem in se gerit, dum separat animam à Deo, qui est vita nostra; sive dum tollit gratiam, quæ est vita quædam animæ nostræ. Vel ut explicat S. Gregorius. *Umbra mortis etiam imitatio antiqui hostis accipitur. Ipse enim quia mortem intulit, Mors vocatur. Ioanne attestante, qui ait Apoc. 6. Nomen illi Mors. Per umbram igitur mortis ejus imitatio designatur; quia sicut umbra juxta qualitatem corporis ducitur, ita actiones iniquorum de specie imitationis eius exprimuntur.*

1. Ioann. 2

peccatum umbra mortis.

Simile.

L. 1. Mor c. 5.

Sap. 3.

Tertiò, per sedentes in tenebris & umbrâ mortis

3. Sedentes

in tenebr. sunt justi in afflictionibus.

tis etiam justi & pij intelligi possunt, qui in mœrore & afflictione jacent, ab injustis & impijs oppressi. Pro afflictionibus enim tenebras & umbram mortis quandoque sumi, patet ex illo; *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala,* *Psal. 22.* *quoniam tu mecum es.* Et iterum: *Humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis.* *Psal. 43.* Nempe hi qui in squalore & mœrore jacent, in quadam velut morte jacere videntur, & illis mortis sæpe cogitatio occursat & imago, sicut in tenebris agentibus, umbræ. Ex his ergo tenebris clamant pij; & implorant lucem, auxiliumque divinum, ut eripiantur, ac benigno serenoque vultu respiciantur, quasi solari radio. Hinc illud: *Deus misereatur nostri &* *Psal. 66.* *benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, &* *Psal. 30.* *misereatur nostri* Item: *Illustra faciem tuam super servum tuum.* Denique si afflictorum & in tenebris jacentium, potest esse vox illa apud Isaiam: *Custos* *Isaiæ 21.* *quid de nocte Custos quid de nocte?* Vox enim illa ad Deum potest dirigi, qui custos est hominum, & de æternitatis specula speculatur super salutem eorum; ad quem clamant pij ab impijs afflicti & oppressi. O custos noster, quid de nocte? Quid fiet de tanta tribulatione? quamdiu in illa quasi derelicti versabimur? quandonam illa finem accipiet, te illucescente, & umbram mortis ob oculos nostros versantis, caliginemque cum lacrymis detergente? Eja Sol nobis exorere, & diem veritatis, benignitatis, & justitiæ tuæ nobis ostende, ut per illum respiremus, & vivamus, qui quasi emortui jacemus.

4. Sedentes in tenebr. sunt Patres in limbo.

Quarto, per sedentes in tenebris & umbra mortis, rectè intelliguntur antiqui Patres in limbo. Verè enim hi sedebant in tenebris, ab omni actione quieti; & corpora eorum in tenebris jacebant sepulchri, quæ tenebræ dicuntur umbra mortis, quia mortem sequuntur, & ab illa proveniunt. De- *Iob. 10.* his loquitur Job. *Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Hæ sunt tenebræ inferni, cujus pars erat limbus & carcer Patrum, è quo educi debebant per Christum.

Christus Sol justitiæ.

4. habet radios.

Itaque hos omnes Sol Justitiæ Christus illuminat; omnes, inquam, qui quocumque modo in tenebris versantes, ad illius lucem cum gemitu cordis respirant. Habet enim, ut iterum alibi dixi, quadruplices radios: quidam tendunt sursum, quidam deorsum, quidam dextrorsum, quidam sinistrorsum. 1. Per radios sursum tendentes, illuminat Beatos, & lætificat Angelos, qui in lumine ejus vident lumen, in Filio Patrem: qui gaudent in visione humanitatis ejus, radiantis in Ecclesia Triumphante instar Solis. Sol enim civitatis cœlestis & *Lucerna ejus est Agnus.* 2. Per radios deorsum tendentes illuminavit olim animas in limbo *Ezech. 24.* in tenebris agentes, juxta suum promissum: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Nunc autem illuminat per eosdem radios animas, in Purgatorij tenebris & mœroribus gementes, refrigerium illis & solamen luce sua impertiens, easque tandem in Regionem veræ & æternæ lucis educens, de Regione umbræ mortis. 3. Per radios dextrorsum tendentes illuminat justos, quia quicquid lucis, quicquid gratiæ, quicquid cœlestium donorum participant, ab ipso participant, qui est *Splendor paternæ gloriæ: De Luce lucem proferens: Lux lucis & Fons luminis: Dies diem illuminans.* Atque cum ipsi in tribulationum aut persecutionum caligine mœrent, quasi mortis umbra cooperti, mox adest dissipans nebulas omnes virtute luminis sui, robur patientiæ, & cordis gaudium eis donans in medijs afflictionibus, aut cito ex illis eos eruens. 4. Per radios sinistrorsum tendentes, peccatores respicit, quos Scriptura more suo loquendi mystico à sinistris esse dicit. Fugat ab illis peccati tenebras & umbram mortis, ut sursum aspiciant Æternum Solem, & vitæ lucem. His Paulum, his Matthæum, his Magdalenam & Samaritanam, his Ægyptiacam Mariam, Pelagiam, Thaidem, & innumeros quotidie peccatores in nocte caliginosa jacentes respicit, illustrat & erigit, & de filijs tenebrarum lucis efficit filios.

Veni ergo, ô Oriens, ô Splendor lucis æternæ, ô Sol justitiæ! & qui olim mundum tenebris errorum, ignorantiæ, peccatorum, oppressum & emortuum luce tua ad vitam revocasti: qui Sanctos Patres de caliginoso loco per viscera misericordiæ tuæ illis oriens illustrasti, eduxisti, & in viam pacis æternæque lucis, direxisti: respice & illos, qui adhuc modo in tenebris sedent & umbra mortis, illumina vultum tuum super eos, miserans super tenebrosa sorte eorum. Respice pios gementes & lugentes sub oppressione impiorum, tamquam in caligine & umbra mortis jacerent, estoque eis Sol justitiæ, eorum justitiam detegens, & omnibus conspicuam reddens, aliorum eos opprimentium injustitiam etiam apertam efficiens, & condemnans. Respice & peccatores de tenebris internis ad æternas proruentes, nisi radijs tuis affulgeas, & luce tua eorum tenebrosa corda circumdes, ut agnoscant cæcitatem suam, ut videant abyssum in qua jacent, & expaveſcant, ut ab illa pedem lubricum revocent; jamque conentur ad dirigendos gressus in viam æternitatis & veræ Lucis confitentes quia tu solus es *Sol illuminans mirabiliter à montibus æternis.* *Psal. 75.*

LECTIO XX.

De sexta voce Turturis.

1. O *Rex gentium, & desideratus earum,* 2. *Lapis angularis qui facis utraque unum,* 3. *Veni, & salva hominem, quem de limo formasti.*

1. Pars de Rege gentium & earum desiderato.

SÆpe in sacris eloquijs Christus prædicitur speciali-
ter dominaturus gentibus: quia scilicet doctrinã & fidem à populo Israel repudiatam, per Apostolorũ prædicationem transferre debebat ad gentes: & excutere debebant Apostoli pulverem pedum suorum, in eos qui se fidei verbo indignos redderent. Hi nempe sunt Legati; qui pacem longinquis gentibus laturi erant. Regemq; illis dominaturum Jesum Christum ãnnunciaturi, cui humili obsequio sese lubens subjiceret.

Isaiæ 18. De his non malè interpretatus fueris illud Isa. *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam & dilaceratam, ad populum terribilem post quem non est alius, ad gentem exspectantem & conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram.* Ut sit sensus: Ite, O Angeli, id est, Legati & Apostoli mei, qui etiam tamquam Angeli, veloces estis ob excellentiam ministerij, ob puritatem vitæ, ob promptitudinem obedientiæ: Ite, inquam, ad varias gentes & populos, gentes convulsas & dilaceratas à Satana, & vitijs, ac erroribus, ad populos terribiles & feroces; post quos non sunt alij, quia etiam vos ad illos mitto populos, qui sunt in extremis terræ. Ad populos qui censentur vos exspectare & desiderare, quia eorũ indigentia & miseria videtur exposcere aliquos qui afferant remedium & spem salutis. Flumina inundantia variorum peccatorum conculcarunt, convulserunt, & vastarunt eos, ite, nunciate eis spem salutis, & certum remedium per Evangelicæ prædicationis verbum. Christi ergo vox ista est, ad illos qui legatione pro ipso funguntur, ad conversionem gentium. Et impletur adhuc quotidie in illis qui ad ignotas penetrant regiones, ut Evangelicam ibi veritatem nuntiẽt & animabus sub jugo dæmonis varijs erroribus & peccatis oppressis & convulsis, salutem per Christum & ejus fidem promittant. Hi utiq; Angeli sunt veloces, & ut nubes volant ad novum Orbem, Non ad fodinas auri & argenti reperiendas, aut ad imperium terrenum propagandum, sicut homines hujus sæculi Regib. terrenis ab obsequio: sed ad medendum animabus pereuntibus, ad reportandum thesaurum cœlestem, ad propagandum imperium Christi, ut agnoscatur Rex gentium. De his porro omnibus Prophe-

Psal. 73.

Isaiæ 18. tam rectè intelligi, etiam quod sequitur, insinuat: *Omnes habitatores orbis qui moramini in terra, cum elevatum fuerit signum in montibus videbitis & clangorem tubæ audietis.* Hoc est signum crucis, quod in gentibus infidelibus ab Apostolis elevatum fuit, & modo adhuc in novo Orbe erigitur & plantatur, in vijs publicis, in collibus, in muris & portis. Hinc tandem finit idem Propheta, dicens: *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum, à populo divulso & dilacerato, à populo terribili, post quem non est alius, à gente exspectãte & conculcatã, cujus diripuerunt flumina terram ejus, ad locum nominis Domini exercituum montem Sion.* Quæ omnia complentur, dum populi illi rudes & ignoti ad Ecclesiam veniunt, & ad Dominum: illamque agnoscunt Matrem, hunc Patrem & Regem, eiusque in terris Vicarium, in monte Sion, hoc est, in Ecclesia, primatum tenentem venerantur.

Itaque, Jesus Nazarenus, Rex Judæorum, ex Ju- *Christus Rex gentium.*
dæis ortus, cum à suis repudiatus fuisset, ne regnaret super eos: repudiavit & ipse illos ob indignitatem, per Prophetam, dicens. *Non populus meus vos, & ego non ero vester.* Elegit autem gentes & dilexit, & factus est Rex gentium. *Vocabo,* inquit, *non plebem meam, plebem meam; non dilectam, dilectam; & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.* Et erit *in loco, ubi dictum est eis: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur Filij Dei vivi.* Cum vero plenitudo gentium intraverit; tunc Israel salvus fiet. Hæc declarat Apostolus variis locis in Epist. ad Romanos, idque oraculis Prophetarum jam olim frequenter insinuatum & declaratum apertè fuerat. Quapropter statim ab ortu ejus accurrerunt Reges, tamquam primitiæ gentium, homagium Regi suo præstituri: ita ut jam ab ortu Regia ejus potestas super Gentes & Reges eorum debuerit agnosci, cœlo attestante & illos ad Regem hunc ductante. Quamvis maximè post Resurrectionem & Passionem, hæc gentium vocatio, & sceptro Christi subjectio, perfectius toti innotuerit Orbi, Apostolica clangente tuba, quæ ubivis gentium eam promulgavit. Propterea etiam de ipso dixerat Psaltes: *Oculi ejus super gentes respiciunt.* Quod litte- *Psal. 85.*
raliter adimpletum quidem arbitrantur in cruce, quando Christus dorso versus Jerusalem crucifixus fuit à Judæis, tamquam indignus qui respiceret civitatem sanctam. Sed speciali Dei Providentia & decreto factum est, ut Christus tunc Orientem respiceret, & dorsum verteret suis, tamquam repudians eos, oculos vero tam corporis quam mentis ad Gentiles dirigeret, vultumque illum suum vibicibus & cruoris tabo deturpatum ipsis ostenderet, quem deprecarentur, à quo & illuminarentur.

Merito igitur ei Titulus honoris iste assignatur in hac voce gemeatis Turturis: *O Rex Gentium!* sed quomodo dicitur *desideratus earum?* Si enim ab illis non fuerit agnitus, quomodo desideratus? Respondeo, hunc esse modum loquendi sacræ Scripturæ, ut eum desideratum dicat, qui desiderari debebat. Unde licet Gentes quamdiu infideles cum non desiderarent, tamen quantum in se est, eis desiderabilis erat, tamquam Salvator & Redemptor, quo indigebant. Sicut terra cum arida est, & præ ariditate se divellit & findit, dicitur aquam desiderare. Et illud quoque dicimur naturaliter desiderare, quo maxime indigemus, sive quod nobis est utilissimum.

Christus desideratus Gentium.

Simile.

Quinimo, non solum Gentes, sed & tota natura, omnesque creaturæ quodammodo cum desiderare videbantur; quia, ut loquitur Apostolus:

Omnis creatura Christum

desiderabit. *Deus proposuit in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, qua in cœlo & qua in terra sunt.* Ubi Græcè legunt: *Propositum recapitulare in Christo*; id est, caput & summam redigere in eo universa. Christus enim est recapitulatio omnium operum Dei, visibilium & invisibilium. Ipse est principium, exemplar, finis, nodus & vinculum, centrum, vita, salus, & fælicitas totius universi. Ipsum ergo desiderabat omnis creatura, in ipso quodammodo deificanda; nam in homine omnis creatura continetur, & deificatur per unionem Verbi. In ipsum cénsentur ferri omnes res, quasi in centrum quod adipisci desiderant, Eodem loquendi modo Apostolus dicit omnem creaturam *Rom. 8.* expectare revelationem Filiorum Dei, & redemptionem corporis nostri: quia tunc liberabitur à corruptione, & servitute, quam incurrit ob peccatum Adæ.

Deinde Christus etiam desideratus gentibus dicitur à Prophetis (qui futura quasi præsentia aut præterita ob certitudinem denunciant) quia avidissimè eum receperunt, amplexatæ sunt gentes, postquam eum cognoverunt, quasi scilic. amplecterentur rem optatissimam, rem quam jam diu desiderarant. Erat enim indicibile gaudium eorum qui ad Christum primitus sunt conversi, quasi nacti essent rem omnibus sæculis toto cordis desiderio concupitam. Ideo etiam à Jacob Christus vocatur, *Desiderium collium æternorum*: *Gen. 49.* quia nimirum sanctorum omnium, qui pietate eminuerunt quasi colles, ipse fuit desiderium, sive in præteritis, sive in futuris sæculis. Quapropter monemur & nos, in eo totum cor, totum desiderium, spem & amorem figere, tamquam in centro omnis nostræ spei, amoris, & desiderij. Dicamus igitur & nos: *O Rex gentium & desideratus earum!* O desiderium collium æternorum: Te desideramus, te amamus, ad te suspiramus. Et si non satis desideramus, da majori & ferventiori conatu te desiderare, desiderando te quærere, quærendo invenire, inveniendo amare, amando mala nostra redimere, redempta non iterare. Quia tu es salus & redemptio nostra, divitiæ & thesauri, vita & resurrectio, gloria & fælicitas nostra, gaudium cordis nostri, & *Isa. 26.* fruitio æterna. Fac ergo verificetur in nobis illud: *Domine nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte: sed & mane de præcordiis meis vigilabo ad te.*

LECTIO XXI.

De lapide angulari.

Isai. 28. VOcatur Christus Lapis angularis, variis in Scripturæ locis. Sic apud Isaiam de illo dicitur: *Mittam in fundamentis Sion*: id est Ecclesiæ, *lapidem angularem probatum pretiosum, in fundamento fundatum. Qui crediderit, non festinet*; volens scilicet statim exhiberi, sed expectet patienter. Sic & David de eodem dicit: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput Anguli.* Similiter & Apostolus sic scribit *Iam non estis hospites & advenæ sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari Lapide Christo Iesu.* Christus itaque fundamentum est fundamentorum, super quo alia superstruuntur fundamenta, secundum visionem Sancti Joannis, qui vidit civitatis novæ Jerusalem duodecim fundamenta, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. Nos autem sumus tamquam lapides vivi, agglutinati cæmento charitatis & sanguinis Agni, ut coædificemur in templum sanctum Domino. Tunsionibusque ac pressuris expoliti, suis quique coaptamur locis per manus artificis, disponimur permansuri sacris ædificijs. Fundamentum ergo in imo Christus, Lapis angularis in imo, & in summo Christus.

Psal. 117. Eph. 2. *Apoc. 21.*

Hujus Lapidis mystici non obscuram habes figuram Zachariæ 3. ubi dicitur: *Ecce Lapis quem dedi coram Iesu, super lapidem unum septem oculi sunt: Ecce ego calabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum & auferam iniquitatem terræ illius in die una.* Audi interpretationem. Electus fuit Jesus Josedec Sacerdos magnus, ut è Babylone Judæos in Jerusalem reduceret, & templum reædificaret. Ostensus vero ei fuit in visione Lapis fundamentalis templi eique revelatum per illum repræsentari Christum qui templi spiritualis, hoc est Ecclesiæ, futurus erat fundamentum. Illi porro lapidi in visione ostenso cernebantur quasi insculpti septem oculi ad ornatum: sicut solent artifices periti aliquibus operibus ocellos insculpere, ut opus sit ocellatum & elegans, instar caudæ pavonis; quod solet quandoque in vestibus opere phrygio fieri. Vel sicut in lapide fundamenti solent excavari sigilla, quibus includuntur partes auri vel argenti, in symbolum perpetuitatis. Illa vero sigilla oculi vocantur: tum quia erant concava, tum quia habebant formam & speciem oculorum. Illi porro oculi designabant septem dona Spiritus sancti, quibus quasi divinis ocellis anima Christi erat ornata & oculata, instar lapidis septem ocellis distincti & speciosè illustrati. Immo in numero septenario universitas donorum & gratiarum insinuatur, quibus anima Christi illustris fuit & exornata. Unde Sanctus Gregorius lib. 29. mor. cap. 16. dicit: *Super lapidem unum septem oculi sunt. Huic enim lapidi Christo septem oculos habere, est simul omnem virtutem Spiritus septiformis in operatione retinere.* Significatur & providentia, vigilantia, que perfecta, quam habet Christus in Ecclesia sua ædificanda & custodienda: quam exercet per septem Angelos primarios, qui Ecclesiæ & orbi præsunt & advigilant. Unde Apocalypsis quinto Agnus habebat. *Oculos septem qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram:* & Zachar. 4. septem isti, *oculi sunt Domini discurrentes in omnem terram.* Et recte Angeli oculi dicuntur; sunt enim puræ mentes per-

Figuræ Zach. 3.

Zach. 4.

Angeli sunt oculi.

perspicacissimæ, & vigilantissimæ, unde & intelligentiæ nominatur. Quod autem addit Dominus de lapide isto, *Ego cælabo sculpturam ejus*; alludo est ad lapides fundamentales, in quibus stemmata ædificantis cælari solent & insculpi; unde cum solemnitate & pompa ab architectis in fundamentis collocantur. Sic Christo primo Ecclesiæ lapidi insignia & stemmata insculpsit, quando in passione vulneribus illis notari voluit, quæ postea forent stemmata & insignia regni ejus. Sunt quidem vulnera illa, ex parte infligentium quasi ignominiæ & doloris notæ; ex parte autem Patris æterni, ordinantur tamquam celaturæ preciosæ & speciosæ lapidis nostri mystici, cui Ecclesia debet inædificari: sunt quæ notæ illustres charitatis & amoris in nos divini, nostræque redemptionis, ut SS. Patres (inter quos S. Hieron,) interpretantur. Quapropter subditur, *Auferam iniquitatem terræ illius in die una*: quia quantum est ex parte pretii dati, & in illis vulneribus exhibiti, satisfecit sufficienter pro terra Iudææ, & pro toto orbe. Ad hæc ergo lapidem inclamamus, *o Lapis Angularis, qui facis utraque unum!*

Sed jam videndum cur Angularis dicatur & quomodo utraque faciat unum.

Christus Lapis angularis faciens utraque unum.

Primo quidem, quia in Christo conjunguntur duæ naturæ, humana scilicet & divina, sub una persona. Vnde sicut lapis angularis, unus existens, duos conjungit parietes: ita una persona Christi, remanens una, duas naturas conjungit in unitate suppositi, simulque connectit regnum & Sacerdotium in eadem persona, quia ipse Rex est & Sacerdos. Atque in hac conjunctione personali duarum naturarum in Christo angulari lapide, idem nobis dicendum quod David; quicum de ipso dixisset; *Hic factus est in caput anguli*, subdit: *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Nam conjunctio illa a solo Deo facta est: & adeo mirabilis, ut nec intellectus humanus, nec Angelicus eam valeat comprehendere; cum nec eam antea possibilem esse suspicari potuisset. Hanc conjunctionem non solum significavit scala Iacob cœlum & terram conjungens, in summo divinitatem, in imo humanitatem designans: Sed & lapis super quem tunc dormiens recubuit quem & postea unxit, & in Titulum sive Memoriale erexit, & Bethel, id est, domum Dei appellavit, Christus enim unctus est in incarnatione, unde & Christus dicitur, unctus ut Rex, unctus ut Sacerdos, unctus ut lapis primarius domus Dei, & positus ut Memoriale oculis nostris admirabile; unde & hic Titulus omnibus sæculis est adorandus Homo-Deus. Traduntque Hebræi (teste P. Galatino) Iacob duos lapides sumpsisse, ut in illis caput reclinaret & dormiret: sed postea cum excitatus fuisset, agnovisse quod in unum coaluissent. In quo & lapis noster angularis designatus fuerit, quia in illo utraque natura conjuncta fuit, quæ antea erat disparata. Hujus rei argumentum sumunt ex verbis Scripturæ: quia cum Iacob somno jam indulgere vellet, dicitur: *Tulit de lapidibus qui jacebant, & supponens capiti, dormivit in eodem loco*; ubi locutio pluralis videtur indicare plures tulisse lapides. At postea in singulari dicitur: *Surgens Iacob tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper.*

Psal. 17. *Christus conjunxit divinam & humanam naturam.*

Gen. 28. *Figura.*

Secundo, Christus Lapis angularis qui facit utraque unum, quia utramque legem, utrumque testamentum in se conjunxit. At sicut Lapis angularis, unus existens, est finis unius parietis, & principium alterius: ita Christus finis est legis veteris, & principium legis novæ. Ideo tamquam finis illius legis admisit in se circumcisionem, & comedit agnum Paschalem, tamquam principium legis novæ incepit baptismum, & Eucharistiæ instituit Sacramentum, quæ sunt prima principia legis Evangelicæ. Sic implevit omnia quæ scripta sunt in lege veteri quæ erant umbra & figura futurorum: quasique continuans istas duas leges, ex duabus fecit unam quando fecit ut jam umbræ & figuræ desinerent in veritatem; quia non venit solvere legem, sed adimplere. Ideo Moyses & Elias, Lex & Prophetæ, conjunguntur cum Apostolis in monte transfigurationis; id est, cum Evangelio & ejus præconibus. Et quomodo conjunguntur nisi in Christo lapide angulari & pretioso, qui ibi promicat, & agnoscitur fundamentum Apostolorum & Prophetarum, & utriusque legis Conditor?

Christus conjunxit utrumque testamentum.

Matt. 17

Tertio, lapis angularis Christus, qui facit utraque unum, duos in se conjungens populos, unum ex Iudæis, alterum ex Gentibus. Hi sunt enim duo parietes, qui antea divisi, nunc per ipsum qui est caput anguli, conjunguntur in uno lapide, in uno fundamento, in una fide, in eadem spe, sub eodem baptismo, in eadem Ecclesia, infra easdem portas, & eadem sacramenta. Certè & a Domino factum est istud, estque mirabile in oculis nostris: quod Iudæis & Gentilis, præputium & circumcisio, populi sic antea divisi & mutuis sese odiis prosequentes, sic uniri potuerint, ut eodem cordis vinculo in Christo conjuncti essent quasi una anima, unus Spiritus. Nam in Christo Iesu non est Iudæus aut Gentilis, non est Græcus aut Barbarus, non est præputium aut circumcisio: sed unus est Deus, unus Christus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem, ambos in sanguine suo populos in unum condens, & in novam renovans creaturam, novum figmentum. Et ideo ubi advenit Christus, statim tamquam ad lapidem angularem accesserunt primi lapides electi ex utroque populo: ex Iudæis Pastores, ex Gentibus Reges; illi de propinquo, isti de longinquo, sed in eodem lapide angulari coadunandi, quia omnes propè facti in sanguine ipsius.

Christus conjunxit Iudæos & gentes.

Hic iterum est *Lapis de monte abscissus sine manibus*, qui contrivit statuam quadriformem. Christus enim de beata Virgine, quæ quasi mons erat omnium

Dan. 2.

nium virtutum & gratiarum sublimitatem habens enatus est, & quasi abscissus; sive excisus, arte & virtute Spiritus Sancti, sine manibus, sine opera viri. Et hic lapis contrivit regna idololatrarum, & implevit terram. Factusque est mons magnus, & implevit terram, quia sublimitate doctrinæ suæ, & cœlestis fidei amplitudine orbem replevit. Regnoq; Satanæ destructo, regnum cœleste quaquaversum provexit, & Ecclesiam supra se ut Petram inviolabilem fundatam instar montis eminentissimi quatuor orbis partibus conspicuam fecit, ad quam undique concursus fieret, etiam ab extremis terræ.

Christus conjunxit Angelos & homines.

Quarto, Christus Lapis angularis, qui facit utraque unum, non solum quia duos populos tamquã parietem antea divisum conjunxit; sed etiam quia Angelos & homines in unam Ecclesiam, unum regnum, unam domum coadunavit: ita ut ex Angelis & hominibus, tamquam lapidibus vivis, fabricârit Jerusalem cœlestem, æternum Fabricatorem suum collaudaturam. Quos quidem lapides in unam conjunxit societatem gratiæ & gloriæ, in se angulari lapide. De illo in mystico sensu intelligi potest, & accommodari illud Job: *Quis demisit lapidem angularem ejus*, supple terræ: *Cum me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes Filij Dei? Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens, cum ponerem nubem vestimentum ejus?* Lapidem nostrum angularem Deus Pater demisit quando mittendum in orbem per carnis assumptionem, ab initio creaturæ rationalis Angelis revelavit. Tradunt enim aliqui S. Patres, post Angelorum creationem Deum eis incarnationem filij sui revelasse, quem Dominatorem Angelorum & hominum constituebat. Huic autem Incarnationi, & Dominationi Dei Hominis favebant; & gratiarum actiones reddebant Angeli electi, qui hic vocantur astra matutina, quasi orientia per claritatem gratiæ & gloriæ; & hi Deum laudabant, & interna mentis exultatione jubilabant, de Incarnatione Filij Dei, de sapienti dispositione, per quam fidem in Christum homines & Angeli salutem erant assecuturi. Cæteri vero superbientes Angeli circumventione Luciferi attracti, contemnebant inferiori naturæ subjici: & ideo invidebant Incarnationi Christi, & exaltationi generis humani. Quorum multitudo significari hic potest per mare, quia à dulcedine divina aversi, facti sunt ex invidia amari. Quapropter cum à vulva divinæ providentiæ per creationem procederent, & à luce divina clatione propria se averterent: à Deo vestiti sunt nube, id est, mentis cæcitate, ob propriam superbiam excæcati. Hosque Deus ostijs concluſit, quia certis limitibus eorum malitiam suã dispositione coercuit.

Job. 38.

Incarnatio Filij Dei Angelis revelata.

LECTIO XXII.

Veni & salva hominem, quem de limo formasti.

De salvatione hominis.

HOc est motivum, quo Deus ad subveniendum homini potius est adductus, quam ad subveniendum Angelo peccanti, hoc est. *Veni, & salva hominem quem de limo formasti.* Audi specialibus. Duas creaturas fecerat Deus bonitatis suæ & æternitatis participes: quæ etiam poterent libertate nativa arbitrij sui ab illo desciscere, & peccare. Hæ duæ creaturæ Angelus & Homo sunt. Uterque cecidit, donis licet gratiæ in creatione varijsque ornatus beneficijs, & divino circumcinctus lumine; adeo ut utrobique gravis fuerit ingratitudo post tot dona, sive dum peccavit Angelus in cœlo, sive dum peccavit homo in paradiso. Interim unus cecidit irreparabiliter, alterius post lapsum misereri voluit Deus, & illum reparare, ac salvare. Et hoc quidem ad judicia Dei inscrutabilia spectat, quia habet potestatem in suam creaturam, sicut figulus in lutum: ut possit vas unum in honorem formare, vas alterum in contumeliam; & unum vas confractum potest reparare, alterum penitus conterere. Ideo missus fuit Jeremias Propheta à Domino in domum Figuli. *Et descendi in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam. & dissipatum est vas quod faciebat ipse è luto manibus suis, conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus* Ne nimium igitur scrutemur judicia Dei, sive in reparatione hominis, sive in contritione, & perditione Angeli peccantis: sed descendamus in domum Figuli æterni, & consideremus, quod prout placitum est in oculis suis vasa deformia reformet, aut jam deformata, sic relinquat irreparabiliter.

Jerem. 18.

Deus cur hominem potius quam angelum lapsum reparavit.

Interim licet id ad Dei secreta spectet judicia, aliquæ tamen probabiles rationes à Theologis adferuntur, quibus moveri potuit Deus, ut potius hominem repararet, quam Angelum cadentem. Prima ratio est Divi Leonis, qui dicit decuisse Deum redimere hominem, ne gloriaretur Dæmon se quodammodo victoriam reportasse contra Deum, & expleviſse invidiæ suæ desiderium, dum homo non assequitur gloriam quam Dæmon perdiderat, & quam ipse ei summe invidebat. Sicut enim Jacob tulit primogenita Esau, & in benedictionem ejus successit, unde semper invidebat ei Esau: ita homo primogenita Dæmonis hæreditavit, hoc est gratiam virtutes, ac dona, cum quibus primo genitus fuit & creatus à Deo. Illo vero peccante, ablata sunt, & data homini, qui & ejus benedictionem hæreditavit, gloriam scilicet cœlestem, quam Dæmon habiturus erat, nisi peccasset: hanc ergo gloriam Dei favore ad se derivatam, non debuit perdere Diaboli invidiâ & fraude. Unde Sanct. Leo sic loquitur: *Quis gloriabatur diabolus, sua fraude*

B. L.

Gen. 27.

Serm. 2. de Nat.

de deceptum hominem divinis caruisse muneribus, immortalitatis dote nudatum, mortis sententiam subisse, seque in malis quoddam de prævaricatoris consortio invenisse solatium: opus fuit secretiori consilio, ut homo diabolica iniquitatis versutiâ actus in culpam, contra Dei propositum non periret. Ita ille.

℣. 2. 2. Ratio est Divi Augustini in enchirid. capite 29. Quia minor pars Angelorum cecidit & perijt; at vero tota humana natura erat in damnationis massa: quia Adam in se tanquam radice totam infecerat progeniem, & cum desertoribus Angelis æterno supplicio reddiderat obnoxiam. Sic ergo periret ex toto nobilis illa creatura, gloriæ capax, cujus gratia cuncta erant creata, nisi repararetur per secundum Adam, totam progeniem suam benedicentem, & infectionem primam evacuantem, ut sicut per primum facti sumus de terra terreni, sic & per secundum fieremus de Cœlo Cœlestes. Non erat sic in Angelo, creaturâ primogenitâ Dei; non peribat illa tota species Angelicâ, quando quidem major numerus perseverarit & beatitudinem sit assecutus.

℣. 3. 3. Ratio est: Quia homo est flexibilis voluntatis & arbitrij, & longum tempus habet viæ; in quo possit pœnitere. Angeli vero voluntas quodammodo inflexibilis est, & naturâ suâ requirit viam brevissimam, ut ad terminum perveniat.

1. p. q. 63. & 64. Ser. 1. de Advent. Hanc rationem latius explicant Theologi. Quam etiam rationem insinuat S. Bernardus sic dicens: *Noverat Deus nullam Angelis patere viam redeundi, quia superbus est Moab, superbus est valde, & superbia ejus pœnitentiæ remedium non admittit; ac per hoc nec venia.* Ubi sub nomine Moab, spiritum illum superbum intelligit, & obstinatum, de quo

Job 41. Job. *Cor ejus indurabitur quasi lapis, & constringetur quasi malleatoris incus.* Sicut enim incus quanto magis à fabro percutitur, eò magis intra se compacta roboratur, & indurat: ita voluntas diaboli obfirmatur magis in peccato, quo magis à Deo punitur; nec pœnis, nec flammis mollitur, unde S. Ber. *Perseverare in peccato diabolicum est, & digni sunt perire cum illo, qui ad similitudinem ejus permanent in peccato.*

℣. 4. 4. Ratio est: Quia Angeli omnes propriâ voluntate peccaverunt, homines unius voluntate, quasi alienâ. Decuit ergo, ut etiam unius beneficio liberarentur, & quem aliena supplantaverat malitia, illi etiam caritas prodesset aliena: Deinde homo minore malitiâ peccârat, quia infirmior, de luto genitus, Adam de adama; humana ergo natura, tâquam imbecillior Angelicâ, eò magis divinam provocabat misericordiam. Hanc rationem etiam prosequitur S. Bern. loco supra cit.

Propter has ergo rationes illi inclamat Turtur nostra gemebunda: *Veni & salva hominem, quem de limo formasti.* Quasi dicat, motivum divinæ repræsentans misericordiæ: Veni, & salva hominem ne glorietur, dæmon suâ fraude illum perisse, desideriumque suæ invidiæ explevisse, & consilium tuum de ejus salvatione evicisse, sicque de prævaricatoris consortio solatium invenisse. Veni, & salva hominem, ne primarium opus tuum, & præ-nobilis illa creatura ad gloriam tuam ordinata, tota pereat; quæ tota peccavit in radice sua vitiata & infecta. Veni, & salva hominem unius voluntate damnatum, unius etiam voluntate jure salvandum & liberandum: unius demerito projectum unius meritis erigendum: & respice quem aliena supplantavit malitia, ut ei tandem charitas prosit aliena. Veni, & salva hominem, quem de limo formasti manu tuâ, arte tuâ, benignitate tuâ; sed considera limum, considera plasmatis tui infirmitatem, ne despicias fragilitatem, quoniam cognovisti figmentum nostrum. Ad te clamat infixus

Psal. 68. in limo profundi, ut eruas, & manum porrigas, quia non est substantia, nec spes, nisi & tu ad limum accedas, & substantia divinitatis tuæ infixa in limo mortalitatis nostræ, reparet limum nostrum. Ipsa ergo pietas quæ te impulit ad formandum, impellat quoque ad reformandum; immo & ad salvandum.

Dei erga homines dignatio.

Venit itaque Christus, hisce vocibus gemebundis Turturis tandem attractus, & lumen æternitatis suæ conjunxit limo mortalitatis nostræ limum hunc reformans Formator ipse, qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, & formam servi accipiens, habitu inventus est ut homo, è limo sumens sibi carnem, quâ se vestiret, sicut cæteri hominum. Unde dicit Sanctus Bernardus. *Tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit in Deum, ut quidquid fecit Deus limus fecisse credatur: quidquid pertulit limus, Deus pertulisse dicatur.* Iterumque idem dicit: *Adverte, o homo, quia limus es, & non sis superbus, quia Deo junctus es, & non sis ingratus.* Nempe per illam conjunctionem factum est, ut homo de luto factus, supra Angelicam naturam ascenderet; non is solum qui Homo & Deus est, sed & alii puræ homines. Ita terra supra cœlum quodammodo elevata cernitur, dum homo de terra genitus cœlestes spiritus gratiâ & gloriâ superare dignoscitur. Sic non solum Christus, sed & Beata Virgo corpore assumpta omnes etiam Seraphinos gloria supereminet: & SS. Joannes Baptista, Petrus, Paulus, alijque Apostoli Christo sponti gratiæ & gloriæ conjunctissimi, multos spiritus Angelicos in beatitudine præcellunt. Nam & communis Theologorum opinio

1. p. q. 63. a. 9 est, de hominibus per Christi merita ad singulos Angelorum ordines aliquos esse assumptos, sic ut ex singulis ordinibus existimant aliquos cecidisse ideoque ruinam illam per homines ad apicem gratiæ & gloriæ Angelicæ electos & evectos, reparatam fuisse.

Natura lapsa plus gratiæ, quam anteà dati.

Quapropter rectè asseritur à Theologis, plus gratiæ per Christum adeptam esse naturam lapsam quam in statu ipso innocentiæ illam ea perseverasset. Quia licet tunc homines promptiores fuissent ad

ad bonum ob naturam integram, & justitiam originalem cum donis comitantibus, & quia caruisset natura multis impedimentis quæ modo patitur ob discordiam inter appetitum inferiorem, & rationem: attamen plus gratiæ per meritum Christi acquirunt homines, sub secundo Adam tamquam capite constituti, quam sub primo. Patet id, tum ex iis quos jam adduximus Apostolis & Martyribus, per diriſſima tormenta, & indicibiles labores ad ſummum gratiæ & gloriæ culmen provectis; tum in Virginibus per ſuctam illam heroicam cum carne & ſatana ad puritatem & coronam Angelis etiam primis præparatam pertingentibus. Patet etiam in infantibus, quibus per Baptiſmum major datur gratia modo, vi meritorum Chriſti, quam tunc fuiſſet data: Nunc enim intercedit paſſio & mors, totque Chriſti labores, quorum intuitu gratia abundans confertur. Sicut enim dicit Scriptura, quod copioſa fuerit apud eum redemptio: ſic etiam ſignificat redemptis copioſam, abundantemque gratiam eſſe datam, quæ gloriæ copioſæ & abundantis, tamquam meſſis, ſit ſemen. Quapropter verum eſt illud Apoſt. *Vbi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia*; & plus reparavit gratia redimentis, quàm ruinæ damnoſæ attulerit culpa peccantis. *Rom 5.*

Hæc eſt etiam ſententia SS. Patrum, inter quos loquitur ſic Bern. *Vehementer nobis dilectiſſimi nocuere vir unus, & mulier una; ſed gratias Deo, per unum etiam hominem, & mulierem unam, omnia reſtaurantur, non ſine fœnore gratiarum.* In eandem ſententiam dicit S. Greg. *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit Redemptorem!* Quomodo fœlix culpa, toto orbi infœliciſſima, niſi ex eo capite, quod infœlicitatem illius plenè & perfectè vicit bonitas Redemptoris, & gratia copioſiſſima redemptionis; cui gratiæ occaſionem dedit ipſa culpa, tali egens Redemptore? Itaque in ſtatu gratiæ per Chriſtum redditæ, multas habemus virtutes, quæ non fuiſſent in ſtatu innocentiæ. Prima eſt Virginitas, ſecunda eſt Patientia, tertia Pœnitentia. Virginitas enim jam eſt virtus, quia concupiſcentiam libidinis refrænat; tunc autem nulla fuiſſet concupiſcentia, nulla libido frænanda, ſicque Virginitas aut Continentia virtus non fuiſſet. Tunc etiam immortalitas & impaſſibilitas animæ & corporis non dediſſet locum Patientiæ aut Pœnitentiæ afflictivæ: cum etiam homo tunc eſſet immunis ab omni malo, tam culpæ, quam pœnæ & miſeriæ. Non fuiſſet etiam martyrium, non jejunium, aut carnis mortificatio; nec paupertas, aut obedientia Religioſa. Denique nec miſericordia, aut eleemoſyna, quia tunc non fuiſſent pauperes aut miſeri, in quos miſericordia ex-cireretur.

Ser. Signum magnum

Inſtatu gratiæ ſunt virtutes, quæ in innocentia non fuiſſent.

LECTIO XXIII.

De ſeptima voce Turturis.

5. *O Emmanuel, 2. Rex & Legiſer noſter, exſpectatio Gentium, & Salvator earum, 3. veni ad ſalvandum nos, Domine Deus noſter.*

Explicatio Primæ patris O Emmanuel.

NOmen Emmanuel Chriſto tribuitur apud Iſaiam cap. 7. & illud interpretatur Evangeliſta idem ſignificare, quod *Nobiſcum Deus*; Sed aptè certè hic Turtur noſtra gemebunda ſub hoc nomine eum advocat, ut jam veniat in carnem nobiſcum futurus, qui procul à nobis ob peccata noſtra receſſiſſe videbatur. *Longè enim à peccatoribus Deus.* Licet ubique ſit, tamen recedere dicitur ab illis qui eum offendunt, per gratiam & ſpecialem præſentiam ſuam, lumen ac pacem internam, aliaque ſpecialia dona, & quaſi abſens è longinquo foret, eorum clamores & vota non exaudit; nec eſt eis præſens, niſi ut Iudex & Vindex. Quapropter de longinqua regione debent ipſi redire, ad ipſum ab ipſo, à Deo ad Deum, ab ipſo ut Iudice, ad ipſum ut Patrem, ab ipſo irato, ad ipſum placatum. Quod fit per humilem peccati agnitionem, & pœnitentiam? quæ ab Occidente reducit hominem ad gratiæ Orientem, Itaque invocatur Chriſtus, ut ſit Deus nobiſcum. & deterſis peccati tenebris, ac nube quæ inter nos & ipſum intercedit, propinquior nobis fiat: non ſolum per gratiam & lucem, ſed etiam per corporalem præſentiam & perſonalem cum natura noſtra unionem. Vtique ſpecialiſſimè dictus eſt, *Emmanuel*. Nobiſcum Deus, quando *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* Quam gloriam viderunt non ſolum Angeli, gloriam, inquam Deitatis junctæ humanitati, quam nuntiarunt Paſtoribus: ſed & illi omnes homines, qui ejus agnoverunt majeſtatem & gloriam per humanitatis rimam radiantem, ſive in infantia, in qua plures juſti cum adorarunt ut Deum Nobiſcum, ſive quando docuit & miracula fecit, ſive quando transfiguratus eſt aut reſurrexit. Et tunc potuerunt dicere quod olim Proph. Baruch. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum. Hic adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Potuerunt & idem dicere quod olim Hebræi: *Vere non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis.* Ergo verè Emmanuel, verè Nobiſcum Deus, vagiens in cunis, & in præſepio adoratus à Paſtoribus. Verè Emmanuel, Nobiſcum Deus, inter brachia mattis in infantia adoratus à Magis. Verè Nobiſcum Deus, inter brachia Simeonis & Annæ agnitus à juſtis. Vere Nobiſcum Deus, in pueritia

Cur Chriſtus Emmanuel dicatur.

Pſal. 118

Ioan. 1.

Baruch 3.

Deut. 4.

Verè Chriſtus Emmanuel

seu nobiscum Deus

titia divinitatis radiolos spargens, dum sedet inter Doctores. Vere Nobiscum Deus, per illam specialem doctrinæ lucem quam in nostro Horizonte spargebat, personaliter docens & obambulans in vicis & castellis. Vere Nobiscum Deus, dum coram nobis & pro nobis in ligno pendet crucifixus, à Cœlo & terra variis prodigiis agnitus & adoratus. Vere Nobiscum Deus, post mortem & resurrectionem quadraginta diebus ut erudiret nos plenius de regno Dei, cum Apostolis conversatus. Vere Emmanuel & Nobiscum Deus, etiam post ascensionem, licet per illam se à nobis subtraxisse videatur, tamen nos corporali deserens præsentiâ, spirituali & sacramentali non deseruit, sed in finem usque sæculi nobiscum esse voluit. Qua-

Matt. 28. propter dicit ipse de se: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Sicque irrefragabili testimonio ipsemet testis est hujus veritatis. Et ita omnibus sæculis dici poterit, propter hoc mysterium admirabilis præsentiæ ejus, quod in Apoca-

Apoc. 21. lypsi habetur: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis, erit eorum Deus.* Denique vere Emmanuel, vere Nobiscum Deus, non solum in hoc tempore, sed & in tota futura æternitate: quia nos assumet ad se, & gloriari poterimus in divinitatis ejus ac humanitatis limpida visione, possessione, & fruitione.

Ab hoc nomine *Emmanuel*, ut alibi dixi, decurtatum est nostrum *Noel*, id est; Nobis Deus, vel noster Deus, quod in hymnis Natalitiis jubilando repetimus; ita ut inde Gallis Festum Nativitatis vocetur, *la Feste du Noel*, sive parvi Emmanuelis Festum.

O ergo Emmanuel, sis nobis semper Emmanuel, veni & iis semper Nobiscum Deus. Veni, nec unquam deseras nos arctissimo consanguinitatis tibi vinculo adstrictos ultra omnes Angelos; Tu enim sanguis es noster, os nostrum, & caro nostra.

Hebr. 2. De te dicit Apost. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Tu ergo semper assistas semini Abrahæ, quod ita firmiter apprehendisti per personalem unionem; quod ita arctâ tibi affinitate devinxisti per carnis assumptionem. Fac ut nunquam discedamus à te, quasi servi fugitivi. Fac ut nunquam discedas à nobis, tanquam offensus peccatis nostris, tanquam gratiâ tuâ indignis. Sed sis semper Nobiscum Deus, Dux & lux, salus & gloria nostra. Sis semper Nobiscum Deus in præsenti sæculo, & in futuro, sis nobiscum in tempore & in æternitate. Nosque tecum & in te simus cum Patre & spiritu sancto, in illa unitate pro

Joan. 17. qua Patrem obsecrasti in termino vitæ tuæ. *Pro eis rogo, qui credituri sunt in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati unum.* Fac ergo ut hæc unio in te & in Patre inchoata in tempore, perfectè consummetur in æternitate, quando perfectè agnoscetur quàm verè sis Emmanuel, Nobiscum Deus.

LECTIO XXIV.

De secunda parte.

Rex, & Legifer noster, & expectatio Gentium.

Quomodo Christus Rex Legifer.

DIcitur etiam Christus speciali titulo *Rex & Legifer noster*, quia nempe per legem novam, & per Evangelii sceptrum quod exivit de Sion Regem se declaravit, & universo orbi dominari cœpit. Ideo de illo dictum erat: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*; Hoc est, sceptrum potentiæ tuæ emittere visus est Pater tuus æternus ex Regia sua, ex Sion, temporali, quæ spiritualem designabat, scil. Ecclesiam contemplantem & speculantem cœlestia. Hoc ergo factum fuit, quando verbum suum in ore legatorum suorum posuit, in ore Ducum exercitus sui, in ore Apostolorum suorum, ut per illud coercerent impios, converterent infideles, dominarentur Regibus & Regnis, dominarentur Principibus & Potentatibus, qui ex inimicis subditi fierent & amici, sub jugum veritatis missi, sceptrumque potestatis agnoscentes venerabundi. Ideo & alibi iterum dixit de se Christus: *Ego autem constitutus Rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Et Dominus dixit ad me: *Postula à me, dabo gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ.* *Psal. 2.*

Quomodo expectatio Gentium

Neque vero solum Rex & Legifer intitulatur, sed etiam *Expectatio gentium*. Cujus rationem supra ex parte dedimus, quia scilicet egebant gentes Rege isto & Legislatore, qui legem scriberet non solum in lapideis tabulis, sed & feriens novum fœdus, exararet eam in visceribus & cordibus, ut loquitur per Ezech. Egebat Rege isto, qui salvaret in manu forti, & erueret vinctos de capti- *Ezech 30*
vitate & principatu diaboli. Et certe propterea etiam *Expectatio gentium* rectè & propriè dicitur, quod licet gentes in infidelitatis cæcitate non vi- *Gentes*
deantur eum expectasse, semper tamen fuerunt a- *Christum*
liqui Gentiles à Deo illuminati, & inspira- *in carne*
ti, qui eum venturum agnoverunt. Vis aliquot ex- *venturum ag-*
empla. *noverunt*

Primò quidem Balaam cum duceretur à Balac, *Balaam*
etiam pretio & mercede datâ ad maledicendum Israel; è contra Spiritu Domini in eum insiliente coactus est benedicere. Vnde eodem spiritu præ-
nuncians adventum Messiæ ex Iudæis oriundi, dixit: *Orietur Stella ex Iacob & Virga de Israel, & percutiet Duces Moab, & erit Idumæa possessio ejus.* *Num.*
Hoc, inquam, pronunciavit (ut habet Scriptura) *Homo cujus obturatus est oculus, auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi ejus.* Dicitur obturatus

ejus oculus; quia in somno habuit hanc revelationē, quando oculi corporis clauduntur, & oculi mētis aperiūtur ad Propheticam visionem. *Qui cadit*: scilicet in somnū, vel alienationem à sensibus per extasin, & sic aperiuntur oculi mentis ejus per lumen Propheticum. Vel, ut dicit S. Gregor. *Cadens Balaam apertos habuit oculos qui quod rectum diceret, vidit; sed rectè agere contempsit, cadens videlicet in perverso opere, & apertos habens oculos in sancta prædicatione* Iterum de eodem adventu Christi dixit Balaam. *Videbo eum, sed non modò: intuebor eum, sed non prope.* Quia scilicet non oculis meis, sed posterorum videbo Israelem nativitate Messiæ decorarum. De hac enim loqui, est manifestum ex versione Chaldæa, quæ clarè sic habet: *Conjurget Rex de domo Iacob, & ungetur Christus de domo Israel, & occidet Principes Moab, & dominabitur omnium filiorum hominum.* Christus ergo vocatur hic *Virga*, vocatur & *Stella*: Virga ob potentiam, Stella ob lucem & claritarem. Unde de seipso in Apocal. etiam dicit: *Ego sum stella splendida & matutina.* Quasi dicat: Ego sum Lucifer ille matutinus, qui in hac vita dispellit tenebras infidelitatis, in altera caliginem fugat tenebrosæ immortalitatis. Ego nocti ut Lucifer do finem, do & initium diei; peccato & ignorantiæ terminum imponens, fidei ac salutis primordia suscitans. Ego sum Stella matutina in nativitate, in resurrectione, immo in tota æternitate, per lumen gloriæ. Hoc oraculo Balaam Gentilis, videtur fuisse pervulgata in Oriente fama de nascituro Rege qui rerum omnium potiretur. Unde & oraculum istud putatur induxisse Magos successores Balaam ut ad Regem novum visâ Stellâ novâ adorandum venitarent.

hom. 9. in Ezech.

Apoc. 22.

2. Etiam ante Balaam, illius adventum vidit Job inter Gentiles, illumque expectavit, & redemptionis per eum consummandæ particeps fieri desideravit. Quapropter sublimi voce omnibus inclamat: *Vtinam scribantur sermones mei, & exarentur in libero stylo ferreo & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice!* Quinam hi sunt sermones, quos ita perdurabili scripturâ vel sculpturâ ad posteritatis memoriam pertingere optat Job. Sapiens inter Gentiles: Hi sunt qui ex ore ejus statim subsequuntur, dum dicit: *Credo quod Redemptor meus vivit, & & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Quem visurus sum ego ipse & non alius; reposita est hæc spes mea in sinu meo* Quid clarius potuisset Job dicere de adventu Redemptoris? Cujus resurrectio causa erit nostræ ad vitam resurrectionis: in cujus visione nostra etiam tandem consistet gloria, dum post corporum resurrectionem, divinitatis ejus intuitu reficietur oculus cordis, humanitatis ejus visu limpidissimo reficietur oculus corporis: de hac regitur inter Gentiles, sedens licet in sterquilinio, quasi tamen de sublimi cathedra, instruit amicos ibi præsentes, & in ipsis totum orbem. In omnium enim cordibus vivam fidem Christi Redemptoris, & resurrectionis tam nostræ, quàm ipsius imprimere peroptat; ut sit ipse *expectatio gentium, qui est Salvator earum.*

2. Iob.

Iob. 19.

3. Longe ante Job inter Gentiles Melchisedech Rex Salem, Prophetico intuitu agnovit Salvatoris adventum, illumque expectavit. Immo teste Apostolo, ipsius typum gessit: tum quia Rex justitiæ nomen ejus interpretatur, & Rex Salem, id est Rex pacis; tum quia introducitur in scriptura sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum habens, neque finem, ac per hoc assimilatus Filio Dei, qui manet sacerdos in æternum. Hic ergo Melchisedech, inter Chananæos Gentiles Rex & Sacerdos Dei summi, obviavit Abrahæ regresso à cæde Regum, & benedixit ei, sciens de ejus lumbis illum oriundum, in quo benedicerentur omnes gentes; qui & propterea meritò dicendus sit, *Expectatio gentium, & Salvator earum.*

Melchisedech typus Christi.

Gen. 14.

4. Etiam inter Gentiles Ruth fuit, quæ Moabitis erat: & ipsa quoque agnovit & expectavit Christum, de progenie sua oriundum, per matrimonium cœlitus destinatum cum Boos viro illustri & prædivite in Bethleem. Ex quo quidem connubio hujus Moabitis cum Israelita, ortus est is in quo benedici debebat non Israeliticus solum populus, sed & Gentilis.

4. Ruth.

Ruth. 4.

5. Etiam Prophetæ plerique fuerunt inter gentes, & gentibus prophetarunt, inter quos Jeremias & Daniel, alique. Potuerunt ergo & hi gentes instruere de adventu Messiæ, quandoquidem hic adventus etiam eas concernebat. Hinc factum fuisse credendum est, quod etiam apud Gentiles redēptionis nostræ quædam symbola sint reperta, fidei tandem apud eos perfectius promulgandæ velut quædam sacra pignora. *Christianos demolientes templum Serapium in Ægypto invenisse signum Crucis insculptum primis lapidibus. Cumque id vidissent multi Gentiles, facilius ad Christianissimum fuere inducti.* Et certè Ægyptii in litteris Hieroglyphicis significarunt per Crucem sanitatem, & vitam futuram; sicque implicitè apud ipsos designatum fuit, illum expectari qui per crucem vitam daturus foret. Quod & aliquos inter ipsos Gentiles credidisse, plane est verisimile. *Tempore Constantini Imperatoris & Irenæ matris ejus, quosdam in Thracia muris fodientes arcam invenisse lapideam, & in ea virum jacentem. Cui arcæ inscriptum erat: Christus nascetur ex Virgine, & ego credo in eum. O Sol, sub Constantini & Irenæ matris temporibus iterum me videbis!* increbuitque sermo, esse Vatis alicujus sepulchrum, cui & hoc fuerit oraculum à Deo revelatum.

5. Plerique Prophetarum.

Socrates l. 5. c. 7.

S. Thomas. 2. 2. q. 2. art. 7.

6. Etiam Sybillæ ortum Christi prævideruntet, & gentibus annunciarunt; ideoque inter illos aliqui eum potuerunt ex Sybillinis oraculis expectare: *Isaias cecinit, Synagoga meminit, nunquam tamen desinit esse cæca. Si non suis Vatibus, credat vel gentilibus Sybillinis versibus hæc prædicta.*

6. Sybillæ.

Postremò

Gen. 49. Postremò, quomodo Christus rectè dicatur *expectatio gentium*. *Quidam Gentiles accesserunt ad Philippum, & rogabant eum dicentes: Domine volumus* Jesum, *videre*. Nempe hoc fuit continuum tum legis antiquæ desiderium, per longa Patrum suspiria insinuatum, tum etiam gentium. Et si id non fuit ex prævia luce cognitionis venturi Messiæ, fuit saltem ex instinctu communi lapsæ naturæ in languore & infirmitate detentæ, quæ tota etiam in gentibus ad Jesum Salvatorem tamquam ægra ad medicum anhelabat, & liberatorem expectabat. Et certè, non sine mysterio, quando gentes hoc desiderium cæperunt exprimere videndi Jesum, dixit ipse: *Nunc venit hora ut clarificetur filius hominis*. Clarificandus enim erat maximè in gentibus: quæ ex cæcatis Judæis ad fidei claritatem venturæ erant, & cum adoraturæ qui dictus erat *expectatio gentium, & Salvator earum*.

Joan. 12. *Joan. 12.* *Ibidem.*

Clamemus ergo cum Turture nostra gemente: O Emmanuel, O Rex, O Legifer, O Expectatio gentium. O Salvator earum! Propera & veni ad salvandas omnes gentes; fac ut te adorent Regem, agnoscant Legislatorem, colant Salvatorem, venerentur Dominum & Deum suum. Promove in illis regnum tuum internum, regnum fidei, gratiæ, & amoris: ut tandem provehantur ad regnum æternum: ubi non amplius Caro aut Dæmon, non Mundi lex aut peccati dominabitur, sed tu regnabis in cordibus omnium. Ubi abstergentur omnes lachrymæ, cessabunt gemitus, complebitur omnis expectatio, & omnia desideria in sæcula sæculorum in Te centro amoris totius, centroque omnium desideriorum.

LECTIO XXV.

De tertia parte septimæ vocis.

Veni ad salvandum nos Domine Deus noster.

Cur Christus exspectatus tamdiu tardarit.

Hæ itaque sunt septem voces gementes, quo quidem mystico numero, universitatem sæcris in scripturis designante, Ecclesia omnes universim voces, tam Patriarcharum, quàm Prophetarum, cæterorumque justorum ad adventum Justi suspirantium, repræsentat; advocans etiam modo illum iisdem vocibus cum gemitu pio, ut invisibiliter in animas quotidiè adveniat, qui visibiliter tandem sese olim exhibuit, hisce aut similibus vocibus accersitus.

Sed hic explicandum restat, cur tamdiu tardârit adventus Christi: quandoquidem à mundi primordiis tot oraculis prædictus fuerit, tot justorum desideriis & suspiriis exoptatus. Rationes multas tradidimus in Horto Pastorum, quæ hic breviter à nobis repetendæ sunt.

℣. 1. Homo statim post lapsum curari nõ debuit

Prima ratio desumi potest ex ratione morbi quo homo laborabat, postquam per peccatum natura tota infecta fuit. Non enim videtur convenens ut homo statim remedium inveniret à peccato, ne mali quo laborabat perniciem & beneficii quod accepturus erat, magnitudinem ignoraret. Dilata ergò fuit medicina, ut interea morbi magnitudo innotesceret, & gratiæ mediatoris necessitas appareret. Homo enim superbiendo peccârat, & ideo debuit se humiliando agnoscere indigere liberatore, & diu ad Deum clamare. Reliquit ergo Deus prius hominem in libertate arbitrii in lege naturæ, ut sic vires naturæ suæ agnosceret, ubi cum deficeret, legem accepit, quâ data invaluit morbus, non legis, sed naturæ vitio, dum ita naturæ cognitâ infirmitate, clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium: Et sæpè medicus expectat, ut malum ad summum increverit, ut artem ostendat. Ita cùm naturæ lex, nec Moysis sufficere potuit illustrior apparuit ars Christi, & effectus gratiæ ejus. Simulque tarditas hæc cessit in punitionem peccati; quia ostendere voluit homini, quam grave fuerit peccatum primi hominis, & quàm sibi displicuerit, dum per tot annorum millia illud punivit. Jacebat ergo homo quatuor millibus annorum æger, planè desperatus in putredine & corruptione. Visitare eum venerant tot Prophetæ consolationis aliquid & spei dare potuerant, sanitatem non potuerant. Necessarium fuit clamare, ad medicum, qui unguento confecto ex suis viscéribus, solus poterat mederi, & omnem languorem tollere.

℣. 2. *Secunda ratio.* sumitur ex parte dignitatis Verbi, ut quanto is qui expectabatur major erat, tanto eum præconum longior series præcederet qui variis signis, figuris, oraculis, mentibus hominum eum repræsentarent. Unde prædicandus fuit per multam seriem temporum & annorum.

℣. 3. *Tertia ratio.* est, quia debebat prius disponi ad tantum mysterium suscipiendum, & instrui mundus ad fidem illius mysterii, ut facilius crederetur. Quod factum est, 1. per Legem naturalem, & generalem promissionem, spemque Mediatoris, 2. Per Legem scriptam & expressiores Prophetias. 3. Per tot cæremonias & sacrificia, quæ Christum præfigurabant, & promittebant: instruebatur enim genus humanum, & initiabatur ad futurum in ara crucis sacrificium: *Hæc salutiferi operis mora nos cau- S. Leo, tos pactores sua vocatione effecit, ut quod multis signis, votibus, & mysteriis fuerat prænunciatum, in his diebus Evangelii non esset ambiguum.*

Sed dicet aliquis: Si Deus propter salutem hominum homo factus est, cur non ab initio, ut plures salvarentur? Multi enim ignorantes Deum, in peccato suo perierunt in diversis sæculis. *Objectio.*

℣. 1. Deum illo tempore venisse, quod ad salutem electorum congruentissimum fuit, & licet veniret omnes salvare quo-ad sufficientiam, non tamen omnes quo-ad efficaciam, sed solùm electos. Cur autem hi, & cur in tanto numero electi, quis cognovit sensum Domini? Voluit in his qui liberantur ostendere misericordiam, in his qui ob peccata puniuntur, justitiam.

Fides & charitas paulatim languescunt.

Pr. 2. Non plures salvandos licet venisset initio, si consideremus conditionem hominum, quia tunc pauci erant homines ad suscipiendam ejus doctrinam, & pauci qui ejus gratiâ & præsentiâ fruerentur, aut quibus Evangelium vel ab ipso, vel à discipulis posset prædicari. Deinde paulatim fides & charitas languescerent, quia hæc est hominum conditio. Nam videmus in Ecclesia primitiva, homines paulatim à fervore declinasse. Videmus & initio mundi Dei cognitionem & morum honestatem statim cæpisse languere, & deficere. Videmus & in religionibus, quomodo paulatim deficiant à primo fervore. Sic ergo brevi tempore, & in paucis hominibus fervor fidei durasset, & genere humano propagato, fides illius mysterii obscurata jam foret.

stus lio je-

Convenientissimo itaque tempore Christus venit: Venit enim velut in medio sæculorum, tanquam communis Salvator, juxta illud: *Opus tuum, in medio annorum vivifica illud.* In medio annorum captivitatis, & peregrinationis nostræ, notum fecit Dominus salutare suum: quod non est intelligendum præcisè (nam sic scirent diem judicii, saltem Angeli) sed morali quâdam ratione. Et propriè loquendo, in scripturâ illud dicitur in medio quod est inter extrema licet non sint æqualia. Non ergo planè in initio venit, nec omnino in fine, sed ut in medio, ut pluribus modis omnes salventur. Primò aliqui salvati sunt, per fidem venturi, 2. Aliqui per finem præsentis. 3. Alii per fidem præteriti. Pro quo etiam nota, quod triplex est perfectio, juxta D. Thom. *perfectio naturæ, gratiæ, & gloriæ. Perfectio naturæ fuit in principio sæculorum. Perfectio gloriæ erit in fine. Perfectio gratiæ media est inter utramque. Ideo Christus per quem gratia facta est, circa medium sæculorum venit; ut communis Salvator.* Nec decuit differri in finem omninò sæculi, quia jam mores omnino corrupti forent, fides amissa, & animi desperatione fracti. Quod facilè credet, qui corruptionem morum in lege naturæ & scripta, cùm ad fines suos devenerunt, consideraverit. Tempus tamen novi testamenti aliquando

o dicitur finis sæculorum. Nos sumus in quos fines sæ-
4. culorum devenerunt. In novissimis diebus erit præpa-
2. ratus mons domus Domini: Filioli novissima hora est. Quæ omnia dicuntur, quia hoc tempore data est lex ultima, & completæ Prophetiæ, estque ul-

li 6 tima ætas mundi. Habet enim mundus sex ætates juxta S. Augustin. Prima ætas, ab Adam usque ad diluvium. 2. A diluvio usque ad Abraham. 3. Ab Abraham usque ad David. 4. A David usque ad captivitatem Babylonicam. 5. Ab illa captivitate usque ad Christum. 6. A Christo usque ad finem mundi.

Hæc licet diuturnior sit, censetur una, quia durat semper eadem Ecclesia, eadem forma regiminis, eadem gratiæ communicatio, eadem lex, idem Sacerdotium.

1. Ioan. 2. Dicitur Et hoc tempus, *Novissima hora*, comparatione ad æternitatem, ad quam mille anni sunt tanquam dies hesterna quæ præteriit. Quidam conjurans dæmonem, inquit Hugo, cum interrogabat in personâ obsessa, quando cecidisset de Cœlo? Respondit. *Heri.* Cui ille: *Mentiris*, inquit, *Pater mendacii.* At dæmon. *Cur me arguis mendacii? Si scires æternitatem, totum tempus à constitutione mundi unam horam reputares.* *S. Hugo.*

Porrò, oportunissimo Tempore Christum venisse docet D. Bern. his verbis: *Sapienter dispositus est Sapientia, ut cùm magis esset necessarium, tunc primò opportunissimo afferret auxilium: nam lux divinæ notitiæ parva tempore erat, abundante iniquitate, refriguerat charitas: jam venit, non apparebat Angelus, non loquebatur Propheta, cessabant animi velut desperatione victi, præ nimia hominum obstinatione. At ego, ait filius, tunc dixi, ecce venio. Sic sic, dum medium silentium tenerent omnia, omnipotens sermo tuus Domine, à regalibus sedibus venit, &c.* *Christus oportunissimo tempore.*

Hinc tempus quo Christus venit, dicitur *Plenitudo temporis.* 1. Quia erat tempus illud opportunum, quo debebant impleri divinæ promissiones. 2. Quia tunc debebant impleri Prophetiæ visiones. 3. Quia debebant impleri omnes figuræ & cæremoniæ legales. 4. Quia illo tempore debebat dari plenitudo gratiæ, & donorum spiritualium. Denique, quia & illo tempore debebant impleri ruinæ Angelorum, & restaurari universa, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt.

LECTIO XXVI.

Recapitulatio septem vocum.

ORto tandem Christo, & carne nostra vestito, Ecclesiæ gementi & suspiranti possumus dicere illud Isaiæ in Cantico, Christi adventum lætitiæ plenum concernente: *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel, accipit.* Quasi dicat: jam completa sunt desideria tua, jam Dei promissa cernere potes, votisque tuis frui, & dicere: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Jesu Salutari meo.* Potes jam & illud occinere: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis.* Transi in Bethleem & vide verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Ibi convertit planctum in gaudium tibi, & conscidit saccum tuum, judicium tristitiæ, dum induit saccum mortalitatis tuæ, ut te circumvestiret indumento salutis, veste lætitiæ, & immortalitatis suæ podere. *ad singulas voces Isai. 12. Isai. 11. Abac. 3.*

Primò itaque sistè gemitū, ô Turtur, nam desiderium illud tuum impletum est, quo primum te inclamantem audivimus: *O Sapientia quæ ex ore Altissimi prodisti, à fine usque ad finem attingens fortiter, suaviterque disponens omnia, veni ad docendum nos viam prudentiæ.* Transi in Bethleem, & ibi agnoscere Sapientiam Patris, quæ ex mente & corde ejus processit; ibi ostendit quale sit cor, & quam benigna erga te voluntas ejus. Ibi inspice quomodo inchoat Sapientia mysterium illud magnum *Resumptio primæ vocis.*

re-

redemptionis & salutis nostræ. Nec desinet, donec ad finem illud perducat attingens fortiter, disponens suaviter, admirabili consilio suo, sed amabili tibi, fortiter pro se, suaviter pro te: Ibi quoque docet viam prudentiæ, sed non illius quæ est de terra, quam exquisierunt filij Anar negotiatores terræ; at illius quæ est de cœlo, quam didicit in sinu Patris: & hæc quidem prudentiæ via quam docere venit, illuc reducit hominem, unde traxit imaginem. Denique, ibi docet contemptum sæculi, odium peccati, paupertatis & humilitatis viam amorem Dei, spernique alterius sæculi: quæ omnes sunt prudentiæ viæ, quibus ad æternitatem beatam pertingitur, & ad divinam fruitionem. Unde ibidem inclamantem audire potes: *Non declinetis ad dexteram, neq; ad sinistram, hæc est via, ambulate in ea.* Hoc fœnum, hoc panniculi, hoc præsepe, hoc lacrymæ, & vagitus ejus omnibus inclamant. Qui ergo habet aures audiendi, audiat. Qui habet pedes, in Bethleem celeri gressu transeat. Qui habet oculos, aperiat, & videat verbum quod factu est, quod fecit Dominus. Qui habet cor, aperiat ut adamet filium & Sapientiam paterni cordis. Qui habet sinu & brachia, excipiat, & amplectatur parvulum cum lætitia. Qui linguam habet, in ejus laudes eam effundat. Qui habet animam, illi totam cum omnibus suis potentijs & facultatibus consecret.

Deut. 5.

2. Vocis resumptio

Secundo, siste gemitum, ô Turtur, quia secundum desiderium tuum adimpletum est, quo inclamante te audivimus: O *Adonai, & dux domus Israel qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, & ei in Sina legem dedisti: veni ad redimendum nos in brachio extento.* Transi in Bethleem, & ibi cum Angelis excitare ad divinas laudes decantandas, agnoscens Adonai Dominum Deum tuum ibi humiliatum, ut suscipiat te, & benedicat tibi. Agnoscens quoque Ducem domus Israel in domo parvulâ, in spelunca

Micha. 5.

& stabulo ab antiquis sæculis electo, & prædicto. *Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda; Ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Israel.* Transi ergo in Bethleem, ut Ducem tuum agnoscas, simulque ibi intuere quomodo ignis sit in rubo, divinitas in humanitate, Christus in Virgine. Si ignis non lædit virorum rubi, nec lædit ignis divinitatis fragilitatem nostræ humanitatis, nec Christus nascens virginitatem Matris. Agnosce quoque quomodo venerit ut redimat te in brachio extento: nam brachiola extendit infans ad redimendum, sed colligantur fasciolis, ut tua dissolvant vincula: atque ita per cunarum parvitatem extendit, sed ad universum nihilominus orbem pertingunt, & jam efficaciter redemptionē

Abac. 3.

nostram initiant. Jam incipit verum esse illud: *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus. Ante faciem ejus ibit mors, & diabolus ante pedes ejus.*

Tertia vox Turturis.

Tertiò, siste gemitum, ô Turtur, quia tertium desiderium tuum adimpletum est, quo inclamantem te audivimus: O *Radix Iesse, qui stas in signum populorum, super quam continebunt Reges os suum, quem gentes deprecabuntur, Veni ad liberandum nos, jam noli tardare.* Transi in Bethleem, & ibi apparebit coram te Radix Jesse, Christus scil. de progenie & domo David, de Virgine Maria à Jesse & Davide per regiam stirpem, originem ducente. Ideo enim in Bethleem ortus est, quia hæc est civitas David, ejus regiâ stirpe nobilitata, sed magis nativitate ejus qui est radix Jesse & Davidis illustrata.

O sola magnarum Vrbium
Major Bethleem, cui contigit
Ducem salutis cœlitus
Incorporatum gignere.

Transi ergo in Bethleem, & ibidem agnosce quomodo is quem tot votis exoptabas, & advocabas, jam in præsepio jacens, vel in ulnis matris recumbens, positus sit in signum populorum. Nam & Pastoribus ad adorandum eum per Angelos missis dicitur: *Et hoc vobis signum, invenietis infantem* *Luc. 2.*
pannis involutum & positum in præsepio. Quale vero signum? Utique in signum divini & inæstimabilis in nos amoris, in signum & exemplar nostræ imitationis in signum paupertatis, obedientiæ, & humilitatis ab omnibus pio mentis intuitu bene contemplandum, perfectè imitandum. En & Reges & populi ad hoc signum accurrent, & Reges continebunt os suum, sacratissimum istud divino-humanæ nativitatis mysterium sacro silentio admirantes, honorantes, adorantes: exultantes cum gaudio, quod jam tandem advenerit, qui tamdiu expectatus, & tot desiderijs & votis vocatus, nimium tardasse videbatur. Adora ergo cum illis sacro silentio parvulum illum qui in signum omnibus est positus. Pone illum ut signaculum super cor tuum, & super brachium tuum, ut semper memineris amoris tibi per eum exhibiti. Pone illum ut signum ad quod omnia tua desideria, omnes tuos affectus perfectè diligendo dirigas, in quo ut amoris centro quiescas.

4. Vox Turturis

Quarto siste gemitum, ô Turtur, quia quartum desiderium tuum adimpletum est, quo inclamantem te audivimus: O *Clavis David, & sceptrum domus Israel: qui aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit: Veni & educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris & umbra mortis.* Transi in Bethleem, & vide verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. En adest is qui gerit clavem David, & sceptrum domus Israel, nam hic est de quo Propheta: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Factus utique est principatus super humerum ejus, quia jam ab ortu & infantia in humeris suis crucem gestare cœpit: jam in spiritu in illa se infans offert Patri sacrificio matutino, vesperi, hoc est in fine vitæ suæ consummando. Nec quiescet ardore desiderij, donec figat crucis vexillum, victoriæ suæ & principatus signum, regni sui sceptrum,

Isai. 9.

in monte filiæ Sion, ac in cordibus ac frontibus suorum subditorum. Jam advenit cum clave mystică, qua nobis aperiat intellectum, & nos introducat ad notitiam mysteriorum à sæculis absconditorum, quâ etiam nobis aperiat fontem gratiæ antea signatum & obseratum, ut de aqua vitæ abundanter bibamus. Jam enim inchoatur illud: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Jam Cisterna patet in Bethleem; ad quam olim suspirabat David. Ibi fons salutis, ibi aquæ Siloe fluunt cum silentio, his qui appropinquare voluerint, & os aperire ad sugendum de rivulis aquarum viventium, in consideratione juncta affectu pio tot mysteriorum hic adimpletorum. Jam etiam clave sua aperire venit Puer natus carcerem, ut educat vinctum de umbra mortis, hominem scilic. jam quatuor millibus annorum in vinculis clamantem. Venit utique ejus vincula dissolvere, & ideo ad nostrum ipse carcerem descendit, ad nostræ carnis ergastulum personaliter venit.

Isa. 12.

Quintò, siste gemitum, O Turtur, quia adimpletum est quintum tuum desiderium, quo inclamantem te audivimus. *O Oriens Splendor lucis æternæ, & Sol justitiæ, veni & illumina sedentes in tenebris & umbra mortis.* Transi in Bethleem, & vide Verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. En adest ibi is cujus *Oriens est nomen ejus*; is qui Splendor est Patris ab æterno, & in tempore Splendor Matris, ex utero Mariæ, ut Lux & Splendor egrediens sine læsione, sine corruptione: *sicut sidus radium Virgo profert Filium, pari forma. Neque sidus radio, nec Virgo Filio sit corrupta.* Transi, inquam, in Bethleem; ibi adest is qui visitavit nos Oriens ex alto per viscera misericordiæ, ut illuminet eos qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Nam & lux de cœlo corporalis in ejus Nativitate refulsit; Symbolumq; fuit lucis spiritualis, quæ advenit. & *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Existimatur enim terra sese aperuisse, & radium prænuncium ad inferos usq; præmisisse, ut illuminaret dormientes in Domino. Transi in Bethleem, & agnosce novum Solem refulgentem, qui radios sursum ac deorsum, dextrorsum quoq; & sinistrorsum ex nunc jacit: Sursum quidem jactis radiis lætificat Angelos, deorsum lætificat animas in penetralibus terræ, in limbo & purgatorio in tenebris delitescentes: Dextrorsum lætificat eos qui hic justi ipsum exspectabant: Sinistrorsum eos qui in Peccatis hærebant. Accede & illuminaberis, & facies tua non confundetur.

5. Vox Turturis

Isaiæ 9,

Sexto, siste gemitum ô Turtur, quia sextum tuum desiderium est adimpletum, quo inclamantem te audivimus: *O Rex gentium, & desideratus earum lapisq; angularis: qui facis utraque unum: Veni & salva hominem, quem de limo formasti.* Transi in Bethleem, & vide Verbum quod factum est: quod fecit Dominus, & ostendit nobis. En ibi Rex gentium in fœno: en palatium est stabulum, thronus est præsepium, comitatus est nobilis bos & asinus, regalis purpura & diadema corona est mortalitatis nostræ quâ coronavit eum Mater sua in die Nativitatis suæ. Omnes gentes quascumque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum, adorabunt coronam & sceptrum tuum & jam adimplebitur desiderium earum, desideriũque collium æternorum. Transi in Bethleem, ibi demissus est, & *absconsus sine manibus lapis de monte.* lapis angularis totius ædificij spiritualis. En currũt uterque populus. Judæus & Gentilis, Pastores ex Judæis, Reges ex Gentibus tamquam murus duplex, in hoc angulari lapide conjungendus in unam Ecclesiam, unam civitatem, unum regnum, unum ædificium æternum, quod per fidei, spei, charitatis cæmentum est agglutinandum. Adest igiter Rex vester, properate, o gentes! Adest lapis angularis, accedite, ô lapides vivi, ut coædificemini. Adest qui salvat hominem, quem de limo formavit, assumendo ad seipsum limum, conjungendo lumen æternitatis suæ limo mortalitatis nostræ. Accede ergo homo de humo, & *agnosce quod limus sis, & non sis superbus. agnosce etiam quod Deo junctus sis, & non sis ingratus.*

Psal. 85.

Bern. ser. de Nat.

7. Vox Turturis

Postremò, siste gemitum; ô Turtur, quia postremum tuum desiderium est adimpletum, quo inclamantem te audivimus: *O Emmanuel! Rex & legifer noster, exspectatio gentium, & Salvator earum: Veni ad salvandum nos Domine Deus noster.* Transi in Bethleem, & vide Verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Ecce ibi adest Emmanuel, Noster Deus, & Nobiscum Deus. Ecce ibi Verbum caro factum est, & ostensum in fœno & præsepio, & vidimus gloriam ejus gloriam quasi Unigeniti à Patre, decantantibus Angelis, annunciantibus cœlis. *Ecce tabernaculum Domini cum hominibus, & ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Jam dicere tibi licet: *Ecce Deus meus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo:* Exulta ergo & lauda, O habitatio Sion, O Ecclesia sancta, *quia magnus in medio tui sanctus Israel;* magnus ut Emmanuel, magnus ut Rex, magnus ut Salvator, magnus ut Sanctus & Sanctificator; & quidem magnus Israeli, hoc est, populo videnti Deum, & agnoscenti cum Adorna thalamum tuũ, O Sion, ut recipias Emmanuelem tuum. Præpara cordis tabulas, in quibus Legifer legem scribat amoris. Occurre Salvatori tuo, & clama; *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Occurre Deo tuo, Regi & Sanctificatori, & dic: *Deus meus es tu, & exaltabo te, Confitebor tibi, quia factus es mihi in salutem.*

Ioann. 1.

Apoc. 21.

Isaiæ 12.

Psal. 117.

TRA-

TRACTATUS II.

DE EVANGELIIS IN DOMINICA ADVENTVS.

PRÆFATIO.

DUplici modo ad se Deus solet peccatores attrahere; amore scilicet & timore: amore, quasi funiculis Adæ & vinculis beneficentiæ, suaviter allicit: timore, quasi funibus duris minarum severitate intertextis, fortiter trahit & compellit. Cum itaque de primo adventu Domini jam tractaverimus, qui pietatis plenus est, ideoq; suaviter attrahens Adæ filios: *Fidelis enim sermo & omni acceptione dignus, quia Iesus Christus venit peccatores salvos facere.* Nunc tractandum est de adventu secundo, qui rigoris plenus est ideoque concutit & compellit eos qui lenitate vix trahuntur. Illius memoriam proponit frequenter Ecclesia per Dominicas Adventus; quia & signa in Sole & Luna cum rerore futuro repræsentat, & vocem Joannis clamantem in deserto proponit, quæ ignem, securim, ventilabrum Judicis inculcat. De hoc Judicis adventu multa produximus in horto Pastor. Tom. 1. Tract. 3. de quibus pauca hic in ordinem redigenda sunt juxta textum Evangelicum. Deinde aliqua subjiciemus de Epistola S. Pauli initio Adventus legi solita, quia continet præclaram exhortationem omnibus Christianis perutilem.

2. *Tim.* 1.

LECT. I. Tripartita.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Erunt signa in Sole, Luna, & Stellis, &c.
Luc. 21.

PARS I. *De misericordia & justitia Dei. Psal.* 100

DUæ sunt in Deo perfectiones, quæ sibi mutuò adversari videntur, Misericordia & Justitia: sunt tamen velut sorores conjunctissimæ & confœderatissimæ, quarum una nunquam est sine altera; & utriusque laudes ab initio sæculi usque ad finem à filijs Adæ sunt decantandæ. *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Nec misericordiam vult cantare sine judicio, nec judicium sine misericordia, quandoquidem hæc in Deo semper inveniantur conjuncta: *quia nec in bonitate misericordia perdit justi; severitatem, nec in judicando cum severitate, perdit misericordiæ bonitatem.* Sed prius tamen misericordiam quam judicium vult cantare: non enim dicit, Judicium & Misericordiã cantabo tibi, sed Misericordiam & Judicium, quia semper Misericordia præcedit Judicium. Attende id in particulari.

S. *August in Ps.* 100 *Misericordia semper præcedit Judicium Dei.*

1. Præcessit Misericordia in Angelis, dum eos in cœlo creat cum sublimibus gratiæ donis: simul enim erat in eis condens naturam, & largiens gratiam, ut ex S. Augustino loquuntur Theologi. Postmodum sequitur Judicium, dum illis ingrati donis contra donantem superbe sese extulerunt, ideoque de cœlo in abyssum corruerunt. Meritò ergo cum Psalte hic dicimus, *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* 1. S. *Th.* 1. p. q. 62. a. 5.

2. Præcessit misericordia in homine, dum ad similitudinem Dei creatus est, in loco voluptatis constitutus; declaratus universi orbis Dominus justitiæ originalis dote adornatus. Postmodum sequitur judicium, quia cum in honore esset, non intellexit, post tot favores Dei facillimum præceptum transgressus: unde è loco voluptatis ejectus est Angelico ministerio, & flammeo gladio, (justitiæ divinæ præferente symbolum) ad introitum paradisi collocato, ne regrederetur impediens. Iterum igitur hic, *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* 2. *Gen.* 3.

3. Præcessit misericordia diluvium, dum centum annis aurea monetur Noë de arca, simulque constituitur Præco pœnitentiæ, ut à peccatis omnes deterreat. Sed cum monita justi Noë, divinamq; vocem homines isti viam corruptæ carnis sectantes, despicerent, sequitur severum Judicium, universalis cataclismo orbem inundante, *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* 3. *Gen.* 7.

4. Præcessit misericordia ante conflagrationem Sodomæ, nam lento gradu procedit Dominus, patienter expectans si forte convertantur; *Descendam inquit, & videbo, si clamorem qui venit ad me, opere compleverint;* ideo dicit, *Num Abraham celare potero quæ facturus sum? Scio quod præceperit filijs suis, ut custodiant viam Domini.* Propterea etiam intercessorem eum esse permittit; & si decem fuerint justi, liberationem omnium promittit. Sed quia decẽ justi non fuêre; sequitur judicium in vindictã ignis, commixtum tamen misericordiæ, dum Loth & familiam ejus liberat, urgens & cogens eum exire; dum etiam propter preces ejus urbs Segor servatur. Quid igitur? Nonne etiam hic *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* 4. *Gen.* 18. 15.

5. Præcessit misericordia ante Ægyptij populi cum Rege suo submersionem: quia & multoties rogatus fuit per Moysen, ut divino pareret præcepto dimittendo Israeliticum populum; & cœlestibus pro-

prodigijs ac plagis totiesrepetitis fuit admonitus ne induraret cor suum. Sed quia rebellis permansit divinæ voci & voluntati, judicium & justitiam, ejus illico est expertus: *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.*

Exod. 14

Signa misericordiæ & justitiæ Dei.

Idem possumus decantare in his signis & prodigijs quæ in hoc Evangelio describuntur, sive in cœlo, sole, luna, stellis, sive in solo per pressuram gentium, arescentibus hominibus præ timore, sive in solo per confusionem sonitus maris & fluctuum: quia signa ista partim erunt misericordiæ, partim justitiæ. An non misericordiæ divinæ est, quod per ea det metuentibus se significationem, ut fugiant à facie arcus & liberentur dilecti ejus? An non misericordiæ ejus est, quod omnis creatura planctum & lamentum edere videatur talibus luctuosis signis, quasi ultimum vale dicens homini mox discessuro? Cœlum & aër obscuritate, terra & elementa suâ concussione, totusque orbis quadam indutus mortis imagine, funus illius videtur celebrare, qui sibi Dominus & Rex erat constitutus. Ac sicut totus Orbis in Creatoris & Redemptoris obitu similibus prodigijs dolorem quodammodo testatus est, sic & in illius abitu qui super opera manuum Creatoris erat constitutus, non absimilem dolorem videtur indicare. Salvator ipse & Creator qui flebat adeo amarè super Jerusalem ex visceribus misericordiæ suæ in ruina Jerusalem (tamquam in typo, ultimum orbis excidium etiam considerans) nunc vult ex eâdem misericordiæ suæ commotione, ut fleat secum omnis creatura excidio jam appropinquante, vult & lacrymis olim à se fusis suas modo lachrymas quales potest, conjungat. Denique an non misericordiæ est, quod propter electos breviabuntur dies illi tribulationis & angustiæ? An non misericordiæ est, quod his electis dicitur, *Respicite & levate capita vestra, quia appropinquat Redemptio vestra?* Misericordiam igitur & judicium cantabo tibi Domine. Sed cum totum præteritum sæculi tempus fuerit misericordiæ, potissimum declarabitur & cantabitur judicium in fine. Etenim licet hæc signa aliquid habeant admixtum misericordiæ, sunt tamen principalius & evidentius signa justitiæ. Hæc enim per talia prodigia jam incipit procedere ad vindictam malorum, arescentibus illis præ timore, jam incipit orbis terrarum justo Dei judicio contra insensatos pugnare.

Psal. 59.

Luc. 19.

PARS II.

De terrore signorum Sap. 17.

DE Ægyptijs dicit Sapiens: *Dum putant se latere in obscuro peccatu, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrende, & cum admiratione nimia perturbati, nec quæ continebat eos spelunca sine timore custodiebat, quoniam sonitus dejectè dens perturbabat illos, & persona tristes illis apparebat pavorem præstabant; apparebat & illis ignis subitaneus timore plenus. Et illis superposita erat nox gravis imago tenebrarum, quæ superventura illis erat. Ipsi ergo sibi erant graviores tenebris.* Idem multò magis verum erit de improbis in consummatione sæculi, quia terribilioribus prodigijs perculsi horrendè pavebunt, & peccatorum conscientia immanis eis tortor erit. *Ecce terræ motus factus est magnus, & Sol niger tanquam saccus cilicinus, & Luna tamquam sanguis, & omnes Principes & Potentes, servi & liberi fugerunt ad cavernas, dicentes Montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.* Nempe hic verum est illud. *Pavore mors ipsa lenior est. Cain ubi parricidali cœpit terrore vexari, mortem petit, requiem credit, si perire.* Sic & illis conscientia improba gravior morte erit, qui antea existimabant in obscuris latere peccatis, sub tenebroso oblivionis velamento.

Impiorũ ortor conscientia.

Apoc. 6.

S. Chrys. leg. serm. 147.

Sed tunc experientur verum esse, quod de impio dixit Job: *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, & terra consurget adversus eum: Apertum erit germen illius, detrahetur in die iræ furoris Domini. Hæc est pars impii à Deo, & hæreditas violentorum ejus à Domino.* De aliquibus dicitur, quod sub malignâ stellâ nati sint, eo quod vix flagitia aliqua patrent, etiam in occulto, quin vel deprehendantur in illis, vel in lucem mox veniant id verissimum tunc erit de omnibus impijs, quod sub malignis astris nati fuerint, quandoquidem Sol & Luna & astra tunc eorum flagitia detegent, & velamentum tenebrosum oblivionis avellent, quo illa tegere vellent, si possent, & illorum Deum oblivisci optarent. Et hoc mirum, quod non luce suâ illa detegent Sol & astra, sed tenebris tenebrâs eorum plectent & revelabunt, lucemque modo subtrahent, quasi indolentes se unquam lucem eis exhibuisse ut peccarent, & quodammodo pudore & confusione se afficiunt ob eorum peccata testabuntur. Sic illam cœli faciem luctuosam non minus verebitur homo, quâ accusatoris cujuspiam voces. Et quæ prius sibi videbantur amica lumina & jucunda (nam de cælesti astrorum aspectu & influxu vivit homo) jam mutata sorte acerba erunt & terribilia accusatione sua caliginosa. Tunc meritò Deo dixerit peccator: *Peccavi in cœlum & coram te.* quia non solum Deum, sed & totum cœli exercitum contra se sentiet armatum.

Job 20.

Astra detegent hominum iniquitatem.

Luc. 15.

Neque solum Sol, Luna, stellæ, terrorem impijs incutient; sed & maximè signum Filij hominis, quod in cœlo apparebit, vindictam inclamans contra impios; ad cujus aspectum *plangent omnes tribus terræ, & videbunt in quem transfixerunt*, sed ad cõfusionem suam. Jam enim funesta erit arbor illa, quæ prius arbor erat vitæ, ad cujus umbram peccator solebat recurrere contra fulmen vindictæ divinæ. Illa arbor redemptionis, quæ prius signum erat fœderis, & fons omnis gratiæ ac salutis, jam omnium erit malorum prænuncia; & sanguis quo aspersa olim fuit, reconciliationis & propitiationis utique sanguis; jam erit sanguis vociferationis, justitiam & vindictam implorans contra ingratos, qui ipsum quodammodo conculcarunt & aspernati sunt. Tunc etiam eis remorabuntur illa vulnera & cicatrices in cruce inflictæ, quæ in

Zach. 12. Terror judicij unde abigendus.

tc

Cæsarius Arelatensis hom. 27.

tolerabilem contra ipsos sententiam pronunciabunt. *Quid tunc facturi sumus, quando contra nos Crucifixi livores, nota peccatorum nostrorum, & macula libidinum, proferentur? Aut quo putas vultus respiciat redemptio nostra perditionem nostram? Tanto graviora erunt humana delicta, quanto majora se ostenderunt divina beneficia. Verendum autem est, ne illam vocem resurrectionis pretiosa cruentu vestigia protestantem, etiam in judicio suo ad vasa iniquitatis prolaturus sit. Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: affer manum tuam, & mitte in latus meum, & agnosce quia pro te impio pietas divina perpessa est.*

Judicii dies abscondita prodet.

Itaque, omnia tunc terroris plena erunt, quæ antea fuerant pietatis divinæ signa; ita ut nesciat quo se vertere peccator, & ne quidem lignum inveniat, sicut Adam nudus, ut abscondat se, nec folia aut perizomata quibus secure se obvelet: quia dies erit quo se ipsa prodet conscientia, dies erit quo & Deus revelabit omnia pudenda, omniaque abscondita. Atque de eo tempore dicit S. Petrus:

1. Pet. 4.

Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt? Si pii vix tunc securitatem habeant transeuntes per afflictiones & tribulationes gravissimas? quid exspectabunt impii? Quonam terrore concutientur? Ubi apparebunt. Quis eos locus excipiat, & quæ sors? Olim minabatur Dominus dicens terræ Israel per Prophetam:

Ezech. 21.

Ecce ego ad te, & ejiciam gladium meum de vagina, & occidam in te justum & impium. Egredietur gladius meus de vagina ad omnem carnem ab Austro usque ad Aquilonem. Hoc ipsum fini sæculi optime congruit, quia tunc gladius divinæ justitiæ quasi è vagina educitur, ut exscindat, & vindictam exerceat, non solum erga manifeste impios, sed etiam erga eos qui se justos putant, & apud Deum rei sunt; talium vero exiguus non est numerus. Immo electi etiam hac de causa trepidant, quia certò non sciunt, an verè justi sint, an odio, an amore digni. Arcta est enim via quæ ducit ad vitam, & judicium Dei incognitum & rigidum est. Unde quo ad finem justi magis propinquant, eo magis trepidant.

Rigorem divini judicii, Sancti timent. Job. 9.

Si fulserint tamquam mundissima manus mea, tamen sordibus intinges me, dicebat Job: Et rursus ajebat: *Si quid justum habuero, tamen judicem meum deprecabor.* Sæpe enim sordet in discretione Judicis, quod fulget in æstimatione operantis.

S. Arsen.

Propterea S. Arsenius continuis se conficiebat lachrymis, causamque à quodam Religioso interrogatus, hanc reddidit: Quando memini Esau fuisse reprobum de ventre matris; & Judam è Christi societate & discipulatu adeo infeliciter excidisse; Salvatoremque dicere arctam esse viam ad cœlum; denique & me ignorare quid animæ meæ contingat, quis exitus vitæ meæ, quave parte cassura sit arbos, non possum à lachrymis temperare. Cumque jam fini appropinquaret, discipuli sanctitatis ejus testes trepidationem aliquam in ipso advertentes, cum admiratione interrogabant: *Tu ne vere Pater trepidas?* Quibus ipse: *Non est novus hic timor, O Filii! Semper enim quamdiu vixi, hunc diem timui.*

B. Agath.

Sic & B. Agathon celebris inter antiquos Monachos in fine trepidans, interrogabatur à suis, cur timeret, cum sanctissimam vitam duxisset? Nec aliud respondit ipse: *Alia sunt, ô Filii, judicia Dei, alia hominum.*

S. Gregor.

S. Greg. hos & similes considerans, sic concludit. *Consideremus, quod viam ante præsentem nequaquam sine culpa transire potuimus: & quia nec hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter viximus; si remota pietate judicetur. Quid ergo facient tabulæ si tremunt columnæ? Aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si hujus paruli turbine etiam Cedri quatiuntur?* Solutioni ergo carnis appropinquans, nonnunquam terrore vindictæ etiam justi animam turbatur.

Ex his collige, quomodo etiam justi in fine sæculi non sine timore erunt, conspicientes scilicet gladium è vagina Dei eductum, ut percutiat non solum impios, sed etiam justos, hoc est eos qui justi apparent, & perfectè tales non sunt. Ipsi autem de justitia suâ solidâ & perfecta incerti, vel non satis securi, quidni gladium illum timeant, qui jam limatus & splendens sese ostentat, & comminatur in tot signis, prodigiis, & terroribus? Unde & hic quadrat quod ibidem ad Prophetam dicitur:

Ezech. 21.

Fili hominis propheta, & dices: Hæc dicit Dominus Deus Loquere; Gladius, gladius, exacutus est & limatus, ut cadat victimas exacutus est, ut splendeat limatus est. Repetitio illa, *Gladius, Gladius*, terribilem & multiplicem stragem indicat, quam omnes timere debent, quod nemo sciat an ibi non sit futurus victima vindictæ iræ Dei, æternum inferno devovenda. Quia igitur gladius ille justitiæ divinæ non amplius in vagina latet misericordiæ, sed eductus est, exacutus & limatus, ut non parcat, omnes meritò terret.

Item.

Fili hominis, ingemisce in contritione lumborum tuorum, & in amaritudinibus ingemisce coram eis. Cumque dixerint ad te: Quare tu gemis? Dices: Pro auditu, quia venit, & tabescet omne cor, & dissolventur universæ manus, & infirmabitur omnis spiritus, & per cuncta genua fluent aquæ, ecce venit & fiet, ait Dominus Deus. Quæ quidem correspondent his, quæ hoc in Evangelio exprimuntur, dum dicitur: *Erit in terris pressura gentium, arescentibus hominibus præ timore & exspectatione eorum, quæ superveniunt universo orbi.* Et ità rectè dixerit quispiam, Propheram Ezechielem literali quidem sensu stragem Jerusalem describere, sed sub illa allegoricè cladem in postrema sæculi consummatione designare, vel adumbrare, terroremque futurum nobis insinuare.

Toël. 3.

Sic & alii Prophetæ sub typo excidii Jerosolymitani orbis excidium descripserunt, & de signis futuris in Sole, Luna & stellis specialiter mentionem fecerunt: *Juxta est dies Domini in valle concisionis, Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxe-*

retraxerunt splendorem suum. Similia etiam tertiò repetit idem Propheta c. 2. Isaias quoque diem excidii orbis ita delineat cum signis suis: *Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus, & iræ furoris, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea. Quoniam stellæ cœli & splendor earum non expandent lumen suum, obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo; & visitabo super orbis mala.* Sic & Amos orbi cladem ultimam denunciat: *Et erit in die illa, occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die lucido, & convertam omnia cantica vestra in planctum, & inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput calvitium.*

Isaiæ. 13.

Amos 8.

PARS III.

De frustuosa cōsideratione judicii.

HÆc omnia à Prophetis prædici voluit, & postmodum ipsemet suo ore Christus prædixit, ut impios ab impietate deterreat, dum hæc audiunt, & ad meliorem viam traduceret, pios verò vigiles semper & cautos faceret, ut liberentur à futura ira. Considerationem enim postremi judicii frænum salubre est à peccatis coërcens, & calcar acre ad meliora instigans. Utique una ex primariis causis, cur quidam ad flagitia ita sine retinaculo projecti sint, est, quia *declinant oculos suos, ut non videant cœlum, & recordentur judiciorum justorum,* quibus Deus scelera ulciscitur, sicut de Senibus in concupiscentiam Susannæ exardescentibus loquitur Scriptura. *Propter quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo: non requiret. Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, auferuntur judicia tua à facie ejus.* Imò quidam eò impudentiæ tandem & cæcitatis pertingunt, *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.* Sic filii Adæ blasphemi sunt in Deum & Numē, quia oculorum suorum perdiderunt lumen. Et sicut ipsi nec oculos habent, nec aures; ut Deum videant vel audiant: ita Deo aures & oculos auferre conantur, justitiam scilicet & providentiam, loco divinitatis idolum quoddam constituentes, quia de idolis dicitur: *Oculos habent, & non videbunt; aures habent, & non audient. Nonne qui plantavit aurem, non audiet; aut qui finxit oculum, non considerat; Oculi Domini multo plus lucidiores super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Hoc quidem credunt omnes Christiani, sed factis negant, dum in peccata ruunt, quasi judiciorum Dei ignari, & quasi non credentes quod Vindex sit illius oculus. Si enim hoc vivâ fide crederent, in oculis Judicis & Vindicis non ita delinquerent.

Memoria judicii frænum adversus peccata.

Dan. 13.

Psal. 9.

Job. 22.

Psal. 93.

Eccli. 23.

Exempl.

Dignum est memoria exemplum, quod ad hanc rem refert B. Janu. Climacus. *Quidam solitarius in Choreb habitabat, qui cùm diutius negligentissimè vixisset, nullamq; animæ suæ curam penitus haberet, morbo tandem ad extrema est deductus. Cumq; à corpore perfectè migrasset, post unam horam in se rediit, oravitq; nos omnes, ut inde protinus abscederemus, & cellæ aditu lapidibus obstructo, permansit intus annis duodecim, nulli omnino quidquam loquens, nec aliud præter panem & aquam degustans. Sedens autem, ea tantum quæ in excessu viderat, attonitus volvebat: atq; in his adeo fixo semper erat cogitatu, ut nunquam vultum immutaret. Sed semper sic attonitus perdurans vim lachrymarum ferventium tacitus profundebat. Cum vero jam morti esset proximus, rupto ac patefacto aditu, ingressi sumus. Cumque ab illo doctrinæ verbum supplices inquireremus, hoc ab illo tantummodo audivimus.* Ignoscite mihi, nemo qui mortis & judicii divini memoriam verè agnoverit, peccare unquam poterit. *Nos vero in eo mirati sumus talem beatissimam transformationem.*

in scala paradisi gradu 6.

S. Augustinus fatetur quoque de se, nullum fortius sibi fuisse retinaculum à præcipitio carnalium voluptatum, quam mortis & judicii ultimi recordationem. *Nec me revocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis & judicii tui futuri, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen recessit de pectore meo.* *Lib. 16. Cap. 16.*

Sic S. Hieron. judicii hujus terrore continuo perculsus dicebat: *Sive comedo, sive bibo, sive quid aliud ago, semper videtur mihi tuba illa terribilis insonare. Surgite mortui, venite ad judicium.*

Sic & quidam Episcopus Angliæ, Vir sanctus, Ceadda nomine, sollicitus semper exspectabat diem Domini, & quoties tonabat, aut fulgurabat, aut procella ingruebat. Postremo memor judicii & signorum ejus, Misericordiam Domini invocabat, & ut humano generi propitia foret, obsecrabat. *Beda li. 4. Hist. Ang. cap. 3.*

Ideo etiam Ecclesia Ecclesiastici Officii annuum cursum inchoans in Adventu Domini, hoc Evangelium proponit ut primum, de consummatione sæculi; proponit & ultimum in Dominica ultima post Pentecosten. Sicut incipit, sic claudit, monens ut primum & ultimum objectum considerationis nostræ constituamus judicium divinū, sicque ad ea quæ vocationis nostræ & muneris sunt excitemur. Nam de anima negligente & impura dicitur: *Sordes ejus in pedibus ejus, nec est recordata finis sui.* Quasi dicat: Ideo peccatis se audacter fordidavit, quia non cogitavit de fine, de morte, extremove judicio. *Judicium Dei primum & ultimum objectum* *Thren. 1.*

Propterea quoque Ecclesiastes Concionis suæ finem adornans, sollicitè monet adolescentes, qui fine timore Dei mundo & carni tradere se solent, somniantes meliorem se postea vitam acturos, quasi illius cursum in manibus haberent: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequām veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent; antequam tenebrescant Sol & lumen, & luna & stellæ, & revertantur nubes post pluviam, quando commovebuntur custodes domus, & nutabunt viri fortissimi,* &c. Videtur hic describere tempus consummationis sæculi, & illius intuitu monere juvenes, ut memores sint Creatoris & Judicis, qui totam vitam nostram sibi vult dedicari. Sed maximè agit de tempore senectutis, & fine vitæ uniuscujusque in particu- *Eccl. 12.*

lari.

lari. Est enim tempus senectutis tempus afflictionis tarditatēque inducit ad divinum obsequium, ita ut pro illo tempore David deprecaretur Dominum: *Ne projicias me in tempore senectutis;* nam vigore naturæ deficiente in omnibus membris homo repletur multis miseriis. Et sicut magnus mundus, dum deficere incipiet & consummari, magnas patietur commotiones & alterationes in cœlo, in aere, in terra, in aquis, & omnibus elemētis, quæ sunt velut ejus membra præcipua; ita & homo, qui est Microcosmos, sive parvus mundus, jam deficiens & ad finem properans similia patitur. *Tenebrescit ei Sol, Luna, stellæ,* dum deficit intellectus, memoria, & obscurantur animæ potentiæ; item dum oculi & potentia visiva incipit caligine obrui. *Et reverti dicuntur nubes post pluviam,* dum post fluxum aquei humoris ex oculis & naribus, adhuc multa redit caligatio & obvolutio cerebri. *Custodes domus & viri fortissimi commoventur & nutant* dum sensus, qui sunt velut custodes corporis, deficiunt, dum crura & tibiæ infirmantur. *Ostia clauduntur in platea,* quando foramina meatuum, per quæ soleat spiritus vitales sensitivi & motivi transire, obstruuntur, ut non ultra ad organa & loca solita diffundantur. *Auditur humilitas vocis molentis.* dum murmurat stomachus, non potes molere & digerere. *Incurvantur locustæ,* dum venter vel pedes distenduntur superfluis humoribus. *Dissipatur capparis,* dum deficit appetitus. Denique per mortem *funiculus argenteus, vitta aurea, hydria & rota disrumpitur;* per quæ variæ in homine interiores partes, arteriæ, nervi, hepar & similia designantur. Sic tandem effertur corpus & circumeunt in platea plangentes, & vadit homo in domum æternitatis suæ. Ex his collige, quam similis sit finis cujuslibet hominis fini sæculi; in hoc quoque conformis futurus, quod pressuræ grandes unicuique imminent in discessu animæ, ob exspectationem incertam futurorum, ob tenebras, ob conscientiæ remorsus, ob desertionem omnium quæ chara esse poterant. Denique, sicut in fine apparebit Christus in sua Majestate; sic multi existimant, omnem animam, priusquam egrediatur corpore, videre Christum Crucifixum quia saltem intellectualiter elevatur ad audiendam sententiam Judicis, quæ fit per intellectualem locutionem vel illuminationem, per quam in instanti mortis cognoscit se judicari, & salvari, vel damnari imperio Christi. Itaque nos meminisse decet Judicis Dei & Vindicis, antequam veniat dies afflictionis, in quibus cogamur dicere: Non placent: antequam obtenebrescat Sol & Luna, antequam cogamur exarescere præ timore.

Psal. 70.

Senis deficientis descripsio

LECT 2. Tripartita.

EADEM DOMINICA.

Hora est jam nos de somno surgere.
Rom. 13.

SOmnus sacris in Literis quandoque in bonam accipitur partem; & in illis sub typo somni corporalis designatur frequenter quies mentis, quæ illam reddit idoneam divinis mysteriis percipiendis.

PARS I. *Debeat somno & quo non est jurgendum.*

1. Felix somnus *quem immisit Dominus in Adam, educens ex ejus latere Evam, in hoc sopore agnovit mysterium Incarnationis Domini, ejusq; cum Ecclesia conjunctionem, & in cruce soporem.* Gen. 2.

2. Felix somnus *quem Sole occumbente immisit Dominus in Abrahamum, in quo vidit Dominum instar lampadis coruscantis inter partes sacrificii transeuntem, & fœdus secum, ac cum semine suo paciscentem.* Gen. 15.

3. Felix somnus Jacob, *in quo mysticam suam intuetur scalam, & Dominum scalæ innixum, Angelosq; descendentes & ascendentes.* Gen. 27.

4. Felix somnus Joseph, *in quo vidit Solem & Lunam, & stellas undecim se adorantes; vidit & manipulos fratrum suorum adorare manipulum suum.* Gen. 37.

5. Felix somnus pueri Samuelis, *in quo dignus fuit audire vocem Domini secum loquentis.* 1. Reg. 3.

6. Felix somnus, de quo Psaltes: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Psal. 4.

7. Felix somnus, de quo Sponsus, *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.* Cant. 2.

8. Felix somnus, de quo Sponsa: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cant. 5.

9. Denique, felix somnus Joannis, *in sinu Domini suaviter quiescentis, in quo percepit altissima mysteria.*

Non ergo de omni somno monemur surgere; quin imo nunc maximè opportunum tempus est, ut animus quietem quærat spiritualem, & vacet Deo. Nunc opportunum est, ut mens pietati dedita *accubet inter terminos, & obdormiat inter medios cleros;* hoc est, ut in meditationis quiete versetur inter utramque æternitatis sortem, considerando ex una parte felicem electorum sortem, ex altera infelicem sortem reproborum; item considerando adventum Domini in carnem, in quo gratiam omnibus offert & amorem, & altera ex parte adventum ejusdem ad judicium, in quo peccantibus proponit justitiam & timorem. Hi sunt duo termini, inter quos bonum est recumbere & obdormire, ut stimulemur amore, vel percellamur timore.

Gen. 49. Psal. 67.

ITaque de pernicioso somno hic agit Apostolus, monens: *Hora est nos de somno surgere.* Somnus enim solet peccati mortalis statū designare; quia sicut in somno corporali sensus exteriores virtusque hominis sunt ligatæ, & homo jacet semimortuus; ita in peccatore, omnes animæ vires a bona operatione sunt impeditæ & homo nihil sentiēs periculi, jacet coram Deo mortuus. De hoc somno agebat Propheta, inclamans Domino: *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus*

PARS II. *De somno malo citò excutiendo.*

Psal. 12.

eum. O maledictus somnus, qui nos tradit inimicis in prædam, & ad mortem perducit æternam! De eodem somno iterum agebat Apostolus, forti insonans voce: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.*

Eph. 5.

Simile.

Hi qui in peccato hærent, similes sunt Ionæ, Domini præceptum fugienti, & postmodum in sentina navis profundo somno dormienti; non obstante quod cœlum, mare, venti fremerent, & injuriam Deo factam ulcisci pararent. Sic enim peccatores non obstante divina justitia minas intentante, non obstante conscientia remordente, multis vallati periculis dormiunt in sentina cum Iona; hoc est, in loco infimo & fœtido, in peccatis & immunditiis. *Ionas descendit ad inferiora navis, & dormiebat sopore gravi* sicait. *Sopor Iona gravissimus hominem significat erroris sopore torpentem, cui non sufficerat fugere à facie Dei, nisi quadam vecordia mens illius obruta ignoraret iracundiam Dei, & quasi securus dormiret, & profundissimum somnum ronchinare sonaret.* Verum sic Ionam dormientem excitat Gubernator navis, & inclamat: *Cur sopore deprimeris? Surge, invoca Deum tuum.* Ita munus est eorum, qui in Ecclesia tamquam Navis Rectores sunt constituti, eos qui pernicioso peccati somno detinentur, excitare, & eis inclamare: Cur sopore deprimeris? Surge, invoca Deum tuum: Nam & propter eos sæpe navis Ecclesiæ agitatur, periclitatur, afflictatur, dicit Apostolos tempestate jactatos fuisse propter Iudam: *Tranquillitas est, ubi Petrus solus navigat; tempestas, ubi Iudas adjungitur. Licet Petrus esset firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus Proditoris. Unius ergo delicto cunctorum merita quassabantur.*

S. Hieron. in c. Iona.

S. Amb. serm. de Cath. Petri.

Porro sicut multiplicia sunt peccatorum genera, multiplicesque peccantium status; sic multiplex est somnus perniciem animæ afferens, figuratus in illis qui ob somnum infeliciter periisse leguntur in sacris Scripturis.

Somnus pernicio-sus multiplex.

Prime aliqui hærent in impudicitiis & concupiscentia carnis, tandemque misere pereunt, quia vocem monentem ut surgerent, contempserunt. O juventus cæca & dissoluta, somno hoc mortifero sepulta, in quam misero jaces statu! O quam frequenter tibi inclamatur: Surge qui dormis, exurge à mortuis; Hora est de somno surgere! At tu letargo detenta, somnum & mortem amas. *Sarcina sacui velut somno dulciter premebar, & cogitationes quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur. Et sicut nemo est qui dormire semper velit, differt tamen plerumque homo somnum excutere, cum gravis torpor in membris est; ita sciebam esse melius tuæ charitati me dedere, quam meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat & vincebat, hoc libebat & vincichat. Non enim erat quod tibi responderem dicenti mihi: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus, nisi verba lenta, modo ecce modo, sine paululū; Sed modo & modo non habebant modum, & sine paululum, ibat in longum.* Describit sane eleganter August. his verbis, juvenes cupiditati carnis & libidini deditos, qui voce & luce divina è somno evocati, nihilominus differunt conversionem, & frequenter in æternam suam confusionem.

1. *Impudicitia.*

S. Aug. l. 8. confess. c. 5.

Horum figuram gerit Sisara, qui invitatus à Iahel, ejus ingressus est tabernaculum securus; at cùm ab ea lactis potum accepisset, in somnum adeo profundum ruit, ut ne quidquam resistere potuerit insidias sibi molienti mulieri; & ita contigit, ut post blanditias & illecebras apprehenso tabernaculi sui clavo & malleo ei tempora perforarit. Est typus concupiscentiæ mollem animum incantis & lactantis, tandemque mortem æternam his quos in tabernaculum suum allexerit inopinato consciscentis. O lac fallax! O somnus perniciosus! O mors infelix!

Iudic. 4.

Figuram iterum habes in Sampsone, qui dum blanditiis Daliæ suæ illectus, in imo ejus obdormit, crasis crinibus, in quibus fortitudo erat, hostibus prædæ traditur, exoculatur, molam trahere cogitur, ludibrio omnibus exponitur, & funditus evertitur. Sic concupiscentia carnis, dum illecebris suis in somnum traxit hominem, instar Dalilæ crines ei abscindit, verecundiam omnem, per crines designatam, ei eradit, oculos evellit, cœli & inferni eum consideratione privans, & de peccatis in peccata trahens fortius colligat, tandemque ad molam æterni doloris circumducendam miserè pertrahat, nisi divina pietas succurrat. O Fratres, hora modo est de hoc somno lethifero surgere, & cubilibus ac impudicitiis repudiatis, sacro hoc tempore Christum, ejusque spiritum induere, qui ad hoc venit, ut tenebris fugatis, gratiæ lucem cordibus nostris infundat, & castitatem ac puritatem doceat: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.*

Iudic. 16.

Matth 5.

2. *Ebrietas.*

Secundo aliqui dediti sunt ebrietatibus & comessationibus, ventri indulgentes & genio, ad divina plane hebetes & soporati. Hic etiam est somnus perniciosus, multa secum trahens incommoda, tandemque mortem animæ infelicem patiens. Ex hoc nimirum somno non solum hebetudo cordis & corporis oritur, sed & obduratio quædam ad sana omnia monita, & oblivio totius Salutis. Unde fit, ut qui vitæ meliorem partem crapulæ & ebrietatibus addixerunt, infelicem exitum sortiantur. O quot pereunt in ebrietatibus sine ulla ad Deum conversione! Horum typus & exemplar extitit Holofernes, cui ebrietate sepulto Judith caput præcidit eum opprobrio sempiterno. Sic multi crapulæ dediti à justitia Dei extinguuntur, tamquam ab altera Judith vindicante divinam injuriam. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* O Fratres, hora est etiam de hoc somno surgere, & relictis comessationibus ac ebrietatibus vigilare, ac Dominum Jesum Christum induere, ejusque gratiam & lucem; ad hoc ve-

Iudith. 13.

Iob. 21.

venit, ut ipse sobrietatem & temperantiam nos e-
Matt. 24 doceret: *Attendite vobis, ne graventur corda vestra crapula & ebrietate, & superveniat in vos repentina dies illa.* Et: *Sicut in diebus Noe, ita erit adventus filij hominis, &c.*
Luc. 21. 3. *Tertio*, aliqui hærent in odio vel invidia, in dis-
Invidia. sensione & vindicta, & vocem Domini vocemque conscientiæ ad meliora eos invitantis non audiunt, cordis aures occlusas habentes, Hi rectè in tenebris jacent & miserando perniciosoque somno.
1. Ioan. 2 *Qui odit fratrem suum in tenebris est.* O quam multi non solum menses, sed & annos trahunt in lethifero hoc sopore & cœca caligine, & quantumlibet moniti expergisci nolunt & lucem adspicere! Horum figuram gerit Saul, qui odio & invidia cæcatus ubique David persequebatur; ita ut non obdormiret nisi in turbidis cogitationibus vindictæ:
1. Reg. 26. *Iacebat*, inquit Scriptura, *& dormiebat in tentorio hastâ fixa ad caput.* Quanto vero cum periculo jaceret soporatus, patuit cum ejus hastam & scyphum aquæ tulit David habens vitam ejus in potestate sua. Et voce quidem blanda Davidis ad cor ejus loquentis visus est expergisci, & somnum odij à se excutere vellet sed postmodum iterum eodē invidiæ lethargo correptus oderat David, & tandem Deo vindicante, quia hastam acuerat & exeruerat
2. Reg. 1. in David, in montibus hasta propria peremptus
Psal. 26. infeliciter jacuit. Sic adimpletum est illud: *Gladius*
Odij symbolum *eorum intret in corda ipsorum & arcus eorum confringatur.* Rectè antiqui, odium & inimicitiam depingere volentes, pingebant Martem, Deum belli,
Catari l de mag. Deorum. gladio transfixum cor habentem; & statuebant eam intra nubem lubobscuram, in qua veluti in compedibus caliginis jacebat, & pedes vinctos habebat. Nunquid qui odium gerit, in obscuritate est & caligine mentis? Numquid hæc caligo ei pedes vincire cernitur, dum non permittit eum liberè & securè ambulare, sed pravorum affectuum & passionum funibus colligat, & servum facit? Nunquid cor transfixum habet gladio, cum nihil nisi gladium & vindictam nocte dieque respiret, nec quiescat nisi vindicativum animum tandem expleat? Apud Ezechielem fit mentio de quibusdam
Figura Ezech. 3. militibus, quod accumberent super gladios suos, & tanquam cervical eos capitibus supponerent: O quale cervical, quam inquietum! Tale cervical sibi sternunt qui in somno pernicioso inimicitiæ insomnes noctes ducunt, turbida semper meditantes. O Fratres, hora est de somno etiam isto surgere: non in contentione & æmulatione diutius hærendum est, sed nunc oportet induere Christum induere spiritum ejus, qui est spiritus mansuetudinis & humilitatis. Ad hoc ipse in carnem venit, ut pacem annunciet omnibus hominibus bonæ voluntatis, ut contentiones & æmulationes eliminet
Matth. 5. spiritumque infundat charitatis & amoris. *Ego autem dico vobis. Diligite inimicos vestros.*

4. *Quarto*, aliqui detinentur avaritia & cupiditate terrenâ, tori in curâ rerum terrenarum & temporalium, obliti cœlestium & æternarum. Itaque & hoc vitium gravedinem & soporem inducit pericu-
Psal. 75. losum, inducit quoque tenebras & cæcitatem. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Filij hominū usquequo gravi corde?* hoc est, cur cor semper habetis terreno sopore depressum & aggravatum, cum ad
Luc. 12. cœlestia vigil esse debeat & intentum; Iterum ad alterum avarum in Evangelio dicitur: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te; & quæ parasti cujus erunt?* Quid est hac nocte? hoc est, dum jaces in tenebris & sopore lethifero cupiditatis avaræ: Est enim status peccati nox tenebrosa & frigida, somnusque animæ perniciem afferens, quæ quandoque nihil minus cogitans, avellitur a corpore cum violentia. Hæc violentia maximè apparet in his qui opibus & rebus terrenis adhærent, quia anima bis debet revelli; semel à bonis quibus agglutinata est nimis, & iterum à corpore cui adhæret forti vinculo amoris proprij; ideo fortè dicitur anima avari in morte repeti, quasi bis peti, bis avelli. O Fratres, modo hora est de hoc etiam somno avaræ cupiditatis exsurgere, & oculos ad cœlestia aperire. En venit Christus Dominus, qui terrena docens despicere, æterna vult nos amare.
Luc. 21. *Attendite ne graventur corda vestra curis huius sæculi.*

Pars II. *De tempore in cultu divino, & quo excitandus animus.*

DIcamus ulterius, somnum in sacris Litteris designare torporem & pigritiam in obsequio divino. Multi sunt inter Christianos, qui gravibus peccatis non sunt obnoxij, nec lethifero somno peccati oppressi, tamen languide & torpide serviunt Deo, quasi cum somnolentia mentis; nec eo quo decet fervore Christianæ satisfaciunt vocationi. Hos etiam monet Apostolus seipsos excitare, somnolentiam excutere, & novum fervorem novumque induere spiritum Christi; quia nunc, tempus est gratiæ, tempus salutis, quod non debemus negligere dormitantes, sed ambulare & operari dum lucem habemus, ne nox postmodum nos comprehendat. Ideo non solum præcipit Apostolus abjicere opera tenebrarum, sed etiam
Iovnn. 12. arripere arma lucis. Opera tenebrarum vocat peccata mortifera, quorum plurima noctem amant & tenebras; est enim nox amica peccatorum, malitiæ tegumentum, iniquitatis velum; est cæca, effrons, effræna, sine timore & pudore. Qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt: qui dissolutiones sectantur,
Nocte pleraque mala fiunt. noctem quærunt. Qui conspirationes & prava ineunt consilia, tenebras & latibula amant. Nocte initur consilium adversus Jesum? *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Nocte furta patrantur
Luc. 22. & latrocinia. Nocte fornicationes & adulteria exercentur: *Oculus adulteri observat caliginem.* Nocte torpatrata sunt nefanda erga uxorem Levitæ. Nocte Sodomitæ domum Loth circumdant, ut abu-
Iob 24. tantur Angelis hospitio suo exceptis. Ergo merito
Iud. 19. peccata &. scelera, opera noctis vocantur & tene-
Gen. 19. bra-

brarum : tum quiaut plurimum in tenebris exercentur : tum quia Princeps tenebrarum ad illa instigat: tum quia hi qui illa committunt, in tenebris & caligine mentis agunt, tum denique quia in tenebris extremis erit eorum merces. Opera verò & arma lucis appellantur exercitia virtutis & pietatis quia lucem animæ afferunt, & ad lucem gloriæ à luce gratiæ nos perducunt. Lux est castitas, sobrietas, justitia: Lux est fides, pietas, charitas, & omnia virtutum harum opera, arma sunt lucis, quibus contra tenebras, & Principem tenebrarum depugnemus.

His armis præcipit nos succingi Apostolus, & omni somnolentia excussâ, nobis advigilare, nec solum declinare monet à malo, sed & facere bonum solerter & strenuè, non oscitanter & dormitabundè. *Hora est*, inquit, *nos de somno surgere*. Quasi dicat: Hora est nos pietatis studio toto pectore incumbere, hora est succinctis lumbis lucernas ardentes in
Matt. 24 manibus tenere : hora est cum servis fidelibus & vigilantibus Dominum venientem cum gaudio & solertia excipere: hora est cum virginibus sapientibus olei provisionem facere, & Sponso occurrere. Alioqui si sopore opprimimur, & dormitamus neglecta lampade & olei copia, verendum est ne claudatur janua, & pulsantibus dicatur: *Nescio vos*. Fra-
Matt 25. tres suos conformiter Apostol. hortabatur: *Suscipiamus tandem aliquando, o Fratres curam animarum nostrarum, mœreamus ob stultitiam vitæ antegressæ, decertemus profuturis, nec amplius in hac perstemus, ne præsens tempus semper per negligentiam amittendo, & in crastinum differendo, revocati ab eo qui reposcit animas nostras, nec bonis operibus præparati, à gaudio Sponsi excludamur.*
S. Basil. Orat. 4. de pœnit.

Torpor in divinis, unde. Et quidem contigit frequenter in via Domini tædium obrepere & dormitationem, ob corruptionem corporis, quod aggravat animam: sed nec deest Dei auxilium ad expellendam illam somnolentiam, si illud invocemus & cooperemur. Hinc Propheta torpore quodam se aggravatum sentiens, di-
Psal. 118. cebat : *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.* Ac tandem per divinam gratiam omni fastidio & cordis tepore superato, omnique anxietate depulsa, addit: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. In quem locum sic ait S. Bern. *Sunt nonnulli qui bona faciunt, vel consuetudine, vel necessitate, vel consuetudine, & ad hæc agenda nulla alacritate moventur. Vitium hoc acedia est, contra illud operatur qui viam mandatorum Dei currit, cum cor ejus dilatatur, id est, Spirituali jucunditate aperitur : dicitur enim naturaliter timore & tristitia cor claudi, securitate & lætitia aperiri.*

Figuram illorum qui pusillanimitate & tædio oppressi jacent, nec viam Domini prosequuntur, in Elia habemus. Ambulabat per deserti asperum
3. Reg. 19 tramitem, fugiens Jezabelis persecutionem; sed lassitudine & tædio viæ & vitæ affectus, projicit se sub Juniperum, & obdormit, nec progreditur. At mox adest Angelus, & aurem ei mentemque vellicans, insonat. *Surge, adhuc grandis tibi restat via.* *Figura tepidorũ.*
Experrectum reficit & confortat scypho aquæ, & subcineritio pane. nec amplius defecit, sed ad mõtem Dei solers pertigit, ductu Angeli & virtute cibi. Typus hic est Christiani peregrinantis, qui ad montem æternitatis contendens, tædio nonnunquam afficitur viæ longæ & confragosæ, qui præ infirmitate elanguescit, cum mentis ariditate jacet & obdormiscit, quærens umbram humani solatij, quasi refrigerium Juniperi. Munus autem est eorum qui animarum curam gerunt (quia officium & ministerium Angelorum exercent) hortari tales ad excutiendam pusillanimitatem & somnum, panem quoque & calcem viatorum eis proponere, quo reparent vires ad progrediendum; ut jam animum resumant qui jacebant dormitantes, & tandem ad montem Dei pertingant hæreditatemque capiant salutis Horum ergo vox sit: *Fratres hora est nos de somno surgere, nunc enim prope est nostra salus: Levate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra*. Horum vox sit ad quemlibet pusillanimem & torpidum. *Surge, comede, grandis tibi adhuc restat via*, Horum vox sit: *Festinemus ingredi in illam requiem, donec hodie cognominatur. Timeamus ne forte relicta pollicitatione, inveniatur aliquis ex nobis deesse*. Excutiendus est torpor, & festinandum est (inquit S. Tho.) in hac peregrinatione, quia via longa est; vita brevis, vocatio Dei urget & in mora est periculum. *Matt. 24*

Multum porro valere vocem hortantis, vocemque orantis ad excutiendum soporem & nubilum Spiritus, S. Bern. exemplo possumus declarare. Adhærebat Bern. quidam Godefridus de Perona recenter ab eo conversus, & divino obsequio consecratus. Paulò post conversionem in spiritu fervoris peractam, turpor & tenebræ eum tristitia spiritus ita eum invaserunt, ut exterior etiã hominis conversatio satis indicaret quid interius in animo ejus ageretur. Unde quidam ex confodalibus et familiaritate junctus secretò & cordate ejus animum explorans, sic eum est allocutus, *Quid est Godefride, quod ita præter morem cogitabundus es, afflictus, & cor le dormitabundus?* Cui ille profundo cum suspirio: *Eheu, frater, toto vitæ meæ decursu nullo unquam fruar gaudio.* Meminerat nimirum consolationum sæculi, parentum, amicorum, divitiarum, quibus nuntium remiserat, & vix ingressus iter Dei; jam lassus & tædio ac sopore affectus, umbram quærebat Juniperi, relictum solatium sæculi. Hoc advertens ejus confodalis, zelo fraterno S. Bernardo tamquam Patri communi rẽ totam indicat. Ille Ecclesiam ingrediens, oratione ferventissima negotium salutis Godefridi commẽdat Domino, dum interim ipse gravi oppressus tristitia, saxo velut cervical incumbens, obdormiscit. Paulo post surgens ab oratione, hunc à somno excitat, velut alter Angelus Eliæ soporato insonans: *Surge, grandis tibi adhuc restat via* Surrexit ille *Torporem quid excutiat* *Guiliel. Abbas in vita Bernardi,* *Exempla*

ille, sed facie adeo serenâ & lætâ, ut jam mutato animo & serm one diceret confodali suo. *Parce, mi frater, si amicam me numquam lætum fore dixi. tanto enim jam repleor gaudio, ut me in divino obsequio numquâ tristem fore pene audeam pronunciare.* Adeo scil. valuit vox Bernardi orantis, & instar Angeli illum cujus sibi cura erat, excitantis, atque cum Apostolo ei inclamantis, *Hora est nos de somno surgere.*

Imò ipsemet Christus quandoque suos sua voce excitare dignatur, ad excutiendum omnem torporem & somnolentiam, ejusque novum animum novasque vires suggerere, ad ea quæ divini sunt obsequij solerter peragenda. Aude quod de S. Lurgarde legimus in ejus vita. Corpore & ætate cum esset tenerrima, nocte quâdam cum Matutinum officium foret decantandum more Religiosi instituti, quod amplexa erat: sudor eam vehemens invasit. Cum ergo se excusare & absentare ab officio cogitaret, ut fortior postmodum ad divinum redderetur obsequium; ecce vox ad eam. *Quid jaces? Surge, oportet ut pœnitentiam nunc agas pro peccatoribus qui in sordibus jacent.* Exterrita illa inchoato jam officio festinat ad Ecclesiam. In ipso vero ostio reperit obvium Christum Cruci affixum & cruentatum; qui brachium è cruce deponens, & eam amplexans, os ejus lateris sui vulneri applicuit. Inde vero tantam hausit suavitatem, ut ex eo tempore in Dei servitio robustior longè & alacrior reddita fuerit. Retulerunt que qui id probaverunt ea revelante, ab eo tempore salivam ejus mellis superasse dulcedinem. Nec mirum, quando quidem cor illius intus fixerat divinitatis, Christi mel, & humanitatis lac continuo ruminabat.

Surius in vita Lutgardis ex Cantipratano.

Concludamus, & dicamus hanc Apostoli vocam concernere omnes cujuslibet status & professionis, quia, ut supra insinuavimus, in omni statu & professione, etiam religiosa, aliqui reperiuntur de quibus illud verum est: *Multi inter vos infirmi sunt & imbecilles, & dormiunt multi. Invenire est homines pusillanimes & remissos, deficientes sub onere virga & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia pusillanimis tristitia est, quorum brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, obediendi tarda & vitiosa, sermo sine circumspectione; quorum oratio sine cordis compunctione, lectio sine sui ædificatione; quos vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix ratio frenat, vix disciplina coercet.* Periculosus est certè torpor ille, & in soporem mortiferum facilè declinat, si non excutiatur, & nisi in sui custodia vigilantius animus se habeat, salutisq; suæ curam majorem habeat. Hoc declarat S. Greg. exemplo Isboseth, *qui super stratum jacens circa meridiem (ostiariâ domus etiam obdormiente) irrepentibus in cubiculum ejus Rechab & Banna insidiatoribus, miserè necatus est. Ostiaria Domus est mentis custodia, quæ si dormierit, in mortem proprij Domini insidiatores admittit, quia si discretionis sollicitudo cessaverit, ad interficiendam animam maligno spiritibus iter pandit. Unde bene Isboseth dicitur, qui custode famina, hostilibus gladijs necatur. Isboseth enim Vir confusionis dicitur. Vir autem confusionis est, qui fortimentis custodia non est munitus, qua dormiente vitia nescientem necant.*

Ber. Ser. 6. De Assens. 1. Cor. 11.

2. Reg. 4.

Greg. 1. mor. c. 19

Sic fere in Scripturis infælix esse somnus solet, spiritualis somni mortiferi, aut torporis ad mortem sensim sine sensu dispontentis typus. Infelix certe somnus Noë, in quo nudatus ebrietate jacet qui per sexcentos annos verenda texerat. Infælix somnus Loth, ex quo incæstus cum filiabus execrandus est subsecutus. Infelix somnus Sisaræ, cum opprobrosa morte conjunctus. Infelix somnus Sampsonis in Dalilæ gremio, quo hostibus ludibrium est factus, & donis divinis spoliatus. Infælix somnus Isboseth, in quo adeo infeliciter est necatus. Infelix somnus Holophernis, dum in proprio cruore jacet sepultus, à muliere obtruncatus. Infelix somnus de quo Sapiens, *Usquequo piger dormies? Paululum conseres manus, paululum dormitabis, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus: si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas fugiet à te.* Hæc de somno & egestate spirituali vera sunt, infelix somnus Adolescentis, qui sedens in fenestra, & Paulum Christum annunciantem audiens, obdormivit, & cadens expiravit; verum benignitate Pauli suscitatus est, & resuscitatus. Infelix quoque in Evangelio somnus Patris-familias, dum eo dormiente venit inimicus homo, & super seminavit zizania. Infelix & illius somnus qui soporatus sunt perfodi domum suam. Infelix somnus illius cujus nocte reperitur anima, & rapitur imparata. Infelices virgines, quæ ob somnum & incuriam à Sponsi nuptijs excluduntur. Obnoxij reprehensioni Apostoli, quorum oculi nimium erant gravati, ita ut cum Domino non possent vigilare.

Infælix quorundam somnus.

Prov. 6.

Act. 22.

Matt. 13.

Luc. 12.

E contra Beati pronunciantur qui vigilant: *Beatus qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie. Qui mane vigilant ad me, invenient me, & haurient salutem à Domino*, inquit Sapientia. Beati servilli qui vigiles expectant adventum Domini sui; in prima, in secunda, in tertia vigilia parati; in adolescentia, in juventute, in senectute expediti ad ei occurrendum. Beati Pastores custodientes vigilias nocti super gregem suum, quibus Angelica Evangelizatio & Dominica Nativitas primum illuxit. Quicunque vigilat super gregem cogitationum & actionum suarum, dignus fit Angelica allocutione, & divina visitatione Beatus est, qui instar militis pervigilis dicere potest: *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem meam, & videbo quid respondere debeam ad arguentem me.* Beatus ille qui instar agricolæ vigilantis in agro coidis sui excolendo totus est, sat riendo occando, serendo, lapides & spinas eradicando, ut postmodum copiosam possit messem in horreum

Vigilante beati.

Prov. 8.

Luc. 12.

Luc. 2.

Abac. 2.

Domi-

Domini inferre. Beatus qui instar negotiatoris non dormit, sed lucra adjungere, merita meritis cumulare non cessat, ut provisionem faciat, qua possit vivere tota æternitate. *Quasi navis institoris à longe portans panem suum.* Beatus qui instar operarij & architecti inconfusibilis semper ædificat domum & templum Domino, dicens cum Propheta: *Si ascendero in lectum stratis meis, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec invenã locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Nos utiq; omnes, si vere Christiani sumus, Milites sumus, Agricolæ, Negotiatores, Architecti, Operarij, & servi qui jubemur a Domino vigilare; nam & scriptura hanc vocem passim inculcat: *Vigilate.* Prophetæ. Evangelistæ, Apostoli monent frequentissimè nos à somno surgere, & vigiles esse. *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne ambulet nudus. Certa judicij momenta nescimus, ut semper tamquam in excubijs constituti, & quadam virtutis specula collocati, continuum de animis nostris, ne nos incauti peccandi consuetudinem deprehendat. Vigilias ad omnia ter vitia dies Domini deprehendat. Vigilias ad omnia esse salutares nullus ignorat: plus vigilare, plus vivere est. nam quid mortuo magis simile quam dormiens? aspectus? Rex per vigil hostis præcavet insidias. Miles nocturnos impetus cauta per noctationem propellit. Nauta vigilando in certas vias intrat, Pastor adjungit noctes diebus, ne qua lupis in gregem grassandi præbeatur occasio, Viator solers per auras noctis Solis æstus prævenit.*

Prov. ultim.

Psal. 131.

Apoc. 16.

S. Amb. l. 5. de fide cap. 8. S. Chrys. serm. 23.

EADEM DOMINICA.

Fratres, hora est nos de somno surgere, &c. Rom. 14.

Lect. 3. *Cur nũc sit surgendi tempus & quid Christiano nunc faciendum.*

PARS I. 1. *Surgendum ob Galli cãtum qui ternus est & triplex.*

DIcamus primo, tempus esse surgendi, dum Gallus suum edit cantum, diei lucisque indicem. Maxime si tertius Galli cantus jam infonuerit, torpor omnis excutiendus est. Triplicem nempe cantum edere solet, primum post medium noctem, secundum in aurora, tertium illucente jam die. Dicimus igitur nunc tempus esse surgendi, quando quidem triplex ille cantus Galli aures nostras pervaserit, ut nos excitaret, & erigeret.

1. *Primum* itaque Gallicinium quod auditur in profunda adhuc nocte, voces sunt Prophetarum, qui in tenebris legis præsentientes adventum Christi, tamquam Solis ex alto orientis clamant & excitant nos, ut cum gaudio serenam gratiæ ejus lucem excipiamus. Audi Isaiam in umbra & nocte legis lucem hanc annunciantem clamore continuo: *Propter Sion non tacebo propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus.* *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eũ dum prope est, prope est ut veniat tempus ejus, & mi* *Surge consurge, induere fortitudine tua Sion; Excutere de pulvere, consurge, sede Ierusalem, solve vincula colli tui captiva Filia Sion.* An non hæ sunt voces Galli, dormientes & in mœrore ac pulvere jacentes excitantis, ut oculos aperiant ad lucem, ut levent capita sua, & cum gaudio suscipiant appropinquantem gratiam & redemptionem?

Isa. 62.

Isa. 50.

Isa. 14.

Isa. 52.

Secundum Galli cantum quod in aurora resonat, vox est Joannis. Ille enim multiplicem vocem dedit ad excitandos dormientes, ut jam omnino proximam Christi gratiam & lucem adipicerent. Aurora igitur tunc erat lucis scilicet exordium, quando ipse in solitudine clamabat: *Pœnitentiam agite, appropinquavit regnum cœlorum. Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Matt. 3.

Et voce & digito demonstrabat Solem & Lucem, dum demonstrabat Christum. Ipse erat lucerna ardens & lucens ante Dominum: ipse erat Gallus, præcinens diei adventum, excitans caligantes ante ea oculos ad serenum lucis aspectum. Unde & vox ejus in adventu Domini continuò in Ecclesia auditur, & repetitur, ut nos excitet soporatos.

3. Tertium Gallicinium orto jam die, vox est Apostolica, vox quoque Prædicatorum Apostolico muniere fungentium, & instar Gallorum edito è loco concinentium. *Fratres, hora est nos de somno surgere. Abjiciamus opera tenebrarum, induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus, nos præcessit, dies autem appropinquavit, &c.* Ecce quomodo Præco diei jam sonat:

Surgamus ergo strenuè,
Gallus jacentes excitat,
Et somnolentes increpat,
Gallus negantes arguit.

Dicitur dæmon odisse plurimum Galli cantum, ob rationes varias. Prima est; quia ille nos ad Dei laudem excitat, & illo canente omnis errorum chorus viam nocendi deserit, malitiamque quam nox suo velo contexerat, dispellit, indicans adesse lucem. Secunda est, quia Christi resurrectio contigit circa cantum Galli, per illam autem resurrectionem, cujus tunc meminisse cogitur, ipse perfecte prostratus fuit & devictus. Tertia, quia etiam tunc meminisse cogitur pœnitentiæ & lachrymarum Petri, quas fudit Gallo monente, non solum mox a peccato, sed etiam tota vita sua, Galli voce dolorem renovante, ut testatur S. Clemens. Dolet ergo diabolus talem sibi prædam tunc ereptam, ejusque exemplo & meritis multos sibi eripi adhuc modo. Quarta, quia Leo Gallum canentem omnino timet, & ad ejus aspectum perhorrescit: unde Lucretius de Gallo canit.

Gallum Leo timet.

Quem nequeunt rabidi contra constare Leones.
Timet ergo Gallum hic Leo rugiens, dum circuit quærens quem devoret, timet & ejus vocem: sed maxime vocem odit eorum qui Galli vicem in Ecclesia obeunt clamantes: Hora est nos de somno surgere, nox præcessit, dies appropinquavit: quia scilicet vox hæc illorum dispellit tenebras, fugat crimina aperit oculos, prædam ei multam eripit, & resur-

Galli cã tum odit.

rectionis Christi facit esse consortes, Petroque illos per pœnitentiam consociat. Vnde de hac voce Galli rectissimè illud cecinerit.

Gallo canente spes redit
Ægris salus refunditur,
Mœsto latroni conditur,
Lapsis fides revertitur.

PARS II *Surgendum quia magnus dominus ingressum petit.*

DIcamus secundò, tempus esse surgendi, quando quis alicujus auctoritatis ad ostium pulsat, & ingressum petit: indecorum enim est si te inveniat jacentem in strato, is quem honorificè oporteret excipere. An non hoc sacro tempore Dominus noster ad nos vult ingredi, ut donis & opibus cœlestib. excipientes se cumulet, ut animas nostras sanstificet, & benedictione repleat; Insipiens igitur est & ingratus qui venienti obviam non procedit, & de somno consurgens, domum

Christi clementia ergà homines.

suam non exornat, aptumque locum ad eum excipiendum non præparat omni cum diligentia. Nec tamen dedignatur ipse etiam ad dormientes accedere, vocare, pulsare, ut eos tandem excitet: *Ego*

Apoc. 3.

sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum eo, & ipse mecũ. Quibus verbis significat se sua clementia & gratia nos prævenire, & pulsare ad ostium cordis, ut nos à somno desidiæ, vel peccati excitet; nam cor nostrum per desidiam & peccatum quodammodo illi est clausum. In arbitrio autem hominis est aperire, hoc est, inspirationem & gratiam, qua mentem pulsat Dominus, admittere vel respuere, cooperari vel dissentire. Merces autem aperientis erit, quod dignabitur Dominus intrare per gratiam sanctificantem, hospitemque suum bonis & deliciis spiritualibus beatum facere, & quasi cum fido amico familiariter conversari. Pulsat itaque Dominus per illuminationem intellectus, & impulsum voluntatis, ut excitetur homo ad bonum, spemque & desiderium cœlestium ei immittit ad hunc effectum. Vocat & pulsat fortiter, non solùm per inspirationes, sed etiam per graves conscientiæ remorsus, immittendo mortis, judicii, gehennæ terrores. Hæc omnia vocem & strepitum cordis ad ostrum edunt, quibus excitetur & instigetur ad aperiendum, & removendum pessulum, sive omne obstaculum

Psal. 94.

Creatori & Redemptori suo *Hodie* ergò *si vocẽ ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*, sed omni excusso sopore & torpore, cito occurrite ei, oblatam gratiam obviis ulnis amplectentes. Nolite respondere verba lenta & somnolenta, modò, ecce modò sine paululum; ne mox pertranseat, & sero nimis eum requiratis, transitumque ejus lugeatis. Sponsa tardans aperire Sponso, cùm postmodum aperire volens, pertransiisse advertit, non sine mœrore fuit. Profectò hoc tempore omni animæ fideli inclamat pulsans, & à somno excitans;

Cant. 5.

Aperi mihi soror mea sponsa, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei pleni guttis noctium. Quid est caput meum plenum est rore; Forsitan

Rational. Evang.

vult dicere, quod totus plenus sit rore gratiæ & misericordiæ, quem in animam sibi dantem ingressum cupit effundere. *Sicut ros cœli nocturnus amovet siccitates, ita vos D. Iesu nocturnis & sacularibus tenebris aterne vite stillavit humorem.* Vel

S. Ambr.

etiam dictis verbis Christus vult insinuare se per multas noctis horas steriisse ad fores pulsando, ita ut caput totum guttis nocturnis sit madidum; cùm tamen ad primum pulsum debuerit aperire. Sicigitur amorem commendat suum. Quasi diceret. An non vides meam in te benignitatem, an non & perseverantiam; Multis horis pulso ob tuum commodum, ob meum cur igitur ingratè te geris, nec aperis; Denique, quia quædam animæ ita sunt lethifero sopore aggravatæ, ut nec vocem, nec pulsum stantis & ad fores expectantis attendant; nec inspirationes, nec conscientiæ clamores, nec gehennæ terrores curent tempore oportuno: ideo apud Sapientẽ pronunciat: *Vocavi & renuistis, extendi manũ meã, & non fuit qui aspiceret, despexistis*

Prov. 1.

omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Quia nolumus somnum excutere illo pulsante, & cor aperire, utin eo caput suum reclinet gravatum multiplicibus nocturnis guttis peccatorum nostrorum; immo ingrati eum repellimus, & peccata peccatis adjiciendo caput ejus magis aggravamus: ideo cùm tempus postremum surgendi erit, immittet in nobis soporem, quem quia excutere non valebimus, peribimus.

Hic vide pœnitere neque-unt.

Refert P. Damianus Cardinalis, in Perusino Monasterio S. Salvatoris fuisse Monachum sæcularibus contentionibus vehementer intentum. *Hic*; inquit, *dum in immutandis Abbatibus & fratribus perturbandis æstuans non quiesceret; eo pervenit, ut Diaboli Patrocinium quæreret ad supernandos æmulos, ejusq; potestatise traderet; hoc tamen pacto, quod Dæmon mortem ipsi nuntiaret tertio die ante eam. Promisit Dæmon, credidit q;, infœlix, & sub hac securitate in peccatis permansit, infœlici somno soporatus. Tamen in ægritudinem lapso adest Dæmon, & sicut sponderat, diem obitus indicat. Ille advocatis fratribus, per ordinem narrat qua cum spiritu nequam pepigerat. At dum instarent illi, ut pœnitentiam ageret & confiteretur, repentè obdormivit; & sive pulsarent sive clamarent, excitari non poterat Si vero tacerent, vel alia de re quàm de pœnitentia loquerentur, expergefactus colloquebatur. Si vero iterum de confessione mentio fieret, protinus insensibili sopore corripiebatur; sicq; tandem horrenda morti traditus est. Postea per plures noctes nigra canum turba non cessavit ejus sepulturæ assistere, & quasi depositum custodire, sta ut videntes horrore concuterentur.* Sic nimirum verum fuit de illo quod de quibusdam dicitur Isai. *Quoniam miscuit vobis Dominus spiritus soporis, claudet oculos vestros.* Cum spiritu soporis (quem per peccati continuationem demeruerat, nolens excitari à voce Domi-

Exemplum Ex Epist. P. Da. tom. 3. Biblioth. Patrum.

Isai. 29.

ni tempore oportuno auribus cordis ejus insinuata) oculos clausit in mortem æternam, nec surgere potuit dum voluit, vel dum velle visus est, quia surgere noluit dum potuit.

Exemplum aliud.

Sic & alius quidam usurus declinat, dum frequenter moneretur, ut à letifero injustitiæ somno tandem exsurgeret, ne morte æternâ infœlix obdormiret, solebat respondere sibi ad pœnitentiam tempus sufficiens superesse: ita nec voce inspirationis divinæ, nec stimulo admonitionis humanæ, nec conscientiæ pulsatione excitabatur ad meliorem vitam; verba respondebat lenta & somnolenta, modò, ecce modò, sine paululum, & modò non habebat modum, sine paululum ibat in longum. Quid tandem? Corripitur morbo gravi, & nihilominus de die in diem procrastinabat, donec tandem penè ad extrema deductus, cùm instaret Sacerdos pro pœnitentia, inclamare coactus est: *O Pœnitentia ubi es? ô Pœnitentia ubi es? De cætero pœnitere non valeo, ita judicante justo Judice, quia dum facere pœnitentiam potui non volui.* Hæc docens, infœliciter expiravit. Sic illo verum est *Vocavi & renuistis, despexistis omne consilium meum, & increpationes neglexistis, ideo in interitu vestro ridebo. Tunc invocabunt me, & non exaudiam, manè consurgent, & non invenient me.*

Ioan. Algans Card. Ord. S. Benedicti in refert. Prov. 1.

Surgendum est quia Medicus venit.

Surgendum est dum medicus jubet surgere, vigilandum dū jubet vigilare. En advenit Christus ut medicus, ut visitet ægras animas, ut morbum cognoscat, venam tangat, ordinet necessaria sanitati. Cur igitur sternimus? Cur ejus manum & consiliū non requirimus? Cur morbum non aperimus, ut tangat & sanet? Dicit tibi Medicus: Non oportet te dormire; tu dicis; Suave mihi est dormire; & mavis mortem quàm sanitatem inquit August. Hæc est deploranda hominum miseria.

PARS III.

Surgendum quia Sol radius in nos emisit.

Dicamus tertiò, tempus esse surgendi, dum Sol radios emittens ad stratum usque nostrum, etiam oculos nostros ferit. An non id peragit Sol gratiæ tempore hoc sacro? An non per *viscera misericordiæ Dei nostri visitat nos Oriens ex alto*, ut illuminet eos *qui in tenebris & umbra mortis sedent ad dirigendos pedes in viam pacis*? Profectò omnes cupit illuminare, & à tenebris peccati excitare, quantum in se est. Culpa nostra est, si somnum & tenebras amantes, oculos perire nolumus, si fenestras cordis undique occludimus, ne radii ejus intrent, aut somnum nostrum interrumpant. Sicut de Sole materiali verum est, quod aliqui ea quæ possunt impedimenta, ei objiciunt vitris velum appendendo cubilis cortinas trahendo, caput stragulo cooperiendo, ut pro libidine somno indulgeant soporis amicitia de multis idem verum est circa Solem spiritualem. Multa enim impedimenta ejus radiis voluntariè objiciunt, ut in peccatis stertant lætiferis, illecebris delinīti,

Similе.

Multi resistunt lumini. Iob. 24.

De his verum est illud Job: *Ipsi sunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis; & sic in tenebris quasi in luce ambulant.* Cùm apud eos agitur de vita melius instituēda, de morum correctione, de præparatione ad gratiam, de confessione frequentanda, de recogitandis peccatis præteritis, rebelles sunt huic luci. Reputant hos sermones, quasi ageretur cum eis de umbra mortis, cùm sit aurora quæ eis offertur ad dissipandam caliginem. Sed nolunt reverti per semitas lucis, nesciunt & repudiant vias ejus; sic in tenebris quasi in luce agunt; sic soporati se vigiles esse existimant, & tandem somnum morti infeliciter conjungunt. De similibus eleganter dicebat S. Chrysol. hom. 39. *Sunt qui se non in cubili, sed in ipso collocant sepulchro: qui se non somno, sed morti tradunt. Quos Gallus non commonet, Lucifer non suscitat. Sol ipse non revocat, nec producit ad lucem.*

Æthyopes, Solis inimici.

Comparari solent hi populis quibusdam Athlanticis & Æthyopibus, de quibus tradunt Historici, quod Solis sint inimici; quodque tempore ortus & occasus ipsum maledictionibus petant. Et tamē luce mihil jucundius, quæ omnium etiam origo est bonorum, tellurem fœcundans. Sed nigris istis populis nigra nox cùm placeat, hostes sunt auroræ & lucis. Sic quibusdam etiam Christianis nox ignorantiæ & peccatorum grata est, fugiunt lucem veritatis & auroram gratiæ. si de his cum eis sermonem ineas, displicet illis, quia sunt rebelles lumini: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem* In horum sorte se quondam fuisse ante conversionem suam agnovit S. Augustinus, sic de se dicens: *Erat nubes magna & tenebrosa ante oculos vanitatis meæ, ita ut videre non possem Solem justitiæ, & lumen veritatis, involvebar in tenebris filius tenebrarum tenebras amabam, quia lumen non cognoscebam, & ad tenebras per tenebras ambulabam.*

Ioan. 3.

Comparari iterum possunt viatori, qui dum umbram amat, sub arborem se projicit, ut obdormiat. Interim Sol se vertens, tandem & ipsum attingit, & oculos ejus ferit, ut exsurgat, & viam prosequatur, quod dammodo monens, sed ipse nolens somnum deserere, galerum in caput trahit & pallū; his obvelat oculos suos, & resistit radiis Solis somnum excutientibus. Sic lumini est rebellis, sed gravissimo suo damno & periculo. Contingit enim tandem eum finito Solis lumine exurgere, & iter velle cœptum prosequi, ut ad destinatum pertingat terminum: Verùm noctis tenebris impeditus, nec viam agnoscit, nec securè ambulat; sed vel in prædonum manus incurrit, vel in fixa & foveas impingit, vel toto aberrat itinere, ita ut non assequatur scopum. O quoties Christianis somnolentis contingit in via salutis negligentes esse temporis & lucis, ob soporem quem adamant, tandemque terminum non assequi, sed impingere in tenebris, & præcipites ruere in abyssum damnationis, de abysso iniquitatis! Ideo ne serò nimis ambulemus, serio monebat Dominus: *Ambulate dum*

Ioan. 12.

dum locum habeat, ne tenebræ vos comprehendant.

Quid sacro adventus tempore faciendum.

Sed in praxi declaremus quid à nobis requiratur hoc sacro tempore, ut verè obtemperemus voci & monitioni Apostoli: *Fratres, hora est nos de somno surgere.*

1. *Discutienda vitia nostra.* *Psal. 76.*

1. Excitanda est mens nocturno vel matutino tempore, ut cogitet serio de vitâ præteritâ, de præsenti negligentia, de anxietate futurâ. Jam tempus oportunum est peragendi quod se fecisse testatur Rex & Propheta: *Meditabar nocte cum corde meo, & excitabar, & scopebam spiritum meum.* Jam prolixæ sunt affatim noctes, ideo tu excitatus lucidi examinis accendens facem, quæcunque in te sunt, perlustra: forsitan maximam vitæ tuæ partem nox torporque sibi vendicat: Multa in obscuro delitescunt maculosa, quæ tu autumas esse fulgida; nam quandoque fordet in discretione Judicis, quod fulget in æstimatione operantis. Cum autem nostri Judicis adventus, etiam postremus, nobis nunc proponatur, videndum quæ in nobis illius oculis possunt displicere, ut expungantur: videndum ut futuræ ætati consulatur, ne vacua lucis, lubrico properet vestigio ad regionem umbræ mortis. Salutis ergo nostræ negotium nunc nobis maximè cordi esse debet; & ideo cum fervore renovandum est propositum de cætero non peccandi, & ideo perfectius serviendi, agnoscendo cum confusione & compunctione teporem præteritum, illumque excutiendo. Quod in adventu Judicis feciste velles pro tuâ securitate? Hoc nunc conare ad effectum deducere. Utinam cum Propheta possit dicere: *Nunc cœpi.*

2. *Excitanda mens ad considerandum amorem Redemptoris in hominem.* *Thren 2. Psal 61. S. Aug. lib. de catechizandis rudib. Bern. ser. 1. in Cant.*

2. Excitanda est mens ad considerandum amorem Redemptoris in primo suo adventu, quando se totum pro nobis dedit & effudit; conandum etiam ut amor amori rependatur. Et ideo attendendum est modò illud Prophetæ, *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini* Effunditur cor, non solum per compunctionem & dolorem, sed etiam per amorem. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra. Deus adjutor noster in æternum,* inquit Psaltes. Effundendum ergo cor instar aquæ per lacrymas compunctionis, effundendum instar ceræ liquescentis per ignem divini amoris: *Ama amorem illius qui amore amoris tui descendit in uterum Virginis, ut amorem suũ amori tuo copularet, humiliando se, sublimando te, conjungendo sumen æternitate suæ limo mortalitati tuæ.* Excutiendus hic omnis torpor exemplo S. Bernardi: *Ardorem desideriis Sanctorum Patrum suspirantium Christi in carne præsentiam: frequenter cogitans; confundor & compungor in memetipso, & nunc vix contineo lacrymas, ita me pudet teporis & torporis miserabilium temporum horum. Cui namque nostrum tantum ingerit gaudium gratia hujus exhibitio, quantum accenderat desiderium veteribus sola promissio?* Itaque per obsequium aliquod speciale, renovanda est de die in diem memoria Redemptoris pro salute nostra advenientis, sive per orationem mentalem, sive per vocalem. Sic rudiores saltem hebdomadatim offerant Rosarium Virginis, in quo mysteria 15. Redemptionis nostræ rememorantur, & Angelica Salutatio in numero mystico repetitur, gaudium renovans quod Virgo concepit pro omnium redemptione, dum Filium Dei meruit concipere, & mundo Salvatorem edere. Nemo etiam immemor sit tertio in die ad pulsum campanæ ter Angelicam illam repetere Salutationem, cum adjuncto triplici versu: *Angelus Domini, &c. Ecce Ancilla Domini, &c. Et verbum Caro factum est,* &c. His enim mysterium hoc quod modò recolitur cum gratitudine & affectu in mentem reduci debet, idque Deo gratissimum est. Unde in lib. insinuat. divin. piet. lib. 4. cap. 3. legimus, quod devotissima Virgo S. Gertrudis, cum in choro quodam Responsorio caneretur, *Verbum Caro factum est,* & chorus se profundè inclinaret ob reverentiam Dominicæ incarnationis; intellexit Dominũ dicentem: Quotiescumque aliquis cum devota gratitudine se inclinat in verbo isto, gratias agens mihi, quod pro amore ipsius dignatus sum homo fieri, toties ego stimulis propriæ mansuetudinis meæ instigatus, me ipsi dignantissimè reinclino, & ex intimo cordis affectu Deo Patri omnem fructum beatissimæ humanitatis meæ offero dupliciter, in augmentum beatitudinis æternæ hominis illius.

3. Quo ad fieri potest, toto Adventus tempore non est omittendum sacrificium Missæ. Ibi specialissimè renovatur memoria incarnationis & adventus Domini, ideoque cum attentione & devotione ad hunc effectum (maximè nunc) prodest illi interesse. Oportetque meminisse illius quod docet Thom. à Kemp. l. 4. de imit. cap. 2. *Quoties, inquit, hoc mysterium recolis, & Christi corpus accipis, toties tua redemptionis opus agis, & particeps omnium meritorum Christi efficeris. Charitas enim Christi numquam minuitur, & magnitudo propitiationis ejus numquam exhauritur. Ideo novâ semper mentis renovatione ad hoc disponere te debes & magnum salutis mysterium attentâ consideratione pensare. Ita magnum, novum, jucundum tibi videri debet, cum celebras, aut missam audis, ac si eodem die Christus primùm in uterum Virginis descendens homo factus esset, aut in cruce pendens pro hominum salute pateretur.* Hæc ille. Neque solùm Missa audienda est, sed etiam adventus initio sacra communio est recipienda, quæ est instar panis illius, qui Eliæ dormienti ab Angelo exhibitus fuit, ut torpore eliminato alacriter viã Domini curreret. Sacra scil. communio novum cor, novum animum, novum spiritum suggerit; quia per illam induimur Dominum JESUM

2. *Sacrum Missæ officium non est omittendum.*

CHRISTUM, ut Apostolus in epistola hodierna nos commonet.

4. *Operibus charitatis insistendum.*

4. In memoriam beneficentiæ quam Dominus JESUS adveniens nobis exhibuit, hoc sacro tempore operibus charitatis & beneficentiæ, in egenos magis insistendum, quam alias: sic induimus JESUM, si ejus membra, hoc est pauperes, cooperimus & vestimus. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, inquit ipse. *Matt. 25.* Venit ut nos pasceret, foveret; nudosque vestiret, vult & ipse reciproce pasci à nobis, foveri, contegi, in pauperibus. In secundo adventu suo specialem exiget hujus rei rationem, regnum suum daturus his qui esurientes paverint, & egenos foverint; ignem æternum & maledictionem inflicturus his qui id contempserint, aut neglexerint.

5. *Abstinentia alius bonis operibus adjungenda.*

5. Cum oratione & misericordiæ operibus congruum est abstinentiam aliquam adjungere in honorem adventus Domini. Oratio, eleemosyna, jejunium, tres sunt legati eum dignè excipientes, ejusque adventui adgratulantes, quos & ipse benevolentissimè excipit. Solitum fuit antiquitus sicut quadragesimam in honorem passionis, sic & adventus tempora jejunio consecrare in honorem incarnationis. Et quidem nunc solis claustris & Religiosorum cœnobiis hæc obligatio relicta est; attamen pii fideles saltem unum vel alterum hebdomadæ diem sacratiori hoc tempore Christo per jejunium solent consecrare, nec sine ampla mercede. Fœlix qui id voluerit imitari, & delero sopore ingluviei ac temulentiæ, sobriè & piè resolverit vivere, expectando beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei. Hæc itaque sunt præcipua monita, & quasi stimuli communes omnibus Christianis, quibus excitantur à letargo & sopore, adimplentes illud Apostoli: *Fratres, hora est, nos de somno surgere.*

LECT. 4. bipartita. DOMINICA II. ADVENTUS.

Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi, &c. Matth. 11.

PARS I. De vinculis S. Ioannis.

QUam periculosè veritas annuncietur apud Magnates impietati deditos, hæc Joannis vincula luculenter nobis ostendunt. Cùm enim apud eos locum habeat illud; *Si libet, licet*; corripi aut argui nolunt, sed sæviunt in eos qui veritatis verbo eorum pravis desideriis occurrunt, & obnituntur. Hinc fit ut in aulis Principum vix lingua reperiatur quæ audeat eorum vitia & dedecora reprehendere: at quia illa deest, vult quandoque Deus, ut ipsi muri & parietes ea proloquantur. Ideo quia nemo arguebat *Baltasar* Regem, mittit è cœlo manum, quæ linguæ officium exequatur, & ei impietatem suam repræsentet, in pariete aulæ stupenda exarans verba, regium caput impetentia, qualia nec os nec manus cujuspiam in Palatio Regi ausa fuisset repræsentare. *Dan. 5.*

At in Palatio Herodis non defuit lingua Prophetæ, velut cœlestis manus, & calamus Scribæ velociter scribentis; non quidem in muris, seu superficie marmoris, sed in corde duro & marmoreo Regis, stilo peracuto hæc continuo exarans: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Quapropter non potuit non accersere in caput suum odium, cum Herodis Regis, tum etiam & maximè Herodiadis Regem illecebris suis dementantis. Et hoc odium parricidale in corde utriusque accensum, primò quidem in minas ebullit, & mox crescens, per carcerem, compedes, & vincula sese publicè profudit & prodidit, ac tandem flammam concepit tantam, quæ nonnisi Prophetæ veritatem annunciante cruore & nece potuerit sopiri. Tanta est enim mulierum libidini addictarum crudelitas, ut nihil moderatum suadeat, sed extremum exitium obsistentibus sibi moliatur; ut merito dixerit Ecclesiast. *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris.*

Mare. 6. *Lascivi, crudeles,* *Eccl. 25.*

Hoc ipsum agnovere Antiqui, qui Veneri quæ in Arcadia colebatur, hoc Elogium adscripserunt, *Dea Machinatrix.* Unde & hîc mihi exclamare libet: O ignis infernalis luxuria, cujus caminus anima adultera, cujus scintillæ machinationes & prava consilia, cujus flamma superbia, cujus fumus crudelitas & sævitia, cujus cinis infamia, cujus finis gehenna! Ad crudelitatem lascivi cordis indicandam dicitur ad Achab, quia uxoris impulsu occiderat Nabot, ut ejus vinea potiretur: *In loco in quo linxerunt canes sanguinem Nabot, in eo canes lingent sanguinem tuum, & meretrices lavabunt se in sanguine tuo.* Quare lavabunt se meretrices in sanguine isto? Quia exemplo pessimo Achab & Jezabelis videntur edoceri crudelitatem in eos qui concupiscentiæ ipsarum obnituntur, sicut crudeliter sævierunt Achab & Jezabel in eum qui concupiscentiæ ipsorum obstiterat, dum vineam alienam in hortū olerum volunt convertere. *O cruenta luxuries! Sic luxuriosus fuit ut olus desideraret, sic cruentus ut propter olus hominem occideret.* Lavent ergo se meretrices in sanguine ejus ut sic prodant in illa Regis perfidia meretriciam quandam inesse fœditatem.

Venus Dea Machinatrix 3. Reg. 21 *S. Ambr. lib. de Nabot. cap. 12.*

Cùm igitur Joannem veritatis Præconem audis invinculis, memor esto hoc luxuriosos pro more semper habuisse, ut compedes, vincula, ferumque stringerent in eos qui sibi obsistunt, si rerum potiantur. Exempla ea de re habes sacris in litteris notissima

Exempla luxuriosorum, in suos eorum ripientes sævientium.

1. Cur Joseph justissimus & innocentissimus carceri & vinculis traditur, ita ut ferrum pertransierit animam ejus, nisi quia in eum sævit adultera, cujus luxuriantibus votis obnititur, cui etiam pallium dimittit, ne attactu nefario contaminetur? 1. *Gen 39.*

2. Cur Susanna ad tribunal rapitur, lapidibus mox obruenda, nisi quia sævit inveterata concupiscentia inveteratorum dierum malorum, quam ea obsistente complere non potuerunt? 2. *Dan. 13.*

3. Cur Urias Hethæus fidelis Regi miles ita subdolè à reliquis copiis derelictus perimitur, nisi quia 3. *2. Reg 11.*

Davi-

Davidis concupiscentia pessimum hoc & cruentum suggerit consilium, ut potiretur Bersabæa ejus uxore?

In Ecclesiasticis quoque historijs non paucos reperies Joannis imitatores, in quorum sanguine se laverunt adulteri & meretrices, eo quod ipsi fortiter meretricijs eorum amoribus voce & spiritu resisterent.

Venus Malesuada. S. *Matthæus*, Apostolus cum Iphigeniæ Virginis regiæ castitatem, quam ejus consilio voverat, tentaretur magno zelo adversus Hirtacum Regem, qui in ejus amorem exarserat; ab illo mysteria sacra in altari celebrans, jussus est interfici. Sic veritatis Præco, & Virginitatis Tutor; alienæ concupiscentiæ ad sanguinem usque restitit, & se tamquam castitatis victimam lubens immolavit.

S. Lamb. S. *Lambertus*, Diœcesis nostræ Patronus, cum Pipinum Austrasiæ Regem instar Joannis graviter & frequenter argueret, quod Plectrudi legitimæ uxori rejectæ Alpaidem superduxisset, postmodum molienti ei necem Alpaide, ab ejus Fratre Dodone in Ecclesia orans transfixus est. O malesuada Venus, Dea vere Machinatrix, aut potius Furia infernalis!

S. Rumoldus. S. *Rumoldus* cum Christi fidem per S. Lambertum antea plantatam in Provincia Mechlinensi verbi sacri rore irrigaret, & illius propagationi vitia eradicans insisteret: Tandem à Sicario quem graviter de adulterio reprehenderat, interfectus est & vitam martyrio feliciter & fortiter consummavit. En iterum malesuada Venus, *& Dea Machinatrix*, in Sanctos furens impie.

S. Stanislaus. S. *Stanislaus* cum Boleslai Regis notam libidinem etiam publicè argueret, & cum à communione fidelium removeret, tandem post multas in necem ejus conspirationes & molitiones frustraneas, propria manu eum ad altare immaculatam hostiam offerentem obtruncavit.

Thomas Morus & Joann. Rossensis. Nostro quoque sæculo Thomas Morus & Joannes Rossensis Episcopus, Angliæ lumina, viri doctrinâ & sanctitate illustres, tetro carceri & vinculis, tandemque neci traditi sunt, eò quod Henrici VIII. procaci libidini voce & scriptis obsisterent. Hos secuti sunt alij in Anglia innumeri Martyres, eamdem ob causam enecati. Sic & in his elucet quomodo Venus sit semper *Dea Machinatrix*. Omnes isti partes Joannis Baptistæ egerunt, & spiritum ejus ac zelum imitantes, carceres, vincula, tormenta, pro veritatis & castitatis tutela non detrectarunt. Sed adulteri & meretrices necis eorum auctores quodammodo laverunt se in sanguine eorum, instar Herodis & Herodiadis, dum exultant impiè in Sanctorum & piorum funere.

Interim dum Joannem in vinculis & carcere contemplamur afflictum; Herodem vero in purpura & delicijs agentem, Herodiadem voluptatibus diffluentem, quibus omnia ex voto succedunt; numquid merito cum Propheta conqueri possumus apud Deum, & dicere: *Justus es Domine, si disputem tecum, veruntamen justa loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, bene est hu qui prævaricantur, & iniquè agunt? Quare taces, conculcante impio justiorem se, & factum est judicium, & contradictio potentior?* En amicus sponsi, magister vitæ, prototypus sanctitatis, norma justitiæ, exemplar virginitatis, speculum omnis virtutis, Tuba Cœli, Vox Verbi, Præcursor Christi, perfectissimus inter filios hominum in carcerem conjicitur, ferro vincitur, ignominiosè tractatur; & id quidem ab homine impio, adultero, incæstuoso, ut mulieris infamis & impudicæ votis impijs satisfiat. Itane convenit ut vitium triumphet palam de virtute, libido de castitate, impuritas de innocentia, intemperantia de sobrietate, homo impius & mulier improba de Angeli terrestris sublimi pietate?

Jerem. 12. *Abac. 2.* *Encomia S. Ioannis Baptistæ.*

Certè, si hæc oculo solum humano superficietenus consideremus, videbitur quodammodo divina hic Providentia & Justitia obscurari, dum impius prævalet adversus justum, & crudelitas improbi Judicis adversus innocentem divini Præconis. Sed si altius cœlesti trutina id ponderemus, & inspiciamus sagacius, specialem hic Dei ordinationem in electorum suorum gloriam redundantem inveniemus. Hæc enim est sors justorum, hic ab impijs multa pati, variè opprimi & humiliari, ut in cœlo tanto altius eleventur. Hoc expressè asserit Sanctus Paulus: *Nemo moveatur in tribulationibus nostris, ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus* hoc est, ad hoc destinati & vocati. *Si vides malos florere, bonos laborare, tentatio est. Studius est. Audicit anima tua: O Deus, Deus, ipsane est justitia tua, ut mali floreant, boni laborent? Dicis Deo, Haccine est justitia tua? Et Deus tibi respondet. Haccine est fides tua? Haccine tibi promisi, aut ad hoc Christianus es factus ut in sæculo floreres?*

Quare justi affligantur 1. Thess. 3. *S. Aug. Psal. 23.*

Et quidem ab initio sæculi sic destinavit Deus per varias persecutiones suos probare, à primo justo Abel quem persecutus est Cain. Et hunc tamquam cæterorum exemplar justorum, omnibus voluit esse propositum ad imitationem, etiam in veteri testamento. *Abel fieri non potest, quem Cain malitia non exerces. A primordio justitia vim patitur: factum ut coli cœpit Deus, religio invidiam sortita est. Qui Deo placuerat, occiditur. & quidem à fratre, quo proclivius impietas alienum sanguinem insectaretur, in suo auspicata.* At novum Christus instituens testamentum, Joannem Baptist. cæterorum exemplar justorum, nobis voluit esse propositum ad imitationem patientiæ, pœnitentiæ, & perfectæ vitæ, per quam regni coronam assequamur. *A diebus Ioannis Baptistæ usque nunc regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Qui sunt illi violenti regno cœlorum vim afferentes, nisi qui per pœnitentiam, tribulationem, persecutionem, instar Joannis ad illud contendunt. Joannes igitur in vinculis à nobis piè considerandus est, ad imita-

Iusti ab initio passi. *S. Greg. Tertul. l. cont. Gnosticos.* *S. Ioann. Bapt. exemplar patientiæ. Matt. 11.*

Rom. 15. tionem patientiæ & consolationis, ejus pro fide & veritate. Nam ut hodierna canit Epistola: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Omnes ad regnum tendentes necesse est per tribulationes transire, sive fuerit Petrus Apostolus, cui traditæ sunt claves regni cælorum, sive Paulus vas electionis, sive Joannes dilectus discipulus, cui revelata sunt secreta cœlestia, sive Baptista, quo non fuit major inter natos mulierum, Præcursor Domini, & Angelus ante faciem ejus. Fœlicia igitur Petri, fœlicia Pauli, fœlicia Joannis vincula, honore digna & amore. *Ornamenta sunt ista non vincula, nec Martyrum horum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam. O pedes fœliciter vincti, qui itinere salutari ad paradisum diriguntur! O pedes in sæculo ad præsens ligati, ut sint semper ad Dominum liberi!* Pedes Joannis olim vincti, nunc liberi, impium Herodem & Herodiadē quasi Aspidem & Basiliscum, aut Leonem & Draconem, conculcant in ergastulo & carcere tartareo; & os ejus mellifluum modò Romphæam bis acutam contra eos distringit, qui in ipsum ferrum crudele exacuerunt: nam condemnationis æternæ sententiam cum Judice æterno pronunciat in eos, utpote sicut regni consors, ita & judicij. Gloria enim Psal. 149. hæc est omnibus Sanctis ejus, *ut faciant judicium conscriptum, ad alligandos Reges*, olim suos persecutores, *in compedibus & manicis ferreis* æternum non dissolvendis, ut testatur Psalmographus. Sors immutata est, & nunc verum est, *Lætabitur justus cum viderit vindictam, & lavabit manus suas in sanguine peccatoris*; qui prius manus suas lavabat peccator in sanguine justi, illum persequendo.

Omnibus est patiendum.

S. Cypr. Epist. 25. ad Marc. 6.

Psal. 57.

Cum audisset Ioannes in vinculis.

DIcere hic licet, *Ioannes in vinculis* est, & Joannes in vinculis non est. Quid est Joannes, nisi, *Gratia Dei*: Cernè gratia Dei, quæ in Joanne erat mirifica, non est alligata, nec fides, nec zelus & spiritus, nec virtus, nec veritas, nec vox veritatis; quia idem clamat in ergastulo, quod clamabat in deserto. Ideo poterat dici cum Paulo; *Labore usque ad vincula quasi malè operans; sed verbum Dei non est alligatum.* Quasi dicat; Ego vinctus sum sed verbum non est vinctum, vinciuntur manus, non potest vinciri spiritus, nec sermo veritatis mihi à Verbo commissus. Idem & nos de eo dicere possimus quod de Martyribus olim Tertull. *Crus in nervo animus in cælo*; Crus Joannis in nervo, sed animus in Christo. Propterea jam vinctus mittit duos de discipulis suis ad Christum. Quam ob causam mittit? Ut discipulorum suorum ruditati consulat & æmulationi: ferebantur enim æmulatione pro Joanne Magistro suo, nec plenè credebant Christum esse Messiam, licet à Joanne instructi qui testimonium ei perhiberat; vult ergo eos ab ipsomet Christo plenius in hac fide erudiri & confirmari, remotâ omni obscuritate & æmulatione. Sciebat sibi imminere mortem, & ideo tamquam providus Pater moriens, filios suos benè instructos consignare optat fidei tutori Christo. *Immo non sicut Pater filios suos commendabat Christo tutori: sed quasi pedagogus, alienos filios quos ad tempus accepit, ut erudiret, eruditos volebat Christo reddere, quasi proprio Patri ipsorum.* Chrysost. in opere imper.

2. ad Timoth 2.

Quare Ioannes discipulos suos ad Christum miserit.

Non desiit itaque Joannes in vinculis Doctoris officio sibi cœlitus concredito, fungi usque ad extremum spiritum, & filios Christo generare, tum voce doctrinæ, tum hâc legatione ad Christum factâ. Ex quâ non solum discipulis, sed & palam omnibus debebat manifestum fieri Christum esse Messiam, ipsomet tum verbis tum operibus testimonium perhibente. Et quidem etiam hac in re Joannem imitati sunt, tum Apostoli, tum alij Martyres; in vinculis & carceribus toll. citi ad Christum discipulos adducere & filios generare, illosq; confirmare, vel verbis vel scriptis. Exempla sanctorum etiam in carceribus Deo filios generantium.

Sic Apostolus Paulus in vinculis existens (ut ostenderet verbum Dei non esse alligatum, nec partum ejus, quo novos Deo filios procreare verbum potest) ex carcere scribit ad Philippenses, ad Ephesios, ad Philemonem, ei commendans Onesimum servum, quem genuerat in vinculis liberum. *Agricolam si quis vinciat sementem, impedit; Doctorem si vinxeris, doctrinam vincire non vales: linguâ non manu feritur verbum, quod nullis subjacet vinculis.* Hâc linguâ suos convertit tortores, & usque ad extremum spiritum non destitit Christum prædicare. S. Paulus Apost. S. Chrys.

Sic & S. Petrus in carcere Mamertino, SS. Processum & Martinianum cum alijs qui dragiata quinque ad Christum convertit & baptizavit, mortui jam proximus. S. Petrus.

Sic S. Andreas in cruce membris omnibus vinctus, lingua & corde liber & invictus, biduo pendens Christum prædicare non desinit, & discipulos ei gignere. S. Andreas.

Sic S. Silverius Pontifex ad Amatorem Episcopum in exilium ærumnosum propter Christum relegatus, scribit. *Sustentor panetribulationis, & aqua angustiæ, nec tamen demisi aut dimitto officium meum.* Quod ipsâ probavit, nam ibi coacto concilio multorum Episcoporum, quædam constituit pertinentia ad fidei integritatem & Ecclesiasticam. S. Silverius.

Sic denique S. Cyprianus in carcere totus erat in doctrina, & disciplina, & corroboratione suorum, dans unicuique propria documenta salutis. *Tanta illa fuit cupido sermonis, ut optaret sic sibi passionis vota contingere, ut diu de Deo loquitur, in ipso serm. de sermone necaretur. Vectina corporis morte, non moriebatur in animo Pastoris vigilantia Pastoralis, & cura tuendi gregis usq; ad extremum vitæ hujus diem mente sobriâ tenebatur. Non excutiebat ab animo diligentiam fidelissimi dispensatoris, manus jam proximæ ætu-* S. Cypr. S. Aug. S. Cypr.

eruentè carnificis. Ita se Martyrem cupiebat futurũ, ut & esse non oblivisceretur Episcopum. Amabat quippe eum qui Petro dixerat: Amas me? Pasce oves meas. Et pascebat oves ejus, pro quibus sanguinem fundere illum imitans properabat. Vtinam idem mihi Deus largiatur.

PARS II. *De Legatione Ioannis ad Christum.*

QUod Judæi facere debuerant, ipse Joannes perficit. Miserant ipsi legationem ad Joannem interrogantes, an foret Messias, qui expectabatur promissus Israeli, mittere debuerant ad Christum neglexerunt eum, tanquam ignobiliorem genere, patriâ, loco. *Matt. 13.* *Nonne hic est Fabri filius? an à Nazareth aliquid boni potest esse?* *Ioann. 2.* Sic loquebantur ipsi. Joannes igitur non à carne & sanguine, sed à Patre cœlesti edoctus quis ipse foret, mittit hanc legationem ad verum Messiam, ut suomet ore coram populis fateatur ipsemet Christus, quod Pater per vocem, Filius per columbam, Cœli per apertionem, Angeli per gaudiosam Evangelizationem; Pastores per transitum in Bethleem, Reges per adorationem, Simeon & Anna per publicam confessionem, Elisabeth antea per exclamationem, Joannes vero ipse per uteri materni concussionem & exultationem, ac tandem per indignationem & demonstrationē palam testati fuerant. Absit igitur, ut quispiam cum Tertulliano existimet hæc verba: *Tu es qui venturus es*, ambigentis esse & vacillantis in fide. Quomodo enim fieri posset, ut dubitaret de eo in carcere & vinculis mortis, coronæ & palmæ jam proximus, quod certo agnoverat in carcere ventris & in vinculis maternis adhuc loqui nescius? *Nondũ nascitur, & exultans in utero saltibus loquitur, nondum permittitur clamare, & per facta auditur, nondum discit vitam, & Deum praedicat, nondum aspicit lucem, & Solem indicat, nondum paritur, & properat praecurrere. Nimsert praesente Domino contineri, nec vult expectare naturae terminos, sed contendit trumpere carcerem ventris, ut praesignis et venientem Salvatorem.* Itane ergo is qui carcerem illum tunc brevisum uteri infans ægre patitur, utpote retardantem & vincientem electam illam vocem & manum, quibus demonstrare debet Christum Redemptorē, postquam illum omnibus demonstravit tamquam Angelus missus ante faciem ejus, testimonium suam in dubium poterit revocare? Absit; & ne cui hoc in suspicionem veniret, dixit Dominus turbis hac peracta legatione, neutiquam Joannem arundinem esse vento agitatam nec talem esse qui sic flecti posset, ut deflectat à veritate & fide, vel vento agitatus favoris, vel turbine mortis.

Christ. in Brev. Rom. in festo Visit.

Greg. hō. 6. in Evang. Quæ in gentio Ioannis Christum interrogantis.

Sed forsitan dixerit aliquis, eum quidem non ambigere Jesum Christum esse Messiam, sed tamen his verbis interrogare, an ipse etiam ad inferos esset personaliter descensurus, & Patrum animas liberaturus, ut posset eum nunciare inferis, quem nuntiaverat in terris, & ut Patres, quorum consortio mox erat adjungendus per mortem, hoc nuncio posset consolari. *Verum nec potuit ignorare Joannes divinis perfectè imbutus mysteriis, tam incarnationis, quam mortis, tam descensus ad inferos, quam resurrectionis & ascensionis. Quomodo enim lateret hoc eum qui erat plus quam Propheta, quid, de omnibus Christum concernentibus, jam ex utero calitus erat instructus? Vtiq. Praecursor ipse Domini ex utero constitutus, sciebat se debere praeparare viam Domini in ingressu, in progressu, in egressu. Praecursor enim futurus erat, praeeundo per conceptum & ortum in mundum: praecursor in progressu vitae, baptizando in aqua, & praedicando poenitentiam: Praecursor in egressu ex hoc mundo, per carcerem & mortem, ac pestimodum per descensum ad limbum.*

Joannis Christum interrogantis.

Itaque propter hanc interrogationem & legationem, non debet existimari Joannes ambiguus aut insciis mysteriorum Christi; *ad Algasiam quaestione 1. Sibi quaerens discipulis disceret.* *S. Hier.*

Vis exemplis non absimilibus id declarari? Elisæus mittit filios Prophetarum per montes & arduа, ut quærerent tribus diebus Eliam. Cur id facit An non certo sciebat eum in cælum sublatum curru igneo, & non reversurum; quandoquidem demisso pallio Eliæ ipse successor inauguratus erat, hæres spiritus ejus & regiminis? Sed hoc quidem noverat: volebat autem è cordibus discipulorum Eliæ hac diligenti pervestigatione omnem dubietatem eximere. Sic & Christus Dominus dum ad Lazarum venit & mortuum invenit, numquid quasi insciusm se gerit, & verbis ac lachrymis sororum instructus inquirit; *Vbi posuistis eum?* An hoc ipse forsitan ignorat? Absit. Sed voluit ut qui locum sepulchri indicabant, saltem sic parerentur ad fidem; & viderent jam fœtidum & quatriduanum resurgentem: illis ergo consulit, non sibi. *4. Reg. 2.* *Ioann. 11.*

Simili modo Ecclesia non ignorans, sed certa de adventu Christi, ad hanc tamen interrogationem & legationem Joannis alludens, sic loquitur in Dominicæ Adventus Responsorio primo: *Adspiciens à longe, ecce video Dei potentiam venientem, & nebulam totam terram tegentem. Ite obviam & dicite: Nuntia nobis, si tu es ipse qui regnaturus es in populo Israel. Quippe terrigena & filij hominum simul in unum dives & pauper. Ite obviam ei, & dicite: Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Ioseph, Nuntia nobis si tu es ipse qui regnaturus es in populo Israel.*

Cæterum, in his verbis: *Tu es qui venturus es &c.* observandum est ad proprietatem illius interrogationis & legationis plenius explicandam, hoc fuisse antiquitus nomen Messiæ; *Qui venturus est*, sive, *Qui mittendus est*; hinc enim periphrasi solet Scriptura eum indicare. Unde Propheta Abacuc ad ejus ortum oculum mentis prophetico lumine collustrat tum convertens, dicebat: *Veniens veniet si moram fecerit, expecta eum.* Et Jacob longè antea: *Non auferetur sceptrum de Juda donec veniat, qui mittendus est.* Moyses quoque prò illius adventu Dominum deprecans, ait; *Obsecro, mitte quem missurus es.* Unde aptè legatio illis exprimitur veri-

Messias olim mittendus nunc missus dicitur.

verbis, *Tu es qui venturus es?* Quasi dicat: Tu ne es is de quo Propheta asserit, quod *veniens veniet?* Tu-ne es ille, cujus missionem antiquitus promissam omnes gentes exspectant, de quo Jacob moriens, dixit: *Exspectabo salutare tuum Domine?* Tu-ne ille qui est expectatio, & *desiderium collium æternorum?*

At sicut olim nomen ejus fuit; *Qui venturus est, Qui mittendus est*, sic modo ejus nomen est, *Missus*; ejus nomen est, *Qui venit*. Hinc pueri, Dei spiritu impulsi, ei acclamabant: *Benedictus qui venit in nomine Domini: Qui non amat Dominum Iesum, sit anathema Maranatha.* Quid est Maranatha? Hoc est, *Dominus venit*. Quasi dicat: Si olim ab antiquis ita amabatur, ita desiderabatur venturus, maledictus sit qui eum non amat postquam venit, & tantum amorem veniendo & se exhibendo nobis exhibuit. Canticum igitur canticum novum & jucundum, exultemus benedicentes, gloriamque ac honorem afferentes ei, *Quia venit, & votum fecit salutare suum.* Jam dicamus illi: verè agnoscimus Domine, quod tu sis ille qui olim venturus dicebatur, qui mittendus, qui desideratus, & expectatus tot votis, & ardentissimis Sanctorum desideriis. Jam venisti in plenitudine temporis, visibilis factus, qui antea invisibilis; factus ex muliere sine patre, qui eras genitus ex patre sine matre; factus in tempore, qui ante omnia eras tempora in æternitate; factus in similitudinem carnis peccati, sine peccato Homo Deus, ut homo peccati reus deterso peccato fieret Deus. Sed qui semel venisti ut Redemptor visibilis pertransiens & benefaciens omnibus adhuc quotidie venis invisibiliter ut Sanctificator, & mentibus nostris illaberis; nec pertransit nisi voluerimus, & ingrati fuerimus, sed permanens in nobis omni benedictione cœlesti nos adimplens, cæcitatem nostram tergens, lepram fugans, nutantia vestigia reformans, aures cordis aperiens, mortem eliminans, vitam donans, & abundanter quidem donans, spiritum adoptionis infundens, in quo clamamus, Abba Pater. Abba Pater. Sed & tu ille es, qui ad Patres & ad Joannem descendisti in limbo, carcerem effregisti, & *eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua in sanguine testamenti.* Denique tu ille es, *qui venturus est*, de quo alter Joannes in sua Apoc. *Gratia vobis, & pax ab eo qui est, qui erat, & qui venturus est.* Tu es ille quem expectamus Judicem, Remuneratorem, Salvatorem testante Apostolo tuo: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Fac igitur, ut sobriè, justè, & piè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem & adventum tuum, adventum magni Dei, qui antea apparuisti in carne humilis & parvus Deus. Fac ut simus de servis succincti & paratis, cum lucernis expectantibus te Dominum nostrum, & sic diligamus adventum tuum, ut cum dixeris. *Etiam venio cito*, possimus cum Apostolo tuo confidenter respondere: *Veni Domine Iesu.*

1. Cor. 16.

Rom 8.

Zach 9.

Apoc. 1.

Philipp. 3

Apoc. ult.

EADEM DOMINICA. LECT. 5.

Euntes renuntiate Ioanni, cæci vident, claudi ambulant, &c.

Pars I. De responso Christi

S. Ioann. facto. S. Luc. c. 7.

Hilic legationi & interrogationi respondet Christus, non tam verbis, quam factis & operibus; in ipsa enim hora coram eis multos curavit à languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donavit visum, & tunc dicit eis: *Euntes renuntiate Ioanni, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, &c.* Nempe hoc familiare fuit Christo factis potius respondere, quam verbis. Sic cum multis verbis à Judæis interrogaretur, adducta muliere adultera, digito scribebat, in terra: *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat*, & hoc facto eos confudit. Sic etiam interrogatus de solvendo Cæsari Censu, petit sibi ostendi numisma, quo exhibito iterum eos confudit. Imò & à matre interrogatus pro vino deficiente in nuptijs, cum paucis verbis severè visis esset respondisse, respondet plenius facto ipso, implere jubens hidrias aqua. Similiter hic resolvit quæstionem miracula operando, opera mira exhibendo, de quibus alibi dixerat: *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me*; quibus verbis insinuat se sufficienter ipsis factis respondisse quæstioni eorum importunæ. *Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. In operibus Iesus satis videtur, in operibus filij Pater cernitur. Vidit Iesum, qui in Cana Galilææ mysterium illud vidit; quod nemo posset, nisi Dominus mundi, elementa mundi convertere. Video Iesum; quando lego quia cæco linivit oculos luto, & reddidit visum; ipsum enim recognosco qui de luto fecit hominem, & vivendi spiritum. & videndi lumen infudit. Video Iesum, quando peccata condonat; Nemo potest peccata dimittere, nisi solus Deus.*

Ioann. 2.

Ioann. 8.

S. Ambr. prooem. in Lucam.

Addamus & hic pro morali doctrina, quod sicut Christus se ostendit Messiam esse, & Jesum ex operibus, ita debet & Christianus ex operibus se Christianum ostendere. Quænam sunt opera Christiani, nisi opera pietatis, beneficentiæ, patientiæ, sobrietatis & castitatis, & alia bona opera, quæ indicant in nobis participationem gratiæ & spiritus Christi? Ostende ergo ex operibus fidem tuam, O Christiane! *Detegeru enim & deprehenderis quando aliud agis, & aliud profiteris: fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere.* Cur nomen habes vitæ, & nonnisi exhibes opera mortis, opera peccati? Cur nomen geris Christiani, & vitam agis infidelis & ethnici? Quis opifex non ostendit ex operibus artem suam & professionem? Pictor ex pictu-

Responden Christianus Christe.

Aug. in symb.

Simile

tis, sutor ex calceis, sartor ex caligis, aurifer ex vasis fabrefactis & pretiosis agnoscitur. Tua verò professio quænam est, nisi professio pietatis, gra-

tiæ

tie, & spiritus Christi; Cur igitur immunditiam, ebrietatem, superbiam, injustitiam sectaris; Ex operibus tuis judicaberis, & agnosceris, sicut agnitus est Christus ex operibus suis. De hac re vide quæ plenius dixi in Horto Pastorum Lect. 2.

Quæstio. An Christi miracula sufficienter ejus divinitatem probarint Act. 5. Act. 19. Rom. 1.

Sed quæritur, quomodo miracula Christi sufficienter ejus probabant divinitatem, quandoquidem multi Sanctorum similia etiam miracula ediderint, tum in veteri, tum in novo testamento? Elias & Elisæus mortuos suscitarunt, lepram curarunt, & alia multa ediderunt, olim miracula. Item umbra sola Petri sanitates conferebat, & sudaria ac semicinctia Apostolorum, ita ut videantur Apostoli majora Christo edidisse miracula.

Sufficiens Christus ut Messias claruit miraculis Isa. 35. Isa. 61.

Respondeo 1. Miracula illa quæ à Christo facta sunt, sufficiens ferebant testimonium de illo, quia hæc tunc patravit coram Joannis discipulis, quæ expresse Prophetæ de ipso prædixerant: *Ecce vemet Deus noster & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, & saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum, &c. Spiritus Domini super me evangelizare pauperibus misit me &c.* Ut ergo ostenderet Christus hæc jam impleta in se, mox coram illis multos curat à languoribus, & plagis, multis cæcis visum reddit, ut miraculorum magnitudine & multitudine veniisse jam Deum illum Salvatorem ostendat. Hæc enim erant sigilla missionis suæ, sanctitatis & potentiæ, dignitatis & auctoritatis, de quibus, *Hunc Pater signavit*, sive sigillavit, sigillis notavit, & in

Ioan. 6.

mundum misit. Quasi dicat: Ne quis ambigat de ejus à Patre missione, habet patentes sigillatas sigillo regio Æterni Regis & patris. Ac primum sigillum, sive prima nota hujus sigilli est, *Cæci vident*, alterum sigillum, *Mortui resurgunt*; alterum, *Claudi ambulant &c.* Multiplex ergo sigillum tale non potest non fidem facere, quando quidem specialiter jam prædictum erat, quod talibus literis & sigillis eum Pater præmuniret, ut miraculis sibi conciliaret auctoritatem, auctoritate mereretur fidem, fide attraheret multitudinem.

Rom. 1.

Resp. 2. Etiam antiquos Prophetas miracula edidisse, sed nec tanta, nec tam multiplicis generis, nec tali modo & potestate: ex modo igitur quo operabatur cum auctoritate & majestate, patescebat ejus divinitas; quia potestate propria hæc edebat miracula, alii aliena. Erat ipse Sol carnis nube tectus, sed miracula potestatis velut radii hujus Solis illam prodebant, & nubem illam penetrabant; ac illustrabant omnes qui nolebant se abscondere à calore & lumine ejus: *Si opera non fecissem in ejus quæ nullus alius fecit peccatum non haberent*, inquit ipse. Atque ut ostenderet se docere & operari, non ut alii soliti sunt Prophetæ, sed tamquam qui habeat potestatem, in suis miraculis quodam impe-

Christus propriâ alij eius virtute operati sunt. Ioan. 15. Matth. 8. Luc. 7. Ioan. 11. S. Amb.

rio utebatur. Leproso dicit: *Volo mundare.* Mortuo loquitur: *Adolescens tibi dico, surge* Item, adolescentulæ. *Thabita Cumi.* Sic & Lazaro imperat: *Lazare, veniforas*, ut ostendat quomodo aliena virtute olim à viris sanctis miracula fiebant, dicit: *Si Tobiæ lumen recepit, hoc fuit Angeli, non hominis medicina. Si Elias mortuum suscitavit, ipse rogavit: Obsecro Domine, ut revertatur anima pueri in viscera ejus. Si Elisæus leprosum mundavit, valuit figura mysterij, non auctoritas præcepti.* Quod vero spectat ad Apostolos & Martyres, qui majora videantur Christo patrasse miracula (cum vel sola eorum umbra sanitates conferret, quod de Petro legimus, de Christo non legimus) apte respondet S. Augustin. *Majora videntur fecisse Apostoli quam Dominus. Sed unde fit, ut plus valeant sarmenta, quam radix? Ad vocem Domini surrexerunt mortui; ad umbram transeuntis Petri, si surrexerit mortuus, majus hoc videtur, quam illud. Sed Christus facere sine Petro poterat, Petrus nisi in Christo non poterat.* Quod & petrus agnovit, & omnes agnoscere voluit, in sanitate reddita claudo ad portam speciosam templi, dum dicit: *Viri Israelitæ, quid admiramini, aut nos quid intuemini quasi nostra virtute aut potestate hunc fecerimus ambulare? Deus Patrum nostrorum glorificavit filium suum Iesum &c.*

Psal. 109.

Neque solum Petrus, aut Apostoli, & fideles Christum subsequentes, in virtute Christi miracula patrarunt, sed & Prophetæ ipsum præcedentes. Sic Moyses per virgam tanta portenta edidit, & per serpentem æneum tot sanitates reddidit, virga illa symbolum erat crucis Christi, per quam tot erant prodigia edenda futuris sæculis. Sic & serpens symbolum erat Crucifixi, ex cujus virtute omnis sanitas promanabat. Et quidem virga Moysis in serpentem & colubrum versa est, quia crucem fugere debebant Judæi & impii, ac exhorrescere ut supplicium hominum malefactorum & serpentinorum: At qui eam postmodum apprehensuri erant per fidem, *Virgam Dei*, id est, virtutem & sapientiam erant agnituri, qua dominari debebat Christus in medio inimicorum, variis per eam edi-

Exod. 7.

Psal. 109.

tis conversionibus & prodigiis, juxta Psal. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: Dominare in medio inimicorum tuorum.*

Similiter dic de Elia & Elisæo. Hic virtute Pallii Eliæ multa patravit mira; non tam quia Eliæ pallium erat, quam quia virtutem veri Eliæ & pallii ejus repræsentabat, hoc est, virtutem Christi, & corporis per eum assumpti; quo contexit Divinitatem suam. Unde Elisæus demisso cælitus ad se pallio, dum nihil dicens, sed pallio solum tangens aquas Jordanis conatur eas dividere, ut sicco pede pertranseat, nihil efficit pallii virtus, vel per illud aquarum percussio, mox vero quando clamat; *Ubi est Deus Elia etiam nunc?* dum sic percutit aquas, subito dedit Jordanis transitum. Nempe Christus erat Deus Eliæ, cujus virtute pallium operabatur. Hujus iterum simile licet attendere in resuscitatione pueri Sunamitidis, ubi nihil profecit famulus, vel baculus per Elisæum missus: idem necesse fuit, ut ipse veniens os suum ori pueri apponeret, manus manibus, pedes pedibus; sicque

4. Reg. 2.

4. Reg. 4.

Rational. Evang.

spiritus in præcordia est reversus. Quæ omnia indicabant nec legem, nec Prophetas quicquam virtutis habere, nisi in virtute illius veri Eliæi, qui se nostræ naturę debebat admetiri, & illam assumere. Hic est Christus, qui hodie nuntiari jubet Joanni. *Cæci vident, mortui resurgunt &c.* Quod quidem non solum intelligi potest de cæcitate aut morte corporali, sed & de spirituali: quia Domino prædicante, qui cæci erant corde, & in tenebris ignorantiæ, lumen receperunt veritatis: qui surdi, receperunt aures audiendi verbum Dei: qui claudi in via Domini, receperunt gressum rectæ operationis: qui lepra peccati infecti, mundati sunt per gratiam: qui mortui peccato, ceperunt vivere Deo. Hæc omnia præstare, eriam proprium munus erat Christi & Messiæ. Sed de hac re sequenti Lectione dicemus fusius.

Ex. 3. Miracula Christi sunt testimonia divinitatis ejus.

Respondeo tertiò, Christum hæc miracula patrasse ad hunc finem, ut suam probaret missionem & divinitatem. Deus autem nunquam permittit fieri miracula ad finem falsum. Hinc nunquam hæretici miracula ulla vera edere potuerunt, ad falsæ suæ doctrinæ confirmationem. Quod si aliqua ficta edere conati sunt, fraudem & imposituram detexit Deus, ne in errorem pii inducerentur; quod etiam faciet tempore Antichristi, qui ut se Christũ mentiatur, edet prodigia fallacia & mendacia similia illis quæ facturum Christum Prophetæ prædixerunt, vel fecisse Evangelistæ narrarunt; sed fallacia ejus mox patefiet, & in confusionem ejus redundabit, confirmatis in vera fide electis.

Exod. 7. Magi mira non miracula fecerunt in V.T.

Sic Magi olim mira, sed non vera miracula, dæmonis potestate patrarunt; quod quidem ad eorũ confusionem patuit. Nam mutabant quidẽ virgas in serpentes, sed virga Moysis virgas illorum devoravit. Mutabant aquam in sanguinem, sed sanguinem in priorem naturam reducere non poterant; producebant ranas, sed ranarum incommodum auferre non poterant, ut fecit Moyses, ideo augebant plagam. Ranas poterant producere, parvos cinifes non poterant: ideo cogebantur impotentiam suã agnoscere, & dicere; *Digitus Dei est hic.*

Exod. 8.

Sic & Simon Magus dum in cœlum ascendere nititur, se mentiens Christum & Filium Dei, à S. Petro orante, & fraudem magicam detegente, è sublimi aëre præcipitatus est & collisus; *ita ut qui paulò antè volare tentaverat, subitò ambulare non posset, & quæ pennas assumpserat, plantas amitteret,* ut loquitur S. Maximus hom. 5. de SS. Petro & Paulo. Idem continget Antichristo, dum in monte Oliveti ascendere volet ad Patrem, ut se probet Chri-

2. Thess. 2 stum; spiritu enim oris Domini interficietur, ut loquitur Apostolus.

Hæretici miracula edere non possunt.

Sic tempore Hunerici Regis Wandalorum Cyrola Episcopus Arianus, cum quodam suæ sectæ convenerat pretio quinquaginta aureorum, ut se cæcum simulans, ab ipso tanquam S. Episcopo, precibus obnixis coram multitudine peteret sanitatẽ & lumen. Ille jussa complens, & in platea sedens, transeunte Cyrola cum aliis Episcopis Catholicis, inclamabat: *Audi me, Beatissime Cyrola, Sancte Sacerdos Dei, respice cæcitatem meam, experiar à te, quod alii cæci meruerunt, quod leprosi experti sunt, quod mortui persenserunt; adjuro te per virtutem quam habes, ut desideratam lucem restituas.* Mox verò Episcopus illæ hæreticus elatus superbia; accedens imposuit manum super oculos ejus, & dixit: *Secundum fidem nostram, qua rectè Deum credimus, aperiantur oculi tui.* At quia fictus cæcus corpore, mente verò cæcatus erat per cupiditatem pecuniæ, injuriusque divinæ virtuti & veritati; mox ut in tantum nefas erupit, gravissimo oculorum dolore & cæcitate corporali à Deo percussus est, ita ut clamare cogeretur: *Va mihi misero, quia seductus sum ab inimico legis divinæ; va mihi, quia propter pecuniam Deum irridere volui, ut hoc facinus perpetrarem. Accipe aurum tuum, ô inimice Dei, redde lumen meum, quod dolo perdidi. Posinterim, ô vere Christiani, me despicite miserum, sed velociter succurrite parcentis.* Tunc Episcopi Catholici ibi presentes, misericordia moti, dixerunt ei: *Si credis, omnia sunt possibilia credenti.* Quibus ille: *Credo itaque Deum Patrem Omnipotentem, credo Filium ejus Christum æqualem Patri, credo Spiritũ Sanctum Patri & Filio consubstantialem & coæternum. Qui hæc, quæ proferro, non credit, idem quod ego hodie patior, patiatur.* Tunc Eugenius S. Episcopus crucis signum ejus imprimens oculis, sustulit dolorem & reddidit sanitatem. Turonensis li. 2 Hist. France; & ex illo Baron. tom. 6. a 484.

S. Greg. Turon. libr. Hist. Fran. c. 30.

Similiter Calvinus cum quodam Petro Brulæo, Calvinista inope, simulque cũ uxore ejus cõvenerat, omne subsidium inopiæ eis promittens, si maritus mortẽ simulãs permitteret se funereis linteis convolvi, si & deinde uxor cũ lachrymis accederet, obsecrans à servo Dei Calvino, in confirmationẽ fidei per eum reformatæ, virum suum vitę restitui. Jussa compleverunt vir & mulier, qua potuerunt dolosa subtilitate, secundum institutionem quam acceperant. Accedu igitur Calvinus multis velut exoratus precibus & lachrymis mulieris; & hominis apprehensa manu, in nomine Dei & Filii ejus Jesu Christi imperat, ut se erigeret, & Dei gratiam manifestam faceret. Bis & tertiò eundem repetit sermonẽ, voce etiam altiùs elevata. Quid accidit? Justo Dei judicio mendacium detestantis, verè reperitur mortuus, qui morbum simularat & mortem. Uxor agitat & commovet; At friget, rigetque totus. Tum illa ululatus seriò edere cœpit, & in Calvinum ut impostorem, sicarium, virique sui interemptorem exclamare, remque omnibus ordine quo gesta erat, exponere. Calvinus verò cum confusione se subducens, in vulgus sparsit, illam præmœrore ob mariti obitum in delirium incidisse, ideoque excusandam; ac deinde cum ea conventũ est, ut urbe Genevensi excederet. Unde se recepit Ostunũ, ex quo loco prius Genevã adverterat. Hæc refert Hieronymus Bolsecus Medicus Lugdun. in vita Calvini c. 13. & Surius in Chron. an. 1544. & alii.

Hic Bolsecus in vita Calvini, & Surius an. 1544. &c.

Ex his satis manifestum est, qualia miracula no-

Hæreticorum miracula.

stri Hæretici valeant edere, nempe adversa planè his quæ Christum in signum missionis suæ à Patre patrasse in hoc Evangelio legimus. Ab illis enim videntes excæcantur, audientibus autes obstruuntur, mundati lepra inficiuntur, rectà incedentes claudi efficiuntur, viventes morti traduntur: Quòd quidem corporaliter quandoque factum erga aliquos jam ostendimus; sed spiritualiter semper fieri in animis eorum, quos erroribus suis seducunt, pernotum est. Cùm enim eos ineficant prædicatione libertatis, Monachis & Monialibus conjugia & voluptatem carnis licitam asserentes, austeritatem, obedientiam, cilicia, paupertatem dissuadentes, fidē solam sine operibus sine pœnitentia ad salutem sufficere affirmantes; quid aliud agunt, quam oculis tenebras offundere, luto aures cordis obturare, fœculenta doctrinæ lepra plebem aspergere, rectos gressus impedire, & ad mortem ducere, ad vitam æternam creatos? O novi Prophetæ novi Apostoli, novæ Columnæ Templi, novi Reformatores Ecclesiæ, hæc sunt sigilla missionis vestræ, sigilla Patris vestri Satanæ, litteræ patentes auctoritatis vobis commissæ ad reformationem fidei & Ecclesiæ, prædicatio libertatis, permissio omnis carnalis voluptatis. Inter Venerem & Bacchum, inter brachia Monialis impuræ mulieris suæ illuminatus est primus Propheta vester Lutherus, ibi didicit novā viam eundi ad cœlum quā vos calcatis, hac via (sicut Epicurus ad voluptatis populare nomen) sibi non paucos discipulos attraxit. Aut forte, Calvini vestri, novi pastoris & Reformatoris, litteræ & sigilla ejus missionem probantia, sunt stigmata illa quibus Novioduni ob Sodomiticam & præposteram libidinem in humeris notatus fuit ferro candente, quo sigillo & charactere insignitus, è Gallia Genevam profugit, postmodum novum Evangelium annunciaturus.

Th. Bos. l. 7 de sig. Eccles. ex Boseco aliis.

Pauperibus potius quam divitibus evangelizandum.

Isaia 61.

Isaia 8.

Sed ad alteram partem responsionis Christi pergo. Cum enim dixisset Christus: *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt*, insuper addit: *Pauperes evangelizantur, & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.* Hoc scilicet utrumque erat prædictum per Isaiam de eo. Nam ubi nostra lectio habet: *Ad annunciandū mansuetu misit me*; Legunt Interpretes LXX. *Ad evangelizandum pauperibus misit me.* Item dicitur futurus Christus non credentibus *Petra scandali & lapis offensionis.* Quid verò est pauperes evangelizari, nisi illos lætissimum Evangelii nuncium audire, recipere, & viva fide credere? At cur id de pauperibus specialiter dicitur? Quia nimirū his primò annunciat Christus regnum cœlorum; pauperes elegit, ut mundi vanitatem everteret, quibus cum evangelizasset, ipsi quoque aliis Evangelii lucem communicarent: *Non multi nobiles, non multos potentes, sed infirma mundi elegit, ut confundat fortia*; convertit oratores per piscatores, non piscatores per oratores. Ideo etiam in Nativitate Christi Angeli gaudium illud ante omnes pauperibus Pastoribus evangelizant, non Augusto, non Herodi, non Cyrino Præsidi. Quapropter hęc est differentia cœlestis & mundani regni. In mundano regno si quæ nova contingunt, prius Regibus & Proceribus, Nobilibusque nunciantur, ac per illos in plebis aures derivantur. Sed cœlestis regni bona nuncia & dona prius pauperes participant; ac deinde divites, nobiles, potentes per eos illorum fiunt participes. In figura hujus rei Jonas Propheta typum gerens Salvatoris in Ninivem missus, primò concionari cœpit pauperibus & plebi-ac deinde. *Pervenit verbū ad Regem.* Sic & per quatuor leprosos nunciatum est, castra Assyriorum plena esse divitiis; Unde dicunt hi: *Hæc dies boni nuncii est, nuncie mus in aula Regis.* Nec mirum videri debet, si primò pauperibus potius quam divitibus sacrum Evangelium nunciari vult Deus. De hac re vide quæ fusè tractavi in Virga Aaronis, Tract. 4. Lect. 3. Hi enim melius dispositi sunt ut illuminentur & convertantur, Divitiis enim & nobilitati superbia est annexa; Tumor autem mentis obstaculum est veritatis Divitum etiam corda plena sunt sollicitudine sæculi, quæ suffocat verbum Dei. Denique divites quia pleni sunt donis & solatiis sæculi, parvipendunt dona & consolationes cœli harum in expertes.

Divites ad Verbum Dei susceipiendum indispositi.

Propterea etiam Christus addidit: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*, nam divites offenduntur quodammodo ejus paupertate nec illam volunt amplecti, nobiles ejus humilitate, molles & torpidi ejus austeritate, luxuriosi & carnales ejus jejuniis, pœnitentia & sobrietate; denique Judæi & Gentiles scandalizantur ejus cruce & morte. *Prædicamus Iesum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Nempe quia Christum non exhibebat regiam majestatem & potentiam ut expectabant Judæi, sed humilitatē & paupertatem, ideo eum nolunt agnoscere: ejus humiliatio & passio lapis est in quem impingunt, petra scandali qua lædantur. Lapis qui humi jacet, solet lædere, si impingas; lapis verò qui in sublimi est, non solet pedem lædere. Si in sublimi dignitate & pompa venisset Christus, non offenderentur Judei, non impingerent, at quia velut humi jacens reperitur, dum humilitatē nimiam exhibuit in nativitate, in vita, in morte, multi offendentes ad hunc lapidem abierunt retrorsum, & ceciderunt; dū non crediderunt lapidem illum debere erigi in caput anguli, ad utrumque parietem conjungendum ex Judæis & Gentilibus, ex homitibus & Angelis. Hęc est ergo ratio, cur Christus dicat: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*; tum propter discipulos Joannis, qui nolebant tunc credere Messiam, sed quadam æmulatione in eum ferebantur; tum propter alios Judęos, qui licet ex operibus miraculosis Prophetarum oraculo prædictis debebant eum agnoscere, scandalū tamen erāt passuri in ejus morte, nolētes ut Deum agnoscere Jesum Crucifixum.

1. Cor. 1.

Scandalum Iudaorum in Christo unde?

Et tamē mirū est, cur scandalizata fuerit in Crucifixo Israelitica gens, quæ cum percuteretur à ser-

Num. 21.

pentibus ignitis in deserto, habuerat pro signo sanitatis serpentem æneum; & nemo tunc scandalizatur, cùm jubetur illum aspicere pro sanitate. Nũquid mundana sapientia etiam tunc poterat cogitare: quale est remedium istud, à venenata bestia ligno fixa sperare salutem? Nemo tamen hoc dixit, nemo in hoc signo scandalizatus est. At quando Filius Dei, Filius hominis, pro illis fieri dignatus est, proponitur illis in ligno exaltatus, ut in illum aspicientes salutẽ obtineant, jam eis scandalum ingeneratur. Non horrent serpentem colere pro sanitate corporum; horrent JESUM Crucifixum colere pro salute animarum. *O impietatem Iudæorum quoniam serpentẽ adorant, Christum aversantur! O temulentiam ipsorum quoniam propter serpentem crucem colunt, & Christum Crucifixum non adorant!*

S. Ephr. de pœnit.

Sed non solùm Judæis, verùm etiam futuris hæreticis futurus erat Christus lapis offensionis & petra scandali; dum quidam ex eis in ejus divinitatẽ impingunt, ut Ariani; alii in ejus humanitatem & carnis veritatem, ut Manichæi; alii in Sacramentorũ ejus veritatem, ut Lutherani & Calvinistæ. Propter hos igitur etiam illud dictum est: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Item & illud, à Simeone prophetante, propter illos pronunciatum est: *Erit in ruinam multorum & in signum cui contradicetur.* Beatus ergo qui in eum non impingit, vel per infidelitatem, vel per hæresim, aut vacillantem fidem; sed firmiter eum colit, illi credit

Luc. 2.

Pars II. *De laude S. Ioanni à Christo data.*

ALiqui ob legationem à Joanne factam in suspicionem venire poterant alicujus in ipso inconstantiæ, quasi vacillaret in testimonio ante à Christo exhibito: est enim populare turba proclivis ad suspicionem & judicium temerarium. Ideo suscipit Christus Joannis patrocinium, & per amplas illius laudes omnem eximit pravam suspicionem; hac ratione etiam nos instruens, cum vel judicii temerarium, vel detractio, aut sinistra opinio oriri potest in præjudicium proximi, nos teneri ejus famam, quoad possimus, tueri. Sed eheu, quam sæpe accidit, ut sicut diabolus ludit in ore detractoris facta aliena sinistrè interpretantis, sic etiam ludit in aure audientis, cum aviditate audiendo allerũm ad detrahendum allicientis? In hoc quoque instructio à Christo datur nobis, cum laudat Joannem post discessum discipulorum, non coram illo, nec coram illis. Nolvit enim agere sicut quidam blanditores, qui in facie laudant hominem, aut coram domesticis & amicis qui cuncta referent. Insipiens gaudet laudari in facie, sapiens cùm laudatur in facie, flagellatur in corde. Procul igitur adulatores à nobis, procul & hominum laudes, quæ ut plurimum sunt fallaces. Solus ille fœlix, qui à Domino laudari meruerit & commendari. *Non prohibeo gloriam appeti; sed illa volo ambiatur quæ vera est, quæ ex Deo est, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Vnum intueamur, ad id nostra solùm dirigatur intentio quo scilicet pacto Dei mereamur ore laudari; si hoc intentè inspicianus, humana semper omnia nihil æstimabimus.*

S. Chrys. ho. 2. in Ep. ad Titum.

Quid nempe juvat ab hominibus laudari, si à Deo contemnimur? Quam multi laudantur in terris, quorũ animæ æternum cruciantur in flammis? Sed quid etiam obest, si ab hominibus contemnamur & vituperemur, à Deo verò laudemur? Job in stercoris domicilio, cum egestate & morbo conflictans, à servis derisus, ab amicis improbatus, uxori & omnibus horrori factus, in hoc valuit fælicitatem ponere omnia mala superantem, quod à Domino collaudetur: Spectaculum utique factus est Deo & Angelis, Satanæ & hominibus: *Numquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis, simplex & rectus, timens Deum & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?* Sic loquitur Dominus ad Satan. Hunc quoque postmodum commendat coram amicis. Sic quid obsunt vincula & carceres Joanni? quid prosunt purpura & adulationes Herodi? quandoquidem Joannes in vinculis à Domino probatur, Herodes in deliciis ab eodem reprobatur?

La usurpatio transitoria. Dei æterna.

Iob. 2.

Sed & propter hoc fœlices dicimus eos, quos Christus laudavit; quia cum hominum laus sit trãsitoria, & mutationi obnoxia, laus illa quam erga aliquos deprompsisse legitur, æternitati fuit consecrata, in æternitate permansura. Fuit enim illa æternæ prædestinationis & beatitudinis symbolum quoddam, & initium. Sic laudans Petrum, ait: *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi sed Pater meus qui in cœlis est.* Beatus utique jam erat Petrus fide & spe, postmodum beatus futurus re & specie. Sic laudat Centurionẽ: *Non inveni tantam fidem in Israël;* & ut ostendat laudem hanc ad æternitatem ducere, addit: *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Deo Abraham, filii autem regni ejicientur foras.* Ubi Centurioni æternæ electionis suæ signum dedit. Sic laudat Nathanaelem: *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.* Promittitque ei visionem Angelorum descendentium & ascendentiũ super Filium hominis. Quam visionem & in hac vita vidisse credendus est, magis autem in æterna, quando perfectè Israëlita futurus erat, hoc est, *videns Deum*, videns Filium Dei & Filium hominis, quem adorant Angeli, ad cujus nutum ascendunt & descendunt ad ministerium peragendum sibi à Filio hominis in salutem filiorum hominum designatum. Sic & in sacris Historiis legimus Christum laudasse S. Thomam coram Crucifixi imagine orantem, & dixisse: *Bene scripsisti de me, Thoma, quam ergo mercedem accipies?* Cui ille? *Non aliam, Domine, nisi te.* Quæ quidem laus non erat transitoria, sed signum erat appropinquantis coronæ.

Matt. 16.

Matth. 8.

Ioan. 1.

Interim quoscumque laudaverit Christus, neminem inveniemus tot ab ipso encomiis sublimatum ac Joannem, de quo plenũ sermonem ad turbas facit. Quod Christus Præcursorem suum etiã hac in vita remunerans, non patitur se vinci in laudum retributione: *Ioannes*, inquit, *testificatus erat de Christo: Ecce Agnus Dei; sed amplius recepit à Christo;*

S. Chrys. Hom. 27. in Matt.

Christo, quam præstitit, Ioannes Christo humanam contulit laudem, Christus Ioanni divinam contulit gloriam. Namille istum Agnum ostendit: ille autem istum Angelum prædicavit. Iste minus laudavit in Christo, quam quod erat, quia non solum peccata abstulit, sed etiam vitam æternam mundo donavit. Ille autem istum supra quam videbatur erexit; ut qui homo erat, Angelus diceretur. Quod si in particulari laudes Joannis à Christo expressas consideremus, inveniemus eum à quatuor potissimum commendatum.

S. Ioannes à quatuor laudatur.

1. Primò à constantia, dum asseritur non esse arundo à vento agitata, hoc est, non esse inconstans & fragilis, medulla veritatis & sanctitatis vacuus, sed radicatus & fortis, qui audeat intrepidè Regi se opponere, peccantes arguere, tum Pharisæos, tum alios cum omni fortitudine & veritate, & genimina viperarum eos appellare. Est ergo arundo calamus vacuus, nullam habens virtutem, & ideo flante vento huc illuc impellitur. Si homo carnalis, in qua nulla est fidei medulla, nec virtus veritatis, qualiscumque tentatio subierit, inflectitur. Talis negatur esse Joannes.

2. Secundo, ab asperitate vitæ, dum asseritur non esse de illis, qui mollibus vestiuntur, & terrenis Regibus serviunt, & ut in deliciis agant, eorum gratiâ aucupantur: sed esse militem & aulicum Regis æterni, & Præcursorem Regis Crucifixi, qui pro illo aspera pati non detrectat; tam in veste, quam in victu & modo vitæ, fastidiens præsentis sæculi omnem mollitiem & delectationem.

De luxu vestium vide hoc Stapleton

3. Tertiò, à dono Prophetiæ, dû asseritur esse Prophera & plus quam Propheta. Quia, ut dicit S. Greg. *Propheta ministerium est venturæ prædicere, non etiam demonstrare. Ioannes ergo plus quam Propheta est, qui eum præcurrendo prophetaverat, etiam ostendendo demonstrabat. Quia ad Prophetale privilegium et iam Baptistæ accessit pramium, ut Dominum suum baptizaret.*

Hom. 6. in Evan.

S. Hier.

4. Quartò, ab officio & puritate, dum asseritur esse Angelus ante faciem Domini. Fuit enim Angelus, non substantia, sed munere; non natura, sed puritate vitæ. Et cum omnes alij Prophetæ transmissi sint ante faciem Christi, ipse sic missus est ante faciem ejus, ut penè cum ipso veniret; illi utiq; proximus fuit quasi Angelus & specialis Nuncius ejus, quasi à latere Legatus. Sed de laudibus Joannis hæc satis hic; plura in ejus Festo specialiter sunt pertractanda.

PARS III.
De arundinibus vento agitatis.

COncludamus, & pro morali doctrina ad arundines vento agitatas sermonem convertamus. O quanto sunt numero in omni statu & conditione! Arundines non nascuntur nisi in locis humentibus & udosis juxta flumina: At arundines, de quibus agimus, inveniuntur omni in loco, in aulis Principum, in tribunalibus Judicum, in foro civiũ. in domibus privatorum, in compitis platearum, in Ecclesijs Christianorum, in Claustris Religionum. Vis particularius exprimam?

Primò, percurre aulas & palatia quot ibi reperies, qui in omnem se ventum vertunt, sperantes pertingere ad honorum fastigia? Utique aula mobilior aurâ, in qua multi adulatores, qui ut placeant hominibus, quocumque illis placuerit, se inclinant; ibi libido, ambitio, invidia, tamquam venti perflant, & multos huc illuc agitant; ibi speciosi multi exterius, sed intus inanes; speciosa verba dant & florida, sed veritatis inania, deceptionis plena. An non hi arundines sunt vacuæ & vento expositæ? 1.

Secundò inspice tribunalia Judicum, quot ibi reperies, qui flectuntur huc illuc muneribus divitum, & favore potentum, ut invertant vel pervertant iustitiam? O quot Judices, Advocati, Procuratores, Tabelliones, Testes, instar arundinum vento cupiditatis agitati, linguam, animum, calamum, in veritatis injuriam aliorsum flectunt, quam oporteat! O arundines infœlices, justitiæ & veritatis inanes, flammis æternis in escam dandæ! 2.

Tertiò, percurre urbes plenas civium, compita platearum, fora & officinas mercatorum, vide quomodo lucrum & avaritia eos à Deo deflectit, dum in fraudes & mendacia flectit; quomodo cupiditas illos huc illuc versat! quomodo eos adversa deprimunt, prospera extollunt; quomodo ventus vanitatis sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, cum inconstantia & levitate eos rapit. Certè hæc considerans rectè dixeris, te non aliud in oppidis magnis cernere, quam Babylonem quandam in' cujus multiplicibus fluminibus & ripis innumeræ excrescunt arundines steriles; hoc est, innumeræ infructuosæ animæ omni vento raptæ; homines mundani & terreni, non habentes animum stabilem in æternis, sed in incerto & lubrico rerum temporalium omnem radicem, omnem spem figentes. Quid verò hæ inanes arundines sine fructu boni operis exspectare possunt, nisi ignem urentem, & post ventum vanitatis quo extollebantur, ventum & turbinem iræ Dei quo eradicentur. 3.

Quartò, ingredere domos privatorum, quot vitia & passiones turbulentas ibi reperies ignominiosè eos agitantes? Invenies superbos, qui auram captant humanam, quos & adulatio mox extollit, vituperatio mox deprimit & frangit. Invenies invidos, quos odium & æmulatio miris cogitationibus huc illuc exagitat. Invenies impatientes & iracundos, qui vel minimo verbo offensi, vel minima occasione exacerbati, in juramenta prorumpunt, diris se devovent, passionis suæ turbine in acerba quæque flectuntur. Denique invenies luxuriosos, qui instar arundinum hærent in loco paludoso, in lutoluxuriæ, concupiscentiæ improbæ vento in varias ignominias & turbidines agitati. Atque hos omnes in pœnam peccati, quia arundines sunt, percutit homines agitatione conscientiæ, ita ut de illis verum sit, quod de Jeroboam dicitur. *Percutiet Dominus Ieroboam, sicut moveri solet arundo in aqua.* 3. Reg. 14. Percutit eos sicut Cain, qui invidia, ira, impatien- 5.

Peccati pœna agitatio cõscientiæ.

3. Reg. 14. Gen. 4.

tientia, velut arundo, agitatus in fratrem, postmodum trepidatione interiori & exteriori mirè exa-
5. gitatur profugus & vagus.

Quintò, in templis Christianorum, instar arundinum sunt illi, quos levis tentatio flectit & immutat, qui ad pedes Sacerdotum multa proposita faciunt emendationis: sed quod hodie resolvunt cras dissolvunt; levi aura emoti, à bono proposito resi-
Eccl. 5. liunt, & in priora peccata reincidunt, non attendentes monitum Sapientis: *Noli te ventilari in omnem ventum, & non eas in omnem viam, esto firmus in veritate sensus tui.* Reperiuntur hic alij instar arundinum, quia hypocrisi sunt infecti; exterius parent intus sine medulla sunt veræ pietatis, à vanitatis vento non immunes. O arundines inanes & instabiles! Similes etiam reperies in Claustris Religionum, qui animo vacillant inconstantes, respirant ad alia quæ reliquerunt, sæculi auram captant; & ad illam vertuntur; arundines planè leves sunt, quia nulla firma radice in Deo, vel Religione assumpta initiati.

6. Postremò, illi maximè inter arundines vento agitatas connumerandi sunt, qui nullam firmitatem habent in fide; sed ad prosperitatis vel adversitatis ventum fidem mutant, lucrum quærentes, vel persecutionem timentes. O quam multi in rebus turbatis Germaniæ, Belgij, Angliæ, tamquam arundi-
Esaiæ 40. nes instabiles facti sunt in fide, de quibus illud Prophetæ verum est: *Neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum. Repentè flavit in eos, & turbo quasi stipulam auferet eas.*

EADEM DOMINICA.

LECT. 6. 5. Part. *Cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, &c.* Matth. 11.

Exordium. DUm Christus in hunc mundum venit, multos cæcos invenit, & eis visum restituit; multos quoque surdos, nec eis defuit, multos leprosos & mundavit, multos claudos & paralyticos, quibus gressum rectum fecit. Denique & mortuos palam suscitavit, ut ostenderet verum esse quod de se ipse pronunciavit: *Ego sum resurrectio & vita.* Omnes ferè isti, vel suis, vel aliorum precibus sanitatem sunt consecuti, ut patet Historiam Evangelicam percurrenti. Adhuc modo magnus est numerus cæcorum, surdorum, claudorum, leprosorum, & mortuorum, non secundum corpus, sed secundum animam. Et ad hos sanandos semper adest Christus; verum quia ipsi, nec vitam, nec sanitatem requirunt illius manent expertes. Scilicet hic Medicus inter nos agens in finem usque sæculi, vult humiliter auxilium suum imlorari; nec ullis salutem impertit, qui morbum suum amant, vel qui ut juventur, negligunt, ideo tantus est numerus languentium, quia magnus est numerus salutem suam negligentium, imo nec morbum agnoscentium.

Veni mecum, & ostendam tibi infirmitates, & miseram hominum plagam, & invenies hoc sæculum non esse nisi grande Hospitale, & Xenodochiũ varia habens habitacula ægrorum. 1. Est cæcorum, 2. Surdorum, 3. Claudorum & paralyticorum. 4. Leprosorum 5. Mortuorum. *Mundus est hospitale* *Propositio* *1. Habitaculum est cæcorum.*

VIsitemus igitur & inspiciamus primum habitaculum in quo sunt cæci, & videbimus magnum esse eorum numerum. Sed quinam sunt illi? Nonne qui oculos habent & non vident? Pars magna mundanorum hominum sic se gerit, quasi Talpæ forent terram fodicantes, cœlestium planè ignari, & circa illa velut oculis capti. Noctuis quoque & vespertilionibus cæcis absimiles non sunt, quia lucem fugiunt; eorumque oculi magis tenebris quam lumini assueverunt. Et quale eis gaudium esse po-
Tob. 8. test, si non possunt videre lumen cœli? Certè nec gaudia cœlestia vident, nec judicia Dei, nec novissima considerant, nec æternam infœlicitatem; nec animæ suæ miserabilem statum agnoscunt: ideo meritò cæci dicuntur, palpantesque in tenebris offendunt, impingunt, ruunt, & tandem in æternum præcipitium corruunt. An pauci tales reperiuntur? imo vero plurimi in omni statu & conditione hominum. O cupiditas avara, quam multos ita excæcas, ut lucrum aspicientes & nummum, vix unquã cœlum inspiciant, sed illud pro vili lucro perdant! O luxuriæ lutũ, quam multis oculos obducis, quasi stercus hirundinis, ut lumen cœli non videant! O juventus cæca, quomodo stercore libidinis clausos habens oculos, in abyssum ruis! O invidi, nonne & vos invidiæ venenum cæcos reddit! *Qui odit fratrem suum, in tenebris est*; inquit S. Joannes. O animæ vanitati deditæ, pulvis humanus vel noxius humor sæculi quantam vobis offundit caliginem! Profectò si plene cæci non estis, caligant vobis oculi sicut Heli qui difficillime poterat inspicere lu-
1. Reg. 3. cernam Dei ardentem, Itaque non est exiguus cœcorum numerus etiam inter Christianos; nam de infidelibus & hæreticis nimis notum est quod lucis sint osores, & cæci tenebriones. Et multi non absimiles sunt civibus Sodomæ, qui ab Angelis cæci
Gen. 19. tate percussi nõ poterant ostium reperire; quia pauci ad lucem redeunt ut inveniant ostium pœnitentiæ. Non absimiles etiam multi Evangelico diviti, cui sic occlusũ erant oculi, ut Lazarum ad januam
Luc. 16 suam quotidie jacentem non videret. Aperuit postmodum oculos, & vidit eum in sinu Abrahæ ex loco tormentorum; sed sero nimis ei oculi sunt aperti, sicut & il is qui post hanc vitam sine fine gementes inclamant: *Ergo erravimus à via veritatis, & lumen justitiæ non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.*
Sapi. 5.

Itaque aliqui sunt à nativitate cæci, quia numquam sciverunt benefacere. Alij olim quidem videntes fuerunt. & pietatis exercitiis addicti, sed postmodum propriâ cupiditate & passione excæ-

eati abjecerunt lucem, quam omnino difficile est eis recuperare. *Impossibile est eos qui semel illuminati* Heb. 6. *sunt, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesq; sæculi venturi, rursus renovari ad pœnitentiam.* Ubi cum dicit hoc esse impossibile, vult significare hoc esse valde difficile, ut se. specialiter à Deo illuminari, & divinæ gratiæ, lucidis donis singulari Dei favore visitari, si illa dona abjiciant, & lucem contemnant, eam postea recuperare valeant. Apud Deum tamen nihil est impossibile, nec apud supremum Medicum. Quicumque igitur cæci estis, & qualicumque cæcitate percussi, audite bonum nuncium quod insinuamus vobis visitantes vos. Quod illud nuncii? Ecce adest Medicus, in litteris suis authenticum hoc gerens testimonium: CÆCI VIDENT: Nihil dubitetis, sed solum illius opem humiliter exposcite, ut collat omnem humorem noxium, pulverem lutum, & aciem visivam vobis impedientem, & obserantem; moxque ejus scientiam & benignitatem experiemini. Collyrio enim preciosissimo novit inungere oculos, & omnem cæcitatem efficacissimè abstergere. Sed multi sunt, qui cæci cùm sint, videntes se existimãt, & sic non possunt sanari; sic apertis quidem oculis sunt, cæci tamen ad ignem & mortem vadunt, qua medicina fastidiunt, nec morbum agnoscunt. O cæcitatem deplorandam! O quam felicius dicerent cum Augustino, oculis tandem illuminatis miserabilem vitæ suæ statum agnoscentes: *Va. va* Solil. c. 33 *tenebræ meæ in quibus jacui! Va, va cæcitati illi in qua videre non poteram lumen cœli! Va, va præteritæ ignorantiæ meæ, quando non cognoscebam te Domine!*

2. Habitaculum est surdorum, Isaiæ. 42.

PErgite mecum, visitemus secundum habitaculum nostri Xenodochii, habitaculum scilicet surdorum, & inspiciamus eorum numerũ. Sed vis nosse quinam sint illi? Audi Prophetam: *Quis surdus nisi servus meus ad quem misi nuncios meos?* Multi porrò sunt nũcii, quos mittit ad servos suos; qui nõ audiuntur à surdis. Nuncii sunt, quicumque verba divina populis annunciant, beneficia proponentes, minas intentantes. Sed quam frequenter surdis canunt? Nuncii sunt Angeli nobis ad custodiam destinati, ad meliora quotidie nos instigantes, sed consilia eorum inaniter transeunt. Nuncii sunt omnes bonæ inspirationes divinitus immissæ, sed contemnuntur. Eheu quam miseranda surditas! Ad voces Dei & nunciorum ejus homines ob surdescunt, ad voces autem carnis, mundi, satanæ, apertas habent aures, clarè eas audiunt & obaudiunt. Sed unde eis talis surditas? Ex terrestri quodam provenit humore. In terra enim sunt, terram; amant, terram colunt, de terra loquuntur; sicque humor terrestris eos ad cœlestia surdos facit. Provenit etiam ex nimio tumultu intus in anima eorum resonante. Sicut enim Fabri & operarii ferrarii frequenter obsurdescentes fiunt ex nimio

Surditas ex diversis provenit. 1. 2.

strepitu, quia corrumpit organum & sensum, sic & nonnulli ex sæcularium negociorum continuo strepitu surditatem contrahunt, per quam divinis vocibus impediuntur intendere. Denique, sunt & 3. aliqui voluntariè sibi surditatem inducentes, de quibus Psaltes: *Furor illu secundum similitudinẽ* Psal. 57. *serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, ut non audiat vocem venefici incantantis sapienter.* Dicitur aspis, ne audiat vocem incantatoris educere eum volentis è tenebrosa sua caverna, unam aurem terræ figere, & alteram caudâ suâ obserare: sic & quidam ne cœlestem vocem audiant, è peccati specu eos educere volentem, unam aurem terrenis curis obturare solent, alteram venenatâ suâ concupiscentiâ quasi caudâ serpentinâ. *Audivit verbum sapiens filius luxuriosus, & post tergum suum* Eccl. 21. *projicit illud*; voluntariè scilicet ad seriam monitionem obsurdescit, contemnit conculcat, & ne ad cor ingrediatur, aurem cupiditate libidinosâ obturat: non vult susc ipere *instum verbum, quod potest salvare animam.* Nota est Udonis historja, cui tribus cõtinuò noctibus in impudicitiæ sordibus sese Iac. 1. volutanti vox divina insonuit: *Fac finem ludo quia satis hucusque vides.* Sed concupiscentiæ caudâ aurem cordis obturatam habens, nuncium hoc divinum post tergum suum projecit & contempsit; ideoque ad divinum tribunal mox raptus est, orbi toti & omnibus ad vocem divinam se surdos exhibentibus terribile præbens exemplum cœlestis vindictæ. Væ, væ surditati.

Magnus interim est Surdorum numerus, magnus planè. Ideo inclamat Dominus per Prophetam: *Terra terra, terra audi verbum Domini.* Ideo & in Evangelio sæpius cũ clamore ipse repetit: *Qui habet aures audiendi audiat.* O quam frequenter ali- Hier. 22. quibus inculcatur, oportet odiũ deponere, oportet luxuriæ occasiones deserere, oportet alicna restituere, oportet obrietatibus & commessationibus nunciũ remittere. At non habent aures audiendi. O quoties interiùs Deus inclamat, væ tibi, Titio infernu quid continuo in peccatis hæres? Quid volutaris in cœno, cum sis de cœlo? An non creatus es ut cœlum possideas? An non divina imagines insignitus, divinæ etiam capax gloriæ? Cur imaginem illam conspurcas? Cur ad inferni numquam intermorituras pœnas citato curris gressu? Verum omnis hæc vox aut inspiratio sine fructu transit; quasi surdo diceres: Audi me. In talibus completur illud: *Audite audientes, & nolite intelligere, videte* Isaiæ 6. *visionem, & nolite cognoscere.* Non ignorant mandata Dei, ejusque voluntatem, sed in media luce cæci manent, & inter tot Dei voces surdi. Væ cæcitati, væ surditati. *Qui videt multa, nonne custodies?* Isaiæ 42. *qui aperiæ habes aures, nonne audies?* Audite ergo surdi, fœlix nuncium, quod hodie habitationem vestram visitantes vobis insinuamus: En Medicus adest prope, qui novit omnem surditatem tollere, habetque in litteris regiis ob multorum curationem testimonium authenticè scriptum grandi

chara-

charactere: SURDI AUDIUNT. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra* Tantum exoptat à vobis ut aures erigatis, & sanitatem petatis; digitos suos cum saliva sapientiæ in illas immittet, & remedium afferens, auditui vestro dabit lætitiam
Isaiæ 50. & gaudium. Tunc poteritis ei dicere illud: *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.* Ne dubitetis de ejus scientia aut voluptate, quia
Isaiæ 29. scriptum est de illo: *Audient in illa die surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt* Quasi dicat Propheta: In adventu illius surdis omnibus bonum nuncium nunciatur, quia illo medelam afferente, audient surdi verba libro vitæ inscripta, audient verbum æternum, internum, externum; quod potest salvare animas eorum.

Est claudorum. VIsitemus ulterius tertiam habitationem nostri Xenodochij, in qua commorantur Claudi, videamusque eorum numerum. Sed quinam sunt hi claudi? Illi utique qui non figunt solidum gressum in via virtutis & mandatorum Dei: sed unum pedem in via recta videntur ponere, alterum in viam vitiorum flectere. Et sicut qui duobus pollent pedibus, si unus sit altero brevior; coguntur claudicare, nec rectè progrediuntur: Sic animus noster duos quodammodo habet pedes, intellectum & voluntatem, sed sæpe brevior est pes voluntatis, quam intellectus; quia quæ agenda sunt, plerique perintellectum cognoscunt; voluntas autem brevior & tardior remoram injicit, & impedit perfectum & celerem gressum inde oritur claudicatio monstruosa & apud Deum probrosa. Propterea monebat Apost
Hebr. 12. post *Gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicetis, magis autem sanemini.* Ideo etiam exprobrabat Israelitis Elias: *Usquequo claudicatis in duas*
3. Reg. 18. *partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum si Baal est Deus, sequimini eum.* Videbantur quidam ex Israelitis simul idola velle colere cum Deo vero, quæ omnino monstruosa erat claudicat o, sicut & in illis qui in capessenda veræ fidei via inconstantes & vacillantes reperiuntur; modo uni sectæ adhærentes, modo alteri. O claudicationem deplorandam! His ergo repetendum est idem quod Elias: *Usquequo claudicatis in duas partes?* Si Dominus Jesus fidei auctor vere est Deus, nec falli potens, nec fallere, sequimini eum firmissimo assensu, quid in ejus verbis vel via ambigitis? Cur in omni fide salutem reperiri posse existimatis, cum sit unus Deus, una fides, una Ecclesia Sponsa Christi? Cur Patri mendacij adhæretis, modo in hanc, modo in illam partem inclinando, modo cum hæreticis cœnam inanem sumendo, & verbum eorum audiendo, modo cum Catholicis vero corpori Christi & verbo ejus communicando? Gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicetis, magis autem sanemini.

Claudorum magnus numerus. Dolendum verò non exiguum esse numerum claudorum, non solum de illis loquendo qui in fide vacillant, & inconstanti gressu pergunt: sed & de illis qui in via probitatis & morum imperfectè & monstruosè incedunt, & quasi in duas partes claudicant. Quam multi sunt medij Christiani, una ex parte Deum colentes, altera ex parte Satanæ adhærentes? Modo ad Ecclesiam Dei pergunt ut laudibus divinis vacent, mox ad Oratorium Diaboli ut cõmessationibus ebrietatibus, lascivis verbis & cantilenis indulgeant. Ex eodem ipsorum ore mox benedictio, mox maledictio Dei & proximi promanat. Una manu dant quandoq; sua, altera manu rapiunt aliena; sic Deo se posse servire autumant, simulque Mammonæ & injustitiæ. Unum genu flectere posse existimant coram Dagon, alterum corã Arca. Putant se simul placere posse mundo & carni simulque Christo & Virgini. In templo videntur Angeli, ostentantes pietatem quandam & probitatem exteriorem: in domo videntur diaboli, ob rem nihili jurantes, execrantes, maledicentes. An non hi omnes claudicant in duas partes? Vere de illis scriptum est: *Filij alieni mentiti sunt mihi, inveterati* *Psal. 17.*
sunt & claudicaverunt à semitis suis. Illi sunt filij alieni & adulterini respectu Dei, qui ficto vel imperfecto corde illi serviunt, qui Patrem non sequuntur nec ejus voluntatem; quos cum genuerit rectos, & in viam æternitatis eorũ direxerit pedes, ipsi claudicant à semitis quas ostendit eis. Ipsi sunt filij quibus facta est promissio hæreditatis, sed facti sunt alieni, & mentiti sunt, resiliendo é sua promissione. Promiserunt enim adhærere Deo renunciantes diabolo; sed modo claudicant, recedentes à Deo adhærentes diabolo, & operibus ejus.

Jacob post luctam cum Angelo claudus effectus *Gen. 34.*
est uno pede firmus gradiebatur & rectus, alter pes *Iacob figura electorum & reproborum.*
infirmior erat & claudicans, nervo femoris ob tactum Angeli marcescente. Per hoc vero indicabatur, quod una pars filiorum ejus recto pede erat incessura, ad Christum accedendo, cum ut Messiã recipiendo, ejus vestigia & mandata sectando: Altera vero pars defectura erat, pede claudo & obliquo incessura, à Christo recedendo, eumq; negando. *Iacob rectus fuit in electo, claudus in reprobo. Femoris* *Aug. de civit. 16. cap. 39.*
latitudo generis est multitudo, plures quippe in ea stirpe fuit. de quibus dicitur. Claudicaverunt à semitis suis. Sic & inter Christianos, qui etiam filij Jacob sunt secundum promissionem, duæ sunt partes; una incedit recte & firmiter per viam mandatorum Dei alia declinat à via & obedientia & in æternum perit. O sortem miserabilem! ò claudicationem lachrymis dignam!

Sed quicumque claudi estis & vestigijs nutantibus ambulatis, felix audite nuncium, quod vilitãtes vos afferimus: Ecce medicus peritissimus prope est qui in authenticis suis litteris & tabulis inscriptum ostentat. CLAUDI AMBULANT. Nec multa præscribet difficilia, ut sanitatem impertiatur. Solum à vobis postulat, ut conatum exeratis ad surgendum & ambulandum, manumque ejus extensam ad auxiliandum apprehendatis. Certè unguento pretiosissimo nervum femoris vestri, omneque *Claudi ad Christum invitantur.*

quod

quod in vobis marcidum esse potest, unget, roborabit, vividum reddet, ut ultra non claudicetis. Quod si etiam ob paralysim & infirmitatem impotentia quædam in vobis cernatur, nihilominus si volueritis, & opem ejus imploraveritis, testituet vos pristinæ sanitati, jubebit tollere grabatum, rectèque & firmiter faciet ambulare Fœlices vos, si instar claudi ad portam speciosam templi jacentis in eum respiciatis, sicut ille in Apostolum Petrum; absque dubio exsilietis magnificantes Deum, & *ponet pedes vestros quasi cervorum, super excelsa statuens vos*: quia de ejus adventu scriptum est, *Saliet sicut cervus claudus.*

Act. 3.

Abc. 3.

Isa. 35.

4. Locus in hospitali hoc est leprosorum.

PErgamus, & visitemus quartum habitaculum Hospitalis nostri, in quo inveniemus leprosos maximo numero. Vis scire qui sint leprosi. illi sunt qui peccati fœtida lepra infecti, etiam alios inficiunt: fœtidum halitum habent instar leprosorum, ita ut qui approximant eis, vix sine contagio recedant. Tales sunt qui verbis impudicis alios ad libidinem concitant, quasi scabiem & impetiginem suam aliorum animis affricantes. Tales etiam sunt detractores & calumniatores, qui auditores suos peccati sui reddunt consortes, dum alienam famam ore fœtido etiam in aliorum animis contaminant. Tales denique sunt malum consilium dantes, quo ad peccandum alios illectant, quos & pestilentes solet Scriptura vocitare. An ergo pauci sunt leprosi. Imò verò pauci non leprosi. Audi in particulari.

Lepra, diversa species.

4. Reg. 5.

1. Quidam lepra Naaman infecti sunt, qui Syriæ Princeps erat, & lepra ei adhærens lepram superbiæ Magnatibus adhærentem designat. Hi lepram suam, instar Naaman, deponere debent in Jordane, se humiliando. Quid est Jordanis; id est, fluvius judicii. Si judicium Dei considerent, in quo quilibet humiliabitur, & se coram Judice, velit nolit, incurvare debebit, certè lepra superbiæ fugiat, necesse est. Hæc ergo consideratio, quasi quædam est in Jordane lotio: in fluvio judicii, vitii, & maculæ omnis ab arrogantia animi prodeuntis, facilis est submersio. Unde Sapiens monet Reges & Judices ut hunc fluvium judicii divini frequenter accedant, ibique seipsos considerent, & vitia omnia abstergant: *Audite Reges & intelligite, discite judices finium terræ: Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his qui præsunt, fiet.* Simile eis monitum dat Psaltes in Ps. 2.

Sap. 6.

4. Reg. 5.

2. Quidam lepra Giezi infecti sunt, hoc est, lepra avaritiæ, quæ tenaciter adhæret quam & in posteritatem transmittunt, dum injustè acquisita cum obligatione annexa transmittunt in hæredes, non sine præjudicio salutis suæ, & aliorum, ad quos hæc transeant. Hos dicimus similem habere lepram Giezi servo Elisæi; quia ipse lepram acquisivit, eo quod contra voluntatem Elisæi heri sui pecuniam & vestes accepit á Naaman; lepramque in tertiam & quartam generationem transmisit.

3. Quidam infecti sunt lepra Mariæ sororis Moysi! hæc est lepra rebellionis, murmurationis, detractionis. Ideo enim Maria percussa fuit cælitus lepra, quia murmuravit, & rebelli animo locuta est contra Moysen, propter uxorem ejus æthiopissam. Unde S. Ephrem agens de morbo linguæ, sic hac de re loquitur: *Exteterrima Mariæ lepra decemur, quam grave sit vitium obtrectatio. Corpus quod lepra infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit animæ quæ non perspiciebatur, cujus indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patefactum est, quomodo hominis detractoris corrumpatur anima.*

Num. 12.

Magnus itaque est leprosorum numerus, & multiplex lepra; quæ ab uno ad alium facile serpit & inficit. Interim audiant leprosi, quacumque lepra infecti, bonum nuncium quod eis afferimus: En Medicus adest, qui in tabulis & litteris suis regiis testimonium hoc scientiæ & experientiæ suæ circumfert: LEPROSI MUNDANTUR Sic olim Græci Medici Constantino Imp. lepra infecto consulebant balneum ex sanguine calido infantium confectum: longè præstantius & efficacius balneum habet ex proprio sanguine temperatum; quod infallibiliter lepræ omnis maculas abstergit, & reddit nitidam animam instar puri pueri, reddens illi gratiam & innocentiam. Habet & sanguinem passeris, quo ubi quispiam aspersus fuerit, mox omnis lepra diffugit. Accedite igitur leprosi omni cum confidentia, & petite ab eo sanitatem; hoc enim poscit à vobis, ut eam expectatis; dicitque vobis quod cuidá alteri: *Vis sanus fieri;* Vos respondete, quod ei quidam leprosus: *Domine si vis, potes me mundare.* Mox & ipse subjiciet: *Volo; Mundare.* Quod si tanti Medici aspectum reformidatis, habet & ministros suos, qui vobis compatiantur, & balneum ac remedium ab eo præceptum applicent, lepramque omnem sanant. Ad hos remisit decem leprosos sibi humiliter inclamantes: *Jesu Præceptor miserere nostri;* quibus respondit: *Ite, & ostendite vos Sacerdoti*; & dum irent, mundati sunt. Si per veram contritionem firmiter resolvatis lepram vestram ministris Dei ostendere, plena confessione & agnitione, jam tunc peccati fugit lepra, & redit gratia. Nolite igitur adeo facile remedium, adeoque efficax negligere.

Lepresi ad Christum confugiant.

Matth. 8.

Luc. 17.

POstremò visitemus locum ubi jacent mortui, & inspiciamus cadavera, sunt enim & illa magno numero. Sed quosnam mortuos vocamus? Eos scilicet qui in statu peccati mortalis agunt, maximè si jam diu in illo statu jacêt, quasi in sensibiles, putidi, fœtentes. An non inde peccatum dicitur mortale, quia perniciem & mortem affert? Igitur qui in illo sunt, rectè dicuntur mortui, vel jacentes

5. Locus habitaculum est mortuorum.

umbra mortis. Unde ad similes inclamat Propheta.

Bar. 3. *Quid est Israel quod in terra inimicorum es, inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis deputatus es cum descendentibus in infernum.* Quasi dicat: Cogita & recogita adeo miserabilem statum tuum, per quem velut in sepulchro jaces squallidus & fœtens, imo quasi inferno jam proximus & addictus, hostium pedibus infæliciter calcatus. Hoc omnem hominem in peccato agentem concernit: quia sicut quædam est mors corporis dum privatur vita, sic est mors quædam animæ, dum privatur gratia, quæ est vera animæ vita. Et hæc mors per peccatum, dicitur mors prima animæ; nam eam consequitur mors secunda, quæ est in damnatione, qua homo privatur vita æterna. Per primam autem illam mortem criminis letiferi, secundæ morti approximat, & jam cum illis qui descendunt in infernum, deputatur, nisi gratiæ vitam recuperet per pœnitentiam. Eheu, quam deplorandum est, adeo multos esse, qui animam suam mortuam, & fœtidam velut cadaver, in corpore vivo circumferunt! Et quidem mors illa & fœtor licet coram hominibus non appareat, coram Deo tamen & Angelis manifesta est, & intolerabilis. Et sicut cadaver hominis pedes habet, & non ambulat, oculos habet, & non videt, os habet, & non loquitur: ita qui in morte peccati jacet, videtur opera aliqua bona exercere posse, sicut alii; sed quia vera gratiæ interioris vita carent, meritoria non sunt, meriti tantum apparentiam habent, & opera mortua vocantur. Eheu, quam parvi faciunt homines vitam hanc gratiæ, quæ tanti tamen momenti est, ut nos divinæ reddat consortes naturæ! O quanto illa constitit pretio, quæ filii Dei vita nobis empta est, & sanguine pretioso! Attamen adeo incuriosa æstimabilis hæc vita conservatur, immo pro re nihili, pro exiguo lucro, pro momentanea voluptate, pro puncto honoris & vindictæ prodigitur. Sic infælices sunt filii hominum, qui vitam hanc filiorum Dei, quæ à vita ipsa Dei initium & originem ducit, & ad vitæ æternitatem nos perducit, tam facilè perdunt. Infæliciores, quod cum illam deperditam possint recuperare, ad id non nituntur, sed in sepulcro jacent fœtentes, non solum quatriduani, sed quadrimestres, imo annui & quadriennes.

Peccatum mors animæ.

Ps. 113.

Quod si plenius vis agnoscere magnum esse numerum mortuorum horum, percurre omnes status, omnesque conditiones, & ætates hominum, & videbis quam facilè peccato mortali sese involvant, & vitam gratiæ in se perimant. Quod ipsum indicari videtur, in variis mortuis quos Dominus ad vitam sua benignitate reduxit. Quidam enim mortui reperiuntur inter adolescentes in flore ætatis agentes, quos plangit mater Ecclesia, funus eorum cum lacrymis prosequens: & hi repræsentantur per adolescentem in porta Naim à Domino suscitatum, quem mater vidua multis prosequebatur lacrymis, quibus motus Dominus, eum reddidit matri suæ. Quædam moriuntur inter puellas nubiles, & hæ repræsentantur per puellam 12. annorum, filiam Principis Synagogæ, in domo paterna suscitatam, inclamante Domino: *Thabita cumi* hoc est; *Puella tibi dico surge.* O quot juvenes, ô quot puellæ ad mortem vadunt, occasione libertatis, occasione letiferi consortii! Quidam etiam inter viros in ætate perfecta & jam grandæva morti huic succumbunt; & hi repræsentantur per Lazarum: & quia quidam horum inveterati sunt in peccatis & morte, ideo fortiori voce eis necesse est inclamare: *Lazare veni foras.*

Numerus mortuorum quantus.

Luc. 7.

Marci 5.

Ioan. 11.

Interim, quicunque jacetis in morte peccati, audite fælix nuntium quod vobis afferimus: En Medicus adest qui non solum ægros novit sanare, sed etiam mortuos suscitare: & ideo in Patentibus suis & Tabulis regia auctoritate confirmatis inscriptum gerit: MORTUI RESURGUNT. Novit ipse suscitare, vel incurvando se super mortuum, & ei sese aptando sicut Elias & Elisæus; vel tangendo mortui manum; vel tangendo defuncti loculum, vel solo etiam vocis imperio. Ideo jubet nunc per præcones suos cuilibet in morte peccati jacenti inclamari: *Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Omnes vult suscitare, qui desiderant vera vita vivere; omnes vult è tumulo erigere, qui sepulchrum & mortem cupiunt deserere, & vocem ejus, vocem vitæ audire. Expergiscimini igitur omnes qui habitatis in mortis pulvere & caligine: quia per viscera misericordiæ visitavit nos Oriens ex alto, & venit illuminare omnes qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis.

3 Reg. 17.
4. Reg. 4.

Eph. 5.

Luc. 2.

Conclusio. Obtecrò Te per hæc viscera misericordiæ tuæ, ô Jesu Christe. Medice desideratissime, cum multi in hoc populo sint cæci, ut digneris eos illuminare; cum multi sint surdi; ut digneris eis oculos aperire; cum multi sint claudi, ut digneris claudicantia eorum vestigia reformare; cum multi sint leprosi, ut digneris eos mundare; cum multi sint mortui, ut eos digneris vitæ restituere. Fac ut omnes hic præsentes rectè videant rectè audiant, rectè ambulent, rectè & pure conversentur rectè vivant, ut in æternum vivere, & te æternum benedicere valeant. Sic patefecit in nobis veritas litterarum tuarum, veritas hujus sigilli paterni, cum quo in hunc mundum missus es; *Cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt.*

LECT. 7. tripartita.

DOMINICA III. ADVENTUS.

PARS I. De legatione Iudæorum & responso Ioannis.

Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes, &c. Joan. 1.

HÆc Legatio solemnis est, à Judæorum Proceribus, ab Urbe Metropolitana, à regia & sacerdotali Jerosolyma procedens, per Sacerdotes & Levitas insinuata, viro sanctitate conspicuo summam

Non sum Christus

mam totius Orbis dignitatem deferens, dum illũ agnoscere, recipereque optant, ut Messiam, si talem ipse se declaret & agnoscat. Ex his omnibus circumstantiis patescit celebritas hujus legationis.

Hanc verè ex animo factam ad investigandam veritatem existimo; quamvis nonnulli asserant, infidiosè fuisse inventam, & ex fictione aliqua, & ex invidia & æmulatione in Christum. Duplici ratione potest quod dicimus confirmari.

Legatio hæc veritatis causa est facta.

Prima ex parte Christi, in quem nondum invidia Judæorum exardescebat, dum hæc legatio facta est; quia necdum eum noverant, necdum ejus fama vigebat, necdum miraculis clarescebat. Tunc enim cæpit miraculis fulgere, cum Joannes ageret in carcere; tunc coram ejus discipulis multos languidos, cæcos, surdos sanavit, & curavit nunciari Joanni: *Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt*; Nam adolescentem in Naim paulo ante suscitarat. Ergo ante Ioannis carcerem, vel saltem ante hanc legationem, paucis notus existebat; licet cœlo testificante in Baptismo suo testimonium accepisset. Unde Joannes de eo dicit: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Ac de eodem pronunciat: *illum oportet crescere, me autem minui.* Nempe Christi fama & gloria debebant de die in diem augeri & prædicari, fama & gloria Ioannis decrescente: nam majus lumen obtuscat minus. *Ioan. 1. 3.*

Secunda ratio, ob quam putamus verè ad inquirendam veritatem, & non fictè missile ad Ioannem, est ex parte ipsius Joannis; quia ipse tunc tanti habebatur, ut crederent ipsum esse Messiam. Unde dicitur: *Existimante autem populo, & cogitationibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus dixit: Veniet post me cujus non sũ dignus corrigiam calceamentorum solvere.* Et nihilominus id adhuc non eximebat eam opinionẽ; quia existimabant Joannem ex humilitate hæc pronunciare.

Aliunde etiam ex multis argumentis ea oriebatur dubitatio, quia Joannis illustris admodum erat, & miraculis plena conceptio, nativitas, circumcisio, infantia, vita, prædicatio, & vox. Conceptio quidem, quia ex sterilibus parentibus, & ætate confectis conceptus, ab Angelo promissus, in utero sanctificatus. Nativitas verò, quia ex genere nobili & sacerdotali ortus, cum publica lætitia, inclamantibus omnib⁹: *Quis putas puer iste erit, nam & manus Domini cum ipso?* Circumcisio, quia tunc Patris mutam linguam resolvit, dum Pater nomen indicavit Joannis, scribens in pugillari nomen ab Angelo præindicatum. Infantia, quia eam in deserto peregit fugiens tempore infanticidii Herodis: nam licet finibus Bethleem non contineretur, ob famam tamen miræ nativitatis, ad illum quoque ira Herodis se extendit. Et ideo biennis à matre abductus est in desertum, ibique in spelunca delituit. Vita, quia miræ erat austeritatis & sanctimoniæ, in vestitu, victu, conversatione; in humano erat corpore velut divinam agens vitam. *Luc. 1.*

Prædicatio & vox, quia homines omnis conditionis, ad eum, licet asperè increpantem concurrebant, & Baptismum ejus expetebant: sicque convertebantur ad pœnitentiam, & confitebantur actus suos, non solum homines plebei, sed & nobiles, & milites, & Pharisæi. Certe hæc omnia eam opinionem ingenerare poterant plebi, imò & aliquibus Primoribus Judæorum; maximè cùm necdum per miracula sua agnitus foret Christus, & tamen foret tempus prædictum Messiæ, quia sceptrum Judæ ad alienigenas erat translatum, juxta Prophetiam Jacob. *Gen. 49.*

Miserunt itaque Sacerdotes & Levitas, simulque Pharisæos legis & religionis zelatores, ut interrogarent eum: *Tu quis es?* Non quod his verbis ita sicè & steriliter eum interrogarint; sed vult significare Evangelista, ideo missos ut interrogarent quisnam ipse foret. Quod quidem disertis & accommodis verbis fecisse verisimile est, etiã in speciali interrogando; an non foret ipse Messias, sive Christus tot oraculis prædictus, tot figuris præsignificatus, tot votis & desideriis hactenus expetitus & expectatus. Atque cum apertè negaret se Christum, & confiteretur ingenuè se non esse hunc Messiam expectatum, ulterius interrogant: An foret ipse Elias, quem & ipsi expectabãt Præcursorem Messiæ; cui vestitu, solitudine, vitã, officio, nõ absimilis videbatur. Denique apud Malachiam scriptum noverant: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis.* Ad id claro iterum responso accepto, ipso asserente se non esse Eliam, in persona se, (nam teste Domino in spiritu Elias erat) necdũ acquieverunt; sed ulterius interrogant, an sit Propheta. Forsitan illum intelligunt, de quo Moyses: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus ipsum audies:* vel ut alii putãt Prophetam Enoch, de quo traditio erat cũ Elia venturũ; vel Elisæũ (qui Propheta per antonomasiã dici potest, ob spiritum duplicem Eliæ ei infusum) cum & Joannes sicut ipse circa Jordanem versatetur, ac ibi doceret & baptizaret; sicut Elisæus in Jordane Naaman baptizari jussit. Vel denique generaliter ut S. Augustinus interpretatur, interrogatio eorũ tendit, ut fateatur se Prophetam aliquem esse, & prophetali munere fungi. Nec tibi mirũ videatur quod dubitent an sit Elias, vel Elisæus, vel Enoch, aut alius Propheta, cum ignorare vix potuerunt Joannem esse Zachariæ filium: qui error de transmigratione animarum in alia corpora, multorum animis adhuc tunc inhærebat. Propterea enim aliqui de Christo dicebãt esse Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Et ex simili errore dicebat Herodes: *Quem ego decollavi Ioannem, ipse surrexit à mortuis.* Interim quicquid sit de eorum mente, respondet Joannes; *Non sum Propheta.* Quod verum est, quia non erat talis, quales antiqui Prophetæ, qui Messiam longè post venturum prædicabant; sed erat is qui præsentem erat demonstraturus. *Gen. 49.* *Malac. 4* *Luc. 1.* *Deut. 18.* *Matt. 16. Marc. 6.* *Quo sensu S. Ioannes nõ fuit Propheta.*

turus. Quasi dicat: Non sum Propheta futuri, sed Index præsentis Christi; non in umbra sum futurorum, sed in veritate præsentium. Alioqui Christus eum vocat Prophetam, & plusquam Prophetam. Et Zacharias de eo canit. *Tu Puer Propheta Altissimi vocaberis.* Sed Joannes non ad vetus, sed ad novum pertinet testamentum: *Lex & Prophetæ usque ad Ioannem.* Non ergo Propheta talis, quales Isaias, Jeremias, &c. non præferebat propheticum sermonem, cui attendendum esset tanquam lucernæ ardenti in caliginoso loco, sed digito prætento, monstrabat verum Solem exortum.

Matt. 11.

Luc. 1.

Ioannis humilitas. Psal. 130.

Sic igitur S. Joannes fidelis & humilis ministri officio fungens, non extollit se super se, imò quodammodo deprimit se infra se: *non est exaltatum cor ejus, neque sunt elati oculi ejus, non ambulavit in magnis*, nec gloriatus est in donis aut sapientia sua, sciens omnia esse in se longè inferiora, longè obscuriora, quàm in Christo. Ideo illum considerans qui solus est, *Qui est*, continuò videtur respondisse de se interrogatus, *Non sum*; Quasi diceret: in comparatione ejus qui potest dicere; *Ego sum qui sum*: ego de me dico: *Non sum, nihil sum.* Poterat tamen de munere suo sublimiorem sermonem edere, sed noluit: tum quia forte hi ad audiendum necdum idonei erant, tum quia Christo laudes suas depromendas relinquebat, quod differè præstitit.

Matt. 11.

Ioan. 1.

Verè ergo diceret ad mentem interrogantium, & conformiter his quæ de ipso Christus pronunciavit: *Non sum ego Christus*, sed Præcursor sum Christi: *Non sum* ego lux, sed sum is *qui testimonium perhibet de lumine.* Non sum ego Sol, sed Lucifer eum præveniens & prænuncians. Non sum ego Sponsus, sed amicus Sponsi. Non sum Agnus qui tollit peccata, sed demonstrator sum Agni. Non sum Medicus qui sanare possit, sed tamen morbum ostendo, & ad Medicum vos mitto. Non sum Rex expectatus, sed sum Præco & signifer ejus. Non sum Dominator quem vos quæritis, aut Angelus testamenti quem vos vultis; sed tamen Legatus sum, & Angelus præparans viam ante faciem ejus. Non sum ego Elias in persona, sum tamen in spiritu & virtute. Non ego sum talis Propheta, qualem existitis; sum tamen supra omnes Prophetas, donis divinis adornatus. Cùm hæc omnia de se & suo munere posset manifestare, sobrie de his omnibus loquitur, suam potius considerans nihilitatem, quàm dignitatem.

PARS II.
De superbia Diaboli & suorum dicentiù. Ego sum Christus Isa. 14.

MErito Joannes propter eximiam humilitatem, quâ se mirabiliter dejecit, Luciferi locum obtinere a quibusdam asseritur, qui superbiâ elatus divinum sibi honorem arrogavit: *Super astra exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Sed hic licet infœlicissimè deturbatus, nihilominus quotidie hunc adhuc quærit honorem, Deo & Christo debitum. O quam multis apparuit falsa eos illudens imagine, falsaque illiciens promissione, & dicens: *Ego sum Christus.* Nempe superbia ejus planè adversa est, & ex diametro pugnat cum humilitate Joannis; sic & vox ipsius cum hac voce Joannis: *Non sum ego Christus.* Audi hujus rei exempla:

Refert Palladius in Hist. Lauf. c. 31. Valentem Monachum à Dæmone crebro apparente in figura Angeli lucis sic deceptum, ut superbia elatus jactitaret nonnisi cum Angelis suam esse conversationem. Tandem & Dæmon ei apparere voluit, fingens se Christum; eratque circumcinctus mille Angelis, lampades lucidas, rotamque igneam præferentibus. Mox unus eorum sic allocutus est Valentem: *Christus dilexit tuam vivendi libertatem & confidentiam, & venit ut videat te, egredere, & adora eum.* Egressus est, & pro Christo dæmonem adoravit. Et factus est ita emotæ mentis, ut ingressus Ecclesiam, diceret: *Ego non habeo opus communione, Christum ego vidi hodie.* Quapropter Patres vinxerunt eum, & in compedes ferreos conjecerunt.

Humilitate diabolus fugatur.

Sapientius se gessit alter quidam Monachus, de quo in libro sententiarum Patrum nu. 37. qui quidem adeo eximiè erat sanctitatis & fortitudinis, ut in cella sua quotidianas sustineret tentationes, sed ita ut videns dæmones eos contemneret, & proculcaret. Videns autem dæmon se vinci, quodam die apparuit ei in gloria, & dicebat: *Ego sum Christus.* At ipse clausos penitus tenebat oculos. Cui dæmon: *Cur oculos claudis? Vide gloriam meam, ego sum Christus.* Respondet ipse: *Ego Christum hic nolo videre, at in alia vita ejus expecto visionem.* Hac victus Satan humilitate, mox disparuit.

In vitæ Patrum.

Sic & S. Abraham Eremitam decipere conatus est, mediâ nocte oranti apparens, & luce instar solis fulgida cellam ejus circumcingens, cum hac voce: *Beatus Abraham, nullus que similis tui, qui omnes meas voluntates explevisti.* At ille agnoscens dolum diaboli Christum se fingentis, exclamavit: *Tenebræ tecum sint, ô plene dolo atque fallacia, homo enim peccator ego sum; quia, tamen habeo spem in Dominum Jesum, tuas insidias non pertimesco, atque pro muro mihi est ejus nomen quem dilexi ac diligo, in quo te increpo immundissime canis.* Hæc cum diceret, illicò instar fumi fœtidi evanuit is qui dicebat, Ego sum Christus, quique divinos ambiebat honores.

Simile legimus de S. Martino. Hunc etiam oranti in sua cella divinos ab eo quærens honores apparuit Satan, lumine velut cœlesti coruscus, faciem Regis præferens, aureâ cyclade & veste Regia amictus, cum diademate ex pretiosis gemmis contexto. Hac arte virum sanctum fallere sperans, sic cum est allocutus: *Ego sum Christus. Revelatus, atque de cœlo descendere dignatus sum, ut te visitarem & me tibi manifestarem.* Agnovit mox ipse fallaciam, & respondit: *Dominus meus* JESUS *Christus non purpurâ aut diademate reuteretur se venturum esse prædixit; & illum non agnosco ut Christum, cujus vulnera aut stigmata in Cruce ei inflicta non aspicio.* His dictis, disparens Christi & veritatis hostis, nihil nisi fœtorem spurcissimum in cella reliquit.

Surius & alii in vita ejus.

Satanam Patrem suum & Magistrum imitati sunt impii filii, & cæci discipuli, hæretici scil. non-

Hæretici Satanæ.

nulli,

sunt imitatores.

nulli, cæcorum, & insipientium Duces superbè & impudenter dicentes, *Ego sum Christus*; Joannis vocem hodiernam non agnoscentes, cum humilitate pronunciantis: *Non sum ego Christus.* Sic Saturnus antiquus hæreticus se Christum & Salvatorem à Patre missum pronuntiabat. Menander in suo nomine baptismum instituebat. Simon parens omnium hæreticorum se virtutem Dei nominat, & à malignis spiritibus in cœlum se efferri curabat, ut adoraretur. Montanus se Paracletum dicebat. Atque tempore postremo sæculi, multi sunt dicturi: Ego sum Christus, & ideo præmonuit Evangelium. *Videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent.* Et iterum: *Tunc si quis dixerit vobis. Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere; Surgent enim Pseudochristi & Pseudoprophetæ.* Atque non solùm in novissimis temporibus, sed & nostro sæculo tales non desunt. Mirabile plane est quod referunt contigisse in Pervensi regno magni nominis Theologo. Hic cujusdam mulieris falsis extasibus & revelationibus deceptus eò cæcitatis perductus est, ut sibi sanctitatem arrogaret super omnes Angelorum choros, & super omnes Apostolos; sibique à Deo oblatam unionem hypostaticam, sed non fuisse à se admissam; interim se esse constitutum Redemptorem quoad efficaciam, eo quod Christus solum fuerit Redemptor quoad sufficientiam, multaque ad id probandum de se ejus tabatex Prophetis, ex Psalmis, & ex Apocalypsi. O Cæcitatem! ò dementiam! Hi itaque omnes dum dicent: *Ego sum Christus!* dumque Christi mendaciter vel nomen vel auctoritatem usurpant, facti sunt membra Satanæ Patris mendacii & præcursores Antichristi. At Joannes dum dixit: *Non sum ego Christus; dum non vult appetere nomen Christi, factus est membrum Christi, quia dum infirmitatem suam studuit humiliter agnoscere, illius celsitudinem meruit veraciter obtinere*, inquit S. Gregorius hom. 7. in Evang.

Matt. 24

Histor. hanc v. in Tuba Sacerdotum tract. 1. lect 4. in fin.

Videamus verò nos, ut verè dicere possimus: *Ego sum Christus*, eo scilicet modo quo Apostolus dicit: *Vivo ego, tam non ego, vivit verò in me Christus.* Christus sit vita nostra, anima nostra, spiritus noster, lux & amor noster, ita ut nihil nisi illo inspirante, cogitemus, loquamur, operemur: gratia Christi, spiritus Christi, vita Christi, humilitas & charitas Christi in nobis appareat, & in operibus nostris; tunc verè poterimus dicere cum Propheta: *Spiritus oris nostri Christus Dominus*; & cum Apostolo: *Mihi vivere Christus.* Quod si ipse sit vita vitæ nostræ, anima animæ nostræ, spiritus cordis nostri, jam verè etiam dicimus: *Ego sum Christus*; quandoquidem ipse est in nobis, vivit in nobis, spirat in nobis, patitur in nobis, loquitur in nobis, amat in nobis tanquam membris suis à se animatis. Hoc si verum est de quolibet pio Christiano, qui verè gloriam Christi ejusque amorem respirat, quanto magis locum habet in Sacerdotibus & ministris divinis? In his utique baptisat Christus, absolvit Christus, prædicat Christus, suis verbis consecrat Christus; & ita merito dicere possunt: Ego sum Christus. Ergo numquam deserant spiritum Christi, illum igitur alant & foveant, aliisque inspirent.

Thren. 4. Phil. 1.

AD imitationem humilitatis S. Joannis pro moraliptores, conveniens esse ut unusquisque sæpe seipsum consideret, & à seipso idem quod Joannes interrogatus est, interroget: *Tu quis es? Quid dicis de teipso?* Hoc familiare fuit exercitium Viris sanctis. Unde sanctus Franciscus solebat integras noctes cum Deo consumere in hac interrogatione: *Quis tu Domine? Quis ego?* S. Augustinus in his verbis longam orationis moram solitus est trahere: *Domine noverim te, noverim me, ut exaltem te, humiliem me.* S. Catharinæ Senensi quondam dixit Christus: *Si noveris filia, quis ego sum, & qua tu, beata eris. Ego sum qui sum, tu es qua non es. Hac cognitione facta, omnes facilè conteres inimici laqueos, omnemque gratiam & virtutem facilè obtinebis, & nunquam venies contra præcepta mea.* Itaque diligens nostri interrogatio, & ulterior cum Deo nostri collatio, fundamentum est salutis & perfectionis, quæ in Dei nostrique notitia consistit, illum exaltando & amando, nos humiliando & contremendo. Sed in particulari quædam hac de re exprimamus, ut agnoscas, Tu quis es? Quis Deus? Ut agnoscas quid de te sentire debeas, quandoquidem hoc adeo magni sit momenti.

PARS III. *moraliptor, illud, Tu quis es, discutit.*

Surius 29. April

Nostri interrogatio, & collatio, est fundamentum salutis.

Primo. Quid est Deus? Quid est Homo? Deus est qui est, & solus potest dicere: *Ego sum qui sum.* Ipse quia ex se est, per se est, propter se est, fons est & plenitudo omnis essentiæ. Homo est qui non est, qui verè potest dicere. *Non sum*: quia ex se non est; ex se nihil est, qui a ex nihilo est, & ad nihilum tendit, & nisi à Deo misericorditer sustentaretur singulis momentis, in nihilum rediret: *Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei* Job. 7. *Notum fac mihi finem meum, substantia mea tanquam nihilum ante te.* Si sic loquuntur Prophetæ: Quid dicis tu de te ipso? Tu quis es?

1. *Antitheses Dei & Hominis.*

Psal. 38.

Secundo. Quid est Deus? Quid est Homo? Deus est ipsa Vita, ipsa immortalitas, origo & fons vitæ omnis naturalis & supernaturalis, in Angelis, in Hominibus, in animalibus, in plantis: *In ipso vita erat lux hominum. Quia apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Ipse solus habet immortalitatem, ut ait Apostolus. Homo verò non habet vitam nisi morientem, continuo deficit, corrumpitur, moritur; ut propterea merito ei nomen hoc inditum sit, *mortalis.* Quotidie ei demitur aliqua pars vitæ, cumque videtur crescere, vita ei decrescit, ipsum quem agit diem cum morte dividit. Si hoc verum est de unoquoque; Quid dicis de te ipso?

2.

Ioan. 1. Psal. 35.

ipsò? Tu quis es? An fortè alterius es tu sortis, quam alij?

3. *Tertio*, Quid est Deus? Quid Homo? Deus æternus est, sine principio & fine, ipse finis & principium omnium; ipse origo & fons æternitatis, à quo Beati tam Angeli quam homines æternitatis participationem quandam habent. Homo verò habet principium & finem, & in ipso principium & finis mox junguntur: vix ingressus in hujus mundi theatrum, mox egredi cogitur. *Quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* Idcò meritò potest de se dicere: *Non sum;* tum quia priusquam creatur, habuit æternum non esse; tum quia ejus esse semper in fluxu est, & quadam fuga celeri; & mox de eo verum est; *Qui fuit.* Fugit infantia, fugit puericia, fugit adolescentia, fugit juventus, fugit senectus; & hodie non est, qui heri fuit: *De mane usque ad vesperam finies me.* Ergo nomen ejus, *Qui fuit.* Si sic experiuntur etiam Reges. Quid dicis de te ipsò? Tu qui es?

Iob 14.

Isai. 38.

4. *Quarto*, Quid est Deus? Quid Homo? Deus est immutabilis, stabilis in se, & in omnibus constans: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Nec mutatur in natura, quia idem semper ipse est: nec in qualitate, quia inalterabilis est: nec loco, quia immensus est, nec in voluntate aut operatione; quia semper sibi constat, idem volens, eodem modo operans. Homo verò mutabilitati omni subjectus est, omnis inconstantiæ exemplar & imago; in omnibus quæ in ipso sunt, aut circa ipsum. Vita ejus & ætas mobilitate mirabili volvitur per lustra, annos, menses, dies, horas, ad metam properans. Animus ejus ut arundo mobilis ad omnem auram flectitur huc illuc. Varias cogitationum alterationes patitur, varias affectuum vices & alternationes. Modo serenus est mox turbidus; modo plaudit; mox plangit; modo amat quippiam, mox illud odit: modo probat aliquid & suadet, mox reprobat & dissuadet. Corpus ejus ut mola versatilis inquieto motu rotatur. Diversâ mutatione quasi in circuitu hanc molam trahunt Æstas & Hiems, Ver & Autumnus, & varias ei afficiunt qualitates. Unde modo vividum est & sanum, mox languidum & ægrum. Domus lutea est sensim collabescens. Si hoc nullus negare potest, aut ignorare; Quid dicis de teipso. Tu quis es?

Iacobi 1.

5. *Quinto*, Quid est Deus? Quid Homo? Deus sapientia est, veritas est, lux est, origo & fons omnis veritatis, omnis sapientiæ & lucis; in quo nullum mendacium, nullus error, nulla ignorantia, nullæ tenebræ. Homo verò vanitas est, & mendacium, sic afferit Propheta: *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.* Et iterum: *Filij hominum, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Homo omni errori, ignorantiæ, deceptioni est obnoxius. Cæcitate afflictus, in tenebris gemens quæ intellectum obnubilant & animum, ut nesciat cognoscere verum: & ideo necessum est ut palpando impingat, deviet, & exerret à veritate & sapientia, lucis expers. Hoc agnoscunt quantumlibet sapientes; tu verò, Quid dicis de teipso. Tu quis es?

Psal. 38.
Psal. 4.

6. *Sexto*, Quid est Deus? Quid Homo? Deus purissimus est, sanctissimus, perfectissimus: imò est ipsa puritas, sanctitas, perfectio, nullam habens admixtionem impuritatis aut imperfectionis, fons & origo omnis puritatis, sanctificationis, perfectionis. Homo verò sentina est omnis impuritatis & immunditiæ, tam spiritualis, quam corporalis. In peccatis natus totus, & sub peccato venumdatus, de peccato in peccatum ruit, quasi de abysso in abyssum. Omni defectu & imperfectione plenus est, nihil de se perfectè vel purè agere potens. Sicut secundum corpus, sic & secundum animum omni immunditiæ est obnoxius. Hoc etiam agnoscunt Viri sancti, tu verò, Quid dicis de teipso? Tu quis es?

6.

7. *Septimo*, Quid est Deus? Quid Homo? Deus omnipotentissimus & fortissimus, beatissimus & gloriosissimus; imò Deus est ipsa potentia & fortitudo, ipsa gloria & beatitudo, fons & origo omnis potentiæ & gloriæ. Homo verò est omnis imbecillitatis, omnis infirmitatis imago, omnis miseriæ speculum, omnis corruptionis exemplum. Unde ad quendam seipsum ignorantem dicitur: *Tu dicis dives sum, & nullius egeo, & nescis quia miser es & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Collyrio inunge oculos tuos ut videas.* Quicumque collyrio veræ humiltatis vult purificare & inungere oculos cordis sui, mox videbit infirmitatem, & imbecillitatem suam; paupertatem & nuditatē, miseriam & calamitatem tam animi quam corporis. Tu quid dicis de teipso? Tu quis es? Noli dicere, sum nobilis, sum dives, sum sapiens, sum bonus; dic potius cum Joanne: Non sum. Nihil sum. Solus Deus est vere nobilis, dives, sapiens, bonus; solus ipse dicere potest: Ego sum.

7.

Apoc. 3.

Cæterum S. Joannes ne solum negatione uteretur, sed etiam aliquid humiliter de se exprimeret, illis eum ad id urgentibus, dixit: *Ego vox clamantis in deserto. Ego vox*, quid humilius, cum vox non sit nisi flatus quidam aeris levis, & citò transiens? Sed hæc verba in seq. Evangelio explicabimus, cum ibidem repetantur.

EADEM DOMINICA.

LECT. 3. tripartita Pars I. Explicat illud. Medius vestrum stetit. Ioann. 1.

Ego baptiso in aqua, &c. Joann. 1.

JUdæi colligebant ex SS. Scripturis tempore Messiæ fore aliquem baptismum, administrandum vel per se, vel per suos; atque Eliam existimabant in primo illius adventu simul venturum cum illo Propheta altero, cujus nomen certò non sciebant

bant. Ideo videntes Joannem baptisantem & annunciantem appropinquare jam regnum Dei, inquirunt qua auctoritate id faciat, quandoquidem neget se esse Messiam, vel Eliam, vel Prophetam? Et cum missi forent à Pontifice & Reipublicæ Jerosolymitanæ Moderatoribus, merito interrogant qua auctoritate baptiset, quandoquidem novum ritum sacrum introducere non cujuslibet sit, sed vel Messiæ, vel Prophetæ alicujus, cui à Deo hoc sit commissum. Sed ad hoc jam satis responderat Joannes, quia dixerat se Christi Præcursorem per Isaiam insinuatum; dum enim dixit: *Ego vox clamantis, Ego venio parare viam Domini*, satis indicat se tanquam præcursorem auctoritate Domini sui posse baptizare, & legis mutationem ejus imperio inchoare: sed hi Judæi adhuc animales, nec Joannis verba, nec Isaiæ allegatam prophetiam satis capiebant. Interim Joannes sollicitus: ut semper se humiliet. Christum vero exaltet, non tam curat suam probare auctoritatem ad baptisandum, quam testimonium perhibere de lumine, sive de Christo; & ideo extenuat se & baptismum suum quasi non tanti momenti; extollit vero Christum & baptismum ejus, dicens: *Ego baptizo in aqua*, ita ut baptismus meus ut quædam ablutio corporis, sed animas non abluit à peccatis: *Medius autem vestrum stetit, qui post me venset*, baptisaturus in Spiritu sancto, & animas abluturus, cujus non sum dignus, vel esse servus ad detrahendum ei calceamenta. Hæc porro omnia digna sunt ponderatione & explicatione ampliori.

1. *Cur Christus medius stetit.*

Primò quidem ponderandum est quod dicit de Christo, *Medius vestrum stetit*. Hoc simplicissimè intelligendo significat quod Christus dignatus sit converlari & vivere instar alicujus plebei, in medio Judæorum, ignotus existens & despectus, vitam communem agens, comedens & bibens ut cæteri, vestitu utens ut cæteri; cum tamen Joannes ipse in deserto ageret extra turbam hominum, vestitu cilicino ex pilis camelorum utens vix comedens aut bibens, sed paululum mellis silvestris sumens cum locustis agrestibus. Hanc vero viam secutus est Christus, ut facilius sibi devinceret animos Judæorum, nec austeritate eos deterreret. At ulterius indicari potest his verbis Christi munus, qui missus est ut medius stet, seu Mediator inter homines & Deum: ideo inter cœlum & terram stetit medius in ara Crucis. Iterum, missus est, ut Mediator & medius inter populum Judaicum & Gentilem, ut utrumque faceret in fide unum, antea maximè divisum: ideo in præsepio medius est inter bovem & asinum; bos enim significat populum Judaicum jugo legis pressum, asinus populum Gentilem stolidum & contra Deum recalcitrantem. Iterum missus est; ut medius sit inter populum qui præcesserat, & eum qui secuturus est, ideo venit in medio temporis Salvator priorum & posteriorum. Denique missus est, ut medius stet inter electos & reprobos, tamquam Judex eorum; ideo in morte inter duos latrones stetit, unum secum assumens alterum reprobans. Quod verò dicitur stetisse medius, forte non tam situm corporalem indicat, quam spiritualem & mysticum. Nam secundum corporalem, modò jacere reperitur, ut in stabulo & præsepio; modò sedere, ut apud fontem Samaritanæ; modò prosterni, ut in horto, & sæpe in montibus in oratione; modò incurvatus incedere, ut in crucis bajulatione; modò pendere inclinato capite ut in cruce; modò in medio discipulorum stare, ut in resurrectione. At secundum spirituale m & mysticum situm rectè de ipso dicitur: *Stetit*, quia adversus illum dimicaturus venit, *quia in veritate non stetit*, & ideo sicut fulgur cecidit: *Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem*. At Christus numquam cecidit, numquam sedit, numquam jacuit. Sedet quis per otium, cadit per peccatum, jacet per peccati consuetudinem & per diuturnum in peccato situm. *Ioann. 8. Luc 10.*

PARS II. *Explicat illud.* Quem vos nescitis. 1.

SEcundò, ponderandum est quod additur: *Quem vos nescitis*. Quomodo non viderunt, nec agnoverunt, si in medio eorum stetit? Nascitur inter eos, conversatur, docet, operatur, nec inspicitur, sed despicitur: oculo carnis si eum inspiciunt, oculo invidiæ & malevolentiæ despiciunt. Mirum planè. 1. Ipse tanquam Sol in medio eorum lucet, doctrinæ & miraculorum radios spargere incipit; ipsi avertunt faciem, & claudunt oculos, ne eum agnoscant: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Ipsi sunt rebelles lumini & nescierunt vias ejus, & noluerunt reverti per semitas ejus*. 2. Ipse tamquam Pastor erat in medio ovium, & vocem ejus non audierunt; sed potius audierunt vocem alienorum, à Pastore & ovili, ac veris pascuis oves abstrahentium. 3. Ipse erat in medio eorum ut Arbor vitæ in medio Paradisi, & licebat unicuique eorum fructum ex illa capere immortalitatis; at ipsi non agnoverunt, potiusque mortem elegerunt, quam vitam: *In ipso vita erat. Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant*. 4. Ipse erat in medio eorum tamquam Fons omnes invitans sitientes, & ipsi siti exarescentes neglexerunt: *in die magno festivitatis stabat Jesus & clamabat. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumen de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Meritò ergo dicit S. Joannes: *medius vestrum stetit, quem vos nescitis* hoc est, scire & agnoscere non vultis. Nam & hoc postmodum conquestus est JESUS, dum clamabat in templo, dicens & docens: *Et me scitis & unde sim, scitis, & à meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis*. Atque utinam non etiam verum sit de Christianis, *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis*. Ipse etenim adhuc in medio nostri est tanquam Sol, ut nos illuminet, & multi nostrum claudunt oculos, & lumini sunt rebelles. Ipse est adhuc in medio nostri ut Pastor. *Ioann. 1. Ioan. 3. Iob 24. 2. 3. Ioann. 1. Ioann. 10 4. Ioann. 7.*

Pastor, & quasi nescientes & eum & vocem ejus, attendimus potius ad vocem Satanæ, ad vocem mundi, vel carnis. Ipse est in medio nostri, in medio Ecclesiæ, ut Arbor vitæ, & Fons vitæ, & aridi manemus, & morti appropinquamus, quia non accedimus. Ipse est in medio nostri in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, & hæretici nolunt id scire; Catholici id scientes quasi nescientes se gerunt, dum impurè accedunt, vel ut decet, non venerantur, non colunt, non amant. Ipse est in medio nostri in persona Sacerdotum, docens, pascens, sacrificans, conficrans, justificans, & pauci hoc ut decet, agnoscere videntur, cùm tamen dixerit: *Qui vos audit, me audit, &c.* Ipse stat in medio nostrum in persona pauperum, de quibus dixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*; & pauci id attendunt, ac nesciunt eum. Videndum porro ne & ipse nobis dicat requisitus à nobis: *Nescio vos.*

PARS III. *Quomodo non sit dignus corrigiam solvere.*

TErtiò ponderandum est illud: *Qui post me venturus est, ante me factus est, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.* Christus post Joannem venit, post ipsum conceptus, post ipsum natus; vir tamen perfectus fuit ante Joannem, quia in ipso Matris utero, in ipso conceptionis instanti, Vir fuit sapientia & ætate perfectissimus, non minus quam in ætatis suæ anno trigesimo, & ideo dixit de illo Jeremias: *Novum creavit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum.* Et hoc forsitan innuere voluit Joannes, dum dicit alibi: *Ante me factus est, quia prior me erat:* Quasi dicat: Ante me erat vir, in Matris scilicet utero, quod mihi non fuit datum. Sed & hoc manifestum est, quod prior erat divinitate, de qua docebat Christus ipse: *Antequam Abraham fieret, ego sum*; quia ab æterno ejus persona est. Simplicissimè autem intelligendo vult dicere Joannes: *Ante me factus est*, id est, est mihi antepositus, sive mihi prælatus, quia dignior me, officio, gratia, prædicatione, baptismo, licet post me sit baptisaturus, prædicaturus, & in populo apparituras. Quod si vultis ut ego ingenuè fatear ejus dignitatem, & meam respectu ejus indignitatem: *Non sum dignus corrigiam calceamenterum ejus solvere.* Quid verò est aliud, non sum dignus corrigiam calceatorum ejus solvere, nisi non dignus vel infimum & minimum ei obsequium exhibere? Quod quid m vere asserere potuit Joannes, sive, Christus calceamentis usus fuerit, sive non, quod aliqui disputant Doctores. Sed habuisse soleas sive sandalia certius est; quia illa concessit Apostolis, & Petrum monet Angelus: *Calcea te caligas tuas*; ubi Græca habent: *Calcea te sandalia*; adde, quod si jubetur caligas calceare, calceos habuisse oportet cum caligis. Verum disputationi hac in re vix locus esse videtur, quia in Prumiensi Monasterio Ord. S. Benedicti, cujus Administrator perpetuus est Archiepiscopus Trevirensis ostenduntur Christi Domini sandalia ex certa traditione, & novissimè Illustrissimo Petro Aloysio Carafæ Legito Apostolico cum testimonio authenticis ibidem exhibita fuisse novimus. De quo sic scribit is qui fuit comes ejus in Itinere Moguntino ad electionem Eminentissimi ac Reverendissimi Anselmi Casimiri Wambolt, Archiepiscopi & Electoris Moguntini.

An Christus Calceamentis usus Marc. 6. Act. 12.

Sandalia Christi in Prumiensi Monasterio.

Prumia Monasterium est celebre inter alia Sylvæ Arduennæ. Fundator ejus Carolus Magnus sacram ibi Ædem Christo Servatori dedicavit; & in ea sunt, hodieque summæ veneratione Sandalia Domini. Ne verò thesauro tam sacro desit fides, adhuc Summorum Pontificum, item Caroli & aliorum Cæsarum extant monumenta, quæ id fidelocupletissima testantur. Visuntur eadem facile, & sunt ex albo corio, sed dissuta & explicata cum additis opere Phrygio fiosculis & ornamentis; quemadmodum illorum temporum suasit pietas. Optabilius tamen fuisset, in eis formam ipsam retineri, in quam adeo sæpe induerant se speciosi pedes Domini, dum inteterat rebus humanis, & du in terris ore cœlesti enunciabat Evangelium Pacis. Exosculati has soleas venerabundi sumus; illad expetentes unice, ut pectori & cordi liceret apprimere etiam vestigium aliquod charitatis ejus. Hæc ille *Itinerario Moguntino* Scriptor, pag. 6. Testatur quoque S. Bonaventura Tom. 1. opusc. Romæ asservari soleam S. Petri Sed hæc de Sandalis Christi satis, quod sensum literalem.

Calceamenta Christi solvere quid.

Quantum autem ad altiorem sensum, quid est, *Non sum dignus corrigiam calceamentorum ejus solvere?* S. Ambrosius de instit. Virginis c. 14. sic interpretatur: *Non sum dignus incarnationis mysterium comprehendere angustiis mentis humanæ, atque impia vilitate sermonis absolvere.* Huic subscribit interpretationi S. Gregorius hom. 27. in Evang. dicens: *Incarnatus Dominus, quasi calceatus apparuit; Corrigia calceamenti est ligatura mysterii: Ioannes itaque solvere corrigiam calceamenti non valet, quia investigare non sufficit incarnationis mysterium aut explicare.* Nempe verbi cum carne conjunctio, per corrigiam indicata, quæ lorum est seu ligatura calcei, inexplicabilis est etiam in suis minimis & extremis mysteriis quæ sunt velut ansulæ & extremitates calcei. Ulterius & hunc sensum aliqui tradunt: *Non sum dignus calceamenta Christi solvere*, hoc est, Sponsam ei debitam ducere, Mos enim erat *Deut. 25.* in lege, ut qui Sponsam jure propinquitatis sibi debitam alteri cederet, calceamenta solvere t. Fatetur igitur se plane indignum, cui Christus Sponsam suam cedat, cum nec dignus sit Sponsi tanti vel esse servus. Denique S. Matthæus verba Ioannis sic refert: *Non sum dignus calceamenta ejus portare.* *Matt. 3.* Fortè quia Ioannes utrunque dixit, se & indignum corrigiam solvere, & calceamenta ejus portare, ut explicat S. Hilarius can. 2 in Matth. Quod & mysticè exponi potest de calceamento mystico Filii Dei, quod est ejus incarnatio: Caro enim calceus quidam est divinitatis, quo calceata ad

nos

nos venit. Joannes autem forsitan desiderabat hæc calceamenta portare, hoc est Christi incarnationem & passionem per universum orbem portare & annunciare; sed non erat tam diu victurus, & quem præcesserat orientem, debebat præcedere morientem. Ad hoc elegerat Apostolos, alios Christus, per quos verificandum erat illud de ipso; *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt.* Nempe Apostoli dum eunt ad Idumæos, ad Gentiles dum procedunt, illuc Christi calceamenta deferunt, nomine ejus possessionem capientes; & adeuntes hæreditatem Christo à Patre promissam. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Per calceum utique designatur possessio in sacris Litteris.

Psal. 59.

Psal. 2.

Interim, concludendo dicamus: quidquid Joannes suis verbis intellexerit, certum esse ejus non aliam in illis intentionem fuisse, quam sese humiliter dejicere, Christum verò gloriosè exaltare; & ita hic veram & nos humilitatem debemus ab eo edidicere. *Quanto major es, humilia te in omnibus & invenies gratiam coram Deo & hominibus*, inquit Sapiens. Si fueris parvus in oculis tuis, in oculis Dei magnus eris: si magnus sis in oculis tuis, parvus eris in oculis Dei. Si despicis te, magnus eris Deo, & respicieris te; si respicis te, magnus tibi, parvus eris Deo, & despiciet te. Hoc clarissimum est hicin S. Joanne; non enim ostentat se, aut jactat generis nobilitatem, Prophetiæ donum, baptisandi munus, non divinam legationem, non plebis concursum ad suas conciones, non in solitudine exactam vitam, non cibi aut vestis asperitatem: sed humiliter de se loquitur, humiliterque sentit, non enim fictè aut nequiter se humiliat, sed verè sibi parvus est. Quid ergo in remunerationem à Deo accipit, & à Christo? Ille se humiliat; Christus illum exaltat. Ille dicit se non esse Prophetam; Christus inclamat turbis, ipsum esse plusquam Prophetam. Ille se infimum profitetur; Christus summum prædicat, nec illo surrexisse majorem inter natos mulierum affirmat. Ille se ad pedes Christi abjicit; Christus eum ad caput extollit. Ille se indignum dicit pedes & calceos tangere; Christus asserit eum ad hoc electum, ut caput tangat, & Baptismi aquis perfundat. Ille dicit se non esse dignum, ut sit vel vilissimus servus tanti Regis & Sponsi, Christus eum facit primum paranymphum, & specialissimum amicum Sponsæ & Sponsi. O humilitas, quam pretiosa es, quam accepta coram Domino! O humilitas, quam facis hominem divinorum donorum capacem. O humilitas, quam fœlicem facis hominem, Spiritui Sancto præparans aptum in eo locum! *super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem verba mea*, dicit Dominus! O humilitas, quam vilis appares externa superficie: sed quam sublimis es in re & remuneratione! O humilitas, illuc exaltasti Joannem, quo ascendere non poterat altius: ô superbia, illuc dejecisti Angelum quo non posset descendere profundius! O humilitas, quæ ex hominibus Angelos facis, dæmonibus ôdibilis & impossibilis!

Eccl. 3. Disce humilitatem à Ioanne.

Laus Humilitatis.

Isaiæ 66.c

APparuit quondam S. Macario Anachoretæ celebri sanctitate Satan, falcem gestans peracutam, qua eum percutere moliebatur; sed Deo protegente, omnis ejus conatus irritus reddebatur. Fremere interim non desinebat, quod tanta sibi non foret in virum sanctum potestas, quantum odium. Virtute verò cœlesti victus, coactus est causam tanti odii aperire, & inclamare: *O Macari, Macari, quam crudeli me bello lacessis fortunatus, quin nullo te conatu superare valeo, ac me superari à te, invitus licet, agnosco! Attamen quicquid facis, ego facio; si vigilas, ego nunquam dormio: si jejunas, ego nunquam comedo; si pauper vestitu indumento, ego nullam vestem gero; si castus es, ego muliere ad voluptatem non egeo. Si sæculi vanitates, opes, honores aspernaris, ego & illa contemno. Sed, eheu, unum est in quo me superas;* Cùm verò vir sanctus urgeret ut ediceret, quid illud foret; tandem virtute ex alto coactus est respondere & dicere: *Profunda est humilitas tua, quam mihi impossibile est imitari.* Hæc dicit Satan, & mox confusus abscessit.

Humilitas Dæmoni odibilis Exemplum.

In vita S. Macarii.

EADEM DOMINICA. LECT. 9.

De differentia baptismi Ioannis & Christi.

CUm Baptismi doctrina, tamquam maximè necessaria, sæpe à Pastoribus plebi sit repetenda. Hic occasionem sument ex verbis Joannis inter se & Christum, inter suum & Christi baptismum, differentiam insinuantis: *Ego baptizo in aqua, ille baptizabit in Spiritu S.* Declarari igitur hic poterit amplè magnificentia baptismi Christi supra baptismum Joannis ex multiplici capite, ex his quæ à nobis tractanda sunt in Candelabr. Mystico Tract. 2. per varias Lect. Primò, ex parte materiæ, 2. ex parte formæ. 3. ex parte effectus, 4. ex parte præcepti, 5. ex parte ministri, 6. ex parte susciplentium.

Breviter hic de his singulis aliqua insinuabimus, & in unam Lectionem, redigemus. Concionatores vel Pastores, qui tempore sacro Adventus fusiùs hæc tractare resolverint, ad Tractatum citatum remittimus; ex quo multas utiles formare poterunt Conciones dicto tempore opportunas, nec ab Evangelio tunc recitari solito alienas.

Baptism. Ioannis præparatio fuit ad baptismū Christi.

BAptismus itaque Joannis fuit solum præparatio quædam & introductio ad Baptismum Christi, sicut & lex Moysis fuit præparatio & introductio ad legem novam à Christo dandam. Hinc certum est multipliciter, imò omnibus modis à Christi Baptismo differre.

1. Differentia ex parte materiæ.

Primo quidem, si materiam spectemus, licet in hoc uterque conveniat, quod in aqua fiat; tamen & in hoc differunt, quod Joannis baptismus in aqua

aqua ordinaria & simplici Jordanis sine alia consecratione datus ab illo fuerit: Baptismus verò noster ordinarie in aqua solet administrari mystica precc, & benedictione solemni per Sacerdotē cōsecrata. Quæ benedictio licet nō sit de essentia & necessitate Sacramenti, cum in necessitate in aqua simplici administrari possit; est tamen significativa perfectionis baptismi nostri, & mysterii in eo contenti, ac effectuum ejus. Nec enim sine mysterio tanto apparatu & benedictione bis solū in anno consecratur Fons baptismalis, tamquam uterus sacratissimus Matris Ecclesiæ, in quo secunda nostra nativitas perficitur, qua esse spirituale & divinum participamus, dum renascimur filii Dei, & mēbra Jesu Christi. An putas quod frustra Cereus ille mysticus novo accensus lumine, quinq; thuris odoriferi globulis decorus, in aquā tertiò demittatur? Utiq; Christum designat (qui Splendor est & Candor Lucis æternæ, lumen de lumine) quinque vulneribus speciosū & odoriferum, à quo omnis gratiæ lux, omnis virtus sanctificationis in aquam baptismatis descendit. An putas quod inaniter oleum sacrum cum chrismate, huic aquæ ei sacrā prece commisceatur? Utiquè & hoc designat quod per hunc sacri fontis uterum Christiani efficiamur, hoc est uncti, sive participes unctionis Christi, & regiæ dignitatis ejus per chrisma & oleū designatæ. An putas quod in cassum toties Spiritus divinus invocatur, dum repetitur tertio intensiore voce: *Descendat in hanc plenitudinē fontis virtus Spiritus S. totamq; hujus aquæ substantiam regenerandi fœcundet effectu*? Nempe ille Spiritus qui olim ferebatur super aquas, hanc baptismalem aquam regenerandis hominibus præparatam, arcana sui Numinis admixtione fœcundam efficit, ut ab immaculato divini fontis utero in novam renata creaturam progenies cœlestis emergat. Et sicut olim Spiritus ille divinus uterum virgineum fœcundum reddidit, dum in Mariam supervenit, ita hunc fontem baptismalem tamquam uterum virgincum Ecclesiæ sanctificat, ut immaculata Christi membra de novo pariat. *Omni hominirenascenti, aqua baptismatis est instar uteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem; ut peccatum quod ibi evacuavit sacra conceptio, hic mystica collat ablutio.* Iterum S. Leo sic de Christi virtute fontem sanctificante pronunciat: *Originem quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte baptismatis; dedit aqua, quod dedit Matri: Virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus Sancti, qua facit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem.* Itaque magna continent mysteria sacratæ illæ benedictiones & invocationes super aquam, quæ baptismo debet deservire: & per illas à simplici & naturali aqua (qualis in baptismo Joannis fuit) discreta censetur, ut divinis præparetur mysteriis. Unde frequentissima antiquitus circa fontes consecratos miracula contigerunt, prout alibi diximus. Inutno olim in Ecclesia S. Sepulchri Jerosolymitana, post consecrationem fontium divinitus ignis descendebat, symbolum lucis divinæ & gratiæ Spiritus Sancti, lampadesque Ecclesiæ succendebat, ut alias latius ostendemus. Nō est igitur exigua differentia aquæ illius quæ solet servire in baptismo Christi ministrando, & illius quæ solebat servire Joanni ad suum baptismum.

Cur aqua baptismatis benedicatur.

Cur adhibeatur Cereus, oleum, &c.

S. Leo,

V. Cand. myst.

Secundo: Si de forma agamus, quidam putant Joannis baptismum habuisse hanc vel simile formam: *Ego te baptiso in nomine venturi.* Et videtur habere aliquod fundamentum in illis verbis: *Ioannes baptizavit baptismo pœnitentiæ, populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent.* Beda S. Bonaventura in sent. 4. d. 2. S. Th. 4. p. q. 38. art. 6 ad 5. Hugo de S. Victore l. 2. de Sacram. parte 6. c. 6. & quidam Theologi antiqui cum illis. Alii vero dicunt nullam fuisse formam in baptismo Joannis, cum nec ex Scriptura certò id colligatur, nec fuerit etiam aliqua forma necessaria ad finem illius baptismatis. Denique, quia illa forma. *Ego te baptiso in nomine Christi venturi*, non potuit à Joanne usurpari, quando Christum baptizavit. Itaque verum quidem est, quod Joannes doceret populum credere in Christum venturum, & hoc colligitur ex dicto loco Actorum, non autem necessario ut debatur forma illam fidem explicante. Vide nunc qualis differentia sit in baptismo Christi, ubi necessaria est & essentialis hæc forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Hoc est verbum quod accedit ad elementum, & fit Sacramentum; nec esset tanta vis aquæ, ut corpus tangat & corabluat, nisi faciente id verbo. *Hæc est vox Domini resonans super aquas, & vim ei intram ad regenerandos populos ingenerans, ut sicut initio per verbum omnia creata sunt, ita per verbum sacramentale novam quandam creationem & generationem homo accipiat, qui est partus mundus.* Est vero ita necessaria expressa invocatio SS. Trinitatis, hoc est Patris & Filii & Spiritus Sancti, ut aliter nullum sit Sacramentum; quod ex Christi verbis colligitur, dum Apostolis dicit: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Et propterea etiam in baptismo quem Christus suscepit, nostrum initians, & instituens baptismum, tota Trinitas apparuit, Pater in voce, Filius in persona, Spiritus S. in Columba. In baptismo vero Joannis non fuisse S. Trinitatis factam mentionem in speciali; patet ex Actis c. 19. ubi cum aliquos interrogasset Paulus; An Spiritum Sanctum accepissent credentes? respondernnt ipsi: *Neque si Spiritus S. sit, audivimus.* Subjungit Paulus: *In quo ergo baptizati estis*: At illi dixerunt: *In Ioannis baptismate.* In illo ergo non exprimebatur Spiritus S. qui in Christi baptismate necessario exprimi ibidem supponitur. Hanc porrò formam Pastores inculcent sæpe, & doceant plebem, ob casus frequentes necessitatis, in qua possunt & debēt Laici baptisare: sed propter ignorantiā formæ perit æternum infans non baptisatus, vel inepte & invalide ab-

2. diff. ex parte formæ.

Act. 19.

Palud. Marsil. Ales, Cajet. An baptismus Ioannis certā formam habuerit.

S. Aug.

Matt. 28.

Act. 19.

Vide Cand. Myst. Tract. 3. sect. 3. in fine.

norante

norante debitam formam baptisatus.

1 ex parte effectus.

Non enim remittebat peccata.

Basil. l. 1. de Bapt.

S. Hier.

Tertio Si de effectu agamus, baptismus Ioannis non dabat remissionem peccatorum, nec infundebat gratiam sanctificantem ex opere operato, sive ex vi sua: ideo dicitur tantum fuisse baptismus in aqua, non vero baptismus in Spiritu Sancto. *Quantum discrimen est inter Spiritum & aquam, tantundem videlicet est inter eam qui baptizat in Spiritu Sancto, & eum qui baptizat in aqua Si Ioannes, ut etiam ipse confessus est, non baptizavit in Spiritu. consequenter nec peccata dimisit, quia nulli hominum sine Spiritu Sancto peccata dimittuntur.* Sed dices: quid ergo faciebat baptismus Ioannis, & ad quem finem erat institutus? Respondeo: ad hoc institutus fuit, ut Christi manifestationi deserviret, ut viam ad Christi baptismam pararet: *Ut manifestetur in Israel, propterea ego veni in aqua baptizans.* Baptismo ergo suo assuefaciebat homines ad baptismum Christi; *Ioannes baptizavit, ut praecessionis suæ ordinem servans, qui nasciturum Dominum nascendo præverterat, baptizando quod baptizaturum Dominum præveniret.* Vlterius Ioannis baptismus serviebat ad excitandos homines ad pœnitentiam, ut sic digne præpararet eos ad baptismum Christi suscipiendum. Hinc vocatur *Baptismus Pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, non quod vi sua remitteret peccata, sed quia excitabat ad pœnitentiam, per quam, si perfecta sit, omni tempore remissio peccatorum impetratur: & ita ex opere operantis, sive ex dispositione accedentis ad baptismum Ioannis, poterat ibi dari remissio peccatorum, & gratiæ infusio: si scilicet perfecte contritus quis accederet, ad quam contritionem Ioannes voce sua & baptismi excitabat. Quapropter baptismus Ioannis eminebat super lavacra Iudæorum, quia illa solum ad defectus aliquos legales, & immunditias tollendas, erant instituta, istud vero lavacrum Ioannis, ad pœnitentiam excitabat; & Christi baptismum disponebat.

Quid profuerit baptismus S. Ioannis.

Ioan. 1.

S. Greg. hom. 7. in Evang.

Matth. 3.

Attende interim eminentiam baptismi Christiani. Ille non est solum in aqua, sed & in Spiritu S. ex vi suæ institutionis efficaciter remittes peccata, & gratiam S. Spiritus infundens, quæ non solu instar aquæ abluit animam, sed etiam instar ignis illuminat, accendit & expurgat. Ideo dicit Ioannes *Ego vos baptizo in aqua, ille baptizabit vos in Spiritu Sancto & igne* Hoc ipsum est quod dicit Dominus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Sicut generatio carnis ex duobus fit principiis, ex Patre scilicet & Matre: ita generatio spiritualis duo habet quodam modo principia, *Aquam* fungentem officio Matris, & *Spiritum S.* qui Patris vices gerit Per generationem carnis nascimur filii Adæ & filii iræ per regenerationem & nativitatem spiritualem nascimur filii gratiæ & hæredes gloriæ, virtute Spiritus S. in aqua operante. Sic tres hic reperiuntur, qui testimonium dant in terra, quod simus filii Dei, *Spiritus, aqua & sanguis*: Spiritus novum esse divinum tribuens quo renascimur: Aqua velut semen spirituale & incorruptibile existens, ex qua renascimur: Sanguis Christi per aquam applicatus, quo abluimur & renovamur. Hæc omnia propria sunt baptismo Christi. Nam dicit S. Augustinus: *Non renascebatur qui baptismate Ioannis baptizabantur, sed quodam præcursorio illius ministerio, qui dicebat: Parate viam Domino, huic uni in quo solo renasci posterant parabantur.* Neque solum superat baptismus noster baptismum Ioannis ob infusionem gratiæ, qui est primarius ejus effectus; sed etiam ob effectum secundarium, qui est impressio characteris. Nullum enim characterem Ioannis baptisma animo imprimebat, at de suscipientibus baptismum Christi dicit Apostolus: *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ* Loquitur de baptismo, in quo accipimus Spiritum promissionis, hoc est, spiritum olim per Prophetas promissum, & credentes signamur à Spiritu S. non solum per gratiam sanctificationis, sed etiam per signum indelebilis characteris, quo agnoscimur tamquam de populo Dei de populo acquisitionis, de gente sancta, sicque ab infidelibus distinguimur.

Eminentia bapt. Christiani.

Ibid.

Ioan. 3.

1 Ioan. 5.

Aug. Ench. 49

Eph. 2.

Quarto, si de necessitate suscipiendi baptismi agamus, non invenietur præceptum de suscipiendo Ioannis baptismate, quamvis tunc temporis consilii cujusdam fuerit: *Pharisæi & Legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos non baptizati ab eo.* Fuit ergo baptismus ejus non sub præcepto, sed sub consilio. At verò baptismus Christi necessarius est non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii ita ut sine illo vel ejus voto nemo possit salutem adipisci: atque solum ejus voce supplet vel in parvulis baptismus sanguinis, vel in adultis baptismus flaminis, si reipsa aquæ baptismus non possit suscipi. Propterea etiam post institutum & præceptum Christi baptismum, illi qui baptismo Ioannis erant baptizati, obligati fuere ad suscipiendum baptismum Domini. Quod patet ex Act. c. 19. ubi baptizati baptismo Ioannis, jubentur iterum baptizari baptismo Christi. *Qui recipiunt baptismum Christi, baptismum Ioannis non quærunt: qui receperunt baptismum Ioannis, baptismum Christi quæserunt.* Ac verisimile est aliquos ex Apostolis à Ioanne baptizatos cum aliqui ex eis ejus fuerint discipuli, inter quos S. Andreas: & tamen omnes postmodum fuerunt baptizati baptismo Christi. *Consummatur per sponsum, quod initiatur per paranymphum* Ioannis baptismus via erat ad Christi baptismum; nemo in via sistit, sed progreditur ad terminum ideo à Ioannis baptismate properabant ad Christi lavacrum. Imo ipse S. Ioannes qui Christum baptizarat, à Christo gratiæ & spiritus baptismate fuit baptizatus. Quod colligit Chrys. ex eo quod Christus Ioanni dicenti: *Ego debeo à te baptizari*, respondit: *Sine modo.* Quasi insinuet CHRISTUS his à se prolatis verbis, quod postmodum baptizaturus sit Ioannem; sed

4 exparte præcepti.

Baptismi Ioannis non erat sub præcepto,

Augustin. Tract. 5. in Ioan.

S. Hier.

quod modò ex humilitate ejus velit priùs susciperе baptismum. Idem sentire videtur Nazian. orat. 39. & alii Patres, quorum plerique dicunt à Christo Joannem fuisse baptisatum in spiritu, quod intelligi potest de baptismo vero qui spiritum dabat, & non solùm de baptismo spirituali.

te susceptientium S. Tho. 3. p. q 38. ar. 4.

Baptismus Ioannis dabatur adultis tantùm. Chrysol. serm. 157. non puerio.

Quinto, si de ministris baptismi à Christo instituti, & de ministris baptismi Joannis agatur, multa est differentia. Nam Joannes solum per se baptisavit, Christus verò per se & per discipulos suos baptisavit; & usque in finem sæculi per eorum successores baptisabit. Imò in necessitate per quemlibet, baptisat, etiã laicum, etiam fœminam, etiam infidelem & hæreticum. Quod quidem Joannes per se solum & non per discipulos suos baptisaret, Colligitur quoque id ex illis verbis: *Qui misit me baptisare, ille mihi dixit; Super quem videris columbam descendentem, hic est qui baptisat in Spiritu S.* Ergo soli Joanni datum est præceptum baptisandi, nec legitur eum habuisse potestatem communicandi aliis hoc munus. Erat enim hoc ipsum munus Præcursoris; atque ita sicut per alios non poterat exercere munus Præcursoris, sic nec munus baptisandi. Colligitur etiam ex Joan. 3. & 4. In priori loco dicitur, quod *Ioannes baptisabat juxta Salim, quia aqua multæ erant ibi, & veniebant & baptisabantur; nondum enim Ioannes missus erat in carcerem.* Ex quo colligitur, quod per se, & non per discipulos baptisabat, ita ut baptismus ejus cessarit, postquam missus fuit in carcerem; quia per se tunc non poterat baptisare, per alios autem munus istud non exercebat. *Iesus venit in Iudæam, & demorabatur ibi, & baptisabat. Vt cognovit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quod Iesus plures discipulos facit & baptisat, quam Ioannes (quamquam Iesus non baptisaret, sed discipuli ejus) reliquit Iudæam & abiit in Galilæam.* Ex quibus verbis constat, quod per discipulos baptisabat, sed videtur quod non per seipsum: attamen verba illa (*quamquam Iesus non baptisaret*) sic intelligenda sunt, quod non quoslibet se offerentes per se baptisaret, alioqui aliquos baptisatos fuisse ab eo, non est negandum.

5 Ex parte ministri: Ioannes per se solum baptizabat.

S. Cyrill. lib. 2. in Ioan. c. 57 Ioan. 1.

An Iesus ipse neminem aliquem baptisaverit,

Probabile est Petrũ & B. Virginem à Christo baptizatos.

Quocirca Evodius asserit Christum propriis manibus Petrum baptisasse; deinde à Petro baptisatos fuisse cum Andrea Jacobum & Joannem filios Zebedæi; ab illis verò reliquos Apostolos: ac denique à Petro & Joanne septuaginta discipulos baptismum suscepisse. Idem de S. Petro à Christo baptisato testatur S. Clemens, addens Petrum baptisasse Andream & Joannem, & ab illis reliquos baptisatos esse. Pium & probabile etiam est, quod asserit Euthymius, Christum ante Apostolos baptisasse Deiparam. Et hæc quidem omnia peracta esse ante Passionem, ex eo suadetur, quod non sit verisimile Christum non baptisatis dedisse Eucharistiam, aut non baptisatos ordinasse Sacerdotes.

6. Ex parte

Sexto; si de suscipientibus baptismum agatur, multiplex est differentia in baptismo Joannis, & baptismo Christi. Nam in primis, baptismus Joannis non fuit datus infantibus, eo quod non sint capaces pœnitentiæ; baptismus autem ille dicitur baptismus pœnitentiæ. Ad hoc institutus erat, ut per illum homines excitarentur & disponerentur ad pœnitentiam: ad hunc effectum proderat, nec aliter ad gratiam præparabat, nisi per propriam dispositionem pœnitentiæ: *Per baptismum Ioannis homo purificabatur ad pœnitentiam, non promovebatur ad gratiam.* In infantibus igitur sine fructu fuisset, cum nec originale peccatum tolleret, nec gratiam aliquam in eis parere posset. Quapropter illi qui accedebant, solebant confiteri peccata sua. *Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis Regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.* Et illa confessio non solùm erat in genere, agnoscendo se peccatorem, sed etiam in specie: nam aliud est confiteri se peccatorem, aliud confiteri peccata sua. Quod etiã in specie factum opinantur S. Basilius, Tertullian. Chrysost. & alii Patres. Hæc igitur omnia solùm adultos concernere poterant, non verò infantes. At baptismus Christi cum per se prosit, & non solùm ex dispositione accedentis ad illum, cumque ad originale peccatum tollendum ordinatus sit, maximè concernit infantes, quia sine baptismo salutis sunt incapaces. Pro illis Christus parvulus natus est, pro illis est etiam crucifixus. Ipse venit pro illis per aquam & sanguinem. Sanguis proficit eis ad pretium; aqua proficit ad lavacrum. Sicque eorum fit regeneratio, sanguine per aquam applicato, & spiritum adoptionis hoc modo recipiunt, ut sint capaces æternæ hæreditatis. Nec refert, quod nec fidem habeant, nec propriam voluntatem aut intentionem: omnia enim ista habent, tum in Patrinis, qui pro ipsis respondent, tum in Ecclesia Matre sua, etiamsi nullus adesset Patrinus. Hæc enim pia mater eis suam quodammodo communicat fidem & voluntatem, os & cor materninum eis commodat, ut sacris mysteriis imbuãtur, quia necdum possunt eo de proprio credere ad justitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Et quandoquidem sine propria voluntate, per voluntatem Patris sui Adæ & Matris Evæ culpæ sunt obnoxii; congruit ut per voluntatem Patris sui Christi, & Matris suæ Ecclesiæ, quæ est Mater omnium viventium, ab illa valeant liberari. Congruum est, ut quandoquidem gratis sunt venundati, sine proprio demerito, gratis eximantur à captivitate, sine proprio merito. Non tamen gratis, si pretium sanguinis attendatur, quod pro eis pependit frater eorum Christus, si attendatur & ejus proprium meritum, quod eis communicavit.

Matt. 3.

Baptismus Ioannis non dabatur nisi Iudæis.

Ulterius, baptismus Joannis non dabatur nisi Judæis, Gentiles autem & incircumcisi ad eum non admittebantur. Quia scilicet Gentibus conferre viam salutis soli Christo reservabatur, qui erat expectatio gentium, ut dicit. S. Thomas loco

cit.

cit. Nam & Joannes non erat missus à Deo, nisi *ad dandam scientiam salutis plebi ejus*, hoc est Judæis, ideò solis etiam illis baptismum debebat nunciare, vel conferre. At baptismus Christi non arctatur Judæa regione, nec per paucum temporis durat sicut baptismus Joannis, sed in universum orbem se profundit, omnesque gentes ad ablutionem & sanctificationem vocat. In figura hujus rei Vas illud æneum magnum, quod mare dicebatur æneum, præ foribus templi erat constitutum, & duodecim boves sustinebant illud; è quibus tres respiciebant Orientem, tres Meridiem, tres Occidentem, tres Aquilonem. Fontes, scilicet sacros baptismatis vas illud designabat, quia & hi ad limen templi ponuntur, & Baptismus ostium est Ecclesiæ, & Sacramentorum. Boves autem, duodecim Apostolos designant, qui fortiter in area Domini laborarunt, & Baptismi Sacramentum diversis Regionibus gentium invexerunt, ita ut brevi in quatuor orbis partes pertigerit. Unde Ecclesia in benedictione fontium canit: *Quigratia tua affluentu impetu lætificas civitatem Dei, fontemque baptismatis toto orbe aperis gentibus innovandu.*

Ex his igitur omnibus manifesta est multiplex excellentia baptismi nostri, sive materiam & formam spectes, sive effectum & necessitatem, sive ministros & suscipientes, sive sacras cœremonias ejus, sive tempus quo in finem usque sæculi perdurabit. Per illum Christo consecramur, conformamur, & Christiani effecti, cum ipso ungimur, regalis sacerdotij ejus consortes, quæ omnia maximam in nobis pariunt obligationem, eximiamq; gratitudinem exigunt à nobis.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

LECT. Iobipartita. *Anno imperij Cæsaris quintodecimo, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.* Luc. 3.

PARS I. *De tempore & principibus sub quibus Ioannes prædicare cœpit. Cur tem, pus Prædicationis S. Ioannis specialiter exprimitur.*

IS qui tempora omnia suo moderatur arbitrio, quique in illis cuncta disponit secundum ordinem æternæ suæ Providentiæ & Sapientiæ, non est existimandus sine speciali ratione tempus illius elegisse, quo Præconem suum, & vocem suam, publicè prodire voluit per prædicationem pœnitentiæ, & baptismatum, è vestigio & ipse venturus, ad docendum, baptizandum, miracula operandū. Ideo tempus illud in speciali exprimit S. Lucas Evangelista, dicens id factum fuisse *Anno Tiberij Imp. decimoquinto, procurante Pontio Pilato Iudæam Tetrarcha autem Galilæa Herode, sub Principibus Anna & Caipha, &c.*

B. I. Gen. 49. *Primo* igitur indicat S. Lucas tempus illud jam adfuisse per prophetiam Jacob indicatum, quò debebat agnosci Messias, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.* Jam erat sceptrum ablatum, jam non erant amplius Reges, aut Duces populi de Judæis; sed Imperator infidelis Rex erat, & per alienigenas Tetrarchas hic memoratos, hoc est per suos Vice-Reges sceptrum & regnum illud administrabat. Tetrarcham enim vocant eum, qui præest quartæ parti regni tamquam Princeps, sine titulo Regis. Sic diviserat Cæsar regnum Judææ in varias ditiones, ut frangeret Judaicam potentiam varijs Principibus sub se ibi dominantibus. Hic porrò advertere licet, quantæ sint obnoxij instabilitati & mutationi Reges & regna, quomodo varientur & transeant Principatus & sceptra, quomodo de gente in gentem transferantur propter peccata. Huc spectare potest, quod Sapientia dicitur esse *ludens, in orbe terrarum.* Nempe Ludus Dei in orbe terrarum non est absimilis ludo pilæ, quæ ab uno in alium transfertur, secundum quandam revolutionem. An non hic est ludus similis, quando sceptra & diademata, tiaræ & dignitates, ab uno ad alterum transeunt, & huc illuc jactantur? Sic ludit in humanis divina potentia rebus, & ludendo varios illudit, quia instar ludi, parum durat eorum potentia & fœlicitas. *Ludibrium Dei est homo.* dicebat Zeno Imperator, imperio dejectus. Propterea etiam cuidam nimium sibi de potentia & gloria arroganti dicitur: *Coronam coronabit te tribulatione Dominus, & quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam; ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ.* Quasi diceretur, Ero corona & thiara, cingeris undique tribulatione & ignominia. Quasi pila, aut globus, aut trochus revolutionem patieris, in exilium mitteris, inquietus & vagus, ac instabilis eris: Sic eris ludus & ludibrium. Quod quidem etiam in totam gentem Judaicam quadrat, quæ olim corona regia & sacerdotali ornata & florentissima, postmodum Dei justa vindicta, tribulatione & ignominia coronata est, sceptro regio ei adempto, sub tyrannide infidelium Imperatorum gemere coacta. Et nunc etiam instar pilæ & globi volubilis de regno in regnum excussa, miseram trahit servitutem omnium ludibrio exposita, in exilio agens ignominiosè. Ubi est sacrificium? Ubi sacerdotium? Ubi dignitas pontificalis Judæorum? Ubi templum? Ubi sceptrum & regnum? Omnes hæ prærogativæ à Deo olim illis concessæ, transierunt, & si quid residuum illis est, nonnisi fæces sunt & reliquiæ. Inter alienigenas sunt deportati & vagi; hic est currus gloriæ gentis hujus. Considerantes itaque Judæam olim fœlicem & florentem sub suis Regibus & Ducibus, postmodum infœliciter gementem sub extraneis, sub Cæsare infideli, & sub tot Principibus oppressam, meminerimus idem nunc accidere Provincijs & Regnis quibusdam Catholicis ob peccata & scelera. Videmus & meritò lugere debemus, Germaniam tot turbulentis bellorum motibus concuti, ut tanquam pila è manu pij & fidelis Imperatoris tandem excutiatur, sicque ab hæreticorum manus Imperium & Orbis quem manu tenet Cæsar revolvi possit. Sed cruce signatus est,

Reges & regna mutantur.

Prov 8.

Isaiæ 22.

Patet in regno Iudaico.

Idem videre est in Germania.

est, insolium manus eum sustinere nequeunt, quæ crucis signum horrent; horum & ipse manus fugit & horret. Similiter & in Belgio, quot impetus, ut Provinciæ Catholicæ è manu Regis Catholici excutiantur, instar pilæ ad alios transferendæ? *Belgio*

Eccli.10. Eheu! Hic verum agnoscimus illud: *Regnum de gente in gentem transfertur, propter injustitias, & injurias & diversos dolos.* Interim hi qui victricia sua arma ob fœlicem progressum superbè nimis extollunt, vicissitudinem & revolutionem rerum humanarum in hoc Dei ludo attendant. Audiant Philonem Judæum lib. *Deus est immutabilis*, hac de re eleganter sic differentem: *Ante Macedonum imperium inclyta fuerat Persarum felicitas, sed una dies tam ingentis regni finem attulit. Fuit Ægyptiorum magnifica potentia, sed nubes in modum pertransiit. Quid Æthiopes? quid Carthago? quid Africa? quid Europa? Asiave? & ut compendio dicam: Quid totus orbis habitabilis? Nonne mora navis levis, & jactata marinis fluctibus, nunc adversis ventis, nunc secundis utitur? Nam verbum divinum choreas in Orbe ducit, & omnes gentes circumlustrando, nunc hinc, nunc illuc imperia vel tribuit vel adimit. Nihil igitur est in humanis rebus præter umbram, eamque levissimam, sine mora prætervolantem; eunt enim ultro citroque tanquam æstuaria.* Ubi cum dicit quod verbum divinum choreas in Orbe ducit, videtur alludere ad illud: *Ludens in orbe terrarum.*

v. 2. *Secundo* S. Lucas exprimit specialiter quo tempore & anno, sub quibus Regibus & Principibus, sub quibus Pontificibus Deus voluerit Joannem prodire ad prædicationem pœnitentiæ; ut significet quàm ordinatè Deus omnia disponat, & quam benigne provideat in necessarijs. Nempe sub talibus Rectoribus impijs, Rectoribus, inquam, tã rerum spiritualium, quam temporalium flagitiosis, non poterant non regnare impietates & flagitia

Eccli.10. in omni ordine & gradu: *Secundum judicem populi, sic & ministri ejus; qualis Rector Civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Quis Tiberius Cæsar? Idolorum & dæmonum cultor; & si Historicis de eo scribentibus credimus, Suetonio & Tacito, vir fuit crudelis & immitis. Quis vero Pilatus? Judex venditans sententias, exercens rapinas, & crebras cædes indemnatorum, & crudelitate sævissima clades inferens & injurias, ut testatur Philo. Hic in exilium

Philo de legatione ad Cajum, postea missus ob flagitia, apud Viennam Galliæ manu propria se transverberans, malorum compendium mortis celeritate quæsivit. Quis Herodes? Homo adulter, incæstuosus, injustus qui fratris sui Philippi uxorem detinebat impiè. Quis Annas? Quis Caiphas? Reipublicæ hi quidem Moderatores in spiritualibus, sed contra omne fas Sacerdotij summi dignitatem emerant pecunia & muneribus, & contra sancita divinæ legis alternis annis Sacerdotij summi munus administrabant, ut multi existimant, vel conculcatis omnibus legibus, simul Sacerdotio fungebantur ut alij volunt. O tempora! O mores! Certè ab his non poterat non derivari iniquitas in plebem, proculcatâ omni lege divinâ & humanâ. O Judæa! O terrarum Orbis, *Principes tui infideles, socius furum!* Et verum est de te: *Omne caput languidum, omne cor mœrens, à planta pedis usque ad verticem non est in te sanitas.* Quid cor in corpore politico, nisi Sacerdotium & Sacerdotes, à quo sicut à corde omnis vigor in populo? Quid caput, nisi Principatus & Principes, quandoquidem sicut in capite vigere debent omnes sensus, ita & in illis sapientia & gubernatio providat? Si ergo cor & caput languidum, quomodo in cæteris membris potest esse sanitas? Si in primoribus corruptio, quomodo non est in plebeijs? Tempus itaque erat, *ut vulnus & livor, & plaga tumens circumligaretur, & curaretur medicamine, aut foveretur oleo.* En Joannes mittitur ad hunc finem, ut Medicum annuncier, ac digito ostendat, & medicamen oleumque pœnitentiæ & gratiæ circumferat. *pietatis tempore missus est Joannes* *Isaiæ 1.* *Ibid.*

Itaque, tempus impietatis regnantis ab Evangelista designatur per Principes & Sacerdotes impios tunc regnantes, sub quibus absque dubio plenus erat mundus cæcitate, sub diabolo & ministris ejus captivus, & sub peccato venundatus. Pij autem sub hoc jugo ingemiscebant, & verba antiqui Regis sui suspirijs intercisa in cœlum tollebant: *Tu exurgens, Domine, misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.* Utique tempus faciendi, Domine, dissipaverunt legem tuam, & ad extremum redacta sunt omnia, ac nemo præter te rebus potest succurrere desperatis. Non-nanes fuere hi gemitus exulceratis illis temporibus deprompti, & ad eum directi, qui adjutor est in opportunitatibus, in tribulatione. Itaque Deo specialiter disponente, & oppressorum angustias misericorditer respiciente: *Factum est verbum Domini super Joannem in deserto*, hoc est, *Luc.3.* jussus est prodire, qui antea vitam absconditam in eremo duxerat: jussus est & Christum in carne mortali absconditum, absconditatque vitam hactenus ducentem præire, & publicare, ut Salvatorem & Deum. Ut de illo, de quo dixerat olim Propheta: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator*, jam posset dici: Vere tu es Deus manifestus, Deus Israel Salvator. *Vt manifestetur in Israel propterea veni*, dicit ipse S. Joannes. Sic numquam deest in necessarijs benignus Deus. In lege veteri cum Regum iniquitas ita excrevisset, mittit Prophetas diversis temporibus diversos, qui Regum & Principum flagitia coarguerent, & veritatem annuciarent. At cum jam ad extremum venisset mundus, Joannem Prophetarum maximum misit, ac per te dignatus est mox cum subsequi. Sic licet cœlo jam sit receptus, non deerit Ecclesiæ futuris temporibus usque in finem sæculi. Pro diversa scilicet morum corruptione, & pro Ecclesiæ suæ vario statu varios non desinet mittere Præcones, spiritus sui participes, qui officium Prophetarum agant vice eiq; Joannis, ad obsistendum Regib⁹ impijs *Psal.101.* *Deus in necessitatibus tribulationis benigne subvenit* *Isaiæ 45.* *Ioann. 1.* *Ecclesiæ suæ non deerit.* *probatur exemplis.*

pijs, ad arguendum vitia, ad obviandum erroribus & hæresibus, ad præparandam ei viam in hominum animus. Tempore persecutionum post Apostolos misit inclytos Martyres, qui verbo & exemplo prærirent cæteris fidelibus & obsisterent infidelibus, sanguine etiam ipsam fidem obsignando; *& factum est verbum & spiritus Domini super nos*; ita ut nemo posset obsistere Sapientiæ & Spiritui qui loquebatur. Tempore hæreseos suscitavit sapientissimos Doctores, qui illi obviarent, & vacillantes fide, doctrina & vita confirmarent. Postea inundantibus vitijs, *Factum est verbum Domini* super Franciscum & Dominicum, super Bernardum, Brunonem, Norbertum, & similes Religiosorum Ordinum Institutores, ut per se & suos inundanti iniquitati in Clero & populo retinaculum & aggerem objicerent, pietatis professione, verborum acrimonia, vitæ austeritate. Nostro deinde sæculo, Ignatium, Xaverium, Carolum Borromæum, Philippum Nerium, ac alios emisit veritatis Præcones pietatis Instructores, Christianæ disciplinæ Reformatores; *& factum est verbum & manus Domini super eos* in ostensione sapientiæ & virtutis, ac in prodigijs multis. Denique usque in finem sæculi aliquos divina Sapientia providebit, donec & ipse Eliam & Enoch iterum mittat in mundum amictos saccis, ut hic Judæis, ille Gentibus annuncient pœnitentiam.

Ioannes prædicare cœpit anno ætatis suæ Trigesimo

Tertio, Evangelista specialiter exprimit tempus prædicationis Joannis, ut insinuet non ante justam ætatem, Joannem & Christum in publicum prodisse ad docendum, quia jam trigesimum annum ætatis attigerant. Nati enim sunt sub Augusto Cæsare, anno imperij ejus 42. imperavit autem annis 57. sicque sub Augusto fuerunt annis quindecim, & sub Tiberio successore annis etiam quindecim, moxque anno ejus decimo-quinto prædicationem inchoarunt, ætatis ergo suæ trigesimo. Eandem ætatem attigisse Ezechiel dicitur, dum mirabiles illas visiones excepit, & vaticinari cœpit. Joseph quoq; dum stetit coram Pharaone, compleverat annum ætatis trigesimum. Hæc ergo ætas est idonea publico muneri, & maximè muneri Prædicationis verbi Dei. An non poterat Joannes, an non & Christus anno vigesimo publicè munus Doctoris & Prædicatoris exercere? Utique poterat uterque divina plenus gratia, divino plenus spiritu. Noluit verò, ut exemplum præberet, non ambiendum esse munus prædicationis Evangelicæ, nec ullis faciè committendum, nisi jam in perfecta ætate. At non pauci illud quærunt immaturè, & non paucis immaturè committitur in præjudicium verbi Dei & fructus ejus. His possumus insinuare illud. *Noli ante lucem jurgare, jurgare postquam sederitis.* Sedere prius oportet, & cum sacris libris in silentio conversari, antequam quis fiat *Operarius inconfusibilis rectè tractans verbum veritatis*, ut loquitur Apostolus. Opus est ad id spiritu, opus est & luce. Multi mittuntur, etiam ex Ordinibus Religiosis, qui nec ad id habent lucem, nec spiritum, nec vocationem; & ideo exiguum fructum faciunt, & verbum Dei inutiliter & incomposite tractantes, risui quandoque exponunt & contemptui. Utinam pauciores essent Concionatores & Conciones, sed efficaciores & ferventiores, à luce & spiritu prodeuntes, auditorum animos illustrantes & corda commoventes; at fere fit, ut sint modo declamationes, & soni aërem verberantes, Joannes diu sedit in solitudine divinis vacans, scipsum prius docens quam alios, lucem exspectans & verbum Domini jubentis antequam surgeret, manducans panem doloris & pœnitentiæ, antequam illum alijs proponeret & divideret.

Noua bone.

Prædicationis munus ætate maturis dandum.

Ezech. 1.

Gen. 41.

Psal. 120.

2. Tim. 2.

Hoc imitentur verbi Dei Præcones. Et qui hoc onus ambiunt, audiant S. Greg. in Past. q. 3. cap. 20. *Admonendi sunt quos ab officio prædicationis imperfectio ætatis prohibet. & tamen præcipitatio impellit nouet. quod pulli avium si ante pennarum perfectionem volare appetunt, unde ire in alta cupiunt, inde in ima merguntur: quadque structuris recentibus necdum solidatis, si lignorum pondus superponitur, non habitaculum, sed ruina fabricatur: quodque concepta proles ante tempus nata, non domos seu tumulos replent.* Idem hom. 1. in Ezech. ad hanc rem moraliter explicat illud: *Non arabis in primogenito bovis.* Primogenitum bovis accipimus, inquit in infirma ætate primi nostri temporis operationem bonam; in qua tamen arandum non est, quia cum prima adhuc sunt juventutis nostræ tempora, nobis adhuc à prædicatione cessandum est, ut vomer linguæ nostræ proscindere non audeat terram alieni cordis. Quousque enim infirmi sumus, continere nos intra nos ipsos debemus, ne dum tenera bona citius ostendimus, amittamus. Hæc ille. Continit ergo se Joannes intra se, in solitudine agens in operibus pœnitentiæ, ut se ab omnibus custodiret peccatis, & ut alios postmodum ut se custodirent, doceret suo tempore.

Inuenib.

Deut. 15

Quapropter non insulsè respondit quondam S. Franciscus cuidam suo Religioso. Quærebat ille à Viro sancto: *Cur Ioannes sanctificatus in utero in desertum ivit, & tam austeram vitam duxit?* Respondit Franciscus. *Dic tu, cur caro recens, esto sit optima, salitur.* Cui ille: *Ut conservetur & non corrumpatur.* Subjungit Franciscus: *ita ergo pariter Baptista sale pœnitentiæ salivit corpus, ut illud sanctum purumque à peccato conservaret.* Exinde postmodum sale pœnitentiæ ad se populum accedentem asperfit, contra putorem peccati. Nam & de illis ipse erat, de quibus Dominus: *Vos estis sal terræ.*

Matth. 5.

PARS II.

Cur locus prædicationis S. Ioannis nominetur. Iordanis Baptismi figura

LOcus etiam ubi Joannes prædicationem & baptismum inchoavit, specialiter fuit à Deo ordinatus, multis antea mysterijs fœcundus, magno in honore habitus. Fuit nempe circa Jordanem fluvium, qui in Scripturis sacris est ob mysteria nominatissimus, septemq; privilegijs adornatus est, figuram gerens nostri baptismatis.

Primum

1. *Primum* est, quod terram sanctam dividit ab aliis gentibus idololatris, à Moabitis, Arabibus & aliis. Hoc nimirum proprium est baptismi, quod fideles ab infidelibus discernat; estque introitus terræ sanctæ, hoc est Ecclesiæ à Christo sanctificatæ.

2. *Secundum* est, quod per illum transierint filij Israël ex Ægypto in terram promissam tendentes, ejusque aquæ divisæ sunt, & steterunt fluenta, Arca ibi quiescente, donec omnes transissent. *Ios.3.4.5.* Atque ibidem in memoriam miraculi sustulit Josue duodecim grandes lapides, & transtulit in campum; atque ex campo duodecim alios transportavit in priorum locum. Per Baptismum scilicet debent omnes transire, & salvi evadere, ex Ægypto tenebrosa peccati, & captivitate diaboli egredientes. Duodecim autem illi lapides ex campo translati in locum duodecim aliorum, designat duodecim Apostolos, qui duodecim Patriarchis successerunt, & nobis baptismum annunciarunt & dederunt.

3. *Tertium* est, quod Elias & Elisæus per illum siccis pedibus transierunt, cum raptus est Elias in *4.Reg.2.* cœlum. Nempe & in cœlum vehimur nos, sed transeuntes prius per baptismum: ibi quidem abluimur, sed etiam siccantur pedes affectuum nostrorum ab omni impuro humore peccati.

4. *Quartum* est, quod Naaman Syrus ibi septies lotus, à lepra est mundatus. *4.Reg.5.* Sic & in baptismo lepra peccatorum dimittitur, & septiformis Spiritus per lotionem animæ nobis datur.

5. *Quintum* est, quod ibi ferrum securis ad mandatum Elisæi supernatavit. *4.Reg.6.* Tunc præcidit lignum, & illuc misit, ubi ferrum ceciderat. Et hoc quoque indicat, graves instar ferri peccatores in aquis baptismi supernatare, & ad littus optatum venire; idq; per virtutem ligni Crucis, quod vim divinam impertit aquis.

6. *Sextum* est, quod ibidem Jesus Christus baptizari voluit, tactu mundissimæ suæ carnis, vim aquis tribuens ad sanctificandas animas in nostro baptismo.

7. *Septimum* est, quod ibi S. Joannes Baptista vi- *Matth.3.* dit cœlum apertum, & audivit vocem Patris, viditque Spiritum Sanctum in specie Columbæ. Quod idipsum indicabat per baptismum aperiri nobis cælum, & in illo professionem fore totius Trinitatis, à qua habet baptismus vim suam & originem.

Iob 40. Propter hæc omnia, nomine Jordanis in Scriptura indicatur Baptismus, tanquam in suo typo. Ideo de diabolo dicitur: *Habet fiduciam quod Iordanus influet in os ejus*, hoc est, tanto odij & invidiæ zelo fertur in Baptismum & Christianos baptizatos, quod aveat & sperat omnes se posse absorbere & perdere. Itaque non sine mysterio propter omnia jam dicta, Joannes suum instituens baptismum & prædicationem, baptismi nostri & prædicationis Evangelicæ initium quoddam & rudimentum, incipit in Jordane; & regionem ac desertum Jordani adjacens peragrat, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Debebat nimirum (quod etiam expresserunt Evangelistæ) adimplere Scripturam de se pronunciatam: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, &c.* Sed singula hujus sententiæ verba emphasim & pondus habent, ideo specialiter explicanda sunt in sequentibus. *Isaiæ 40.*

EADEM DOMINICA.

LECT. II.

De Voce clamantis in deserto.

PRimò, ponderandum est illud, *Vox clamantis*, Est enim sensus duplex: nempe vel quod Joannes sit vox clamans, sicut *Vas electionis*, id est, vas electum, *Terra promissionis*, id est, terra promissa, *Filius perditionis*, id est, filius perditus: vel etiam simpliciter intelligi potest, quod Joannes sit vox Dei clamantis. In illo enim Deus & Spiritus divinus clamabat. Quantum ad primum, Joannes erat vox clamans, vox alta & sublimis, vox undique penetrans & ad corda usque pertingens; vox non exilis & in angulo musitans, sed in publico personans, magna contentione, magno spiritu, magna constantia, & audacia, contra vitia, Principum, Militum, Pharisæorum, Vox non palpans aut blandiens, sed clamans & terrens, comminans & arguens. Sed in particulari videndum est, quid inclamaret vox illa adeo sublimis: hoc enim scire etiam omnes nos concernit. Nam licet dicatur clamasse. *Parate viam Domini*, hoc tamen multa complectitur. *Quomodo Joannes vox clamantis.*

1 Inclamat omnibus idem quod digito demonstraturus venerat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Christum scilicet jam adesse qui salvaturus esset Israel, ipsumque mox se manifestaturum, ideoque digne recipiendum. Unde de ipso dicitur: *Ioannes testimonium perhibet de ipso & clamat,* Si igitur adimplebat præceptum illud Domini: *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Ierusalem, exalta, noli timere: Dic civitatibus Iuda, ecce Deus vester; ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur.* Ascendebat Joannes in sublimem locum, quia electus erat primus Præco ad evangelisandum Sion: exaltabat in fortitudine vocem suam, quia primus erat qui evangelizare debebat Jerusalem adventisse jam Salvatorem suum, Deum suum, Regem suum. Unde civitatibus Judæ in desertum ad se concurrentibus intrepide clamabat: *Ecce Deus vester;* & hoc ipso suo clamore indicabat Evangelij prædicationem mox toto orbe audiendam, & per novos Præcones in fines terræ propagandam, de quo & David prædixerat: *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* Ioannes *virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma-* *Inclamat Christi præsentiam. Ioan.1.* *Isaiæ 40.* *Psal. 18. Laus S. Ioannis.*

nor-

forma justitiæ, virginitatis speculum, Pœnitentiæ via, fidei disciplina. Ioannes maior homine, par Angelis, legis summa, Evangelii sanctio Apostolorum vox, silentium Prophetarum, Præco Iudicis, Præcursor Christi, Metator Domini, Dei testis, totius medius Trinitatis. Voce itaque sonorâ Joannes præcurrit Christum, perærecurrit Evangelium præcurrit vocem Apostolorum, & silentium iudicit legi & Prophetis: *Lex & Prophetæ usque ad Ioannem.*

Luc. 16. Matt. 11.

Vox clamantis pœnitentiam.

2. Inclamabat omnibus pœnitentiam ad vitæ emendationem. Hæc enim vox eius fuit inter primas *Pœnitentiam agite, &c.* à qua & Christus auspicatus est. Hoc scilicet modo sibi mutuò corresponderunt Vox & Verbum, Præco & Judex, Signifer & Rex. Hæc erat unica via, qua susciendus erat Rex & Salvator. Hæc erant sola arma, quibus Regnum æternum erat devincendum. *Qualis Magister militum qualis Signifer Regis, qualis prima Legionis Primicerius, pilis vestitus, zona pellicia cinctus inclamans: Arma arripite, Pœnitentiam agite?* Neque solum ore hoc inclamabat, sed quia totus ipse erat Vox, quicquid in ipso cernebatur, idem insonabat. Etenim locus deserti spelunca in qua cubabat, vestitus austerus, victus, conversatio, vita, quid aliud quam pœnitentiam resonabant? Simul verò cum pœnitentia inclamabat appropinquare Regnum Cœlorum, per illam aperiendum; Christo jam illud reserante, sed mediante hac clave. Antea Regnum Cœlorum nunquam erat nominatum, nunquam in Scriptura erat auditum, aut promissum, clausum erat, jam appropinquabat ejus reseratio, scala ad ascendendum in illud jam erigebatur. passio scilicet Christi, cujus meritum & virtus per pœnitentiam nobis applicatur. Regnum cœlorum in antiquo Testimento multum multipliciterque distabat; quia distabat tempore? notitia, effectu. accessu, Quare distabat tempore? Quia Messias necdum venerat, qui spirituale gratiæ regnum debebat primò secum adducere, & postmodum regnum æternum gloriæ dare; utrumque ergo ipso adveniente appropinquabat, quod ante distabat. Quare distabat notitia? Quia olim quasi ignotum erat, nec de illo fit mentio aut promissio, vel in Prophetis, vel in Psalmis; ideoque distabat & affectu quia vulgo á Judæis non desiderabatur. Quare distabat accessu? Quia nemo quamlibet Sanctus, quamlibet notitiam & desiderium regni habens, in illud poterat ascendere. Clamabat ergo Joannes, jam viam ad illud esse stratam, jam scalam erectam, jam clavem præparatam, si per pœnitentiam peccatorum, & vitæ emendationem Messias reciperetur, is nimirum qui habet claves regni, qui aperit, & nemo claudit.

Rupertus de Operib. Trinit. in Evang. c. 12.

Regnum Cælorum ad venire inclamat.

Multipliciter regnum cœlorum olim distabat.

3. Joannes vox erat clamantis, quia omnibus manunciabat Novissima, idque voce terrifica Annunciabat mortem judicium, infernum peccantibus, ut fugerent a ventura ira. Audi ejus vocem inclamantem: *jam securis ad radicem arborum posita est: en mors imminens peccatoribus. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur*: en justum Dei judicium: *& in ignem mittetur*; æterna ignis pœna subsequens. Nimirum sciebat Joannes, nihil ita efficaciter hominis superbiam, avaram cupiditatem, luxuriam, aliaque vitia destruere, ac horum Novissimorum profundam considerationem; nihilque ita potenter ad meliorem nos vitam exstimulare, dicente etiam Sapiente: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Hæc ergo potenti voce resonabat, & inculcabat, Christum denuncians venturum non solum ut Redemptorem, sed etiam ut Judicem; *Cuius*, inquit, *ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* Quænam ejus est area, nisi Ecclesia? Illa bonos habet & malos permixtos, sicut area paleas & triticum; sed veniet cum ventilabro Christus, cum potestate judicandi, & disterminabit paleas à frumento, impios à bonis, hoc cœlesti horreo, illos igni æterno addicet. Et vide quam congrue circa Jordanem de judicio sermo ejus est: *Iordanis* enim idem est ac *fluvius judicii*, sive defluxus judicii: & amœnus quidem fluvius erat, sed in mare mortuum defluebat. An non hic typus egregius vitæ nostræ: Quid est vita nostra, nisi Jordanis, nisi fluvius quidam amœnus, divitiis, voluptatibus, honoribus lætus? Verùm cum omnibus his mox trâsit & effluit læta velocitas, velox lætitia, & in mare mortuum descendit, in mortis abyssum. Transeunt fluctus, manet luctus. Transeunt rapido cursu aquæ hujus sæculi, quæ ad tempus videntur suaves, & in amarum mare finiunt; ideoque nemo eas nimium debet amare. Quid iterum vita nostra, nisi Jordanis, nisi fluvius & defluxus judicii, quandoquidem vita hæc perpetuè labitur etiam invita? Anni annos protrudunt, & horæ horas, & undæ undas; sed ad judicium Dei currit severè examinanda, & quæ per partes elapsa est, omnino tota simul Judici, est sistenda. Hanc ergo de judicio agendi occasionem, Joannes clamans circa Iordanem ex ejusdem significatione poterat depromere. Hanc quoque non debent negligere qui Ioannis officium obeunt apud plebem prædicatores verbi Dei, Voces Domini. Ipsorum enim munus est frequenter intuitu hujus judicii divini pœnitentiam prædicare; ac plebis est lubenter humiliterque hac de re differentes audire. Nec dicant, vel Concionatores vel Auditores, trivialem nimium esse hanc materiam, & ideo magnis Cathedris inidoneam, & magnis Concionatoribus parum aptam. Si enim indignum non fuit Prophetis maximis frequenter de hoc judicio sermonem repetere, & illud inculcare; indignum non fuit idipsum Ioanni, nec indignum ipsi Christo, an erit hoc indignum his qui Prophetarum, qui Ioannis, qui Christi vices in Ecclesia Dei obeunt? Sed hæc vanitas digna est planctu in non paucis Concionatoribus, quod potius quærant aures mulcere, sublimia docere, eloquentia plausum ciere; neglectis illis, quæ

Ecclı. 7.

Luc. 3.

Iordanis nostra vita est.

Vox clamantis novissima. Luc. 3.

Novissima frequenter prædicare.

ad peccatorum detestationem efficacia forent. Eademque vanitas in auditoribus reperitur; dum Concionatores tales quærunt, alios fastidiunt. Pruriunt eis aures ad audiendam disertam & mollem vocem blandientis; renuunt audire contra sua vitia vocem clamantis, vel judicium inculcantis.

Varii S. Ioannis imitatores.

Attamen vocem Joannis clamantis, & securim ac ventilabrum Judicii divini proponentis, imitati sunt sancti & docti illi Concionatores, qui fructum in Ecclesia Dei leguntur voce sua peperisse maximum. Audi aliquot exempla.

S. Vincent. Fererius.

S. Vincentius Fererius spiritu Joannis imbutus circumiens urbes, villas, pagos locaque deserta, ubique prædicabat: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum; Timete Dominum, quia venit hora judicij eius.* Atque cum hæc voce transivit per Hispaniam, Galliam, Angliam, Belgium, Italiam, judicii divini & pœnitentiæ præco adeo efficax, ut quocunque pedem intulisset, mox sequerentur generales totius vitæ confessiones, & communis morum reformatio. Cessabant perjuria alcæ blasphemiæque; tantaque omnium contritio & religio, ac modestia, ut prisca Apostolorum ætas rediisse videretur. Dicitur ipse convertisse Judæorum viginti quinque, Saracenorum octo, Christianorum perditæ vitæ supra centum millia. Quadraginta auditorum milia eum quandoque secuta asseruntur. Unde Vincentius Justinianus in vita S. Vincentii Fererii p. 1. c. 19. asserit mortuum quendam publice à B. Vincentio fuisse vitæ redditum, ut eo miraculo confirmaret se esse illum Angelum qui visus est Joanni volans per medium cœlum, & clamans: *Timete Dominum, quia venit hora judicii eius.* Fuit ergo ipse Anglus instar Joannis, parans viam ante faciem Domini.

Quot ab eo conversi

Apoc. 15.

S Petrus Martyr.

S. Petrus Martyr, eodem impulsus spiritu, eminens in Ecclesia Dei Concionator, judicium Dei continuò in suis concionibus proponebat, & hæc verba pro Themate concionis jugiter pronunciabat: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur*; quibus verbis olim Jonas populũ commoverat. Illis verò verbis innumerabilem multitudinem ad se confluentem tantopere incendebat ut omnes passim pœnitentiam etiam publicam agerent. Ipse erat Vox clamantis, & ad Civitates sceleribꝰ refertas toto spiritu inclamabat Dei securim imminentem, excidium & ruinam. Dicebat enim: Tu, ô Mediolanum, ô Cremona, ô Parma, ô Florentia, quid aliud es, quam altera Ninive, iram Dei attrahens scelebribus tuis? Vide igitur ut illico ad Deũ te convertas, & pœnitentiam agas, aut mox flagellum Dei, & ruinam tuam experieris. Hæc in fortitudine vocis & spiritus amplificabat efficacissimè per civitates singulas, prædicans regnum Dei.

Iona. 3.

S. Anton. de Padua.

S. Antonius de Padua in Quadragesima de eodem Dei judicio & pœnitentia concionatus, ita commovit ad luctum & compunctionem Patavinos cives, ut turmatim per plateas incederent publicè se verberantes & cædentes, cum hac repetita voce clamorosa: *Misericordia, Misericordia, Misericordia.* Atque inde cæpit, publicus disciplinæ, in Hebdomada Sancta usus. Conversionem verò morum, & vitæ mutationem miram in millibus hominum induxit. Hinc lingua ipsius manet incorrupta, quam triginta duobus annis post obitum, S. Bonaventura in manus accipiens, & exosculans, cum lacrymis dicebat: *O benedicta lingua, quæ semper laudasti Deum, & alios laudare docuisti jam patet quàm sis meriti & pretij apud Deum, qui te ad tam sublime officium efformavit!* Quidam magnæ doctrinæ & pietatis Concionator nostro sæculo Paduæ eandem linguam visitans & exosculans, ita immutatus est spiritu & lingua, ut postmodum Rhetorũ morem in concionando exuens, Apostolicũ induens, maximum fructum tota Lusitania protulerit; cujus memoriam tamquam Apostolici viri etiam hodie veneratur Lusitania.

Lingua eius hodie dum incorrupta.

Id de Ignatio Martinez Soc. Iesu refertur.

Si igitur dixit Propheta: *O quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantiũ bona!* Nos quoque addere possumus: O speciosi pedes, ô speciosa lingua, ô speciosa vox Joannis & sequacium ejus, qui ut evangelisent pacem, & bona æterna, inclamant prius bellum asperum peccatoribus cum morte, cum judicio Dei, cum igne æterno, ut fugiant à ventura ira, & pacem cum Deo ineant!

Rom. 10.

4. Joannes vox clamantis, quia nulli parcens, fortiter & intrepidè inclamat in omnes cuiuslibet conditionis, quamlibet sublimis, quamlibet honoratæ. Non parcit Regi, inclamans constanter & frequenter: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Non parcit militibus inclamans: *Nemini calumniam feceritis, neminem concutiatis, contenti estote stipendiis vestris.* Non parcit Pharisæis, qui ob doctrinã & pietatem eminentiorem in populo honorabantur, sed inclamans compellat eos asperè, & voce: *Generatio viperarum*, (hoc est, venenatorũ parentũ venenatos filios, peccati veneno infectos) qui se gloriabantur esse Semen Abrahæ. Arguitque eos graviter, & dicit: *Nolite cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Oftendit his verbis parum esse filios esse Abrahæ secundũ carnem, si non sint secundũ pietatem. Atque illis demonstratis lapides duodecim (qui è Jordane extracti fuerant tempore Josue, in signum miraculi quod populus transiens ut siccis pedibus) asserebat potentem esse Deũ de istis lapidibus filios suscitare Abrahamo; simul etiam innuens cordibus duris Gentilium, qui non absimiles erant istis lapidibus posse filios Abrahamo proferre, qui benedictionẽ obtineant præ filiis Abrahæ secundum carnẽ. Hoc etiam conceptit quosdam Christianos, qui se Patrem habere Christum eundemque Redemptorem gloriantur, interim eius opera non imitantur, sed in eius solis meritis confidunt nihil cooperantes. Unde auctor operis imperfecti in Matth. sic dicit: *Sicut Iudæi putabant se propter hoc salvandos, quia erant filij Abrahæ; sic & multi Christiani insipientes,*

Ioannes vox clamantis quia omnibus clamat. Marc. 6. Luc. 3.

Rupertus

per

per hoc putant se salvandos, quod Christiani sint. Ad quos dicimus cum Joanne; Nolite dicere, quia sumus filii Abrahæ, sumus Christiani; facite fructus dignos pœnitentiæ, hos requirit Christus, qui gratiam vobis ad id contulerit, & merita sua vestris

1. Pet. 2. adjungi voluit: *Qui passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Itaque is, qui Vox clamantis à Propheta nominatur, fortiter clamabat contra vitia domus Israel, quæ populum Dei se nominans & semen Abrahæ, derelinquebat Deum suum, & genus suum deturbabat. Cui & conveniebat illud: *Væ genti peccatrici, semini nequam, populo gravi iniquitate. ab*

Isai. 1. *alienati sunt retrorsum.* Quapropter divinum illud præceptum Joannes adimplebat: *Clama ne*

Isai. 58. *cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, annuncia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Ad hunc nimirum finem verbum Domini factum erat super eum.

Vox clamantis omnem virtutem. 5. Joannes clamans docebat & adhortabatur ad omnem virtutem; venerat enim parare Domino plebem perfectam, quæ perfectio in virturum decore consistit. Docet itaque voce efficaci humilitatem, publicè affirmans se indignum esse Christi solvere vel portare calceamenta. Docet veram fidem, dicens palam illum esse Agnum Dei qui tollit peccata mundi. Docet spem, omnes excitans ad bonū, spe appropinquantis regni cœlorum. Docet timorem, omnes à malis retrahens timore excisionis &

Luc. 3. ignis. Docet justitiam monens graviter Publicanos: *Nihil amplius quam quod constitutum est vobis faciatis.* Docebat ibidem charitatem & eleemosynam: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, similiter & escas.* Docebat etiam contemptum sæculi, castitatem, religionem, & alias virtutes; quia licet expressè de his non fiat mentio in Evangelio,

Ibid. tamen id satis ex S. Luca colligitur, qui gesta & prædicationem Joannis concludens, ait: *Multa quidem & alia exhortans, evangelizabat populo.* Ideo etiam Christus de illo dicit: *Erat lucerna ardens & lucens.* Vultis scire, inquit Bernardus, serm. de S. Joann. quomodo arsit & luxit? *Ego in ea triplicem reperio ardorem & splendorem. Ardens erat in ipso austeritate conversationis, erga Christum pleno & intimo fervore devotionis, erga peccantes constantia liberæ increpationis. Dixit exemplo, digito, verbo, opere seipsum, Christum indice, nos ipsos nobis sermone declarans.*

Vox clamantis cum fructu. Sed nunquid Joannes sine fructu hæc inclamabat, ita ut solum esset cymbalū tinniens aut æs sonans, & inaniter aerem verberans? Absit. Turbæ enim ad pœnitentiam commotæ dicebant: *Quid faciemus? Multi q; baptizabantur ab eo confitentes peccata sua.* Neque mirum, quia Joannes non erat solum Vox clamans, ut diximus, sed erat Vox clamatis; Vox scilicet Dei erat ipse. Clamabat Deus in ipso, ideoque hæc vox non poterat esse inefficax. Erat vox Verbi Divini, ab ipso procedens, & tamen ipsum præcedens, ipsum manifestans; sicut vox nostra à verbo mentis nostræ procedit, & illud præcedit in mente audientis, ut ipsum ei manifestet. Itaque cum S. Basilio quæ in Psalmo 28. de voce Domini magnificè multisque elogiis prædicantur, S. Joanni, qui Vox erat Domini, aptissimè convenire asserimus. Licet enim literaliter de tonitruo intelligantur quia illud est vox quædam Dei super aquas pluviales, quæ in nubibus pendent, personans cedros confringens, desertum concutiens, flammas ignis è nubibus quasi intercisas emittens, cervos ad currendum excitans. Tamen in sensu spirituali omnia hæc Joanni competunt, qui tonitru quoddā divinum fuit, & vox tertifica Domini. Vis breviter particularius id intelligere? Audi quæ ibi dicuntur de voce Domini. In primis dicitur: *Vox Domini super aquas.* An non Joannes super aquas Jordanis insonat? An non tali sesonat efficacia, ut multi eum audientes (qui erant instar aquarum per varios vitiorum anfractus & circuitus delinentes ad abyssos) quasi quo dam miraculo, ut olim Jordanis aquæ conversi sunt retrorsum, ad Deum suum, ad vitæ fontem per pœnitentiæ tramitem refluentes? Deinde dicitur: *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* An non Joannes vox est magnæ virtutis & fortitudinis? An non vox cum magnificentia, quæ adeo magnifica tulit testimonia de Christo, magnificaque ejus mysteria annunciavit? Ulterius dicitur: *Vox Domini confringentis Cedros, & concutientis desertum.* An Joannis vox inanis fuit: Nonne superbas mentes instar Cedrorum elatas per pœnitentiæ prædicationem confregit & humiliavit? Nonne etiam multorum dura & spinosa corda; instar petrarum & veprium deserti; concussit & commovit contritione valida? Denique dicitur: *Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini præparantis cervos.* An non Joannis vox comminationes ignis æterni quasi intercisas flammas emittens instar fulguris, multos excitavit jacentes & torpidos, & ad capessendam virtutis viam instar cervorum celeres fecit? Nonne ad meliorem vitam eis currendi vim indidit? Quod si etiam tonitru cervas difficulter parientes ad partum reddit faciles; nonne & hoc præstitit vox Joannis, dum his qui difficulter pariebant spiritum salutis, auxilio fuit, tremorem eis judicii divini incutiens? Sic singula ei aptissimè congruunt, & amplificari possunt.

Ecce igitur quomodo Joannes verè Vox, verè Vox clamans, verè vox Domini clamantis; & qui fuerat Vox in utero, ad laudes divinas excitans Matrem Elisabeth, Vox quoque mox ab utero? excitans Patrem ad Canticum toties in Ecclesia repetitum, modo perhibetur esse vox in deserto, postmodum Vox erit in Herodis Palatio, Vox in vinculis & ergastulo, Vox clamans moriendo, Vox adhuc clamans post mortem in finem usque sæculi, vita & exemplo, verbo & sanguine suo. Mortuus est Joannes, equidem mortuus est, *sed voci suæ tonitru, adhuc nostrorum concutit deserta peccatorum.* S. Ambr. serm. 9.

Joannes vox clamans in vita. Luc. 1.

Vivit adhuc in Ecclesia vox eius adhuc hodie resonat illud in auribus nostris: ***Parate viam Domini, Pœnitentiam agite, jam securu ad radicem posita est.*** Adhuc hodie personat vox sanguinis ejus contra luxuriosos, contra incestos, contra adulteros, quia pro castitatis defensione effusus est. Adhuc hodie eos condemnat deserti oris sui voce, & fusi sanguinis clamore. Sed in deserto specialiter vox hæc clamans describitur: quia illuc vita & voce sua advocabit totius Iudææ incolas, pœnitentiam suscepturos, & futuram iræ evasuros. Unde desertum illud desertum Cades nominatur: *Vox Domini concutientis desertum, & commovebit Dominus desertum Cades*, id est, desertū sanctitatis; quia Ioannes desertum illud sanctificabat, concione, baptismo, vita: & illuc concurrentes commovebantur tanto tremore, ut ab impia vita ad sanctioris vitæ propositum transirent, & sic eorum pœnitentia desertum quodammodo sanctificabatur. Illud quoque desertum postmodum mire erat sanctificandum, frequenti concursu sanctorum virorum, qui exemplū Ioannis sectati, debebant illud incolere, & tamquam Turtures solitudinis, & Aquilæ contemplationis, nidum ibi suum collocare. Maximus enim illic fuit numerus Eremitarum & Monachorum, vestigia Christi & Ioannis ibidem honorantium.

Ioannes vox clamans in deserto. *Psal. 28.*

In Prato spirituali c. 1. refert Sophronius, Monachum quendam, qui montem Sinai petebat, in parvam quandam speluncam divertisse, ægritudine cogente; & hæc non procul erat à Iordane. Ibi ergo apparens ei S. Ioannes, sic eum est collocutus: *Ego sum Ioannes Baptista, & ideo tibi jubeo, ut nusquam recedas. Nam spelunca ista brevi te major est monte Sinai, quam sæpius Dominus Iesus, cùm me visitaret, ingressus est. Pollicere ergo mihi, quod hic habitabis, & ego mox ibi sanitatem restituam.* Spopondit Monachus, & mox sanus effectus, ibi perseveravit toto vitæ suæ tempore, & ex spelunca Ecclesiam fecit, congregavitque ibidem Fratres, appellaturq; locus ille Sapsas. Hæc ibi. Constat ex sacris historiis circa illud desertum Iordanis multa fuisse Monasteria; nam ibi erat Monasterium S. Gerasimi Abbatis, ut pater ex eodem Prato spirituali, c. 107. Item S. Sozimi qui circa illud desertum perambulans, invenit S. Mariam Ægyptiacam, & illam jam morti vicinam sacra Communione refecit, ab eaque didicit vitam quam in eo deserto duxerat. Ieaque de illo deserto verum fuit illud: *exultabit solitudo, & florebit quasi lilium: In cubilibus in quibus habitabant dracones, oriotur viror calami & junci, & erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur.* Via scilicet ibi erat, de qua Ioannes clamabat: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus in solitudine. *Isaiæ 35.*

Mystice desertum, in quo Vox clamantis personabat ad omnis generis peccatores ibidem concurrentes, hoc sæculū designat, in quo belluæ sunt omnis generis, peccatores varios designantes, qui invitantur deponere belluinam naturam, voce Domini per suos Prædicatores pœnitentiam inclamantis. *Secundus desertum mysti-*

1. Ibi sunt multi serpentes & viperæ, homines invidi & maligni, virus malignitatis, odii, invidiæ, detractionis, calumniæ, linguâ venenatâ in alios spargentes. Ibi multa genimina viperarum, mali filii malorum patrum, eorum malitiam imitantes. His inclamatur, ut in aquis pœnitentiæ omne virus deponatur, nec faciunt. *In eo varia belluæ id est peccatores.*

2. Ibi Corvus & Ericius, homines impœnitentes, qui instar corvi semper clamant *Cras, cras*, & instar Ericii spinis peccatorum conscientiam mordentibus toti sunt cooperti; sed differentes parturiunt semper spiritū salutis, nec pariunt, imo procrastinantes tandem in partu crepant. His inclamatur: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*, sed semper errant corde. *Isaiæ 34.* *Psal. 94.*

3. Ibi congregati sunt milui alter ad alterum, homines injusti & rapaces, alienis inhiantes, & prædam quærentes, quales nonnulli inter negotiatores, multi inter Magnatum Officiarios, inter Procuratores & Advocatos simul prædam depilantes, hoc est pauperem litigantem. Et his inclamatur voce Ioannis: *Non aliud quam quod vobis constitutum est, exigatis*; sed surdi sunt. *Isaiæ 34.* *Luc. 3.*

4. Ibi Sirenes in delubris voluptatis, homines luxuriosi, nil nisi carnem & voluptatem respirantes, gaudent ad sonitum lyræ & tympani, ducunt in bonis dies suos, saltant & cantillant, alter alterum allicit ad peccatum, & sese mutuo ad symposia invitant. His inclamatur vox judicii, vox amaritudinis futuræ, sed in strepitu voluptatum surdi facti, non audiunt. *Isaiæ 13.*

5. Ibi cubilia Leonum & Pardorum. Hi sunt homines superbi & feri, variisque peccatorum maculis inspersi, in quibus gloriantur, diligentes vanitatem, & varietatem sæculi exteriorem; interius etiam in animo variegati, fallaces, deceptores; & his quoque incassum sonat vox pœnitentiæ: *Si potest mutare Æthiops varietates suas*, sic & illi. *Cant. 4.* *Item. 13.*

6. Ibi pascua struthionum. Hi sunt parentes nullam filiorum curam gerentes. *Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto*, ait Ieremias struthio ova in terra parit, & quasi non sua negligit, ferarum vel hominum pedibus exposita, & obdurātur ad pullos suos. Ita aliqui parentes proles negligunt, & quantum ad animum, & quantum ad corpus. Alii e contra instar Pellicani dilacerant se, & corpore & animo, ut foveant proles. Hi per excessum peccant, illi per neglectum, & utrique surdi admonitiones pereunt, nec pœnitent. *Isaiæ 34.* *Thren. 4.* *Iob. 39.*

EADEM DOMINICA.

LECT. 6.

De triplici via præparanda.

POenitentiæ nostræ tres sunt Partes, Contritio, Confessio, Satisfactio. Hæ tres partes habent *Pœnitentiæ tres partes.*

ſe inſtar viæ triplicis, quam monemur ſacro hoc tempore Domino dirigere, & præparare. Hæc nimirum eſt via, qua Dominus venit ad nos, qua & nos ad illum imus. Hæc tripartita eſt via, qua fugimus ab ira ventura, qua & illa à nobis procul recedit. Hæc eſt via, qua appropinquat Regnum DEI in nos, ſive qua nos Regno DEI appropinquare cenſemur. Hæc eſt via triplex, qua in illius gratiam redimus, qui tenet ſecurim & ventilabrum in manu ſua, ut ait Baptiſta. Hæc eſt via trium dierum, quam in ſolitudine cum Iſraelitis ambulamus, ut Deo noſtro dignè ſacrificare valeamus. Itaque dicendum hic nobis, quomodo tripartita iſta via ſit dirigenda & præparanda Domino; & quia ea de re ſuè tractavimus in Candelabro Myſtico, Tract. 5. breviter ſolùm hic quæ ad propoſitum noſtrum ſpectant, attingemus, illuc Lectorem remittentes.

Luc. 3.

Exod. 5.

Propoſitio.

1. *Agemus de via Contritionis.* 2. *De via Confeſſionis.* 3. *De via Satisfactionis.*

PARS I. *De via contritionis.*

Contritio requirit peccati diſpliſentiam,

QUantum ad viam Contritionis, ut recta ſit, & certò ad Dominum nos dirigat, illiq; ue nos reconciliet, debet habere aliquot conditiones. *Primò* enim requiritur, ut procedat ex ſincero cordis affectu, & ex dolore propter Deum offenſum. Hæc diſplicentia cor conterit ejusque duritiem tollit, ita ut cordis via, quæ antea petroſa erat per peccatum, jam mollis reddatur, in qua Dominus ſua figere poſſit veſtigia. Numquam certè quis conteritur perfectè, ſuum deteſtans peccatum, ob bonitatem divinam offenſam quin mox Deus ad animam veniat, prout promiſit per Prophetam: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Convertatur impius à via ſua & vivat. Convertimini à viis veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſraël?* Qui igitur in peccatis aguat, per vias peſſimas abeunt, & aberrantes, longè à Deo recedunt, præcipitioque & morti approximant. Ideoque monet, invitat, rogat Dominus, ut relicta via prava, via peſſima, per viam rectam & æquam revertantur, ut vitam inveniant & ſalutem. Unde iterum dicit, exprobratque eis, & dixit: *Non eſt æqua via Domini. Audite ergo domus Iſraël. Nunquid via mea non eſt æqua, & non magis viæ veſtræ pravæ ſunt? Idcirco unumquemque juxta vias ſuas judicabo. Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. revertimini, & vivite.* Nemo poteſt unquam ad Deum redire, niſi per hanc contritionis viam. Per illam reverſa eſt Magdalena lachrymis pedes Domini irrigans, lachrymis mollem in corde ſuo viam illi præparans, ut reverteretur ad ſe, & vitam redderet. Hac via Publicanus juſtificatus præ Phariſæo deſcendit in domum ſuam. Hanc viam Petrus poſt peccatum ingreſſus eſt, dum relicto peſſimo conſortio, *egreſſus foras, flevit amarè.* Hanc viam latro invenit in cruce ſanguine Chriſti præparatam, per quam mox pervenit ad regnum. Ad hanc viam invitat nos continuò Dominus, invitat nos Joannes: *Parate viam Domini*, invitat Eccleſia Mater noſtra, invitant omnes pœnitentes qui nos præceſſerunt, invitant Angeli & manum porrigunt, ut per eum ambulemus, & ad eorum conſortium pertingamus. Per hanc viam mox ubi ingreſſus eſt David, dicens: *Peccavi Domino*, è veſtigio audivit à Nathan: *Tranſtulit quoque Dominus peccatum tuum.* Eandem contritionis viam ingredi videbatur Saul poſt inobedientiam, dicens Samueli, ſicut & David ad Nathan: *Peccavi Domino.* Verumtamen non audivit illud: *Tranſtulit Dominus peccatum tuum*; quia non erat cor ejus perfectum cum Domino, nec perfectè dolebat ob ejus bonitatem offenſam, ſicut David; ſed ad hanc vocem exprimendam reſpectu potius humano movebatur, quam divino; unde ſubdit: *Veruntamen honora me coram ſenioribus.* Non itaque præparavit viam rectam Domino, nec gratiæ ejus, cum nuda potius verba, quam perfectus animi dolor illam vocem expreſſerint: nec compenſavit magnitudinem criminis, levis & extrinſeca ſolùm humiliatio ſupplicantis.

Via contritionis omnibus aſſ neceſſaria,

Ezech. 33.

Ezech. 18

2. Reg. 12.

1. Reg. 15.

Luc. 15.

Secundò, ut ſit contritionis via recta, debet præparari non ſolùm per dolorem offenſæ, ſed etiam per ſpem veniæ. Si ſit enim dolor cum diffidentia aut deſperatione, non eſt via recta, ſed vallis eſt cum præcipitio & abyſſo, ex qua quis non emergit. Sic non rectum viam iniit Cain, neque Judas, dicendo: *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Omnis vallis diffidentiæ poſt peccatum, debet impleri confidentiâ in meritis Chriſti, & firmâ in eum ſpe; quia & ſanguis ejus & miſericordia omne peccatum efficaciâ ſuâ ſuperat infinitè. Neque tamen etiam præſumptio debet ſe dolori conjungere, quia nec illa viam rectam facit, quin potius collem erigit Domino diſplicentem. Omnis ergo mons & collis præſumptionis humilietur, omnis vallis deſperationis & diffidentiæ impleatur, inter ſpem & timorem tamquam viam rectam ad nos venit Dominus, nosque ad illum per hanc eâdem viam ſecurè pertingimus. Unde prodigus in ſe reverſus dicit: *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Qua ſpe ibis? *Illâ quâ Pater eſt; ſi ego quod filius eſt, perdidi, ille quod Patris eſt, non amiſit, intus eſt in pectore paternus affectus, iterum per veniam me genitus ero.* Ecce ſpes, nec tamen adeſt præſumptio, immò timor & humilitas ſpei conſociantur. Unde ſubdit: *Dicam illi: Peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me unum de mercenariis.*

2. *Contritio ſpem veniæ requirit.*

Gen. 4.

Tertiò, ut contritionis via ſit recta, debet adeſſe firmum propoſitum de cætero non peccandi, omnesque occaſiones ſunt removendæ. Alioquin ſi occaſiones remanent, manet ſemper via lubrica & impedita. Quemadmodum enim, dum via præparatur & purgatur, ſi lutum aut lapides conceruati remanent juxta illam, facilè iterum reruolvunt; & viam jam purgatam iterum commaculant. Sic

3. *Contritio requirit propoſitum non peccandi.*

pediunt; procul ergo à via omnia illa ejicienda sunt impedimenta; aut stipitibus & aggeribus firmis munienda via est, ut plana maneat & nitida. Similiter in peccatis dicendum; si occasiones procul non ejiciantur, periculum iterum manet propinquum luti & commaculationis conscientiæ; & ita sic illas eliminandas dicimus, sic firmo proposito quasi aggeribus & stipitibus animum esse muniendum, ut nulla sit reincidentia, aut reiteratio peccati. Defectu hujus propositi multi aberrant à vera via contritionis, & tandem in æternam ruunt abyssum perditionis.

PARS II. *De via confessionis quæ tria requirit.*

QUantum ad confessionem, quæ est secunda pars viæ, qua itur ad Deum, ut sit recta, aliquot etiam requirit conditiones.

1. *Primò* requiritur, ut præparetur rectæ confessionis via per diligens & serium examen conscientiæ. Unde illud, *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas ejus*, hic locum habet; quia ante confessionem in solitudinem debet ingredi peccator, & rediens ad cor debet dicere cum Propheta: *Psal.* 118. *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.* Testimonium conscientiæ per examen serium interius diligenter exquisitum, testimonium est Domini contra nos; inveniemus illud, si cogitemus vias nostras, & stimulabit nos ad convertendos pedes nostros in viam meliorem per ve- *Ierem.* 2. ram & humilem confessionem. *Vide vias tuas in convalle, scito quid feceris*, dicebat Dominus animæ à se recedenti. Et iterum: *Scito & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum* Idem dicimus cuilibet peccatrici animæ. Vide vias tuas in convalle, vide ubi prostrata sis, ubi Deum Sponsum tuum per peccatum deseruerit; scito quia malum & amarum est illum repudiasse, & dæmoni adultero adhæsisse. Rememora igitur omnia peccata, omnes peccatorum occasiones, ut gratiam ejus possis recuperare, & per viam humilis confessionis ad eum redire. Qui aliquid alicujus momenti perdidit, recogitat quæ loca adiverit, cum quibus conversatus fuerit, ubi hæserit, ubi occasio illud perdendi fuerit, repetitque vias priores ubique lustrando. Age similiter, qui Dei gratiam gemmam pretiosissimam amisisti, recogita tempus, loca, consortia, occasiones peccati, lustra singulos conscientiæ tuæ angulos, lumine divino implorato: sic rectam & certam facies confessionis viam, per quam amissum divinæ gratiæ thesaurum recuperabis.

2. *Secundò*, cùm examen ritè factum fuerit, requiritur ut accusatio sit integra, & omne peccatum sincerè deregatur, & amoveatur. Quod si vel unum mortale peccatum in confessione dissimulatur, via hæc non ut decet, Domino præparatur. Et enim manet vel lutosa, vel petrosa, vel spinosa, vel cavernosa Peccatum luxuriæ lutum est; peccatum invidiæ & odii lapillos & scrupos pungentes continet; peccatum avaritiæ spinis plenum est, dolus & fraus cavernosa via est. Quicunque igitur lutum omne & saxum, spinas omnes & obstacula non detegit & amovet per confessionem integram, viam Domino non præparat; nec Dominus ad illum, nec ipse ad Deum pervenire potest. Latet quidam coluber in hac via, pedes involvens ambulare per eam volentis, linguam ligans confiteri patantis, & detinens in peccatis in æternam ejus perniciem. Contra hunc serpentem mitio hujus viæ viriliter depugnandum est, & caput ejus conterendum, impiam hanc suggestionem ejus de dimidianda confessione fortiter conculcando. Memoremque oportet esse moniti Sapientis: *Ne confundaris pro ani- Eccl. 4. ma tua dicere verum est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam.*

3. *Tertiò*, confessio debet esse humilis, pura, & sincera; neque enim debet quis se excusare, & alios accusare. Alioqui via hæc obliqua erit & curva, tota in circuitu, ideoque Domino displicens; ita ut hac via ejus gratiam non ineas, quin potius peccatū aggraves. Hoc exprobrabat Synagogæ Dominus: *Quid niteris bonam ostendere viam tuam, ad quæ- Ierem. 2. rendam dilectionem, quia insuper & malitias tuas docuisti vias tuas: & in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum & innocentium*: Quasi dicat: Quid multiplici verborum fuco niteris te ostendere innocentē, & ambire his gratiam meam, cùm alios etiam doceas impietatem? Docuisti alias vias tuas, quæ sunt puræ malitiæ: *Et in alis*, hoc est, in vestium tuarum oris, *inventus est sanguis pauperū*, tu eos opprimis, sanguinem eorū exsugis, & pomposæ familiæ tuæ vestes non nisi injusto lucro, vel tenuiorum oppressione sunt acquisitæ: interim illis quasi alis te extollis, & sanguis pauperum in illis inventur contra te clamans. *Et dixisti, innocēs & absque peccato ego sum: Ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris: Non peccavi. Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas?* Hæc certe non paucos concernunt, qui diteſcunt ex bonis malè acquisitis, ex bonis publicis, vel ex oppressione pauperum sub titulo officii; interim in confessione semper excusant se, cum aliquando ipse sanguis pateſcat in pompa, quam ostentant supra sortem & statum suum, quasi in alis; sicut in alis avium rapacium, quales sunt milui & accipitres, quandoque avium raptarum sanguis apparet. Quod autem humilem dicimus esse debere confessionis viam, etiam clarum est, via enim quæ in sublimi est, sæpe non tam via quam præcipitium est. Qui cum fronte & audacia se accusant. Deum sibi non conciliant, sed irritant: qui cum humilitate & erubescentia confitentur, illum placant. Sit ergo via confessionis, plana & humilis, erit que secura, Domino que præparata & directa. Hic omnis collis debet humiliari, scilicet Nobiles & Magnates, Principes & Reges, imo Sacerdotes, Episcopi, Pontifices. Hic purpura & fastus deponendus, hic diademata & sceptra, hic infulæ & thiaræ submittendæ, ut via Domino præparetur in timore & tremore.

Tertia

Pars III. *De via Satisfactionis.*

TErtia via, vel tertia pars viæ, quæ Domino debet præparari, est Satisfactio. Per hanc viam ambularunt omnes Sancti, qui ad Deum pervenerunt; & horum plerique etiam pro levibus peccatis graves satisfactiones spontaneæ peregerunt; ita ut pro uno solo veniali peccato quidam Zachæus nomine per annum integrum rigidam pœnitentiam assumpserit. *Iuuere Sanctorum virtutis exempla, & videbis quam modicum sit & penè nihil, quod nos agimus. Heu quid est vita nostra, si illis fuerit comparata! Sancti & amici Christi Domino servierunt in fame & siti, in frigore & nuditate, in vigiliis, jejuniis.* Itaque horum exempla attendens, horumque vestigiis vel à longè insistens, in hac via peccator non debet recusare levem sibi impositam satisfactionem sed illico cum humilitate & fervore eam implere. Immo debet ultra eam, quam à Sacerdote in Sacramento pœnitentiæ accipit, voluntariam aliquam assumere, ut adimpleat monitum S. Joannis inclamantis: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quid est facere fructus dignos pœnitentiæ? Hoc est, interprete S. Gregorio, tales quales postulant peccata commissa, ut divinæ satisfiat justitiæ. *Unusquisque conscientia hoc verbo convertatur, ut tanto majora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam. Non levi agendum est contritione, ut debita redimantur, quibus mors æterna debetur. Nec transitoria opus est satisfactione, pro malis, quibus paratus est ignis æternus.* Hoc itaque nimirum est viam dirigere, & semitam rectam facere, correspondentem peccato pœnitentiam agere. Per orationem, jejunium, eleemosynã apparatur & rectificatur hæc via, si hæc opera pœnalia in statu fiant gratiæ, rectaque intentione & recto corde.

In vita Patrum.

Kempis de imitat. l. 1. c. 18.

Luc. 3.

Cæsarius Arelat. hom. 29.

Modus ornandi satisfactionis vitam.

Ornatur deinde hæc via floribus sanctorum desideriorum, renovatione ferventi propositi firmi, quo peccator tedere resolvit ad meliora, & stimulatur ad vitam instituendam ab omni peccato alienam. Ornatur etiam humili gratiarum actione, & sollicita sui custodia, ad semper ambulandum cum Deo & coram Deo, gratiam illius conservando. Quicunque hanc triplicem jam dictam pœnitentiæ viam sic apparaverit, sic direxerit, omne lutũ, omnes lapides, omnes spinas, omnia obstacula, è conscientia ejiciendo, omnes impingendi occasiones effringendo, omnem tortuositatem corrigendo, omnem collem & tumorem humiliando, omnem vallem diffidentiæ & pusillanimitatis implendo; videre meerebitur salutare Dei in consolationem conscientiæ, & pace animæ cũ lumine interiori: potentque *cantare in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini*, ut loquitur Psalmista. Patebit enim ei, quam verum sit quod de Deo pronũciat Sapiens: *Via ejus via pulchra, & semita ejus pacifica.* Quia qui per pœnitentiæ vias sincere ambulat & recte, invenit latitiam in pace conscientiæ, & delectatur in pulchritudine gratiæ. Hæ sunt viæ & semitæ quas sibi demonstrari optabat Rex & Propheta post peccatum: *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus Salvator meus.* Ac alibi gratias Domino Deo agens pro sua è peccati ereptione lætus decantat: *Animam meam convertit, deduxit me super semitas justitiæ propter nomen suum.* Hæ nimirum viæ jam declaratæ semitæ sunt, quibus vera justitia interior vera gratia animam justificans acquiritur. Fœlix qui per eas in veritate potest ambulare, Domino ducente.

Psal. 24.

Psal. 22.

Via erronea pœnitentia falsa.

Prov. 14.

Prov. 21.

Interim plerique per has vias videntur ambulare, sed non cum ea quam debent sinceritate & veritate. *Est via quæ videtur homini justa, & novissima ejus ducunt ad mortem. Omnis via viri videtur sibi recta, appendit autè corda Dominus.* Quasi dicat: Omnes ferè homines per vitium philautiæ sibi placent, rationem suam vivendi approbant, sed Deus appendit corda, ipse perspectum habet & exploratum an via illa sit recta & secura; an verò ejus novissima ad mortem ducant. Quidam ferè tota vita sine contritione perfecta peccata confitentur, sine satisfactione etiam debita, quia omnia perfunctoriè & obiter agũt, magisque superficietenus & exterius, quam in veritate & interius; interim delusi sola imagine pœnitentiæ, sibi vitam æternam promittunt, nec conantur ad perfectiora. Certè hæc est via, quæ nonnullis frigidis Christianis videtur recta, sed novissima ejus ducunt ad mortem; quia tãdem in fine se inanes invenient, & sine fructu pœnitentiæ veræ. Imaginaria est pœnitentia dum levi quodam affectu compunctionis contenti sunt, & mox quasi venia impetrata securi. De talibus quidam interpretantur illud Apostoli: *Dedit illis Deus spiritum compunctionis oculos ut non videant, aures ut non audiant.* Ecce cum spiritu compunctionis cæcitatem & surditatem conjungit Apostolus, forte indicans quod levis quidam affectus compunctionis quandoque magis excæcat, dum homo culpæ gravitatem & periculum nõ considerans, securus vivit. Hæc est interpretatio D. Aelredi l. 2. speculi charitatis ubi verba Apostoli sic huc applicat. Numquid non genus hoc cõpunctionis excæcat oculos, aures obturat illorũ, qui immanissimas vitiorum sordes sine pœnitentiæ fructibus paucis leviter lachrymis purant abluendas? O quam miserabiliter falluntur, quam suæ sunt salutis proditores, qui vitiis innumerabilibus implicati, si parum quid hujus de quo loquimur, affectus experiantur, non solum sibi veniam de præteritis pollicentur, immo ad eandem securius quodammodo revertuntur.

Rom. 11.

Psal. 137

Prov. 3.

Conclusio.

TU igitur, Domine, deduc nos in via tua, ut ingrediamur eã in veritate, convertе animas nostras, ut deducamur super semitas justitiæ propter nomen tuum. Tu scis ignorantiam nostram & infirmitatem; propter ignorantiã nescimus an rectè ambulemus, an rectam viam tibi præparemus; propter infirmitatem per eam quam agnoscimus viam veram, etiam pergere timus impotentes: Da igitur;

igitur lumen contra ignorantiam, ut viam veram agnoscamus, da auxilium & manum contra infirmitatem, ut à te deducamur, dirigamur, fortificemur, & per semitas pœnitentiæ rectas pertingamus ad Regionem æternæ fœlicitatis de Regione umbræ mortis.

TRACTATUS III.

CANTICVM ZACHARIÆ SACERDOTIS.

LECTIO I.

Introductio ad Canticū Zachariæ. De Excellentia hujusce Cantici, & de Auctore ejus.

Thema. *Benedictus Dominus Deus Israel.* Luc. 1.

PRo introductione, ad pleniorem explicationem Cantici Zachariæ Sacerdotis & Prophetæ, nonnulla hic sunt notatu digna.

NOTA I.

Primò quidem, & observandum hoc Canticum tanto in honore haberi ab Ecclesia Sancta Dei (quæ per Spiritum sanctum in omnibus dirigitur) ut quotidie ab illa repetatur cum solennitate, & cum speciali reverentia ac attentione. Canitur enim celebriter à Choro assurgente, fidelibus etiam ad ejus auditum mox in pedes stantibus ac erectis, ut significent se ad illud & aures & animum erigere. Cur autem quotidiè repetatur, ratio est: quia renovat memoriam Incarnationis Filii Dei; quæ est radix & fundamentum salutis nostræ, ac Mysteriorum omnium Mysterium. Hoc certe Mysterium quotidie speciali veneratione dignum est. Et cum Canticum istud ex Evangelio sit depromptum. Evangeliique pars sit, merito ad illud promendum Sacerdotes, ad illud audiendum Christi fideles assurgunt, & sese erigit.

Canticū hoc, cur quotidie repetatur.

Et quidem matutino tempore recitatur, vel decantatur; quia in Aurora diei adventantis, sive in fine noctis veteris testamenti, à Zacharia pronunciatū est, dum novellus Infans Joannes, Lucis novæ præmuncius, Orbi exoriretur, auroram vehens, sive auream horam Divini Solis, tantopere desideratam ab his qui in caliginosa nocte jacebant.

Cur in fine laudū repetatur.

Adde, quod in fine Laudum decantetur, postquā scilicet Ecclesia ad Divinas laudes advocavit Cœlum & Elementa, Angelos & Homines, Principes & Plebejos. Sacerdotes & Laicos, omnesque creaturas. Hoc igitur Cantico omnia alia Cantica concluduntur: quia omnia antiquitus edita Cantica Mysterium Incarnationis Domini & Redemptionis nostræ concludit, tamquam finis & scopus illorum. Hinc si consideres Ordinem quo Ecclesia Laudes matutinas disposuit, reperies semper aliquod in illis Canticum antiquum quod præcedat hoc novum. nam istud concludit omnia, sive diebus festis, sive ferialibus. In diebus festivis in Laudibus semper canitur Canticum trium puerorum, *Benedicite omnia opera Domini Domino.* In ferialibus autem, loco illius, feria secunda est Canticum Isaiæ; *Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi, & conversus consolatus es me.* Feria tertia, Canticum Ezechiæ: *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.* Feria quarta, Canticum Annæ Matris Samuelis: *Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo salutari meo.* Feria quinta, Canticum Moysis: *Cantemus Domino gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare.* Feria sexta, Canticum Abacuc Prophetæ: *Domine audivi auditionem tuam & timui.* Sabbatho Canticum postremum Moysis: *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Hæc interim omnia Cantica concluduntur per illud: *Benedictus Dominus Deus Israel.* Quod quidem Canticum velut Clausula est & Fibula utrumque jungens testamentum, prophetante Zacharia Sacerdote de Christo, ac de Joanne, qui partim ad vetus, partim ad novum testamentum pertinebat, propter Christum quem præ-nunciabat, & digito demonstraturus erat. Omnia illa Priscorum Cantica tendebant & respiciebant ad incarnationis hic rememoratæ mysterium; ideo hoc Cantico concludi dicuntur.

Isa. 12. Isaiæ. 38. 1. Reg. 2. Exod. 15. Habac. 3. Deut. 32.

Cum autem tempus sacrum Adventus quatuor aut circiter hebdomadas pie instituerit Ecclesia, ad recolendum gratâ mente dictum Mysterium Incarnati Verbi, oportunè hoc Canticum, piis Auditoribus tunc explicandum est ab his qui Cathedras conscendunt, sicut & à Christianis mentibus tunc venit ruminandum: *Non satiabar illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii tui super salutem generis humani. Quantum flevi in Hymnis & Canticis tuis, suavè sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter, Voces illæ instillebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & exea æstuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & benè mihi erat cum eis.* Hoc etiam tempore cum S. Bernardo meritò confundi deberemus in tanti Mysterii consideratione, cui tantam ingratitudinē & oblivionem rependimus. *Ardorem desiderij. Patrum suspirantium in carne Domini præsentiam frequenter cogitans, confundor & compungor in memetipso; & nunc vix contineo lacrymas, ita me pudet seporis & torporis miserabilium temporum horum. Cui namque nostrum tantum ingerit gaudium gratia hujus exhibitio, quantum accenderat*

Aug. l. 9. Confess.

Bern. serm. 1.

derat desiderium veteribus sola promissio? Hæc S. Bernardus.

Nota 2. Secundò observandum, quòd hujus Cantici auctor sit Spiritus S. sed per os Zachariæ. *Zacharias* autē idem est quod *Memoriale Domini*. Nempe Canticum istud, Zachariæ Canticum meritò ex nominis ipsius interpretatione vocamus, quia *Memoriale Domini* continet. Quodnā enim compendio complectitur memoriam desideriorum & votorum quibus ardebant SS. Patres & justi antiqui, adspirantes ad Christi adventum. Memoriam quoque renovat promissionis, ac testamenti cū Patribus pacti de ejus adventu, Deo jusjurandum hac de re interponente in gratiam Abrahæ & Filiorum ejus, qui sumus nos. Denique memoriam refricat potentiæ, misericordiæ, sapientiæ & bonitatis divinæ, quæ mirè effulserunt dum hanc suam de Christo Deus adimplevit promissionem.

Hoc porrò Canticum editum fuit in domo Vocis, hoc est in domo Joannis, qui *Vox Domini* erat cælitùs designatus. In qua eadem domo editum est Canticum MARIÆ magnificantis Dominum, & exultantis in Deo salutari suo. Utrumque ideò Vocalissimum est & resonantissimum. Utrumque à Dei benedictione & Magnalium ejus prædicatione inchoatur. Utrumque quotidiè ab Ecclesia & Ecclesiæ Filiis repetitur sonorè. Utrumque sibi vocibus quibusdam & sententiis correspondet. Utrumque Spiritu Sancto impellente pronunciatur. Utrumq; in finem usque sæculi decantabitur. Utrumq; *Memoriale est Domini*, sive Incarnationis ejus, & redemptionis nostræ. Utrumque depromit *Magnum pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum in spiritu*. Utrumque mire exhilarat, pieruminatum Filios Dei. Utrumque cordis fenestras claudit tenebris, aperit luci.

1. Tim. 3.

Nota 3. Tertiò observandum, Zachariæ linguam prius fuisse vinctam & impeditam ob quandam incredulitatem, quia verbis Angeli Filium promittentis non tam citò, nec tam firmiter quam debebat, crediderat. Duravitque hoc impedimentum per novem menses, donec Filius recens natus Patris linguam dissolvit, & velut per os ejus hoc Canticum pronunciavit, sicut Christus infans per os Mariæ in eadem domo divinum alterum Canticum pronunciaverit. De hac incredulitate aut imperfecta fide Zachariæ fit mentio. *Et dicit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam, ego enim sū senex, & uxor mea processit in diebus suis*? Quasi diceret: Ede aliquod signum vel miraculum, quo tantam promissionem confirmes de prole, & quidē prole adeò perfecta, adeò sublimibus cæli donis adornanda. Tanta enim est promissio, ut nudis verbis non facilè credere queam. Hæsitat ergo & diffidit Zacharias, petitque signum, rem humano spiritu metiens, naturæ vires omnino superantem. Imitari autem debebat Abraham, qui Angelo promittenti sibi ex Sara sterili Filium Isaac, illicò credidit, & ut dicit Apostolus: *Confortatus est fide, dans gloriam Deo plenissimè, sciens quia quæcunque promisit, potens est facere*.

De hæsitatione seu diffidentia Zachariæ.

Luc. 1.

Gen. 18. Rom. 4.

Hanc tamen diffidentiam vel hæsitationem, multi putant Interpretes solum fuisse venialem. Tum quia signum petere in rebus arduis etiam solitum fuit antiquitus. Nam & Gedeon ab Angelo petit signū liberationis populi, quam promittebat Angelus; Velleris, inquam, signum in area madida sici, ac Velleris in area sicca madidi. Ezechias, quoque petit signum ab Isaia, sibi sanitatem ex parte Dei promittente. Tum quia fortè Zacharias hæsit, eò quòd non omninò certò crederet esse Angelum bonum qui sibi hæc promittebat. Tum denique quia ex animi quadam inconsideratione subita hæc processit dubitatio & diffidentia. Quicquid sit, & qualis culpa hic fuerit, propter eā punitus fuit, loquendi facultate sibi ereptā, imò & audiendi; simul enim & mutum & surdum fuisse tradunt Sancti Patres, inter quos Ambrosius sic dicit: *Incredulitas Zachariæ affatum eripuerat & auditum*. Hinc & solis nutibus cum eo loquuntur cognati, *Nam innuebant quem vellet vocari eum*. Meritò autem hæc duo passus est, quòd non audiret, & non loqueretur inquit Theophilactus: *Quia enim non obedierat, condemnatur ut sit surdus; & quia Angelo contradixerat, condemnatur ut sileat*. Et S. Augustinus de hac re sic loquitur hom. 44. inter 50. *Zacharias supplicium taciturnitatis merito infidelitatis accepit; quia non credidit, tacuit. Si enim rectè dictū est Credidi propter quod locutus sum, quia non credebat, meritò non loquebatur*. Hæc ergo sententia Angeli partim est in supplicium, partim in signum credens: *Ecce eris tacens* (Ambrosius, Theophilactus, Titus, legunt ecce eris surdus) *& non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo*. Quasi dicat: Quia vocem edidisti incredulam, voce tantisper orbaberis, donec re jam expletā tuam agnoscas tarditatem, & Dei rursus potentiam. Hoc ergo tibi sit in signum quod petisti, simulque in pænam & supplicium incredulitatis quam exhibuisti.

Diffidentia Zachariæ quale peccatum fuit, 6.

4. Reg. 20.

Luc. 1.

Sic Deus nec peccatum veniale vult inultum in Sanctis suis. Nam & diffidentiam Moysis percutientis petram punivit, sicut & Aaronis negato eis ingressu in terram promissionis. Similiter Ionæ inobedientiam à facie Domini fugientis ne mendax inveniretur, tempestate grandi ulcisci voluit. Viri ergo magni erant coram Domino, Jonas, Aaron, Moyses. *Invocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos; sed & erat ulciscens in omnes adinventiones eorum*. Sic & de Zacharia hic dicimus. Sacerdotem & Prophetam coram Domino justum & acceptissimum fuisse, quia *sine querela erat ambulans in mandatis & justificationibus Domini cum uxore sua. Elizabeth*, ide oque cælestis, illa proles eis promissa fuit à Domino; sed dum non nihil hæsitavit hic, etiam justè à Domino plectitur taciturnitate novem mensium.

Num. 20. Psal. 98.

Audi & exemplum quod habemus apud Sophro-

Exemplū

nium in Prato spirituali, cap. 1437. Quidam nomine David, in Thebaide Princeps latronum, innumera perpetrarat homicidia. Sed exinde compunctus, venit ad Monasterium, urgens Abbatem ut recipiatur in numerum Monachorum. Abbas videns quia jam senex foret, dixit ei: *Non potes hic manere, quia multos labores tolerant Fratres, multamque abstinentiam cui non es aptus, nec assuetus.* Ille verò urgebat, & asserebat se paratum ad omnia. Abbate constanter recusante, coactus est aperire quis esset, & dicit: *Scias me Davidem esse, famosum illum latronum Principem; & idcircò veni huc ut defleam peccata mea. Si autem me non suscipis, sub jurejurando protestor, ad priorem statum redeo, & assumptis sociis omnes vos interficiam, totumque evertam Monasterium.* Suscepit ergò eum Abbas, & religiosum ei tradidit habitum. Cæpit itaque in spirituali militia veteranus Tyro pugnare, & abstinentiâ, obedientiâ, humilitate cunctos antecellere, formâ virtutis & sanctitatis exemplum aliis existens. Die autem quadam sedebat in cella, & facta est vox Angeli ad eum: *David, David, remisit tibi Deus peccata tua, & eris ex nunc signa faciens.* Respondit ille: *Credere non possum, quod tanta peccata plura quàm arena maris, tam brevi tempore remiserit Deus.* Dui Angelus: *Si Sacerdoti Zachariæ non credenti, cùm Filium promisi, linguam vinxi, sic faciam & tibi. Erue ergo amodò non loquens.* Ille verò humi prostratus, dixit: *Cùm essem in sæculo nefaria scelera faciens & humanum sanguinem fundens, loquebar. Modò cùm servire volo Deo, & laudes illi offerre, tu linguam meam ligas?* Respondit Angelus: *Cùm Psallendum tibi erit loquere; alias verò penitus tace.* Plurima ergo Deus per illum miracula operatus est, recitabat Psalmos, nec aliud verbum ullum proferre poterat. Sic voluit Deus ejus diffidentiam plectere, sicut & Zachariæ, ut dixit Angelus.

Nota, 4. Quarò observandum quòd hic Zacharias Sacerdos & Propheta occisus fuerit & Martyrio affectus, quia scilicet Judæis cum zelo prædicarit adventum CHRISTI sive Messiæ, & maximè in hoc suo Cantico, dum dicit: *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis; Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Et hunc esse Zachariam de quo agit Dominus multi ex Sanctis Patribus docuerunt, quamvis non unam causam referant necis ejus. Nam S. Cyrillus Alexandrinus adversus Antropomorphitas, & Origines in Math. trac. 26. Gregorius quoque Nyssenus de Christi nativitate, ac S. Basilius hom. de humana Christi generatione, Theophilactus, Euthymius, ac ferè reliqui Græci, non solum ideo occisum dicunt quòd prædicarit Messiæ adventum, sed etiam quia B. Virginem, post partum Christi manentem Virginem, non arcuit à templi loco qui Virginibus erat designatus, erat autem locus iste inter templum & altare medius. Sic hac ratione Zacharias dici potest *Victima Virginitatis*, quia intelligens mysterium partus Mariæ pro ejus Virginitate Martyr occubuit, eam in templo collocans inter Virgines, simulque Martyr effectus est pro testimonio divinæ Incarnationis. Unde sic habet S. Cyrillus Alexandrinus. *Quando igitur audierunt Regem totius creationis ad humanam nativitatem divino consilio procedere, veriti ne in ejus Regu potestatem venirent. eum qui hæc de partu testificatus erat, interficiunt sacrificantem.* Addit S. Petrus, Alexandrinus Episcopus & Martyr in suis regulis Ecclesiasticis Can. 3. quas probavit sexta synodus. Zachariam ideo occisum, quòd Filium suum Joannem, de quo tanta fama fuerat, ab Herode ad necem quæsitum, subtraxisset, Verba ejus sunt: *Herodes & alium priùs natum infantem, cùm interfecturus quæsisset, & non invenisset, Patrem ejus Zachariam interfecit inter templum & altare.* Cui conformiter dicit S. Epiphanius l. de vita & interitu Prophetarum: *Hunc Zachariam Herodes ille Tyrannus, juxta aram domumque Dei occidit, effususque est sanguis ejus in vestibulo templi.* Quare licet S. Hieronymus hæc putet apocrypha, tamen antiquorum Patrum auctoritate patet esse innixa. Unde eadem est sententia Valentiniani Imperatoris in epist quam scripsit ad Episcopos Asiæ, quæ extat apud Theodoretum hist. l. 4. c. 7.

Matt. 23.

Sitne hic Zacharias ille, qui inter Templi & altare occisus est.

Et hanc quoque sententiam de Zacharia nostro occiso propter CHRISTUM inter templum & altare, nonnulli eruditissimi recentiores Interpretes sunt secuti. Inter hos est Cardinalis Baronius in apparatu Annalium, Dionysius Carthusianus, Franciscus Lucas in Matth. c. 23. Christophorus à Castro præfatione in Zachariam. Favetque quòd Hyppolitus Martyr. auctor gravissimus, apud Nicephorum h. ft. l. 2. cap. 3. testatur Zachariam Patrem Joannem fuisse Filium Barachiæ Sacerdotis. Ergò de illo verum est quod dicit Dominus. *Matt. 23.* *Ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram à sanguine Abel justi ad sanguinem usque Zachariæ Filii Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.* Hic enim Zacharias fuit ultimus Prophetarum, nam Joannes ejus Filius magis fuit index præsentis quam Propheta futuri. Christus igitur dum dicit à sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ, primum & ultimum justum vult indicare, omnesque simul his duobus extremis includere. Et ita de Zacharia nostro id verum est, quacumque ex causa occisus fuerit, sive propter Filium suum Christi Præcursorem subductum à nece sive propter testimonium quod de adventu Messiæ publicè dedit, & per hoc Canticum publicis tabulis consignavit. Igitur Propheta hic post Isaiam serra sectum, post Hieremiam lapidibus obrutum, post Ezechielem occisum, post Michæam gladio transfossum, post Amos vecte capiti impacto ad mortem usque vulneratum, etiam hic ultimus Prophetarum occisus est ob veritatem, & ob justi prænunciationem. Sed vox sanguinis ejus manet, & vox Cantici ipsius in finem usque non deficiet, quam dum quotidiè renova-

novamus, quodammodò & nos ejus sanguine & voce animamur ad fidem, & ad fidei confessionem, *expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei.* Tit. 2.

Finaliter dico, non mirum Judæis fuisse exosum Zachariam ob publicatum ab eo Christi adventum, cùm & de Simeone illo justo & timorato (qui Canticum quoque edidit. Christum in templo suscipiens, & gaudium annuncians omnibus qui exspectabant redemptionem Israël) idipsum legamus. Nam S. Epiphanius lib. de vita & interitu Prophetarum, S. Simeonem inter Prophetas cõnumerans, de eo dicit: *Vita functus est Simeon, ipse quidem pluribus annis obsitus, penè confectus. Nec tamen à Sacerdotibus postremum honorem consecutus, humatus est.* Cur autem id acciderit, nullam affert causam; sed ea putatur, quod palam Christi adventum annuncians, in se Sacerdotum cæterorum invidiam & odium conciarit. Verùm pro honore postremo, & pro Epitaphio æterni honoris, ei sufficit Canticum suum in extremitate vitæ editum, sepulchro ejus jure merito Tituli instar glorioſi appendendum; *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* Sicut & nostro Zachariæ quotidiè appendere censemus instar Encomii & Epitaphii glorioſi sæpè sæpius à nobis relegendi, *Benedictus Dominus Deus Israël.* Cùm *Barachias* linguâ Hebræa significet idem quod *Benedictus Domini*, meritò Zachariæ huic Filio Barachiæ, propter benedictionem Domini enecato, inscribimus, & ejus Monumento subscribimus, *Benedictus Dominus Deus Israël.* Hoc enim est Memoriale ipsius, & *Memoriale Domini*, sicut istud nomen Zacharias, interpretati sumus, quod & nos cordi nostro piè imprimere debemus, repetentes frequenter cùm Isaia ob memoriam Incarnationis ejus: *Domine, nomen tuum & Memoriale tuum in desiderio anima. Anima mea desideravit te in nocte* (super Canticum Simeonis) *sed & mane de præcordiu meu vigilabo ad te*, memor Cantici Zachariæ. Sed ad singulorum versuum explanationem piam progrediamur. Isa. 26.

LECTIO II. TRIPARTITA.

Thema. *Benedictus Dominus Deus Israël.* Luc. 1. v. 1.

PARS I. *Deus, quod Deus ab omni creatura benedicatur.*

DEum benedicere non aliud est quàm de eo dicere bene, sive eum laudare, ejus magnalia annunciare, ei gratias agere. Neque verò eget Deus nostrâ laude aut benedictione, quia nec nostra laus ei quicquam potest conferre, quandoquidem ipse sibi totum suum bonum sit; ideoque de eo canit Psaltes: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Sicut verò sibi ipse bonum suum est, & omnia sibi est, nec quicquam à creatura sua mutuat; ita sibi ipse laus est, nec eget nostro præconio vel laude. Hoc agnoscebat Sanctus Augustinus Soliloq. cap. 10. Deum sic alloquens: *Sicut fecisti me sine me, ut complacuit ante te ita laus tibi est sine me, si ut complaceat ante. Ante te Domine laus tua tu ipse es. Laus tua incomprehensibilis es. Corde non comprehenditur, ore non mensuratur, aure non percipitur: quia ista transeunt, & laus tua, Domine, manet in æternum. Hic te laudat, qui teipsum laudem tuam credit. Hic te laudat, qui seipsum noscit in laudem tuam non posse pertingere. Non nos te laudamus, sed tu te, & per te, & in te, & nobis etiam est laus in te. Laus æterna tu es, à quo omnis laus, sine quo nulla est laus. Nec valeo laudare te sine te.* Ulterius eodem cap. progrediens & declarans quomodo Deus laude nostra, aut benedictione, sive præconio non egeat, sic subjungit: *Nam quid tenebræ laudabunt lucem, aut mors vitam, aut vanitas veritatem: Tu lux, ego tenebræ; tu Vita, ego mors; tu Veritas, ego homo similis factus vanitati. Numquid fœtor laudabit odorem, aut laudabit te homo putredo, & Filius hominis vermis?* Tandem concludit, agnoscens insufficientiam tam hominis, quàm Angeli, atque omnium creaturarum simul conjunctarum, ad Dei laudem, & sic ait: *Laudet te, Domine Deus meus, incomprehensibilis potentia tua, incircumscriptibilis sapientia tua, ineffabilis bonitas tua. Laudet te supereminens clementia tua, super abundans misericordia tua, sempiterna quoque virtus & divinitas tua. Laudet te omnipotentissima fortitudo tua, summa quoque benignitas & charitas tua, per quam creasti nos Domine Deus, vita animæ meæ.* Hæc S. Augustinus.

Licet verò insufficiens sit, tam Angelus, quàm homo, atque cuncta simul creatura, ut ad Dei laudem perfectam & condignam attingat: vult tamen benedici, laudari, glorificari ab omni creatura juxta modulum suum. Hinc ab initio laudant eum & benedicunt: *Astra matutina, & jubilant in conspectu ejus Filii Dei.* Hi sunt Angeli in luce creati primo die sæculi & Primogeniti Filii ejus, qui sicut nec luce unquam carituri sunt, sic nec à laude unquam cessabunt. Sic & cælum cum suis astris suâ revolutione continuâ incessanter benedicit Deum, & enarrat gloriam ejus. Sol à quinque millibus annorum ei obedit ut servus obsequentissimus, face suâ inextinguibili diem ex ejus præcepto illuminans, ut & Luna noctem, quasi Ancilla fidelis; sicque noctes & dies quasi in choro sibi mutuò succedentes, ejus laudes annunciant, ejus magnalia prædicant. Similiter & Terra cum benedicit & laudat, producens juxta ejus ordinationem plantas, frondes, flores, fructus, arboresque omnigenas. Sic & aër ejus annunciat gloriam per sua meteora, per nivem, grandinem, ventum, æstum, glaciem, ac per passeres suavisono cantu Creatoris sui laudes decantantes. Ulterius Ignis cũ suis flammis, & fulguribus, & coruscationibus, ejus potentiam notam facit & prædicat. Denique Mare dum juxta *vult ab omnibus creaturis benedici.* Iob. 38.

esus præceptum intra limites suos se continet & ostia sua observat; dum pisces quoque producit ad ejus gloriam, nonne ipsum benedicere videtur? Certè omnes planè creaturæ, dum ejus ordinatione perseverant, & suum servant institutum, inclamare censentur: BENEDICTUS DOMINUS DEUS.

Quòd si hoc verum est, quando serviunt ei juxta cursum suum naturalem, quantò magis ejus gloriam prædicant, & benedictionem ei effundunt, quando ad effectus supernaturales & gloriosos supra naturæ suæ institutum ei subserviunt? An non quando Sol stetit tempore Josue, quando retrocessit tempore Ezechiæ, quando sese subduxit in Christi Passione, inclamare visus est, BENEDICTUS DOMINUS DEUS MEUS? An non idem censebatur Mare insonare, dum Hebræis sese dividit ut det transitum, dum instar muri stat utrumque, dum hostes divini nominis mergit in suum revertens locum? Certè non sine laude & benedictione Dei implebatur illud: *Creatura tibi factori deserviens exardescit in tormentum adversus injustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.* Sic aqua utebantur Hebræi; sanguis autem Ægyptiis facta est. Dies erat Israëlitis, & eos lumen circumfulgebat; Ægyptiis autem tenebræ hoc lumen factæ sunt. Babylonia quoque flamma ros tribus facta est pueris, qui per hanc flammam refrigerati sunt, dum eam exusti sunt Babylonii. An non in his omnibus exemplis elucescit, quomodo & aqua & lux & flamma tali transfiguratione & variatione insonarent, BENEDICTUS DOMINUS DEUS ISRAEL?

Quid aliud Columna lucis, vel nubis, Israelitas dicens, Petra percussa aquas donans, Cælum cothurnices vel manna pluens, quid, inquam, aliud fidelibus auribus resonabat quam illud: BENEDICTUS DOMINUS DEUS ISRAEL?

Inanimata igitur mutuo quodã eloquio id clamant, at homini convenit eorum mutam supplere vocem, & idipsum de die in diem de hora in horam repetere, *Benedictus Dominus Deus*; ob innumera scilicet beneficia, quæ jugiter ei fluunt de manu Dei sui. Nec gratius quicquam Deo his verbis imo corde prolatis, nec fructuosius quicquam ipsi homini: quia per hæc verba fluenta gratiæ in ipsum benedictionis Fontem refunduntur, ut iterum fluant, nec umquam desinant fluere. Propterea Prophera & Rex psallens dicebat: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Ac seipsum nosque multiplicibus excitans calcaribus repetit: *benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea, nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli obliviscì omnes retributiones ejus. Benedic anima mea Domino, in omni loco dominationis ejus.* Curita ex intimis præcordiis benedicendus? cur in omni loco? cur in omni tempore? Rationes subdit: *Quia propitiatur omnibus iniquitatibus nostris: quia sanat omnes infirmitates nostras: quia redimit de interitu vitam nostram: quia coronat nos in misericordia & miserationibus: quia replet in bonis desiderium nostrum.* En quot stimuli ad excitandum nos ut benedicamus ei?

Isa 10. 4. Reg. 20.

Sap 16.

Ps 102.

PARS III. *Quod Deus ob incarnationis beneficium, specialiter sit benedicendus.*

EQuidem propter omnia Dei beneficia, sed maximè propter incarnationis Filii Dei beneficium illud cordi & ori nostro debet esse impressum, BENEDICTUS DOMINUS DEUS. Quia illud est radix benedictionis, producens è cœlo in terram usque, & è terra in cœlum usque, ramos flores, fructus miros & odoriferos: etenim in illo agnoscitur quomodo Rorarunt cœli desuper, Domino dante benignitatem; & quomodo Terra dedit fructum suum, germinans Salvatorem. & cum illo omnem benedictionem & salutem. Atque per istud mysterium voluit Deus ex beneplacito suo, in dispensationem plenitudinis temporum, *Instaurare omnia in Christo quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso*, ut ait Apostolus. Assumendo enim naturam humanam, omnes creaturas Deus sibi specialiter copulavit & deificavit, eò quod omnes gradus creati in ipso sint collecti. Cum elementis enim habet omnes eorum qualitates, cum plantis habet vitam vegetativam, cum animalibus sensitivam, cum Angelis autem habet communem intellectum; ideoque, teste S. Gregorio, omnis creaturæ nomine quandoque Homo intelligitur, & passim *Microcosmos*, sive *Parvus mundus* dicitur. Hoc diserte docet S. Damascenus, dum de Filii Dei incarnatione conformiter Apostolo Paulo sic loquitur: *Benigna Patris voluntas in unigenito Filio universorbis salutem operata est, & rerum omnium connexionem effecit. Nam cum parvus mundus sit homo, qui essentia omnibus constet ac vinculum in seipso ferat, benigna omnium rerum Creatoris voluntas hoc tulit, ut in Filio suo divinitatis ac humanitatis, ac per eam conditarum omnium rerum connexio fieret, ut sit Deus omnia in omnibus.* Sic etiam Apostolum interpretatur S. Irenæus, qui ex Græco legit: *Proposuit Deus in Christo recapitulare universa.* Propterea etiam in Apocalypsi dant benedictionem Deo & Agno non solum Homines aut Seniores Thronum circumstantes, sed etiam Angeli, & omnes creaturæ cum animalibus: *Et omnem creaturam quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo omnes audivi dicentes: Sedenti in throno & Agno benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum. Et quatuor animalia dicebant, Amen.*

Ephes. 1.

Apoc. 5.

Sed quia hæc benedictio quæ in Agnum refunditur, sive in Filium Dei vellere nostræ humanitatis indutum, maximè concernit homines, ad eosque specialissime spectat gratiarum actio cum summa humilitate de tanto beneficio incarnationis & redemptionis; ideo specialiter subjungitur, De Senioribus thronum circumstantibus: *Et viginti quatuor Seniores cecidérunt in facies suas, & adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.*

Pro-

Propterea etiam Apostolus exemplum zachariæ secutus nos excitat ad illud pronunciandum ex præcordiis, *Benedictus Deus*, ob incarnationis maximè mysterium tamquam Radicem omnis benedictionis, dum sic inchoat epistolam ad
Ephes.1. Ephesios: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo.* Ac propterea frequenter idem Apostolus per gratiarum actionem ac benedictionem Dei suas auspicatur Epistolas, considerans beneficia per Domini in carnem adventum in fideles profusa. Ideo etiam & S. Petrus sic suam ad fideles epistolam exorditur: *Be-*
1. Pet.1. *nedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui regeneravit nos in spem vivam ex mortuis, &c.* Hinc & Dei Patris nomen est *Benedictus Deus*, & Filii nomen. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quapropter interrogatur Christus, *Tu es Filius Dei benedicti?* De Filio autem tam scriptura antiqua quam nova inclamat: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Ac pueris id inclamantibus, arguentibusque Pharisæis hanc vo-
Luc.19. cem, respondet Dominus: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Si etenim ingrati fuerint homines incarnationi Filii Dei, ipsa elementa & creaturæ mutæ eos condemnabunt. Sed quid est quod dicitur specialiter, Benedictus Dominus Deus Israel? Hoc sequentia explicabunt.

PARS III.
Quid sibi velit ille titulus Dominus Deus Israël.
Ps.1.
Gen.28.

PRimò quidem vox Israel ad personam Jacob referri potest; qui *Israël* dictus est hoc est *Videns Deum*, vel *Princeps cum Deo*; post luctam cum Angelo sibi apparente, & vices Dei gerente, Filii scilicet Dei in carnem venturi. Deus ergo, ejus specialiter Deus dicitur, cui & Iacob dixit dum in Mesopotamiam à facie iræ Fratris sui Esau profugeret: *Si fuerit mecum Deus, & custodierit me in via per quam ambulo, reversusque fuero prosperè ad domum Patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Et meritò Filius Dei ejus Deus dicitur, qui se ei manifestavit venturum in carnem ex ejus semine, dum Scalam illam mysticam ostendit à terra in cælum pertingentem, & Angelos descendentes ac ascendentes. Quid enim Scala illa cui innixus Dominus, repræsentabat, nisi generationem Christi ex ipso orituri, & per varios gradus descensuri, hoc est per varias generationes & progenitores? Quid sunt duæ scalæ latera, nisi misericordia & veritas, sive fidelitas de Messia promisso, quæ duo ad nos Verbum descendere fecerunt? Cur hæc Scala tangit terram, nisi quia carnem sumpsit Christus è terra? Cur tangit cœlum, nisi quia & ipse divinitatem è cœlo sumpsit: & hæc duo jungens, ima summis, terrena divinis conjunxit? Cur descendunt Angeli, nisi ut hoc mysterium hominibus annuncient? Cur ascendunt, nisi ut gemitus & desideria Patrum Chri-
Rom.9. stum exspectantium sursum ferant? *Hi sunt Patres*, de quibus differè ad propositum nostrum dixit Apostolus: *Quorum adoptio est Filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium & promissa: quorum Patres, & ex quibus Christus secundùm carnem qui est super omnia* DEUS BENEDICTUS IN SÆCULA.

Nonne hic est *Deus Benedictus & Benedicens*, qui in visione illa Scalæ promisit Jacob: *Dilatabero ad Orientem & Occidentem & Septentrionem & Meridiem*, & BENEDICENTUR IN TE, *in semine tuo cuncta tribus terræ? Et ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc, nec dimittam nisi complevero universa quæ dixi.* An non igitur meritò tunc dixerit Jacob, *Benedictus Dominus Deus meus.* Gen.28.

Rursus, nonne hic est Deus *Benedictus & Benedicens*, què à se totâ nocte noluit Jacob colluctans abire imò nec in ipsa aurora, nisi benedicti sibi nem ab eo extorqueret, & nomen novum quod os Domini nominavit, à quo Israel denominatus est? Ergo & tunc meritò dixerit ipse, & nos cum ipso, *Benedictus Dominus Deus Israel.*

Secundò nomen *Israël*, non solùm Jacob, sed & totum populum ejus designat, cujus & speciali titulo Deus gloriari solet, ideò se dicens Deum Israel, quia ferè in illo solo populo cultus & agnitio veri Dei reperiebatur. *Notus in Iudæa Deus, & in Israël magnum nomen eius.* Ipse est qui annunciat verbum suum Jacob, justitias & judicia sua Israel; *non fecit taliter omni nationi.* Hæc est natio, quæ dicit: *Non est alia tam grandis, qua habeat Deos appropinquantes sibi sicut adest nobis Deus noster.* Hæc est natio cui dicitur, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Hæc est natio quæ tot beneficia è Dei manu percepit, ut ei dicat Moyses: *Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram, quia dilexit te Dominus.* Hæc est natio cui rursus dicit in suo Cantico, cælum & terram invocans contra eam, si ingrata sit: *Constituit terminos populorum juxta numerum Filiorum Israël: Quandò dividebat Altissimus terram, & separabat Filios Adam.* Quasi dicat: In Babylonica linguarum confusione, quando per varias Orbis regiones diversas Filiorum Adæ familias juxta linguarum varietatem ab invicem separabat, ex tunc licet Israeliticus populus necdum existeret, de eo Deus cogitabat, & commodam ei habitationem præparabat, certosque terminos & fines terræ, qui à Chananæis habitari cepe-
Deut.33. runt, constituit, destinavitque juxta numerum Filiorum Israel, tales scilicet, & tantos qui commodè omnes Israelitas acciperent postmodum ibi habitaturos. Causam autem tam singularis providentiæ adjungit: *Pars Domini populus eius, & Iacob funiculus hæreditatis eius.* Ex tunc scili-
Deut.32. cet erat Israel à Deo delectus in partem Dei, in portionem ejus hæreditariam, quæ olim funiculo dividi solebat & dimetiri. Sic igitur Israel e tot populis unicus electus cernitur ab initio, quasi pro-

proprium Dei peculium, hæreditas, & regnum, ut cæteri populi videantur quasi derelicti, & idololatriæ ac falsis Diis quasi Dominis permissi. Hæc deniq; est Natio, quam tot portentis eduxit ex Ægypto, per terram desertam circumduxit, custodivit quasi pupillam oculi, sive quasi rem sibi charissimã, tenerrimam, pretiosissimam; portavit in humeris suis, ut loco à se destinato collocaret, & templum ac regnum sibi apud eum constituere specialissima dilectione voluit. Propter hæc igitur & innumera alia beneficia sæpe repetit in suis Psalmis Rex & Propheta idem quod hic Zacharias. *Benedictus Dominus Deus Israel.* Sic enim habet *Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo & usque in sæculum: Fiat, Fiat.* Et rursus. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum, & replebitur majestate ejus omnis terra. Fiat, Fiat.* Denique. *Benedictus Dominus Deus Israel, à sæculo & usque in sæculum. Et dicet omnis populus: Fiat, Fiat.* Notat porrò Sanctus Hieronymus, quod Liber Psalterij distinguitur velut in quinque libros, sic ut ubicunque in fine Psalmi dicitur; *Fiat, Fiat.* quod idem est, quod *Amen. Amen.* ibi est finis libri. Concluditur autem quilibet ex quinque his libris per vocem illam. *Benedictus Deus.* Sic primus liber Psalterij finitur in Psalmo. 40. Secundus in Psalm. 71. Tertius in Psal. 88. ubi iterum habetur *Benedictus Dominus in æternum. Fiat, Fiat.* Quartus in Psalmo 105. Ultimus autem finit in his verbis: *Omnis Spiritus laudat Dominum.*

Psal. 40. *Psal.* 71. *Psal.* 105.

Sed dicamus, Tertio, nomen *Israel* hic referri non tam ad Israel secundum carnem, quam ad Israel secundum spiritum, qui & *Israel Dei* apud Apostolum vocatur, *Pax super illos & misericordia, & super Israel Dei.* De quibus Israelis ei sermo est. *Non omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ. omnes filij. Non qui Filij carnis, hi Filij Dei, sed quia Filij sunt promissionis.* Ubi nunc Israel? Ubi lex? Ubi sacrificium? Ubi Ephod? Ubi Teraphim? Ubi sacerdotium? Ubi Templum? Ubi regnum & sceptrum Israelitis? Dispersæ sunt fæces Israel super terram, donec veniat ille de quo scriptum est, quod tamquam Servus electus sit *ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel convertendas.* Quod maximè fiet in fine sæculi: Nos ergo sumus Israel Dei, Israel secundum promissionem, qui Christo nomen dedimus, & eum agnoscimus secundum carnem ex Israele natum, sed & simul Deum benedictum in sæcula. Nos sumus verè sicut Israël. *Videns Deum*, quia de nobis scriptum est *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.* Noster est Deus & Dominus cui acclamatur: *Benedictus Dominus Deus Israel.* Noster est Deus & Dominus, cui inclamamus: *O Adonai, o Dux Domus Israel, veni ad liberandum nos in brachio extento.* Nobis dicitur à Domino scalæ innixo: *Ero custos tuus, quocunque perrexeris, & reducam te in terram tuam.* Nostrum est luctari precibus & gemitibus ac lachrymis cum Deo, & invalescere. Nostra est adoptio, & legislatio, & obsequium, & promissa, & testamentum, & gloria à Deo nostro qui est benedictus in sæcula. Nos longè plura & sublimiora accepimus ab eo beneficia quam antiquus Israel, & nobis magis appropinquat Deus noster, quem quotidiè tractare, sumere, & illi nos unire possumus per intimam & germanissimam societatem. O quam felices, si fuerimus verè Israelitæ in quibus dolus non est! O quam felices, si attendamus continuo ad promissa nobis facta, ad hæreditatem incontaminatam & incorruptam & immarcessibilem nobis conservatam in cœlis! O quam felices, si Dei nostri benevolentissimam voluntatem, & piam manum semper attendamus, extentam ut nos dirigat, deducat, protegat, & custodiat quasi pupillam oculi, ejusque humeros semper paratos ad suscipiendum nos & portandum, donec introducat in terram promissam! O infelices, si ingrati fuerimus tot beneficijs & favoribus cœlestibus in nos à Deo nostro pluentibus; meritò invocabitur & cœlum & terra & omnis creatura, & armabitur ad ultionem, contra nos ingratos & insensatos.

Gal. 6. *Rom.* 9. *Isaiæ* 49.

Ergò semper sit in ore & in corde nostro hoc primum verbum hujus Cantici nos concernentis, *Benedictus Dominus Deus Israel.* Etenim nos concernit quia in finem usque sæculi à veris Israelitis decantabitur, à Filijs benedictionis ruminabitur. Et ideò quotidie repetendum Ecclesia, Mater Filiorum adoptionis, constituit; quia vita Christianorum non nisi benedictio Dei esse debet, & debent voce sua benedictionem crebrò resonante, extergere maledictionem, quam in Deum extorquere non cessant reprobi & damnati in supplicio. Ideo & Chorus Religiosorum, vel Sacerdotum, in Ecclesia per vocem benedictionis & laudis quotidie suppleat vicem non solum plebis, sed & omnis creaturæ etiam inanimatæ, omnes creaturas ad laudem vocans, & in matutino officio per hanc vocem laudes concludens. *Benedictus Deus, &c.*

Conclusio.

Cum reprobis autem computandi sunt, qui nominetenus solum Christiani, & hoc nomine indigni, blasphemant Deum & cœlum impijs & impuris vocibus, juramentis execrabilibus, sese & alios diris devoventes, maledictionibus aera complectentes, horripilationem capiti audientium excitantes, in cœlum os ponentes, & linguam ut maledictionis fontem circumferentes, quæ eis ad Deum benedicendum & proximum ædificandum data est. Numquid de eodem fonte potest fluere aqua dulcis & amara? Quare igitur tot amaræ voces & Deo exosissimæ ex eorum prodeunt, ex quo deberent prodire gratitudinis laudes? Heu adhuc auditur inter Christianos vox illa detestabilis: *Ie renie Dieu, Mau; rè Dieu,* & simi-

les,

les, loco illius vocis, *Benedictus Deus*. Multi ad singula Diabolum in voce habent, vice illius benedictæ vocis. Hæc vox, *Benedictus Deus*, vox est Angelorum, vox Filiorum Dei, in prosperis & adversis, omni loco, omni tempore, omni hora omnibus in negotijs repetenda. Maledictionis voces sive in Deum, sive in proximum, sive in creaturam Dei intorqueantur, spuma sunt Cerberi, & lacus Stygij, idioma Tartari, Demonis voces sunt, æternum maledicentis & æternum maledicti. Digni certé sunt perire cum illo, qui ejus morem & loquelam imitantur. Digni cum Angelis regnare qui cum illis pro modulo suo incessanter nituntur Deum benedicere.

LECTIO III. TRIPART.

Thema. *Quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.*

PARS I.

Declarat multiplicem Dei erga nos visitationem. Tripliciter Deus nos visitavit.

REdditur hic ratio cur Deus Israël benedictus sit, & omni benedictione jugiter benedicendus. *quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.* per incarnationis suæ mysterium, sive per suum in carnem adventum. Tripliciter autem dici potest nos visitasse ex sacris litteris.

1. *Vt medicus ægrum lethali morbo decumbentem.*
2. *Vt Pastor gregem devium & aberrantem.*
3. *Vt Redemptor & Salvator captivum in carcere agentem.*

1. *Vt medicus ægrū.*

Primò quidem, ut Medicus sapiens, misericors, benignus, & sanare potens omnes infirmitates, visitavit Filios Adæ à quatuor annorum millibus jacentes in languore lethali, cui nemo præter ipsum poterat afferre remedium. Visitarant enim & Prophetæ hominem hac ægritudine detentum; at ipsi solum verba consolatoria dare potuerunt, & certiorem facere spem venturi Medici; sed ægrum non potuerunt erigere ad salutem, aut vitam reddere jam morienti. Solus id Medicus noster poterat.

Figura.

In figuram hujus rei, Elizæi servus Giæzi potuit visitare puerum Sunamitidis, & baculum Magistri sui, cum quo missus erat, potuit facici superponere infantis, sed nec famulus profuit, nec baculus, ad restituendam sanitatem, vel vitam. Hoc præsciens Sunamitis, noluit deserere pedes ejus, nec à lachrymis temperare, donec veniret ipsemet. Quid ergo fecit; Incubuit super puerū, posuit os super oculos, oculos super oculos, manus super manus, pedes super pedes, contrahens se in formam pueri; & calefacta est caro, & oscitavit septies, & revixit puer. Ecce figura, attende veritatem. Misit Deus Moysen, & alios Prophetas, cum baculo legis: sed nec ipsi, nec lex potuerunt hominem liberare à morte peccati. Necesse fuit ut accederet ipse Christus (cujus figuram gessit Elisæus) & incurvaret se per assumptionem nostræ naturæ; ac contraheret se per modum pueri in incarnatione: ita ut non solum incumberet super puerum mortuum; sed etiam ejusdem naturam, manus, brachia, os, pedes, animam assumeret. Sic nobis reddidit spiritum vitæ, & simul septem dona Spiritus sancti designata per oscitationem septemplicem pueri. Neque sine mysterio est, quod ostium clauserit Elisæus, ut à nemine videretur. Sicut enim nemo vidit, quomodo tam raptè Elisæus, vir magnus, ad formam pueri se contraxit: ita nemo sat intelligit, quomodo Filius Dei, tam excelsus naturæ nostræ sic uniri potuerit, sic aptari, sic humiliari, ut mortalis fieret immortalis existens, & passibilis fieret qui impassibilis erat, & qui erat Deus & Verbum Patris, infans cerneretur & vagiens. Mysterium hic grande est, clausum est ostium, non necesse est videre, sed credere.

Advenit itaque Christus Dominus ut supremus Medicus è cœlo & visitavit hunc mundum, velut Xenodochium in quo jacebant ægri, cæci, surdi, leprosi, claudi & mutili, imò & mortui: omnia sanie & tabore referta erant, sed omnibus quacumque plaga afflictis reddidit sanitatem, & mortuis vitam. *Matt. 12.* Hinc in ejus adventu dicitur: *Nuntiate Ioanni, Cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt.* Quod non solum de corporali, sed & maximè de cæcitate, surditate, claudicatione, lepra morte spirituali verum fuit. Hinc initio adventus canit Ecclesia:

Qui condolens interitu moritū perire sæculum,
Salvasti mundum languidum, donans reū remedium.

Quia ergò ad Medicum venire non poteramus, ipse ad nos venit, & nos visitavit, & suscepit ipsemet infirmitatem naturæ nostræ, ne sempiterna esset infirmitas nostra: *Ipse prior bibit calicem amarum passionis medicus sanus, ut bibere non dubitaret ægrotus*, ait S. Augustinus serm. 18. de verb. Domin. Neque ut alij Medici externa solum adhibuit & aliena medicamenta, aut ut Isaias Ezechiæ Regi massam ficorum applicuit ægrotanti usque ad mortem, sed ipsemet ex visceribus suis & ex proprio sanguine confecit medelam salutis. Ægri quasi phrenetici perdita mente insurrexerunt in Medicum, & suderunt ejus sanguinem; ille verò de ipso sanguine præparavit eis antidotum, & salutiferum medicamentum. *Isai. 38.*

Hæc est visitatio salutifera pro qua inclamabat in cœlum Regius Propheta: *Memento nostri Domine in placito populi tui, Visita nos in salutari tuo.* Quasi dicat: Videris Domine oblitus nostri, & bonæ voluntatis quam semper testatus es erga populum tuum, nec exaudis angustias supplicantis, & jacentis, tabescentisque longa ægritudine: tandem ergo beneplacitum tuum deduc ad effectum, & visita nos; afferens nostris malis remedium nostræ miseriæ, & ægritudini efficacem salutem. Hic etiam est Medicus ad quem clamabat Abacuc Propheta: *Vsquequo Do-* *Psal. 105.* *Abac. 12.*

mine,

mine clamabo, & non exaudies, vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis? Quam vocem interpretans S. Hieronymus sic dicit: *Quomodo si æger & æstuans febribus aquam poscens dicat ad Medicum: Vim patior, crucior, exuror, exanimor, usquequò clamabo Medice & non exaudis. Et respondeat ei sapiens & clemens Medicus: Scio quo tempore debeam ventre quo tempore quod postulas, dare. Sic ergò Deus novit clementia sua ponderà & mensuras, & non exaudit citò clamantem, ut probet eum & magis provocet ad rogandum.*

Cur hæc visitatio tam diu dilata fit.

Quapropter si interroges, cur Deus tam diu tardarit tamquam summus Medicus visitare ægrum hominem à quatuor annorum millibus jacentem? Respondeo, dilatam fuisse hanc visitationem, nec statim factam esse à peccato, ne homo mali quo laborabat perniciem, & beneficii quod accepturus erat magnitudinem ignoraret: innotuit enim per dilationem morbi magnitudo, & necessitas Medici & Mediatoris apparuit. Homo superbiendo peccarat, debuit se humiliando agnoscere quàm indigeret Medico, & invalescente semper morbo, auxilium ejus multis gemitibus longisque noctibus humillimè implorare; ut quem contempserat sanus, supplex requireret languidus. Sæpè etiam Medicus exspectat ut malum ad summum increverit, ut artem suam ostendat. Ita quando lex naturæ & Moysis non potuit sufficere, aut sanare hominem, illustrior apparuit ars & gratia Christi Medici. Simul etiam adde, quod hæc tarditas cesserit in punitionem peccati, quia ostendere nobis voluit quam grave fuerit peccatum primi hominis, & quam sibi displicuerit, dum illud per tot annorum millia punivit non obstantibus tot gemitibus sanctorum Patrum. Interim non debebat desperare Homo, quia promissum Dei non poterat falli; ideo Prophetæ Abacuc conquerenti responsum fuerat: *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit*; hocque jubetur Propheta exarare litteris, & characteribus, quos omnes possint legere in tabulis patentibus, quia omnes concernebat Medici hujus citus adventus. *Abac. 2.*

2.

Vi Pastor gregem errantem visitavit.

Secundò, Visitavit ut Pastor supremus gregem aberrantem, ut illum ad ovile reduceret, quia Pastores ab ipso destinati non intellexerunt, & gregem neglexerunt, ac dispergi permiserunt; ita ut dixerit Hieremias cap. 10. *Stulte egerunt Pastores, & Dominum non quæsierunt: propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est.* Sic & Isaias dicit: *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Similiter & Ezechelis 34. promittit: *Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas. Sicut visitat Pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum: sic visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis.* Quibus omnibus *Isa. 53.*

consonans S. Petrus epistolæ suæ cap. 2. Christum in his omnibus Prophetarum locis designatum tacitè interpretans pronunciat: *Erratis quasi oves errantes, sed conversi estis ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum.*

Figuram rursus habemus hujusce visitationis, Pastores & gregem requirentis, in Joseph Filio Jacob, cui Pater dicit: *Fratres tui pascunt oves, veni & mittam te ad eos.* Quo respondente, *Præsto sum*, ait: *Vade & vide si cuncta prospera sint erga Fratres tuos & pecora, & renuntia mihi quid agatur.* Quænam causa fuit ut Jacob mitteret filium suum dilectum cum tunica polymita in agrum, nisi ut Fratres suos quæreret & visitaret erraticos Patris sui greges? Et quæ alia causa fuit ut Pater æternus mitteret Filium suum dilectum, polymita veste, hoc est humana carne & anima vestitum, variisque donis & virtutibus adornatum quasi coloribus diversis, nisi ut Fratres suos quærat, & greges Patris sui ad ipsum reducat. Si interrogetur cur tot itinera peragas, non aliud quam Joseph respondere potuit: *Quæro Fratres meos, & Patrum meos greges.* Sic nimirum ut Pastor supremus visitavit gregem & Pastores ejus, castella & urbes circuiens, & tandem invenit eos in *Dothain*, quod quidem significat *Angustiam*: quia in loco Calvariæ, loco angustiæ oves errantes reperit & Pastores ejus. Ibi denudatus est, venditusque; ac ibidem in ejus sanguinem conspiratum est: ita ut tunica ejus non sanguine hœdi, quemadmodum tunica Joseph respersa fuerit, sed sanguine proprio. Quam Patri æterno repræsentantes dicimus: *Estne hæc tunica Filii tui:* Utique ipsa est, ad quam cõmoventur viscera Patris super nos, quia propter nos sanguine Filii ejus tincta fuit.

Sic igitur *Benedictus* & millies *Benedictus Dominus Deus noster*, Dei Filius qui sic se Pastorem dignatus est exhibere & nos errantes quærere & visitare, ovium tot balatibus excitatus, quod sanctorum suspiriis & ardentibus desideriis fuit rogatus & invocatus ut veniret, & gregem suum visitaret. Hic est Pastor ad quem vota dirigat nomine totius gregis Rex & Propheta: *Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph, qui sedes super Cherubim manifestare coram Ephraim Beniamin & Manasse, excita potentiam tuam & veni, ut salvos facias nos.* Quasi dicat: O tu qui ab initio populum Israel populumque Joseph, à Joseph in Ægypto nutritum, quasi Pastor ovem regis, & per desertum reducis in terram promissam: Nunc enim tamquam verus Pastor veni, ut reducas nos errantes ad ovile tuum. O tu qui sedes super duo Cherubim in arca fœderis, in figura futuræ incarnationis: tunc veni ut sedeas super duo Cherubim animæ & corporis in assumpta humanitate. Et sicut tres tribus, Ephraim, Beniamin Manasse olim præcedebat Arca in deserto, *Num.* 2. ita te redde manifestum populo Christiano illumque præcede & dirige. Hic est populus tuus *Ephraim*, *Psal. 79.*

hoc

hoc est, *fructificans & accrescens*, quia per totum debet per te dilatari orbem. Hic est *Benjamin* tuus, hoc est, *Filius dexteræ tuæ*, æternorum bonorum tuorum hæres, & divitiarum quæ sunt in dextera tua. Hic est *Manasses*, id est, *Obliviscens*, quia debet obliviscì Satanæ antiqui sui Parentis, & antiquæ Matris suæ Gentilitatis, antiquæ scil. infidelitatis & idololatriæ, ut tibi vero cultu adhæreſcat. Hic est *Israel*, quem debes regere & fovere velut ovem charam tibi, & unicè commendatam.

Hunc Pastorem, quem advocabat David ut visitaret gregem suum & ipsemet illum regeret, postmodum venientem agnoverunt, visitarunt, adorarunt Tres Pastores nomine totius populi Israel, ac quasi in persona Abrahæ, Isaac & Iacob: potueruntque hic cum Zacharia decantare: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.* Secuti sunt deinde Tres Reges Orientis, & ipsi Pastores quoque erant populorum, ac nomine totius Orbis, ac quasi in persona trium Filiorum Noë, Sem, Cham, & Iaphet, ex quibus totus Orbis propaginem ducit, eum agnoverunt, visitarunt, & muneribus honorarunt. Immò & ipsi Deum Israel eum agnoverunt sedentem inter duo Cherubim, inter Mariam & Ioseph; & facti sunt Ephraim, Benjamim, & Manasse, Filii dexteræ & felicitatis, Crescentes & Fructificantes in scientia Dei, postquam obliti sunt antiquæ idololatriæ renuntiantes tenebris infidelitatis, adducti ad Lumen de Lumine. Et hi ergo etiam illud concinere potuerunt: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.*

Tertiò dicamus quomodo venerit ut Redemptor, & visitaverit hominem captivum & vinculatum; hoc enim specialiter in his verbis Zachariæ continetur. Captivam fuisse humanam naturam per peccatum, Satanæque vinculis colligatam, ac mortis ream nemo ambigit, qui fidei lucem habet; totaque series scripturarum id proclamat. Nemo autem poterat lytrum persolvere, & pretium sufficiens redemptionis exhibere, nisi Filius Dei nos visitans in incarnatione. Nemo poterat nos in libertatem asserere, & captivitatis jugum dissolvere, nisi ipse Cui congratulatur Prophetæ: *Jugum oneris ejus, & virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris superasti, sicut in die Madian.* Quasi diceremus: Tu, O Christe, jugum servitutis Satanicæ, quo populus tuus tamquam onere gravissimo premebatur & perimebatur, & virgam crudelem dorso ejus incumbentem, aspere eum affligentem, Sceptrumque tyrannicum intolerabile ob iniquissimum peccati tributum, ad quod continuò adigebat Satan, tu sustulisti, & in libertatem populum tuum asseruisti, non minus quam Gedeon à Madianitarum oppressione Israelem liberans, ideo mille tibi gratiarum actiones debentur, mille benedictiones.

3. *Vt Redemptor Captivum visitavit,*

Isa. 9.

Figuram iterum habes hujusce rei initio Exodi, ubi Dominus ait populo suo per Moysen: *Visitans visitavi vos, & educam de afflictione Ægypti.* Atque antea dixerat Moysi: *Vide afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi propter duritiam eorum qui præsunt operibus, & sciens dolorem ejus descendi ut liberem eum.* Quid est, *Visitans visitavi vos?* Quid etiam illud: *Vidi afflictionem populi mei: descendi ut liberem eum.* Profectò per Moysen visitavit Dominus Hebræos, & eos eduxit at per seipsum nos visitavit, & verè descendit ut liberet è captivitate. Si Moyses dixit socero suo *Vadam ad Fratres meos, ut videam si adhuc vivant*; idipsum potuit dicere Christus Patri suo in mundum veniens ut fratres nostros, ad visitandos Fratres suos, & ad reddendam eis libertatem ac vitam: quia & ad hoc ipsum à Patre missus est: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Exod. 3. Exod. 4.

SEd hæc fratrum visitatio, & libertatis ac vitæ redditio, multum ei constitit; ut enim faceret redemptionem plebis suæ eam visitans, pretium sanguinis sui persolvit, quod non contigit Moysi. Nec enim voluit sola potentia sua eruere, sed etiam lytrum condignum dare, ut justitiæ paternæ faceret satis. Hæc est redemptio quam initiavit per incarnationem & circumcisionem, consummavit per passionem & crucem. Hæc est redemptio quam sæpius mente revolvere debemus, ne ingrati simus: *Non enim corruptibilibus auro & argento redempti estis de vana vestra conversatione paterna traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati* inquit S. Petrus. Sic admonet Eusebius Emissenus hom. 1. de Symbolo, pretium istud ut consideremus, dum dicit: *Qui tantum contulit, scit quantum reposcat. Novit quanti ei constiterit homo suus. Non ergo nobis viles simus, qui Deo tam pretiosi fuimus. Tale conversationis nostra expectat meritum, quod sanguinis sui valere possit commercium.* Hæc est visitatio & redemptio quam obviis ulnis amplecti debemus, & totis nitì viribus, ut nobis efficax sit ad libertatem & æternam salutem. Verum non pauci & visitationem hanc, & redemptionem, & redemptionis pretium contemnunt, captivitatem & vincula adamantes, ac planè digni ut vocentur amentes, quod hac similitudine possumus ostendere. Parsii. *Declarat quomodo visitationi Dei non debeamus esse ingrati.* 1. Pet. 1.

Quidam filium suum apud infideles tetro habebat detentum carcere, & divenditis omnibus, relicta Patria, Paterno commotus amore visitare eum voluit, pretium secum ferens libertatis, tandemque pervenit ad carcerem; non solum injuriis sed & verberibus ac vulneribus confectus, sanguineque totus conspersus. Sic atrociter tractatus invitat filium ut secum redeat, offert pretium, exponit Matris lacrymas, Matris expectantis Filium, desiderium exponit Fratrum, vota propinquorum & amicorum. At ille hæc omnia despiciens, respondet se velle captivum permanere, nec Simile.

carcerem deserere, nec vincula dissolvere. Nonne hic amens, vel pessimi & in gratissimi cordis Filius dicendus foret? Quid aliud faciunt plerique hominum, qui Christi è cœlis in terras descensum, labores, injurias, vulnera, sanguinem, redemptionis oblatum pretium parvipendunt, & omnia hæc inania reddunt, dum è servitute Satanæ, è peccati vinculis, è tenebris & carcere exire contemnunt: & Matris Ecclesiæ lacrymas, aut Fratrum pia desideria, Angelorum vel vota eos ad salutem expectantium dedignantur intueri? O amentiam! ò cæcitatem! ò cordis duritiem & rebellionem!

Qui tales sunt, novas quodammodo lacrymas Christo Domino, qui *visitavit & fecit redemptionem plebi suæ*, videntur excutere. Propterea enim appropinquans civitati amarè flevit, dicens: *Quia non cognovisti tempus visitationis tuæ.* Quod quidem ad omnes ingratos referendum est, quos dum Deus variis visitat beneficiis & favoribus cœlestibus, inspirationibus, illuminationibus, ipsi claudunt aures & oculos, cor & animum. Ipsi claudunt ostium pulsanti: ipsi fenestras obtrudunt lumini, ipsi dum vocat Oriens, attendunt ad Occidentem. Et horum, proh dolor! aliqui in omni vocatione, statu & professione reperiuntur: qui quanto sublimioribus prævenuntur gratiis, nec attendunt, aut obsequuntur; tanto digniores sunt lachrymis, tanto graviori obnoxii damnationi. Non ergo solam Jerusalem & ejus cives, sed & omnes omnibus sæculis redemptioni, suæ ingratos respiciebat Christus flens, & dicens: *Quia non cognovisti tempus visitationis tuæ.* Luc. 19. Quasi diceret, unicuique loquens ad cor: Propter te, & propter amorem tuum ex ò cœlo in terram descendi. Propter te tenebricoso in utero, quasi in carcere, novē mensibus hærere voluit. Propter te instabulo & præsepio natus sum, ac frigus esuriemque pertuli. Propter te circumcisus sum, & cruorem infans fudi. Propter te triginta tribus annis in omnibus laboribus perstiti, doctrinam sacram quotidiè tradidi, in montibus orans perseveravi totis noctibus, miracula continuò patravi. Denique propter te sudorem, flagella, spinas, clavos, Crucem, toleravi, ac extremam sanguinis guttam dedi. Quotidiè quoque non cessio novis te beneficiis afficere, ut ad amorem meum te alliciam, & ad salutem æternam te perducam; sed eheu! non vis agnoscere *quæ ad Pacem tibi* quæque ad felicitatem tuam æternam spectant, quam tibi adventu meo, & continua visitatione cælesti lubens offero, ut redemptionis particeps in benedictionem nunc erumpas, ac in laudem postmodum perpetuam.

Tempore Adventus Dominici Deus plebem suam specialiter visitat

An non hæc omnia benè ponderanda forent ab animis Christianis hoc sacro Adventus Dominici tempore, in quo specialiter visitat Dominus plebem suam, ut memorem eam reddat redemptionis factæ, & per incarnationem suam initiatæ; sicque ab ea torporem salutis, & ingratitudinem mentis propulsset? Sed cur multi hanc Dei visitationem benignam cælestibusque beneficiis plenam negligunt; quam admirabatur Propheta: *Domine quid est homo, quod memor es ejus aut Filius hominis, quia visitas eum?* Ps. 8. Certè qui hanc negligunt, timeant alteram in malum eis cessuram, quam sæpè minatur Dominus per Prophetas. Sic apud Sophoniam dicit, *Visitabo super viros defixos in fæcibus suis*, hoc est, visitabo eorum peccata, nec inulta sinam, qui velut in jumenta in stercore suo computrescunt, qui peccandi consuetudinem nolunt dimittere, quasi illi affixi, qui in immunditiis hæreat & spurcis voluptatibus, vel in amarulentis cordis sui passionibus, per invidiam, odium, iram, malevolentiam. Hi nempè omnes cum vinum puri amoris Domino deberent propinare, nonnisi fæces fœtidas & olidas ac amaras ei proponunt peccatorum: *Vua eorum, uva fellis, & botrus amaritudinum ac faculentus de vineis Sodoma, & de suburbanis Gomorrha.* Deut. 32. Ideo visitans eos Dominus rependit eis similem potionem amaram de calice suo, cujus *Fex non est exinanita; de quo bibent omnes peccatores terræ.* Ps. 74. Ac tandem efficit, ut per justam ultionem *Ignis, grando, nix, glacies spiritus procellarum sint pars calicis eorum.* Ps. 10. O visitationem Dei amaram & prætimendam! de qua & Hieremias: *Quid dies in die quando visitaberis? Numquid non dolores quasi parturientis apprehendent te?* Hier. 30. Neque solum plebeios hæc visitatio concernit, sed & magnates: quia Sophonias addit: *visitabo super Principes, & super Filios Regis, & super omnes qui induti sunt veste peregrina. Et visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen; qui complent domum Dei sui iniquitate & dolo.* Attende quomodo hic taxentur aulici & divites, in luxu vestium & novitate fastum præferentes: quomodo hæresis peregrinæ errore se coperientes, relicto Dei & fidei aviæ indumento: quomodo hypocritæ, qui exterius veste ovium obtecti, intus sunt lupi rapaces, foris justi, intus pleni iniquitate: quomodo superbi, qui pompaticè ingrediuntur Domum Dei, non ut se humilient coram Deo, sed potius ut spectent vel spectentur, quia & fabulis ibi intendunt magis quam divinis mysteriis: quomodo Ecclesiastici avari & iniqui, qui opes corradunt, de Ecclesiæ bonis quaqua via, & illis abutuntur ad superbiam, luxum, iniquitatem. Hos omnes visitans visitabit Dominus in secundo suo adventu, dum scrutabitur Jerusalem in lucernis, & plangent, quia non cognoverunt tempus visitationis suæ & benevolentiæ divinæ quam exhibuit quando *visitavit & fecit redemptionem plebi suæ.*

Visitatio Dei in bonum multiplex.

Attende igitur, quod multiplex est Dei visitatio in bonum, quæ à piis haud est negligenda, quia de illa verum est: *Visitatio tua custodivit spiritum meum.* Quæ de re dicebat quidam exantiquis: *Tripliciter Deus visitat suos, quia visitat aliquando*

quando ad exercitationem, aliquando ad consolationem, aliquando ad præmiationem. Ad exercitationem visitat dormientes, ad consolationem laborantes, ad præmiationem ad cœlestia suspirantes. Prima visitatio sanctitatem provocat: secunda sanctitatem conservat: tertia sanctitatem remunerat. Prima terret contemnentem vel trepidantem: secunda favet, & promovet admittentem: tertia amplectitur venientem. Prima est quasi stimulus devium corrigens: secunda quasi baculus debilem sustinens: tertia quasi lectulus ad quietem suscipiens. Hæc Alredus: qui & postmodū addit de visitatione quā Deus facit erga animam peccatricem, ut eam è peccatis educat: *Quod magis potest esse divinæ miserationis indicium, quam ut illa suavitas, illa jucunditas, illa serenitas mira in qua nihil inquinatum incurrit, anima inquinata à Deo in sua visitatione impertiatur? Nec solum terrore ipsam ad Deum convertat, sed omnia mentis claustra vitiorum seriè obserata penetrans fœdi adhuc labiis quoddam sua dulcedine imprimat osculum, ac ineffabili sua suavitate blandiatur, & aversa anima gratiam impertiatur?*

Conclusio. EFfice Domine per specialem gratiam tuam, ut te semper benedictum pronuntiemus, & te Deum ac Dominum nostrum jugiter magnoscamus utque de Israel, de generatione benedicta faciem suam requirente cenferi possimus. Effice, ut non simus ingrati redemptioni, quam initiasti in adventu tuo & incarnatione; & cognoscamus tempus visitationis nostræ. Ut cognoscamus, inquam, illud cum Zacharia te benedicente in domo, cum Pastoribus Angelica monitione instructis in tugurio, cum Magis luce radiante de cœlo, cum Simeone quærente in templo. Denique, fac ut agnoscamus gratiæ tuæ specialem visitationem ad animarum nostrarum conversionem. cum Samaritana in fonte & puteo, cum Magdalena in convivio, cum Chananæa & Hemorroissa in itinere tuo, cum Zachæo in Sycomoro, cum Matthæo in telonio, cum Petro in atrio, cum latrone in patibulo, ut eadem efficacia, qua ipsi, possimus te sequi, tibi obsequi, te benedicere, & misericordias tuas in æternum decantare.

LECTIO IV. QUADRIPART.

Thema. *Et erexit nobis cornu salutis in domo David pueri sui.* v. 2.

PARS I. *Docet per cornu salutis, robur & salutiferam Christi potentiam intelligi.*

PEr Cornu salutis, & erectionem ejus in domo David, multa ex sacris litteris; & loquendi eatum more, hic significari possunt.

Primò quidem dicamus significari per Cornu in scriptura, robur, potentiam, victoriam, gloriam, & regnum: quia scilicet omnis gloria, robur, ac potentia animalium cornua gestantium, consistit in cornibus, quæ in capite celsitudinem etiam obtinent: illisque pugnant, & se defendunt, ac adversantes ventilant & triumphant. Quapropter Sedecias Propheta fecit sibi cornua ferrea, & ait Regi Israel: Hæc dicit Dominus: *his ventilabis Syriam, donec deleas eam.* *Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce quatuor cornua, & dixi ad Angelum qui loquebatur in me, quid sunt hæc? Et dixit ad me: Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Iudam, & Israel, & Ierusalem.* Per hæc quatuor cornua S. Hieronymus ex Hebræis Doctoribus intelligit quatuor regna, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, quæ Judæos variis per varias ætates affecere cladibus. Nempè *Cornu* apud antiquos Insigne erat Regum & symbolum regnorum, ac fortitudinis eorum. Similiter in eandem significationem, vidit Daniel Arietem habentem cornua excelsa, & unum excelsius altero atque succrescens, quibus ventilabat contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem. Et designabat Darium Regem Persarum & Medorum varia bella in diversis orbis partibus suscitantem; & habebat duo cornua, id est duo Regna; Persarum autem cornu, sive regnum, excelsius fuit regno Medorum. Utrumque contrivit Alexander Magnus, ut significatur ibidem versu 7.

3. Reg. 22. Zach. 1. *Cornu symbolum regnorum.* Dan. 8.

Itaque nihil frequentius in scriptura quam per Cornu designare robur, potentiam, gloriam. *Confregit omne cornu Israel*, id est omnem potentiam & celsitudinem. *Omnia cornua peccatorum confringam & exaltabuntur cornua justi.* Qui mos loquendi Hebræorum etiam aliis nationibus convenit. Nam ut nos vernaculè dicimus de his qui nimium præsumunt aut gloriantur: *il luy faut abbatre ses cornes. Il es leve trop ses cornes.* Thren. 4. Ps. 74.

Quando igitur hic dicitur; *Erexit nobis cornu salutis*, potissimum significatur, quod Regiam Christi potentiam, fortitudinem ac celsitudinem, salutiferam Deus excitarit, ad superandum Satanam & peccatum; quodque salutem potentissimā nobis attulerit, & suppeditarit vires ad resistendum inimicis, ac ad eos debellandos. Hoc rursum frequenter sub hac metaphora de Christo significatur in sacra scriptura, tamquam oriundo de stirpe David, ut sit robur & gloria populi sui. Huc spectant illæ scripturæ:

In die illa pullulabit cornu domui Israel. Ezech. 29.
Et. Dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. 1. Reg. 2.
Et. Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. Ps. 131.
Et. Confessio ejus super cælum & terram, & exaltavit cornu populi sui. Ps. 148.

Quod si quæras quare erexisse dicatur hoc cornu, sive regnum in domo Davidis? Respondeo, quasi dejectam considerari potentiam regni Israelitici, quæ olim valde floruerat tempore Moysis, Josue, Davidis, & Salomonis, contra Ægyptios, Chananæos, Philistæos, Moabitas, & alias nationes; & Sceptrum nunc transierat ad alienigenas, à quibus opprimebantur Israelitæ. Itaque

Cornu salutis cur ereditum in domo David dicatur.

regnum nunc & sceptrum erigendum rursus dicitur in domo Davidis, non temporale, sed spirituale, cujus figura fuerat florens illud antea Davidis & Salomonis regia potestas & gloria. Sic Cornu salutiferum erectum est, quod in pulvere jacere videbatur, & oblivioni datum, cum tamdiu promissiones tardarent, sicque multorum animi fastidio quodam longi temporis à spe deficerent, mœrore dejecti, nisi novo erigerentur nuncio ad salutis expectationem. Hoc autem nuncium novum accepêre à Zacharia, confirmante promissiones antiquas de regno Davidis jam adimplendas in Christo adveniente de domo David. Quapropter in ejus solemni ingressu in Jerusalem ei acclamatum est: *Benedictum regnum Patris nostri David.* Et rursum: *O sanna Filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Quid his omnibus vocibus aliud indicatur, quam quod hic dicit Zacharias in ejus primo ingressu in hunc mundum per incarnationis mysterium: *Benedictus Dominus Deus Israel, Erexit nobis cornu salutis in domo David pueri sui?* Et utraque vox ista alludit ad illud: *O Domine salvum me fac. O Domine bene prosperare. Benedictus qui venit in nomine Domini. Benedeximus vobis de domo Domini, Deus Dominus & illuxit nobis.* Psa. 117.

PARS II. *Per cornu salutis, intelligitur abundantia salutis, quam Christus attulit.*

SEcundò dicamus, per Cornu salutis nobis erectum significari abundantissimam salutem nobis in Christo esse reconditam cum omni abundantia cœlestium donorum & bonorum, sive gratiarum spiritualium, ita ut Christus sit nobis instar Cornucopiæ, Finxerunt veteres Herculem pugnasse cum Acheloo Ætoliæ Rege in speciem tauri mutato, & unum Cornu ei detraxisse quod acceptum Naiades, quæ sunt fluminum & Fontium Nymphæ, omnium fructuum primitiis refertum Copiæ conferarunt. Hinc illud Ovidii in Metamoph.

Achelous rigidum fera dextera cornu,
Dum tenet, infregit; truncaque à fronte revellit
Naiades hoc pomis & odore flore repletum
Sacrarunt: divesque meo bona copia cornu est.

Procul fabulæ & figmenta. Sanè in veritate Christus Dominus humanitatem suam, velut cornu è potestate Dæmonis abstractum, omnigenum florum & fructuum primitiis replevit, ut in ipso, & ab ipso haberemus omnem copiam & fertilitatem virtutum & donorum secundum desiderium nostrum. In ipso enim sunt omnes opes & divitiæ salutis, in ipso nostræ deliciæ, in ipso primitiæ spiritus, in ipso & ex ipso nostra sapientia & scientia, in ipso amor & voluptas nostra, in ipso gloria nostra, in ipso & ab ipso sanctitas nostra. Quid nobis potest in ipso deesse? Hinc illud Apostoli. *Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* Si de alimentis animæ agitur, in ipso nobis panis & cibus, mel & mellis favus, vinum & bonus, esca & potus, oleum & omnis fructus, omne condimentum & omnis gustus, vita & salus. An non igitur hic Cornucopiæ? An non Cornu salutis? Accede, manum immitte, & depromes quicquid desiderabile animus tuus potuerit concupiscere ad salutem. Propter hanc abundantiam & copiam salutiferam, quam Christus attulit de progenie David exortus, Fonti comparatur apud Zachariam, ubi dicitur: *Erit fons patens domui David.* Et apud Isaiam conformiter inclamatur: *Omnes sitientes venite ad aquas.* Adjicitur quoque illud: *Et qui non habetis argentum properate, & emite absque argento & ulla commutatione vinum & lac. Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.* Ecce rursus promittitur hic omnis boni abundantia, quasi Cornucopiæ. Idemque Deuter. 33. promittebat Moyses, dum dicit: *De benedictione Domini terra ejus, de pomis Cæli, & rore, atque abysso subjacente. De pomis fructuum Solis ac Lunæ, de vertice antiquorum Montium, de pomis collium æternorum, & de frugibus terræ, & de plenitudine ejus.* Quæ omnia spectant ad hoc cornu salutis, è quo abundantia omnium donorum desumitur unicuique *secundum mensuram donationis Christi*; nec Cornu istud unquam exhauritur, nec donantis liberalitas imminuitur, licet abundet in plures. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia* inquit S. Joannes, hoc est gratiam super gratiam, sive copiosam, abundantem, & exuberantem, gratiam, ut nonnulli interpretantur. Cum enim Christus pronuncietur *Plenus gratia & veritatis* ab eodem Evangelista, gratiam & veritatem nos ab eo accepisse testatur de ejus plenitudine, hoc est Dei cognitionem, fidem, prudentiam, sapientiam & intellectum salutis, rerumque divinarum scientiam, simulque peccatorum remissionem, cum Deo reconciliationem, adoptionem in Filios Dei, charitatem & gratiam sanctificantem, humilitatem & spem, ac alia dona. Quæ omnia in eo continentur quod vocetur vel *Cornu salutis*, vel *Fons salutis*, vel *Radix salutis*, ut diximus. Hæc omnia confirmat S. Chrysostomus, sic disserens: *Ipse enim fons est & radix bonorum omnium, ipse vita, ipse lux, ipse veritas; non in ipso divitias bonorum continens, sed in universos diffundens, quibus diffusis, plenus permanet. Neque ex eo quod aliis suppeditet minuitur, sed divitias suas elargitur semper uberius, cumque his bonis omnes impertiat, in eadem permanet perfectione.* Hæc S. Chrysostomus.

Hoc itaque Cornu salutis nobis erectum, rectè dixeris esse Cor Jesu in cruce apertum & erectum. Hoc est Cor & Cornu salutis, de quo S. Mechtildis teste Blosio in Monili, dicebat: *Si scribi deberent omnia bona quæ à Corde Iesu accesi, nullo vel magno volumine possent cöprehendi.* De illo quoque S. Lutgardis, os vulneri lateris Christi applicans, tantam hausit suavitatem, quasi divinitatis mel & humanitatis lac exsuxisset, ut ex eo tempore saliva ejus mellis dulcedinem superaret. De illo S. Catharina Senensis in lacus suum à Christo per quandam

Ephes. 4.

Joan. 1.

Chrisost. hom. 10. in Ioan.

Cornu salutis, cor Christi cruce apertum & erectum.

Zach. 12.

Isa. 55.

1 Cor. 1.

dam commutationem cordium impositò, tam ardentem amorem, & gratiarum tantam affluentiam percepit, ut calamus explicare id satis nequeat, nec mens nostra terrena concipere, sed quæ id experta est tamquam manna absconditum, in silentio non potuit non crebrò id ruminare, & Confessario suo hac de re inter se & Christum peracta ineffabile testimonium dare. Vide Hort. Past. tract. 3. lect. 24. in fine.

PARS III.

Per cornu salutis intelligitur unctio regalis, & sacerdotalis, cui Christus nos fecit consortes.

DIcamus tertiò, alludi ad Cornu olei quo ungebantur Reges ad salvandum populum, & Sacerdotes ad eum sanctificandum ad salutem, & Prophetæ ad ei nuntiandum efficaciter divinæ salutis monita, de quibus dicitur: *Nolite tangere Christos meos, sive unctos, & in Prophetis meis nolite malignari.* De Propheratum unctione, dicitur Eliæ: *Eliseum unges Prophetam prote.* Et quamvis aliqui arbitrentur non aliam fuisse Elisæi unctionem, quàm quod miserit Elias pallium suum super eum aran- *Psal. 104. 3. Reg. 19.* tem in duodecim jugis boum, ubi ibidem subdatur unde nec ibi ulla olei a dungendum mentio: tamen verisimilius est quod particulariter ab Elia unctus fuerit oleo sacrato Elisæus, sicq; consecratus, ut Prophetæ officio fungeretur cum auctoritate, & hoc solitum etiam antiquitus fuisse. Unde ad istam unctionem Prophetarum alludens Dominus *Luc. 4.* ex verbis Isaiæ, protulit illa in medium in Synagoga aperiens librū: *Spiritus Domini super me, eò quod unxerit me, ad annunciandum misit me, ut mederer contritis corde*, dixitq; in se adimpletam scripturam illam: Non quod ipse oleo materiali fuerit unctus, sed quod omnium donorum plenitudo in ipsum profusa fuerit, ut & in alios rediueret abundantissime, tamquam ex Cornu & Vase plenissimo quod numquam potest exhauriri. Hinc etiam apud Danielem dicitur: *Vngatur Sanctus Sanctorum*, tali scilicet unctione quæ non solum sanctum eum efficiat, sed etiam quæ illi virtutem alios sanctificandi donet; ut ideo Sanctus Sanctorum sit, quia in summo gradu sanctus in se, alios quoque sanctificet. Ipse ergo est Christus antonomasticè, id est Unctus ipse Unguens, ipse Cornu & Vas Olei salutiferi, & *Cant. 1.* *Oleum effusum est nomen ejus.* Quapropter merito dicitur erexisse nobis Cornu salutis in domo David, sive in Ecclesia sancta, quia ab oleo quod ex hoc Cornu desumitur Christiani dicimur, id est uncti & consortes unctionis ejus.

Quomodo Christus dicatur unctus.

Dan. 9.

Hinc est quod & corpora quorumdam Sanctorum, in symbolum hujus unctionis interioris, cujus abundè participes effecti erant a Christo, oleum etiam materiale salutiferum & oderatissimum post mortem produxerunt. Testis est tumulus S. Andreæ Apostoli, S. Nicolai, S. Catharinæ Martyris, S. Perpetui Episcopi Trajectensis, S. Nicolai Tolentini, SS. Rufini & Valerij Martyrum, S. Modoaldi Episcopi Trevirensis, S. Eligij, S. Joannis Patriarchæ Alexandrini & aliorum Sanctorum antiquorum. Ac ut de recentioribus paucos attingam, oleum manasse fertur de corporibus ac Sacris ossibus B. Felicis à Cantalicia Capucini, S. Teresæ, S. Elizabethæ Hungaricæ, & S. Elizabethæ Lusitanicæ, S. Hydvigis Polonicæ, B. Joannæ Urbevetanæ, B. Paschalis Minoritæ, B. Catharinæ Bononiensis, de qua hæc Collecta extat in Chronicis Fratrum Minorum: *Deus qui liquorem aromaticum de membris B. Catharinæ Virginis ad honorem tui nominis manare voluisti, concede propitius, ut sicut odore unguentorum ejus in terris reficimur, sic apud te in cœlis suffragia sentiamus.*

Diversa Sanctorū corpora post mortem oleū stillantia.

De unctione Sacerdotum notum est ex Leviti- *Levit. 8.* co ubi jubetur Moyses tollere unctionis oleum, & fundere illud super caput Aaron. Et hoc est o- *Psal. 132.* leum de quo dicitur: *Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus.* Ideò verò consecrabantur & unguebantur Sacerdotes, quia Dei majestatem re- *Cur Sacerdotes ungerentur oleo.* præsentant in terris, hinc & ipsi Christi nominantur, significabaturque simul eos imbui virtute quadam sacratâ, quam in plebem deberent diffundere. Atque eodem oleo tabernaculum Domini, & vasa ejus, & altare aspersa fuere. Ubi rursus sanctificatio & unctio Christiana, quæ per Christum in nos defluit, designata censetur; tum quia non solùm in verticem, & in faciem jac genas Aaronis, oleum unctionis defluxit; sed etiam in oram usque vestimenti descendit. Ora autem vestis Christi sunt fideles quique: sicut ejus vertex, genæ, & facies, sunt Apostoli, & Apostolici eminentesque viri; tum etiam quia Christiani & Fideles per vasa tabernaculi & lapides altaris designari possunt quæ omnia uncta fuere.

Meritò igitur de Ecclesia Christiana dicere *Isa. 5.* possumus illud Isaiæ: *Vinea facta est dilecto in cornu filio olei.* Christus ipse est dilectus, ipse Filius olei, ipse Cornu olei, & Cornu salutis, a quo Vinea sua & Olivetum, id est Ecclesia, omnem habet suam pinguedinem & fertilitatem, ut producat *Filios oleis*, hoc est Filios feraces olei & oleatos, plenos & abundantes oleo gratiæ, quam accipiunt de plenitudine illius qui primus *Filius olei* est, & *Fons olei*. Sicut enim more loquendi Scripturæ *Filius iniquitatis* dicitur, qui iniquitate plenus est, & iniquissimus; ita & *Filius olei* dicitur, qui oleo plenus *Quis dicatur filius olei.* est, quasi cum oleo & ex oleo natus. Sic dicitur de duobus justis, quod de Christianis universim verum esse deberet: *isti sunt Filij olei qui assistunt Dominatori universæ terræ.* Ipsi enim semper coram *Zach. 4.* Domino stare deberent tamquam Filij, tamquam oleo sacrati, tamquam pinguedine gratiæ ejus imbuti & repleti, tamquam Filij splendoris, lampadem ardentem tenentes oleo refertam, quæ numquam extinguatur. Quod si quandoque oleum deficere videatur, novum possunt depromere ex Cornu salutis, quod nobis illisque erectum est, & omnibus propositum, ut quoties egerimus haurire valeamus, & nostram supplere indigentiam.

Cornu Reges oleo uncti.

De unctione etiam Regum frequentissimè agit antiqua scriptura, illud nostro sufficiat proposito, quod Samueli dicitur: *Imple cornu tuum oleo, & veni, ut mittam te ad Isai Bethlemitem providi enim in Filiis ejus mihi Regem.* En audis, quod Cornu olei pleno ungendus fuerit David, ex cujus progenie nobis erat erigendus Christus in Cornu salutis, ut Zacharias cecinit. Advertit verò S. Gregorius differentiam inter Davidem & Saulem, quod ad Davidem unguendum, Cornu oleo plenum requirat Dominus, cum de Saule dicatur: *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus.* Audi S. Gregorium. *Lenticula Saul ungitur, ad exprimenda futura. Lenticula quidem parvum est vas. Quid ergo est quod lenticula olei Saul ungitur, nisi quia in fine reprobatur? Velut enim lenticula olei parum habuit, qui spiritualem gratiam proficiendus accepit.* De Salomone quoque dicitur: *Sumpsit Sadoc Sacerdos Cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem.* Ecce utrobique Cornu olei, tam pro David, quam pro Filio Davidis, cum alias Lenticulæ fiat mentio pro alijs Regibus. Quid quid per hoc significetur, non absonè dicimus, ad illud Cornu, sive vas olearium, quo David & Salomon fuit unctus alludi hic, dum dicitur: *Erexit nobis cornu salutis in domo David,* quo scilicet ad salutem ungamur, qui sumus *Genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis,* de radice Jesse surculi; unde & antiquitus Christiani Jessæi vocati sunt, teste S. Epiphanio hæres. 29. *Immo possumus dicere, non unum Cornu nobis, in domo David, sive in Ecclesia per Filium David fundata, relictum esse: sed quandoquidem Cornu vas designet, in quo liquor pretiosus continetur, septuplex Cornu in tabernaculo Domini reperitur. Septem scilicet sacramenta, quæ sunt velut septem Agni Cornua oleo & pretiosissimo liquore gratiæ divinæ plena, quibus perfundimur & unctio in ungimur salubriter.* Atque ut de genere nos electo & regali sacerdotio comprobetur, multotics quilibet Christianus oleo etiam sacrato inunigitur. In Baptismo triplex adhibetur unctio, una in pectore, altera in scapulis, tertia in vertice. In confirmationis Sacramento unctio fit in fronte sacratissimo Chrismate. In extrema unctione rursus quintuplex aut septuplex unctio adhibetur, quibus sensuum primaria organa aut loca vicina unguntur, non sine mysterio.

1. Reg. 16.

1. Reg. 10.

3. Reg. 19.

1. Petri 2.

Antiqui Christiani, Iessæi dicti.

Diversa Sacramentorum administratione.

Oleum Cornu salutis nunquam minuitur

Multiplex porro unctio illa olei consecrata depromitur ab illo qui *Cornu salutis* hic nominatur, cujus numquam oleum minuitur in salutem fidelium.

Gallia gloriatur sacram Ampullam Rhemensi in Civitate adservatam, quam Columba è cœlo attulit S. Remigio ad unguendum Clodovæum Regem in baptismate, numquam imminutam fuisse nec imminuendam, in gratiam Regum qui oleo & chrismate illo unguntur, si tamen Christianam Catholicamque fidem profitentur. Nos quoque magis gloriari possumus numquam nobis regium liquorem salutis defuturum, si de regio Christi semine esse numquam desiterimus, per veram fidem, per erectam spem, per charitatem & amorem. Hinc S. Ludovicus Rex, qui sacro baptismate renatus fuerat in fundo Possiaco, & ibi oleo sacro & chrismate in baptismo unctus, solebat maximè gloriari de illo loco, illumque frequentare, & dicere sibi esse maximè delectationi, eo quod in illo loco plus dignitatis, & beneficij accepisset, quam in alio quocumque. Cumque id ab ipso audirent familiares, interrogarunt, *An non plus honoris Rhemus assecutus esset in celebri inauguratione ad regnum & miraculosi olei unctione?* subridens respondit: *Ego vero Possiaci Christi diademate, & oleo sacro redemitus, longe plus dignitatis & majestatis ibi accepi, quam alibi usquam, aut quocumque gradu homo evehi possit.* ita Surius in ejus vita.

Cæterum hic non est prætereundum, quod signatè dicetur erectam nobis salutem à Deo in domo David *Pueri sui;* quibus verbis invitamur ad ejus imitandam puritatem, sanctitatem, humilitatem, mansuetudinem, fidelitatem, gratiam, per quam Deo specialissimè placuit: ita ut dici possit quod fuerit Puer in gremio & sinu Dei tamquam Patris aut Matris recumbens, in eo confidens, ab eo dependens, ab eo alimentum, solatium, tutelam, & opem omnem exspectans, jactans super eum cogitatum suum, instar infantis imbellis, derelicti, & impotentis. Sic enim ipse de se dixit: *Sicut ablactatus est super Matre sua ita retributio in anima mea, Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, sed humiliter sentiebam.* Hinc & de eo Dominus pronuntiat: *Inveni David virum secundum cor meum.* Atque de ipso etiam verificari potest illud: *Ecce puer meus quem elegi, complacuit sibi in illo anima mea, posui super eum spiritum meum.* Felix qui in supradictis virtutibus eum imitatus fuerit, ut si puer aut vir secundum cor Dei, ut sit ab eo electus & dilectus, ut sibi in Deo complaceat & Deus in ipso, ut nonnisi ejus respiret ad amorem fideli & puro corde, & in ipsum totam suam spem projiciat plenissimâ resignatione, rectissimâ voluntate, jucundissimâ voluptate: tunc verè erit de Domo David, nec poterit exors esse salutis, quia imitator est illius qui typus & parens est Salvatoris.

Cur dicatur erectum in domo Pueri sui.

Ps. 130.

Actor. 3. Isa. 42.

DIcamus quartò, quando quidem Christus in sacris litteris nomen Unicornis sive Monocerotis assumat, hic etiam ad idipsum allusionem posse fieri. De Christo multi illud interpretantur. *Dilectus quemadmodum filius unicornium,* Et de Deo dicitur. *Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est Rhinocerotis.* In Scriptura autem sacra pro eodem accipiuntur, *Rhinoceros, Monoceros, Unicornu.* Designatur verò animal quoddam fortissimum, cornu unum habens in media fronte, quo omnibus adversantibus resistit & ob-

PARS IV. *Docet per cornu salutis alludi ad cornu unicornu, & Arietem in Lubileo.*

Psal. 27. Num. 23.

& obvios ventilat, vel perforat. Dicunt verò non-nulli historici, & ex illis Sancti Patres, quod cum tanta polleat fortitudine & pernicitate; ut nullâ vi aut arte capi possit vivum; tamen si puella virgo ei proponatur sinum pandens, in illum quasi jam victum & mansuetum caput immittere, moxque soporari & capi. Quapropter Christum rectè designari per Unicornem indicant S. Gregorius 31. moral. cap 13. & ante eum Tertul. contra Judæos, capite 10. & Justinus contra Tryphonem, & alij. Inter quos sic ait Rupertus: *Fortissimus spirituum Deus, velut Unicornus, id est, potentia singulari Deus incomprehensibilis & invicta virtute, virginei tra-ctus odore uteri, illique inclusus est, & ex eo tantum comprehendi potuit & occidi.* Certè Deus in antiqua lege hortibili cornu feriebat potentiæ & justitiæ suæ ac vindictæ, illud exerens in peccata & peccatores sibi adversos & obvios. Vis videre Cornu illud feriens? Attende vindictam per diluvium immissam tempore Noë, quæ totum Orbem stravit & invertit. O ferum Cornu! Attende ulterius in Sodomam & Pentapolin hoc cornu immissum, & miseram videbis stragem. Considera quoque in Ægypto primogenitorum cædem & alias plagas videbis Monocerotem furentem, & cornu indomito ferientem. Spectа internecionem viginti & amplius millium in deserto post adoratum vitulum: non tam gladius, quam cornu Unicornis hujus eos ventilavit & interfecit. Denique, vide centum octuaginta & amplius millia in castris Sennacherib internecioni data, & videbis Monocerotem suo cornu terribilem. At modo in sinu Virginis quietè agit, illucque se submisit per amorem, & cornu sibi frangi passus est, ibi dormit quemadmodum Dilectus Filius Unicornium: ibi erexit nobis cornu salutis in Virgine speciosa de domo David pueri sui.

Per Unicornem Christus intelligitur.

Cornu Unicornis attactu sanatium

Ulterius, de cornu Unicornis referunt, quod tactu suo sanet aquas à veneno serpentum, quodque præsentissimum sit præservativum contra virus omne, ita ut si in vitrum vel testaceum vas injiciatur particula de isto cornu, vas sit defractura, non compatiens sese cum veneno. An non hæc omnia Christo conveniunt? Ipse intinxit cornu in aquas, & fecit eas esse aquas salutis contra venena serpentis in baptismo. Ipsius virtus nos præservat à veneno peccati, & confortat mirum in modum contra debilitates & deliquia animi; sicut & cornu Unicornis contra debilitates corporis, si venæ annulari sit continuò junctum.

Cornu Unicornis bifurcum instar crucis.

Deut. 33.

Denique, asserit S. Justinus Cornu Unicornis esse prævalidum, quod sit bifurcum instar crucis, ideoque crucem Domini aptè designare. Huc refert illud. *Cornu ejus, cornu Rhinocerotis*, sive Monocerotis, ut habent 70. Interpretes. Allegoricè id de cornibus crucis Christi accipit Justinus contra Triphonem, sicut & Tertul. con. Jud. 10. In illis enim consistit robur & fortitudo Ch isti, per quam Dæmonem confixit, peccatum, & mortem. Quo spectat illud Abacuc: *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus. Ante faciem ejus ibit mors, & Diabolus ante pedes ejus.* Ergo & hic rursus verum est, *Erexit nobis Dominus cornu salutis*, quando erexit vel præparavit crucem, in cujus cornibus est abscondita fortitudo ejus, ex qua nobis oleum & medela fluit: in qua est tota virtus nostra, de qua nobis vita & salus. *Abac. 3.*

Cornu salutis cornu Aretinum in Jubilæo

Dicamus postremò hic allusionem fieri per *Cornu salutis*, ad cornu arietinum, quo utebantur Judæi in anno Jubilæi; buccinantes & clangentes. Unde censent nonnulli nomen *Iobel*, à quo deducitur Jubilæus, significare Cornu arietinum, & inde annum Jubilæum dici, quod eo anno clangerent cornibus arietum. Ita Chaldæus & Lyranus multique alij. Certè Christus Dominus nobis annunciavit Jubilæum in nativitate, in prædicatione, ac in morte sua, id est annum remissionis & indulgentiæ placabilem Domino, quo manumissi sumus è servitute & ergastulis, & debita nostra sunt persoluta. Hinc dicit in se adimpletum illud: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me, prædicare annum Domini acceptum, &c.* Ipse tamquam Aries Dux gregis immolari debebat, ut nobis promereretur libertatem, figuratus per Arietem cornu hærentem vepribus, substitutum loco Isaac ad immolandum. Ideo dici potest nobis erexisse cornu salutis, immò & illud inflasse, ut omnes convocaret ad libertatem, remissionem, & salutem; quia frequentissimè egit de morte suâ & immolatione eam publicans tamquam salutis omnis originem. Quare & per Psalmistam in memoriam & gratitudinem hujus liberationis invitat nos ad jubilum & cantum, non solum in voce Psalmi, sed etiam in *Tubis ductilibus, & Voce tubæ cornæ.* Recordatus est, inquit, misericordiæ & veritatis suæ domui Israel. *Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri, jubilate Deo omnis terra, cantate, exultate, & psallite. Psallite in cythara & voce Psalmi, in tubis ductilibus & voce tubæ cornæ.* Loquitur hic Propheta de adventu Jesu Christi Salvatoris nostri, & invitat nos ad gaudium universalissimi Jubilæi; ideoque vult ut jubilemus, & psallamus, laudesque Deo decantemus, & faciamus resonare vocem Tubæ cornææ sicut in Jubilæo, quia erexit nobis cornu salutis, & prædicare venit annum plenissimæ remissionis. *Luc. 4.* *Psal. 97.*

LECTIO V. TRIPART.

Thema. *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.* Luc. 1. *De Mysterio Incarnationis. Propositio.*

TRia hic sunt annotatione digna. Primum quidem Mysterium incarnationis Filij Dei, & redemptionis ac salutis nostræ, prædestinatum fuisse ab æterno & absconditum in mente Patris. Secundum, jam condito sæculo variis mox figuris

figuris & signis præostensum fuisse. Tertium, deinde per ora Prophetarum clarius fuisse prænuntiatum, denique & manifestatum plenissime per ipsummet Christum, & ejus Apostolos.

Prima Pars *Mysterium Incarnationis Filij Dei prædestinatum ab æterno* *Rom. 1.*

Quantum ad primum. Aperte docet Apostolus Paulus varijs in locis. *nobis datam gratiam in Christo Iesu ante tempora secularia*, hoc est, nobis fuisse præordinatam & promissam gratiam liberationis & redemptionis per incarnationem Filij Dei ante ævum, sive ante sæcula omnia & tempora hujus ævi & sæculi currentis: ergo id factum fuit ab æterno, per prædestinationem illius *qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* ac simul per prædestinationem nostram in illo, & per illum, sive per ejus merita. Audi Apostolum alloquentem hac de re Timotheum suum.

1. Tim. 2. *Collabora Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit & vocavit vocatione suâ sanctâ, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. Manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium.* Similibus verbis alloquitur & Titum discipulum. *Paulus servus Dei, Apostolus autem Iesu Christi secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis in ipsam vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora secularia, manifestavit autem temporibus suis* Sed cuinam promisit Deus ante tempora sæcularia, sive ab æterno, hanc vitam? Respondet S. Hieronymus, promisisse Filio suo; vel ut alius, suæ sapientiæ & bonitati Ait S. Chrysostomus sic dicit: *Promisit, id est, dare decrevit, & prædestinavit in sua mente apud se, dare fidelibus vitam æternam.*

Tit. 1.

Itaque absconditum fuit mysterium incarnationis, & redemptionis, ac salutis nostræ in mente divina, ante omnem sæculorum seriem, & ante omnem mundi & temporis, etiam imaginarij, originem. Explicemus id similitudine.

Quomodo in mente divina mysterium Incarnationis fuerit absconditum ante sæcula.

Sicut olim in arcano loco templi, in Sancto Sanctorum absondebatur Arca fœderis cum his quæ continebat, scilicet cum Tabulis legis, Virga Moysis, Mannaque cœlestis dulcedinis; quæ omnia figura erant eorum quæ in Christo inveniri & revelari debebant: Ita dicimus cum Apostolo, Mysterium incarnationis & redemptionis absconditum fuisse à sæculis, & ante sæcula, in arcano templo divinitatis, in Sancto Sanctorum in quo continebantur divitiæ salutis, quas suo tempore manifestare & distribuere debebat Sapientia incarnata. Quapropter hac de re interim sic loquitur Apostolus. *Mysterium quod absconditum fuit à sæculis, nunc autem manifestatum est Sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, quem nos annuntiamus* Eodem modo loquitur ad

Coloss. 1.

Ephesios. *Mihi data est gratia hac evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo* Sic sæpe Apostolus vocat Mysterium incarnationis & redemptionis. *Mysterium absconditum in Deo*, vocatque simul *Divitias gloriæ Dei investigabiles*, quia nobis Divitiæ erant & Thesaurus absconditus in hoc mysterio, Deo autem maxima gloria ibidem abscondita asservabatur. Et investigabiles erant hæ divitiæ Domino gloriosæ, qui à nemo eas detexisset, nisi ipse eas in lucem produxisset. Propterea rursus alibi inclamat Apostolus; *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Quam investigabiles sunt viæ ejus? Quis cognovit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit?* *Ephes. 3.* *Rom. 11.*

Hinc etiam illa Theologorum emanavit sententia, quod nullus intellectus creatus, etiam Angelicus, ex vi luminis naturalis potuerit cognoscere vel solam possibilitatem hujus mysterij: ita ut nec in cogitationem ejus potuerit cadere, aut in cor ascendere, vel in suspicionem venire, Deum sic posse uniri humanæ naturæ, ut ejus salutem operaretur. Hinc etiam Deus incarnatus; *Deus absconditus* sacris in litteris nominatur, sicut mysterium incarnationis, *Mysterium absconditum*, investigabile, incomprehensibile, ineffabile à Sanctis Patribus passim dicitur. Nempe hic est supremus & inexcogitabilis modus, quo aliter non latet in thesauris Sapientiæ divinæ, ut docet Sanctus Thomas 3. part. quæst. 1 art. 1. ex S. Augustino. Unde idem S. Augustinus l. de Prædestinatione Sanctorum c. 15. sic ait, *Prædestinata est natura humana tanta, tam summa subvectio, ut qua attolleretur altius non haberet: sicut & ipsa divinitus quousque se deprimeret, humilius non habuit, quæ suscepit à natura hominis infirmitatem carnis, usque ad mortem crucis.* Certè gratia Dei non potest alijus commendari; nec id suspicari potuisset intellectus hominis vel Angeli posse fieri, nisi lumen accessisset supernaturale fidei sive revelantis Dei.

Quomodo mysterium incarnationis filij Dei fuerit præordinatum.

Hæc ut plenius intelligantur, advertendum est Deum mox à præviso peccato Adæ, simulque totius generis prævisa perditione ob peccatum originale ab ipso contrahendum, prædestinasse incarnationem Filij Dei, & præordinasse illam tamquam remedium contra peccatum Adæ, ad reparationem scilicet & redemptionem generis humani. Equidem aliqui Theologi censent. Christum per se primò à Deo prædestinatum fuisse ante prævisionem Adæ & peccati originalis, eò quod Deus primò voluerit condere Christum, & in eo ostendere divitias gloriæ & magnificentiæ suæ, ac deinde propter Christum voluerit condere Angelos, Adamum, cæterasque creaturas universas cum hominibus: Sed hoc non ita videtur conforme Scripturæ & SS. Patrum doctrinæ, quia passim indicat Scriptura & Patres, causam incarnationis Filij Dei fuisse generis humani, reparationem & redemptionem: eumque venisse, ut

quæ-

quæreret & salvum faceret quod perierat, nec venisse propter justos, sed propter peccatores. Sic in Symbolo canimus: *propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis.* Si homo ad imaginem Dei factus in suæ naturæ honore permansisset, Creator creatura non fieret, inquit S. Leo, ser. 3. de Pentec. Conformiter ante ipsum dixit S. Athanasius ser. 3. contra Arianos: *Ut fieret homo numquam destinatum fuisset, nisi hominum necessitas ejus rei causam præbuisset.* Sic & Gregorius Nazianzenus: *Quæ humanitatis à Deo suscipienda causa extitit, nisi ut salvus nobis pararetur? quid enim aliud causa afferri potest?* Hæc ille orat. 4. de Theol. Tolle morbos, tolle vulnera, non opus tali medico, nec tali medicina. *Sic dilexit mundum Pater ut Filium suum unigenitum daret, ut salvetur mundus per ipsum*, non daturus nisi periisset mundus. Itaque decretum Dei de creatione mundi, de creatione Angelorum, de creatione Adæ & hominum, & de permissione peccati eorum, prius à nobis concipiendum est, quam decretum de incarnatione Filii Dei; licet utrumque fuerit ab æterno. Nam equidem ab æterno Deus prævidit Adamum & ejus ruinam, & simul prævidit & ordinavit in remedium incarnationem istam, sed post prævisionem ruinæ.

Morale. 2. Ex his desumi possunt aliquot documenta moralia, ut in Deum intellectum & affectum erigamus. Primò enim non parum acuere debet amorẽ nostrum, quòd sic ab æterno nos voluerit Deus amare: & ante mundum, ante omnia tempora nos in mente habuerit. Et quidem in particulari de uno quoque nostrum studiosè cogitavit, ut liberaret nos, & sic in remedium peccati nostri incarnationem filii sui decernere, ac unicuique mensuram gratiæ per Christum & in Christo nobis voluit *Isa. 63.* præparare. Quapropter ei possum' illud Isaiæ ex affectu dicere: *Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos, tu Domine Pater noster, Redemptor noster, à sæculo nomen tuum*, quasi diceremus: Ante omnẽ sæculorum memoriam hoc nomem tibi est, quòd Pater noster sis, & Redemptor. Etiam antequam essemus, curam Patris & Redemptoris erga nos habuisti, ex tunc diligens nos, & pretium nobis præparans, gratiamq; & hæreditatẽ. Abrahã & Jacob, aut alii Patris naturales nescierũt quales Filios generaturi essent, an felices, an infelices, cujus vel moris aut cõditionis. Tu qui ab æternitate habes nomẽ Patris respectu filii naturalis, etiam illud võluisti habere respectu Filiorum adoptivorũ, quos tunc noveras, & favore tuo benedicere ac amore paterno prosequi destinabas. Ulterius considerandum, quòd si Deus permisit hominem primum tentari, labi, & cum tota progenie sese involuere ruinæ, id tamen nõ permisit, nisi quia scivit de se, malis bona posse elicere, & quidem de hoc malo tantum bonum, carnationem scilicet Filii Dei; ita ut canat Ecclesia in cerei Paschæ benedicti: *Verè dignum & justum est invisibilem Deum Patrem omnipotentem, Filium ejus unigenitum Jesum Christum toto cordis ac mentis affectu, ac vocis ministerio personare, qui pro nobis æterno Patri Adæ debitum solvit, ac veteris piaculi cautionem pio cruore detersit.* Ac postmodum admirans quantum bonum è peccato valuerit Deus elicere, qualeque de veneficio beneficium, subdit: *O mira circa nos tua pietatis dignatio! O certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! O felix culpa, qua talem ac tantum meruit habere Redemptorem!*

Refulget ergò mirum in modum, jam ab æterno in dispositione Dei de salute nostra profunda ejus sapientia & providentia, potentia & justitia bonitas & misericordia: ideoque invitamur ingredi cum animi demissione & mentis gratitudine arcanum illud mysterium prædestinationis æternæ, decernentis adeò potenter, adeoque sapienter & piè, de liberatione nostra. Illud Sanctuarium, sive Sanctum Sanctorum possumus ingredi prævio lumine Dei, & aperire per clavem fidei. Ibi possumus, tamquam in Thesauro absconditio, detegere & cernere divitias gratiæ & salutis nobis præparatas divinâ benignitate, & in illis divitiis animum affectumque includere, cum adoratione cœlestis misericordiæ, & amorosa gratiarum actione. Sed hæc satis de primo puncto, de prædestinatione incarnationis Filii Dei & redemptionis nostræ.

PARS II. *De incarnationis mysterio, ab initio signis & figuris præostensa.*

QUantum ad secundum, dicebamus ab initio sæculi præcessisse aliqua symbola & figuras hujus mysterii, quorum nonnullæ hic latiùs posset declarari. Sed quoniam hæc de re variis in tractatibus sparsim à nobis mentio facta est, & passim occurrunt, sufficiat nobis eas compendiosè & obiter indicare. Primò in statu innocentiæ *Fons Paradisi, figuris* ascendens è terra & illam irrigans, figuram gessit Christi, Ecclesiam suam tamquam Paradisum irrigantis, quando de terra sumpsit originem per incarnationem, qui antea erat *Fons vitæ, verbum Dei in excelsis.* Exinde tot plantæ odoriferæ & fructiferæ exsurrexerunt, tot Sanctorum germina pullularunt, in cælum usque meritorum verticem erigentia. Ex illo fonte nobis fluxerunt aquæ salutis, aquæ redemptionis, aquæ consolationis, aquæ devotionis, aquæ salientes in vitam æternam, ut alibi demonstratũ est Ulterius. *Lignum vitæ* Christũ quoque designasse, & crucem ejus, àqua nobis fluit sanitas & vita, sæpè docent SS. Patres. Denique in formatione Evæ è latere Adæ dormientis præcessisse Ecclesiæ typum ædificandæ Ecclesiæ è latere Christi in cruce soporati, quandò fluxere Sanguis & Aqua Sacramentorum primariorum symbola, communis est Sanctorum Doctorum sententia. Atque etiam tunc in sopore extatico mysterium incarnationis Adamum cognovisse multi censent. Hæc breviter quoad statum innocentiæ.

In statu innocentiæ. 1.

Eccli. 1. 2.

3.

Secundò in statu legis naturæ præcessit figura Passionis Christi, & per illum salvationis nostræ, in Arca Noë, quam variè huic rei sacri Interpretes applicant. Atque rursus huic rectè dixeris Ostium Arcæ à latere fabrefactum, lateris Christi vulnus

In statu legis naturæ. 2.

præsignasse, quod est Ostium quo ingredimur ad
2. vitam & salutem, & quo liberamur à diluvio inundante. Sic & Arcus extensus in signum fœderis (Noë egrediente post diluvium ex Arca) Christum variis in cruce livoribus & coloribus depictum, &
3. extensum in symbolum æterni fœderis, designa-
4. bat. Prætereo sacrificium Abrahæ, quo voluit Isaac immolare alligatum, & lignis impositum.
Nota etiam est Scala Jacob, tamquam typus incar-
5. nationis Dominicæ, ut supra attigimus. Denique totus ipse Isaac, totus Jacob à Patre benedictus,
6. totus Ioseph polymitâ veste indutus, postea vendi-
7. tus, demum exaltatus & sceptro ornatus, figuram
8. gessere Salvatoris, ut nõ sit opus hic prolixâ dissertatione, sed piâ tantùm consideratione. Typum
Hebr.7. quoque Christi gessisse Melchisedec. declarat Apostolus.

3. Tertiò in lege Moysis, atque in eductione populi ex Ægypto, ubique occurrent figuræ adven-
In lege Moysis tus Christi ad liberationem nostram. Attende Virgam Moysis, attende ejus manum leprosam ac
1. mox sanam, attende Rubum, attende Petram Is-
2. raëlitas subsequentem, attende Serpentem exalta-
3. tum in deserto, & sexcenta alia: ubique typus
4. Christi & virtus ejus agnoscitur. Et licet fides in Christum non fuerit explicita tunc, nisi in paucis, debuit tamen fides implicita in omnibus reperiri qui justificabantur, quia nonnisi per fidem
5. Christi Mediatoris justificabantur. Denique, quicquid in templo antiquo fuit, typicum fuit ad Christum designandum, sive Propitiatorium
Hebr.9. quod utrumque respiciebant Cherubim, sive ar-
& 10. ca fœderis, sive altare, sive Victimæ & Holocausta sive ipsum Templum & Velum ejus, ut insinuat Apostolus. Et certè ideo voluit tardare Christus, nec tam citò advenire, ut quantò major erat is qui expectabatur, tantò eum præcònũ longior series præcederet, qui variis signis, figuris, & oraculis, mentibus hominum eum repræsentarent per multam seriem temporum & annorum. Quapropter per tot sacrificia & cæremonialia templi antiqui Christum præfigurantia & promittentia instruebatur genus humanum ad fidem futuri Mediatoris, & initiabatur ad futurum sacrificium in ara
Leo ser.3. crucis. Hoc his verbis expresse S. Leo. *Hæc salutiferi*
de Pente- *operum mora nos capaciores suæ vocationis effecit, ut*
coste. *quod multis signis, vocibus, & mysterijs, fuerat*
nuntiatum, hîs diebus Evangelij non foret am-
biguum. Sic nimirum multa velut præludia præcesserunt, antequam sonaret hora redemptionis nostræ, in qua consummanda erant omnia præcedentia signa. Propterea etiam tempus adventus Christi vocatur *Plenitudo temporis*, quia tunc impletæ sunt cæremoniæ & figuræ omnes legales, simulque divinæ promissiones, cum plenitudine donorum & gratiarum huic tempori adservatarum. Hæc de secundo puncto, quæ amplificari possunt ex variis figuris, secundum doctrinam SS. Patrum.

PARS III. *Mysteriũ Incarnationis à prophetis prænunciatum ostenditur.*

QUantum ad tertium, illud maximè textum nostrum concernit, in quo dicitur: *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.* Ubi primò advertendum, verum esse quod dixit S. Petrus. *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines*, hoc est impulsi à Deo: nam cœlestis Numinis vi & lumine impellebatur mens Prophetarum ad prænunciandum & pronunciandum divina oracula; non ad libitum & voluntatem propriam, sed ipsius Dei. Ipsi enim erant *Os Dei.* Hinc & suis Oraculis hoc elogium præferunt. *Os Domini locutum est.* Spiritus Sanctus erat scriba, & lingua eorum *Calamus scribæ velociter scribentis.* Quapropter Sacram Scripturam dicere solebat S. Antonius esse *Epistolam de cœlo ad homines missam.* Cui conforme est quod dicit Apostolus. *Fratres quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus*; spem futuræ scilicet gloriæ & æternæ vitæ, promissæ in scripturis sacris ab eo qui eas dictavit Hagiographis Scriptoribus, & per eorum manus ad nos transmisit. Quapropter quo spiritu scriptæ sunt & dictatæ, eo spiritu legi, eo spiritu audiri debent, eoque spiritu intelligi, ut nos dirigant in viam æternitatis. Quod & S. Petrus admonet: *Habetis firmiorem propheticum sermonem*, sive firmissimum, firmioremque omni scientiâ, demonstratione, & visione sensuum, & quovis testimonio oculari & aurito. *Cui bene facitis attendentes, quasi lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.* Hic mundus, & hæc vita nostra, caliginosus locus est, & sordidus, ac lubricus, in quo impingere, aberrare, labi facilè contingit, nisi sequamur & attendamus ad lucernam verbi Dei, & ad verbum fidei, quod nobis necessarium est aditer præmonstrandum, donec tandem perringamus ad lucem perfectam & diem visionis beatificæ in gloria, quando nox non erit amplius. Oracula ergo & monita Prophetarum, ac aliorum Scriptorum Hagiographorum, Apostolorum scilicet & Evangelistarum, maximi facienda sunt; sicut maximi faciebat S. Carolus Borromæus, qui flexis genibus & detecto capite solebat scripturam sacram legere attentissimè & devotissimè, tamquam verbum quod os Domini locutum est, & ad nos transmisit è cælo.

Isa. 15. 40. 58. *Psal.* 44. *Rom.* 15. *2. Pet.* 1.

2. Pet. 1.

Advertendum secundò, quod dicit: *Sicut locutus est per os Sanctorum*, non dicit *per ora Sanctorum*, sed per os, quia licet diversis populis, diversisque temporibus, per diversa oracula & symbola locuti sint Prophetæ; uno tamen ore omnes locuti sunt, & eadem docuerunt, concordique voce & animo de Christo Filio Dei, deque ejus incarnatione, & de salute nostra prænunciaverunt. Quo quidem monemur & nos una fide in Deum credere, & unanimes uno ore eum honorificare, unoq; humero ei servire, ac concordi zelo ejus gloriam procurare, quocumque in statu constituti simus. Sic-

NOTA 2.

lic-

licet locutus sit Dominus per os Basilii, Antonii, Augustini, Benedicti, Bernardi, Dominici, Francisci, Ignatii, & aliorum Sanctorum, varia quæ ad salutem & perfectionem ducunt; ipsi tamen, quia *Os Domini* sunt, ad nihil aliud tendunt, quam ut unanimes uno ore omnes Deum honorificent, & unicè ejus gloriam procurent, quibus libet tandem monitis in id tendant. Ipsi ergo meritò *Os Domini* vocantur, & tamquam ejus personam repræsentantes sunt audiendi, quia de his & similibus scriptum est: *Separa verū pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Jerem. 15. *Os eorum qui proximos convertunt est quasi os Dei, quia similes sunt Christo, qui est os & Verbum Patris, & ideo venit ut homines converteret: Vilis est mundus præsens, pretiosa est anima, qui ergo pretiosum à vili separat, Os Domini vocatur, quia per eum Deus verba sua exserit, qui loquendo animam ab amore præsentis sæculi evellit*, ait Sanctus Gregorius 18. Moral. cap. 23.

NOTA 3. Advertendum tertiò, quod is qui aperuit os Prophetarum, ut loqueretur per eos, nunc venit ut aperiat os suū, & per seipsum loquatur quæ ad salutem nostrā pertinent. Hoc notat S. Augustinus explicans sermonem Domini in monte, ubi dicitur Matth. 5. *Cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, & aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu. Forte mysterio, non vacat*, inquit S. Augustinus, *quod jam aperire dicitur os suum, quod ipse in lege veteri aperire soleret ora Prophetarum.* Aperuit ergo os suum veniens in hunc mundum, ad apertius & lucidius edocendam veritatem, & mysteria abscondita à sæculis. Quò spectat id quod apud Isaiam dixit. *Sciet nomen meum populus meus in die illa, quia ego qui loquebar, ecce adsum* Propterea etiam Apostolus sic alloquitur Hebræos initio epistolæ suæ: *Multi fariam multisque modis Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè nobis locutus est in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quē fecit & sæcula.* Qui olim multis modis per varias figuras & visiones Prophetas docuit, & per illos populū erudivit mirè rudem, Ezechieli apparens in curru Cherubico, Isaiæ in Throno excelso. Hieremiæ in Virga vigilante & olla succensa, Zachariæ & aliis Prophetis in multis aliis formis: tandem in fine sæculorum propriam personam Filii nos voluit erudire, & per Verbum suum nobis loqui, per Sapientiam æternam jam incarnatam nos docere, & ostendere apertissime verissima esse quæ paulò obscurius videbantur dixisse Prophetæ. Isaiæ 52.

NOTA 4. Advertendum quarto, Prophetas hic vocari *Sanctos*, quia ferè antiquitus Propheta juncta fuit sanctitati, licet illi non sit aliegata: cum enim sit gratia gratis data, & non necessariò gratum faciens, etiam quandoque improbis fuit communicata. Patet in Baalam qui cum iret ad maledictionem pronuntiandam contra populum Israel, coactus est benedicere ei, spiritu & numine divino ad id impellente. Ac de Christo nunc egregiam Prophetiam pronunciavit, deque ejus victoria & regno: *Orietur stella ex Iacob, & consurget Virga de Israel, & percutiet Duces Moab.* Quod clarissimè vertit Chaldæus de Christo: *Consurget Rex de domo Iacob, & ungetur Christus de domo Israel, & occidet Principes Moab, & dominabitur omnium filiorum hominum.* Sic etiam intelligunt passim Sancti Patres. Non absimiliter Caiphas dicitur prophetasse cum dixit: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo.* Manifestè quoque dicit Dominus: *Multi in illa die dicent: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* Et dicitur eis: *Amen dico vobis, nescio vos.* Patet ergo quod Prophetia, quandoque etiam improbis fuerit communicata, quamvis ordinarie Prophetas & Hagiographos Scriptores Sanctos fuisse non dubitemus, præter Salomonem, de quo finis est incertus. Num 24. Ioan. 11. Matth. 7

Postremò advertendum quod hic dicitur, *Dominum locutum esse à sæculo per os Sanctorum Prophetarum*, intelligi posse illud, *à sæculo*, ut idem sit quod ab antiquis & priscis temporibus hoc passim sic explicant sacrarum litterarum Interpretes: Nihil tamen etiam vetat dicere, semper ab initio sæculi aliquam de Christo Prophetiam fuisse. Nam in primis diximus supra de Adamo, non sine spiritu Prophetiæ extitisse à sopore suo, & dixisse de Eva: *Hoc nunc os de ossibus meis & caro de carne mea; & vocabitur Virago, quia de viro sumpta est. Quapropter relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ.* &c. Et olim de hac re agens Apostolus ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Ergo Adam tunc Christum cognovit, & de illo quamvis obscurè prophetavit. Atque etiam nonnulli asserunt eum rectè intellexisse illud dictum ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen illius & semen tuum*; ubi Christus è muliere oriundus designabatur, contritus caput serpentis. Atque ideò putant nomen, *Evæ*, mulieri tunc datum, quod est idem quod *Mater viventium*, quia ex muliere oriundus erat Christus, qui vitam & redemptionem erat allaturus post mortem communicatam. Dedisse ergo hoc nomen uxori suæ autumant non sine Spiritus Prophetici impulsu, ut in memoriam revocaret vitam sibi per Christum referendā. Ulterius septimus ab Adam Enoch prophetavit de Christo teste Juda in Epistola: *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere judicium contra omnes.* Non defuit etiam Prophetæ spiritus in Noë, sicut nec in Melchisedec, in Abraham, Isaac, Jacob. Sic ab initio sæculi semper aliqui fuerint Prophetæ, & aliquæ de Christo Prophetiæ. Gen. 2. Ephes. 5. Gen. 3.

Quin immo dixere nonnulli, Sybillam Babyloniam fuisse unam ex uxoribus Filiorum Noë: hæc autem de Christo prophetavit, dicitque se cum marito in arca fuisse l. 1. Oraculorum Sibyllinorum. Sed hoc incertum & suspectum est, putaturque additum ab aliquo, ad antiquitatem & auctoritatem illi Oraculorum libro conciliandam; nec ullam ante Moysen extitisse Sibyllam docti

Prophetia etiam improbis communicata.

Deus etiam per Sibyllas de Incarnatione filii sui locutus est.

viri autumant. Interim hoc hic certò generaliter dicere possumus, quod Deus de incarnatione Filij sui & redemptione nostra locutus est non solum *per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum ejus*, sed etiam per os quarumdam Sybillarum, Virginum ex Gentilibus ortarum, & Prophetissarum, sive Spiritu Prophetico præditarum, ad convincendos ipsos Gentiles: Recensentur autem numero decem, & de earum carminibus, & fide, agit Clemens Alexandrinus libro 6. Stromatum Lactantius libro 4. de vera sapientia. Agustinus 18. de de civit. Dei cap. 23. Constant nus Magnus in oratione ad Sanctorum cætum. Hæsichius in vitis Philosophorum, Eusebius, & alij antiqui historici. Erat nempè potestatis divinæ, ad futurarum rerum certiorem consensum, non solum per peculiares suos ministros futura prædicere, sed ad id etiam alienigenis uti. Perindè ac musicus gratum decantans carmen, super vacaneas quoq; percurrit plectro. Chordas, aut ornatus gratia, supra eas quæ ex usu sunt etiam alias adjicit. Certè SS. Patres ad confundendos infideles usi sunt Sibyllarum versibus, quasi lapidibus è torrente desumptis ad percutiendum frontem Goliæ. Quapropter hic etiam postumus dicere; fecisse Deum redemptionem, *sicut locutus est per os Prophetissarum suarum*. Quæ etiam Prophetissæ non defuerunt in Israel, ut patet in Debbora & Anna Matre Samuelis, & Maria sorore Moysis; quæ Prophetica cantica ediderunt futuram redemptionem hanc præindicentia.

LECTIO VI. BIPARTITA.

Thema. *Salutem ex inimicis nostris, de manu omnium qui oderunt nos.* Luc. 1.

PARS I. *Docet, omnes qui olim populum liberarunt, gessisse figuram Christi.* Isai. 19. 1. Mach. 3 Moyses. Iosue. Barac. Iud 5.

DIxit Dominus Isaiæ 19. *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem & Propugnatorem qui liberet eos.* Id certè verum fuit, quoties populus Israel ad Deum toto corde conversus clamavit, ab inimicis oppressus. Hinc tot victoriæ celebres per eos quos Dominus misit, *in quorum manum directa est salus*. Clamavit populus in Ægypto, & missus est Moyses, qui liberaret & salvaret eos de manu eorum qui oderant eos. Mortuus est Moyses, & missus est Josue, ad cujus etiam vocem stetit Sol, ut de inimicis plenius triumpharet, & hic etiam dictus est Salvator: miraque Deus per eum operatus est, ut salutem daret populo suo ex inimicis, & de manu omnium qui oderant eos; nam & muros Jericho demolitus est solo sonitu tubarum, præcedente arca Domini per circuitum murorum. Postea missus est & Barac, qui pugnavit contra Reges Chanaan, & adeò admirabilem victoriam reportavit, ut dicatur: *De cœlo dimicatum est contra eos, stella manantes in ordine & cursu suo adversus Sisaram pugna verunt.* Sic libet atus est rursum populus ab inimicis de manu omnium qui oderant eos. Ulterius electus est Gedeon, qui dixit ad Deum: *Si salvum facis per manum meum Israel, sicut locutus es, ponam hoc vellum lanæ in area, si ros in solo vellere fuerit & in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel.* Factumque est ita, & de nocte consurgens expresso vellere conchamm rore implevit. Dixitque rursus ad Deum. *Ne iracatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero, signum quæram in vellere. Oro ut solum vellus siccum sit, & omnis terra ros madens.* Fecitque Deus nocte illa ut postulaverat, & fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra Judicum 7. *Quam vero inclytam tulerit Gedeon de hostibus victoriam per trecentos viros lagenas & tubas gestantes, notum est ex cap. septimo Iudicum.* Præterea Sampsonem, Jephte, & alios Duces populi, quos Deus destinavit ut plebi salutem darent ex inimicis, & liberarent de manu eorum qui oderant eos. In his ergo omnibus verum fuit: *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem & Propugnatorem qui liberet eos.* Sic etiam per Ezechielem communicatur: *Liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt ultra in manibus vestris ad prædandum.* Gedeon. Iud. 6. Samsone. Iephte. Ezech. 13.

Hi porrò omnes Salvatores & Propugnatores populum liberantes figuram gessere Christi, & salus illa temporalis designabat salutem æternam quam erat allaturus. Propterea moriens, & in Christum Salvatorem fidei oculos figens Patriarcha & Propheta Jacob, dixit: *Exspectabo salutare tuum Domine.* Ubi Paraphrasis Chaldaica habet: *Non expectabo salutare Gedeon Filij Ioas, quæ est salus temporalis, neque salutare Sampson Filij Manue, qua est salus transitoria, sed resurrectionem Filij Dauid.* Vere tu, ô Christe, noster es. Moyses, qui postquam infans in fiscella juncea, hoc est in fœno & præsepio expositus fuisti, venisti in ætate matura cum Virga potentiæ, ut educeres nos de manu & servitute Ægyptiaca; qui & orans in monte extensis manibus dedisti nobis salutem & victoriam ab omnibus inimicis, & de manu omnium qui oderunt nos, eruisti. Tu es noster Josue, quandoquidem hoc nomen idem est quod Jesus & Salvator, ei propterea inditum à Moyse, cum antea vocaretur Oseæ, ut te non solum gestis, sed & nomine referret, destinatus ad salutem populi. Tu facis nos transire Jordanem sicco pede, & subversis hostibus, terræ promissæ partem nobis obtingentem distribuis. Tu muros Jericho nobis subvertis, & adversarias potestates, ac munitiones confundis. Tu præcipis Soli & Lunæ, ut co operentur victoriæ ac saluti nostræ, ut eruamur *de manu omnium qui oderunt nos.* Tu noster es Gedeon; in tua manu directa est salus nostra: cum vellere & rore, cum vellere agninæ innocentiæ, & rore cœlestis doctrinæ & gratiæ, quæ cum prius vellus Judaicæ synagogæ humectasset, postea exsiccatis & reprobatis Judæis humectavit, fœcundavitq; universam Christus est noster. Iosue. Num. 13. v. 17. Gedeon.

versam gentilitatis Aream. Tibi salutem & victoriam adscribimus & inclamamus: *Domino & Gedeoni*, qui primus corporis tui vase contrito luce admirabili perstrinxisti oculos hostium, & sonitu tubæ in nocte clangente eos perterruisti, ac sic liberasti nos *de manu omnium qui oderunt nos*, Tu quoque noster es Sampson, qui sævum catulum leonis disseccuisti in monte Calvariæ, & eduxisti mel & favum de ejus ore; quia Mortem ipsam interemisti, & nobis suavem reddidisti, salutisque januam effecisti. Tu portas Gasæ, hoc est inferorum vectes, confregisti, & resurgens in montem tulisti eas, inferni & mortis victor. Tu plures occidisti moriens, quam vivens; occidisti scilicet ut morerentur peccato, & viverent justitiæ, sicque salutem assequerentur, quos autem Sampson occidit, perierunt cum Dagon Deo suo „ everso ejus templo.

Sampson.

PARS II. *Qui sint inimici à quibus per Christum liberamur.*

ITaque salutem dedit ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos, ille qui venit in nomine Domini. Si autem quæras qui sint hi inimici nostri qui oderunt nos?

Respondeo primò, hos esse Dæmones, qui novo semper odio prosequuntur nos, & nihil aliud respirant nisi perniciem nostram, ideoque ad omnes intentant vires. Quare autem sic oderunt nos quid eis mali intulimus? Nihil plane. Sed quia oderunt Deum, & illi nocere non possint, conantur ei nocere in sua prima creatura & imagine. Sicut si quis Patrifamilias nocumentum inferre nequit, ejus agris vel possessioni, vel Filijs, nocumentum parat; sic se gerit & Dæmon, dum hominibus justis adversatur, & illis nocet. Hanc vindictam existimat in Deum retorqueri, dum hominem ad imaginem Dei factum perimit, dumque coronam ei adimit. Sion nostris gaudet malis, nostris se erigi autumat ruinis, nostris pascitur vulneribus, nostrum sitit sanguinem, „ nostra vivit ex morte, & hominum damnum suum putat lucrum; cum nonnisi majorem damnationem acquirat ex societate pereuntium, sicut ignis major exardescit ex acumulatione lignorum. O insanabile odium quo furit Dæmon, quodque semper crescit à sex millibus annorum! Nec unquam quietum ipsum sinit, quia licet myriades animarum ad perditionem induxerit, non ei adhuc sufficit, sed *fiduciam habet quod Iordanis influet in os ejus*; hoc est, sperat absorbere omnes Christianos, omnes baptizatos, qui per Jordanem significantur, quia ibi cœpit Christi baptismus. Hic est ergo ille qui per antonomasiam MALIGNUS nuncupatur, hoc est, secundum nonnullorum interpretationem, malo igne succensus; quo & alios succendere nititur. Est enim ipse succensus non solum igne inferni, quin ei pœnam æternam malitiæ est ordinatus; sed & igne superbiæ maximæ, cujus fumus & caligo contra Deum ascendit cum scintillis blasphemiæ, de quo illud interpretari possumus: *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.* Est etiam successus igne odij & invidiæ in hominem non minus quam Cain in Abelem, aut quam Esau in Fratrem suum Jacob. Quia enim Homo in ejus successedit benedictionem & hæreditatem, ex qua cecidit propter superbiam & rebellionem, hanc omnino invidet homini, & furorem suum in eum effundere parat, ut ab hac benedictione & hæreditate excludat; sicut Jacob odio prosecutus est Fratrem, quia paternam præripuerat benedictionem, quam tamen profanus vendiderat. Ab illo quoque prodit tam quam maligno successore, seu incentore, omne odium, omnis invidia, omnis malignitas & perversitas, „ quæ inter homines reperitur, aut in finem usque sæculi reperietur; sunt enim scintillæ ab ejus pessimo igne prodeuntes. Et de illo scriptum est: *Halitus ejus prunas ardere facit*, quia pessimum ignem in qua sua suggestione quasi sufflatu inter homines succendit, quo hic ardeant, infeliciter, ut postmodum in ejus consortio æternum. Quare.

Ps. 73.

Dæmones.

Ps. 42.

Isaiæ 73.

Iob. 40.

Respondeo secundò per inimicos à quibus nos venit Christus liberare, intelligi non solum Dæmones, sed & ejus ministros, „ impios scilicet qui Sanctis jugiter adversantur, dicunturque membra Diaboli, sicut pij dicuntur membra Christi. Atque iterum hi repræsentantur per Esau reprobum, sicut illi per Jacob benedictum & electum, sicut explicat S. Augustinus serm. 28. de temp. ubi sic ait: *Sicut duo parvuli in utero collidebantur, sic in utero Ecclesiæ duo populi adversantur. Si enim aut soli boni, aut soli male essent, unus populus foret: quia vero in Ecclesia & boni sunt mali, quasi in ventre spiritalis Rebeccæ duo populi colliduntur, humiles scilicet & superbi, casti & adulteri, mansueti & iracundi, benigni & invidi, misericordes & cupidi: Boni enim lucrari volunt malos, mali extinguere bonos. De uno Isaac semine Esau & Iacob nascuntur, de uno baptismo Salvatoris & Ecclesia utero populus Christianus procreatur, qui tamen pro morum diversitate, sicut Esau & Iacob, in duas partes dividitur. Cum autem Rebecca molestiam ex puerorum collisione non sustineret, sed diceret: Si sic futurum erat, quid necesse fuit concipere? Ait Dominus, Duæ gentes in utero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo dividentur, & populus populum superabit, & major serviat minori. Majoris nomine mali intelliguntur, quia semper eorum major est numerus. Nam secundum litteram Iacob Esau servivisse scriptura non memorat. Si autem spiritualiter accipiatur, facile intelligitur major bonis servire, non obsequendo, sed persequendo. Quomodò ergo mali serviunt bonis? quomodo persecutores mali bonis Martyribus: quomodo lima ferro, quomodo paleis nuces coquendis furnalia, quomodo in fornace artifices pavianta, lea servit auro? ibi palea consumitur, aurum probatur. Non ergo glorientur mali quod bonis tribulationes immiserint, quia cum illos persequuntur corpore, seipsos occidere probantur in mente.* Hactenus Augustinus.

Rt. 2. *Inimici.*

Quomodo

Licet ergo Deus non velit semper omnes inimicos tollere, dat tamen gratiam eos superandi, & efficit ut nobis prosint ad salutem & meritum. Sic semper manuit aliquis Jebusæus inter Filios Israel, Deo ita disponente, ad ignaviam Judæorum repellendam: ut scilicet scirent inter se habitare aliquos, quos timere & propter quos vigilare oporteret. Nos quoque scire debemus semper aliquem nobis adversaturum, ut probemur; Deum verò de manu omnium nos tandem liberare velle, ut probati coronam & remunerationem ampliorem consequamur. Sic tandem salutem nobis dabit ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos, si in eum fiduciam cum patientia jaciamus.

R. 3. *Inimici nostri sunt vitia & pravæ nostræ inclinationes.*

Respondeo tertiò, inimicos nostros esse vitia ac pravas inclinationes nostras, sive passiones vitiosas, quibus Satan nos metipsos turbat & impugnat. De nobis enim sumit quo nobis adversemur ipsi, & deinde Deo; sicque diligendo iniquitatem, fit ut odiamus animam nostram, quâ nobis nihil deberet esse charius & pretiosius: *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis,* inquit Job; *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Qui peccat, adversatur Deo, adversatur & sibi, quia conscientia remordente sibi fit gravis & tædiosus: *Peccatum meum contra me est semper.* Id verò contingit, quia adversario consentit, dum suis obtemperat passionibus & vitijs. Habet ergo Satan varias cohortes, variosque Duces, quibus continuò adversum nos bellum ciet. In hoc bello suscitat Ducem ipsam Superbiam cum suis annexis militibus arrogantia, vana gloria, jactantia, præsumptione, ingratitudine, rebellione & duri superbi cordis, inobedientia, elatione mentis, & plurimis alijs. Contra alios suscitat Ducem ipsam Avaritiam cum suis militibus pessimis, injustitia furto, rapina, violentia, amore terrenorum, neglectu cœlestium, inquietudine cordis & mentis, usura, fraude, mendacio, immisericordia in pauperes, inferiorum sibi oppressione, obduratione, vana fiducia in opibus & similibus. In quibusdam aliter belligerat, suscitando luxuriam cum gula, tamquam fortes Duces magnam secum cohortem habentes. Luxuriam enim sequuntur turpiloquium, oscula, tactus, fornicatio, incestus, adulterium, pollutio iniqua, delectatio pessima, & alia nefanda. Sic & Gulam sequitur hebetudo mentis & corporis, immunditia & fœditas, Dei oblivio & sui ipsius per ebrietatem, juramenta & rixæ; pleraque alia vitia noscuntur esse de ejus sequela & societate. Ulterius bellum gerit Dæmon suscitando invidiam in nobis, per quam multorum animas perdit, & innumeris vitijs opprimit. Huic enim se socios adjungunt, gaudium de malo proximi, dolor de ejus bono, odium, rixæ, judicium temerarium, susurratio, detractio, maledictio, & sexcenta alia vitia. Similiter dicendum de alijs vitijs capitalibus, Ira, Accidia, quibus etiam multos oppugnat Satan, habentque suos milites & cohortem tamquam Duces conspirantes in nostram perniciem, nisi nobis advigilemus, & auxilium imploremus.

Varij duces Satanici belli.

Propterea dicebat S. Bernardus ser. super Missus hom. 4. *Veni Domine Jesu, aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut tu regnes in ea. Venit enim avaritia & vendicat sibi in me jedem, jactantia cupit dominari mihi, luxuria dicit, ego regnabo, ambitio, detractio, iracundia, invidia certant in me ipso de meipso, cujus ego potissimum esse videar. Ego autem quantum valeo resisto, rentor quantum juvor, Dominum meum Jesum reclamo, ipsi me defendo, quia ipsius me jure agnosco. Ipsum mihi Deum ipsum mihi Dominum teneo, & dico; Non habeo Regem nisi Dominum. Veni ergo Domine, disperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus & Deus meus, qui mandas salutes Jacob.* Hæc Sanctus Bernardus apte ad nostrum propositum.

Venit ergo Christus Dominus, ut salutem nobis donet ex omnibus his inimicis nostris, ut canit Zacharias, hoc est, ut gratiam impertiatur ad superanda omnia vitia ista, & pervertas passiones, pravosque habitus, quibus colligati jacebant Filij Adam gementes cum Psalte, & dicentes: *Laboravi in gemitu meo*, sive defatigatus sum suspirando per singulas tribulationum noctes. *Turbatus est à furore oculus meus.* Propter furorem & acerbitatem inimicorum meorum turbati sunt oculi mei, caligantes præ lachrymarum copia. *Et inveteravi inter inimicos meos.* Quasi dicat: Inter inimicos meos consenesco, ac indignor & doleo quod jam senuerim, & animæ meæ hostes, Dæmones, vitia, pravos habitus non vicerim. Hæc autem omnia nunc possunt Filij Adæ superare per gratiam Christi, omnia, inquam, tuæ adversantia saluti; unde eorum culpa est & socordia, si adhuc hæreant in vitijs & peccatis suis, consentientes hostibus & passionibus perversis. Quapropter illud Baruch eos debet excitare ad fortiter vitijs, & hostium viribus resistendum, & se ab eorum captivitate & vinculis eruendum: *Quid est Israel, quod in terra inimicorum es? inveteraste in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis deputatus es cum descendentibus in infernum? Dereliquiste fontem sapientiæ, nam si in via Dei ambulasses utique in pace sempiterna. Disce, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit lumen oculorum & pax.*

Ps. 6.

Baruc. 3.

Notandum porrò, quod hic dicitur Christum nos velle liberare de manu omnium qui oderunt nos, quia non sufficit nos aliqua vitia superare, & de manu unius hostis liberos esse. Si unum peccatum nos tenet, id sufficit hosti; sicut & Aucupi, quod per unguem avem teneat. Omnia ergo vincula ejus penitus sunt dissolvenda per Christi oblatam gratiam, ut perfectè cum illa nostram operemur salutem, & assequamur promissam libertatem

Nota.

Quam

Quam quidem libertatem nemo debet desperare, quia quælibet anima quamvis onerata vitijs, peccatis irretita, capta illecebris, exilio captiva, corpore carcerata, luto hærens, infixa limo, affixa membris, confixa curis, distenta negotijs, contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, sollicitudinibus anxia, suspicionibus inquieta, & postremo *advena in terra inimicorum*, juxta Prophetæ vocem, *computata cum mortuis, deputata cum his qui in inferno sunt*: tamen habet unde respirare in spem veniæ, in spem misericordiæ queat; imò unde audeat adspirare ad nuptias Verbi, cum Deo inire fœdus societatis, suave jugum amoris cum Rege ducere Angelorum, Ita loquitur S. Bernardus serm. 83. in Cantica.

LECTIO VII. BIPARTITA.

Thema. *Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris & memorari testamenti sui sancti.* Luc. 1.

De misericordia Dei cum Patribus nostris.

CAusa adventus Messiæ & Redemptionis per eum factæ hic manifestatur. Primo misericordia Dei erga Patres nostros. Secundo pactum cum illis. Tertiò, versu sequenti juramentum quo pactum illud & promissum de Christi adventu firmavit Deus.

Quantum ad primum, sæpe cum cordis gratitudine hoc memorandum est: Mysterium scilicet Incarnationis divinæ & redemptionis nostræ tanquam maximum omnium beneficium, non esse adscribendum humanis aliquibus meritis, sed in immensam Dei misericordiam esse referendum. Quæ ipsum passim sacra Scriptura significat, tam antiqua, quam nova. Ideò David antiquitus oculum lumine prophetico illustratum in hoc mysterium quasi jam peractum figens, canit: *Notum fecit Dominus salutare suum, recordatus misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel* Cui novi testamenti præcentrix Maria ex Davidica progenie orta concinit: *Suscepit Israel Puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Utrimque autem voci concordat Zacharias, & musicum quoddam Trio efficit, dum hic subjungit: *Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti.* Hanc vero harmoniam audivit S. Paulus, unde sæpe in suis epistolis repetit, *quod non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit:* quodque propter nimiam charitatem quâ dilexit nos; misit filium suum unigenitum, natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus. Id autem fecit Deus *qui dives est in misericordia, ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Iesu,* ait idem Apostolus.

Ps. 97. *Luc. 1.* *Luc. 1.* *Tit. 3.* *Gal. 4.* *Ephes. 2.*

Sed quæstio est apud Theologos, an non Sancti Patres, Patriarchæ scilicet & Prophetæ, alijque justi antiqui, sua pia vita, suis precibus & gemitibus in cœlum porrectis, meruerint incarnationis divinæ mysterium? An non Deipara Maria sanctitate & puritate suâ meruerit ut esset Mater Dei? An non Abraham fide & obedientiâ promeruit, ut ex semine suo Christus nasceretur, & connumeraretur inter progenitores ejus? An non similiter David, ad quem promissio facta est, id promeruisse dicendus per suam pietatem, ob quam dictus est, *Vir secundum cor Dei?*

An aliqui Sanctorum, mysterij divinæ Incarnationis meruerint.

Respondent uniformiter omnes Theologi, nullius merita potuisse de condigno promerentur incarnationem divinam. Primo, quia secundum commune axioma Theologorum, *Principium meriti, non cadit sub meritum*: Incarnatio autem est Principium omnis gratiæ omniumque meritorum quæ in hominibus reperta sunt; ideoque non cadit sub meritum eorum. Secundo, quia merita hominum sunt inferioris ordinis, quam unio divinæ naturæ cum humana, quæ est divini cujusdam ordinis, longè sublimioris quam ut merita hominum illam possint attingere per condignitatem cum tali præmio, aut proportionem æqualem cum illo. Nihil enim sublimius cogitari potest, quam hominem fieri Deum, & divinitatem inesse personali illi communicari; quia hoc altius est, quam illi communicari & uniri per visionem aut fruitionem in beatitudine. Tertiò, quia *Incarnatio Christi est reformativa totius naturæ humanæ, & ideo non cadit sub meritum alicujus hominis singularis: quia bonum alicujus puri hominis, non potest esse causa boni totius naturæ.* Triplex hæc ratio desumpta est ex S. Thoma 3. p. q. 2. art. 11. Ubi hæc expendentes Theologi asserunt nec merita Angelorum, nec merita hominum in statu innocentiæ potuisse de condigno promereri, ut Deus fieret Homo, maximè ob secundam rationem, quia talis unio est altioris ordinis, quam merita cujuslibet creaturæ. Itaque hoc beneficium divinum omnia alia transcendens beneficia Dei erga creaturam, planè gratuitum est, ejus bonitati sese communicanti taliter homini, ejusque misericordiæ & dilectioni adscribendum. Quod quidem & prædestinatum est ab æternitate, & exhibitum est in tempore, *ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris*, quâ & nos participes essemus, ut hic canit Zacharias.

Pr. Nemo de condigno potuit promereri ob tres causas 1. 2. 3.

Immò sublimitatem hujus mysterij considerantes nonnulli Theologi, quodque maximè gratuitum esse debeat, quia fons est & origo & radix omnis gratiæ hominibus datæ, negarunt ullum hic meritum respectu illius reperiri, etiam meritum de congruo; ut nullo modo ex operibus, sed purissimè & plenissimè sit ex gratia. Et hoc quidem verum est, quantum ad prædestinationem & prædefinitionem incarnationis, quia ita prædefinitum fuit, & prædestinatum ex meritissima Dei gratia, bonitate, ac misericordia. Nihil tamen

Vide Suar 3 p. q. 7. a. 11. disp. 10. sect 7.

vetat dicere cum Sanct. Thoma, & alijs Theologis, quantum ad incarnationis executionem, ac celebrationem, & alias circumstantias temporis, loci, personarumque, è quibus Christus nasceretur, voluisse Deum respicere aliquod meritum hominum de congruo, sive dispositionem aliquam ex parte eorum, ut admittit S. Thomas. Nec enim hoc obfuscat gratiam Dei, aut ejus imminuit beneficium & misericordiam; nec amore loquendi sacræ Scripturæ aut Sanctorum alienum est, sic dicere, sic docere.

Voluit tamen Deus respicere aliquid meritum hominis de congruo in circumstantiis incarnationis Exemplum in Abraham. Gen. 22.

Nempè congruum erat sive decens, Deum exaudire preces ardentes & gemitus justorum ad se clamantium, ac desiderijs eorum satisfacere, benedictioneque speciali eos benedicere, qui fide & promptâ obedientiâ sibi obsequerentur. Quapropter dicit Abrahæ: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes, quia obedisti voci meæ.* Hæc benedictio futura erat per Christum, quem promittebat futurum de semine Abrahæ. Ergo ibi propter obedientiam reperitur meritum quoddam de congruo, quo Abraham fieret tantæ benedictionis hæres, ut, ex ipsius progenie Filius Dei carnem sumeret. Ut tamen quoque sine meritis hominum misericordiam suam magnam hic adesse ostenderet, etiam de peccatoribus nasci dignatus est, ita ut dicat S. Hieronymus: *Notandum in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumi multerum, sed eas quas Scriptura reprehendit: ut qui propter peccatores venerat de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret.* Ipse enim ille est solus sine peccato, de quo S. Fulgentius, *lib. 2. ad Trasimundum Regem c. 2.* (agens de humana natura peccato corrupta) sic loquitur: *Inquirendus fuit unus, cujus esset reformanda munere informanda lumine, confirmanda virtute: ut aqualitas aterna justificaret impiam, instrueret insciam veritas, virtus firmaret invalidam.*

In Daniele Propheta, Dan. 9.

Meritum quoque de congruo repertum videtur in Daniele, ut acceleraretur Dei incarnatio, quem sic alloquitur Gabriel Archangelus, hujus mysterij Minister specialis: *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo, ego autem veni ut indicarem tibi quia Vir desideriorum es, tu ergo animadverte sermonem & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, ut finem accipiat peccatum, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.* Quasi dicat: Tu ferventes preces & gemitus obtuliti, ac desideria sancta pro abolendis peccati populis, quod per Christum fieri debere noveras. Quia ergo tu Vir desideriorum es hac in reflagrans desiderio gloriæ Dei, desiderio salutis hominum, desiderio liberationis populi tui, mereris de ea re audire decretum Dei de tempore adventus Christi. Ecce septuaginta hebdomades annorum (conficiebant annos 490.) definitæ sunt à Deo. Etcum potuisset plures statuere; tamen propter prævisa piorum suspiria & desideria, in corde tuo jam collecta, hoc breve tempus constituit, in quo per Christum peccatum delebitur satisfactione perfectâ, quia ipse erit justitia & redemptio, & sanctificatio, & ungetur tamquam Sanctus Sanctorum, omnes sanctificans sanctitate copiosâ, tamquam Fons & Principium sanctitatis omnis.

Sic & meritum de congruo præcesserat in Simeone justo, ut responsum acciperet à Spiritu S. non visurum se mortem, nisi videret Christum Dominum, & certior fieret ardentia desideria sua de incarnatione Filij Dei jam esse adimpleta; ipse enim magnopere expectaret redemptionem Israël, nec congruum erat suo ut fraudaretur desiderio. Fecit ergo Deus misericordiam cum Daniele, fecit misericordiam cum Simeone ostendens illis tempus quo illud adimplebatur. *Ostende nobis misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Fecit autem hanc cum ipsis misericordiam, tamquam cum Patribus nostris, ob fidem eorum specialem, & ob fervorem desiderij eorum; ideoque meritum de congruo in ipsis adfuit, quod misericordiam istam attraheret, adeo pia nimirum petitio, adeo pia & fervens dispositio.

In Simeone justo.

Ps. 84.

Similiter dicimus; quod David pietate suâ de congruo promeruit, ut inter Progenitores Filij Dei censeretur; & Joannes Baptista, ut Præcursor Domini stabiliretur; & Maria, ut Mater Dei existeret: quia & sanctitas Davidis, & Joannis à puero conservata innocentia, & Mariæ super omnes puritas decens fuit dispositio, ut ille Progenitor Christi, iste ejus Præcursor, hæc ipsius Mater & Genitrix existeret; & ut misericordiam Deus cum illis faceret, ac mediantibus illis, tamquam instrumentis electis, *misericordia ipsius à progenie in progenies timentibus eum* profluereret, ut canit Maria. Sic ferè loquuntur Sancti Patres, ut Mariam fuisse dignam dicant, quæ Mater Dei fieret: quia forma loquendi volunt insinuare, quod dispositio talis in illa fuerit, ut digne, hoc est omnino decenter secundum moralem decentiam, stabiliretur in hoc munere Matris Dei. Non enim volunt quod meritum de condigno in ea fuerit, quo promeretur fieri Mater Dei; quia, ut dicimus, cum hoc altioris fuerit ordinis & gradus quam merita humana, meritum de condigno non potuit reperiri respectu illius; sicut nec respectu hypostaticæ unionis, quam attingit hæc maternitas. Sic intelligendus est S. Ansel. l. de laud. Virg. c. 8. dum dicit. *Sanctissima puritas purissima sanctuas pectoru ejus omnis creaturæ puritatem & sanctitatem transcendens, in comparabili sublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis plenissime fieret.* Sic etiam intellige quod Bernardin Senensis ser. 51. dixit, *Virginem eo actu quo consensit Angelo nuncianti, plus meruisse quam omnes Angelos & Homines actibus suis.* Id enim non videtur aliter verum, quam fuerit tunc ultima dispositio ad maternitatem Dei per illum actum; quæ tamen dispositio non fuit meritoria illius de condigno, sed tantum de congruo: nec enim hic actus æqualitatem omnimodam habuit ad talem digni-

David Ioannes Baptista, B. M. V. quid meruerint de congruo.

tatem, nec illius habuit promissionem in hac conditione fundatam; maximam tamen habuit decentiam ex ordinatione Dei. Hæc est utrique Theologorum sententia, ac ipsius S. Thom. 3. p. q. 2. art. 11. in fine. Propterea etiam Maria Deifera in suo Cantico totum quod in se gestum est, dum concepit filium Dei, potentiæ & misericordiæ Dei adscribit, *quia ancillæ suæ humilitatem*; hoc est, vilitatem & indignitatem *respexit, & fecit magna qui potens est, recordatus misericordiæ suæ.* Quam etiam misericordiam cum Patribus factam decantat hic Zacharias ut diximus.

Quæri & hic posset, cur misericordiam Deus fecerit cum primo homine peccante, & cum ejus progenie, cum Angelo autem & ejus consortibus in peccato unico deprehensis, non usus fuerit misericordia, sed iudicio & justitia rigorosa, eos addicens in momento pœnis sempiternis, sine ulla spe veniæ vel misericordiæ? Sed hac de re egimus, & plures attulimus rationes, *tum in Horto Pastorum tract. 3. lect. 4. tum etiam in Rationali Evangelizantium, tract. 1. lect. 22.* Quæ ibi dicta sunt, huc referri possunt, & oportune tractari, ideo non repetimus. Hoc
Psal. 100. solum dicimus: *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Misericordiam quam fecisti cum Patribus nostris; judicium quod fecisti cum inimicis nostris, & cum his qui nunc oderunt nos, quia misericordiam adepti sumus, & in eorum locum suffecti.

Sed prosequamur textum nostrum; & cum diximus primam causam adventus Messiæ hic insinuatam à Zacharia Propheta, fuisse ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris, simulq; nobiscum: addamus & secundam de fideli promissione & pacto cum illis, quo eos dignatus est Dominus, quasi se volens ultro obstringere, ut & hoc promissum & pactum possent ei supplices repræsentare, sicque eum urgere. Hac de re agitur, cum dicitur fecisse redemptionem plebis suæ, non solum ad faciendam misericordiam, cum Patribus nostris, sed etiam ut se memorem ostenderet testamenti sui sancti. Hæc enim sunt verba nostri Prophetæ. Et memorari, &c.

PARS II. *Et Memorari Testamenti sui sancti. De pacto, sive testamento cũ Patribus nostris.*

ALlegat ergo Zacharias pactum & testamentum, sive promissum Dei de mittendo Messia, cujus tandem videtur recordatus, dum eum misit ad liberationem populi. Non quod illius pacti & testamenti posset oblivisci, sed quia se gerebat quasi immemore, dum tamdiu tardare videretur. Et hoc pactum ac testamentum sæpius illi repræsentabant lachrymosis vocibus: sed sciebat ipse tempus; & ideo promissum suum implevit in plenitudine temporis, adimpletumq; est illud: *Tu exurgens Domine misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.* Psal. 101. Alia lectio habet, *quia venit pactum*: tempus scilicet pacti adimplendi, & promissi advenit, & tunc non defuit.

Itaque beneficium incarnationis divinæ & redemptionis humanæ non solum tribuit Zacharias Propheta misericordiæ divinæ, sed & promissioni quam antiquis fecerat Patribus is qui prima Veritas est, qui nec poterat falli, nec fallere. Quapropter passim sacris in litteris tribuitur junctim misericordiæ & veritati, sine veracitati Dei. Sic enim dixit David. *Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel.* Psal 79. Et eleganter dixit Ps. 84. agens de hac incarnatione: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt. Veritas de terra orta est, & justitia de cœlo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Quasi diceret: Misericordia Dei erga homines, & ejus veritas seu veracitas in præstandis promissis, obviaverunt sibi, & simul concurrerunt, ut hominibus beneficiant, & promissum Redemptorem, & redemptionem mittant, conspiraruntque invicem ad opus illud admirabile incarnationis & salutis hominum. Idem quoque concluserunt, dato mutuo osculo & manu, inter Sorores bene concordantium, Justitia divina & Pax, sive benevolentia divina; justitia quam servat in promissis, & benevolentia qua nos sic amat, ut Pacem, hoc est omnia prospera nobis efficiat. Hinc autem factum est, ut mox *Veritas*, sive Veracitas Dei: progerminarit fructum suum de terra, promissum scilicet Messiam, cum copia bonorum omnium. Et *Justitia* quæ diu irata latuerat, jam placato vultu de Cœlo prospexit in terram, dans illi benignitatem, sive eam fœcundans rore cœlestis benedictionis. Sic *Terra nostra*, Terra virginea, dedit fructum desideratum à tot sæculis, Salvatorem scilicet mundi, & ejus salutem. Vide Sanct. Augustinum in hunc locum. *O felix obviatio Misericordiæ & Veritatis divinæ ad salutem nostram procurandam! O felix nobis amplexus & osculum Justitiæ & Pacis in idem conspirantium!* Rememoremus crebrò hanc Misericordiam & Veritatem, hanc Justitiam & Pacem de Cœlo respicientem; & saluti nostræ prospicientem. Rorem divinitatis de Cœlo in terram defluentem consideremus & Terram nostram dantem fructum suum, Fructum illum de quo dicitur. *In illa die erit germen Domini in magnificentia & gloria, & erit fructus terræ sublimis, & exultatio his qui fugerint de Israel.* Hæc consideratio nostrum excitet amorem erga Deum, cujus perfectiones omnes nostram procurant concorditer salutem: quia licet Justitia & Misericordia sibi adversari quandoque videantur, quia Justitia petit ultionem Misericordia compassionem, tamen Justitia etiam nos plectens, vult ut ad cor revertamur, vultq; nos redire ad Misericordiam, & ad eam refugium habere.

Quomodo redemptio humana sit prævisa.

Isaiæ 4.

Exemplo docetur, quod per misericordiam detur ingressus.

Audi quod hac de re legi in Vita S. Dominici, l. 3. cap. 2. Quidam Bononiæ Vir litteratus, sed vanitati sæculi deditus, quadam visione cœlesti sibi immissa fuit illustratus. Vidit ipse in campo valida se tempestate circumdatum, coactumque fugere ad domunculas aliquas ibi vicinas. Cum ad primam perve-

pervenisset,& janua esset clausa,pulsat, petitq; introitti. At Hera domus eintus respondet : *Ego Iustitia hic habito,non potes huc ingredi , cum sis injustus.* Ille dolens,ulterius pergit, & alias pulsat ædes,ut recipiatur. Sed iterum pro responso audit ab Hera domus: *Ego Veritas hic habito,nec te admitto,non enim liberat Veritas se non amantem,oditque Vanitatem.* Videt tertias ædes,& angustiatus ad illas currit, pulsatque. Sed rursus ei Hera domus: *Pax ego sum,non est autem pax impiis,sed hominibus bonæ voluntatis. Verum quia apud me sunt cogitationes pacis, & non afflictionis, do tibi salubre consilium : ultra me degis Soror mea Misericordia , quæ semper misere fert opem,accede ad eam , & fac quod jusserit.* Dum autem appropinquaret ædi occurrit illi Misericordia & dixit : *Si vis servari à tempestate,ad templum Sancti Nicolai,ubi Fratres Prædicatores figunt sedem.Ibi invenies stabulum pœnitentiæ, præsepe continentiæ, doctrinæ pabulum, asinum simplicitatis cum bove discretionis. Ibi quoque reperies Mariam illuminantem Ioseph proficientem. Iesum te salvantem.* Evigilat homo,ruminat omnia; sequitur consilium datum;venit, & petit recipi in cœtum Religiosorum,idque impetrat cum gaudio. Ita ibi.

NOTA. *Deus ex parte sua nunquam deest, nisi & homo desit sibi.*

Ulterius notandum in eo quod dicit Zacharias Deum fuisse memorem testamenti & promissi sui, numquam eum defesse ex parte sua , si homo non desit etiam ex sua. Testamentum sive pactum inter duos fit, & ex utraque parte aliquid solet promitti,vel requiri. Sic promittit nobis Deus vitam æternam,si debitum ei obsequium persolvimus,ex parte autem sua non deerit, si ei non defuerimus. Sic anima religiosa promisit obedientiam paupertatem,castitatem,& ei superiores vota hæc acceptantes ex parte Dei promittunt coronam his votis correspondentem,nec deerit Deus promisso,si impleatur & voti promissio. Atque antiquitus hoc pactum fuit cum populo Israëlitico figuram gerente populi Christiani : *Erit tibi Dominus specialiter in Deum,sies fuerit specialis populus in populum.* Sed,eheu Deus in suis stat firmus promissis, nos verò quam fragiles,quam instabiles sumus! Quam facile declinamus ad Deos alienos,& Deo rebelles sumus, instar populi antiqui,dum propriæ voluntati servimus,& vitijs adhæremus,passionibusq; propijs tamquam idolis,atque in hoc etiam Dæmoni hosti ejus jurato obsequimur? Attende ergo quisquis Religiosus es,an stes promissis, *Magna promisisti, majora promissa sunt tibi. Serves hæc, suspires ad illa,* ut monebat suos S. Franciscus. Attende & tu Sacerdos aut Ecclesiæ obsequio quisquis est consecratus. Si hic Dominus fuerit *Pars hereditatis tuæ , & calicis tui,* ut promisisti,ipse in futuro restituet hæreditatem tuam tibi. Attende denique,quisquis Christianus es,quicquid in baptismo promisisti, & serva illud,nec Deus ullatenus tibi deerit: quia memorabitur testamenti sancti sui,si & tu illius pacti & testamenti memor fueris,& studiosè adimpleveris.

Sed & in alijs quibuslibet promissis fidelis est Dominus,licet tardare videatur,sive per se promiserit,sive per os servorum suorum.Non vult ut definiamus metas & tempora & momenta , quæ in sua posuit potestate , quæ nec voluit nos nosse. Non vult nos animo deficere, si tardare videatur in sua promissione. Quandoque tempus definitum ponit,& non possumus aberrare. Sic Danieli posuerat *Hebdomades septuaginta.* post quas Christus venturus esset;& absque dubio hoc tempore definito venit,quantumlibet disputent Interpretes, à quo initio hebdomades hæ sint inchoandæ,quamvis etiam obscurius dictum sit Hebdomades 70. futuras , & de Hebdomadibus annorum intelligendum sit. Annorum verò,an Solarium,an Lunarium? Hoc iterum tuitationi nostræ voluit Deus relictum. Sic sæpe Deus,ut nostram probet patientiam & fiduciam; aliquid relinquit obscuritatis, in his quæ promittit,vel per se,vel per Angelos, vel per electos servos suos. *Deus fidelis in promissis suis,etiamsi tardet. Exemplo est. Daniel Dan. 9.*

Sic Angelus Josephum monet, ut puerum deducat in Ægyptum a facie Herodis furentis: sed de tempore reversionis nihil definit.Hoc solum addit *Usquequo dicam tibi.* Incertitudine ergo temporis in exilio æruminoso duraturi , patientia & fiducia Joseph erat comprobanda. *Ioseph nutritius pater.*

Sic quoque de S. Cassio Episcopo Narniensi refert S. Gregorius,quod cum operarius foret indefessus Dei gloriam aliorum salutem promovendo nocte ejus Presbytero in visu adstitit Dominus, & dixit: *Vade die Episcopo tuo, age quod agis, operare quod operaris,non cesset pestuus , non cesset manus tua. Natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem.* Ecce pactum sanctum Domini cum Sancto suo.Nec fefellit eum Dominus. Licet enim proximo Natali Apostolorum eum necdum Dominus ad mercedem promissam evocarit, septimo tamen post anno in Natali Apostolorum oblato sacrificio , quod quotidie cum lachrymis offerre consueverat, ad lectum properavit, dumque Sacerdotes suos servandæ dilectionis commonefaceret,& ultimum valediceret,inter sanctæ exhortationis verba exclamavit. *Hora est,* Moxque sibi assistentibus dedit linteum quo facies operiretur;& illico linteo ante faciem tenso , emisit spiritum. *S. Cassius Episcopus Greg. hom. 37. in Evang.*

Neque hic prætereundum quod de imperio ad Domum Austriacam derivando prædixerat quædam sancta mulier instinctu divino; & promiserat Comiti Habspurgensi paulo obscurius, dicens, POST NOVEM. Hoc promiserat ob honorem, quem Venerabili Sacramento detulerat, ex equo suo ultroneè descendens , ut Sacerdoti illud ad ægrum in sylvis agentem deferenti illium commodaret,quo aquosa loca & inundantes rivulos pertransire valeret. Ipse verò quasi à pedibus, nudato capite. Sacerdotem secutus fuerat usque in tugurium infirmi. Ob hunc,inquam, honorem, novus ei honor regius promissus fuit, monitusque ut move- *Domus Austriaca ad Imperium destinata.*

novenarium numerum observaret. Cùm ergo novem hebdomades, novem quoque menses observasset, tandem post novem annos electus est Rom. Rex & Imperator. Sic Deus voluit ejus exercere fiduciam per plures annos, nec suo fefellit tempore.

Dæmon Pacta sua vel non servat, aut fallit, &c. V. dicta in 1. præcepto Decal. lect. 2.

E contra dæmon pactum quod facit cum hominibus, vel non servat, sed fallit; vel si quandoque adimplet, in eorum adimplet perniciem, quia nihil agit cum illis nisi subdolè & ex odio salutis eorum, quantumvis benevolè sese gerere videatur. Quapropter omne cum illo pactum divina lege est vetitum & humana. Atque etiam ipse, velut Simia Dei habere voluit olim sua Oracula; sed in quibus falleret ambigua & subdola frequenter prædictione. Notum est illud: *Aio te Æacida Romanos vincere posse.* Hinc Reges & Regna, ob stultitiam Principũ Astrologos Dæmoni addictos consulentium, sæpè in discrimina & strages sua æquivocatione, aut ambiguis, aut falsissimis etiam responsis induxit. Unicum exemplum hic accipit ex Soarate & Sozomæno, ex quibus illud refert Baronius Cardinalis.

Exempl.

Tépore Valentis Imperatoris anno 370. cum quidam Astrologi, sive potius Magi, per suam, Magicam inquisitionem consulerent Dæmonem, quis post Valentem esset imperaturus? Respondit Dæmon pro more suo obscurè quatuor illis litteras ostendens, T, e, o, d, addens ex his fore initium nominis illi qui post Valentem esset imperaturus. Rumor hac de re venit ad aures Imperatoris, ipseque multos interemit quos suspicabatur imperium invasuros. Occidebantur tunc Theodori, Theodoti, Theodosii, Teoduli. Et ita Factũ est, ut multi ob periculum nomina à parentibus imposita mutarent & negarent. Sic decepit Dæmon Astrologos fallaciter, ipsumque Imperatorem, qui postea miserè interiit.

Distinctio inter Testamẽtum Sanctum, & Testamẽtum sancti sui.

Advertunt quoque hic aliqui super his verbis. *Memorari testamenti sui sancti*, distinctionem inter Testamentum sanctum, & Testamentum Sancti sui. Audi Didacum à Stella pium & eruditum Scriptorem: *Testamentum sanctum est testamentum vetus: sed testamentum Sancti sui, est testamentum Christi Redemptoris, quod est novum.* Sic David: *Respice in testamentum tuum.* Hoc illud est quod proposuit per Filium suum sanctum, cujus Zacharias hic meminisse dicit Dominum. De quo & Hieremias: *Ecce dies veniunt, & feriam domui Israël pactum novum, non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus vestris in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem de terra Ægypti.* Testamentum sanctum sanguinem habet hircorum, taurorum, vitulorum, nec liberationem captivorum: sed in novo fuit sanguis Filii Dei, & libertas animarum, sicut dixit alter Zacharias: *Tu in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua.* De quo sanguine ait discipulis: *Hic est sanguis novi testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In vita potest testator aliud instituere testamentum firmius: ideo testamentum sanctum revocatum est, testamentumque sancti sui morte testatoris confirmatum est, & ideo irrevocabile est, quia Christi morte signatum. Hæc Didacus à Stella.

Psal. 78. Hier. 31. Zach. 9.

Hic quoque moneri possunt pro morali doctrina, qui testamentum sanctum Parentum suorum obliviscuntur & parvipendunt, dum piis locis & causis quædam legarunt sancte & pie, Filiosque sub hac conditione & pacto hæredes instituerunt; & ipsi hæc negligunt, imò quantum possunt eradunt, & irrita esse volunt. Memor quoque sit omnis Christianus testamentum sanctum facere cum Deo suo, ut cum cogetur corpus terræ reddere, animam Deo & cælo possit tradere cum securitate. Hoc tota debet vita sua cogitare, quia hoc negotium negotiorum est finem felicem sortiri, & Deo depositum reddere pretiosum animæ suæ. Hoc est testamentum Christiani hominis numquam oblivioni tradendum. Unicam dedit, unicam repetit. Candidam dedit in baptismate, candidam repetit in morte. Tunc pactum & testamentum quoddam cum Christo initiatum est; illud in vita servandum, in morte consummandũ, est. Ergo oportet te, ô Christiane, semper *memorari testamenti tui*, quia & Deus tunc vult *memorari testamenti sancti sui.* O infelix testamentum cujusdam de quo memoria fit in lib. de Viris illustribus Ord. Cisterciensi qui quidem corpus suum terræ dabat animam Dæmoni, uxorisque ac filiorum animas, imò & Confessarii, de quo diximus alibi. Sed de hac re satis. Ad adjuvandum Christianum pro felici testamento spirituali, S. Caroli Borromæi extat libellus planè utilis.

Moralia

LECTIO VIII. BIPARTITA.

Thema. *Iusiurandum quod iuravit ad Abraham Patrem nostrum daturum se nobis.* Luc. 1.

De duplicipacto Dei cum Abrahã, Christiã in veritate in iudicio, & in iustitia, simul, & nos cernente quirãtur ad iuramentum licitum. Ierem. 4.

MAnifestum est ex sacris litteris, Juramentum, sive Jusiurandum, quandoque licitum esse, & Deo honorificum. Requirunt autem Theologi tres conditiones, quasi tres juramenti liciti comites, *Veritatem, iustitiam, iudicium*, Hoc deducunt ex illo Hieremiæ: *Iurabis, vivit Dominus, in veritate in iudicio, & in iustitia.* Veritas adest, quando quis jurat super re vera, justicia adest, quando jurat super re justa & licita: judicium adest, quando id facit cum reverentia & diseretione, & non super levire. Quando deest veritas falsique aliquid juramento asseritur, perjurium vocatur; est quæ gravissimum peccatum divinã attrahens maledictionem: *Maledictio veniet ad domum iurantis in nomine meo mendaciter.* ait Dominus Zach. 5. Ubi etiam ostenditur Prophetæ *Volumen volans* maledictione plenum instar falcis acutæ involans in caput impie jurantium. Vide à nobis dicta in

Horto Pastorum super præcepto 3. decalogi tract. 3. lec. 6. ubi ostendimus jurantes mendaciter inferre Deo injuriam, & proximo suo, ac sibi ipsis; illosque qui jurant in dolo, hoc est sine animo adimplendi quod jurant, non habere locum in regno Dei, nec ascendere posse in montem Domini, ut

Ps. 14. & 23. Psaltes insinuat. Quapropter & Jephte tantum suo tribuit voto & juramento, ut etiam Filiam propriam immolare non renuerit. Et Josue, licet deceptus à Gabaonitis jurasset & vitam eis salvam promisisset, noluit violare juramentum mendacio extortum; cumque tales deceptores morte plectendos multi decernerent, nihil aliud eis respondet

Iud. 11.

Iosue 9. Josue: *Iuravimus eis per nomen Domini Dei Israel.* Atque etiam postea cum juramentum Gabaonitis factum Saul violasset, maledictio ejus posteritati

2. Reg. 21. super venit, tribusque annis fames invasit Judæam; nec plaga cessavit, donec septem ejus Filii Gabaonitis traditi sunt divino oraculo, per illos cruci affigendi. Sic Deus vult juramentum factum per nomen suum constanter observari, nisi cadat in rem illicitam; quia tunc illud locum habet: *In malo pro-*

Marci 6. *missis rescinde fidem, & in turpi voto muta decretum.* Sic Herodes jurans puellæ saltatrici, & implens juramentum, novo se obstrinxit crimine. Idcò & David cum jurasset interficere totam domum Nabal,

1. Reg. 25. sententiam mutavit, placatus sermone Abigail dicentis: *Non erit tibi in singultum, & in scrupulum cordis quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris.*

S. Paulus usus juramento. Itaque, quia juramentum quandoque est licitum, illo usus est Apostolus. *Ego testem invoco Deum in animam meam, quod vobis parcens non veni ultra Corinthum.* Quasi dicat: Contestor divinam veritatem, & volo ut animæ meæ maledictio superveniat, si falsum dico. Angelus quoque

2. Cor. 1.

Apoc. 10. *juravit per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius.* Sic & apud Prophetas hæ sunt jusjurandi formulæ: *Vivit Dominus, vivit anima tua: Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat.* Invocabant enim Dominum tamquam testem, in cujus præsentia erant, & qui vita est per essentiam, à quo nostram participamus. Vide Davidem sic Deum invocantem in testem, dum in

1. Reg. 15. Nabal irascitur sibi ingratum & suis.

SS. Patriarchæ usi juramento, etiam cum cæremoniis. Antiqui porrò Patriarchæ etiam juramentis usi sunt, & quidem cum mysticis cæremoniis. Propterea Abraham mittens Eliezer, œconomum domus suæ ut acciperet uxorem Filio suo Isaac, dicit: *Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum; sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias uxorem filio meo.* Posuitque Eliezer manum sub femore Abrahæ, & juravit illi super sermone hoc. Quænam est hæc cæremonia, ponere manum sub femore ad jurandum? Certè non caret mystica significatione. Mos enim fuit solemnis Patriarchis adjurandi per attactum femoris sui, quasi per attactum rei sacræ, sicut solet juramentum fieri apponendo manum ad altare. Propter Messiæ ex semine eorum oriundum, semur ipsorum velut res sacra habebatur, & id quidem ob mysterium futuræ incarnationis. Et ideo per illam partem quæ est origo humanæ generationis adjurantes, quasi per sanctissimam Jesu carnem inde processuram adjurabant. Quare eadem adjurationis forma usus est & Jacob. Sic nonnulli ex Patribus SS. Interpretantur. Audi S. Gregorium: *Manum sub femore ponere jubet, quia per membrum illud descensura erat caro ejus qui Filius Abrahæ erat ex humanitate, & Dominus ejus ex divinitate. Quasi dicat: Tange femur meum, & jura mihi per Deum meum,* sive per Messiam qui mihi promissus est ex illo femore oriundus. Gen. 47.

Cæterum ego tale juramentum nonnisi à Patriarchis petitum, signum est non fuisse ritum communem Judaicæ gentis; ut aliqui dixere; sed verum est quod Augustinus *quæst. 62 in Gen. & lib. 16 de civit. cap. 33 docet magnam hic esse de Christo prophetiam, quod scilicet Dominus cæli & terræ in carne venturus foret de illo femore propagata.* Nam Hebræi sicut per lumbos, ita & per femur generationem significare solent, ut patet Gen. 49. v. 10. & Gen. 46. v. 26. & Exod. 1. v. 4. ubi dicitur: *Erant autem omnes animæ eorum quæ egressi sunt de femore Iacob, septuaginta.*

Cæterum Jacob occasionem habebat juramentum exigendi, sicut & servus ejus hic jurandi, quod non acciperet uxorem pro Isaac de Filiabus Chanaan, quia Chananæi impii erant & idololatræ, ac in Cham per Noe fulminatam maledictionem participarant. Voluit ergò significare Abraham hac adjuratione, voluitque nos intelligere, fidem & bonos mores maxime spectandos esse, cum agitur de matrimonio, & de Filiis providenda uxore. Nec enim tunc tam spectanda sunt, opes, forma, & genus, quam proba educatio & pii mores cum animorum concordia. Et quia aliter fit, hinc multa infelicia matrimonia. Imò non tam conciliatione hominum, quam Dei, connubia sunt ineunda, undè cum juramentum adeò solemne exegisset Abraham à servo suo subjunxit: *Dominus Deus cœli* Gen. 24. *qui tulit me de domo Patris mei & de terra nativitatis meæ, ipse Angelum suum mittet coram te;* ut scilicet accipias uxorem filio meo de terra & cognatione mea. De Mesopotamia scilic. ubi adhuc ejus cognatio habitabat in Hâran, & distabat itinere septem vel octo dierum. Neque hic ulla fit mentio dotis, quia avaritia, dum de conjugio agitur, haud præesse debet.

Sed ut ad propositum propius accedamus, dicimus quod non solum Prophetæ & Patriarchæ, aut Apostoli & Angeli juramento usi sunt, sed & ipse Deus. Hoc satis significant hæc Zachariæ verba: *Iusjurandū quod juravit ad Abraham Patrem nostrum,* &c. Quibus diximus indicari tertiam causam adventus Messiæ, quia scilicet non solum decreverat facere misericordiam nobiscum & cum Patri-

buss

bus, nec solum id simpliciter promiserat aut pactus erat, sed etiam juramento firmarat. Et attende modum loquendi scripturæ, dum dicit *Iusiurandum quod juravit* significatur enim vehementi quodam affectu ipsum jurasse Abrahæ Christum ex ejus semine nasciturum, & se per illum datutum nobis salutem. *Sic expectans expectavi, exultatione exultavi, benedicens benedixi*, more scripturæ idem est ac si dicas: *Valde expectavi, sive vehementi desiderio expectavi, magna lætitia exultavi, benedictionem multiplicavi.*

PARS I. *De primo Iuramento Dei ad Abrahã, & quo modo id Christum & nos cõcernat. Gen. 22.*

Quia autem celebratissima erat promissio Abrahæ facta de Christo oriundo ex ejus semine, & de benedictione per eum afferenda, & de salute danda; & ideo specialis ejus mentio fit per Zachariam. Fuit autem duplex promissio & pactum celebre Dei cum Abraham hac de re. Unum est: *Per memet ipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris; Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. Et benedicentur in semine tuo omnes gentes, quia obedisti voci meæ.* Expende singula.

Primò, cum homines per Deum jurent ut ejus infallibile testimonium invocent, Deus quia majorem se non habet, per semetipsum jurat. De quo juramento agens Apostolus sic ait: *Homines per majorem sui jurant. & omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam tamquam anchoram animæ habemus ratam & firmam.* Vult dicere Apostolus, hanc promissionem benedictionis juratam Abrahæ non solum eum concernere, sed & nos hæredes illius. Fideles scilicet omnes: ideoque Deum, ad significandam consilij sui de benedictione nobis dandâ immutabilitatem & firmitatem, per duas rei immobiles sive immutabiles & irrevocabiles tum apud homines, tum apud Deum, id significasse: scilic. per promissionem & per juramentum, per quæ non potest homines fallere, aut ludificare. Quapropter respicientes in tale Dei promissum, habemus certam consolationem & fiemissimam spem; quam jacimus in Deum tamquam anchoram tutam, inter fluctus & ventos, inter tot agitationes hujus sæculi & tentationes, ejus benedictionem promissam assequi sperantes; & salutem quam per jusjurandum juravit daturum se nobis, si Filii Abrahæ permanserimus, fidei ejus ac virtutis imitatores. Hinc.

Heb. 6.

Secundo dicit: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Quâ loquendi formulâ passim Patres intelligunt promitti Abrahæ Filios spirituales per imitationem fidei ipsius, sicut & per arenam maris posteri ejus secundum carnem designantur. Hinc & ei alibi dicitur: *Numera stellas cœli: si potes; sic erit & semen tuum.* Stellæ nobis sunt innumerabiles; & licet quidam eas numerare contenderint aut se numerasse jactarint, eos hujus libri contemnit auctoritas, inquit S. August. 16. de civit. cap. 23. Quod ergo Astrologi numerent stellas 1022. solum illustres & magis notabiles numerant. Stellis autem recte comparatur utrumque semen Abrahæ, tam carnale, quam spirituale, propter multitudinem. Nam Moyses dicit de posteris Abrahæ secundum carnem. *Non possiem solus sustinere vos, quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie sicut stellæ cæli plurimi.* Specialiter tamen stellis comparantur illi, de quibus apostolus: *Semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.* Talis enim posteritas Abrahæ magna est numero instar stellarum. Habet quoque sublimitatem & splendorem instar stellarum. Est cælestis cujusdam naturæ & conversationis instar stellarum; habetque constantem quemdam ordinem quo volvitur secundum Deum. Denique post resurrectionem, *Fulgebunt iusti quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates.* De his quoque dicitur *Stella á stella differt in claritate.* Duas fecit Deus promissiones Abrahæ, ait S. Hilarius in Psal. 139. Unam, *Multiplicabo semen tuum, sicut arenam quæ est in littore maris*; & hæc concernebat Ismaelis generationem. Alteram, *Multiplicabo semen tuum ut stellas cæli*, hæc concernebat Isaac Filium promissionis. Significabaturque in Ecclesia tamquam familia Abrahæ duplices fore filios, terrenos & cælestes, electos & reprobos. Filii Ismaël terreni multiplicantur ut pulvis gemunt sub aquis, calcantur ut arena maris. Filii Isaac cælestes & boni in cælum elevandi sunt, ut stellæ fulgidæ à Sole splendorem mutuantes. Hinc & Gentiles dixere, Viros inclytos à morte inter stellas collocari, & divinitatis aliquid accipere. Sic deificatus est ab eis Jupiter, Mars Saturnus. Venus, Castor, Pollux, ut alibi diximus Gentiles igitur hac ratione adumbrarunt quod scriptura dicit, scil. à Deo electos instar stellarum fore illustres.

Gen. 15.

Deut. 1.

1. Cor. 15.

Tertiò dicit Dominus Abrahæ: *Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum* Per portas intelligit urbes & propugnacula hostium; in quibus est fortitudo eorum. Qui portas occupare valet, urbem mox sibi subjicit. Sic portas & urbes Chananæorum occuparunt Hebræi duce Josue, urbesque aliarum gentium. Quibus omnibus significabatur, quod Duces Israelitarum apostoli & eorum successores, Duce Jesu subacturi essent Urbes Varias Orbis, & ad fidem adducturi, expulsa infidelitate: quodque veri fideles, Filii Abrahæ & promissionis, subacturi sibi sint hostes spirituales, & in terram promissam cum victoria ingressuri. Nempe in omnibus Filii Abrahæ gesserunt figuram Christianorum. Primò in numerosa multiplicatione Secundò in dura vexatione & afflictione Ægypti

Filii Abrahæ sumus. Christianorum. 1. 2.

3. Tertio in felici transitu maris, messis Ægyptijs.
4. Quartò, in cibo deserti, manna sc. cælesti. Quintò
5. in serpente æneo, quem aspicientes sanabantur.
6. Sextò in peregrinatione 40. annis duce columna
7. per varia pericula. Ultimò in introductione in terram promissam, duce Jesu Filio Nave, sive Josue; & in abundantia vini, mellis, & olei. Quis non videt hæc omnia compleri in Christianis. Filijs Abrahæ, Filijs promissionis, & fidei ejus hæredibus? Ergò merito hic canit Zacharias: *Iusiurandum juravit ad Abraham Patrem nostrum daturum se nobis.* Quid verò daturum? Filium sc. suum ex semine ejus, ac per illum daturum se benedictionem omnigenam simulq; salutem, terramque promissam. Atq; ideo promissum illud ac jusiurandum sæpè ob oculos ponere debemus, ut acuamus spem nostram, nec hæreditate promissa excidamus, ut monet Apostolus.

PARS II. *De secundo juramento Dei ad Abraham & quomodo id Christum & nos concernat.* *Gen. 15.*

ALterum pactum Dei cum Abrahamo præcessit, ubi ei Deus dixit: *Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, & possideres eam.* At ille ait: *Domine Deus unde scire possum quod possessurus sim eam?* An hoc diffidens dixit? Absit. Nam præcedit, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.* Credidit, inquam, Deo promittenti sibi semen numerosum quasi stellas cœli. Nec jam deficit ab hac fide, sive de progenie, sive de terra promissa, sed inquirit humiliter modum, ejusque aliquod signum dari sibi optat, quo cognoscat rei futuræ ordinem, ut docent Sancti Patres. Sed cur hoc petit? Certè non tam sibi quam posteris signum illud petit, ut firmius idipsum crederent, quod à Deo fuerat promissum. Ulterius petit hoc promissum signo aliquo firmari à Deo, ut posterorum demeritis non possit fieri irritum. Et sanè in magnis promissis solitus fuit Deus signum aliquod exhibere, ut iterum diximus in signo dato Gedeoni in Vellere, Moysi in virga, Ezechiæ in Sole recedente per decem
Gen. 34. lineas. Imò & signum petijt Eliezer ad sponsam, ut uxorem Isaaco dignam reperiret. Quod quidem fecit instigatus à Deo, cum certa spe divinæ Providentiæ & directionis, innitens promissis à Deo factis Abrahæ Domino suo. Hinc & illud *iudaï signa petunt.*

Itaque, petente signum Abrahamo, Deus annuit dicens: *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem trium annorum, turturem quoque & columbam.* Hoc signum fuit loco juramenti, ad confirmandam promissionem Dei. Audi Rupertum Abraham ut pius Pater filijs providit, ne fortè peccantibus illis pœniteret Deum suæ promissionis; & ideo in promissione optat aliquod sibi dari firmamentum fixæ stabilisque veritatis, & quasi interpositionem juramenti. Hoc igitur fœdus juramentum quoddam fuit, quo se Dominus obstrinxit, ut debitor posset jure teneri, si quando intercurrente peccati aliqua causa, vellet levare, manum suam, & facere contra id quod promisit. Cujus juramenti memor Moyses, cum Deus vellet disperdere populum, stetit in confractione, & tenuit Deum dicens: *Quare Domine irasceris populo tuo? Memento Abraham, Isaac, & Iacob, quibus juraſti: Vniversam terram hanc de qua locutus sum, dabo semini tuo, & possidebit eam.* Hæc Rupertus. Quapropter & ad hoc fœdus spectare dicim⁹ quod hic dicit Zacharias: *Iusiurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.* Sed ulterius attende modum & ordinem fœderis hujus. Sic describitur: *Abram tollens universa hæc, divisit ea per medium, & utrasque partes contra se altrinsecus posuit, aves autem non divisit. Descenderuntque volucres super cadavera, & abigebat eas. Cumque Sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus invasit eum.* Ac postmodum dicitur: *Facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas.* Multa hic sunt ænigmata, multa mystica, multa obscura & caliginosa. Nonnulla eliciemus ex Sanctorum Patrum sententia, quandoquidem ad Christum spectent, Abrahæ semen primarium, & ad jusiurandum quo juravit nobis Deus tamquam hæredibus Abrahæ, daturum se terram promissam post peregrinationem nostram & afflictionem.

Exod. 32.

Quæstiones multæ circa primum pactum cum Abrahã

Victimas hic divisit,

Quæritur ergò hic primò: Cur Abraham has victimas sic divisit? Respondet his verbis S. Cyrillus l. 10. adversus Julianum. *Mos erat apud Chaldæos juramenta stabilire transeundo per medias divisiones, & lex regionis ejus rem confirmabat. Hoc facere præcepit Deus Abrahæ, dicens: Accipe vitulum, & capram: & arietem. Id quod benè intelligens Abraham, quamvis Deus solum imperasset accipere, ipse tamen cætera addidit, & juxta legem juramenti occisa in duo divisit, ordine collocans, eò quod statim per medium transiturus erat Deus. Figurabatur autem quasi in specie ignis divina & immaculata natura.* Hæc Cyrillus. Hic mos etiam fuit apud Hebræos, ut patet apud Jeremiam. Transibant enim inter victimas fœderales divisas qui fœdus ineibant, imprecantes sibi similem necem & fissionem, si fœdus illud violarent. Quapropter apud Hieremiam dicitur: *Dabo viros qui non observaverunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem concideruntin duas partes, & transierunt inter divisiones. Dabo eos in manus inimicorum suorum, & erit morticinium eorum in escam volatilibus cæli & bestiis terræ.* Non absimilis etiam consuetudo viguit apud Romanos, teste Livio l. 1. ubi agens de fœdere inter Romanos & Albanos, sic ait: *Positis fœderis legibus aiebat Fecialis Populus Romanus prior non deficiet, si prior deficiet, publico consilio dolo malo: tu illo die Iupiter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis quanto magis potes, pollesque, &c.* Attende ergo quomodo Deus non sese dedignetur accommodare humanis moribus, ut cum fideli suo servo

Ier. 34.

Ierem. 34.

Abra-

Abraham, & simul nobiscum, fœdus ineat, juramenti vim habens, firmissimique jusiurandi rationem.

Quæstio 2. Cur vacca triennis &c. requiratur

Quæritur secundò; Cur speciatim jubeatur accipere vaccam triennem, capram trimam, arietem trium annorum, turturem & columbam? Respondet Cardinalis Cajetanus: *Quare Deus, hæc animalia & singula, & duas faminas, & tot annorum elegerit, ratio litteralis nescitur alia quam beneplacitum Dei. Hinc postea Moyses statuit in lege, ut hæc sola animalium genera in usum sacrifi. ij tolleretur. In emundatione tamen lepra assumebatur & passer.* Hæc Cajetanus Cardinalis, in hunc Gen. locum. Hoc equidem verum est, allegorica tamen & moralis ratio hujus rei non deest multiplex. Quocirca

R. 1.

R. 2.

Respondet 2. Theodoretus: *Ænigmata hæc erant eorum quæ gerenda Abram eventura erant. Ob id tria mundorum quadrupedum, & quodque trium annorum sacrificari jubet, ut tres generationes significaret, quæ in Ægypto peregrinaturæ erant. Turtur verò declarat generationem illam, quæ ex Ægypto, ut ita dicam, avolavit, in deserto autem permansit. Avis enim hæc desertum amat. Columba signat generationem illam quæ promissam terram adepta est. Columba enim domos inhabitat.* Hæc Theodoretus. Cui conformiter dixit Rupertus: *Omnia hæc assumptio, prophetica assumptio est. Vacca siquidem, capra & aries, quæ profectò servilia sunt animantia (nam & lacte Dominus pascunt & lanis operiunt) tres præsignant generationes, per quas semen Abrahæ serviturum erat in terra non sua, nam generatione quarta revertentur huc, ait Dominus.* Ita Rupertus, in hunc Gen. locum. *Vitula indomita*, signat primam Hebræorum generationem, quæ in Ægyptum descendit quidem, sed à servitute fuit libera. *Capra*, quæ modicum Dominis suis proventum præbet, secundam generationem, quæ modicâ servitute Ægyptijs servivit. *Aries*, qui copiam lanæ præstat, tertiam generationem, quæ longo servitio Ægyptijs subjecta fuit. Addere possumus, allegoricè hæc animalia significare Christum Christique sacrificium, quo fœdus Christianorum cum Deo sancitum est. *Aries* significat Christi innocentiam, *Capra* similitudinem carnis peccati. *Vacca* robur & patientiam Christi in perferendis laboribus, *Turtur* Christi castimoniam, *Columba* ejus mansuetudinem cum sine felle sit. Aliter S. Augustinus 16. de civit. c. 24. *Per juvencam significatur plebs posita sub jugo legis, per capram eadem plebs futura peccatrix: per arietem eadem plebs regnatura. Spirituales autem significantur, additamento turturis & columbæ, quia utraque avis est simplex & innoxia; in populo autem isto futuri erant hæredes regni, & filij promissionis in æterna felicitate mansuri.* Hæc S. Augustinus. Cui addit Eucherius, ideo horum volatilium ætatem taceri, quia illos designant qui æterna meditantes transgressi sunt desideria temporalia. In turture quoque vult illos intelligi de quibus

Vide Lyran.

Apostolus dicit: *In solitudinibus errantes, quibus dignus non erat mundus.* In columba quoq; præfigurari Prophetas qui sancto repleti Spiritu, populis denunciabant futura. *Hebr. 11.*

Q. 3. Cur trium annorum animalia terrestria designata

Quæritur vero tertio; Cur trium annorum animalia terrestria designantur? Ratio litteralis esse potest, quia hæc animalia trima dum sunt, perfecta sunt, statura, ætate, & robore. Adverte nonnullos interpretari sic, ut velit Deus esse non triennia, sed triplicata. Unde & Chaldaica editio habet: *Offer coram me vitulos tres, & capras tres, & arietes tres, & turturem, & filium columbæ.* Per quæ aliqui volunt tria genera sacrificiorum repræsentari, nempe holocaustum, oblationem pro peccato, & sacrificium pacificorum. Quicquid sit, dicimus per animalia terrestria trina & trima Sanctissimam Trinitatem indicari, quæ adhuc sæculo illo sub obscuris nominibus & figuris annuntiabatur. Hinc & Patriarchæ primi tres numero sunt, per quos invocatum est nomen Domini, & Deus Trinus & Unus dignatur vocari, *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*; sub istisque nominibus Trinitas Sancta unus Deus colebatur, quia necdum capaces erant tunc homines ut manifesta nomina ejusdem Trinitatis, id est. Patris. & Filij, & Spiritus Sancti capere possent. Addi potest per vaccam triennem significari posse triplicem humilitatem Fideli cuique necessariam; ut scilicet humiliet se Superioribus, paribus, inferioribus. Per Capram trimam triplicem pœnitentiam, contritionem scilicet, confessionem, & satisfactionem. Per triennem ar etem significari fidem, spem, charitatem. Quæ omnia offerre debet Deo verus Filius Abrahæ in sacrificium, jungendo Turturem castitatis & orationis, & Columbam sinceritatis & puritatis, abigendoque volucres, hoc est Dæmonum tentationes. Possent & hæc tria & trima votis Religiosis applicari.

Q. 4. Cur animalia terrestria solùm fuerint divisa, & non aves.

Quæritur quartò. Cur divisa fuerint animalia terrestria, aves verò non? Respondeo, id factum, quia aves non spectabant ad fœdus, sed solum ad sacrificium; ita ut non fuerit solitum aves dividere in confirmatione fœderis, aut per illas transitus fieri, in sacrificium tamen offerebantur. Respondet secundò juxta sensum mysticum S. Augustinus sermone 55. de tempore his verbis: Quid spiritaliter ista significent, Fratres, charitatis vestræ auribus cupimus intimare, Abraham Pater multarum gentium a Deo dictus est. Omnes enim gentes in Christum credentes Filij sunt Abrahæ, imitando fidem, non nascendo per carnem. Vacca ergo & capra & aries trium annorum, & turtur vel columba figuram omnium gentium prætulerunt. Dicta sunt trium annorum, quia omnes gentes in Trinitatis mysterium erant credituræ. Et quia tota Ecclesia Catholica non solum habet spiritales, sed & carnales, qui quidem in Trinitatem credunt, sed peccata non vitant, ideo in tribus illis animalibus carnales possunt intelligi, sicut & spiritales

tales in turture & columba. Ergo diligenter attendite, quia illa tria animalia divisisse in duas partes dicitur Abram, & contra se invicem posuisse; aves non divisit. Quare hoc? Quia in Ecclesia carnales dividuntur, spiritales non dividuntur, nec contra se invicem præparantur: Quare carnales divisi & contra se positi sunt? Quia omnes luxuriosi & amatores mundi contra se divisiones & scandala habent. Aves autem non divisiuntur, quia illis est cor unum & una anima in Deum, sic similes sunt turturi & columbæ, quia in turture castitas, in columba simplicitas designatur; timentes enim Deum casti sunt & simplices. Sic dicere possunt cum Psalte: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ,* Psal. 54. *& volabo, ut requiescam?* Et rursum: *Turtur invenit* Psal. 83. *sibi nidum, ubi ponat pullos suos.* Quando carnales dividuntur, gravibus vitiorum compedibus premuntur in mundo: spiritales verò virtutum pennis elevantur in altum, & duabus alis, diligendo Deum & proximum, eriguntur in cælum, dicentes: *Nostra* Philip. 3. *conversatio in cœlis est.* Et dum Sacerdos dicit, *Sursum corda*, fideliter dicunt se habere ad Deum: quod pauci cum veritate dicere possunt. Ergo aves Abram non divisit, quia spirituales à Dei vel proximi amore non possunt separari, quibus est cor & anima una, & clamant cum Apostolo: *Quis nos sepa-* Rom. 8. *rabit à charitate Dei, aut tribulatio & angustia, &c* Spirituales nec tormentis carnales etiam otiosis separantur à Christo fabulis. Illos nec crudelis gladius, istos separat carnalis affectus. Spirituales nec dura frangunt, carnales etiam blanda corrumpunt. Propterea Abram divisit illa animalia aves non divisit. Hæc est S. Augustini sententia.

Q. 5. Lampas transiens, quid significet. Quæritur quinto: Quid significet *Lampas transiens inter divisiones?* Respondeo ex jam dictis, significasse & repræsentasse Dei personam, quæ fœdus & jusjurandum inibat cum Abraham; Deus enim ignis consumens in sacris litteris dicitur. Significabat quoque Columnam ignis, postea divisuram Hebræos ab Ægyptijs, ac deducturam eos in terram promissionis. Itaque cum fœdus inter duos agatur, loco Dei transit lampas, sive Fax ignis ardentis, inter victimas divisas; & ipse Abraham similiter transijt, vel transire sibi ipse visus est, quandoquidem hæc in sopore & extasi contigerunt, in simili scilicet sopore & extasi in quo Adam fuit, dum mulier ex ejus costa formata est. Itaque sicut Abram ex sua parte fœderi assensit, ita & Deus per facem ardentem apparens. Sic Exodi 24. cum inter Deum & populum fœdus sanguine sanciretur, fuit victimarum sanguine aspersus non solum populus, sed & liber legis, & ipsum altare, loco Dei.

Clibanus ardens & fumans quid significet. Quod autem & hic *Clibanus ardens & fumans*, apparet, symbolum fuit & imago Ægyptiacæ fornacis & servitutis, quando serviebant Hebræi in luto & latere. Nobis autem significatur, quod si lampadem nostræ vocationis & divinæ voluntatis sequimur, & fixis in Deum oculis intuemur, è Clibano ardente & fumante eruemur. Ulterius & hic Sanctus Chrysostomus cum plerisque existimat per ignem facis transeuntis sacrificium hoc consumptum fuisse cum suis victimis, ut Deo acceptum esse significaretur. Sic enim solet Deus per ignem cælitus emissum acceptare sacrificia; ut patet in Abele, Gedeone, Manue, Elia, Salomone, & alijs.

Quid hic per quartam generationem intelligatur. Hoc etiam sine mysterio non esse aliqui putant quod hic à Domino promittitur: *Generatione autem quarta revertentur huc.* Quarta generatione reversi sunt Filij Abrahæ in Palestinam è captivitate Ægyptij liberati: per generationem quoque quartam Filij Adæ reducti sunt in gratiam Dei à Dæmonis servitute in libertatem asserti. Sed quænam hæc quarta generatio? Illa est quæ sine Patre ex Matre est. Tres viderat orbis generationes, seu formationes hominis. Primam sine viro & fœmina, in Adamo. Secundam de viro sine fœmina, in Eva. Tertiam ex viro & fœmina, quæ usitata est. Restabat quarta ex fœmina sine viro, & hæc alijs generationibus salutem afferre debebat, per quam Christus orbis Salvator generari, nobis debebat. Hæc memorat S. Augustinus serm. de Nativit. 16. *Ista quarta generatio liberavit tres; prima enim & secunda ruerunt, tertiam de ruina genuerunt, in quarta salutem invenerunt.* Hæc ille. Quapropter Hugo Cardinalis huc accommodat illud jam dictum: *Generatione quarta revertentur huc*, ut jam explicui. Gen. 14.

Denique concludendo, dicendum est cum S. Augustino, adventum secundum Christi ad judicium postremum concernere: illud quod dicitur. *Cum autem occubuisset Sol, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus nimis, & apparuit clibanus ardens & fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones.* Audiamus hac de re S. Augustinum. *Videte Fratres, quid ignis ille transiens inter divisiones, qui & turturem & columbam testigisse non legitur Vesperam illa finem mundi significavit. Animalia, typum gentium in Christo redeuntium prætulerunt.* Quæ quia in se non solum spirituales, sed & carnales, sive malos habent: & ideo animalia illa divisa sunt, & ignis transivit per ea, juxta illud Apostoli: *Dies Domini declarabit, quia in igne* 1. Cor. 3. *revocabitur.* Clibanus ardens & fumans, & lampas ignis diem judicij figuravit. Et ideo super beatum Abram timor & horror tenebrosus incubuit. Unde intelligimus, quod si in die judicij justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt; Clibanus ergo ardens & fumans, illum judicij diem signat, *in quo erit fletus & stridor dentium*, in quo Matt. 22. ululatus & lamentum & tarda pœnitentia, *quando movebuntur fundamenta montium, & ardebit terra usque ad inferos deorsum:* Quando, ut ait S. Petrus, *Cæli ardentes solventur, elementa igne ar-* 2. Pet. 3. *dore ebescent.* Quando, ut ait Dominus, etiam *Virtutes cœlorum commovebuntur. Sol obscurabitur, & luna, & stellæ cadent de cœlo.* Ubi se tunc impij

videbunt ? Vbi ebriosi, ubi adulteri, ubi maledici se recognoscent? Vbi amatores juxuriæ, ubi raptores, ubi superbi apparebunt ? Quid infelices pro sua defensione dicturi sunt, quos toties admonitos, & tamen imparatos dies ille repererit ? Cùm ad illam Archangeli tubam omni buccinâ clariorem totus simul cæperit rugire mundus. Quando sicut dicit Propheta. *venerit Dominus ponere orbem terræ in desertum, & perdere peccatores ex eo.* Quando, sicut dicit scriptura, *Peccatores & impii mittentur in stagnum ignis, & fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum.* Quis tunc tremor, quæ caligo, quæ tenebræ criminosos quosque negligentes & tepidos occupabunt ? Ne ergo & nos in istum veniamus cruciatum, expergiscamur dum corrigendi tempus est, & voluntatem Domini tamquâ boni servi requiramus; ut cùm dies ille quem Chibanus ardens & fumans designat tremendus venerit, non cum mortalibus, quos animalia figurabant, qui per diversas voluptatum contentiones dividi possunt, flammis ultricibus cruciemur in inferno, sed simplicitatem Columbæ, & castitatem Turturis præferentes, spiritualibus virtutum pennis eleuemur in cælum, *rapiamurque in nubibus obviam Christo, & sic semper cum Domino erimus.* Hactenus Augustinus. Quæ quidem omnia fusè prosecuti sumus, occasione pacti & jusjurandi quod Deus juravit ad Abraham Patrem nostrum; quia illud utrumque celebre & juratum pactum nos concernit, Filios Abrahæ secundùm fidem, per Christum ex semine Abrahæ ortum judicandos, & salvandos.

LECTIO IX. TRIPATITA.

Thema. *Vt sine timore de manu inimicorum liberati serviamus illi.* Luc. 1.

HIc versus indicat Christum venisse, ut datâ nobis per specialem gratiam quam attulit libertate à peccatis & hostibus spiritualibus, serviamus illi non cum anxietate nimia, nec cum timore servili, sed amore filiali. Quapropter ad majorem elucidationem & instructionem nostram.

1 PARS.

Christus vult, ut sine anxietate illi serviamus.

Dicamus primò, Christum ita vires inimici attrivisse, tanquamque gratiam nobis attulisse & fortitudinem, ut quisquis ipsi innititur, & firmam in eo fiduciam figit, possit esse sine anxietate & timore inimicorum. Hinc animæ electæ visæ sunt illudere Dæmoni, sicut Leoni aut Vrso alligato illudunt pueri & puellæ. Huc referri potest illud. *Psal. 103. Iob. 20. Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* Et illud Iob *Numquid illudes ei quasi avi aut ligabis cum ancillis tuis* ? Quasi dicat: Ego id efficiã, ut in ludum Behemot pueris & ancillis meis tradatur, licet tu Iob eam non habeas potestatem. Certe ex Sanctorum gestis exploratum est adolescentulos & virgunculas insultasse Dæmoni, & de eo victoriam retulisse, ita ut nonnullæ propterea depingantur Draconem vinctum velut in triumphum ducere, quia his concessit Deus, ut sine timore, de manu inimicorum liberæ, servirent illi in justitia & sanctitate. Christus pro nobis vicit Draconem antiquum, & religavit, ac in abyssum misit, ut ultrà non habeat illas vires, quibus pollebat ad seducendas gentes. Quod si aliquis adhuc subiicit sibi, *Apoc. 20.* eorum culpa est, quia divinæ gratiæ auxiliis, virtute incarnationis; crucis, ac Sanguinis Christi acquisitis, non utuntur. His enim innixi, possent conculcare Leonem & Draconem, ac super basiliscum aspidemque ambulare. Hinc nonnumquam *Psal. 90.* Dæmon virtute ex alto coactus est suam fateri infirmitatem S. Antonio, Bellatori Christi inclyto, asserens ab eo tempore quo Deus factus est homo, ita vires suas attritas esse, & possessionem immunitam, ut non solum urbes non possideret, sed & relegatus in desertum, illud deserere cogeretur ob Monachos illud inhabitantes. Itaque suæ adscribant dementiæ, qui varias in occasiones & discrimina peccati se præcipitant ultroneè. Latrare enim potest Dæmon ut canis alligatus; mordere non potest nisi ultrò sese ejus dentibus obiiciant. Rugiat licet ut Leo, tamquam formica contemni potest, quia vilis est & infirmus. Si suadere ei quãdoque datur, in ejus potestate non est persuadere, nisi volueris; &, si ejus insidias sensus non nitat, nihil tamen nocet, ubi non est consensus. Quia quod resistentem fatigat, vincentem coronat. Quinimmò nonnulli ex antiquis eremi Patribus ita ei insultantes fuerunt, ut exprobrarent ob incarnationem Domini de Virgine Maria, quod à fœmina victus fuisset. Quo quidem opprobrio victus aufugiebat cum pudore. Sic ergo merito dicimus Christum advenisse, ut sine timore hujus inimici possimus libere Deo servire. Nam ipse est illud semen mulieris, quod contrivit caput serpentis, & ipsa mulier simul illud contrivit per semen istud suum. Hæc est virtus incarnationis, quæ & illustrior apparuit in mysterio crucis, ubi ipsemet crucifixus est, qui filium hominis suasit crucifigi. Si enim in anteriore parte Christus est crucifixus, id factum est ejus liberâ voluntate, & ad tempus breve pro nostra salute. Sed coactè, & in æternum, pro majori sua ignominia & damnatione, Diabolus fixus est Cruci tamquam triumphali Ligno, triumphalique Curru; cujus vel solam herret memoriam, dum imago vel signum Crucis ei opponitur, ut ex innumeris liquet historiis.

Audi quid de se, ipsa referat S. Teresia, c. 25. vitæ suæ: Timebam ne in raptibus & visionibus mihi cælitus immissis se Dæmon immisceret, quia & nonnullii illusiones esse dicebant. Agnoscens tamen à Deo esse, & vires ab ipso accipiens, lumenque, dicebam mihi-ipsi: *Quid timeo? Ego nonnisi Deo servire, & placere desidero nec aliud quàm eius adimplere voluntatem, sicut & ipse mihi & ipsa met dicat*

conscientia: Nam ergo adeo potens ipse sit, & Dæmones non sint nisi ejus mancipia, quia mihi ancillæ ejus timendum sit, ei contra totum infernum sit dimicandū? Accepiens igitur Crucem, tales experiebar vires, ut auderem dicere: Venite ad me hostes omnes; cum anc illa sim Dei Crucifixi, quid contra me valeatis, agnosc ā. Hâc fiduciâ armatā me magis timebant, quā ego illos. Nam & exinde à me omnis abscessit timor; ita ut non multa eos timerem. Hæc de se Teresa. An non igitur poterat ipsa liberè decantare: *Sine timore inimicorum nostrorū serviamus illi in sanctitate & justitia*: Nec solum ipsa, sed quicumque sincerâ voluntate Deo optant servire, gratiam & vires experiuntur efficaces, quibus omnem hostis hujus aspernantur fortitudinem, ut ipsamet S. Teresa testatur. Quia dum ipse contemnitur, nec ullas vires habet, nec ulli nocet, nisi qui ejus se tradit potestati. Propriis contra nos pugnat armis, quæ quidem nos ejus tradimus manibus. Addit tandē & hæc mulier fortis ac generosa: *Utinam timeremus quod nobis timendū est! Sanè agnosceremus quod nobis plus mali accidere possit ex uno peccato veniali, quàm ex toto inferno.* Hæc ipsa:

2. Pars. Cur in Scriptu ra timor cum fiducia commēdetur.

Dicimus secundò, timorem cum fiducia passim sacris in litteris commendari Christianis. Etenim inter utrumque ambulandum est, inter spem & metum, ne aut præsumptio extollat; aut desperatio absorbeat. Non ergo timor vitiosus est, licet possit esse minùs perfectus. Quare SS. Patres eum comparant Pædagogo, qui datur adhuc parvulis & imperfectis, ut eos custodiat, donec spiritum assequantur filialem & perfectum grandiores effectu per charitatem. Comparant & cum fetæ quæ filum debet introducere, dum aliquid suitur. *Sicut enim acta præcedit, & illo succedente ipsa exit; sic prius timor pœnæ occupat mentem, & locum præparat charitati, quam intrate fugit timor pœnæ, & succedit amor justitiæ*, ut ait S. Augustinus in cap. 4. ep. 1. S. Ioan. Si ergo quandoque vituperatur timor, id fit propter ejus imperfectionem, aut propter vitiosum affectum qui ei potest adjungi, qualis esset hic affectus: *Nisi esset pœna proposita, peccatum non vitarem.* Talis nempè affectus malus est, quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si impune liceret. Et talis non odit culpam, nec amat justitiam, sed solum cavet pœnam: & ita non satis recedit à malo, quia quædam adhuc in eo vivit peccandi voluntas, quæ in opus exiret, nisi timeretur vindictæ pœnalitas. At nō necessario etiam ille qui servilis timor dicitur, hunc continet affectum vitiosum: immo potest servilis timor, quo Deus timetur ratione pœnæ, omnem peccandi affectum efficaciter expungere, & hominem à peccato separare. Ideo Concilium Tridentinum declarat gehennæ timorem non esse vitiosum, sed sæpè veram conversionem operari in peccatoribus, ut propterea dixerit Isaias in persona quorumdam: *A timore tuo, Domine, concepimus, & parturivimus spiritum salutis.* Vox minax divini judicii præparat subitaneo timore quorumdam animas ad peccata deserenda, & ad pariendum spiritum salutis, ut rectè de ea dixeris: *Vox Domini præparantis cervos*, sive ut alia habet Lectio: *Vox Domini obstetricantis cervos.* Audi de hoc timore servili S. Augustinum ser. 18. de verbis Apoc. *Tu mihi dicis: Ardere timeo, in æternum puniri timeo. Quid dicturus sum? Malè times? Non audeo, quia & Dominus dixit: Timete eum qui potest corpus & animam mittere in gehennam. Planè time, nihil est quod magis timere debeat. Sed interrogo te, si non te videret Deus, nec quisquā eum vinceret in judicio, an peccatum faceres? Inspice te. Si faceres, ergo pœnā times, castitatē nondum amas, charitatem nōdū habes, serviliter times; formido est mali, nondum delectatio boni. Sed time tamē, ut ista formido custodiat te, & perducat ad dilectionem.* Hæc S. Augustinus de servili timore, qui plerumque fit initialis, ita ut cum quis timorem concēperit ob pœnam peccatis à Deo comminatam, etiam paulatim disponatur ad ipsam Dei offensam plenius considerandam. Sic fit, ut timor, ta pœnæ, quam offensæ, eum ad conversionem adducat. Atque tunc verum est illud Psalmi: *Initium sapientiæ, timor Domini.* Aliqui leguat: *Primitiæ sapientiæ, timor Domini.* Primus enim fructus quem Spiritus sanctus in anima peccatrice producit ad ejus conversionem, solet esse divini judicii timor; sic ille fit initium sapientiæ. Et licet necdum sit à Spiritu sancto inhabitante, est tamen ab eo movente, & intus operante. Sicut aurora nondum est cum Sole, est tamē a Sole mox adventante, sic & ille timor est a Spiritu sancto sibi habitaculum præparante, ad lumen majus ispargendum.

Psal. 28.

Psal. 110

Mota affectum malorum.

Est quidem timor servilis & initialis præparans Deo locum in justificandis, ita ut conversionis & justificationis initium ei adscribatur. Sed a-lius, & perfectior ille est, qui in justificatis reperitur, ad conservationem gratiæ jam acceptæ cooperans. Hic solet esse filialis, quo sic afficiuntur qui jam filii Dei effecti sunt, ut nihil magis timeant, quam ærumnis Patris gratiam amittere: ideoque omnem ejus offensam horrent ex spiritu adoptionis, collectumque gratiæ thesaurum totonisu conservant. Hic est timor qui vocatur *Timor sanctus*, quia sanctimoniam confert, conservat, & adauget. De hoc timore videtur loqui S. Bernardus ser. 54. in Cant. dum dicit: *In veritate didici nihil aquè esse efficax ad gratiam promerendā, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore corā Deo inveniaru non altum sapere, sed timere: Beatus qui semper est pavidus.*

Not, de timore servili.

Sanè qui timorem Dei à se abiicit, similis est illi qui equum ferocientem sine chamo & fræno conscendit. Sicut enim hic in præcipitium sese facilè dat, & grandi periculo exponit: ita iste protinus de malo in malum ruit, & ad cupiditates cum discrimine procurrit, quia sine fræno timoris est.

Donum timoris.

Neque ambiguum esse potest, *Donum timoris, quale donum num-*

donum esse Spiritus Sancti, quo quidem nonnulli imbuti, usque ad finem vitæ illum prætulerunt, & apertis demonstrarunt indicijs, quia per hanc timoris sancti viam ad felicem terminum Deus eos volebat perducere, & alijs parum timentibus exemplo esse. Noti sunt hac in palestra multi sanctissimi viri in vita & morte decertantes. Nos est B. Agathon, post sanctissimam vitam suis in finedicens, timorem hunc admirantibus: *O Filij, alia sunt judicia Dei, alia hominum.* Notus quoque Arsenius, pronuncians cum fletu illud Job. *Quasi tumentes super me fluctus, semper timui Dominum.* etiam sanctus Elzearius, sanctus Lutgardis, sancta Maria Ognaca, hoc timoris donum suo exemplo commendarunt. De hac postrema sic ait elegantèr Cardinalis Vitriaco in vita ejus: *Spiritus timoris non solum est principium sapientiæ, sed & bonorum omnium custos. Timor iste dicit: Qui spernit modica, paulatim decidet, licet quis visus grandia, paulatim potest obrui arenâ. Multi capilli Absalonem perdunt: multa venialia neglecta & contempta ad interitum ducunt. Quapropter erat ei timor castus velut fascia pectoralis, ne cogitationes constringeret: quasi frænum in ore, quod linguam coerceret; quasi stimulus in opere, ne ociosa torperet, quasi regula in omnibus, ne modum excederet, Christus ei meditatio in corde sermo in ore, exemplum in opere.* Hæc Cardinalis Vitriaco. Job. 31.

Sic & sanctus Macharius omnes Christianos admonebat, & exhortabatur ad sanctum timorem hac similitudine. *Sicut mercatores, navigantes, licet ventus & mare tranquillum sit, cum nondum ad portum pervenerint, metuunt ne contrario vento excitato fluctibus mare exæstuet, & navis periclitetur. Sic Christiani licet habeant prosperum ventum spiritus sancti, tamen adhuc formidant, ne ventus adversaria potestatis exurgat, qui tempestatem fluctusque moveat.* Hæc S. Macharius hom. 43. Quemadmodum igitur nautæ etiam mari placido instrumenta semper habent parata, quibus utantur contra tempestatem: ita qui timent Deum, aliquam sibi timentes mutationem, se etiam parant ad obluctandum. Et sicut qui pontem arctum tranleunt, donec ad finem illius pertingant, numquam oculos à ponte & pedibus suis deflectunt, sic & Christianis faciendum est.

3. Pars. Quomodo timor servilis expellendus sit &c.

Dicamus ergo tertiò, hic significari per Zachariam, Christo adventante, removendum esse timorem illum servilem, sive spiritum servitutis adnexum legi & testamento veteri: induendum autem esse spiritum amoris, quo serviamus tamquam filij Deo, in sanctitate & justitia. Quia hic est spiritus annexus novo testamento & novæ legi spiritus amoris, spiritus libertatis, de quo Apostolus. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Hinc sæpe dicunt SS. Patres, quod testamentum vetus sit testamentum servorum: testamentum verò novum sit filiorum: Rom. 8.

Audi S. Augustinum cap. 16. contra Adimantum: *In veteri testamento erant onera servorum, in novo gloria liberorum.* Atque ideo ipse Apostolus dicit vetus testamentum figuratum fuisse per Agar ancillam Abrahæ, novum per Saram liberam uxorem Abrahæ. Ancilla Filios suos generat servos, hæc est Synagoga antiqua, quæ servilis conditionis populum generavit. Uxor autem primaria generat Filios liberos; hæc est Ecclesia, quæ libera est, & est Mater nostra. Hæc habet cor sursum, supernaque appetit, & ad illa adspirare docet Filios suos, & servire Deo sincera dilectione; cum ad temporalia inclinati forent Filij Synagogæ, & servirent Deo timore potius pœnæ, ac temporalium illorum allecti promissione. Gal. 4.

Propterea etiam antiquitus legem promulgans Deus, populo suo proposuit supplicia timenda, tonitrua, caliginem, procellam, ignem fumantem in monte Sinai, quibus territus dixit Moysi: *Loquere tu nobis, & audiemus: & non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Immo & ipse Moyses exterritus fuit, ut dicit S. Paulus his verbis. *Erat terribile erat quod videbatur. Moyses dixit. Exterritus sum, & tremebundus.* Hæc igitur lex meritò dicitur *Lex timoris.* At promulgans Deus legem novam Filijs suis, ostendit legem esse amoris. In die Pentecostes promulgari cepit, quando Spiritus sanctus in Apostolos descendit. An non amoris? Non horribili igne fumat mons Sion, sed igne qui verticibus Apostolorum insidens, magna animi dulcedine, dulci amoris ardore omnes replet, ut Dei eloquantur magnalia. Nemò hic tremebundus dicit: *Non loquatur nobis Dominus.* Quapropter Hebræis dicit Apostolus jam Christianis: *Non accessistis ad tractabilem montem, & ignem accensibilem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se ne eis fieret verbum. Sed accessistis ad montem Sion, & Civitatem Dei viventis, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in Cœlo.* Hæc Apostolus. Lex antiqua, lex timoris. Exod. 20. Heb. 12. Lex nova. Lex amoris. Heb. 12.

Itaque timore antiquo liberandos nos dicit Zacharias, quia venit is qui redemptionem affert, & aperit paternæ misericordiæ viscera, aperit paternum amorem mentor testamenti sui sancti, promittitque legem libertatis, & amoris filialis, simulque cœlestia præmia. Quapropter & hic verum est quod S. Joannes dixit: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Quod quidem generaliter dictum, multipliciter invenitur esse verum. Nam in primis verum est, quod dum advenit Deus sacri amoris perfectam affereas sanctitatem & charitatem, mox cessavit lex timoris, quæ præcesserat ut locum præpararet legi amoris. Atque tunc Judæi qui secundum statum legis suæ tantum erant servi, per legem gratiæ & charitatis facti sunt liberi & filij; timo- 1. Ioan. 4.

rem servitutis foras mittente charitate, ut sine timore de manu inimicorum liberati serviant Deo in justitia & sanctitate coram ipso, non timore pœnæ, sed amore justitiæ mandata ejus observantes.

Charitas quem timorem emittat.

Ulterius charitas mittit foras timorem, quo aliqui nimium anguntur, cum quadam diffidentia Dei consternatam gerentes conscientiam, animat enim ad serviendum Deo liberè & lætè, generoso amoroso que corde. Hinc non solum desperationē, sed & diffidentiam excludit. Quia parit fiduciam, & anxium timorem compescit, qui in nonnullis exurgit, jam conversis; vel quia memoria peccatorum præteritorum eos divexat & excruciat, ne forte non sint remissa; vel quia scrupuli varij & anxij eis exurgunt, in omnibus trepidantes, & putantes se offensam incurrere. Hæc omnia, inquam, perfecta charitas pellit, quia lumen secum vehit & fortitudinem ad pellendum hos scrupulos, has anxietates, hos timores: & gratiam suggerit, ut non timeamus *à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano*, sub protectione Dei. Psal. 90.
Cœli, sub obumbratione scapularum ejus, sub velamento pennarum, sub scuto veritatis & amoris ipsius. Facit enim sentire in bonitate de Dominos amante:

Sic S. Antonius dicebat crebrò suis: *Ego jam non timeo Dominum meum, sed amo, charitas autem foras mittit timorem.*

Etiam S. Ambrosius, cum in extrema ægritudine ageret, & discessum ipsius tu lamentarentur discipuli, dixit: *Non sic vixi, ut me vixisse inter vos pudeat, sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Ecce & ibi charitas foras mittebat timorem.

Notum est & de S. Hilarione sic animam suam alloquente: *Egredere, quid times? Septuaginta prope annis Domino servisti, & mortem times?* Operabatur & hic charitas ad pellendum timorem.

Sur. in vita S. Claræ.

Sic & S. Clara dicebat sibi in fine. *Vade benedicta anima mea, vade secura, habes bonum salvum conductum.* O vocem charitatis timorem expellentis!

Castigli. ut in vita Sancti Dominici.

Sic & B. Romæus Ord. S. Dominici illud sæpe repetebat ore & corde suavisono: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*; sicque timorem & anxietatem omnem abigebat. Unde & hæc postrema ejus fuere exspirantis verba; quia eadem audita sunt in ejus agone. Angelorum voce resonantia.

Hi ergo omnes usque in finem benedixerunt Deum, quia sine timore de manu inimicorum liberati serviebant illi.

† ‡ †

LECTIO X.

In qua Sanctitate, & justitia Deo serviendum sit.

Thema. *In Sanctitate & Iustitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ* Luc. 1.

DIcamus & explicemus hic quomodo ad hoc venit Filius Dei, ut serviamus illi in sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ. Utique ipse est causa & origo, forma & exemplar omnis sanctitatis & justitiæ; hancque nos docuit, & ad eam invitavit tota vita sua, omnibusque eloquiis & operibus suis: ac media, quibus illam assequemur, reliquit nobis, sanctissima scilicet Sacramenta, in quibus & sanguis ejus sanctificat & justificat nos. Quid est autem sanctitas? Audi sanctum Dionysium, cap. 12. *de divinis nominibus*. *Sanctitas est ab omni scelere libera, perfectaque, ac omni ex parte incontaminata puritas; qua ita in Deo eminet, ut merito Sanctus Sanctorum, & celeberrimo illo hymno Trisagio, Sanctus, Sanctus, Sanctus à beatis mentibus in cælo celebretur.* Nobis itaque dicitur: *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi.* Sancti estote quoniam ego sanctus sum. Et rursum monet Apostolus: *Sequimini sanctimoniā, sine qua nemo videbit Deum.* Cui conformiter S. Petrus: *Secundum eum qui vocavit vos sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis.* Christus est qui vocavit nos ad fidē, gratiam, & salutem, qui Sanctus Sanctorum est, & justitia sempiterna. *Ipsum ergo immitari monemur, terrenam contaminationem quantum in nobis est fugiendo & exhorrendo*, hoc est, terrenas & carnales cupiditates declinando & mortificando. Ideo enim græco verbo Deus *Agios*, dicitur; quod idem est ac si dicas, *Sanctus Deus*. Agios autem hoc est sine terra, à terrena fece & inquinamento segregatus, & maximè remotus, ut interpretatur Origenes, Levit. 11. ubi dicitur. *Sancti eritis, quia sanctus sum.* Hæc porro sanctitas, cum qua serviendum est Deo, omnes status & conditiones hominum concernit, nec ab ea quispiam excusatur.

Ephes. 5.

Dan. 9.

Sanctitas omnium Christianorum.

Primò, quidem concernit omnes Christianos, qui passim ab Apostolo Sancti vocantur, quia ad sanctitatem à Christo vocati. Hinc S. Gregorius Nyssenus in Tractatu speciali explicans quid sibi velit nomen & professio Christiani & Christianissimi, sic ait: *Christianismus est imitatio divinæ naturæ, Christianismi professio est, ut homo reducatur ad pristinam & antiquam felicitatem. Christianismus est participatio Christi: Cum ergo Christus sit justitia, puritas, & veritas, Christianus esse nequit, qui illorum communionem & societatem in se non ostendit.* Hæc ille. Certè Christus, ejusq; sanctitas, omnibus proponitur ut exemplar, cui debent conformari & configurari in lineamentis & coloribus virtutum. nec aliud est sanctitas, quam imitatio virtutum ejus, puritatis scilicet & castitatis, patientiæ & charitatis, modestiæ & humilitatis, temperantiæ & mititatis, zeli & pietatis, justitiæ & veritatis.

Qua-

Ephes 4. Novus homo quomodo creetur Hier. in c. 4. ad Ep.

Quapropter omnibus dicitur: *Deponite veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris* (per gulam scilicet, libidinem, superbiam, invidiam, impatientiam, & alia veteris Adæ inquinamenta) *& induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Quid est, induite novum hominem? Respondet S. Hieronymus. *Idem est quod induite Iesum Christum. Iste quippe est novus homo, quo universi credentes debemus indui & vestiri.* Pergit explicare S. Hieronymus, quomodo Christus novus homo fuerit & addit: *Quid non in illo novum fuit? Conceptus, nativitas, partus, infantia, doctrina, vita, virtutes; & ad extremum crux & passio expoliantia in ea principatus & potestates & contrarias fortitudines ostentui habentia, resurrectio quoq; & ascensus in cœlum.* Ulterius ostendit S. Hieron quomodo hic novus homo creatus sit in justitia & sanctitate veritatis, quia, inquit, Deus verus & veri Dei Filius fuit, & tota in illo religio ad justitia Dei veritate completa est. Tandē concludit *Qui igitur conversationem illius imitari potest, ut sit mansuetus & humilis corde sicut ille, & ponat animam suam pro amicu, ut ille posuit; probris suis verberatus non respondeat, maledictus non remaledicat, sed vincat in humilitate superbiam, iste indutus est novum hominem, & dicere potest cum Apostolo: Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus.* Hæc S. Hieronymus.

Sed multi qui Christum sonant verbis ; & nomine gloriantur Christiano, tantum abest ut Christum induant & imitentur, quin potius in belluinos mores degenerent. Sunt enim in domo ut leones evertentes domesticos suos aut ut lenones illecebris eos corrumpentes. Sunt in negotijs dolosi ut vulpes , aut ut Pardi miras habent varietates. Sunt in agro fraudulenti & rapaces , lupis vespertinis non absimiles. Sunt contentiosi & rixosi in foro, ut canes invicē se mordentes, calumnijs alios impetentes. Sunt velut Porci genio & ventri indulgentes ; at ergā pauperes grunniunt & gerunt se ut tygrides. Sunt ambitiosi, & sese ostentantes ut pavones , nec considerant sordidos suos pedes. Interim in templo aut alloquio speciem quandam Christianæ pietatis præferunt, virtutem ejus abnegantes. Hæc non est veritas sanctitatis, nec sanctitas veritatis, quam nos edocere venit Christus, ut hic testatur Zacharias. De hac re plura dixi in Horto Pastorum, lect. 2. ubi de Christiani nominis obligatione tractatum est; & ibi dicta huc referri possunt.

2. *Quomodo in sanctitate in Religione Deo serviatur, hac, 1.*

Secundo illud, *in sanctitate serviamus illi*, concernit Religiosos , quorum professio est specialis sanctitatis , & a terrena fece segregationis, quia Deo se sancitos dicatosque specialibus votis protestantur. His ergo congruit , speciali titulo religionis & professionis suæ, *Immaculatos se custodire ab hoc sæculo.* Hæc est religio vera, simulque vera sanctitas, mentem à terrenis omnibus inquinamentis se movēs, ab illecebris & cupiditatibus immundi hujus mundi. Ad quam exhortatur S. Gregor. Nazianzenus dum in Distichis sic dicit ; *Age verè, deserto hoc mundo, mundique sarcinu excussis, ad vitam cœlestem vela pande. Alij aurum & argētum, alij mensas delicatas, id est, vitæ ludibria in pretio habeant: ego verò Christum instar amplissimarū opum duco, quem utinam mihi aliquando contingat pura mente intueri , cætera autem mundus habeat.* Atq; ut ostendat idem S. Nazianzen. specialiter hoc concernere Religiosos quòd dicit Apostolus. *Induite novum hominem*, sive *Induite Iesum Christum*, ibidem hæc habet: *Patris Verbum est homo noster, ut hujusmodi mixtione Deum hominibus misceat, unus utrimq; Deus est, hactenus homo effectus, ut me ex mortali Deum efficiat.* Hæc amplificari possunt ex illis quæ fusè tradit Hier. Platus, & Jacobus Aluarez , aliique passim de obligatione Religiosorum ad perfectionem & sanctitatem.

3. *Quomodo in justitia & sanctitate sacerdotes coram Deo stent.*

Tertiò concernit maximè Sacerdotes in justitia & sanctitate stare coram Domino , & illi soli perfectè servire. Ideo etenim sunt specialiter Deo consecrati, & charactere divino consignati. Quicquid agunt, quicquid tangunt, eis inclamat: *sancti estote, quoniam sanctus sum.* Hoc aræ, hoc calices, hoc libri sacri, hoc vestes, hoc omne eorum ministerium ejus inculcat, ita ut excusationi non sit locus. De qua re fusè à nobis dictum est in Virga Aaronis.

4. *Qua sit sanctitas conjugatorum.*

Quartò nec à sanctitate excluduntur qui conjugio sunt astricti. Licet enim liberis procreandis dent operam, licet inter curas domesticas versentur, licet inter opes agant, & alia sæculi illecta menta; possunt tamen Domino servire in justitia & sanctitate ; possunt mentis puritatem conservare & Deo offerre, possunt illi in veritate placere. Quapropter dicebat Apostolus : *Mulier salvabitur per filiorum generationem , si tamen in fide & dilectione permanserit.* Imo alibi dicit idem Apostolus, quod mulier infidelis sanctificetur per virum fidelem , & vir infidelis per mulierem fidelem; *alioqui*, inquit, *Filij vestri immundi essent , nunc autem sancti sunt.* Notum etiam est ex eodem Apostolo. *Matrimonium repræsentare Christi & Ecclesiæ conjunctionem sanctam, quorum dilectionem & sanctitatem imitari debent conjugati.* Cujus rei curam gerentes sedulam nonnulli, in conjugio tanta perfectione floruerunt , ut etiam eos qui in Claustro agunt, superarent. Quapropter hic dicere possumus: *Circumcisio nihil est, præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* Hoc est, austeritas exterior religionis, quæ est circumcisio quædam, minus habet quandoque perfectionis , quam vestis sæcularis. Hùc refert Abbas Gillibertus , quod Sponsa etiam quæsiverit per plateas quem diligebat quia aliquandò qui in plateis agunt , non in Claustris, magis diligunt. Audi ejus verba ser. 5. in Cant. *Non ideo negligatur etiam ab iis qui foris sunt, quia nulla arctioris vitæ regula stringuntur, mutuare virtutis insignia , reputans servientem sæpe ibi*

1. Tim. 2.

1. Cor. 7.

Gal. 6.

Cant. 5.

affectum, ubi fuerit gradus ordinis inferior. Hæc ille.

Hinc etiam S. Macharius divina voce missus fuit ad duas sorores in conjugio agentes; ut ab eis edisceret admirabilem mentis puritatem, qua effulgebant: Sic & Sanctus Antonius missus fuerat ad Coriarium Alexandrinum, ut ejus humilitate instrueretur.

Numquam ergo defuerunt justitia & sanctitate illustres etiam in statu connubiali, sive percurras veterem legem, sive novam. Nam & de ipsomet Zacharia ac de uxore ejus Elisaberh testatur S. Lucas. *Erant ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela*, sive, ut alia lectio habet, *sine macula*. Propterea talem meruerunt, per specialem Dei benedictionem, prolem generare. De qua sic loquitur S. Augustinus ser. 3. de S. Baptista: *Erat quidem S. Elisabeth sterilis corpore, sed fœcunda virtutibus: partus ejus non ablatus, sed dilatus, donec pertransiret tempus carnis, passio corporis, conjugij necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensus, & totum quod humanam confundit, gravat, onerat conscientiam. Mundabatur enim longo tempore sacrificij domus, sanctuarium hospitium, templum templatoris Christi, Angeli domicilium, aula Spiritus S.* Hæc S. Augustinus, ut ostendat qualiter dono Dei & miraculo speciali prognatus fuerit puer ille, de quo statim Zacharias *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis, &c.* Postmodum idem inculcans & amplificans August. subjungit: *Denique ubi tota corporis sedata est querela & in toto facti sunt sine querela, vox sterilitatis fugit, revivisit senectus, fides cœpit, parit castitas, nascitur major homine par Angelis, tuba cœli, præco Christi, arcanum Patris, Filij nuncius, significes superni Regis, peccatorum venia, Iudæorum correctio, vocatio gentium, & ut prope dicam legis & gratiæ fibula, quæ diploidem summi Sacerdotis sancto Patri jungebat in corpore.* Hæc S. Augustinus.

Luc. 1.

Concludendo adjiciamus, quod ideo dicat hic Zacharias venisse Christum, ut libertate nobis donata à peccato, *serviamus illi in sanctitate & justitia*, quia Judæi externam quidem sectabantur justitiam & sanctitatem quæ in lotionibus, sacrificiis aliisq; consistebat cæremonijs externis; internam autem negligebant, ut sæpe eis exprobrat Christus. Hanc ergo internam & veram sanctitatem, tamquam verè Christianam, explosa judaica, decantat hic & commendat Propheta. Unde dicit nobis nũc serviendum CORAM ILLO, sive coram Deo: Quid est autem servire coram Deo, nisi posse dicere cum Apostolo: *Testis est mihi Deus, cui servio in spiritu meo, in conscientia bona, & charitate non ficta.* Hic nimirum est stimulus acer Christianæ charitatis & perfectionis, cogitare nos in Dei præsentia agere quicquid agimus, coram illo scilicet qui non solum externum opus intuetur, sed & singulorum corda, intentionesque penetrat & discernit. Atque ita, tamquam CORAM ILLO, in spiritu veritatis omne opus perficiendum est, & ab omni peccato cavendum; quia coram illo tamquam Judice & Vindice omne delictum committitur. Propterea dicebat Susannæ: *Melius mihi incidere in manus vestras quam peccare in conspectu Dei mei.* Itaque semper coram Deo ambulandum; præsentia ejus nunquam deferenda.

2. Tim. 1.

Dan. 13.

Quod autem hic adjicitur serviendum esse Deo in sanctitate *omnibus diebus vitæ nostræ*, commendatur perseverantia, quæ omnia coronat merita, & consummat opera in Dei obsequio peracta. Non ergo sufficit uno mense, uno anno vel altero, una ætate Deo servire in sanctitate & justitia; sed perseverare oportet usque in finem vitæ; *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Imò si mille annos possemus impendere in ejus obsequium, qui vitam nobis dedit, & hoc deberemus optare. Jacob servit annis quatuordecim pro Rachel, sed quanto amore? *Dies pauci ei videbantur, præ amoris magnitudine.* Utinam & nos simili affectu serviremus pro æterna beatitudine, quæ longè pulchrior est, longè amabilior quam Rachel. Sed & ipse Christus pro nostra salute triginta annos & amplius impendit, sed quanto zelo, quantoque desiderio? Omnes vitæ ejus dies, hebdomadæ, menses, anni, imò & horæ, & momenta, in nostram tendebant salutem, & pro nobis Patri offerebantur amorosissimè. Cur ergò detrectabimus pauca pro ipso tolerare, breveque tempus vitæ nostræ ei dicare, nos totos impendere, amoremque sincerum rependere? Cur tam citò torpescimus in ejus obsequio? Cur tepescimus in amore, & mox afficimur tædio? Cur non dicimus cum S. Francisco in fine jam vitæ constituto: *Fratres incipiamus servire Deo hactenus enim parum fecimus.* Quid juvat inchoare cursum, si ad metam non pertingim⁹? Quid feliciter navigasse aliquo tempore, si penè in portu nostra negligentia naufragium facimus? Quid flores fructusque aliquos protulisse, si ad maturitatem eos non perducimus? Meritò omnes adhortatur S. Bernar. *ad serviendum Deo omnibus diebus vitæ in justitia & sanctitate hic nos accendens verbo, quasi igneo eloquio.* O *Fratres non tædeat incipere magna, nec tenere inchoata, scientes quod perseverantia informat merita coronat bonum propositum remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad bravium, conducit ad portum. Hæc est Tunica talaris Ioseph. Hæc est Tunica Sacerdotalis ad pedes perveniens. Hæc est cauda hostiæ quam tenemur Deo offerre. Hæc est calcaneus bonæ operationis, quem contra serpentu morsum debemus observare. Hæc est virtus qua Deum ligat qua laureantur Martyres, Virgines coronantur Sacerdotes sublimantur & Confessores.* Hæc S. Bernardus, ep. 129. ad Januenses. Vide ibi plura in hanc rem.

Serviendũ Deo in sanctitate omnibus diebus vitæ nostræ.

Perseverantia est necessaria

De Fabricio Romano olim dicebatur quodam quasi Proverbio: *Facilius est Solem à cursu suo, quàm Fabricium à proposito avertere.* Hoc nimirum dictũ est, quia iple constanti fortitudine prosequebatur

quæ

quæ proposuerat, aut inchoarat, omnia superans perseveranter impedimenta.

Sic & Agamemnon Rex laudatur apud antiquos quod Trojam invictam decennali obsidione premens, tandem sua perseverantia & mora debellarit & evicerit; ideoque dictus est *Agamemnon*, hoc enim interpretatur Plato idem esse quod *Vir admirabilis perseverantia & moræ*. Certe nobis non urbs aliqua terrena obsidione premenda & expugnanda proponitur, sed Regnum Cœlorum; ita ut
Matt. 11. dictum sit à Domino: *Regnum Cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud*. Ubi significatur magna animi constantia, fortitudine, & perseverantia Regnum illud opulentum nos adipisci; & illo nos fruiturum cum lætitia, sicut exultant victores quando captæ urbis dividunt spolia: sed tamen prius nobis esse opus simili multum studio, aviditate, impetu, ac violentia, & perseverantia. Per vim nobis illatam, ac passionibus nostris, per varias tentationes, difficultates, pericula, per adversa multa illuc pertingitur, quasi per hostes & hastas. Et pugnandum est non uno die, mense, aut anno, aut lustro; sed omnibus diebus vitæ nostræ sub vexillo Ducis nostri pugnandum, qui vitam suam dedit, ut nobis regnum illud acquireret. Erexit ecalam per quam ascenderemus muros; sed ignavia omnis ac desidia abjicienda est, quia ascensus est purpureus.

NOTA Audiendus est rursus S. Bernardus, qui *serm. de quadruplici debito* fusè ostendit, quam multis titulis obstringamur ad serviendum Deo in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ nostræ. Ac primam quidem obligationem profert ex dignatione & dilectione quam ostendit in suo ad nos adventu per carnis nostræ assumptionem, deinde toto vitæ suæ pro nobis laborioso decursu, denique in vitæ termino per acerbissimam passionem. Quia autem verba ejus mellifluo rore fluunt, ideo ea hic subjicimus. Sic ait ipse: O si cognovisses & tu, quam multa & quam multis debeas; videres quam nihil sit quod facis comparationem debitorum tuorum. Vis scire quæ & quibus debeas? Primò Christo Jesu debes omnem vitam, qui pro tua suam posuit, & cruciatus amaros sustinuit, ne æternos sustineres. Quid tibi dirum vel durum esse poterit, dum recordaris, quia ille in forma Dei, in die æternitatis suæ, in splendoribus Sanctorum ante Luciferum genitus, ad carcerem tuum, ad limum tuum venit, infixus usque ad cubitos in limo profundi? Quid non suave tibi, cum collegeris tibi omnes amaritudines Domini tui, & rememoraberis primum infantilium necessitatum, deinde laborum in prædicando, fatigationum, in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo; postremo convitiorum, colaphorum, sputorum, flagellorum, subsannationum, clavorum, quæ pallida est pro nobis, operatus salutem nostram in medio terræ; O miseratio indebita! O dignatio O dilectio! Regem gloriæ pro despicatissimo vermiculo, imo vermiculo crucifigi? *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Nonne si conferrentur in me omnes vitæ filiorum Adæ, omnes dies sæculi, & labores omnium hominum, qui sunt, fuerunt, & erunt, nihil essent ad comparationem? Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem: ita vita nostra ad vitam illius nullam habet proportionem, cum illa dignior, ista miserior esse non possit. Nec putes me rem exaggerare sermone, quia hic deficit omnis lingua, nec sufficit oculus, vel ad intuendum tantæ dignitatis arcanum. Cum ergo ei donavero quicquid sum, quicquid possum, nonne istud sic est sicut stella ad Solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo, imo minutissima, corpus & animam, vel potius unum minutum voluntatem meam, & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis prævenit beneficijs, qui toto se totum me comparavit? Alioqui si illam retineo, qua fronte, qua mente, qua conscientia, vado ad viscera misericordiæ Dei nostri, & audeo perforare fortissimum propugnaculum, quod custodit Israel, & sanguinis non guttas, sed undas à quinque partibus in meum pretium detorquere? Ita S. Bernardus.
Psal. 115.

Hæc considerantes plerique Sanctorum, vitam suam, & omnes dies ejus Domino consecrarunt, vel ab ineunte ætate, vel à prima luminis divini irradiatione, sive à prima conversione suæ: ita ut exinde nullum diem non transegerint in justitia & sanctitate. *Exempla Sanctorũ Deo in sanctitate & justitia viuẽtium.*

Sic Magdalena tot ferè annos in deserto transegit ad pedes Jesu Crucifixi in sua spelunea, quot Christus qui eam converterat, pro ipsa in sæculo transegerat. Sed quam mirâ sanctitate, quæ septis in die elevebatur ab angelis ad Deum laudandum cum eis?

Sic Maria Ægyptiaca, mox à conversione sua, post septemdecim annos turpis vitæ, non solum septemdecim annos implevit pœnitentiæ in asperrima cum carne concertatione: sed & quadraginta septem annos continuos in mira justitia & sanctitate peregit, donec ultimus adveniret dies, quo dimitteretur in pace.

Sic S. Lydvina in morbo humanitus intolerabili triginta octo annis perseveravit patientia & humilitate incredibili, ut conformis fieret Christo Jesu Crucifixo & patienti, & omnes ei dies vitæ suæ redderet *in justitia & sanctitate*.

Sic & S. Colera Reformatrix Ordinis Clarissarum quinquaginta annis perseveravit in cruciatu admirabili, planè similis Martyrum cruciatui, ita ut per singulas hebdomades nova tormenta paterentur, quasi nova martyria, & hoc quidem omnibus diebus vitæ suæ. Vide auctorem vitæ ejus apud Surium. Similia habes in vita S. Claræ. Hæc pauca de devoto fœmineo sexu serviente Deo *in sanctitate & justitia coram ipso*.

Si

Si de viris etiam nonnulla attingenda sunt, inveniemus nonnullos impendisse maxima cum sanctitate & perseverantia multos & continuos vitæ suæ dies. Alios quidem sexaginta, alios septuaginta, alios octoginta, alios denique ipsos centum annos in summa austeritate & observantia, & servientissimo Dei sui & Christi Jesu amore consumpsisse certum est.

Sic S. Ignatium viam salutis cum austeritate initiantem, ut fundamina jaceret Societati Jesu, & amorem amori Jesu redderet, terrere conabatur Satan importuna tentatione, quasi ei diceus: *Quo modo tu imbellis hæc & hæc tolerare poteris per sexaginta annos quibus tua protelanda est vita?* at ipse non solum sexaginta, sed sexcentos etiam annos, si opus esset, in Dei sui obsequium impendere resolvebat. Hoc unicè sedulò satagebant ei in *justitia & sanctitate servire omnibus diebus vitæ suæ.* Quod & fecit perseveranter, & affectu zeloque servientissimo, *ad majorem Dei gloriam*, omnia sua ordinans.

Sic S. Hilarion dicebat animæ suæ in egressu: *Septuaginta prope annis servisti Christo, & mortem times?* Octuagenarius moriebatur, & anno decimo quinto ingressus solitudinem, exinde omnibus diebus vitæ suæ mirâ sanctitate Deo suo servierat, exiguâ extructâ casâ humi cubans, numquam saccum quo amictus fuit lavans aut mutans, ante Solis ortum numquam sese reficiens, & tunc quidem paucas ficus & succum herbarum ad victum adhibens. Similiter S. Martinus octuagenarius erat dum morti jam vicinus invictum ab oratione spiritum non relaxaret, & conquerentibus discipulis de sua morte, diceret Domino: *Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* O quot dies vitæ suæ Domini impenderat obsequio! nec adhuc recusabat quantumlibet onerosum & laboriosum ulterius servitium subire pro ejus honore.

Sic S. Philippus Nerius nostro sæculo octuagenarius mortuus est, & jam ab eunte ætate sanctitatis non obscura dedit indicia, in qua permansit omnibus diebus vitæ suæ. Nam in die festo Corporis Christi peracto sacrificio summa cum exultatione, & cæteris functionibus explctis, post meridiam noctem eâ horâ quâ prædixerat, obdormivit in Domino.

Audi & de S. Policarpo. Cum urgeretur à Tyranno ut Christum abnegaret, forti voce respondit: *Christo jam ab annu octuaginta sex servio, & de manu ejus innumera percepi beneficia cum ipsa vita, qui possum vel eum negare, vel et ingratus esse?* Hoc tibi pronuncio, pro Christo me Christianum quælibet tormenta subiturum. An non & ipse Deo & Domino suo servire voluit, non solum octuaginta sex annis, sed & omnibus diebus vitæ suæ, & quidem in justitia & sanctitate, idque sine inimicorum suorum timore? O fortitudinem, O perseverantiam!

Quod si de his qui pene centum annos in Dei servitute sancta consumpserunt sit quæstio, consule inter antiquiores vitam S. Pauli, Eremi incolarum auctoris & Magistri, qui vixit ad centesimum & decimum tertium annum Palmâ ei victum & vestitum præbente, fecesserat autem in solitudinem post ætatis annum decimum quintum. Consule & vitam S. antonij, qui cum adolescens orbatus foret parentibus, in solitudinem divinâ etiam inspiratione vocatus, vixit ad centesimum & quintum annum in justitia & sanctitate, coram ipso qui evocarat. Nec desunt aliqui etiam recentioris ævi. Nam de S. Romualdo sic Rom. Breviarium: *Cum annos centum & viginti ageret, & centum ipsos in summa vita asperitate Deo servisset, ad eum migravit anno salutis millesimo vigesimo septimo.* De Francisco autem à Paula, qui præcedenti vixit sæculo, sic idem Breviarium: *Annum primum & nonagesimum agens, Turonis migravit ad Dominum anno salutis millesimo quingentesimo septimo.* Ipse verò à prima adolescentia in eremum secesserat, ut liberius Domino serviret. Hos paucos, ex innumeris in sanctitate & justitia annis plurimis maximâ perseverantiâ coram Deo servientibus, in medium produxi, in confusionem teporis torporisque nostri.

Etenim, an non nobis magna confusio, quod cum sciamus, ipso Zachariâ pronunciante, Christum advenisse, & ejus adventus hunc finem esse ut illi serviamus in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ nostræ, nos interim maximam partem vitæ nostræ in peccatis conterimus contra ipsum qui nobis vitam dedit, cum serviendum esset coram ipso? Lucidi examinis accendere facem si volucrimus, & quæ tenebrosa sunt in nobis inquirere, vitamque nostram scrutari, inveniemus quod magna pars vitæ elabitur nobis male agentibus, maxima nihil agentibus, pene tota aliud agentibus, ut meritò agnoscere illud debeamus, *Universa vanitas omnis homo vivens*; & illud iterum: *Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra pertransiunt.* Hominem dicit esse *Vanitatem* Propheta, ob inconstantiam qua in varias peccatorum species dilabitur, & qua dies suos vanissime consumit quos Dei obsequio, ad æternitatem solidam aspirando, deberet impendere. Excutiamus ergo reporem, excutiamus vanitatem, & in veritate serviamus Domino, *in justitia & sanctitate serviamus coram illo, habentes tantam nubem testium*, tantam nubem eorum qui nos præcesserunt, & omnibus diebus vitæ suæ Deo servierunt, *redimentes tempus quoniam dies mali sunt.* Respiciamus & potissimum *in Auctorem fidei & consummatorem Jesum, currentes post eum, & deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum.* Hic paratus semper est dare nobis gratiam, ut serviamus coram ipso in justitia & sanctitate omnibus diebus vitæ nostræ! quia nō est abbreviata ejus manus, nec minus protensa, & in nos propensa, quam antiquo tempore. Debemus

Morale.

Psal. 38.
Psal 143.

Heb. 12.

Eph. 5.

Heb. 12.

illis

illi totam vitam nostram, quandoquidem totam suam pro nobis expenderit: illam quoque pie impendi in satisfactionem, peccata nostra præterita exigunt: illam & sibi expetit, jureque suo totam vendicat gloria quam promittit, & Regnum quod impendio obsequii nostri vult conquiri.

LECTIO XI.

Thema. *Et tu puer Propheta altissimi vocaberis, Præibis enim &c.* Luc. 1.

De diversis S. Joannis Bapt. laudibus ex ore Patris sui.

HÆc est altera pars Cantici, qua Zacharias à Christo transit ad Joannem Filium suum, & eum alloquitur recens natum, ex impulsu Spiritus Sancti. Agnoscit, quòd favore ipsius, dum vel solum Nomen ejus pugillaribus inscripsit, soluta sit lingua sua, quoadque cum loquela spiritum etiam prophetiæ receperit: ideo vaticinatur de ejus munere & officio, quòd scilicet Propheta & Præcursor Domini sit constitutus, jamque ex utero ad id vocatus, & quasi unctus, ac inauguratus, ita ut possit dicere illud Isaiæ: *Attendite populi de longè, Dominus ab utero vocavit me, de ventre Matris meæ recordatus est nominis mei, posuitos meum quasi gladium acutum, & sagittam electam.* Recordatus est nominis ejus Dominus ostenditque quomodo noverit eum ex nomine, dum cælitus nomen Joannis ei impositum esse discit ab Angelo Zacharias, discit & Elisabeth, eique illud datur in circumcisione, contradicente licet tota cognatione. Joannis autem nomen gratiam significat, quia gratia illum orbi dedit, gratia in utero sanctificavit, gratia nativitatem ipsius illustrem effecit, gratia semper in eo perseveravit, & munus eius fuit gratiæ legem gratiæque auctorem prænunciare. Merito ergo Christo Auctore gratiæ transit in suo Cantico propheticò Zacharias ad Prænuntium gratiæ, à Verbo ad Vocem, à Rege ad Præconem & Præcursorē, à Sole ad Auroram, à Sponso ad Paranymphum & Sponsi Amicum specialem. *Isa.* 49

Zacharias cur infantem alloquatur.

Nec mireris Zachariam alloqui infantem octiduum, id enim fit ad instruendos eos qui ibi aderant, ut intelligant munera cælitus concessa huic divino Infanti, & ut postmodum cum audientes prædicantem memores sint hujus oraculi, eumque qua par est devotione, reverentia, attentione excipiant, agnoscantque promissi Messiæ Propheram & Præcursorem magis autem ipsum et Messiam ab ipso monstratum & indigitatum.

Certè olim ad instructionem & increpationem nonnullorum, Prophetæ etiam res inanimatas visi sunt alloqui. Sic ad increpationem Jechoniæ Regis, & ad populi admonitionem, dicit Propheta. *Nunquid vas fictile atque contritum vir Iechoniæ? numquid vas absque omni voluptate? Quare abjecti sunt ipse, & semen eius, projecti in terra quã ignoraverunt? Terra, terra, terra, audi sermonẽ Domini Hac dicit Dominus: Scribe virũ istũ sterilẽ, virũ qui Rational. Evang.* *Jerem.* 22

in dieb. suis non prosperabitur. Sic & Ezech. Propheta in medio campi pleni ossibus mortuorum prophetat, & ad illa inclamat: *Ossa arida audite verbum Domini Hæc dicit Dominus Deus ossibus istis: Ecce intromittam in vos spiritum, & vivetis.* Hæc autem omnia fiebant ad instructionem populi. Nam postea dicitur Prophetæ: *Fili hominis, Ossa hæc universa domus Israelis. Ipsi dicunt: Aruerunt Ossa nostra, & periit spes nostra Propterea vaticinare, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris, & inducam vos in terram Israel.* Sic etiam & alius Propheta ad increpationem Jeroboam thus adolentis super altare in Bethel, exclamavit contra altare in sermone Domini: *Altare, altare, hæc dicit Dominus, nascetur Filius omni David, Iosias nomine, & immolabit super te Sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet.* Deditque in illa die signum, dicens: *Ecce altare scindetur, & effundetur cinis qui in eo est.* Quod illicò factum est præsente Jeroboam, & manu ejus exarescente, dũ extenderet manum suam de altari ad apprehendendum Prophetam. *Ezech.* 37. 3 *Reg.* 13.

His igitur non absimiliter dicimus, ideo Zachariam Prophetam hic alloqui infantem in spiritu Domini, ad instructionem præsentium, ut postea futura ipsi ex nunc oraculo divino agnoscerent; & cùm forent velut *Ossa arida*, spe abjecta de Messia. ac jacerent in tenebris & umbra mortis; spem novam luminis & novi Solis conciperent, jam orto Lucifero. Talis enim erat Joannes jàm natus, & venturus ante Christum Solem. Neque tamẽ dicimus Joannem non intellexisse ob infantiam hoc Patris sui alloquium; quin potius cum S. Ambrosio dicimus; *Potuit Patris vocem audire, qui Mariæ salutationem antequam nasceretur, audivit. Sciebatq; Zachariæ, aliàs esse aures Prophetæ, quæ spiritu Dei, non corporis ætate reserantur.* Habuit ergo intelligendi sensum, qui exultandi habuit affectum. Idem ille spiritus qui Patris linguam antea vinctam dissolvit, & disertam effecit, ad enarrandum magnalia Dei erga hunc puerum, etiam aures & præcordia aperuit infanti, & intellectum dedit capacem hujus ignitiloquii. audi B. Laurent Justin. *in utero ad æterna lucis aspectũ lucerna hæc divinæ charitatis percepit incendium, tunc veri luminis irradiata fulgore, atque liquore completa gratiæ* Hæc ille ser. de S. Joanne Alludit autem ad illud. *Ille erat lucerna lucens & ardens.*

Sed videamus in particulari quid de Joanne Zacharias Pater pronunciet, & ejus examinemus testimonium & oraculum.

Primò dicit: *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis.* Negat quidem Joannes Pharisæis se esse Prophetam, sed intelligendum quòd neget se esse ex antiquis & priscis Prophetis aliquem, sicut fuit Isaias Hieremias &c. Unde cum specialiter interrogatus esset, an foret Elias, respondit quòd non. Et tunc subdit quòd nec sit Propheta; scilicet Elisæus, *Ioan.* 1. *Primum testimonium Patris de S. Ioanne*

vel Isaias, vel Hieremias, vel alius ex antiquis, alias non negat se habere spiritum Prophetiæ, aut
Matt. 11. spiritum Eliæ. Quapropter asserit Dominus ipsum esse Prophetam, & plusquam Prophetam. Quia non tam futura prædixit, quàm præsentem ostendit Christum: quem divino illustratus lumine & spiritu, clarius, plenius, & perfectius agnovit; quam aliquis Prophetarum, & quidem ex utero. Unde & spiritum ac lumen propheticum Patri Matrique promeruit. Nam de eo canit Ecclesia:

Ventris obstruso recubans cubili
Senserat Regem thalamo manentem,
Hic parens nati meritis uterque
Abdita pandit.

Matt. 11. *Luc. 7.* Propter hæc etiam Christus asserit tacitè eum majorem cæteris Prophetis, dum ait: *Non surrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptista.* Lucas habet: *Non surrexit major Propheta.* Ergo Christus eum censendus est comparare cum priscis Prophetis, non cum Apostolis. Et cum vocare videtur his verbis maximum inter illos; quia vult probare quòd sit plusquam Propheta, major scilicet Elia, Jeremiâ, Isaiâ, & aliis, licet sanctissimis & nominatissimis.

Deut. 34. Nec refert, quod de Moyse dicitur. *Non surrexit ultrà Propheta in Israel sicut Moyses.* Hoc enim explicant sequentia, dum additur: *Quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis & portentis quæ misit per eum ut faceret in terra Ægypti Pharaoni.* Quasi diceret: Non fuit ei similis Propheta in isto familiari alloquio & potentia, quâtot plagis percussit Ægyptum. Nihil tamen vetat quod in aliis ipso major dicatur Joannes. Ipse enim in utero Matris sanctificatus fuit, & Prophetavit ex utero, Matri Christum incarnatum annuncians exultando. An id Moysi convenit? Ipsius officium fuit illum toti mundo ostendere, & Messiam esse, Filiumque Dei attestari; Præcursorem que ejus agere, Paranymphum, & Baptistam, baptismo speciali instituto. An non hoc officium, & dignitas hæc, omnia Prophetarum officia & dignitates transcendit, quandoquidem proximè spectat ad ordinem hypostaticæ & divinæ unionis? Certè alii Prophetæ ejus typus fuerunt, cumque adumbrarunt; major ergo ipse cæteris.

Hinc & eum S. Chrysologus hoc titulo honorat: SILENTIUM PROPHETARUM. Adde sublimiorem fuisse in ipso spiritum, prophetiam, gratiam, sanctitatem, ex eo colligi posse, quod fuerit Joannes *Miraculum continuum*, sive consideres ejus conceptionem, sive uterum, sive nativitatem, sive circumcisionem, sive infantiam, sive vitam & prædicationem, sive mortem. Unde & nullum Miraculum aliud fecisse legitur, quia totus ipse, totaque ejus vita, *Miraculum continuum* fuit. Etenim miraculo ex sterilibus parentibus conceptus fuit, miraculoque antea promissus: miraculo in utero sanctificatus, miraculo Christum agnovit & adoravit ex illo utero: miraculo nascens, omnibus gaudium & admirationem peperit, quia *Manus Domini cum illo*: miraculo in circumcisione Patri loquelam restituit: miraculo puer in desertum abiit, ibique Angelicam vitam duxit: ita ut *Angelus* meritò vocetur à Malachia Propheta: non solum ob officium, sed etiam ob vitam Angelis similem. Et cum fuerit Virgo, Doctor, Martyr, triplici laureâ est nunc coronatus in Cælis. Quocirca de ipso meritò pronunciat Zacharias ejus Pater, quasi per antonomasiam & excellentiam. TU PUER PROPHETA ALTISSIMI VOCABERIS. Cui conformiter canit Ecclesia modò:

O nimis felix, meritisque celsi,
Nescions labem nivei pudoris,
Præpotens Martyr, eremique cultor.

Luc. 2. *Malac. 3.*

MAXIME PATUM.

Secundò dicit: *Præibis ante faciem Domini.* Quasi dicat: O puer parvule, filique dilecte! Quam felix eris? Quam feliciter quoque nobis natus es, & universo Orbi? Non enim Propheta solum eris Altissimi, & Prophetarum clausula; sed etiam ante faciem Messiæ, Dei & Domini tui, præibis, erisque illius Præcursor. Potest autem tripliciter dici eum præivisse:

1. *Per ingressum in hanc vitam.*
2. *Per progressum vitæ & prædicationis.*
3. *Per egressum ex hac vita.*

2. Testimonium Zachariæ de S. Ioanne.

S. Ioan. Triplicitèr præivit Christum.

Præivit equidem per ingressum in hanc vitam, quia præivit conceptione & nativitate admirabili. Ejus conceptionem, & nativitatem; ac in mundum ingressum idem nuntiat Archangelus, *descendens, & stans à dextris altaris incensi* in templo, qui Virgini nunciavit Messiæ conceptionem in thalamo. Hic sublimior Angelus electus est, ut nunciaret Militem & Præcursorem, qui nunciare debebat Regem. Ejus nativitas & conceptio de sterili Matre, præire debebat conceptionem & nativitatem Salvatoris de Virgine. Sic per miraculum sterilis concipientis, sternitur via, ad majus miraculum Virginis parientis. Ideoque nativitatem Joannis, quam mirabiliter operatur gratia, & admiratur natura, solenniter Ecclesia veneratur: quia per hanc ei pignus fidele præmissum est Nativitatis Christi, cujus gratia naturam reparavit. Cum gratiarum actione suscipit Præcursorem nascentem, per quem agnovit, mox venturum Salvatorem.

Luc. 1.

S. Ioannes fuit miraculum continuum.

Præivit ulterius ante faciem ejus in progressu vitæ, per jejunium & vitam sanctissimâ in deserto, per Baptismum institutum in Jordanis fluvio, per Vocem clamantem in prædicationis officio, per collectionem nonnullorum discipulorum, quos jam à se præ instituerat, traderet Christo. Nec enim sibi prædicavit Joannes, sed ut pararet plebem perfectam Domino prædicavit: nec sibi voluit fructificare, aut suam gloriam quærere; sed illi cujus erat Paranymphus & Præcursor, cujus unice gloriam adamabat & procurabat. Sic præibat ante faciem Domini, illum sibi ut scopum in omnibus præponens

neus, illi dans testimonium, illum demonstrans, illi totam adscribens gloriam, ad illum suos adducens discipulos, tamquam transmittens eos à lucerna umbrosa ad claram veritatis Lucem, ab aurora ad Solem, à milite ad Ducem, à signifero ad Imperatorem, à discipulo ad supremum Præceptorem, à Præceptore ad Salvatorem. Et quidem omnes alii Prophetæ possunt quadã ratione dici missi ante faciem Christi, quia voluit ut longa præcederet series Præconum, antequam adveniret: sed specialissime id dicitur de Joanne, quia sic missus est ante faciem ejus, ut penè cum ipso veniret, illi omnino proximus, tamquam Angelus & prænuncius imo tamquam à Latere Legatus.

3. Denique, prævit Joannes ante faciem Domini in egressu hujus vitæ per mortem & martyrium pro justitia & veritate susceptum; quamvis diversa fuerit mors Christi à morte Joannis, dum hic per capitis abscissionem ab iniquo Rege, ille per Crucis affixionem damnatur ab impio Judice. De qua utriusque morte. Interprete S. Aug. prædixerat Joannes, dicens: *illum oportet crescere, me autem minui. Ipse minutus est in capite, ille crevit in Cruce.* Præivit quoque Joannes ante faciem Domini in descensu ad limbum, ubi & Patribus annunciavit gaudium ob Christum mox illuc descenturum, & eos liberaturum; quam libertatem maximè ambiebant, & ut id citissimè fieret, avebant magnopere. Hic est ergo triplex præcursus Joannis ante faciem Christi. Sed præsertim agit Zacharias de præcursu per prædicationem & vocem in deserto. Quapropter.

Ioan. 1.

5. Testimonium Zachariæ de S. Ioanne.

Tertiò nota Joannem hic dici missum, PARARE VIAS EIUS. Quomodò autem id explicatur, dum subjicitur; *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum.* De quare nonnulla dicenda sunt, quandoquidem toto Adventus tempore in officio divino illud repetatur, & inculcetur: *Vox clamantis in deserto; Parate viam Domini rectas facite semitas ejus.* Hic est enim Versus, in Laudibus de die in diem repetitus, & quidem paulò ante Canticum istud nostrum, *Benedictus Dominus Deus Israel.* Et in Evangeliis singulis penè Adventus Dominicis de Joanne fit mentio, de missione discipulorum ejus ad Christum delegatione Judæorum ad ipsum, de Baptismo ipsius, circa Jordanem, de voce clamante per solitudinẽ ad quam concurrebant Sadducæi & Pharisæi, nobiles & plebei, milites & alii Judæi mulieres & viri, divites & egeni.

S. Ioannes diversimodè parat vias Domini.

1. Itaque inclamabat omnibus: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum.* Et hoc erat, *Parare vias Domini* quia illa per pœnitentiam præparatur. Cum antea nulla in scripturis mentio fieret Regni cælorum, nusquamque promissum foret, vel nominatum, clamabat tamen Joannes viam ad illud stratam esse, scalam erectam, clavem ad illud reserandum præparatam, si per pœnitentiam peccatorum & vitæ emendationem Christus reciperetur, qui habebat claves regni, ita ut ipso aperiente nemo posset claudere. Et ab hac eadem voce Christus ipse suam auspicatur prædicationem, *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum*, ut ostenderet quam sibi consonent Vox & Verbum, Præco & Judex, Vexillifer & Rex, Præcursor & Salvator. An non erat hac voce, *Parare ante faciem Domini, & parare vias ejus?*

1. Matt. 3.

2. Inclamabat omnibus, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quasi diceret: Non sum ego Agnus, sed demonstrator Agni. Nõ sum ego Christus, sed *medius vestrum stetit quem vos nescitis, cujus non sum ego dignus corrigiam calceamenti solvere.* Ipse Christus est, ego tantum vox ejus, ut præparetis ei viam, inclamans, & eum præcedens. Ego non sum Lux, sed veni *ut testimonium perhibeam de lumine.* Ego non sum Sol. sed ejus solum prænuncius. Ego non sum Medicus, sed morbum tamen ostendo, & ad Medicum vos mitto. Ego baptiso quidem in aqua; sed meus baptismus tantum præparatorius est, ipse baptisabit vos in Spiritu sancto: *Ego veni in aqua, ut manifestetur in Israel.* An non rursus his & similibus vocibus erat *præire ante faciem Domini, & parare vias ejus?*

2. Ioan. 1.

Ibid.

Ioan. 1.

3. Inclamabat omnibus adventum illius; *Cujus ventilabrum in manu ejus, ut purgat aream suam, & congreget triticum in horreum: paleas autem cõburat igni inextinguibili.* Inclamabat, *Securim ad radicem arborum positam esse, ut omnis arbor quæ non facit fructum bonum excindatur, & in ignem mittatur.* Sicque omnibus peccantibus inculcabat mortem, judicium, infernum, ut eos ad meliorem frugem, melioremque vitam exstimularet, & doceret fugere à ventura ira. An non hoc iterum erat, *Præire ante faciem Domini* (ante faciem non solum Redemptoris, sed & Judicis) *& parare vias ejus?*

3. Matt. 3. Luc. 3.

4. Etiam nunc S. Joannes censendus est *parare vias Domini*, quia ut dicit S. Ambrosius serm. 9. *Mortuus est Ioannes, equidem mortuus est; sed vocis suæ tonitru adhuc concutit nostrorum deserta peccatorum.* Vivit adhuc in Ecclesia vox ejus, adhuc hodie resonat in auribus nostris, *Parate viam Domini; Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cælorum. Securis ad radicem posita est, omnis arbor quæ non facit fructum excindetur.* Adhuc hodie personat vox ejus contra luxuriosos, incestos, adulteros, injustos. Adhuc eos condemnat diserti oris sui voce, & fusi sanguinis clamore, quia pro veritate, castitate, justitia illum profudit. Imitari ergo Joannem & ejus vocem debent, quicumque prædicationis munus assumunt; præire debent ante faciem Domini, & parare vias ejus. Quia, ut ait S. Gregor. hom. 7. in Evang. *Prædicatores suos Dominus sequitur: quia prædicatio prævenit, & tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit, cum verbo exhortationis præcurrunt: atque per hoc veritas in mente suscipitur. Hinc namque eisdem Prædicatoribus Isaias dicit: Parate vias Domini, rectas facite*

4. Matt. 3.

semitas Dei nostri. Hinc & Psalmista illis ait: Iter facite ei qui ascendit super occasum. Illi qui ascendit super occasum iter facimus, cum nos ejus gloriam vestris mentibus prædicamus, ut eas & ipse post veniens, per amoris sui præsentiam illustret. Hæc S. Gregorius, qui & huc spectare dicit, quod Dominus misisse dicitur ante faciem suam binos discipulos in omnem civitatem, & locum quo erat ipse venturus. Sic & Hugo Cardinalis, explicans illud quod de Enoch dicitur Gen. 5. ambulavit cum Deo, distinctionem hanc facit: Ambulant post Dominum humiles & pœnitentes, cum Domino, sancti Prælati & Rectores: ante Dominum, pii Concionatores, uti S. Joannes: à Domino apostatæ, & qui suæ voluntati ac voluptati serviunt: contra Dominum, superbi & rebelles, uti Judæi Levit. 26. v. 28.

Luc. 10.

Malac. 3.

S. Joannes ergo ante faciem Domini venit, missus tamquam Angelus, ut ait Malachias. Et clamabat, Parate viam Domini, lapides scilicet tollendo, & lutum, & sordes; quicquid viam potest impedire, aut curvam illam facere, in directum redigendo, monticulos deprimendo, fossas replendo, omnia ramis & frondibus aut floribus exornando; quia Regi magno hæc via paranda erat, & ei cum coronis & lampadibus occurrendum, sicut factum est Holoferni, de quo dicitur *Tantus metus Provinciis incubuit, ut universarum urbium habitatores Principes, & honorati, simul cum populo, exirent obviam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis & tibiis.* Simili modo à Prædicatoribus adhortandi sunt omnes Christiani, ut Christo obvient, & viam præparent, ac adornent, ut omne obstaculum ab ea removeant, omne lutum luxuriæ, omnem monticulum superbiæ, omnem foveam avaritiæ; omnes lapides contentionis & discordiæ; quia *via Domini, via pulchra, & semita ejus pacifica.* Illique obviandum est cum coronis & lampadibus tamquam Regi & Sponso, cum spirituali jucunditate & plaudente choro, vestes spargendo & ramos ac peristromata, inclamando cum gaudio, *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Quomodo autem triplex præparetur ei via, & rectæ fiant semitæ, per contritionem cordis, per confessionem oris, per satisfactionem operis, alibi à nobis satis explicatum est. Restant nunc pauca dicenda superfequenti versu.

Judith. 4.

Prov. 3.

V. dicta in Do. 3. Adventus. Luc. 12.

LECTIO XII.

Quam salutis scientiam S. Joannes docuerit.

Thema: *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum.* Luc. 1.

Hic versus explicatio est prioris, illiusque amplificatio: Explicat enim quomodo pararit viam Domino S. Joannes, dando scilicet scientiam salutis plebi ejus, ordinatam ad remissionem peccatorum per Christum consequendam. Hoc nimirum præcipuum fuit munus Præcursoris, præparare animos Christo per instructionem & exhortationem ad ea quæ veram salutem concernebant; quam Christus afferebat. Felix qui hanc scientiam salutis adipisci nititur, infelix qui eam contemnit, vel negligit. Hæc scientia salutis frequenter sacris in litteris commendatur, & nobis cordi esse debet, neglecta vana sæculi scientia, quæ nihil ad salutem spectat. Hæc unica deberet esse sollicitudo hominis, *scire quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis sua, & tempore quod velut umbra præterit.* At multi ignorant viam qua eis ambulandum est tempore peregrinationis hujus, & aliis intendunt; obliquasque & distortas ac incuryas vias sequuntur, defectu scientiæ practicæ salutis. Sic non tam procedere censentur, ut ad metam & terminum viæ pertingant, quam in circuitu exerrare, impingere, & corruere; quapropter contingit & eos perire.

Eccles. 7.

Hanc autem quam vocat hic Zacharias secundum nostrum Interpretem SCIENTIAM SALUTIS, vocat Syrus Interpres, SCIENTIAM VITÆ, legit enim, *ad dandam scientiam vitæ.* Nimirum est & alia scientia, quæ nec est scientia salutis, nec scientia vitæ; Ita alludendo ad Arborem scientiæ boni & mali, quam Adam & Eva suo astigerunt dispendio, dixit generaliter S. Bonaventura, *Arbor scientiæ multos privat arbore vitæ.* Quia scilicet sua scientia non utuntur ad Dei gloriam, sed ad suam abutuntur, perniciem; & per illam peccant, per quam à peccatis se emendare debuerant. Atque sicut lux radians quosdam excæcat, quosdam illuminat; sic humiles per scientiam illuminantur, superbi excæcantur. Hæc est scientia quam inflantem vocat Apostolus, nisi charitati conjungatur. *Scientia inflat, charitas autem ædificat.* inquit ipse Inflat equidem si sola sit, si autem charitas ei adjungatur, non permittit eam inflare; sic amanda est scientia, charitas autem ante ponenda, & ei conjungenda. Audi & S. Bernar. hac de re ser. 36. in Cant. *Sicut cibus indigestus malos generat humores, ita multa scientia stomacho nocet animæ, qui est memoria. Nam si dezoci ignis charitatis non fuerit, & sic per quosdam actus animæ, mores scilicet atque actus transfuja, atque digesta, nonne reputabitur in peccatum, tamquam cibus conversus in pravos nexusque humores?* An non mali humores, pravi mores? Hæc eleganter S. Bernardus.

1. Cor. 8.

Commendatur ergo hic scientia salutis & vitæ, de qua Dominus apud Hiere. *Qui autem gloriatur, in hoc glorietur scire & nosse me* De qua & specialiter Christus: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, & quem misisti* JESUM CHRISTUM. Commendatur scientia quæ ordinatur ad salutem, & ad vitæ emendationem, peccatorumque remissionem, & divinæ æternæque vitæ tandem assecutionem.

Hier. 9. Io. 17.

Exempla Sanctorum scientia salutis se trahentium.

Huic soli scientiæ salutis & vitæ incubuerunt omnes Sancti aliam omnem scientiam despuentes, & illud Apostoli attendentes: *Non enim aliud judicavi scire inter vos nisi Jesum, & hunc crucifixum,* 1. Cor. 2.

salutis

salutis scilicet & vitæ auctorem per remissionem peccatorum. Hunc & omnibus annuntiabat S. Joannes, nondum tamquam crucifixum, sed tamquam crucifigendum, tamquam scilicet Agnum Dei immolationi destinatum, ad tollendum peccata mundi: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Hinc & illud:

Si Christum nosti, satis est, si cætera nescis.
Si Christum nescis, nihil est, si cætera nosti.

Rectè Vir illuminatissimus in scientia salutis Thomas à Kempis, in libello aureo de Imitatione Christi c. 1. dixit. *Opto magis sentire compunctionem, quam scire ejus definitionem.* Sic ostendit hanc solam esse veram scientiam, quæ ordinatur in remissionem peccatorum, qualis est practica scientia contritionis; non verò solum speculativa, quæ transit vacua & inanis. Addit ibidem. *Quid prodesti tibi alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati?* Nempè hæc non est scientia salutis scire disserere de Trinitate, sed scire placere Trinitati.

Similiter B. Coleta Virgo, cum sublimes à Deo perciperet revelationes, dicebat: *Quid attinet ad me pauperculam, Domine scire hæc sublimia? Sufficit mihi nosse me, & peccata mea, ac illa deplorare in remissionem eorum. Hoc mihi solum concede.* Sciebat scilicet & ipsa, viam salutis potissimum in remissione peccatorum.

Quæ sit vera scientia salutis.

Hæc esse ergo vera *scientia salutis in remissionem peccatorum*, scire sua peccata & imperfectiones, agnoscere illa ex cordis intimo, scire contritionem horum perfectam à seipso elicere; denique illa non solum agnoscere, sed & emendare. Hæc est rursus *scientia salutis in remissionem peccatorum* scire se in omnibus humiliare, se contemnere, se abnegare, scire obedire, scire passiones frænare, linguam domare, voluntatem propriam frangere, scire charitatem & concordiam fovere.

Denique hæc est vera *scientia salutis*, scire cum pietate Deum orare, illum amare, illum toto corde benedicere, scire ad cœlestia mentem erigere, & Deo summo Bono cor inseparabiliter venire. Huic scientiæ oportet omnes gnaviter operam dare. Hæc scientia discitur in schola Salvatoris, in gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, in domo disciplinæ. Ad quam ipsa invitat Sapientia. *Beatus qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie. Qui me invenerit, invenit vitam, & hauriet salutem à Domino.* Et rursus *Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domu disciplinæ. Quid adhuc tardatis? Anima vestra sitiunt vehementer.*

Prov. 8.
Eccli. 51.
S. Ioannes docuit omnem scientiam necessariam ad salutem.
Mar. 6. Luc. 2.

Quæcumque docuit S. Joannes, ad hanc scientiam salutis spectabant, & ad remissionem peccatorum. Dicebat enim Regi: *Non licet tibi habere uxorem fratris.* Sic eum adducere nitebatur ad pœnitentiam & salutem. Dicebat Militibus: *Neminem calumniam feceritis, neminem concutiatis, contenti estote stipendijs vestris.* Dicebat Publicanis: *Nihil amplius quam quod constitutum est vobis faciatis.* Sic & Multos & Publicanos ad justitiam adducere conabatur & viam salutis. Dicebat Pharisæis: *Ne caperitis dicere Patrem habemus Abraham. Potens est Deus de lapidibus istis Abrahæ filios suscitare.* Aspere eos compellabat & arguebat, ut eorum superbiam retunderet, & eos humiliaret; sicque ad meliorem mentem & frugem reduceret. Unde & adjiciebat: *Facite fructum dignum pœnitentiæ.* Docebat timorem Dei, qui est initium salutis, inculcando novissima judicium, mortem, infernum. Nec inanis fuit scientia quam tradebat in remissionem peccatorum, quia *multi veniebant, & convertebantur, & confitebantur actus suos.* Quare & de ipso dictum erat Zachariæ per Angelum: *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum parare Domino plebem perfectam.*

Ibid.
Luc. 1.

Ex hic igitur satis patet Joannem docuisse omnem scientiam necessariam ad justitiam & salutem; imò & ad perfectionem. Omnem scilicet docuit virtutem & id quidem non solum verbo, sed & exemplo: quia omnes ejus actus, & ipse vestitus ac conversationis modus admirabilis, ad omnem virtutem efficaciter excitare poterant. Erant verba ejus fulgur, vita fulgor. Erat totus ipse Vox clamans; vox clamantis, spelunca in qua jacebat, locus deserti, locusta mel silvestre, zona pellicea, quid aliud quam pœnitentiam resonabant? Verè ergo dixit Sidonius Chrysologus ser. 127. *Ioannes virtutum schola magisterium virtutis, norma justitiæ, Virginitatis speculum, pœnitentiæ via, fidei disciplina.* Verè & Bernardus explicans illud Christi de eo. *Ille erat lucerna ardens & lucens*, sic disserit: *Ego in eo triplicem reperio ardorem & splendorem. Ardens erat in seipso austeritate conversationis: erga Christum, pleno fervore devotionis: erga peccantes, constantia liberæ increpationis. Luxit exemplo, digito, verbo: Opere seipsum, Christum indice, novissimo nobis sermone declarans.* Audiamus ergo eum toto hoc Adventus tempore clamantem & nos increpantem ac docentem; discamusque ab eo scientiam salutis, & perfectionis.

LECTIO XIII. BIPART.

Thema. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto.*
Luc. 1.

PAR. I. Quæ sint.

PEr commotionem viscerum sacræ litteræ significare solent magnam affectionem, magnamque compassionem. Sic de Joseph legimus quod *viscera* cum Fratres ejus adduxissent Benjamin coram ipso *miserior* attollens oculos vidit fratrem suum uterinum, & *dixit*: *Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi?* Et rursum, Deus, inquit, *misereatur tui fili mi.* Festina utique, quia commota sunt viscera ejus super fratre suo, & erumpebant lachrymæ, & introiens cubi-

Gen. 43.

cubiculum flevit. Nempè affectus super uterinum fratrem sese prodebat per viscerum commotionem, & per lachrymarum parturitionem, nec ultra eum celare valebat.

3. Reg. 3. Sic dum disceptarent coram Rege Salomone duæ mulieres de infante vivo cujusnam foret, utraque pertinaciter affirmante suum esse, sententiam pronunciavit Salomon: *Dividite infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri.* Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus ad Regem: (*Commota sunt quippe viscera ejus super filio suo*) *Obsecro, Domine, date illi infantem vivum, & nolite interficere eum.* E contrario illa dicebat: *Nec mihi, nec tibi, sed dividatur.* Respondit Rex, & ait: *Date huic infantem vivum & non occidatur; Hæc est enim Mater.* Unde hoc collegit Rex sapiens? Ex eo nimirum quod commota sunt viscera ejus materna, & affectus se prodidit erga fructum uteri sui, ac viscerum suorum.

Similiter propter affectum & commiserationem erga nos Deo attribuuntur viscera, & dicitur in eo fieri quandoq; illorum commotio, quia more humano de Deo loqui solet Scriptura, imò Deus de

Jerem. 31. seipso etiam sic loquitur. *Se filius mihi honorabilis Ephraim, si tuer delicatus, quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor ejus. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserebor ejus.* Sensus est: Numquid non Ephraim jam pœnitens mihi charus est, mihique in pretio, honore, & delicijs est ob pœnitentiam suam? Certè non possum de eo loqui vel meminisse, quin commoveantur viscera mea, præ affectu & commiseratione. Hoc ipsum dicere potest Deus de omni peccatore sincero & perfecto corde ad se reverente; nec enim commiserationem suam potest continere, aut eum repellere.

Denique in novo testamento merito fit mentio viscerum Dei nostri, sive viscerum misericordiæ ejus, sicut hic loquitur Zacharias: *Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Merito, inquam, fit eorum mentio. Quia visus est Deus admirabili modo, admirabilique amore & miseratione commoveri, ac effundere viscera sua super nos, dum Filium suum unigenitum dedit nobis, Filium uteri ac viscerum suorum de quo in

Ps. 109. Psal. dicit: *In splendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te.* Quam dilectionem & commiserationem admiratur S. Joannes, & nos secum ad-

Joann. 3. mirari optat, dum dicit; *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Dicere ergo hic possumus cum S. Bernardo: *Tale est cor Patris erga nos, quale nobis expressit, quia de Patris corde processit.*

Viscera misericordiæ Christo specialiter attribuuntur.

Sed & Christo specialiter attribuuntur viscera misericordiæ & amoris, in quibus nobis conditur & adservatur omne bonum. Hinc illud Bernardi ser. 61. in Cant. *Ego quicquid mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini nostri Iesu Christi quæ misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ affluat.* Imò in ejus visceribus nos ipsi contegimur, fovemur, portamur: donec æternitati nos beatæ pariat. Ibi iterum regenerationis, ibi nidum quietis, ibi locum refugij & protectionis nanciscimur; ibi fovemur & pascimur rore benedictionis; ibi incalescimus suavi flamma devotionis & amoris; ibi attrahimus spiritum vitæ & salutis. Propterea dicebat Apostolus: *Testis est mihi Deus, quomodo vos omnes cupiam in visceribus Domini nostri Iesu Christi.* Ea propter etiam apud Prophetam dicit Dominus: *Numquid mulier potest oblivisci infantem uteri sui, ego tamen tui non oblivisear. In manib. meis descripsi te.* Imò & alibi asserit, se nos gestare in suo utero & vulva, se nos portare instar Matris, & quidem usq; ad canos usq; ad senectam & senium. *Ego feci,* inquit, *ego feram, ego portabo, & salvabo.* Nempe hæc sunt viscera misericordiæ, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Hæc sunt viscera Patris misericordiarum, & Dei totius consolationis Patris futuri sæculi, per quæ erga nos afficitur instar Patris & Matris tenerrimo affectu, optans ut & nos filialem affectum rependamus, ex spiritu adoptionis inclamantes, *Abba Pater,* cum Apostolo. Immò optat ut illa misericordiæ viscera sæpius consideremus, & cum Moyse in foramine petræ constituto inclamemus: *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata.* Denique; vult ut eum Psalmista idipsum sæpe sæpius repetamus: *Et tu Domine Deus, miserator & misericors, patiens, multæ misericordiæ, & verax, respice in me & miserere mei.*

Isa. 49. Isa. 46. Rom. 8. Exod. 34. Ps. 85.

Itaque Zacharias hanc in suo Cantico inculcat nobis Dei misericordiam, quæ in ejus visitatione, sive incarnatione, maximè refulsit inter omnes Dei perfectiones. Licet enim in hoc incarnationis mysterio omnia Dei attributa resplendeant, potentia, sapientia, providentia, justitia; misericordia tamen & charitas ita supereminent, ut Apostolus Ephes. 2. vocaverit. *Nimiam charitatem, qua dilexit nos Deus, qui dives est in misericordia.* Et certe divitias omnes, omniaque suæ misericordiæ viscera effudisse in nos hic videtur, *ut salvos nos faceret secundum magnam misericordiam suam,* hoc est, secundum misericordiam suam maximam & immensam. Est enim maxima & immensa hæc misericordia, quia à Deo Maximo & Optimo, & ab ejus immenso in nos amore procedit. Deinde est maxima & immensa, quia donavit nobis unigenitum Filiũ suum æternum & immensum; nec majus donum invenire poterat ad donandum ejus Misericordia. Et ille quidem ex sua immensa misericordia se propter nos exinanire voluit, ut nos ab æterna, & maxima miseria liberaret, ita ut abyssus humanæ miseriæ attraxerit hic abyssum immensæ Dei misericordiæ. Ulterius maxima & immensa est hæc misericordia, quam ostendit visitans nos ex alto, quia

Misericordia Dei in Incarnatione Filij Dei maxime refulsit.

inimi-

innumera secum trahit beneficia & dona; innumeros favores & gratias, & efficiet tandem ut immensæ gloriæ participes efficiamur & consortes, ubi
Ps.58. æternum clamabimus cum Propheta, *Deus meus, misericordia mea.* Denique, maxima & immensa censetur hæc misericordia, quæ in omnes sese gentes cupit effundere, & in omnia loca, tempora, sæcula extendere, ita ut cautemus merito: *Misericordia*
Ps.32. *Domini plena est terra.* Et rursus. *Magna est super*
Ps.107. *cælos misericordia tua.* Illa ergo misericordia semper ante oculos nostros ponenda est, semper labiis cordis ruminanda, quia & miseris omnino est sapida. Dicamus ergo cum Isaia: *Miserationum Domini*
Isa.63. *recordabor, laudem Domini super multitudine bonorum domui Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, & secundum multitudinem misericordiarum suarum.*

Quomodo visitavit nos Oriens ex alto.

EX dictis satis jam constat, quod viscera misericordiæ Dei nostri (hoc est, visceralis intimaque & ex imo cordis promanans ejus misericordia) causa fuere cur nos visitarit succurrens summæ nostræ miseriæ. Sed non est sine emphasi, quod dicitur visitasse nos Oriens ex alto. Notant enim Interpretes ORIENS hic esse nomen substantivum & proprium Christi non adjectivum: ita ut alludatur ad illud Zachar: *Ecce vir* ORIENS, *nomen ejus* & rursum Zach.3. *Ecce ego adducam servum meum* ORIENTEM. Sic uterq; Zacharias sibi concordat,
Malac.4. Christum speciali nomine vocans *Orientem ex alto.* Quibus conformiter dixerat Propheta: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus,* sive in radijs eius extensis. Sicut enim Pavo pennas suas speciosas & variegatas in gyrum extendit gloriose, & ex illis rotam conficit radiantem: sic multo magis Sol radijs suis splendidus est & gloriosus, quasi fulgurientibus quibusdam pennis exornatus, è quibus rotam constituens, splendorem spargit per totum Orbem oculos intuentium perstringentem. Atque in his pennis & radijs non solum splendorem habet, sed etiam circumfert sanitatem, quia fugat tenebras, & graves, noxiosque noctis humores depellit à languentibus, frigus pigrum excutit ab infirmis & torpidis, vivificatque plantas & homines, nova quadam eos afficiens lætitia & vigore. Quinimmo serpentina & fœtida venena, & animalia venenata in sua remittit antra. Hæc omnia Christo competunt, cujus nomen proprium est, *Oriens ex alto.* Ipse enim non so-
Sap.7. lum est Oriens à Patre, ut *Candor lucis æternæ, & Lumen de lumine,* per nativitatem æternam, sed etiam mox ut ortus est in hoc mundo, per nativitatem terrenam visitavit nos, in alis & radijs suis attulit sanitatem; *Plenusque gratiæ & veritatis,* depulit caliginem, & omnes ad se accedentes participes fecit sui luminis. *In ipso vita erat, &*
Ioan.1. *vita erat lux hominum.* Patuit id in Pastoribus mox ab ortu suo ab eo illuminatis; in Regibus & Magis à quibus in fidelitatis tenebras depulit; in Senioribus in templo cum excipientibus, qui exultaverunt non solum ad horam in lumine ejus, sed etiam ad extremum usque momentum vitæ suæ persenserunt lucem ab eo de quo cecinerant: *Lumen ad revelationem gen-*
Luc.2. *tium, & gloriam plebis suæ Israel.* Sed & postmodum in pleniori ætate dum radios suos sparsit per verbi prædicationis, magnam lucem quocumq; invexit, quasi diem adducens gratiæ & veritatis cum lætitia mentis; ita ut omnibus diceret: *Quamdiu sum in mundo, Lux sum mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ: Accedite & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Certè sanitas, tam animi, quam corporis, erat in pennis ejus, sive in verbis ejus, quasi in quibusdam salutiferis alis & radijs. Nam quia instar Solis omnibus extitit beneficus, ideo dicitur de ipso, *Pertransijt benefaciendo & sanando omnes.* Hæc erat visi-
Act.10. tatio salutifera, propter quam venit *Oriens ex alto.* Quam quidem visitationem nostræ salutis affectricem complevit. *Moriens in alto:* quando scilicet in suo existens Occidente, in alto crucis ligno cernitur, majorem quam unquam lucè spargens salutis nostræ proficuam. Sed & postmodum novo quodã Oriente in resurrectione resplendet, novamque lucem quoquoversum diffundit, dum Apostolos, quasi Radios suos splendidissimos, per universum emittit Orbem, novæ lætitiæ novæque salutis nuncios. Sic merito dicitur, *Oriens nomen ejus,* sive cõsideretur, ab æterno Oriens à Patre, sive in tempore Oriens à Matre, sive in resurrectione rursus Oriens è corde terræ; ut ascensionem conspiciatur velut in Meridie; & adimpleatur illud: *A sum-*
Ps.18. *mo cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad sum-*
Eccl.1. *mum ejus, nec est qui se abscondat à calore ejus.* Et iterum illud: *Oritur Sol, & occidit, & iterum renascens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* Oritur nobis Christus ut Sol per nativitatem; & occidit per mortem; atque iterum censetur renascens per resurrectionem, mox in ascensione gyrat per Meridiem, donec veniat ad Aquilonem per severam suam & judiciariam potestatem. An non cernis manifeste in his omnibus quomodo visitarit nos Oriens ex alto? An non cernis rursus quam verum etiam sit: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus?* Attende pulchram hujus rei figuram.

Figura misericordiæ Dei à sole.

Ezechiæ Regi lethali morbo detento recuperãdæ salutis signum datum est ab Isaia, Sol retrogrediens per novem lineas, sive novem gradus, in Horologio Solari extructo ab Achaz in Palatio Regio. Cum enim Ezechiam ægrotantem usque ad mortem visitasset Isaias Propheta, & ei prædixisset ex
4.Reg. parte Dei. *Dispone domui tuæ quia morieris, & non*
20. *vives,* flevit Rex pius. Et conversus ad parietem versus templum, oravit Dominum cum lachrymis; ideoq; illico regressus ad eum Isaias dixit: *Hæc dicit Dominus Deus David Patris tui. Audivit orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, & ecce sanavi te, die tertio ascendes in templum Dei tui.* Dixit autem Ezechias: *Quod erit signũ, quod Dominus me sanabit?*

Cui

Cui Isaias: *Hoc erit signum. Vis ut ascendat, umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus?* Respondet Ezechias: *Facile est umbram crescere decem lineu, nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus.* Invocavit itaque Isaias Propheta Dominum, & reduxit umbram totidem gradibus. Neque putes solam umbram retroactam esse, sed
Isa.38. & ipsum Solem; nam dicitur: *Reversus est Sol decem*
Eccli.48. *lineis.* Ecclesiasticus quoque ait aperte: *In diebus e-*
2.Paralip.32. *jus retrò rediit Sol, & addidit Regi vitam.* Atq; etiam legitur Legatos missus fuisse à Rege Babylonis ad Ezechiam, *ut interrogarent de portento quod acciderat super terram*, quando scilicet Sol retrocessit. Admirabile ergo fuit portentum, quo confirmatum fuit hoc sanitatis beneficium. Unde & diem istum fuisse longiorem aliis diebus, Sole sic retrocedente, & iterum ascendente, passim tradunt Interpretes sacri. Quamvis monita certum sit quot horis prolongatus fuerit; quia aliqui cum Cardinale Cajetano putant lineas & gradus horologij non designasse horas integras, sed tantum medias, ita ut quinque horas recesserit Sol retrorsum, alij putant fuisse horas integras, ita ut decem horis retrocesserit; alij denique putant diem illum quindecim horas habuisse, in signum quod quindecim anni vitæ redderentur Ezechiæ. An etiam regressio Solis facta fuerit subitò, an motu successivo & ordinario non ita explicatum est, quam vis S. Dionysius ep. ad Polycarpum existimet ordinario motu rem measse, ita ut dicat diem illum triplo ferè majorem fuisse alijs diebus ordinarijs.

Sol retrocedens quid significarit.

Sed quicquid sit eadere, hoc dicimus, non sine mysterio Ecclesiasticum exprimere quod Sol retrocedens vitam Regi addiderit. Ac in primis significabatur, quod sicut Sol qui jam tendebat ad occasum, retrogressus est, ita Ezechias qui prope
¶.1. mortem erat, retrogrederetur ad sanitatem, quasi retexendo telam vitæ. Sic enim S. Hieronymus in Commentarijs ait, *Typus erat, ut quomodo Sol reverteretur ad exordium sui ita & Ezechia vita ad*
¶.2. *detextos annos rediret.* Ulterius significabatur quod vita nostra non est nisi quædam umbra, quæ ubi ad ultimam lineam venit, evanescit & perit, vita enim nostra cum ad ultimam venit horam, disparet. Sed sicut hic miraculo factum est, ut umbra horologij retrorsum verteretur, & sic dies protraheretur: ita factum est, ut vita Ezechiæ retrorsum rediret, & protraheretur per annos quindecim, quam vis postea, ut umbra tandem evanescere & finiri deberet.
¶.3. Denique, ut ad nostrum propositum propius accedamus, mystice & allegorice significabatur nobis vitam & sanitatem restituendam, dum Christus verè Sol Oriens exalto nos visitaret, retrocedens ultra novem ordines & gradus Angelorum, quasi per novem lineas, usque ad decimum gradum & lineam assumptæ humanæ naturæ. Quapropter non sine mysterio fuit quod cum Regi proponeretur: *Vis ut Sol ascendat, aut descendat?* Ipse elegit ut descenderet Sol, hoc que sibi sanitati s signum optavit. Nec renuit à Domino opere signum, sicut Pater ejus Achaz parum pius sub dolosa tamen specie pietatis renuerat dum ei Isaias
Isa.7. diceret; *Pete tibi signum à Domino Deo tuo, sive in excelsum subra, sive in profundum inferni.* Respondit enim: *Non petam, & non tentabo Dominum.* Timebat impius ne signo tali à Domino dato cogeretur ad veram fidem, quia idololatra erat, & incredulus Deo ac ejus Prophetæ Isaiæ: Interim velat suam malitiam quodam humilitatis velo, quasi nollet tentare Dominum. Nec tamen erat tentare Deum acceptare signum ultrò oblatum à Propheta ad confirmandam promissionem Dei de danda ipsi & populo libertate ab hostibus. Unde nec tentavit Deum Ezechias ejus filius petendo signum suæ sanitatis promissæ per Isaiam, qui tam subitò sententiam mutarat; quia ubi dixisset ei, *Dispone domui tuæ, quia morieris*, vix egressus mediam partem atrij, regreditur, & contrarium pronunciat. Potuit ergo sine tentatione explorare fidem Prophetæ tam brevi tempore contraria pronunciantis; & moriturum, & mortem evasurum. Et ad hoc instigatus fuit interius, quia mysterium in hoc signo continebatur, Christi scilicet ex ejus progenie descensuri. Nam propterea flevérat Ezechias non tam quia moriendum sibi erat, sed quia carebat hærede de quo Messias nasceretur. Hinc auctor Mirabilium sacræ Scripturæ l.2, c.28. dicit: *Flevit Rex, non quod de suo merito in conspectu Conditoris incertus foret, sed quia in Christi venturi generatione sui generis propagium in throno David lucernam non deliquit.* Itaque Christus Sol ille erat qui descendere debebat ab excelso cœlorum supra, & quidem descendere usque in profundum inferni, quod signum abnuerat ejus Pater Achaz. Christus Sol erat, qui eum visitavit oriens ex alto, ut sanitatem redderet, cujus vel sola umbra ipsi infirmo (& nobis omnibus per ejus ægritudinem in typo designatis) vitam & salutem poterat restituere, eratque restiturus suo tempore. Unde vere dicimus de illo tempore quo Christus advenit: *in diebus illis retro rediit Sol, & reddidit vitam.* Nam & de hoc Sole pronunciavit Hieremias, *In umbra ejus vivemus inter gentes*, quando vero hujus vitæ umbra defecerit, nunc Solem istum intuebimur in suo splendore, & hic intuitus ac splendor vita nobis erit indeficiens & perennans. Ideo enim postquam retrocesserat; ut visitaret nos Oriens ex alto, rursum regressus est ad locum unde venerat, ut illuc nostra trahat desideria, nostra corda, ubi non vivitur amplius in umbra obscura per fidē, sed in splēdore radiantissimo per speciē, & purissimū lumen purissimis oculis exhibetur per totā æternitatē. Interim dum hic vivimus, in umbra es' vivim', quod quidem considerans S. Ambr. sic piè disserit hac de re in Ps.36. *Ipse nostra in omnibus vita est. Ipsius divinitas vita est, ipsius æternitas vita est. ipsius caro vita est; ipsius passio vita est. Unde Hier. in umbra ejus vivemus. Umbra alarum, umbra crucis, umbra*

Cur Ezechiæ flevérit audiens mortis nuntium

Thren.4.

est

est passionis. Ipsius mors vita est, ipsius sanguis vita est, ipsius sepultura vita est, ipsius resurrectio vita est universorum. Hæc ille agnoscens quod non solum lux Solis nostri vita sit, sed etiam sola vel umbra.

LECTIO XIV. BIPARTITA.

Thema. *illuminare his qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Luc. 1.

PARS I. *Quos Christus illuminarit in tenebris agentes.*

PRosequitur Zacharias suam metaphoram, & dicit Christum venisse illuminare, sive ad illuminandum & illucescendum, his qui in tenebris & caligine degebant tamquam in umbra quadam mortis. Hæc est nempe natura Solis, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum radios spargere, & caliginem dissipare; novamque lætitiam cælo, aëri, terræ, & omnibus rebus ac animalibus præsertimque hominibus fundere, quasi vitam novam. Erat igitur Orbis sine Christo, quòd esset sine Sole. Tristissima ejus facies erat & horrida, in miseria jacebat extrema, quasi in mortis umbra; in carcere & captivitate tenebrosa agebat, in infirmitatis, mortis, ac damnationis horrido loco. Plane ho ninem circumdabat languor & angor; poteratque dicere cum luctu luctans illud Poëtæ:

Quocumque aspicio nihil est nisi mortis imago.

At ubi ostendit faciem suam splendidissimam & lætissimam Sol noster, dissipavit caliginē & mortis imaginem, infudit lætitiam & lucem, cepitque Orbis in novam respirare vitam, dum errorum & errorum chorus fugatus est, dum Fidei lux affulsit, & vitiorum infidelitatisque ac ignorantiæ fuligi-
nosæ tenebræ dissipatæ sūt. Quapropter dicit Apo-
2 Cor. 4. stolus: *Ille qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Iesu Christi.* Adverte quam multi ante adventum hujus Solis jacebant in tenebris & umbra mortis.

1. *Iudæi erant in tenebris.*

Primò quidem ipsi Judæi erant in tenebris & umbra, licet Moysis legem observarent. Erat enim adhuc illa in nocte, & nonnisi umbras continebat, quæ adveniente die debebant cedere, ita ut verum
Rom. 13. hic sit illud S. Pauli: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Lex præcessit umbratica, dies autē gratiæ luminosus subsecutus est, & orto Sole omnia illuminata fuerunt. Omnia in figura contingebant illis, modò omnia clata sunt & aperta, & Solis adventu illustrata. Quid omnes eorum cæremoniæ, quid victimæ, quid tabernaculum, quid arca, quid panis propositionis, quid propitiatorium, quid Sacramenta, quid circumcisio carnis, quid effusio tanta sanguinis? Umbræ erant: jam disparuerunt. Velum scissum est, & apparuerunt Sancta Sanctorum his qui voluerunt oculos aperire, & veritatem agnoscere. Sed aliqui remanserunt obcæcati
2. Cor. 3. in tenebris suis & caligine ita ut de illis dicat Apostolus: *Obtusi sunt sensus eorum, & usque in hodiernum diem velamen est positum super cor eorum. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* Subdit ibidē Apostolus: *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem, transformamur, à claritate in claritatem, quasi à Domini spiritu.* Idem autem est ac si dicat Apostolus Moyses in caligine accepit legem, ac deinde velamen posuit super faciem suam, quod quidem velamen per Christum auferri debuit, veritate figuras complēte, & luce Evangelii veteres dispellente umbras, sicut revera factum est. Sed tamen aliquibus adhuc manent occlusi oculi, aures, & reliqui sensus: quia illud velamen umbrarū & figurarum à vultu & corde eorum non est deductum; nec capere aut intelligere volūt velamē hoc per Christum disruptum & evacuatum esse. Nos verò qui Christum profitemur, detecta facie, sive velamine tenebris antiquis, gloriam Domini per excellentissima beneficia toti Orbi exhibita agnoscimus, quæ elucet in incarnatione Domini, & redemptione, ac sanctificatione nostra. Quam gloriam incarnati Verbi intuentes & speculantes, transformamur in eamdem imaginem, participesque reddimur ejusdem claritatis: quia per reflexionem radiorum ab hoc lucidissimo Speculo & Sole, lucidi efficimur luce Fidei & gratiæ Christi, & in dies clarius & clarius à Domini spiritu illuminamur, ut alios illuminemus nobiscum.

Quomodo Iudæi in umbra mortis sedisse dicuntur.

Hoc etiam addere possumus, quòd Iudæi in umbra mortis rectè sedisse dicuntur, quia omnia eorū sacrificia, omnisque oblatio, nonnisi umbra erant mortis Christi, per quam exspectabatur redemptio vera & consummata. Non enim poterant hæc sacrificia animalium morti addictorū sanctificationem perficere aut conferre, sed umbra tantum erant sacrificii crucis, in quo Agnus immolandus erat, consummaturus redemptionem & sanctificationem. Eam ob causā dicitur *Agnus occisus ab origine mundi*; tum quia in umbris & figuris ex eo tempore occisus fuit; tū quia omnis immolatio agnorum & aliorum animalium nonnisi ab eo virtutem potuit nancisci.

2. *Gentiles in Tenebris, & in umbra mortis fuerunt.*

Secundò; multò magis quàm Iudæi sedebant in tenebris & umbra mortis Gentiles infideles & idolatræ: ignorantia enim salutis, ignorantia veritatis, ignorantia æternæ felicitatis eis cor & oculos obscurarat, eosque excæcarat: ita ut adamarent suas tenebras, suumque sepulchrum caliginosum cum discrimine certo mortis æternæ. Sic eorum status confusibilis rectè dicitur *Umbra mortis*, in qua jacebant manus & pedes colligati, ad omne bonum inepti, variisque vinculis constricti quasi instituis funereis. Sed is *qui educit vinctos in fortitudine, similiter & eos qui exasperant qui habitant in sepulchris.* Promiserat eorum compedes dissolvere, & educere eos de umbra mortis; promiserat & Solem ac lucem, quibus se & statum suum umbrosum & horridum agnoscerent. Hinc per Prophetam dictum erat de Christo: *Dedi te in lucem gentium, ut*
Psal. 67. Isa 49.

salutu mea usque adextremũ terræ. Ipse scil. futurus erat *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis suæ Israël:* Hinc inclamat Vates: *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lux tua, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.*

Luc. 2.

Isa. 60.

Tertiò, sedebãt in tenebris & umbra mortis antiqui Patres in limbo agẽtes, ad quos illuminandos Sol etiam hic noster descendit juxta suum promissum. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Quod non solum ad Patres in limbo, sed etiam ad animas agentes in tenebris & mœrore Purgatorii spectat, quibus lucem impertit, & in regionem æterni luminis educit de regione umbræ mortis.

3. Antiqui Patres in limbo sedebant in tenebris.

Eccli. 24.

Quartò sedent in tenebris & umbra mortis non solum qui in peccatis jacent (quæ merito umbra mortis dicuntur, quia in illis sit quædam mors & mortis imitatio, eò quòd sicut mors est privatio vitæ, separans animã à corpore vitam habente, ita peccatum seperat animam à Deo, qui est vita nostra, & tollit gratiam, animæ vitam:) Sed etiam sedent in tenebris & umbra mortis justi & pii, qui in afflictione tenebrosa sunt & mœrore, ab imperiis oppressi. Unde dicunt apud Ps. *Humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis.* Circumfunditur enim eorum oculis, & menti velut umbra sepulchralis, occursantq; continuò eorum imaginationi pericula mortis, quia omnia apud eos funesta sunt.

4. Non solo peccatorum peccatores, sed & pij & justi sunt in tenebris.

Ps. 45.

Pii igitur oppressi variis afflictionibus, variisque periculis ac malis, subjugo impiorum sedebant in caligine mœsti, & ad Christũ Liberatorẽ, quẽ jam fide cognoscebant, inclamabant, ut succurreret veniens, & lucem novam secum ferens. Hinc illud Abacuc: *Usquequò clamabo, & non exaudies, vociferabor vim patiens, & võ salvabis &c.* Cui voci querulæ ad Messiæ adventum respicienti & respiranti, responsũ datur subsequẽti cap. ubi dicitur: *Scribe visum, & explana eũ super tabulas, ut percurrat qui legerit. Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur; si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Postea c. 3. dicitur: *Operuit Cælos gloria ejus, & laudis ejus plena est terra, splendor ejus ut lux erit,* ubi Adventus Domini cælo & terræ lucidissimus, & tenebrosa omnia illustrans declaratur; simulq; describitur mortẽ fugãs, & umbrã mortis: *Ante faciẽ ejus ibit mors.*

Pij oppressi quomodo Christũ liberatorem inclamarint.

Abac. 1.

Aba. 2.

Abac. 3.

Hos ergo omnes, de quibus jam dictũ est, quod in tenebris & umbra mortis sedent, venit Christus illuminare: nam & Iudæos & Gentiles ad lucẽ eduxit, & Sanctos Patres illuminavit, ac ad lucẽ æternitatis perduxit. Peccatores quoq; luce mirã perfudit, ut patet in Magdalena & Samaritãna, & Lazaro peccatorum figuram gerente, quẽ è peccati tenebris evocavit: id etiã clarissimũ fuit in Pauli vocatione & cõversione, in qua perfusus fuit admirabili luce interius, cum à Christo sibi apparente perculsus fuisset prius admirabili luce interius. Exterior autem lux, & ejus efficacia, symbolũ erat lucis interioris & efficaciæ ejus. Omnis porrò hæc virtus lucifera ab eo promanabat, qui per viscera misericordiæ visit avit nos Oriens ex alto ad illucescendũ his qui in tenebris & umbra mortis sedent. Atq; in finem usq; sæculi non desinet proferre lucẽ ex visceribus misericordiæ suæ his qui lucẽ non refugiunt, nec lumini sunt rebelles. Nam quod multi gratiæ lucem non percipiant non est defectus ejus, cum omnibus eã communicare paratus sit; sed cum illi suas adament tenebras, lucem habent invisam, & ad illam claudunt oculos, imò in suis sponte latibulis hærent, nec lucis fiãt consortes, ideoq; meritò appellantur Lucifugæ & Tenebriones.

Peccatores etiam à Christo illuminati.

PARS II.

Quomodo Christus pedes nostros in viam pacis dirigat.

EFfectus, Solis est sua luce viatores dirigere, viã ostendere, lutosum aut præruptũ iter & præcipitia demonstrare, ne luto inhæreant, aut in lapides impingant, aut in foveas incidãt. aliaq; discrimina: nam qui nocte iter agunt, multis sunt periculis obnoxii, vel ad aberrandũ à via vel ad impingẽdũ, vel etiã ad currendũ cum vitæ discrimine. Similiter affectus Solis nostri est lumen nobis præbere ad dirigẽdos pedes nostros in viam rectam, in viam veritatis & vitæ, in viam pacis & prosperitatis æternæ.

Prov. 4.

De impiis verè dicit Sapiens: *Via impiorũ tenebrosa, & nesciunt ubi corruunt.* Cui conformiter dicit Ps. *Via eorũ tenebræ & lubricũ.* Quidam autẽ ex sacris Interprẽtibus moraliter hæc explicando, sic obstacula & impedimenta varia viæ impiorũ specificat: *Non placeat tibi via impiorũ, quia lutosa est in luxuriosis, tenebrosa in iracundis, spinosa in avaris, petrosa in detractoribus, cavernosa in stimulatoribus, mõtuosa in superbis.* Imò dicam[a] quod tenebrosa sit & lubrica in omnibus peccatoribus, qui de peccato in peccatum lubrico ruunt vestigio, & quasi montes caliginosos offenderent, continuò colliduntur, donec tandẽ in præcipitium indeclinabile volvuntur, de tenebris internis in tenebras æternas præcipites.

Ps. 34.

Hugo Card. in Pro.

At via justorum recta est. Et eam ipsis demõstrat lux Solis; ita ut aberrare non possint, videturq; eis lux hæc dicere illud: *Hæc est via, ãbulate in ea. Nolite declinare ad dexteram vel ad sinistram.* Imò ipsa justorum semita apud Sapientem lux esse dicitur: *Iustorum semita quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectum diem.* Quem locum interpretans S. Greg. ho. 5. in Ezech. sic disserit. *in justorũ animis bonum desiderii atq; intellectus lucis intimam partem est: sed cum usq; ad finem vitæ in virtute proficiunt ad perfectũ diem tũc veniunt. quando ad cælestia regna producti in eam lucem quam desiderant, jam minus aliquid non habebunt.* Et rursus hac de re agens l. 7. regist. ep. 152. adjicit: *Nunc quidem dies est cum lux nobis vertitur in sulget, sed adhuc perfectus non est. Tunc perfectus erit, quando nihil de nocte peccati in mente nostra erit. Crescite ergò usque ad perfectum diem, ut quoq; que patria æterna videatur, bonorum hic operum augmenta dilatentur: quatenus tantò post in retributione major sit fructus muneris, quantò nunc studium creverit laboris.*

Isa. 30.

Prov. 4.

Illud

Illud porrò verum est, & notatu dignum, illos speciali luce dirigi, qui sunt in fine viæ aut vitæ, quia eorum pedes maximè egent directione ob tenebras & umbram mortis, qua tunica reperiuntur involuti, incerti quam viam ineant, & ad quem terminum sint perventuri, an felicitatis æternæ, an æternitatis tenebrosæ & infelicis? Variæ tunc eis tenebræ offunduntur, variæque obtenduntur muscipulæ, laquei & retia, voragines & præcipitia. Caligo infidelitatis, mœtes præsumptionis, gurgites desperationis, diffidentiæ scrobes, anxietatis nebulæ eis occurrunt. Hostes & bella viam obsident cum mille obstaculis tenebrosis. Nec minus molesta sunt hæc omnia, nec minor numero, quàm ea quæ obstiterunt Filiis Israël in terrâ promissionis pergentibus. Sed sicut illis non defecit columna ignis in nocte usque ad ingressum promissæ terræ; sic nec piis Dominus deest luce sua, donec eos introducat in locum quem promisit. Ideo adventante hac nocte & caligine ejus præsentiam & lucem toto requirunt pectore, cum discipulis dicentes: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit.* Quæ quidem verba frequentissimè durante via in corde & ore habebat magnus olim sanctitate & sapientia Cardinalis Hosius, suo tempore religionis a vitæ Atlas contrà Lutherum & Lutheranas hæreses, tum in Polonia, tum in Germania. Quocirca & morti proximus sacra sumpta Synaxi crebrò idipsum repetebat: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit.* Et certè Dominus mansit cum eo, tũ in vita, tum in morte: in vita quidem, magna per eũ operans; in morte & termino vitæ, in lucem sanctam & beatam eum suscipiens.

Circa finem vitæ, vel vitæ pedes suorum specialiter dirigit.

Luc. 24. Exempl.

V. Stanislaum Roscium in vita Hos.

Profectò & in hoc vitæ termino positos, multisque tenebris & periculis obsessos plurimum consolatur versus hic postremus nostri Cantici: *Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitavit nos Oriens ex alto: illuminare his qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Pax apud Hebræos omne bonum, omnemque designat felicitatem. Pax interna, pax externa, pax æterna felicitas nostra est, sive in via, sive in patria. Ad illam dirigi debent pedes, hoc est affectus nostri; ad illam suspirare debet cor nostrum, donec pertingat in Jerusalem, hoc est visionem pacis, inquietum esse debet. Hæc iterum pax est de qua Apostolus. *Pax super illos & super Israël Dei.*

Pedes nostri affectus nostri sunt.

Huc spectat quod de S. Gothardo Episcopo Hildesimensi legimus. Hic in extrema agens ægritudine voluit totum Psalterium perlegi à Sacerdotibus suis apud lectulum suum. Hic pius mos olim, tum Episcoporum, tum Virorum Religiosorum: Nam & de S. Antonio Episcopo idem legimus; & de S. Petro Cælestino & S. Vincentio Dominicano habemus, quod cum ultimus Psal. *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* Ultimusque ejus Versus. *Omnis spiritus laudet Dominum*, recitaretur ad eorum lectulum, illum Versum resumendo, & aliquoties repetendo, spiritum reddiderint Deo, in æternum eũ in Cælis laudaturi. Porrò S. Gothardus Psalterio jam perlecto, voluit addi officium proprium illius diei. Quod cùm perlegeretur, & matutinis laudibus persolutis, perventum esset ad Versum finalem Cãtici Benedictus, *illuminare his qui in tenebris & umbra mortis sedent*; ipsemet in agone jam desudans, ægrè apertis oculis subdidit: *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Cumque Clerus subdidisset. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, cum Antiphona, *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum*, ille ab astantibus à lecto sustollebatur; an maque illa felicissima, ergastulo corporis soluta, quietissimè migravit ad Cælos, & in locum æternæ pacis transiyit. Erat autem infra Octavam Ascensionis Dominicæ. Vide Surium in vita ejus mense Majo.

Exempla.

Utinam & hoc nobis contingat in mortis agone, ut cum Psalte possimus dicere in securitate: *Benedictus Dominus die quotidiè: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. Deus noster, Deus salvos faciendi, & Domini Domini exitus mortis.* Utique benedictus est Deus, & per singulos dies à Fidelibus est specialiter benedicendus, & rogandus, ut prosperum nobis iter ad se faciat, mortis tenebras dispellens, tentationes removens, omnia salutis impedimenta propulsans; nos denique dirigens & illuminans in illa via horrida & tremenda, ubi tot hostes & obstacula ac pericula. Ipse est *Deus salutarium nostrorum*, hoc est, Deus salutis nostræ, qui non ab uno, sed à pluribus salvat periculis, qui nos vocavit, peccata remisit, & per gratiam justificavit, ut salutem consequeremur æternam. Ipse est *Deus noster* speciali titulo per carnem assumptam; qui se nascens dedit socium peregrinationis nostræ; conversens dedit se in edulium & itineris viaticum; se moriens dedit in pretium & lytrum redemptionis; se regnans dat in præmium, absoluto itinere nobis suæ gloriam indulgens visionis & fruitionis. *Ps. 67.*

Ipse est *Deus salvos faciendi*, quia nemo salvatur nisi per ipsum, habetque potestatem & voluntatem omnes salvandi, si & ipsi velint: ac efficaciter suos salvat electos. Ab ipso est salus, à nobis perditio. Non desinit nobis dare auxilium usque in finem, si illud expectemus, & expetamus, manumque porrigamus auxiliatori & salvatori. *Et Domini Domini exitus mortis.* Cum ipse non quærat mortem & ruinam hominum, sed omnium salvationi studeat, & inhiet, ac invigilet ipsius etiam est nostra è morte eductio, quia Dominus vitæ est, & Dominus mortis, Dominus jacentiũ in sepulchro & resurrectionis eorum Dominus; sive, qui *Habet claves vitæ & mortis*, ut liberet nos à morte quando voluerit. Ergo sit benedictus, & nos non deserat in hoc itinere quo pergimus ad tenebras & mortem, donec nos faciat pertingere ad diem clarum æternæ visionis & vitæ, & per mortis tramitem transferat nos ad immortalitatem. Concludamus hæc omnia hoc exemplo. *Apoc. 3.*

Exempl. Refert Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis. lib. 2. Mirac. c. 22. de Mathæo Albanensi Episcopo, Viro sancto, ipsum ad extremum venisse ipsâ nocte dicata Christo nascenti. Cum verò noctis medio resonantes Templi campanas audisset, dum *Gloria in excelsis Deo* intonatur, quo potuit gestu & voce in lætitiam erumpens, dixit: *Christus natus est nobis, Gloria in excelsis Deo.* Sicque totum Hymnum illum Angelicum mira pietate pronunciavit. Aurora autem adventante, ad imaginem Crucifixi sese convertens, dixit: *Eia amantissime Domine mi, hanc mihi gratiam impertire, ut hac nocte qua nasci dignatus es, moriar.* Hæc ejus postrema fuere verba. Nec fuit irritum votum. Cum enim iam in aurora illud inchoaretur in Missæ introitu, *Lux fulgebit hodie super nos*, animam reddidit vocatam in partem sortis Sanctorum in lumine. Ergò quia ipse optarat totâ cordis & vocis contentione *Deo Gloriam, & Pacem hominibus bonæ voluntatis*, exaudivit Dominus ejus voluntatem, & pium votum in die quo per viscera misericordiæ suæ visitavit nos Oriens ex alto, & illuminavit sedentem in tenebris & umbra mortis, direxitque pedes ejus in viam æternæ pacis.

TRACTATUS IV.

DE FESTIS INFANTIÆ DOMINI IESV.

LECTIO I.

Thema. *Per viscera misericordiæ visitavit nos Oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris, &c.*

Pro die nativitatis Domini nostri. Quomodo debeat adorari Christus nascens, ut sol divinus in Oriente suo. Iob. 31.

Soliti sunt olim Gentiles speciali cultu Solem orientem tamquam Deum adorare, & ei sacrificia offerre; quia Soli orienti non solum lucem, sed & omnia alia beneficia, quasi ab eo accepta referebant. Hinc illud Virgilii duodecimo Æneidos:

Illi ad surgentem conversi lumina Solem:
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant:

De hac re etiam dicitur: *Si vidi Solem cum fulgeret, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Quasi dicat: Deus non habeat partem mecum, & mihi non sit propitius, si more aliorum Gentilium inspexi Solem ut adorarem eum, etsi in signum adorationis & reverentiæ, manus meas versus eum protenderim, & postmodum ad os reducens, illas osculatus fuerim quasi ejus luce sacratas & perfusas. *Hoc nempè osculum erat ritus salutandi & adorandi Solem, maximè in ortu suo, teste S. Hieronymo, l. 1. contra Ruffinum, & aliis.*

Quomodo gentiles solem orientem adorarint.

Huc etiam spectat quod Josias dicitur *abstulisse equos quos dederant Reges Iudæ Soli, & currus Solis combussisse igni.* Nempè soliti sunt Gentiles, & tunc temporis eorum imitatione Judæi, devovere Soli equos, & illos alere publico sumptu. Quibus quidem equis vehebantur cum quadriga certi viri, qui designabantur quotidiè ut in Montem summo mane procederent, ad Solem orientem salutandum & adorandum, ut aliqui dicunt. Vel certè hi equi serviebant ad statuam Solis per vicos solenniter circumducendam certis temporibus, ut adoraretur, & ab eo serenitas, aliaque beneficia impetrarentur. Denique sicut tauros Jovi, ita & equos Soli solebant hi idololatræ immolare, & flammis absumere; ad sacrificium ergo alebantur.

Ritus adorandi Solem. 4. Reg. 23

Notum est apud Ezechielem quomodo conqueratur Dominus introducens Prophetam in atrium domus Domini interius, ubi ostendit ei *quasi viginti quinque viros dorsa habentes contra templum*, sive contra Arcam Domini, *& facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis, applicabantque Ramum ad nares suas.* Hæc erat altera cæremonia adorationis, quâ Ramum lauri, quæ sacra erat Soli, osculabantur, & deinde naribus applicabant, quasi gratias agentes de ejus odore suavi; simulque osculando laurum, Solem osculari & venerari, sive adorare censebantur; quem quia contingere cominus non poterant, per laurum saltem eminus attingere sibi videbantur, & se illi vovere. Ezech. 8. 2.

Certè hæc adoratio Solis orientis (quasi divinum quoddam Numen foret) cum suis cæremoniis & sacrificiis merito reprobatur in sacris litteris tâquam abominatio, & iniquitas pessima, & negatio contra Deum Altissimum, quasi non esset Deus Altissimus, Creator ipsius Solis, & lucis ejus Auctor, solus ipse adorandus. Nos interim Christiani Nativitatem Christi Filii Dei piè celebrantes, meritò tamquam Solem nostrum agnoscimus, & in Oriente suo eum adoramus, quia secundum divinitatem *Lumen est de lumine, splendor gloriæ, & candor lucis æternæ*; secundum humanitatem verò est *Lux vera quæ venit in hunc mundum, ut illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum*, simulque omnem hominem ex hoc mundo exeuntem; & ut dirigat quemlibet in viam pacis & æternæ lucis, si non diligant homines magis tenebras, quâ lucem. Hic est Sol Sap. 7. Ioan. 1.

Psal. 103. est Sol quo in suo Oriente illud verum est: *Ortus est Sol, & congregati sunt* (nimirum catuli Leonum rugientes) *in cubilibus suis collocabuntur.* Quia sc. tempore noctis & tenebrarum avidi ad prædā Dæmones, quasi Leonum catuli huc illuc discurrebant. Nunc autem (quia nox præcessit, dies autem appropinquavit hoc Sole orto) illorum ferocitas in timiditatem versa est; etenim multa præda eorum dētibus est eruta, & in cubilia sua coacti sunt Christo veniente regredi, magis quam antea conclusi & colligati. Hinc & ex idolis ac delubris suis cedere jussi sunt, in quibus seducebant homines, quos raperent. Refert Nicephorus, *Augustum, ut de successore consuleret templum Apollinis accessisse, & oblato sacrificio Hecatombe, sive centum victimarum, Oraculum interrogasse. Commisit autem illud. Mirante Augusto, & causam scitante, rursus oblato sacrificio, coactus est Dæmon hanc rationem reddere.*

Me puer Hebræus Divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum.
Aris ergo ex hinc tacitus abscedito nostris.

In vita quoque S. Arthemij Martyris apud Sur. 20. Octob. legimus hoc responsum Apollinis Delphici dum interrogaretur in templo suo & idolo.

Dicite vos Regi pulcherrima corruta dala.
Non tectum pulcher, nec laurum vatibus aptam
Phœbus habet, y fontu quo extincta est lympha loquentis.

Rursus aliud responsum ejusdem Apollinis à S. Arthemio refertur, cum hac querimonia:

Heu heu, me Tripodes destete Extinctus Apollo est.
Extinctus. Vir me cœlestu lumine perdis.

Nempe Sol sub nomine Apollinis colebatur, qui & Phœbus nominatur. Sic dementabat eos Dæmon, multa dans responsa per idolum Apollinis radiantis instar Solis. Sed tandem Sole nostro adveniente & oriente, extinctus Apollo est, extinctus est Sol ille idololatricus & falsiloquus, & in Tartareas tenebras remersus, non ferens lucem Solis nostri orientis. Hic est ergo Apollo noster, hic noster Phœbus, qui attulit scientiam salutis, & illuminat eos qui in tenebris & umbra mortis sedent.

Christus natus die Dominico

Ideo & in Dominico die, qui *Solis dies* nominatur, Christus natus est, post mediam scil. noctem ut tradit Rupert. de divinis officijs l. 3. c. 16. his verbis. *Nocte Dominica natus est Christus, conjunante mirabilium suorum ordine, ut quo die dixit: Fiat lux, & facta est lux, ejusdem diei nocte, oriretur in tenebris lumen rectis corde, Sol justitiæ Christus.* Hæc Rupertus. Hic est ille Sol de quo rursus Psalt. *Sol cognovit occasum suum.* Ab ipso enim ortu suo agnoverat mortem & passionem, per quam suum debebat habere occasum, ut iterum novo oriente renasceretur per resurrectionem. Desiderabat autem hunc occasum jam exinde quia per illum passionis occasum sciebat consummandam redemptionem nostram, quam in ortu suo inchoabat.

Quidam tenebriones Solem detestantur.

Quidam populi dicuntur Solem in ortu suo execrari, & maledictis impetere, quia terram eorum exurit. Tantum ergo abest, ut hi eum orientem adoratione dignum judicent, quin potius lapidibus in eum jactis odium testantur vel convicijs insectatur. Sic de populis Æthiopiæ juxta Athlantem mōtem habitantibus testantur Herodotus, Plinius, Solinus, & alij historici. Nigris istis populis nigra placet nox, ideo inimici sunt auroræ & lucis. Hi videntur notari dum de quibusdam dicitur. *Maledicant ei, qui maledicunt diei.* De adulteris quoque, qui caliginem observant ut scelera sua designent, alibi dicit Job: *Ipsi sunt rebelles lumini, & nescierunt vias ejus. Si apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortu.* Nempe placet etiam eis nox, quia apta ut alieno thoro insidientur, & libidini suæ vacent, lux autem eorum revelat turpitudinem, ideo ei adversantur. Sic Christus Oriens instar Solis, & lucem gratiæ afferens ad dissipandum tenebras ignorantiæ & idololatriæ, caliginem errorum & vitiorum, umbrasque ad noctem veteris legis, multis non fuit acceptus, qui suam caliginem ac noctem adamabant. Hinc ab Herode impeditur & ejus assectis mox ab ortu, à Judæis quoq; convicia patitur & maledictionis, à Gentilibus postmodum varias persecutiones, denique a plerisque contradictiones, ita ut dixerit de se Joannes. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim mala opera eorum. Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.*

lob. 3.

lob. 24.

Christus ad illuminandū natus, pauci, fuit gratus.

Ioan. 3.

Nos porrò adoremus hunc Solem nostrum in ortu suo, non more gentili impulsi, sed lumine fidei instructi, per quod verum Lumen verumque in eo Nomen agnoscimus, & ideo decantamus: *Christus natus est nobis: Venite adoremus. Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem ejus in confessione.* Utique adorandus à nobis est in suo Oriente, quia adorarunt eum quicumque agnoverunt, & suo ad idipsum exemplo nos hodie invitant.

Ad Christum natum adorandum invitant nos.

Primo quidem adoravit Virgo Maria Solem hūc in suo Oriente, hoc est in sua nativitate, per quā ex seipsa admirabili modo prodijt, quasi SOL de STELLA. Audi S. Brigittam hac de re in suis revelationibus, ubi sic partus ejus describitur: *Adorat ut Virgo genu flexa ad Orientem, manibus & oculis in cœlum quasi in quadam extasi cum dulcedine rapta. Cumq; pro partu edendo fudisset preces, illico in ictu oculi vidit filium suum ante se editum, ex quo prodibat splendor eximius, ataditu q; est tantus suavissimus Angelorum statim que junctis manibus & inclinato capite adoravit summa humilitate, & pannis involvit. Et ecce signum magnum,* non jam in cælo, sed in terra: *Mulier amicta Sole,* imò utero suo circumdans Solem & illum Cælo Terræque patiens, ut eum cælum & Terra adoret in Oriente suo. Quod quidem mox præstiterunt Angelis adorantes eum qui illuminat ipsos mirabiliter in montibus æternis, à quo & lucē

B. M. V. I.

Et Angeli.

mutuuant, quam in nos refundant. Ab hoc Sole & Seraphim ardentes efficiuntur, & Cherubim mirâ luce illuminantur, & Throni perficiuntur; & cæteri cælestes spiritus claritate indicibili illustrantur, ita ut eorum triplex officium sit, purgare, illuminare, perficere. Quod quidem trinum officium ab hoc Sole purissimo, splendidissimo, perfectissimo fortiuntur. An non ergo merito eum in suo Oriente adorant sub humanitatis nube jam velatum, quem in cœlo a sua creatione contemplantur in divinitatis suæ splendore revelatum? Utique Pater æternus id jubet, qui *cum introduxit primogenitum suum* (splendorem utiq; paternæ suæ gloriæ) *in orbem*
Heb. 1. *terrarum, dixit: Adorent eum omnes Angeli ejus.* Vult ut circumdent hunc Solem in terris Orientem
Iob. 38. & laudent eum *Astra matutina, & jubilent omnes Filij Dei* coram eo. Jure ergo insonamus modo, *jubilemus Deo salutari nostro.*

2. Pastores Luc. 2. Secundo adorarunt hunc Solem Orientem Pastores, quem agnoverunt Deum & Salvatorem edocti Angelica voce: *Ecce annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est hodiè vobis Salvator.* Quid erat hoc aliud dicere, quam annuntio vobis ortum Solis, qui vos perfundet lætitia & luce, vitâ & salu-
Esther 8. te? Certe si dicitur Esther. 8. *Iudæis nova lux orta visa est, gaudium, honor, & tripudium,* ob litteras Assueri contra Aman & hostes & insidiatores affixas portis urbium; quanto magis id dici potest in
Esther 11. nativitate Christi, quando *Fons parvus in Solem lucemque conversus est*, ut viderat in suo somnio Mardochæus? Maria enim, quæ exiguus fonticulus cēsebatur, Solem toti orbi genuit, refulgentem maxima luce, & lætitia afficientem rectos corde. Hinc Solem adorarunt & agnoverunt Pastores, non solum Angelicâ voce, sed cœlesti etiam claritate eos circumfulgente in media nocte; quæ nonnisi ab hoc Sole divino potuit prodire. Unde dicitur; CLA-
Luc. 2. RITAS DEI *circumfulsit illos.* Non ergo Angelica solum claritas, sed & divina hujus nostri Solis Orientis claritas ad eos usque pertigit. Quæ quidem ipsos primum stupore affecit & timore, sed & deinde lætitia & amore.

3. Patres in limbo. Tertiò adorarunt hunc Solem orientem Patres in limbo, quia & ipsi ab hoc Sole in ortu ejus claritatem quamdam perstrinxerunt; ita ut tunc agnoverit Solem suum per novem lineas retrogressum usque ad decimum gradum Rex pius Ezechias, & mysterium istud agnoscens exultarit & adorarit.
Ioan. 8 Tunc etiam verū fuit illud à Domino de Patriarcha Abraham pronunciatum. *Exultavit ut videret diē meum, vidit & gavisus est.* Tunc quoque adimpletum est illud:
Isaiæ 9. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucē magnā, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Et quidem nonnulli tradunt quēdam splendorem ad eos in limbo descendisse terrā sese aperiente. Sic enim habet Petrus de Natalibus, Episcopus Aquilinus: *Nativitas Domini eriā declarata est per elementum terra, scribit namq; Damascenus, super illud Psalmi; Nox sicut dies illuminabitur. Nativitatis nocte istud impletum esse, qua nox in horā nativitatis ejusdem in claritatem diei conversa est. Et quia lux ad Patres qui erant in limbo descendere non poterat, terra se in pluribus locis aperuit, & per ejus rimas lux ad Patres usq; dejendit. Et tunc impleta est Prophetia. Populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Sed quicquid sit de hac materiali luce, saltem piè credimus, vel per Angelos, vel per intellectualem lucem, Christi Patres in limbo agentes agnovisse diem hunc natalem Christi ex ipsorum progenie producti; sic enim decebat eos ut Parentes suos à Christo honorari, & novi gaudij jam Orbi nuntiati esse consortes.

Quartò adorarunt hunc Solem paulò post ortū Reges & Sapientes Orientis, quia illum agnoverūt Cælo ipsis testimonium perhibente per novum lidus Solis hujus prænuntium. Sidere illo viam eis monstrante, ab Oriente venerunt ad veram Orientem; ad illum scil. cujus nomen est ORIENS. A luce externa præeunte ducti sunt ad Auctorem lucis omnis: *& qui de tenebris dixit lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus eorum ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Iesu Christi.* Dedit enim aspicientibus intellectum, qui præstitit signum, inquit S. Leo, *ut eos tanta visionis mysterium non lateret, & quod oculis videbatur insolitum, animus non esset obscurum.* Ille ergo Sol qui venit *illuminare hu qui in tenebris & umbra mortis sedent*, dirigebat pedes eorum in viam pacis per Terram hæv hostis, turbati, & bellum necemque meditantis. Ipse erat eis Dux, ipse Via, ipse Terminus viæ; quia ab ipso, & per ipsum, & ad ipsum veniunt. Ipse eis oritur, eos ducit, eis se ostendit, eos reducit. Hunc Solem adorant proni in suo Oriente, suisque incunabulis, & offerunt ei non Ramum lauri, ut olim Gentiles Soli, sed munera quæ Sol generare solitus est calore suo in ista Regione, *Aurum, Thus, & Myrrham.* Sol enim vivifica sua luce aurum gignit in viscerib⁹ terræ, sicut & Myrrham & Thus in ejus superficie, in calida Orientis regione. Post istos autem Reges & Sapientes alij iusti eumdem Solem Orientem agnoverunt & adoraruntejus splendore ad id impulsi. Sic Simeon, cum venisset in spiritu in templum, vidit Virginem cum infante suo venientem miro splendore circumdatam, & in medio turbæ ac mulierum specialiter agnovit illam esse, quæ Solē hunc genuerat & gestabat; ideoq; totus ejus splendore perfusus & amore, amplexus est eum, adoravit ac palam professus est se illam tenere & cernere, qui *Lumen erat ad revelationem gentium, & gloriam plebis suæ Israël*; simulq; illum esse qui de umbra mortis dirigit pedes nostros in viam pacis, ideo petit dimitti in pace. Denique hunc Solem adoraverunt velut in Meridie Moyses & Elias in transfigurationis Monte, quando facies ejus resplenduit sicut Sol, quando & Petrus, Joannes, Jacobus, ejus
Mat. 17. claritatem non sustinentes, ceciderūt in facies suas.

5. Agnovit Quinto, traditur & Imperator Augustus huc nostrum Solem agnovisse, ut Solis Dominum & Cōditorem,

4. Reges ex Oriente & alij iusti.
2. Cor. 4.
Leo ser. 2. & 3. Epiph.
Mat. 2.
Timot. Presb. Orat. de Sicœne.

hunc Solem ipse Augustus

ditorem, & Regibus omnibus sublimiorem, monente cum hac de re Sybilla, sive quadam muliere Prophetissa, quæ tunc temporis celebris habebatur. Sic enim refert Innocentius Pontifex, ser. 2. de Natali Domini. *Fertur, Augustum vidisse in Cælo Virginem gestantem Filium, ad ostensionem Sibyllæ. Et tunc prohibuit, ne quis eum Dominum appellaret, quia natus erat Rex Regum & Dominus Dominantium.* Hæc Innocentius. Plenius id enarrat S. Anton. 2. p. hist. 1. 4. c. 6. his verb. *Natus est Christus eo tempore quo pax erat toto Orbe, quod non contigerat à tempore Numæ Pompilij secundi Regis Romanorum, quod Romani industria Octaviani tribuentes, voluerunt eum ut Deum venerari. Sed Imperator non assensit. Cumq; populus super hoc esset importunus esset, ut dicit Innocentius, Sibyllam Prophetissam advocavit, scire volens per oracula, an alius major eo esset nasciturus. Cum ergo in die natalis Christi concilium super hanc rem convocasset, & Sibylla oraculis insisteret, in media die circulus apparuit circa Solē, & in medio Virgo puerum gestans in gremio. Quod Sibylla ostendens, ei dixit. Hic puer major te est, & idro ipsum adora. Auditaque est vox, dicens: Hæc est Ara Cæli. Vnde & illa Ecclesia (ubi tunc erat Palatium Octaviani in Capitolio) nunc est Ecclesia & Conventus Ordinis Minorum, qui dicitur S. Maria de Ara Cæli.* Hæc S. Antonius. His consentaneè loquitur Petrus de Natalibus Episcopus Aquilinus, & S. Bonaventura l. de Festivitatibus pueri Jesu. Nec derogat fidem huic rei, quod nonnulli dicunt Sibyllam tunc temporis aliquam non extitisse, quia, ut insinuavimus, per Sibyllam mulier aliqua spiritu prophetiæ dotata potest intelligi. Quamvis Cardinalis Baronius sic hoc accipiendum putet, ut Sibylla hoc Augusto ostendisse intelligenda sit, quia id ex Sibyllinis versibus didicerit, in quibus perlegendis assiduus erat. Hoc saltem certum est, Romæ Ecclesiam esse sub nomine *Ara Cæli* & habetur ex traditione antiqua, illam appellationem originem duxisse ab ipso tempore Augusti: sive id factum fuerit quia in Sole virginem viderit cum hac inscriptione puerum gestantem, *Hæc est Ara Cœli*, aut cum voce cælesti idipsum insonante: sive, ut Nicephorus insinuat, & ei subscribit Baronius, quia in eo loco Aram extruxerit Augustus, cui inscripsit. *Ara primogeniti Dei*, dum rediens ab Oraculo Pythij Apollinis, responsum accepisset ante ea relatum: *Me puer Hebræus Divos Deus ipse gubernans, cadere sede jubet.* Putatur autem Constantinus locum illum & Aram in Templum erexisse Virgini Genitrici cum dicta Epigraphe, *Ara Cæli*. Hoc id nobis sufficiat, quod Sol noster in ortu suo voluerit agnosci etiam ab illis qui in tenebris infidelitatis agebant, & per Solem ipsũ aliqua signa dederit se Sole esse majorem, & Solis Conditorem. Nam & nonullis locis apparuerunt circa ejus Nativitatem tres Soles paulatim in eumdem coeuntes, quo quidem signo indicatum est Trini unius q; Dei notitiam jam mundo orti per Nativitatem Christi, Filij Dei, & Solis æterni.

Postremò dicamus, quod ipse Sol nostrum hunc Solem visus sit in suo oriẽte quadam ratione venerari, si credimus S. Ambrosio dicenti in die Nativitatis novo quodam fulsisse splendore, & ad ortum festinasse. Audiendus est ipse suismet verbis ser. 16. de Nativ. *Oriente Salvatore, non solum humani generis salus, sed etiam Solis ipsius claritas innovatur, sicut ait Apostolus ad Eph. 1. Vt per ipsum restauraret omnia, sive qua in cælo, sive qua in terra sunt. Sicenim Sol obscuratur, cum Christus patitur, necesse est eum solitò splandidius lucere, cum nascitur. Et si Iudæa mortem operantibus effundit tenebras, cur non Maria parturienti vitam, exhibeat claritatem? Aut quare non credamus, quod nascente Christo Sol ad obsequium lucidior advenerit, cum Magos ad insitum clarior stella præcesserit. Et si stella per diem alium temporis officiũ ministravit, cur non credamus quod Sol quoq; nocturnis horis aliquantulum advento maturiore decerpserit. Ex eo deniq; factum puto ut nox decresceret, dum Sol festinus ob Nativitatis Dominicæ obsequium ante lucem mundo protulit. quam nox suis temporis cursum consummaret. Quin potius ipsam noctem fuisse non dico, nec aliquid obscuritatis habuisse, in qua Pastores vigilant. exultant Angeli, astra deserviunt. Si Sol ad Iesu Nave orationem defixus stetit in die, cur non ad Christi Nativitatem festinus promoveret in noctem?* Hæc S. Ambrosius.

6. ipse Sol, justitia Solẽ mox ortum quodammodo veneratus est.

Nos igitur & hunc Solem in Oriente suo adorare convenit, *& manus nostras exosculari ejus luce perfusas & consecratas, quia manus nostras assumere dignatus est & membra, illa deificans per carnis nostræ assumptionem, & divinitatis suæ unionem.* Quod si aliquibus vitio vertitur Regibus, quod hunc Titulum sibi arrogarint, EGO FRATER SOLIS ET LUNÆ nemo jam nobis illum invideat, quia Fratres sumꝰ JESU ET MARIÆ, tamquam Solis & Lunæ, à quibus omnis nostra lux procedit, omniaq; dona cælestia. Etenim MENSA SOLIS; celebris apud veteres, nobis per Christi ortum apparata est. Fuit illa *Mensa Solis* locus in Æthiopia, apparatis epulis semper refertus, & quia ut libet vesci volentibus licet. *Solis Mensam* appellarunt, & quæ apposita sunt, affirmant nasci divinitus. Sed hæc fabulosa sunt. Nobis autem Christus Oriens ut Sol Mensam omnium bonorum copia refertam instruxit, & nos sua luce vegetat, alit, reficit, & exhilarat. Manè ergo surgamus ad salutandum Solem hunc nostrum adeò benefícium, qui & nobis primum surgit ad salutandum nos in Oriente suo, quasi nobis dicens: *Ecce ortus sum, ad diẽ vobis proferendum, discussis tenebris. En vobis latitiam lucem vitam offero. & rogo ne eam repudietis. Frondete, florete, fructificate, luce & calore meo vos vegetante exhilarante, fœcundante.*

Si tantâ mentis hilaritate S. Franciscus biennio ante mortem, (acceptâ revelatione de sua prædestinatione & electione paulò post impressa sibi à Christo stigmata) composuit Hymnum Solis; in sole Deum ejus opificem laudans. Quantò cum jubilo Deum laudare debemus ob Christum Solem

nobis

nobis ex alto Orientem, & singulis momentis vitæ nostræ beneficijs nos afficientem, sine cujus luce & radijs in morte sumus? Canebat S. Franciscus divino æstuans amore: *Altissime, omnipotens, bone Domine tua sunt laudes: gloria & honor & benedictio tibi soli referenda sunt, & nullus homo dignus est te nominare. Laudetu, Domine Deus, propter omnes creaturas, & maximè propter honorabilem fratrem nostrũ Solem, qui dies facit & nos illuminat per lucem, pulcher est & radians, & magni splendoris tuũ, Domine symbolum præfert.* Annon magis Deum laudare & benedicere obstringimur propter Fratrem nostrum Jesum Christum, qui est *splendor Patris, & Imago bonitatis ejus, & figura substantiæ ipsius*, qui suo ad nos adventu diescere facit, & per lucem nos illuminat, pulcher & radians velut Sponsus procedens de thalamo suo; *& nemo se absondit à calore ejus*, nisi qui sponte in tenebris & algore voluerit delitescere? Hic est honorabilis certe frater noster ab omnibus in suo primo Oriente adorandus, & cõper laude & amore prosequendus. Desiderabat S Francisc. à suis hunc Solis Hymnum à se compositũ de die in diem recitari & decantari; moriensq; sibi illum præcini voluit: ac per illum recitatum coram Senensibus magna dissidia inter se foventib⁹ ac coram Assisijs ab Episcopo suo discordibus, illos ad pacem mirificè reduxit. D. cam & ego, hunc Hymnum seu Cantic. Zachar. esse *Canticum & hymnum Solis Orientis*, & die; illucescentis; ideoq; de die in diem repetendum matutino tempore, magno cordis fervore, magno Solis cælestis amore; illudque Canticum merito dixerim vim habere, ut pacẽ in nobis foveat, & in viam pacis dirigat. Ideo usq; ad mortem illud in ore & corde gerere debemus: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ. Per viscera misericordiæ suæ in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & umbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* In oriente hujus Solis pax nuntiatur hominibus bonæ voluntatis; quia per ejus ortum pax è cælis in terras descendit, ideoq; & ipse exortus est tẽpore pacis universalis. Ipse quoq; ad nihil aliud tendit, cursum tuum peragens, quam ut dirigat pedes nostros in viã æternæ pacis, de tenebris & umbra mortis. Felix qui ejus radios inspicit & observat, & ad lucem ejus pedes suos dirigit, non potest non in pace feliciter agere, in pace feliciter obire, tandemq; felicissime frui Solis hujus æterna visione.

LECT. 2. tripartita PARS I. *De profectione M. V. & impletione dierum partus Rom. II.*

FESTO NATIVITATIS DOMINI.

Impletæ sunt dies Mariæ, ut pareret, &c. Luc. 2.

COnsiderans Apostolus miram Dei sapientiam & providentiam in suis consilijs, exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus?* Certè sicut exaltantur cœli à terra, ita viæ Dei à vijs hominum, cogitationes Dei à cogitationibus hominum, consilia Dei à consilijs hominum.

1. Cerne id in castissimo illo Joseph filio Jacob quem fratres vendiderunt Ismaelitis. At quo consilio? Ut conceptam invidiam exsatiarent, & somnia, quæ hujus invidiæ fomes fuerant, inania redderent. At quia mutari Dei consilium non valet, *quem ideo vendiderant, ne adorarent; adoraverunt, quia vendiderunt*, inquit S. Greg. *O investigabiles viæ Domini.* *Gen. 37.* *Greg. ho. 2.*

2. Cerne idipsum in Jona, fugit ipse in Tharsis, ut effugiat Domini præceptum in Ninyven eum mittentis. At divinum consilium dum devitatur, impletur; & humana sapientia dum reluctatur, comprehenditur *Ecce enim fugitivum Prophetam Dei tempestas invenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit, & quia auctori suo obedire renitetur ad locum quo missus fuerat suo reus carcere portatur.* Sepultus in ventre ceti; littus quo tendere debuerat, invenit antequam videat, fælix magis hoc sepulchro, quam navi. *O investigabiles viæ Domini!* *Iona 1.* *Greg. l. 6. Mor. c. 22*

3. Agnosce eadem in Herodis persecutione Herodem ambitio urit, & timor ne sceptro orbetur & regno, ideo furit in infantem orbis Dominum. Sed nunquid hac via Dei consilium à nesciente impletur? Equidem Agno qui venerat immolari, victimæ debebantur & primitiæ istæ. Debebat & Filius Dei ulnis Matris vectus lucem Ægypto cœlestem inferre; huic rei servit furor Herodis. Sic viæ & consilia Domini distant à vijs & consilijs hominum, & per eos tamen etiam inscios & invitos consilia Dei adimplentur. *O investigabiles viæ Domini!* *Matt. 2.*

4. Denique idipsum agnoscere licet in hoc itinere Mariæ & Joseph in Bethleem, ex ordinatione Cæsaris Augusti auspicantur hanc profectionem; sed magis ex ordinatione Dei, cui Augusti ordinatio inscia parebat & serviebat. Vide quomodo distent viæ & cognationes Dei à vijs; & cogitationibus hominum. Augustus Cæsar partim ex superbia & ostentatione, partim ex cupiditate, decernit universum orbem sibi subditum, describendum esse, tum ut glorietur in numero sibi subjectorum, tum ut censum colligat capitatim per singulos qui describebantur. Atque ut hoc congruè & ordinate peragi posset, unusquisque jubetur adire civitatem tuam, eam scilicet quæ caput erat familiæ. Itaque Josepho & Mariæ inunda est profectio in Bethleem, ut Cæsaris pareatur imperio, ut census solvatur & capitis pensio. Verum longè sublimiori consilio hanc Mariæ & Joseph protectionem ordinat Deus ad complendum magnum pietatis suæ sacramentum in loco ab æterno destinato. Hic locus in libris Prophetarum signatus erat, & de illo Michæas aperte verbis dixerat: *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* En ortus Messiæ Ducis populi Dei designatus, cum speciali loci circumstantia. Immutabile est consilium Dei vel in uno apice; & tempore, & loco, & modo, quem oracula ejus insinuarunt, adimplere necesse est. Tempore ergo pacis uni- *Michæ 5.* *Consilium Dei immutabile.*

universalis oriri vult Princeps pacis, ut oriatur cum ipso justitia & abundantia pacis? hanc pacem per Augustum, terra marique partam indicat hæc descriptio. Ex Virgine vult nasci quia Deum talis decebat Nativitas, ut nonnisi de Virgine nasceretur; talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret nisi Deum; ideo eligitur Maria. At cum illa in Nazareth domicilium figat, quomodo fit ut in Bethleem pariat, quæ tridui itinere distat? Descriptionis mandatum ad id ordinat Altissimus: quia Bethleem caput est familiæ David, illuc Mariam & Joseph ascendere oportet, illic describi. Hoc non tam Cæsaris, quam Dei Altissimi decretum est, quod non licet præteriri ne quidem è Maria prægnante, (hæc excusatio legitima potuisset videri) ut ibi eo pariat loco, qui constitutus est ab illo qui eam fœcundam reddidit & prægnantem.

Christus natus tempore descriptionis suos variè describit.

Sed nec sine mysterio tempus vult esse suæ Nativitatis, tempus universalis descriptionis; omnibus enim vult per id insinuare, se jam apparere in tempore, & nasci in carne, qui electos ascribit in Æternitate. Quomodo describit illos? Utique non uno, sed multiplici modo. 1. Describit eos in libro vitæ, in quo ipse primus descriptus est Caput omnium electorum: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* Hic est liber Agni multipliciter signatus, & hactenus nobis absconditus, quoad eos quos descriptos continet. Habet, teste Apostolo, signaculum hoc: *Cognovit Dominus qui sunt ejus.* 2. Describit eos in suo Palatio cœlesti, ita ut non possint deleri, aut obliterari: *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo.* Sublimis & eminens hæc scriptura, immortalis & incorruptibilis quam nec tempus edax rerum corradere potest, nec corrodere, utpote Æternitati consecratam. 3. Describit eos in manibus suis, ut numquam obdivioni eos possit tradere. *Ecce in manibus meis descripsi te. Si mulier potest oblivisci infantem uteri sui, ego tamen nō oblivisc ar tui.* Hæc descriptio maximè effulsit in Cruce, per sanguinem & clavos in manibus Cruci affixis, omnibus legibilis. Unde de illa sic loquitur S. Augustinus. *Manus tuæ fecerunt me, manus illæ clavis pro me fixæ; Opus manuū tuarū ne despicias, vulnera manuum tuarum aspicias. Ecce in manibus tuis descripsisti me, lege scripturam, & salva me.* Denique describit eos (non solum in Cruce, sed & in Præsepio) in corde suo, ut non possit non eos amare. Nomina ergo electorum describit infans Jesus amabili scriptura, cor ei pro pergameno, præsepe pro mensa, lachrymæ pro atramento, spiritus Dei vivi servit pro calamo. Si cor dilecti pueri penetrare possemus, videremus characterem amoris nos illi inscriptos indelebiliter. Cognovit enim ex tunc Christus qui sunt ejus, ex tunc pro illis se offerebat. Quapropter merito nascitur in descriptione universi Orbis, qui universi Orbis nationes sibi habet subditas, & in corde descriptas, ut nascens in tempore, eas recenseat in Æternitate. Nec ab illis quos describit, tributum aliud exigit, quam denarium bonæ voluntatis.

1. *Psal. 39.*

2. *2. Tim. 2. Luc. 10.*

3. *Isa. 49.*

Soliloq. cap. 2.

Itaque Maria occasione descriptionis dictæ adit Bethleem, non sine auræ brumalis incommoditate, nec sine grandi fatigatione ob viæ prolixitatē. Hæc erant præludia laborum Jesu & Mariæ. Porrò dum ingreditur, *impleti sunt dies ut parerent*, inquit Evangelista Aptè dicit, impleti sunt dies, quia in plenitudine temporis nasci debebat ex Virgine Matre, qui primum hominem fecerat initio temporis sine patre & matre. Unde Apostolus dicit: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Impleti sunt ergo dies, & tandem affulsit ille dies tantopere desideratus à Patriarchis, à Prophetis, à Justis antiquis; & maximè ab ipsomet Jesu in utero concluso, & à Maria cum per tot menses gestante. In Maria enim omnia ferventissima desideria Sanctorum Patrum quodammodo collecta & adunata erant; ac velut flammæ exæstuantes in fornace, sic erant hæc desideria in corde seraphico Mariæ. Unde puero quem sacratâ continebat absconditum alvo, sæpè hæc ingeminabat cum amore; *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea.* Quasi diceret: O mi Jesu, Fili uteri mei, Dilecte votorum meorum, Sol, Lux, Vita, & Gloria mea tibi loquitur cor meum, amore te videndi succensum; omnes illius cogitationes & affectus de te sunt, in te sunt; omnia illius desideria illuc tendunt, ut faciem faciei, oculos oculis, labia labiis, brachia brachiis conjungere valeam, & in sinu meo palam apparentem adorare & amplecti totique Orbi te tamdiu expectatum exhibere. O quanto ardore desiderabat terra virginea florem & fructum suum proferre Angelis & hominibus odoriferum! O quanto ardore appropinquante jam partus tempore desiderabat Maria, tamquam Fons signatus, venam aquæ vivæ in se clausam effundere! O quanto ardore avebat parere Solem suum mundo tenebris possesso, ut à Solis ortu usque ad occasum generatio veri luminis coruscaret!

In Maria Virgine omnium SS. Patrum desideria collecta.

Psal. 26.

Gal. 4.

Sed & ipse Jesus utero jam tot mensibus clausus, optabat diem illum nativitatis & manifestationis suæ, quem Angeli & homines tamdiu exspectabant. Optabat è carceris vinculis egredi, & virtutem suam quasi vacantem, & intus coarctatam foris jam omnibus manifestam facere. Optabat vocem suam jam è silentio exaltare, & se Verbum ostendere à Patre missum. Quapropter Guarricus Abbas serm. 3. de Annunciat. *magnopere admiratur, (& omnes nos secum admirari docet) summam Dei humiliationem & dignationem in eo quod per tot menses in utero voluerit delitescere, qui mox poterat claustra hæc dissolvere & se manifestare.* Audi eū hac de re eleganter disserentem. *Omnium humanarum infirmitatū vel injuriarū quas pro nobis pertulit dignatio divina, sicut tempore primæ, sic humilitate seræ maximā existimo, quod in utero cōcipi, in utero novem*

Humilitas Christi maxima quod utero clausus fuit.

vem mensibus Majestas illa incircumscripta passa est contineri. Vbi enim sic se exinanivit, aut quando ita penitus à semetipso defecisse visus est? Tanto tempore nihil illa virtus manifestum operatur, nullo signo visibilis Majestas qua clausa latet, prodiit. Non sic in Cruce visus est infirmus, ubi quod infirmum illius fuit, statim apparuit fortius omnibus hominibus, quando & moriens glorificavit latronem, & expirans inspirat Centurionem. In utero autem sic est, quasi non sit. Sic omnipotentia virtus vacat quasi nihil posset, & verbum æternum sub silentio se premit. Hæc ille. Nempe hæc est natura Verbi quantum in se est se prodere; atque hoc erat Verbi divini desiderium, quia vehementer cupiebat se hominibus communicare, & Patris sui erga nos propensam voluntatem declarare: hoc enim erat muneris sui, de quo Bernard. *Tale erga nos est cor Dei Patris, quale nobis expressit, qui de Patris corde processit.*

Natalis Christi dies lætitia.

Impleti itaque sunt dies, & Jesus ac Maria votis tandem suis fruuntur, totusque sanctorum hominum & Angelorum cœtus; dum ex utero matris processit, tamquam Sponsus de thalamo suo, tamquam Sol de tabernaculo & Cœlo in quo novem mensibus celatus fuerat, tamquam Rex de conclavi suo Regio, splendenti diademate coronatus. Egredimini & vos filiæ Sion, & videte Re-

Cant. 3. gem vestrum, Sponsum vestrum, in diademate quo coronavit eum Mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus. Hic est dies lætitiæ, quo coronatus à Matre diademate mortalitatis nostræ, & purpurâ carnis humanæ egreditur Rex pacificus, cujus vultum desiderat universa terra. Hæc est corona annı benignitatis suæ, cui dum Cœlum cum Angelis applaudit & benedicit, terra quoque cum collibus exultatione accingitur, intuens enim, qui est *Desiderium collium æter-*

Gen. 49. *norum*. O fœlix Caro, quam Christus non quasi carcerem, sed quasi coronam sibi circumdedit, quæ fuit ornamento, non oneri; Est enim non solum Regia, sed & Sponsalitia corona. Hic est enim dies

Dies desponsationis. desponsationis, in quo dum humanam naturam sibi desponsat cœlestis Sponsus, sibique conjungit per unionem personalem, simul etiam Ecclesiam ut Sponsam sibi assumit per amoris conjunctionem indivisibilem; ita ut post hanc conjunctionē numquam intercedat divortium, numquam detur libellus repudii, numquam Sponsus & Vir abeat via longissimâ, sed semper cum sponsâ commoretur, cum ea & pro ea laborans, orans, patiens, sanguinem fundens: sanguinem in pretium, lavacrum cibum, potum, in dotem & ornamentum ei impertiens, & in finem usque sæculi eam protegens, nec deserens. Hæc est desponsatio, & sacri nodus amoris, qui inchoatur in Filii Dei Incarnatione & Nativitate, perficietur durante toto cursu mortalis ejus vitæ, sed maximè apparebit in Cruce, consummabitur autem plenissimè in Æternitate, & statu immortalis gloriæ, triplici visionis, fruitionis dote. Hæc igitur attendite, hæc in lætitia cordis vestri ruminate, ô filiæ Sion ô animæ piæ contemplationi deditæ! Hæc enim desponsatio vos concernit. O quantus debet esse jubilus, & exultatio cordis vestri, in die lætitiæ Sponsi vestri! Sed etiam vos, ô Filii Sion cœlestis, Angelici spiritus, qui semper intuemini faciem Patris, vos, inquam etiam advoco & invito, ut egredientes, ad nos, videatis novum quod terra nostra vobis præstat spectaculum, Videte Regem vestrum in diademate paupertatis nostræ, in corona qua coronavit eum noviter Mater sua, & Mater nostra. Et qui admirantes adoratis egressum ejus à diebus æternitatis, è sinu Patris; admirantes quoque adorate egressum ejus in plenitudine temporis, è sinu Matris.

PARS II. *De modo parientis & partus qualitate.*

HUnc porro egressum describit S. Evangelista his verbis: *Maria peperit Filium suum primogenitum.* O breve verbum de verbo abbreviato, sed mysteriis & sacramentis fœcundum exemplum, exprimens admirabilem effusionem sacri uteri de Cœlo pleni, de Spir. tu S. fœcundi. Evolvamus hunc partum sacratissimum, evolvamus hunc thesaurum secretissimum, hoc verborum velamine involutum. Videamus 1. quomodo peperit antequam parturiret. 2. quem, qualemque filium peperit.

Quomodo Mariæ Virgo peperisse dicatur.

Primo, dum dicitur Maria peperisse, nulla tibi subeat suspicio corruptionis ullius; sicut enim Virgo concepit virtute cœlesti, virtute Spiritus S. sic & Virgo peperit fælicissimè, purissimè, sanctissimè; Virgo mente, Virgo corpore, Virgo voto & professione. Sicut filius ex gremio & sinu Patris Æterni processit, sine ulla genitus corruptione aut impuritate; Sic voluit & concipi & generari ex sinu & utero Matris sine ulla corruptione, & impuritate; ut generationi suæ æternæ à Patre corresponderet generatio temporalis à Matre. Is ergo qui in Cœlo est ex Patre sine Matre Deus, omnis fons puritatis & integritatis: in terra ex Matre sine Patre homo esse dum dignatus est, Matris integritatem non minuit, sed sacravit. Quod si similitudine rebus à visibilibus ducta ad hujus rei intelligentiam adjuvari volumus, communis est & aptissima illa ex Bernardo deducta: *Sicut sidus radium. Virgo profert filium, partumque: Neque sidus radio neque Virgo filio sit corrupta.* Vtique radius purissimè procedens à Sole, vel sidere, non minuit Solis vel sideris claritatem, sed auget: sic filius Matris non minuit integritatem, sed conservat & illustrat. Quapropter apud Prophetam de ipso dicitur; *Ecce Vir, Oriens nomen ejus.* Duplicem enim habet Orientem, sicut duplicem habet generationem, & utramque purissimam. A Patre oriens est, ut Candor lucis Æternæ; à Matre oriens est, ut splendor novi sideris, nobis exurgens in nocte.

Simile.

Zach. 6.

Aliam similitudinem insinuat ipse Christus Mariæ Filius Ecclesiæ Sponsus, sic loquens de se *Ego flos campi & lilium convallium.* Hoc nomine quid aliud quam suam indicat suæque Matris puritatem illi-

Aliud. Cant. 2.

libatam ? Cur campi se dicit florem, non horti ? Nempè campus floret sine adminiculo, non seminatus, ab aliquo, non fossus sarculo, non fœcundatus fimo : Sic intactus & integer Mariæ uterus florem produxit. Cœlum terramque lætificantem odore suo : *Germinans germinabit, & florebit quasi lilium, exultabunda & laudans* dicit Isaias. Lilium symbolum est virginitatis & castitatis. Unde Veneri lilium fuisse inimicum dixere antiqui : Lilium ergo candidum Christus, lilium odoriferum Maria, & ipsa electi radix lilii in lætitia germinans est. Id præclarè, non tam verbo, quam facto declaravit B. Ægidius S. Francisci socius. Quidam Doctor Theologus Ordinis Prædicatorum, in consideratione virginitatis Mariæ dum multis scrupulis angeretur, statuit adire B. Ægidium, cujus tunc sanctitatis fama increbuerat, ut tentationes has morbi scrupulosi ejus consiliis & precibus depellere valeret. Monitus interim à Spiritu Beatus Ægidius de adventu viri illius, & de causa adventus, obviat illi cum scipione in manu, Moxque appropinquavit, scipione terram percutiens, hæc solum verba protulit : *Frater Prædicator, Maria Virgo est ante partum*; Nec mora, pulcherrimum ibi è terra prodiit lilium. Secundo percutit terram, similiter aiens; *Frater Prædicator, Maria Virgo est in partu*; sic protinus lilium priori simile inibi est exortum. Addit etiam tertiò tellurem percutiens. *Frater prædicator, Maria Virgo est post partum*; & tertium exinde lilium mox est exortum. Nihil ultra proloquens discedit B. Ægidius velut fugam capessens ut maneret ignotus. At ille qui eum facie non noverat, protinus spiritu agnovit; nec dubitavit tria illa lilia fuisse specialia beneficia Virginis, fidem de virginitate triplici, quasi trino nodo in animo antea anxio religantis.

Isa. 35. Lilium symbolū virginitatis.

B. Maria lilium.

Peperit itaque Maria & germinavit sicut lilium, & ideo sine impuritate : germinavit sine corruptione exultabunda & laudans, & ideo sine dolore. Quam voluptas non anteivit in conceptu, dolor non est secutus in partu. Correspondent enim dolores parientis libidini concipientis. Quam quidem pœnam prima mulier merito sensit, quia serpenti consensit. Quæ fructum alienum cum delectatione præsumpsit carpere, justè punita est in proprio fructu cum gravi dolore. Sed & hanc pœnam ærumnosam gravaminis & fastidii post singulos conceptus, doloris & angustiæ post singulos partus, transmisit in omnes mulieres; ita ut mulier quælibet quanto fœcundior; tanto sit ærumnosior. Sola excipitur Maria ab hac maledictione, benedictionis fructum gestans, Virgo fœcunda sine corruptione, gravida sine gravamine, puerpera sine dolore. Inter lilia cœlestia exultans parit suum lilium, hoc est in medio Angelorum, & laudans dicit non solum sicut Eva pariens suum Primogenitum. *Possedi hominem per Deum*, sed dicit : *Possedi hominem Deum illum qui possedit me ab initio viarium suarum.* Quod si non meminit Eva pressuræ, sed gaudet quia natus est infans in mundum, (heu nesciebat maledictioni fore obnoxium & fratricidam) quantum gaudium Mariæ sine pressura edere filium benedictionis & gaudii omnis in Angelis & hominibus auctorem : Ad Matrem igitur recurrite, ô Matres cum dolore & periculo parientes, ut partus vester lucem vitæ, ac per Baptismum lucem gratiæ valeat participare; ut & vos periculo valeatis eximi cum incolumitate. Hoc à vobis poscit ipsa, hoc & docuerunt Viri sancti. Audite hac de re Historiam memorabilem.

M. V. peperit sine impuritate, & dolore.

Gen. 4.

Eccl. 24.

B. M. V. Patrona in partus periculo. Exemp.

S. Franciscus invocabatur in partu à quadam muliere de partibus Aretinis jam per dies septem gravissimè cruciata, desperantibus etiam de ea Medicis Voto facto dum obdormiret, apparet ei Franciscus, & interrogat, an Canticum *Salve Regina* noverit, ad implorandum Deiparæ auxilium ? Respondet illa se Canticum illud plenè nosse. Jubet igitur ipse ut cum pietate illud exordiatur, fœlicem spondens partum, & incolumitatem. Illa experrecta ad hanc vocem pronunciat Canticum, & mox ubi ad illa verba pervenit : *Et Iesum benedictum fructum ventris tui*; filium pulchellum edit omni liberata periculo & dolore. Protinus exultans & laudans gratias agit Deiparæ Mariæ, Matri & Reginæ Misericordiæ, quæ Francisco interveniente tantam erga se ostenderat pietatem, tantamque benedictionem per benedictum fructum suum.

Bonav. in vita S. Francisci

Secundo, videamus quis, qualisve partus Mariæ ; Nec enim S. Lucas sine mysterio dicit : *Peperit filium suum primogenitum.* Ac imprimis non dicit simpliciter; Peperit filium, sed addit, *Filium suum.* Quia nimirum de hoc filio futuris sæculis error duplex erat futurus; utrumque sacer Evangelista prævenit, & præscidit initio sui Evangelii. Primus erat Nestorii negantis Mariam verè esse Dei Genitricem. Ob hanc blasphemiam pertinacem cælitus punitus fuit, Deo in linguam ejus blasphemam vermes immittente, qui tanquam Carnifices eam mirè torserunt, ad vindicandam injuriam Matris Dei; unde post longos cruciatus misere in exilio periit. Hic error condemnatur ex verbis Angeli & Elizabeth, Dicit enim Angelus Mariæ : *Quod ex te nascetur sanctum; vocabitur Filius Dei.* Talis agnoscetur, talis vocabitur publico testimonio, à Patre inclamante; *Hic est Filius meus dilectus*; à Petro palam confitente; *Tu es Christus Filius Dei vivi*, à Martha & aliis. *Utique Domine ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Angelo vero consonans vox Elisabeth dicit etiam Mariæ : *Unde hoc ut veniat Mater Domini mei ad me*; Ergo Maria verè Mater Dei est, quia Mater illius qui à primo conceptionis suæ instanti fuit Deus, per concursum maternum concepit de sua substantia corpus illud, cui eodem instanti anima; & divinitas unita fuere; hoc sufficit ut propriè dicatur *Mater Dei*, concipiens & pariens Deum-Hominem. Procul ergo

3. Memb. 2. Patrie quis qualisve partus Mariæ.

Nestorii blasphemia.

Luc. 1.

Matt. 17. Matt. 16. Ioan. 12.

Luc. 1.

vox maledica Mariam negans Deiparam: nam quæ peperit filium suum, peperit Altissimi Filium, & illum fecit suum. Alter error fuit Valentini, & aliorum negantium Christum de substantia Virginis sibi corpus sumpsisse, sed de cœlo, vel elementis, ac solum transisse per Virginem, velut per canalem. Hic error verbis nostri Evangelistæ reprobatur, manifestè & signatè dicentis: *Peperit Maria Filium suum.* Utique non solum Filium Altissimi, sed & suum, sicut Patri consubstantialem in divinitate, ita & Matri consubstantialem in humanitate. Peperit illum, non ex corpore aliquo cœlesti, aut elementari, aut aliunde formatum; sed ex suæ carnis materia productum, ideoque verè filium suum. Imò magis Filius hic suus est, quam Filius Matris cujuscumque à propria Matre suus dici possit: quia cùm totam substantiam aliæ matres non dent proli, sed maximam partem Pater; ipsa huic filio totalem dedit carnis substantiam, sine Patre. Atque sicut suus est hic filius speciali ministerio totius substantiæ, ita suus speciaLiter est affectu singulari & amore. Plus enim diligit filium hunc, quam ulla mater suum; quia cùm patris & matris munus sola obierit, patris simul & matris amorem & affectum impertit. Unde hæc illi vox amoris & tenerituditis plena convenit potiori ratione, quam matri Salomonis: *Quid dilecte mi, quid dilecte uteri mei, quid dilecte votorum meorum?* Plures igitur ob causas specialiter dicitur de ea; *Peperit filium suum.* Primò, *Filium suum*, speciali Patris Æterni dono, qui cum MARIA Filium voluit habere indivisum. 2. *Filium suum*, speciali virginitatis merito, quæ humilitati conjuncta, quasi nardus dedit odorem suum, & Filium ab Æterni Patris attraxit accubitu. 3. *Filium suum*, carnis ejus tota materia ministrata. 4. *Filium suum*, enixa est desiderio. 5. *Filium suum*, speciali affectu & amore materno: *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Error Valentiani.

Prov. 31.

Christus cur primogenitus.

MARIÆ S. Gert. lib. 4. Insinuat. c. 3.

Sed cur dicitur: *Peperit Filium Primogenitum.* An fortè alios ultra utero suo circumdedit? Quod si solum hunc (qui millenis aliis excellentior est) an nonmelius diceretur, *Vnigenitum suum* peperisse? Huic quæstioni olim respondit MARIA S. Gertrudi Virgini. Quodam enim die Nativitatis cum B. Gertrudis audiret in Missa illud de Christo cani; *Primogenitus Virginis Matris*, considerationi sacrorum verborum horum intenta, cogitabat cõgruentius dici; *Vnigenitus Virginis Matri*, quia intemerata Virgo nullum alium genuerit, præter illum quem de Spiritu S. meruit concipere. Cùm verò in hac cogitatione hæreret, adfuit ei B. Virgo blandâ serenitate respondens; *Nequaquam Vnigenitus, sed congruentissimè Primogenitus dulcissimus Jesus meus, quem primum clauso utero procreavit: & post ipsum imo per ipsum, omnes ipsi in fratres, mihi in filios materna caritatis visceribus adoptando genevavi.* Proprerea inter titulos honorificos qui MARIÆ solent adscribi, non solum Mater Christi dicitur sed & Mater electorum, & Filiorum DEI: *Ego Mater pulchræ dilectionis, & agnitionis, & sanctæ spei* inquit ipsa, vel Ecclesia de ipsa. Matris nomen alicui solet attribui, vel quia genuit, vel quia maternam exhibet curam, vel quia, affectum verè maternum declarat triplici hoc titulo MARIA. Mater est electorum. Ac primo quidem titulo, quia cum Christum genuerit, electos quoque genuisse censetur, qui sunt mystica Christi membra. Illorum ergo Mater est, quæ Christum peperit, in quo tamquam in capite, cæteri electi continebantur. An nõ Rebecca utero continens Jacob & Esau, capita duplicis populi, hoc pro responso audit: *Duæ gentes, & duo populi in utero tuo sunt.* Sic Ambrosius de Virgine explicat illud: *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* Christus unum tritici granum fuit in utero Virginis à Patre æterno satum, dicitur tamen acervus, quia virtute omnes continebat electos. Secundo etiam titulo Mater est, quia curam maternam electis exhibet, eorum condolens miseriis, saluti eorũm totam se impendens. Tertio denique titulo Mater est, quia eos diligit pluiquam ulla mater suum filium, nec illorum potest obliviscI: quos spiritualiter peperit, & in finem usque sæculi paritura est, tamquam membra mystica Filii sui. Ideo forsitan illa mulier stellis coronata, & Sole amicta (quæ *signum magnum* dicitur, & Virginem designat) asseritur cruciari ut pariat quia magno & prægnanti desiderio ac sollicitudine cũ animi quadam compassione urgetur ad parturiendum spiritualiter hæc mystica Filii sui membra, & quodam clamore valido cordis ad Deum conatur fugare draconem, huic generationi filiorum electorum insidiantem. Itaque omnes electi & membra sunt, & fratres Christi; ille tamquam Primogenitus Patris & Matris, hi tamquam secundò geniti ejusdem Patris & Matris: *Elegit nos conformes fieri imaginiFilii sui, ut esset primogenitus in multis fratribus.* De illo igitur hic specialiter mentio fit, dum dicitur: MARIA *peperit filium suum primogenitum.*

Ecclus 24.

MARIA Mater Electorum triplici hoc titulo.

1.

Gen. 38.

Cant. 7.

2.

3.

Apoc. 12.

Rom. 8.

Addo, quod hoc titulo indicatur dignitas Filii hujus inter fratres. Primogeniti enim olim munus erat cæterorum fratrum curam habere, illis portionem impertiri, illis præesse, illis benedicere, quia sacerdotium primogenituræ erat annexum. Hæc omnia reperiuntur in Christo primogenito Virginis Matris; ille enim curam habet nostri tamquam fratrum suorum, ipse nos pascit frumento paternæ domus. Ipse sua in hæreditate partem nobis impertit, & quidem duplicem portionem tamquam fratribus ex utroque parente (*sicut Joseph Benjamino*) visionem scil. divinitatis & humanitatis, quæ continet duplicem tam corporis quam animi beatitudinem. Angelis qui fratres tantùm sunt ex parte Patris (tamquam Filii DEI, sed non filii MARIÆ) talis portio non competit. Denique, tamquam Primogenitus ipse nos benedixit omni benedictione spirituali, & à Ma-

Christus vere primogenitus.

Gen. 49.

Gen.17. tre vestibus optimis primogenituræ & sacerdotii (*sicut Iacob à Rebecca*) circumamictus, mox ubi genitus fuit, sacrificium fragrantissimum Patri æterno obtulit, ut benedictionem omnigenam non solum sibi, sed & fratribus impetraret. Ideo de Matre adjicitur, quod filium mox ubi peperit, pannis involvit, & in Præsepio reclinavit. Panniculi vestis extima sunt; caro virginea quam assumpsit, vestis est intima nostri Sacerdotis & Primogeniti fratris; Præsepium ara est primi ejus sacrificij. Sed hoc mox plenius in sequentibus explicabitur.

PARS IV. *Quæ circa infantem mox à partu gesta.*

1. *M.V. filium natum mox adoravit.*

TErtiò, videamus quomodo circa puerum, quē peperit, Beata hæc Genitrix se gesserit: non enim paucā involvit hæc pannorum involutio, & multa continet augusta hæc præsepis angustia. In primis non est dubium, quin Mater ab Angelo prius de Filij dignitate edocta, protinus ubi peperit, partum suum agnoverit ut Dominum, adoraverit ut Deum. Unde in revelationibus S. Brigittæ sic partus hic describitur. *Virgo genu flexa adorabat adorientem, manibus & oculis in Cœlum quasi in quadā extasi cum dulcedine rapta. Cumq; pro partu edendo fudisset preces illico in momento, in ictu oculi, filium ante se vidit editum, sentiens quasi dimidium cordis sui exisse, ex quo prodibat splendor eximius, & prope eum pellis secundina mundissima & involuta: ejus etiam carnes ab omni sorde pura; auditusq; est suavissimus Angelorum cantus, & statim junctis manibus, & inclinato capite adoravit summâ humilitate, pannisq; involvit.* Quod porro hic de Angelis dicitur adorantibus: conforme est Apostolo: *Et iterū cum introducit primogenitum in orbem terrarum, dixit; Adorent eum omnes Angeli ejus.* Quidni adorarent eum, ad quem Pater dicit: *Ego hodie genui te?* Quem genuerat in æternitate splendorem suæ gloriæ, imaginem suæ substantiæ; nunc novo quodam modo genuit in tempore ex matre, caput non solum humanæ, sed & Angelicæ naturæ: & ideo laudant astra matutina, jubilant omnes filij Dei: adorant omnes Angeli ejus; agnoscentes caput suum, Regem & Dominum suum: Adoravit quoq; MARIA, adoravit & Joseph MARIÆ Sponsus, Christi Nutritius; & impletum est ex parte, quod de se in persona & figura Christi, olim dixerat alter Joseph filius Jacob: *Vidi per somnium quasi Solem & Lunam & stellas undecim adorare me.* Nam ut ait S. Ambrosius l. de Joseph c. 2. *Quis est ille quem parentes adoraverunt super terram, nisi solus Iesus, quando eum Ioseph & Maria & discipuli adoraverunt? De quo solum dictum est, Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ & lumen.* Hæc Ambr. qui sicut non reperit alium præter Christum qui adoretur à parentibus; sic nec familiam alteram in qua Sponsus esset quasi Sol, & Mater Luna, Fratres Stellæ, nisi familiam Christi.

Olim adoraverunt David & Iacob nō.

Hunc quoque puerum ex sua stirpe oriundum olim in spiritu adoravit David Rex, adoravit & Jacob. David quidem dicens de eo, & de humanitate ejus tamquam arca sanctificationis: *Invenimus eum in Ephrata* (id est in Bethleem, quæ etiam Ephrata nominabatur) *adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Jacob autem, quia de eo dicitur: *Adoravit Israel Dominum, conversus ad lectuli caput.* Quare ad lectuli caput conversus adorat? Quia caput lectuli ejus respiciebat Orientem, & erat versus terram promissionis, Respiciebat ergo Bethleem in qua oriri debebat is, cujus nomen est Oriens, & jam adorabat eum quasi in imagine, in lectulo primo præsepij jacentem, Respiciebat & Jerusalem, & Crucis alterum cubile, in quo debebat occumbere; adjurabatq; filium attacto femore carnis suæ, ex qua debebat puer hic oriri, ut sepeliretur in illa terra, quam vestigijs sacratissimorum pedum suorum, & sanguinis sui rore debebat sanctificare. Nec dissonat Apostolus, qui secutus versionem septuaginta Interpretum, non dicit quod adoraverit Dominum, sed quod adoraverit fastigium virgæ Joseph. *Fide, inquit, Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, & adoravit fastigium virgæ ejus,* hoc est sceptri, quod in signum potestatis sibi a Rege datæ gerebat. Sed rectè S. Chrysost hoc explicans, dicit: *Adoravit Christum in typo suo.* Quia sceptrum illud Josephi potestate floridum & Virga illa Regia illi velut typus repræsentabat Virgam, quæ è radice Jesse florem debebat producere. Ideo hunc florem ortum in Bethleem adorabat, dum fastigium Virgæ dicitur adorasse, & sic Dominum adorasse dicitur. Immò & Crucem Domini adorat in sceptro Filij sui, quia illa sceptrum est, & *Virga virtutis,* per quam Regiam suam potestatem Christus manifestare debebat. Et fastigium hujus Virgæ specialiter adorat, in quo nomen adorandum insculptum prævidebat: JESUS *Nazarenus Rex Iudæorum.*

Ita q;, quem antiqui olim in spiritu adorârunt ex sua stirpe oriundum, Joseph MARIA adorant contemplantes jam ortum. Et sicut olim duo erant Cherubin, ex utraq; parte Propitiatorij & Arcæ extendentes alas, sesecq; mutuò & illud respicientes. Sic erant MARIA & Joseph adorantes & contemplantes Propitiatorium divinitatis in arca humanitatis. Et quidem MARIA adeo sublimi elevata fuit tunc temporis contemplatione Filij sui, ut quidam pie existiment, etiam ejus divinam essentiam clarè in raptu vidisse. Hoc enim congruum videri potest ob dignitati tantæ Matris, amoriq; Filij, quem exhibere debebat Matri, ut scil. Filium suum perfectè intueretur, ut agnosceret non solum ut hominem sed etiam ut Deum; quia & faciem videre divinam in eo ardentius desiderabat, quam umquam Moyses, aut quispiam alius, Sed quicquid sit hac de re; certum est illi clarius innotuisse mysterium hoc divinum, quam ulli umquam Sanctorum. Et ideo si de se S. Paulus dicit, quod raptus sit in tertium Cælum quodq; audiverit arcana verba, quæ non licet homini loqui, edoctus scil. ab ipsomet Deo de ineffabilibus mysterijs suis; idem asserendum de MARIA Apostolorum omnium Illuminatrice & Magistra; alij

2. *Adoraverunt eum Angeli.*

Heb.1.

Psal.3.

3. *Ioseph etiam adoravit.*

Gen.37.

Figura.

Exod.37.

M.V. Aīa clarè divinam in Filio sentiam videris.

2.Cor.12.

altissima scil contemplatione sui Filij, ab eo instructam fuisse ultra omnes Apostolos de mysterijs omnibus, & cordis nutibus percepisse ineffabilia, & arcana quæ non licet homini loqui. Ideo MARIA adorans, nullum legitur protulisse verbum, sed Patris æterni Verbum adorat in silentio, conferens in corde suo omnia quæ vidit cœlitus, quæ audivit humanitus, quæ ab Angelo, quæ ab hominibus, quæ à Deo percepit. O silentium sublime & profundum! O silentium mysterijs & Sacramentis plenũ! O silentium in auribus DEI sonorum! *Tibi laus, silentium, DEUS in Sion.* Silentium MARIÆ adorantis, silentium Joseph admirantis, laus est cælos penetrans, laus in auribus tuis sonans, & æternæ generationis tuæ silentium arcanum honorans. O DEUS! Et ideo non solum in Sion, sed etiam in Bethleem tibi laus est Josephi & MARIÆ silentium, dũ est MARIÆ sacratum sit mysteriorum admirabilium, illa conservans, illa conferens, illa admirans, considerans Deum in carne ita exinanitum, ita humiliatum ex amore erga salutem hominum.

Sic legit S. Hieron. in initium. Psal. 64.

Pannis involvit, & in præsepio reclinavit.

M. V. filiolo nato ut mater humilli ma servit

POstquam Virgo Filium adoravit, mox ei materna officia exhibuit, pannis involvendo, vagientem lactando, in præsepio reclinando, quia non erat locus in diversorio. Quidam ex antiquis Patribus introducunt quasi hærentem MARIAM: & ambigentem quid officij debeat Infanti impendere. Indignam se reputabat puerum divinum jam natum vel attingere, vel nutrire, ubiq; Virgo humilis. Sic S. Basilius introducit, eam loquentem;

Basil. Seleuc. Orat. de Incar.

Quid aggrediar? Te ne lacte nutriam, an vero ut Deum colam? Tibi ne maternum præstabo obsequiũ, an sicut Ancilla cultum adorationu impendam? Te ne ut filium amplexu meo fovebo, an jugiter supplex invocabo? Tibi ne lac porrigam, an thymiama offeram? Et S. Aug. sic ea quasi cunctantem alloquitur & hortatur: *Lacta, lacta, o Virgo Beata, Lacta* DEUM *tuum, Creatorem tuum, præbe lambenti mamillam, ut pro te percutienti præbeat maxillam, panem Angelorum refice ubere de cælo pleno. Nempe is qui semen Abrahæ apprehendit, voluit per omnia fratribus assimilari, etiam in infantia infima miseria, voluit novem mensibus in utero hærere, vagiendoq; ut cæteri exire, infasciari, lactari, brachijs portari, in cunijs reclinari: Nihil ergo hæreat, o sacra Virgo, hac omnia humilia obsequia circa* DEUM *infantem exhibe; hac à te ipse deposcit, noli ex humilitate te indignam censere nec existimes illi hac indigna esse. Qui te elegit ut Genitricem, elegit & gerulam, elegit & nutricem. Qui Vir dignabitur pro nobis denudari aceto potari, in patibulo extendi; infans non dedignatur pannis involvi lacte refici, in præsepio reclinari,*

MARIAM itaq; pannis infantem involvisse, Evangelista certum facit; Lacte vero aluisse non exprimit, sed Ecclesia id testatur: *Præsepe non abhorruit; par voque lacte pastus est, per quem nec ales esurit;* indicat etiam idipsum vox illam ulieris Evangelicæ: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Atq; in uberibus his MARIÆ de cœlo plenis designabantur & ubera ejus spiritualia, quibus nos omnes filios suos debebat lactare. Unde Richardus Victor. in Cant. p. 2. c. 23 sic eam alloquitur; *Carnalia in te ubera suxit Christus,* O MARIA; *ut spiritualia per te nobis fluerent. Et cum misericordia* DEI *sit ab æterno, amplior cæpit esse ex tempore. Et cum ex te cœpit initium, ejus quoq; largitas per te sumpsit augmentum. In te ergo concrevit hac divina misericordia, & ex te nobis profluxit. Ipsa prius repleta es, & ex te nobis descendit abundantia* Hæc ille. Interim vide quomodo is qui olim dicebat: *Ego quasi Nutritius Ephraim portabam eum in brachijs,* nunc vult portari, & ali, & ad ubera pendere cum hominum & Angelorum admiratione & stupore. Sic etiam paupertatem dedicans in corpore suo Infans divinus, pannis paupertatis dignatur involvi à paupere matre, & reclinari in fœno, qui à Patre decorem indutus, amictus lumine sicut vestimento, effulget in cœlo. Sic cum lacrymis & vagitu in nocturnis tenebris nudus & imbellis de Matris utero procedit, qui initio dici, cum eum laudarent astra matutina, & jubilarent Filij Dei, ostendens potentiam suam, *conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens, & posuit nubem vestimentum ejus, involvens quasi pannis infantiæ.* Sic is cui nomen est, *Brachium Domini,* cui dicitur per Prophetam; *Cõsurge, consurge induere fortitudinem brachium Domini, numquid non tu percussisti superbum vulnerasti draconem?* Ipse, inquam, fasciolis vult colligari, & dissolvat colligationes impietatis, & vincula colli nostri. Sic Adam secundus vult vilibus pannis contegi in stabulo ut tegat nuditatem probrosam Adæ primi cõtractam in Paradiso; & ei immortalitatis stolam restituat finito exilio. Accede Adam, ut intuearis pro pius Infantis hujus vestem, ut audias & vocem; dissolve perizomata ficus; cum adhuc esses sub ficu vidit te, condoluit super te, indumento novo gratiæ & gloriæ etiam ex tunc proposuit iterum vestire te, pro te vestiendus ipse pannis infantiæ. Accede ergo, en iterum dicit *Adam ubi es,* & quærit te in stabulo, in jumentorum diversorio, quia cum in honore esses in paradiso, non intellexisti, sed comparatus es jumentis insipientibus, & similis factus es illis. Accede, nec amplius dicas, *Vocem tuam audivi, & abscondi me.* Vox enim ejus suavis est, non fulgurans aut tonans, vox index compassionis, quia juncta lacrymis. Non amplius Leo rugiens est, sed mutus & mitis Agnus est, vellere virgineo nunc circumdatus, pro te postmodum immolandus. Nõ amplius *Ignis consumens est Dominus Deus tuus;* hoc paltea in qua jacet, ostendit, quæ non consumitur. Accedat quilibet Adæ filius qui offendit; quia instar infantium facile placatur, & offensam remittit. *Non erit turbulentus & tristis,* quia facies ejus decora & amabilis. Vox ejus tenera est & cõpatiens,

Luc. 11.

Osee 11.

Iob. 38.

Isai. 51.

Jesus sanctus involvitur, ut reddat Adæ primam stolam, invitantur cum Adamo omnes.

Gen. 3. ad videndũ Jesulum natum,

Isa. 42.

patiens, si & illi tu compatiaris, & tibi. Vox est misericordiæ & pacis: *Non clamabit, neque vox ejus audietur foras, calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Lenis scil. est vox ejus, ut neminem loquendo terreat, lenis gressus, ut neminem calcando conterat, lenis spiritus oris ejus, ut neminem exsufflando extinguat. Veniet dies, in qua qui modo in die salutis Infans amabilis gratiam offert & misericordiam, vindictam resumet & justitiam. Vir omnino terribilis. Tunc oculi ejus erunt *quasi flamma ignis*, iræ & furoris indices. *Apoc. 1.* Tunc vox ejus *quasi vox aquarum multarum*, impetu suo devolvens impius in abyssum. Tunc *ex ore ejus gladius utraq; parte acutus* exibit, animas eorum & corpora internecioni daturus. Tunc *pedes ejus similes erunt aurichalcho in camino ardenti*, reprobos in flammis æternum calcaturi. Audiamus ergo modo vocem blandam invitantis misericordiæ, ne cogamur experiri vocem & dexteram intolerabilis justitiæ. Obsecremus, & obtestemur Dominum JESUM ad ejus pedes supplices; per sacram ejus infantiam, per eamem virgineam, quam pro nobis assumpsit, per lacrymas quas infans fudit, per hac & materna ubera quæ suxit, per panniculos & fasciolas, quibus involvi voluit, per præsepium & fœnum in quo jacuit, per omne quod in Nativitate ejus sacrum est & pretiosum, ut perditam nobis restituat gratiam, ut peccatorum omnium impertiatur veniam, ut in sanctam nos reducat innocentiam & infantiam: ut Nativitatis ejus merito in novam gentu creaturam, novo corde, novo spiritu ei servientes, æternæ regenerationis gloriam consequamur.

Exempl. PRæclarum nobis hac in re suppeditat exemplũ, quod imitemur in hac sacra Nativitate, mulier illa peccatrix, de qua Petrus de Natalibus Episcopus mentionem facit in legenda de Natalibus Domini, & alij sacri Scriptores. Quædam Monialis relicta sua professione, & sancta societate claustrum egressa, ætatis florem quem Deo debuerat offerre, in carnis immunditijs per fornicationes promiscuas contriverat. Tandem rediens ad cor, & ad claustrum, cogitabat vias suas, & enormitatem vitæ suæ coram Deo & cœlo fœtentem. Sed adeo anxiè hæc considerabat, ut diffidentia quædam de venia sese interfereret: eratq; ipsa velut calamus quassatus confractioni proximus, velut linum fumigans extinctioni appropinquans; hoc est desperationi erat vicina, scelerum enormium pondere prægravata, & quocunq; verteret aciem considerationis, nusquam reperiebat micam consolationis. Si de cælorum regno subiret cogitatio, inveniebat se indignam, cum nihil coinquinatum in illud intret; ipsa vero agnoscebat se tamquam jumentum computruisse in stercore suo. Si de judicio cogitatio incideret, inveniebat se millies ream. Si de inferno, jã damnationis super se pronunciabat sententiam, tot flagitijs commeritam. Si de passione Domini inirer considerationem, intuebatur se illi ingratam; quod vita impia & spurca sanguinem Domini quodammodo concrucifisset, & Filium DEI iterum crucifixisset. Quid igitur huic animæ quassatæ undique poterat esse solatio vel refugio, si Domini passio, eam potius angit quàm solatur? Tandem cogitatũ suum convertens ad beatam infantiam Salvatoris, cœpit respirare. Consideravit enim medullitus viscera pietatis ejus, consideravit infantes quamlibet offensos, facilè placari, & manum porrigere & animum, utpote sine felle amaritudinis, sine aculeo ultionis. Perfectâ igitur cordis compunctione lacrymas ei ex oculis ciente, conversa est ad rigandos in spiritu pedes Jesu infantis benignissimi, coram imagine B. MARIÆ puerum sinu gestantis. Et ita, per infantiam suam, per viscera misericordiæ in quibus visitavit nos ex alto, per vagitus & lacrymas pietatis eum obtestans & adjurans, pro obtinenda peccatorum venia, meruit audire vocem cœlitus, qua de eorum remissione, & gratia Dei adepta certa & secura reddebatur.

Pelbart. Ser. 18. de Nativit.

Aliud exemplum

LONGE à priori divisum est, quod Guilielmo Comiti Juliacensi contigisse referunt historici. Hic in adulterio & alijs carnalibus vitijs vitam flagitiosam ducebat: frequenter verò à viris pijs & eruditis monebatur, ut tandem finem imponeret carnali huic & scandalosæ vitæ; sed pravæ consuetudinis quodam quasi jugo imperio pressus peccata peccatis cumulabat. Tandem verò est Dominus ultra has hominum mon[illegible]nes, cælestem ei exhibere monitionem: nam in festo Nativitatis Domini in tribus Missis cœlitus ei insonuit melodia cœlestis & Angelica, quâ monebatur cælestem voluptatem carnis præferre spurcitijs, & ad Deum redire, vitamq; emendare. Sed & istud divinũ monitum neglexit. Quapropter postmodum in via Coloniam versus in gremio concubinæ miserè sine Sacramentis expiravit, & in abyssum æternam relegatus est, ut etiam pijs quibusdam tunc revelatum fuit. Multi verò huic non absimiles sunt, qui licet cælestem harmoniam miraculo speciali exterius in festis Nativitatis Domini non audiant audiant tamen vocem Domini intus resonantem, & ad vitæ emendationem eos invitantem: audiunt vocem Ecclesiæ, audiunt vocem eorum qui Christi, & Angelorum locum tenent, & ministerium obeunt. Interim nec exterioribus Ecclesiæ in hac solennitate vocibus & cæremonijs, nec interioribus Christi vocantis monitis aurem præbent, & obedientiam: ideo tandem impleta mensura peccatorum infœliciter sine pœnitentia abripiuntur & in æternas pœnas devolvuntur.

Cassarea in Dom. 60. ex C. 6 sario & alijs.

† †
‡

EODEM

LECT. 3. tripartita

EODEM FESTO.

Evangelizo vobis gaudium magnum. &c.
Luc. 2.

PARS I. *De diligentia fidelis animæ quærentis Iesum, & responso gaudium magnum nuntiante Cant. 3. Ecclesia Vigiles triplices.*

NOn est ab hoc mysterio Nativitatis Jesu cœlestis Sponsi alienum, quod sponsa sacris in Cantieis dicit, se hunc dilectum per noctes quæsivisse in lectulo suo, nec invenisse, se surrexisse, & per vicos ac plateas eum quæsivisse, nec invenisse se inventam fuisse ab his qui vigiles custodiunt civitatem, & eos interrogasse: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Quinam sunt hi Vigiles & Custodes civitatis, quos Sponsa, hoc est anima fidelis de dilecto suo interrogare potest, quique ei aliquid de eo nuntiare possunt? Dicamus triplices esse vigiles civitatis Dei, hoc est Ecclesiæ, qui à Sponsa interrogandi sunt de adventu Sponsi sui. Primi vigiles sunt Prophetæ. Hi enim in specula constituti, instar vigilum & custodum, prospiciunt à longè quæ huic civitati Dei obventura sunt vel periculum, vel auxilium. Secundi vigiles sunt Angeli. Hi enim etiam vigilant & custodiunt Ecclesiam, & de his potissimùm verum est illud: *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes, totâ die & nocte non tacebunt laudare nomen Domini.* Hi nempe sine intermissione nocte dieque laudant Regem & Structorem civitatis hujus, & muros ejus vigilantissimè custodiunt. Tertij Vigiles sunt Pastores, quibus dicitur: *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel; audiens ergo sermonem ex ore meo annunciabis eis, &c.*

Isai. 62.

Exech. 33

1. *Vigiles Prophetæ.*

Primo itaque, si Sponsa vicos & plateas hujus civitatis circumiens, primos Vigiles interroget: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Respondent illi, se eum vidisse, & alij quidem à longe, alij propius viderunt, & ideo de eo possunt aliquid nuntiare, Interroga Isaiam: *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* Est-ne adhuc duratura diu nox? Abest-ne longè is qui lucem afferre, debet, & tenebris finem? Respondet ex parte DEI: *Venit nox & mane, si quæritis quærite, convertimini & venite,* quasi dicat: Nascitur in nocte ille quem quæritis, & nocte illam facit lucidam instar mane, radios spargens instar Solis in aurora sua, in matutino tempore: si ergo eum quæritis diligenter itineri vos accingite, venite, & invenietis. *Etenim parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, cujus Principatus super humerum ejus.* Isaias igitur & alij Prophetæ, per spiritus prænotionem mysteria Christi futura quasi præsentia intuentur, & annuntiant, & ideo hi sunt vigiles, qui de Sponso aliquid Sponsæ valent indicare.

Isai. 21

Isai. 9.

Sed transeat Sponsa primos Vigiles & Custodes, & ad secundos (quos Angelos esse diximus) sermonem convertens, interroget eos: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Utique viderunt eum venientem, ideo gloriam Deo decantant. Comitati

2. *Vigiles Angeli.*

sunt in templo se offerentem, in Ægyptum euntem, ex Ægypto redeuntem; nam Angelus tempus eundi & redeundi Josepho indicavit. Audierunt & viderunt in templo docentem, in triduo illo ministrantes ei, cum quærebatur à Matre. Viderunt in deserto jejunantem, & illo peracto accesserunt obsequium deferentes. Viderunt in horto, viderunt in cruce, viderunt in Resurrectione & Ascensione, vident totâ æternitate. Dicite ergo ô Angeli, ô Vigiles & Custodes civitates Dei, dicite Sponsæ ardenti desiderio per Vicos & plateas eum quærenti, quo loco possit eum certò reperire, ut amplectatur, teneat, nec dimittat. Nam ex ore quidem primorum Vigilum audivit Parvulum suum Sponsum natum esse, sed illi locus non est designatus. Quid respondent Angeli? Remittunt eam ad tertiam custodiam, ad tertios Vigiles, & dicunt hos à se jam informatos plenè, ut eam & ipsi plenissimè informent de Sponso suo.

Transi igitur, O Sponsa, ad postremos hos vigiles nuncium certum acceptura, & interroga eos: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Quasi dicat: Dicite mihi ô Pastores, de dilecto meo quæcumque nostis. Ubinam recumbit ipse? Numquid eum vidistis? Cui illi. Utique *sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri:* Vidimus eum, adoravimus, obsequium obtulimus. Sed quid audivistis de eo, aut quis vobis eum indicavit? Audivimus ab Angelo claritate Dei circumfuso: *Ecce annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.* Sed quod signum dedit vobis, ut inveniretis eum? *Invenietis infantem pannis involutum positum in præsepio.* Hoc nobis signum dederunt. Sed quale istud signum est? Numquid nimis citò fuistis creduli, Numquid poteratis nimia simplicitate decipi? Absit: quia hoc signo dato, *subito facta est cum Angelo multitudo cœlestis exercitus cantantium & laudantium.* Quid verò audistis eos cantantes? Cantabant: *Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quid deinde vos fecistis descendentibus Angelis? Diximus invicem, *Transeamus usque Bethleem & videamus verbum hoc quod factum est.* Quid invenistis in Bethleem? Invenimus MARIAM & Joseph, & Infantem positum in præsepio, & cognovimus de verbo hoc quod dictum nobis erat de puero. Quid postremo peregistis? Reversi sumus glorificantes Deum, & ad laudem ejus omnes adhortantes, enarrantes gaudium illud magnum. Hæc est summa Evangelicæ narrationis.

Psal. 47.

Luc. 2.

3. *Vigiles Pastores.*

Itaque Pastorum est (qui in his Pastoribus super gregem vigilantibus sunt designati) Nativitatis Jesu gaudium animæ meæ cuilibet fideli annunciare ut eum quærat, non in lectulo voluptatis jacendo, non per vicos & plateas sæculi exerrando: sed custodiendo vigilias noctis, sed ingrediendo in solitudinem cordis, sed cum simplicitate & humilitate

litate adeundo per Angelicum ductum præsepium Salvatoris. Lectulum floridum Sponsi cœlestis. Illorũ munus est mysterium sibi ab Angelis propositum, angelico spiritu, angelico zelo „ angelico gaudio, angelicâ voce populis suis prædicare, & dicere: *Ecce evangelizo vobu gaudium magnum, quod erit omni populo : quia natus est vobis hodie Salvator.* Et quia hæc vox Angelica est, absq; dubio mysteriis est fœcunda, opusque foret angelicâ linguâ & facundiâ ad eam plene interpretandam. Attamen pro modulo nostro, etiam balbutiendo, eam per singula explicemus & ponderemus; nec enim ingrata erit parvulo vagiéti nostra balbuties, nec Infanti Bethlemitico linguæ nostræ infantia, nec ruditas nostra ei invisa qui à rudibus Pastoribus glorificari non renuit.

Ecce vox emphatica.

Ecce evangelizo vobis. Primò igitur, vel illa sola vox, *Ecce*, dum dicitur ab Angelo, *Ecce evangelizo*, non videtur posita sine emphasi & pondere; quæ vox verè solet præmitti sive in antiquis Prophetarum oraculis sive in Evangeliis & novi Testamenti libris, dum de Verbi Incarnati mysterio specialis fit mentio. Est enim vox demonstrandi, apta ad insinuandum, demonstrandum, indigitandum grande hoc mysterium, antea absconditum, nunc visibile & mirabile in oculis nostris, Ideo in spiritu illud prævidentes Prophetæ hâc voce utuntur quasi in uno choro, cui in altero choro per eandem vocem respondent Evangelistæ. Isaias sic dicit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nom. ejus Emmanuël, Nobiscum Deus:* Cui velut in choro alterno concinens Joannes in Apocalyps. mysterium jam impletum eadem voce designat: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & ipse Deus cũ eis erit eorum Deus.* Iterum idem Isaias de eodem agens mysterio, quasi jam illi præsens esset, sic ait: *Ecce Deus meus, Salvator meus, fiducialiter agã, & nõtimsbo. Exulta & laudа habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.* Cui consonat velut alterna vox hæc hodierna Angeli: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, natus est vobis Salvator.* 3. Idem Propheta eundem Christum designans non solum Judæis, sed & Gentibus natum ut Ducem, eodem modo exorditur: *Ecce testẽ populu dedi eum, Ducem & Præceptorem Gentibus.* Cui ex altero choro concinens Matthæus vocationem gentium primam per puerum natum exprimens, ait: *Ecce Magi ab Oriente veniunt, dicentes: Vbi est qui natus est? Vidimus stellam ejus in Oriẽte,* Denique ipse Joannes Christum post omnes Prophetas, ante omnes Apostolos & Evangelistas designans, quasi in medio chori utriusque eandem vocem bis repetit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Aptissima igitur est vox ista ad tacitum mysterium designandum, quâ usi sunt Prophetæ, quâ usi sunt Evangelistæ, qua usus est Angelus in mysterii illius prima annunciatione: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum.* Sed nec minus ponderãda est vox illa, *evangelizo*, quæ aptissimè & propriissimè Angelo convenit, nam & ab Angelo vox deducta est; *Angelus*, id est nuntius; *evangelizo*, id est, bonum nuncio. Ergo proprium est Angelis evangelizare, quia ex primigenio suo officio ad bona hominibus nuntianda destinati sunt, ab illo *qui Spiritus suos facit Angelos*; Spiritus ex natura, Angelos facit offic.o. Angelus ergo primus evangelizat Pastoribus gaudium magnum: *Hæc dies boni nuntij est.* Postmodum veniet ipsemet magni consilii Angelus, magnum suum consilium super salute hominum humilibus evangelizans: *Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me.* Deinde mittet suos Apostolos & Evangelistas universis gentibus testificari Evangelium gratiæ Dei, & vices obire Angelorum; *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Denique usque infinem sæculi mittit aliquos Apostolorum successores, Angelicũ hoc officiũ obeuntes & populis dicentes: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum.* Postremò & in fine sæculi revertetur iterum Angelus Evangelizans, sed appropinquante dic ultionis, non tam gaudium & Salvatorem, quam timorem & Judicem annuncians: *Vidi angelum volantem per medium Cœli, habentem Evangelium æternum ut evangelizaret super omnem gentem, & tribum, & populum, & linguam dicens voce magnâ. Timete Dominum, & date illi honorẽ, quia venit hora judicij ejus.* De his ergo omnibus; quibus creditum est Evangelium gratiæ Dei, in spiritu elevatus inclamat Isaias: *Quam speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizãtium bona, prædicantium salutem, & dicentium:* *Sion regnabit Deus tuus!* Quam amabiles pedes hodie evangelizantis Angeli, quam amabilis vox & adventus ejus ad Pastores & plebem annuncians; *Natus est vobis hodie Salvator.* Quam speciosi & amabiles pedes Apostolorum & Apostolicorum Virorum ubique annunciantium in hodiernum usque diem angelicum nuntium: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, &c.*

Deinde expendendum est illud; *Gaudium magnum.* Verè magnum, quod dimensiones admirabiles habet, à nobis non satis comprehensas; quia nec mysterium ex quo originem sortitur hoc gaudium dimetiri valemus. *Flecto genua ad Patrem Domini nostri IESV Christi*, inquit Apostolus, *ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo & latitudo, sublimitas & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei* Ultimus comprehendere cum omnibus Sanctis, vel saltem aliqua notitiâ & affectu pio complecti, & dimetiri mysterium hoc Incarnationis & Nativitatis Christi, ut illius gaudio cum omnibus sanctis Angelis & hominibus, possimus perfrui. In eius altitudine videremus potentiam Dei, in eius profunditate sapientiam, in ejus latitudine charitatem extensissimam, in eius longitudine æternitatem quandã. Sic ergo mysterium magnum pla nè ita ut magnitudinis eius non sit finis, de quo

Apostolos: *Magnum est pietatis Sacramentum,* 3. Tim. 3. *quod manifestatum est in carne: justificatum in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum in gloria.* Sic & gaudium, quod ex illo oritur, magnum est & immensum, habens altitudinem, profunditatem, longitudinem, & latitudinē mysterio proportionatam. Illud inchoatur in medio terræ, ubi Domin⁹ initialiter operæus est salutem nostram, id est in utero MARIÆ, & in ejus corde. Hinc uterum vocat medium terræ Sanctus Bernardus, quia illum ut centrum respiciunt & superi & inferi, & qui habitant in cœlo, & qui agunt in purgatorio &, qui à dextris & sinistris peregrinantur in mundo, justi scilicet & peccatores.

1. Altitudo gaudij. *Primò*, itaque hujus gaudii altitudo ex eo declarari potest, quod ad cœlos usque ascendat, ad Angelicos spiritus, qui miro perfusi sunt gaudio, suæ civitatis ruinas reparari dum vident, per illum qui nascitur Caput hominum & Angelorum. Ideoque promptiores jam redduntur ad salutem hominum procurandam, eisq; familiariores fiunt; ita ut jam ab hominibus adorationem (quam olim soliti erant homines illis exhibere, ob eminentiam angelicæ naturæ) non acceptent, naturam humanam in exaltatione sua & unione cum divina considerantes. Hanc esse rationem cur Joannes ab Angelo adorationem congruam angelicæ naturæ acceptare noluerit, reddunt Sancti Patres. Unde S. Ildephonsus sic lib. de Virgin. cap. 11. ait: *Hac natura in qua Abraham Angelum adoravit, & tamen ad orare prohibita non est, in Ioanne adorare volens prohibita est: quia in Abraham in Christo nondum erat assumpta; in Ioanne autem ideo hanc naturam se ad orare Angelis prohibent qui hanc super se in sede Majestatis adorant. Ideo eam in subditu non contemnunt, quia supra se in sede gloriæ contemplantur.* Et certè tanta inde societas inter Angelos & homines intercedit, ut Angelus Joanni discrè dixerit: *Conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu Christi.* Apoc. 19. Apoc. 16.

2. Profunditas gaudij. *Secundò*: Profunditas hujus gaudii in eo cernitur, quod ad infernum, hoc est ad limbum & purgatorium usque descenderit, de quo interpretantur aliqui illud: *Populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Dicuntque aliqui citantes D. Damascenum, terram se in nonnullis locis aperuisse, ut claritas circum fulgens in die Nativitatis Domini, ad sanctos Patres in limbo agentes pertingeret, gaudii hujus prænuncia. Ibi igitur impletum est illud, quod Dominus Judæis dicebat; *Abraham exultavit ut videret diem meum, vidit & gavisus est.* Ibi exultavit & Jacob, videns per mysticam scalam Dominum ad nos descendere, & nos per eandem ad ipsum ascendere. item videns Angelos, ascendentes & descendentes supra filium hominis hoc est ad ministerium ejus, pro ut in scala ista designatum fuerat. Ibi exultat quoque Ezechiel videns Principem egredi per orientalem portam, semper nihilominus clausam, & tertiò clausam, in partu, ante partum, post partum Mariam intemeratam designantem. Ibi exultat Aaron, virgam suam florentem & fructificantem videns ex eius flore & fructu hodierno gaudium indicibile carpens. Ibi exultat Isaias, intuens florem de radice Jesse, super quem requieseit spiritus Domini. Ibi exultant omnes in carcere agentes, dum annuntiatur ortus illius, qui *in sanguine testamenti emittere debet vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* Ioan. 8. Ezech. 44. Isa. 9. Petr. de Natal. in Nativit. Domini. Zach. 9.

3. Latitudo gaudij. *Tertio*: Latitudo hujus gaudii ex eò colligitur, quod ad omnes omnis sortis & conditionis homines se extendat, si voluerint ejus esse consortes, id-eo forte dicitur: *Quod erit omni populo, totius scilicet terræ.* Ideo S. Leo omnes sic exhortatur: *Salvator noster dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus. Neque enim fas est locum esse tristitiæ, ubi Natalis est vitæ, qua consumpto mortalitatu timore, nobis ingerit de promissa Æternitate lætitiam. Nemo ab hujus alacritatis participatione secernitur. Una cunctis lætitiæ communis est ratio. Exultet Sanctus, quia appropinquat ad palmam: gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam; animetur Gentilis, quia vocatur ad vitam.* Lætissimum ergo gaudium illud, & latissimum, dum omnes ad illud vocantur, maximè hi qui in afflictione jacent & tristitia. Appropinquet igitur peccator, inveniet veniam; appropinquet captivus, inveniet redemptionis pretium; appropinquet, æger, inveniet sanitatem; appropinquet pauper, inveniet consolationem; appropinquet errans inveniet viam; appropinquet ignorans, & inveniet sapientiam; appropinquet morti proximus, inveniet vitam, abundantemque gratiam: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Ioan. 10.

4. Longitudo gaudii. *Quartò*, Longitudo hujus gaudii in eo consistit quod infinem sæculi usque, immò in sempiternis sæculis perdurabit: Hinc tantus jubilus in filiis Ecclesiæ annis singulis renovatur, & de antiqua redemptione canticum novum semper promitur, novo gaudio, nova voce, novis chordis, novo corde, novis odis, novis modis & modulis. Nec sæculum erit, quo nova per carnem Nativitas Filii Dei naturalis & primogeniti, a filiis adoptivis & secundò genitis solemni gaudio non celebretur; quorum auribus illud continuo in hoc die repetitur: *Plaudite, psallite, jubilate, laudate adorate, asserte gloriam & honorem.* Nullaque alia ratio eis asfertur, nisi illa ab Angelo allata: *Hodie natus est vobis Salvator.*

PARS II. De caussa magni & filius datus est nobis: gaudij.

VLterius est & illud ponderandum; *Hodie natus est vobis.* Quid aliud est, natus est vobis, quam id quod dixit Isaias: *Parvulus natus est nobis & Filius datus est nobis?* Utique natus est nobis, nō sibi? propter nos, non propter se. Nihil illi ex hac Nativitate accedit commodi, omnia in nostram utilitatem derivantur. Nihil illi, nisi pœna, ærumna miseria,

miseria, ex nativitate terrena; nobis autem exinde vita, salus, gloria. Nobis nascitur, nobis circumciditur, nobis vivit, nobis moritur, nobis patitur, nobis sepelitur & resurgit. Potioriratione potest dicere, quod Apostolus: *Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi gloriam consequantur.* Nobis quoque natus est, potius quam Angelis, quia *non Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Nec Angelos fugitivos apprehendendo reduxit, nec eos cadentes erexit, nec captivos redemit; *sed rudentibus inferni detractos æterna vincula sub caligine reservavit.* Ad hominem autem fugientem venit, ut revocet, & reducat; & modo adhuc in stabulo inquirit, *Adam ubi es?* Illum cadentem erigit, illum collisum redintegrat, illum compeditum solvit, illum captivum redimit. Vobis ergo natus est Salvator, inquit Angelus; non dicit nobis Angelis natus est & vobis; quia licet in æterna nativitate utrisque æqualiter natus sit, immo primario Angelis nobis tamen specialiter in temporali nativitate oritur: quia ex nobis natus, habitabit in nobis, conservabitur inter nos in terris, Emmanuel, Nobiscum Deus, & noster Deus.

2. Tim. 2.
Heb. 2.
2. Pet. 2.
Gen. 2.

Quod si singulas hominum sortes percurrere velimus, inveniemus aptè ab Angelo dictum; Natus est vobis. Hodie nempe natus est vobis, ô Principes, Regum omnium Princeps Natus est vobis, ô divites, ut cor vestrum erigat ad eas quas affert & offert divitias cœlestes & æternas. Natus est vobis, ô pauperes, quia pauper est. Matre ortus paupere, in paupere loco paupere cinctus veste. Natus est vobis, ô Virgines, ut adoretis eum cum Virgine. Natus est vobis, ô juvenes, ut adoretis eum in Pastorum societate. Natus vobis, ô Opifices, ut Filium Fabri adoretis cum Joseph. Natus est vobis, ô senes, ut adoretis eum Simeone sene. Natus est vobis, ô viduæ, ut adoretis cum Anna septem annis in templo agente in pia viduitate. Dicite ergo omnes, *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Utique datus & natus, non enim merito vestro, sed sola Patris gratia, sola sua impellente misericordia ad vos venit & propter vos venit. Et *datus est*, non venditus, quia nemo pretium pro eo congruum dare potuisset, nemo tantum mereri bonum. Natus vero vobis est, ut Frater, ut Pastor, ut Salvator, ut Sanctificator, ut Sponsus, ut Glorificator. Meritò ergo gaudium vobis magnum nuntiatur in die Nativitatis ejus. Unde hoc gaudium in se exprimens S. Bern. sic ait: *Non me capio præ lætitia, quod Summa Majestas naturam suæ naturæ carnis meæ & sanguinis subvolat, & me miserum in divitias gloriæ suæ non ad horam, sed in sempiternum includit, & sit frater meus Dominus meus. Hæc eximanitio tam dignativa rapit affectum meum, & istorum memoria consolescit cor meum.* Hæc omnes pii agnoscunt, qui Filium Dei sibi natum agnoscunt.

Quibus Christus

Sed heu, quam multis non est natus puer hic ad gratiam, eorum culpa, sed potius ad ultionem? Non est natus vobis, ô superbi, quia superbiam calcaturus venit, docens in fœno, in præsepio, in omnibus, quæ circa se sunt, humilitatem. Non vobis natus, ô avari rapinis & injustitiis addicti, venit enim calcaturus opes sæculi; venit & satisfacere pro rapina & furto avari parentis vestri, cujus reatum imitantes, pœnitentiam non imitammi. Non est vobis natus, ô luxuriosi, quia castitatis auctor est, quam in corpore suo consecravit, vos corpus vestrum polluitis, & injuriam ejus virgineo corpori, quod ejusdem vobiscum naturæ assumpsit, inferris, divinamque iram in vos accersitis. Non est vobis natus, ô vindicativi, impatientes, invidi, quia pacem affert & charitatem, Deoque gloriam docet decantare; vos odium & vindictam amatis, fovetis, & per execrationes ac juramenta nomen Dei conspurcatis. Non est vobis natus, ô gulæ & ventri addicti, sitim enim & famem venit pati, & pro gulæ peccato satisfacere, vobis vero venter Deus est, non Christus Jesus. Non est vobis natus ô homines torpidi & dormientes, salutis incurii, quia vigilantibus nativitatem suam annunciat, & sui visionem indulget. Non est vobis natus, ô impœnitentes animæ. O dura corda, quia stabulum, fœnum, lachrymæ, & omnia quæ circa hunc pucrum sunt, inclamant pœnitentiam, & vos surdi aures cordis occluditis. Est tamen natus peccatoribus, nec repellit quibuslibet peccatis obnoxios, si lachrymis infantilibus lachrymas jungant suæ cõtritionis. Natus est omnibus bonæ voluntatis, qui ad emendationem vitæ se accingunt. His ergo omnibus inclamat Angelus: *Natus est Salvator qui est Christus Dominus.*

non sit natus.

Natus est Salvator, ut nemo desperet de salute; Natus est Christus, ut nemo desperet de medela & sanitate: Affert Jesus salutem, affert Christus vulneribus unctionem. Natus est, verus Dominus, ut nemo desperet de liberatione a tyrannide. *Computrescet jugum antiquum peccati a facie olei*, quod affert Christus, Sceptrum exactoris, sive imperium & tributum dæmonis cessabit a facie veri Domini, veri Principis, cujus Principatus super humerum ejus. Hic est Parvulus qui natus est vobis. Princeps natus est Dominus, ex nunc crucem, dominii sui sceptrum quasi humeris gerens, & in illa ex nunc se Patri offerens. Hic itaque est cui dicitur apud Prophetam: *Jugum oneris ejus, & virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian.* Quasi diceremus: O Christe, jugum servitutis satanicæ, quo populus tuus tamquam onere gravissimo premebatur & perimebatur, & virgam crudelem dorso ejus incumbentem, asperè eum afflictantem, sceptrumque tyrannicum intolerabile ob iniquissimum peccati tributum, ad quod continuo adigebat, tu sustulisti: & hostem tuum superasti eodem penè modo quo Gedeon olim Madianitas in famoso illo die victoriæ suæ, Sed quomodo superavit Gedeon? In primis vidit in nocte quidam panem subcineritium volu-

Christus salus. Isa. 10.

Isa. 9.

Gedeon Christi figura.

& subvertere castra hostium: Ecce Christus sub cinere mortalitatis nostræ amoris igne coctus panis in Bethleem visitur, hoc est in domo panis, & volvitur hac nocte contra castra hostium, vires dæmonum conterens; nam & idola ad ejus adventũ conticuerunt & in illis dæmonia. Ulterius Gedeon victoriam reportavit, luce in nocte effulgente per lagenas testaceas, inclamantibus simul tubis. Christus divinitatis, lucem in vase testaceo carnis mortalis abscondit, & effulsit illa in nocte Nativitatis, terrens hostes Madianitas, hoc est fugans dæmones; exhilarans Israëlitas, hoc est Dei electos milites, quia jam etiam incipiunt tubis clamare, quia Angeli & Pastores adventum nostri Gedeonis cũctis ceperunt annuntiare, & Deum glorificare, quasi inclamantes, *Deo & Gedeoni*. Perfectissima autem victoria continget jam fracto vase testaceo in Christi morte, prædicatione Evangelii, quasi tuba insonante, & fidei luce ubique corruscante. Denique Angelus Domini victoriam annuncians Gedeoni, territum illum splendore angelico sic affatur: *Pax tecum, ne timeas*; ædificavitque altare tibi & vocavit illud, *Domini Pax*; & sic vocatur usque in præsentem diem, ait Scriptura. Sic Angelus Nativitatem & victoriam Christi nuncians, Israelitas Pastores luce territos affatur, & dicit; *Nolite timere*. Postmodum multitudo Angelica decantabat illud: *Pax hominibus bonæ voluntatis* Mittunturque ut videant altare quod sibi erigi voluit Dominus, Præsepium scilicet cui rectissimè hunc titulum indelebilem adscribere possumus, DOMINI PAX: Ibi enim inter Deum & hominem inviolabilis pax inita fuit, quæ decantatur usque in præsentem diẽ, & perdurabit usque in æternitatem. Igitur propter hæc omnia Christo hodie matutinis in officiis decantat Ecclesia *Sceptrum Exactoris superasti sicut in die Madian*. Et adverte Gedeonis ad hostes adventum & victoriam in nocte fuisse, non in die; & tamen vocatur nox illa dies, quia lampadibus effulgentibus, fugatis tenebris, sicut dies illuminata est, & noctem mœroris à populo oppresso depellens, diem singularis induxit lætitiæ. Similiter Christus in nocte advenit, & tamen dicitur: *Hodie natus est vobis*, quia noctem illam quasi diem illuminavit claritas divina, & mœrorem caliginosum à populo Dei depellens lætitiam; magnam instar lucis animos illustrautem peperit. Poteratque Christus dicere: *Nox illuminatio mea in deliciis meis; quia delicia mea esse cum filiis hominum* Hodie ergo natus est vobis, quia hæc est dies quam fecit Dominus, noctem vertens in diem, tenebras in lucem. Antea semper nox, nunc prius dies; absentia Solis facit noctem, præsentia ejus facit diem. Ab Adam usque ad tempus istud fuit nox ob absentiam Solis hujus, tenebræ peccati, caligo ignorantiæ & superstitionis populum gentilem, umbra obscura legis Israeliticam plebem involvebat. At in ortu hujus Solis incepit dies super universam terram, fugata umbra, fugata nocte. Hæc est dies gratiæ, quæ vocatur, *Hodie*, & perdurabit ac perducet ad diem æternæ gloriæ. Hæc est dies in quo nobis primum apparet is qui est lumen de lumine, Splendor paternæ gloriæ, Candor lucis æternæ: & ideo nulla debet fieri mentio noctis aut tenebrarum; cum & ad hoc venerit, ut nos faceret filios lucis & diei, eruens de potestate tenebrarum, & dignos faciens sortis Sanctorum in lumine, Vobis ergo natus est, ô filii lucis, vobis ô Pastores vigiles inimici noctis!

Nox Nativitatis dies.

Psal. 138. Prov. 8. Psal. 117.

Coloss. 1.

PARS III. *De signo dato Nat. Jesu.*

JUdæi signa petunt. Et propterea adverte quoties antiquitus Dominus egit de liberatione populi ab hostium potestate, semper aliquod signũ dedisse; sed tale signum quod liberationem & salvationem per Christi adventum indicaret. *1. Cor. 1.*

Liberationis signa data Christi adventũ indicarunt.

Exod. 4. 1. Patet. in Moyse.

Primò. Agit de liberatione populi ex Ægypto cum Moyse, & eum ad hanc vult destinare, sed quia vult Moyses signum, dicitur ei, *Quid habes in manu?* Respondet: *Virgam*. Jubetur eam projicere in terram, & facta est serpens; jubetur è terra sublevare, & è serpente iterum fit virga. Sed & aliud signum adjicitur. Jubetur manum in sinum mittere; at cum misisset, protulit eam leprosam; iterum vero in sinum eam mittens, totam reducit sanam. Hoc vobis signum, ô Judæi, non tam liberationis per Moysen, quam liberationis per Christum Salvatorem. Christus virga est, quia potentia & sceptrum Patris, sed in terram per incarnationem missus, humanam naturam olim per serpentem vitiatam assumit, & quasi serpens reputatur, hoc est malignus, ideo in ligno quasi serpens venenatus erigitur, & ostentatur. Ac per resurrectionem rursum in manu Patris fit virga virtutis, per quam dominatur universo orbi. Similiter Christus Filius Dei manus est Patris, per quam fecit omnia. Hic erat in sinu Patris, sed cum foras prolatus est per incarnationem, visus cũ leprosus, miseriis nostris & dolo-ribus quasi lepræ communicans: *Nos reputavimus eum quasi leprosum*. Sed in sinum Patris rursus per resurrectionem & ascensionem retractus, in dextera Patris apparuit gloriosus.

Isai. 53.

Secundò. Agit Angelus de liberatione à jugo Madianitarum cum Gedeone, vultque eum Ducem destinare. At petit & ipse signum. *Penam*, inquit, *hoc vellus lanæ in area, si tres in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas sciam quod per manum meam liberabis Israel*. Et factum est ita. Et de nocte consurgens expresso vellere, concham, sive lagenam, rore implevit. Hoc vobis signum, ô Judæi, adventus Christi & redemptionis, *Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia, &c.* Ut enim pluvialis ros in aridum vellus Gedeonis miraculo descendit absque ullo strepitu, nihil nocumenti inferens velleri, neque dum illabebatur, neque dum exprimebatur; ita & ipse è cœlo inaudito modo illapsus est in uterum Virginis insensibiliter, nihil vitians ingressu & egressu virgineum pudorem. Et sicut stillæ leniter cadentes, terram sitientem fœcundant, ita & Virginis uterum ros cælicus.

2. In Gedeone. Iud. 6.

Psal. 71.

Tertiò.

3. in Achaz. Isa. 7.

Tertio, Agit cum Achaz de liberatione Jerusalem ab obsidione, & ei dicitur : *Pete tibi signum à Domino in profundum inferni, sive in excelsum supra*, ut scilicet hoc signo confirmet Dominus promissum de populo liberando. Et quidem non vult ille signum petere, simulata pietate, & veré hypocrito corde. Sed dicitur ei: *Dabit vobis Dominus signum; Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Hoc vobis, signum, ô Judæi, non solvendæ obsidionis, quæ tunc agebat Jerusalem, sed liberationis per Christum conceptum & natum ex Virgine; & hoc signum superat signa omnia quæ poterant è profundo, vel è cœlo dari. Signum enim istud è cœlo est, è terra, quia corpus terrenum cœlesti divinitati unitur prodigio planè admirabili, ut nobis cedat in signum irrefragabile.

4. in Ezechia. Isa. 38.

Quarto agit cum Ezechia de sanitate ei reddenda, & victoria contra hostes per eum reportanda. At quia petit signū, datur ei Sol recedens in horologio Achaz Patris sui per decem lineas. Hoc vobis signum, ô Judæi, non tam victoriæ temporis illius, quam victoriæ spiritualis in adventu Salvatoris. Hic est Sol qui per novem Angelorum gradus descendit ad decimam usq; humanæ naturæ assūptæ retrocedens. O admirabile signum!

Omnia illa signa in Infante pannis involuto

Itaque omnia hæc prædicta signa completa sunt in signo quod modo datur Pastoribus : *Invenietis Infantem pannis involutum in præsepio.* Hoc enim est signum signorum, prodigium prodigiorum, miraculum miraculorum, ad quod cætera sternebant viam. Et quidem superficietenus consideratū hoc signum vile nimis videtur, indignumq; Rege & Salvatore, qui in hoc signo debebat agnosci. Quale enim est hoc signum Redemptoris & Regis Israel? Quænam ejus assignantur Stemmata & insignia? An hæc pro quadruplici Nobilitatis Stemmate (vulgo *les quatres quartiers*) Stabulum, Præsepium, Panniculi Fœnum? Utique primus ejus Signifer Angelus in suo vexillo non alio defert pro insignijs, illaque ostendere videtur Pastoribus velut in viridi Campo depicta, cum hoc Symbolo subscripto, *Invenietis infantem positum in Præsepio.* Anvos, ô Judæi, humilia nimis nimisq; vilia censetis, hæc stemmata, ut per illa agnoscatis Ducem, qui eruere vos debet de manu hostili : Memineritis Moysis Ducis vestri in Fiscella ex juncis texta exposīti, dum infans foret : Memineritis Ducis alterius Gedeonis in area inter palcas agentis, dum Dux vester inauguratus est : Memineritis Cyri Regis, qui vos è captivitate Babylonica liberavit inter viles Pastores derelicti, & ab eis educati. Ecce obscurus fuit ortus horum Ducum, qui vos in libertatem asseruerunt, & hoc vobis nunc signum idem datur nati Salvatoris. Non ergo hæsitant Pastores in hoc signo infantis involuti in præsepio, quia licet vile videatur oculo corporeo, oculo tamen fidei aquilino & lynceo sublime est; quia ultra nubem infantiæ, ultra pietatem infirmitatis humanitatis hic Solem totius charitatis, Majestatēque divinitatis. Non ergo vile signum istud, sed admirabile. idemq; cum illo. *Signum magnum apparuit in Cœlo, mulier amicta Sole, Luna sub pedibus ejus, in capite ejus corona stellarum duodecim*, & cruciatur ut pariat Filium ad thronum Dei rapiendum. Hæc est enim Maria, ostensa ut prodigium in Cælo licet pariat in fœno ; amictus est divinitatis Sole, quem parit, Lunam habet sub pedibus; calcans rerum omnium humanarum inconstantiam in Luna designatam. Coronam habet stellarum, variis adornata privilegijs fulgidissimis. Angelis quoque cincta. Cruciatur ut pariat, non dolore partus, sed summo desiderio pariendi, & filium natum videndi: cruciare quodammodo solet desiderium vehementer amantes. Sic omnes creaturæ; etiā Angeli, quodammodo cruciari, & ingemiscere, & parturire dicuntur, revelationē Filiorum Dei exptctantes. Signum itaq; datur Joanni magnum in cælo; vobis, ô Pastores, parvum in præsepio: sed si specie exiguū, re omnino eximium. Judæi signa petunt, Græci sapientiam quærunt. Angelus vobis prædicat Christum in Præsepio, Judæis scandalum, Gentib⁹ stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem & sapientiam: quia quod stultum est Dei sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

Apoc. 12.

Rom. 8.

1. Cor. 1.

Insulus natus omnib est signum.

Nos quoque vobis prædicamus Jesum in præsepio, ô Christiani? ut vobis sit signum, ut sit signaculum super cor vestrum. Hoc vobis signum amoris, ô electi & dilecti Dei! Hoc vobis signum pietatis, ô Deo devoti! Hoc vobis signum obedientiæ, ô pueri! Hoc vobis signum castitatis & puritatis, ô Virgines! Hoc vobis signum patientiæ, ô inopes & afflicti! Hoc vobis signū pœnitentiæ, ô peccatores. Hoc nobis signum pacis, ô homines bonæ voluntatis! Ideo enim dato hoc signo, mox clamat Angelorum multitudo. *Gloria in altissimus Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Exempl.

HOc signum super cor suum posuit B. Margarita de Castello, quæ in contemplatione Infantis hujus in præsepio continuo versabatur. Undē post mortem, cum corpus ejus aperiretur, ut aromatibus conditum servari posset ad fidelium devotionem, reperta est gemma cordi adhærens, in qua erat sculpta imago Nativitatis Jesu ; & Virgo hæc Margarita genu flexa ante præsepium in eadē imagine cernebatur. Testis est Granatensis serm. de Nativ. dicitque adhuc hanc gemmam servari in Sacrario S. Dominici in Italia, in urbe dicta Castello, ubi & ipsa tertium Ordinem S. Dominici erat professa.

Hort. Past. Tract. 3. Lec. 12.

Huic quoque signum super cor suum posuit S. Franciscus. Datum sibi á Deo existimavit hoc præsepium, in signum paupertatis, obedientiæ, castitatis. ideoque semper illud contemplabatur. Nempe & Franciscum ipsum patere non potuit Mater per plures dies cruciata, nisi in stabulum dilata, hoc monente quodam mendico peregrino, quem fuisse An-

Angelum non ambigitur. Si humilis Franciscus erat, ut humili ortu Christum secutus, etiam postmodum ejus stigmatibus signaretur similis factus Christo orienti, similis morienti.

DE EODEM FESTO NATIV.

LECT. 3. tripartita

Transeamus usque Bethlëem, &c. Luc. 2.

PARS I. *Qui Bethleem trãsierint.*

NOn paucos ex ordinatione & impulsu divino in Bethleem transivisse, Evangelica declarat Historia; Percurramus eos breviter.

1. Dei filius in utero matris.

1. Primo transivit Christus Dei Filius de Nazareth in Bethleem, Matris utero portatus, Patris voluntatem & admirabile consilium super salute generis humani executurus, & absconditum à sæculis incarnationis & nativitatis suæ mysterium testibus à Deo ordinatis manifestaturus. Tunc impletum est illud: *Aures perfecisti mihi, tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* Quid est aures perfecisti mihi? Sanct. Paulus legit, *Corpus aptasti mihi, tunc dixi. Ecce venio.* Corpus ei à Patre Spiritus S. virtute in utero Virginis aptatum est; auresque non solum corporis, sed & animi ibidem perfecit ei Pater, per donum obedientiæ & obauditionis perfectissimæ: & ita impleto uteri tempore dicit: Ecce palam venio per carnis nativitatem, ut tuam, O Pater & Deus meus, faciam voluntatem, & gloriam tuam hominibus manifestam. Atque ita primus actus quem Christus in ortu suo exercuit, fuit actus perfectissimæ recognitionis & profundissimæ adorationis erga Patrem, simulque oblationis intimæ & amoris. Ex tunc Patris æterni decreta circa singula vitæ & passionis suæ momenta summo amore acceptans pro salute hominum, carnem iam incipientem mortalis vitæ incommoda pati in frigore & nuditate, in aspera præsepij reclinatione, obtulit Patri tanquam hostiam vivam & sanctam. Et ex eo tempore perpetua victima permansit in conspectu Patris omnibus momentis vitæ suæ mortalis sanctificans seipsum, & ardentissime desiderans adimplere æternum ejus consilium super salute hominum, cujus gratia de Nazareth ascenderat in Bethleem, sciens voluntatem illius à quo missus est in mundum.

Psal. 39. Heb. 10. *Primus actus Christi in ortu.*

2. Joseph cũ Maria

Secundo: Transivit Joseph cum Maria in Bethleem, non casu aut fortuito; sed infantis hujus divini instinctu & altissimi consilio, quia hi admirabilis consilij & mysterij soli conscij erant, & electi cælitus illius cooperatores fidelissimi. Quapropter Maria quæ novem mensibus omne obiequiũ maternum exhibuerat intus latenti, iam novo fervore & gaudio sese offert ex utero prodeunti, aures habens perfectè apertas ad beneplacitum Filij, & ad voluntatem Patris Æterni. Unde ministerium suum exordiens, partum hunc adorat, brachijs excipit, involvit, lactat, reclinat. Similiter & Joseph electus adjutor hujus divini mysterij & ministerij, quæ sui sunt muneris, exequitur diligentissimè: sacrum hoc depositum curæ suæ commissum adorat, contemplatur, cum reverentia suscipit & ei custodiam, alimentum, curamque omnem Patris impendit. Atque etiam ex tunc ferventissimo amore, nato puero & divino ejus beneplacito, omnem artis suæ industriam, omnes labores & sudores, totamq; vitam suam, ac etiam ipsum sãguinem, si opus sit, consecrat; Hanc ob causam è Nazareth transivit in Bethleem cum Maria, postmodum & in Nazareth reversurus & in Ægyptum iturus, & ibidem in exilio multas ærumnas passurus summa patientia animique gaudio.

Maria Iesum natum adorat.

Tertiò: Transiverunt in Bethleem Angeli, multitudo cælestis militiæ) ibi suum agnituri Ducem, adoraturi Regem: *Et iterum cum introducit Primogenitum in orbem terrarum, dicit adorent eum omnes Angeli ejus.* Sic stabulum factum est cælum, dum cælesti lumine fit fulgidum, dum Angelorum adorantium & laudantium multitudine fit decorum, dum præsepe infantis, thronus fit divinitatis O Bethleem, quam vita sunt in te mirabilia, quæ meritò totam cæli ad te attrahunt curiam, dum apud te lãbit ubera, qui regit sidera.

3. *Angeli.* Heb. 1. *Stabulũ fit cælum.*

Magnus in medio tui sanctus Israel. Parvus in medio tui sanctus Israel. Isaia 12.

Magnus, quia ibi consortio Angelorum. *Parvus* quia ibi in societate animalium.

Magnus, quia ille ipse est, cujus magnitudinis non est finis, *Parvus*, quia præsepio arctatur & panniculis, Ps. 144.

Magnus, quia tribus digitis appendit molem terræ. *Parvus*, quia pendet ab uberibus matris terrenæ. Isa. 40.

Magnus, quia librat in pondere montes & colles in statera. *Parvus*, quia manu libratur ab imbelli virgunçula. Ibid. *Christus magnus & parvus.*

Magnus & laudabilis nimis. Parvus & amabilis nimis.

Magnus, qui fulgurat in cœlo. *Parvus*, qui vagit in præsepio.

Magnus, aquis replens sinum maris. *Parvus*, lacrymis rigans sinum matris.

Magnus, terribilis super Deos omnes. *Parvus*, vilis & abiectus infra homines omnes.

Hanc ergo magnitudinem & parvitatem ut intueantur Angeli, descendunt in Bethleem, visuri & adoraturi Verbum abbreviatum super terram, qui hactenus intuiti sunt Verbum immensum cœlum implens & terram. Descendunt admiraturi, quomodo nec magnitudo ejus parvitate minuitur, nec parvitas magnitudine absorbeatur.

Quartò: Transiverunt & Pastores in Bethleem, mox ubi audierunt alloquio angelico ibi natum, tamquam electi testes hujus mysterij. *Transeamus in Bethleem & videamus Verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis.* *Et venerunt festinantes* Hi erant Primitiæ Judæorum, quasi sibi Primogenitus Patris & Matris voluit consecrari; sta-

4. *Pastores.*

statim etiam erant secuturi Reges Orientis, Primitiæ Gentium, Reges de longinquo veniunt, quia à Christo remoti erant, & regione, & religione. Pastores de propinquo accedunt, quia Christo conjunctiores, tum patria & gente, tum lege & Rege. Interim utrobique. Tres sunt, sive Reges, sive Pastores, qui eliguntur testes hujus Nativitatis, & Præcones SS. Trinitatis. Tres enim fuisse Pastores testatur Beda l. de locis sanctis c. 8. Cui consentiunt Ecclesiastici scriptores. Hi agnoverunt Trinitatem quæ erat in terra. Jesus, Maria, Joseph; Unde dicitur: *Invenerunt Mariam & Ioseph, & Infantem qui erat in præsepio.* Et forte non sine mysterio prius dicuntur invenisse Mariam & Joseph, quam infantem in præsepio, ut significetur per Virginem Matrem viam nobis esse ad Christum, tamquam quæ sit Mediatrix ad Mediatorem; nec negligendum etiam Joseph, quia & per Sanctos, tamquam intercessores nobis est aditus ad Jesum.

Bern. ser. 6. de Nat.

Pastoribus annuncians angelus natum, Christū annunciavit Adrichom. in descript. terræ sanctæ.

Quæres, quo loco Angelicum nuntium perceperint hi Pastores, sive de quo loco transeant, dum dicunt: Transeamus in Bethleem? Communis traditio est, Angelum eos allocutum fuisse juxta turrim Eder, sive turrim gregis, quam sic describunt terræ sanctæ Scriptores: *Turris gregis, Hebraicè, Turris Eder, campus est uberrimus, pascuis & olivis refertus, distat passibus fere mille à Bethleem, ubi Iacob Patriarcha fixit tabernaculum, & pavit greges suos, Gen. 33. ibique eo habitante Ruben violavit thorum Patris. Hoc in loco Pastores, ut præfixerat Michæas, nocte vigilantes, super gregem audierunt canentes: Gloria in excelsis. Ubi postea templum erectum est Sanctorum Angelorum à B. Helena. Atque adeo sacellum hic erectum est in tanta rei memoriam medio in agro.* Existimatur itaque de eo locutus Michæas: *Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion, usque ad te veniet, & veniet potestas prima, regnum filiæ Ierusalem.* Sensus igitur Prophetiæ istius est: Tu, O turris Eder, rusticana, vilis & pastoritia, caput attolle & exulta, quia primò ad te veniet nuntius cœlestis ortum novi Regis annuncians, cujus potestas prima & Regnum incipiet in Jerusalem, indeque propagabitur per totum Orbem. Quapropter eris turris non tantum gregis, sed & turris nebulosa Hebraicè Ophel) sive celsæ caliginis, quia inter ex olimpi celso vertice descendet cœlestium spirituū multitudo, concinentium: *Gloria in excelsis Deo.* Ex hoc igitur loco mox in Bethleem transire festinant, ut videant verbum quod factum est, id est rem gestam & sibi annunciatam; sic enim loquuntur. Hebræi, verbum pro re gesta accipientes; *Indica mihi verbum quod factum est*, dicebat David Amalecitæ nuntianti mortem Saulis. Notat tamen S. Chrysost. hom. in Luc. Pastores utpote vigilantes vigilanter dixisse: *Videamus verbum quod factum est* non vero dixisse; Videamus puerum, aut videamus quod dicitur, quasi Spiritus S. instinctu indicarint suis verbis illud quod Joannes postmodum pronunciat: *Verbum caro factum est*, Quasi dicant: *Verbum quod semper fuit, videamus quomodo pro nobis factum est, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Verbum ipsum se fecit, siquidem ipsum Verbum Dominus est. Quem videre non poteramus dum erat Verbum, videamus in carne, dum Verbum caro factum est.*

Michæ. 4.

2. Reg. 1.

Pars II. *De pastorū devotione in transitu,*

1. *Statim angelorū dictis credunt.*

2. *Utro iter aggrediuntur.*

Sed expendamus paulisper Pastorum horum promptitudinem, devotionem, & fervorem, quem imitari valeamus, dum vocamur ad divinū obsequium. Primo quidem mox Pastores Angeli dictis fidem firmam adhibent, nihil vacillantes de ortu Salvatoris, licet dubietatem eis afferre posset vilitas loci in quo natus dicitur, vilitas stabuli & præsepii. Secundo, licet Angelus eos in Bethleem non mittat, mox tamen iter aggrediuntur, hanc esse Dei voluntatem pie interpretantes, haud ea de re (ut fieri solet) multis ultro citroque rationibus disceptantes. His longè dissimilia illi de quibus S. Bernardus in Declamat: *Vocat Oriens, & tu attende ad Occidentem, vocat magni consilii Angelus, quid adhuc aliena, consilia præstolaris.* Tertio veniunt non torpido gressu, sed festinantes; nescit enim tarda molimina Spiritus S. gratia. Unde S. Chrysost. in Luc. *Ardor animi & desiderium vincebant. Pedes non poterant tantum currere, quantum mens cupiebat aspicere; & quia tanto ardore current, propterea invenerunt quem quærebant.* Sic currebat & in ejus resurrectionē magno ardore Petrus & Joannes admonumentum, quia & ipsi futuri erant nuncii resurrectionis, sicut & hi nativitatis; sic utrimque Pastores currunt, & in Nativitate, & in Resurrectione; isti ut contēplentur Pastorem summum jacentem in stabulo, vagitu suo quasi sibilo oves ad caulam suam vocantem; hi ut contēplentur eundem resurgentem è tumulo, & eas ad æternam aulam revocantem. Et isti quidem invenerūt, & crediderunt in eum qui jacebat in medio duorū animalium; hi crediderunt in eum qui jacuerat in medio duorum Angelorum, quorū unus ad caput, alter ad pedes describitur. Qui ad caput sedebat ejº videtur annunciare divinitatem, qui ad pedes ejus indicare humanitatem. Qui ad caput sedebat, indicat illud: *In principio erat Verbum*; qui ad pedes, illud demonstrat: *Et Verbum Caro factum est.* Similiter & duo ista animalia, quæ in Nativitate ad caput & pedes Domini describi solent, idem insinuant, divinitatem ejus scilicet & humanitatem dicente Propheta secundum lectionem LXX. Interpretum: *In medio duorum animalium cognoscetur.* Cognoscitur enim ibi Christus, ut Deus, cognoscitur ut homo; cognoscitur in principio Verbum, cognoscitur in fine Verbum caro factum. Et hæc ipsa duo animalia in Nativitate, duo sunt Angeli in Resurrectione: quia populus Judæorum, quem bos significabat legis onere pressum, & populus Gentium, quem asinus indicabat rudem esse, & contra Deum recalcitrantem, per Christi Resurrectionem transierunt in consortium Angelorum.

3. *Veniunt festinanter.*

Christus in medio duorum agnoscitur.

Ioan. 20.

Abac. 3.

Eum,

Eundem itaque Pastores agnoverunt prope Bethleem nascentem nativitate terrena, quem discipuli prope Jerusalem renascentem nativitate gloriosa. Et potuerunt dicere, *Domine audivi auditum tuū, & timui*; nam claritas Angeli Annunciantis primò eos terruit: *Consideravi opera tua, & expavi*, quia in admiratione tantæ humilitatis, tantæ novitatis, stupore quodam repleti sunt, dum vident oviculam Pastorem suum peperisse, & petram deserti emisisse Agnum Dominatorem universæ terræ, qui Aquilis, Leonibus, Tauris, Elephantis dominatur est, postquam ad montem filiæ Sion ascenderit immolandus. Quæ nam est ovicula nisi Maria? Quis Pastor & Agnus, nisi Christus? Quæ petra deserti inculta & intemerata, nisi Mariæ virginitas intacta & inviolata? Hæc Pastorem peperit oviculas; hæc Agnum emisit Petra, Reges quoslibet subjugaturum, qui pro insignis Aquilas: Leones, Leopardos ostentant in symbolum potentiæ. Nam *puer parvulus minabit eos*; vestitus à Maria vellere virgineo *Agnus, deducet eos ad vitæ fontes aquarum*; sed prius in montem Calvariæ ascendet immolandus. An non merito hæc omnia Pastoribus admirationem & stuporem incutiunt, dum in medio animalium agnoscitur Pastor ille, Agnus ille, ille puer parvulus, sic humiliatus, sic exaltatus, postea in monte in medio duorum latronum iterum humiliandus, iterum exaltandus? Ad hæc igitur admirabilia considerandia festinantes veniunt in Bethleem, licet mandatum ea de re non acceperint ab Angelo; & in hoc, ut diximus, elucescit eorum devotio & promptitudo.

Agnus de petra deserti emissus Christus.

Isai. 11.

Apoc. 17.

Denique hæc etiam in eo cernitur, quod nullum prætexant impedimentum, nec rei incertitudinem nec noctis caliginem, nec frigoris asperitatem, nec gregi necessariam custodiam & præsentiam suam. Heus tu qui ad Dei vocaris obsequium & sequelam, vel ad meliorem vitam, quot prætexis excusationes? quot tibi mundus & caro injecit compedes & difficultates? Si tamen in te est verus amor Dei, non debet esse languidus aut infirmus; omnes occasiones, omnes compedes cursum in via Dei impedientes fortiter debet disrumpere & transilire. Qui torpidus est ad Christum quærendum, condemnatur diligentia horum rudium Pastorum. Immo dicere hic possum, s quod alibi Sapiens: *De stercore boum lapidatus est piger, & omnis qui tetigerit eum excutiet manu*: hoc est, dignus est qui boum stercore impetatur, & conspurcetur, & quem omnes detestentur, nec attingere velint tanquam maculatum & spurcum. Certe ipsa animalia Christum in præsepio adorantia condemnant omnes hæreticos in peccatis, Christum quærere & adorare negligentes & stercora horum animalium, quodammodo eos condemnant; eos lapidant & conspurcant: & ab omnibus detestandos ostendunt. Excutiendam itaque omnem socordiam, & relinquenda omnia retardantia iter ad Christum, docent omnes qui eum secuti leguntur. Sic Petrus relinquit navem & retia, Matthæus telonium, Paulus epistolas Sacerdotum, Adolescens quidam in passione syndonem, ut sequerentur eum. Si de mulieribus agitur Magdalena fucum relinquit & pigmenta, Samaritana hydriam & funem apud fontem, mulieres à Galilæa eum secutæ propriam familiam. Sic & inter eos qui secuti eum sunt in Bethleem, Joseph relinquit suum in Nazareth domicilium, Reges suum populum; Pastores hi suum gregem, immo & Angeli ipsum cœlum, ut veniant festinantes & expediti, & adorent eum. Sed hæc satis de devotione Pastorum, nunc & de alijs transeuntibus in Bethleem agendum.

4. *Nullum obstaculū prætendunt.*

Eccl. 22.

TRansiverunt in Bethleem, ut viderent verbum hoc quod fecit Dominus, omnes pij ab initio partus Virginei usque modò. Et nonnulli quidem corpore & spiritu præsentes hunc locum Natalis Domini honorarunt adoratione, votis, lacrymis, quasi mysterio interessent. Alij qui corpore non potuerunt frequentare illum locum, spiritu peregerunt, pietatem frequentem & ferventem exercentes erga hoc mysterium. Quicumq; igitur cordis devotione feruntur erga MARIAM parientem, erga JESUM nascentem, erga Joseph Nutritium & custodem, censentur transire in Bethleem, id est, in domum panis. Censentur ibi refici à Jesu ubertate panis cœlestis, vel cum JESU lactari ab uberibus Matris.

PARS III. *De spiritualibus rum tuā- situ in Bethleem*

Sic S. August. in Bethleem spiritu se transivisse significat; *Non sat iabar illo diebus considerare dulcedine mirabili altitudinem consilij tui super salute generis humani*. Propterea repræsentari solet in medio Crucifixi & Deiparæ Filium in sinu lactantis, cum hac inscriptione. *Hinc pascor à vulnere: hinc lactor ab ubere.*

Lib. 9. confess. c.

Sic S. Bernardus cunis & infantiæ Salvatoris devotissimus, Virgini infantem lactanti hanc orationem ardentissimè solebat offerre; *Monstra te esse Matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus.* Unde quodam die virgineo ex ubere illi lac MARIA in os stillavit, ut esset JESU collactaneus; & exinde mel & lac ejus è corde & lingua uberrimè prorumpebant ad lactandos alios, & illos ad JESUM ac MARIAM alliciendos. Attende mel & lac ex ejus ore & corde fluens. *Iesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Iuda. O breve verbum de verbo abbreviato, sed cœlesti suavitate refertum! Quis tam lapideus cordis, cujus anima non fit in hoc verbo liquefacta? Quid enarrari dulcius poterat, quid delectabilius commendari? Laborat affectio mellifluæ dulcedinis, copiam latius effundere gestiens, nec invenientes verba; tanta siquidem est gratia sermonis hujus, ut continuo incipiat minus sapere, si vel unum jota mutavero: Iesus Christus Filius Dei nascitur in Bethlem Iuda.* Hæc ille, spiritu transiens in Bethleem, & totum affectum ibi effundens in Infantem JESUM.

Serm. 1. Nat. Do.

Sic & S. Fulbertus Abbas Carnotensis JESU Infanti

sanctí & Deiparæ Mariæ in Bethleem parienti tanto afficiebatur affectu, ut sæpius summa cum dulcedine spiritus mysterium hoc infantiæ Salvatoris ruminaret. Unde cum quodam die æger jaceret, apparens ei per visum Maria, fugenda ei dedit ubera sacra, in compensam amoris erga se & Infantem suum sacratissimum; quem etiam testatus fuerat Basilica dedicata Deiparæ, & libro in ejus laudem edito.

Sic S. Antonius Paduanus, deliciabatur cum puero Jesu, ita ut in Bethlehem sibi videretur commorari, & è sinu Deiparæ infantem accipere, amplecti, & cum eo dissuaviari. Sicut Filius Dei dixerat: *Delicia mea esse cum filiis hominum*, sic & vir iste sanctus dicere poterat: *Delicia mea esse cum Filio hominis*. Ideo pingitur cum libro & Infante divino super librum, quia omnis ejus lectio & meditatio, omnis pia collocutio cum hoc divino erat Infante, qui etiam ei frequenter apparere dignabatur. Unde & hæc erat ejus ad Virginem precatio ordinaria: *O gloriosa Domina, excelsa super sidera, qui te creavit provide lactasti sacro ubere*! cujus precationis virtute in mortis articulo dæmonem à se propulsavit.

Denique infiniti alii sunt, quibus Maria Bethleemicum suum Infantem muæuavit, quem ut fratrem suum parvulum deoscularentur, & amplecterentur, quia speciali pietate illi addicti erant. Et hi omnes quasi Bethleemici stabuli incolæ censendi sunt, ibi cum Maria in spiritu stabulantes.

Quidam corporaliter incoluerunt Bethleem.

Alii porro sunt qui etiam prolixissima itinera è diversis Orbis partibus inierunt, ut in loco ubi steterunt pedes infantis adorare possent, & Bethleemitica arua vel invisere cum pietate, vel etiam permanenter incolere. Ibi S. Hieronymus, S. Paula, S. Eustochium, & cum illis nobilium Matronarum & Virorum turmæ vivere & mori elegerunt. Nam ibidem S. Paula tria fœminarum quibus præerat Monasteria, ædificavit, & unum virorum, quibus præerat S. Hieronymus. Hi omnes relicta Roma, & ejus deliciis, dicebant cum Pastoribus: *Transeamus in Bethleem. &c.* Dignum est audire S. Hieronymum in vita sanctæ Paulæ, ubi sic de ea disserit: Ingressa in Bethleem, & specum Salvatoris, ubi vidit sacrum Virginis diversorium, & stabulum in quo *bos cognovit possessorem, & asinus præsepe Domini sui*, ut impleretur illud ejusdem Prophetæ: *Beatus qui seminat super aquas, ubi bos & asinus calcant*: Me audiente jurabat cernere se oculis fidei infantem involutum, vagientem in præsepi, Magos adorantes, stellam fulgentem, Matrem Virginem. Nutricium sedulum, Pastores nocte venientes, ut viderent verbum quod factum est, Herodem sævientem, parvulos interfectos, Joseph & Mariam fugientes in Ægyptum, mixtisque gaudio lachrymis loquebatur: *Salve Bethleem domus panis, in qua natus est ille panis qui de cœlo descendit. Salve Ephrata Regio uberrima, cujus fertilitas Deus est.* De te vaticinatus est Micheas: *Et tu Bethleem nequaquam minima es in millibus Juda.* Bene vota de te faciebat David: *Si dedero somnum oculis meis, donec inveniam locum Domino tabernaculum Deo Iacob*; & mox quid desideraret, exposuit, oculis enim prophetalibus venturum esse cernebat quem venisse credimus, & dicebat: *Ecce audivimus eum in Ephrata.* Unde loquitur postea confidenter: *Introibimus & adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Et ego misera peccatrix digna judicata sum deosculari præsepe, in quo Dominus vagiit, & orare in spelunca in qua Virgo puerpera infantem fudit? Hæc requies mea, quia Domini mei patria est. hic habitabo, quoniam Salvator elegit eam. Paravi lucernam Christo meo, anima mea illi vivet, & semen meum serviet ipsi. Hactenus Paula apud S. Hieron.

Isai. 1.

Isai. 31.

Psal. 31.

Ad transitum in Bethleem, omnes invitamur.

Postremò: Transeamus & nos in Bethleem, quandoquidem illuc, in vitam ur à Jesu, à Maria, à Joseph, ab Angelis, à Pastoribus, ab omnibus qui illuc in spiritu transierunt. Illuc invitant nos lacrymæ infantis, fluentes de corde Jesu tamquam de fonte Salvatoris: ejus oculi tanquam duo canales invitant nos ad aquas salutis. Cor enim ejus intra viscera nostri liquescit amore, & ideo per oculos fluit in rivulos nobis salutares. Invitamur ad hauriendum de cisterna Bethleem juxta portam, cujus aquam tantoperè desiderabat David sitibundus & anhelus: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna Bethleem, quæ est juxta portam*, inquiebat ipse, respiciens lumine prophetico ad fontem hunc salutis oriundum ibidem in plenitudine temporis. Unde & in die Nativitatis Christi fons è rupe ibidem erupit, quem testatur Beda ad sua usque tempora perdurasse, & id quidem ad significationem fontis perennis gratiæ per Christum exhibiti, contra fontem corruptum Adæ, ex quo hausimus aquas turbidas culpæ & miseriæ. Transeamus igitur illuc, ubi non solum panis est vitæ, sed & aqua gratiæ, & dicamus: *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi; & conversus consolatus es me.* In quo cõsolatus? Quia dixisti, & omnib⁹ annũciari jussisti: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Deus meus es tu, confitebor tibi, & exaltabo te, *quia fecisti mirabilia, cogitationes fideles. Amen.* Et ubi melius confitebimur ei, quam in Bethleem terra Juda; id est terra confessionis, ubi eum confitentur & glorificant Angeli & cœli, Maria & Joseph. Pastoresque laudantes? Transeamus igitur illuc, quia solemne in sacrificium contribulibus nostris, ad quod invitat nos frater noster parvulus, ipse offerens, ipse victima, ipse Deus cui offertur. Præsepium est ara electa, ut solemne hoc sacrificium peragatur, in quo Dei Hominis corpus & sanguis, vita & anima offertur, ab illo qui ea pro nobis assumpsit. Hæc est Ara cœli, hæc Ara Primogeniti Dei, imo, *Ara Ignoti Dei*, quam Paulus Athenis reperit. Quis utique Deum agnosceret in panniculis, in fœno, in præsepio? Sed agnoscitur ab Angelis &

2. Reg. 23

Beda de locis sanctis, c. 8.

Isai. 12.

Isai. 25.

Act. 17.

Ibidem. Pastoribus, & adoratur in ara sua; jamque fit omnibus Deus in carne conspicuus, annunciantibus Angelis & hominibus, qui antea erat ignotus. Jam patescit quod *ipsius & genus sumus*, quia os ex ossibus nostris est, & caro de carne nostra.

Templi Bethleem spiritualis. Transeamus hac sacra die in Ecclesiam, & consideremus animo attento quæ in ea geruntur, inveniemusque ibi veram Bethleem, ibi renovatam cernemus de die in diem Filii Dei Nativitatem. Quid enim templum nostrum, nisi Domus panis, qui de cœlo descendit? Quid altare designat, nisi Præsepium? Quid hostia nisi Christum? Quid corporalia & lintea alia, nisi fascias & pannos involventes? Quid est vox Sacerdotis consecrantis, nisi virtus MARIÆ parientis? Eundem enim partum, eundem JESUM, idem corpus, eundem sanguinem substantialiter & essentialiter reproducit, & quodammodo parit. An non ibidem & Angeli adorantes? an non vox eorum repetitur: *Gloria in excelsis Deo?* An non ibidem lumina, claritatis divinæ indicia? Nos igitur ibi adsimus, instar Pastorum, laudantes & glorificantes Deum, agnoscentes divinum mysterium, offerentes Patri Filium Unigenitum, noviter hic genitum, ut per ejus virgineam carnem; per ejus pretiosum sanguinem sanctificari valeamus, & æternam gloriæ adipisci regenerationem.

EODEM FESTO.

Benedicite omnia opera Domini Domino, &c.
Dan. 3.

LECT. 5. Jubilus natalitius in 3. partes divisus.

PARS I. *Invitatur cœlum cum omnibus suis ad benedicendum Deo.*

ILlustres illi pueri Babylonis, cum Dei beneficentiam admirabilem mediis in flammis experti fuissent, ut gratitudinis affectum primum, & intimum cordis sui jubilum testarentur, invitant omnes creaturas, etiam inanimes, ad Dei laudem; eo quod tantæ beneficentiæ miraculosæ & testes fuerant & cooperatrices. Angeli enim, ignis, ventus, ac aliæ creaturæ illis obsequium præstiterant speciale, divinaid ordinante potentia & providentia. Eadem planè ratione possumus nos in mysterio mysteriorum ad divinam laudem creaturas omnes advocare cum speciali jubilo: quia omnes specialis hujus gaudii quod Christi Nativitas attulit, censeri possunt consortes, tum ob renovationem quâ per Christum expectant in Resurrectione; tum quod in hac unione humanæ naturæ ad Verbum omnes creaturæ censentur ad eamdem elevatæ: eo quod homo secundum aliquid participet cum omnibus creaturis, cui commune est intelligere cum Angelis, sentire cum animalibus, vivere cum plantis, esse cum rebus aliis inanimatis. Quo sensu quidam ab Apostolo dictum putant: *Proposuit Deus in Christo restaurare*, vel recapitulare *universa*, ut alibi latius explicuimus. Denique, cùm omnes creaturæ in aliquo mysterio Christi specialem cooperationem & ministerium exhibuisse inveniantur, meritò invitantur ad laudandâ divinâ potentiâ & bonitatem cum homine; qui se agnoscens insufficientem ad hanc divinam laudem adjuvari optat omnium Angelorum, omniumque creaturarum voce. Nam & illæ licet inanimes, mutuo tamen quodam eloquio divinam prædicant potentiam & sapientiam, non solum in sua creatione, sed & in hac per Christi adventum renovatione. Ideo etiam Psaltes eas convocat cum Angelis & filiis Sion, *Cantate*, inquit, *omnis terra, omnia ligna sylvarum, &c. quia venit, & notum fecit salutare suum.* Nos itaque iisdem vocibus quibus tres pueri cordis sui jubilum expresserunt, Natalitiam nostram jubilationem exprimere juvabit, & invitare omnes creaturas ad canticum & exultationem. Nam ultra homines & Angelos, cœlum & elementa quadam ratione Deum benedicere visa sunt, per specialia prodigia in eis facta in gratiam Nativitatis Christi; sive illa acciderint ipsa nocte Nativitatis, sive antea, aut postea.

V. Hort. Past. Tr. 3, Lect. 5.

Ps. 97. & 98.

Elementa prodigiis Christi Natalitia illustrarunt.

I.

Primo quidem, in cœlo visi sunt tres Soles, qui paulatim in unum coeuntes, unum solare corpus facti sunt; per quod innuebatur Trini & unius Dei notitia, quæ mundo oriebatur per Christum. De hoc prodigio mentionem facit S. Thomas 3. p. quæst. 26. art. 3. Item Sybilla dicitur ostendisse media die circa Solem aureum circulum, in quo Virgo cernebatur Infantē sinu gestans: voxque audita est: *Hæc est Ara Cœli.* Ita testatur Innocentius Illiscr. 2. de Nativ. ejusque rei Romæ adhuc extat memoria.

2. Secundò, ignis nocte Nativitatis dicitur exrinxisse omnes vitio sodomitico laborantes. Testis est S. Bonaventura lib. de festivitatibus pueri JESU.

3. Tertiò, Aer insolitâ claritate in nocte fulgidus, suo modo Deum benedixit. Stella quoque in eo producta de novo, Magos ducens, aerem quādam exultatione perfudisse censensa est.

4. Quartò, Aquæ elementum non sine prodigio fuit & benedictione, dum Romæ fons olei ex fonte aquæ erupit, in loco ubi modo est Ecclesia S. MARIÆ trans Tyberim. Fontem quoque è rupe Bethleem erupisse, testis est Beda de locis sanctis, c. 8.

5. Quinto, Elementum terræ quandam lætitiam & benedictionem prodidit, dum vineæ Engaddi ea nocte floruerunt, qua Christus natus est. Et, si credimus lustratoribus terræ sanctæ, adhuc nunc in Palæstina propè fontem Helisæi asserunt nasci rosas, quæ licet sint planè siccæ, in nocte tamen Nativitatis Christi sponte suâ paulatim se pandunt, & post eam noctem iterum se contrahunt. Testis est Bath. Saligniacus tom. 8. de scrip terræ S. cap. 6.

Omnes creaturæ hodie ad jubilandum Deo invocantur.

Aliis alia adjungunt prodigia, quæ licet fortè ut dixi, non omnia in die Nativitatis contigerint, sed antea, vel postea; tamen ad illustrandam illam Nativitatem, etiam prævisa fieri potuerunt. Unde merito ad laudem vocamus omnes creaturas in hoc sacro & benedicto die. Itaque cum tribus pueris exoj dimus.

Benedicite omnia opera Domini Domino quia ipse Dominus novo quodam modo fieri, dignatus est, & numerari inter opera sua, ut salvet primum opus suum. Factus est qui fecerat, ut salvus fieret qui perierat. *Laudate & superexaltate eum in sæcula*, quia dignatus est fieri incola hujus sæculi, ut fieret *Pater futuri sæculi*: ipse voluit servire sub hoc miserabili tempore, ut nos liberos redderet & beatos tota æternitate.

Cœli & Angeli. *Benedicite Angeli Domini Domino, benedicite cæli Domino.* Descendite, ô Cœli & Angeli, accedite ut adoretis Regem vestrum jam in terris humilem, qui è cœlis descendit propter hominem. O primogeniti filii Dei in cœlis creati, jubilate in filio æterni Patris, qui jam factus est filius hominis, filius pauperis Matris, O, virtutes Domini benedicite Domino, quia *Dominus virtutum nobiscum; Susceptor noster Deus Iacob*, qui nostram susciens naturam ut suam, in illa nos quoque specialiter suscipit ut suos. Hic est Deus Jacob, quem vidistis in scala mystica, quando ascendebatis & descendebatis. Jam per scalam & gradus assumptæ humanitatis ad nos descendit, ut per eandem ascendamus ad consortium usque divinitatis. Et vos igitur exultate nobiscum, ascendentes & descendentes super filium hominis per speciale ministerium in gratiam nostram.

Psal. 45.

Sol, Luna & Stellæ Cœli. *Benedicite Sol & Luna Domino, benedicite stellæ Cœli Domino.* Novus Sol ortus est, nova Luna nobis est generans Solem; novæ stellæ æternæ lucis consortes generabuntur, ut cœlo jugiter fixæ fulgeant in perpetuas æternitates. *Numera stellas Cæli si potes, sic erit & semen tuum*, dicebat quondam Deus Abrahæ. In filio Abrahæ jam orto novum semen multiplicabitur, cœlo instar stellarum inserendum, ideo benedicite Sol, Luna, & Stellæ, Et tu specialiter, ô stella nova Orientis, quæ Deum tuum agnovisti & prædicasti, semenque novum ei adduxisti. Benedicite Sol & Luna in illius ortu, in cujus debetis lugere occasu.

Gen. 15.

Imber, ros & spiritus Dei. *Benedicite omnis imber & vos Domino, benedicite omnes spiritus Dei Domino.* Utique benedicite, quia rorarunt cæli novum rorem, ut terra germinaret fructum suum. Benedicite, quia adest novus ille. Doctor justitiæ qui *descendere faciet imbrem matutinum & serotinum*, ut omnia ubertate repleantur. Benedicite, quia *sicut imber super herbam, sicut pluvia in vellus* descendit Dominus in virgineum uterum, & postmodum cœlesti isto rore deifico tota area, tota Ecclesia perfunditur. *Benedicite omnes spiritus Dei Domino*, hoc est omnes venti spirantes & perflantes Orbem, quia ecce Æolus vester, ecce is qui imperat ventis & mari, eosque tenet in manu sua, ut cum voluerit, fiat tranquillitas, aut tempestas. Denique benedicite, quia ecce is qui ubi vult, spirat, & peccati corruptum aërem efflans, gratiæ suæ suavem auram afflat.

Joël. 2. *Deut.* 32. *Psal.* 71. *Jud.* 6.

Ignis, & æstus, frigus, &c. *Benedicite ignis & æstus Domino, benedicite frigus & æstus Domino, Benedicite rores & pruina Domino, benedicite gelu & frigus Domino, benedicite glacies & nives Domino.* Ignis & æstus meritò illi benedicere debetis, qui novum ignem venit mittere in terram, & ardentem amoris æstum in cordibus accendere tepidis. Meritò quoque frigus & glacies illi debetis benedicere; quia incipit; mox ubi ortus est, frigus pro salute hominum tolerare, mox voluit pruinam & guttas noctium in præsepio persentiscere. Postmodum æstum etiam experiri volet, & quodammodo illum sicut & frigus in corpore suo sanctificare, dum æstu fatigatus jacebit sitiens apud puteum Samaritanæ.

Nox. dies, lux & tenebræ. *Benedicite noctes & dies Domino, benedicite lux & tenebræ Domino.* Vos quasi alternis choris & choreis gloriam ejus decantate, qui in media nocte exoriens de tenebris dixit lucem splendescere. O nos fœcunda mysteriis, & filiis Dei celebris in finè usque sæculi, cujus memoriam recolentes, media nocte surgent ad confitendum Domino, & effundendum cor suum coram illo; O nox nobis fœlix. Deo se nobis Ducem exhibente in columna ignis, hoc est in luce divinitatis! O dies nobis fœlix, Deo se nobis Ducem exhibente in columna nubis, in roscidâ & umbrosâ nube humanitatis! Sic nimirùm divina sapientia omnia temperavit, ne & nimiâ luce excæcaremur, & tamen divinitatis fulgore umbrâ carnis nostræ vestito illuminaremur, duceremur, protegeremur. Ergo & vos, *ô fulgura & nubes benedicite Domino*, dum divinitatis ignem fulgurantem nubes vestit humanitatis. Ecce enim Dominus *ascendit super nubem levem, & ingreditur Ægyptum* nostram tenebrosam, tenebras fugaturus, per rimas assumptæ carnis Deitatis luce instar fulguris coruscante. *Benedicite fulgura & nubes Domino*, quia ejus mysteriis estis cooperaturæ in ejus Baptismo, Transfiguratione, Ascensione.

Fulgura & nubes. *Isai.* 19.

PARS II.

Terra & aqua ad benedicendum Deum producit.

Terra. *Montes & colles.*

Benedicat terra Dominum, quia terra nostra dedit fructum suum, aperta est, & germinavit Salvatorem nostrum: Benedicat terra Dominum, attactu infantis hujus divini in ejus partu sanctificanda, ejus vestigiis sacris insignienda, ejus tandem sanguine consecranda, ejus corpore in sepulchro quadam ratione deificanda. *Benedicite montes, & colles Domino*, quia ecce venit saliens in montibus, transiliens colles de Nazareth in Bethleem proficiscens, montibus & collibus, & omnibus germinibus ejus benedicens. O montes & colles benedicite illum jam natum, quem mox videbitis per vos fugientem in ægyptum, postea videbitis in verticibus vestris orantem, docentem, transfigurantem se, ascendentem, & alia sua mysteria operantem. Benedicite ligna germinantia in terra Domino, cui primum lectulum exhibuistis in præsepio, cui & thronum exhibebitis & sceptrum, quando regnabit à ligno.

Fontes. *Benedicite fontes Domino*: En fons olei in nobis ortus, fons salutis & unctionis, fons patens domui David, fons ascendens & exundans in medio Paradisi, ut omnes accedant, hauriant, bibant, & in æternum non sitiant. En fons Bethleemicus,

fons mysticus, ab illo designatus, qui ea nocte quâ natus est Dominus, è rupe Bethlemitica est enatus. Ab illo quoque qui Romæ trans Tyberim fudit oleum toto die. Benedicite fontes Domino, quia de vobis haurire & bibere dignabitur Dominus, agens iter hujus vitæ: dignabitur & aquam vestram primo suo miraculo in vinum convertere, sicque vos honorare. Dignabitur denique lavandis discipulorum pedibus fluenta vestra impendere in fine vitæ. *Benedicite maria & flumina Domino*, quia jam nobis ille natus est, qui *dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad fines orbis terræ*. A flumine Jordanis (illius fluentis Baptistæ manu perfusus) inchoabit Dominium quoddã spirituale, per aquam propagandum in fines orbis terræ, usque in sæculum sæculi per durante sacro baptismate. Benedicite igitur flumina & aquæ omnes Domino, ab illo sanctificandi vim habentes. *Benedicite cete & omnia quæ moventur in aquis Domino*. Ecce natus est nobis ille qui in Jona quem vivum reddidistis, figuratus fuit. Ecce, ô pisces maris, is qui ab initio vobis benedixit, cui & in cibum servietis, & didragma miraculosè solvetis. Quandoquidem igitur is tot modis & toties vobis benedixit, vos quoque illi benedicite, & in ejus adventu exultate.

Maria & flumina.

Cete & quæ in aquis sunt.

Benedicite omnes volucres Cœli Domino, quia ecce in hac Nativitate sua, Dominus dignatur esse velut *Passer solitarius in tecto*, velut *Nycticorax in domicilio*. Apud illum in stabulo Bethleemitico passer spiritualis inveniet domum, & Turtur nidum sibi ubi ponat pullos suos, ubi pias suas cogitationes & affectus collocet. *Benedicite omnes volucres Cœli Domino*, quia Dominus per Nativitatem terrenam, assumpto corpore & sanguine similis Pellicano factus est, pullos suos proprio vivificaturus & nutriturus cruore. Similis factus est & Aquilæ, *provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, assumens eos in humeris*, ut *Dux eis sit* in sublime, & ut ad perfectionem doceat eos evolare. Benedicite omnes volucres Cœli Domino, & cum columba ejus adventui congratulantes, super illum descendite; benedicite illum, ab illo olim benedictæ. Benedicite volucres cœli Domino, quia pro eo in die Præsentationis suæ in templo estis offerendæ.

Volucres Cœli.

Ps. 101.

Deut. 32.

Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino, & cognoscite possessorem vestrum, & præsepe Domini vestri cum bove & asino. Benedicite omnes Agni Domino, quia ecce venit Agnus Dux gregis pro salute totius gregis immolandus: Ecce enim Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Benedicite cervi Domino, quia ecce *Hinnulus cervorum qui velocissimè ascendet super montes Bethel*, invitans omnes ad currendum, & de aquis salutiferis bibendum, in quibus cornu suum intinget, ut nullum sit veneni periculum. Benedicite nobiscum Leones nemorũ Domino, quia advenit *Leo de tribu Iuda, Radix David*, ut vincat & aperiat librum mysticum ejusque signacula dissolvat, & quid liber contineatur nobis aperiat.

Bestiæ & pecora.

Cant. 5.

BEnedicite *filii hominum Domino*, quia Dominus dignatus est fieri filius hominis, qui Filius erat Dei vivi. Et propter hoc vult Filius hominis fieri terrena generatione, ut vos fiatis Filii Dei æterna nativitate. O filii hominum, benedicite Dominum, quandoquidem ipse dicat: *Delicia mea esse cum filiis hominum*. O filii hominum, usque quo gravi corde? Usquequò cor ad terrena deprimitis, quandoquidem Filius Dei ad hoc venit, ut illud ad cœlestia erigatis? O filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium, quandoquidem Filius Dei ad hoc venerit, ut vos doceat veritatem, & in supernis solidum quærere bonum? Benedicite igitur filii hominum Domino, quia Pater benedixit vos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo suo, in filio suo benedicto. Benedicite Domino, & toto corde dicite: *Benedictus qui venit in nomine Domini*.

Pars III. *Homines & animæ justorum ad jubilandum Deo provocantur.* *Ps.* 4.

Eph. 1.

Benedicat Israël Dominum laudet & superexaltet eum in sæcula. O veri Israëlitæ, quærentes Dominum, quærentes faciem Dei Jacob, jam accepistis benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari vestro; ideo illum benedicite, illum laudate, illum superexaltate; & quidem in sæcula, quia in sæculorum sæcula manet benedictio ejus. Jam datur vobis cum Jacob posse in hac nocte cum eo usque mane luctari, & invalescere, & benedictionem perennem impetrare. Jam datur unicuique cum Jacob Israël nominari, hoc est, videns Deum. Potestis enim dicere cum ipso: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea*. Ecce enim ejus facies in carne infantili amabilis, salutem omnibus afferens, cernendam se piis omnibus offerens; quæ olim erat terribilis; quia omnes terrens, & mortem impiis inferens. Adesto igitur, ô Israël, & in hac domo Bethleemitica benedic, & adora Dominum vagientem, quem metuebas in domo sua æterna fulgurantem. O Israël, *quàm magna est domus Domini, & ingens locus possessionis ejus*, dicebat olim Propheta. At hodie tibi dicimus: O Israël, quam parva est domus Domini, quam exiguus locus possessionis ejus! Non est ei domus aut tectum, nisi spelunca in rupe; non est ei locus in diversorio; non habet aliud ubi tenellum corpusculum quiescat; nisi præsepium commune; *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Sed hic propter te, ô Israël, vult humiliari, ergo illum benedicere debes, & superexaltare.

Eph. 1. *Israël.* *Psal.* 23.

Gen. 32.

Baruc. 3.

Luc. 9.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino. benedicite servi Domini Domino Venite, & videte ô Sacerdotes, summum Sacerdotem stolâ candidâ nostræ humanitatis indutum, sui sacrificii primitias immolantem, seipsum in hostiam vivam, sanctam, beneplacentem, Deo & Patri offerentem. Considerate præsepium, tamquam aram primam hujus sacrificii

Sacerdotes & servi Domini.

fcii matutini, in qua Agnus virgineo vellere amictus offertur, Agnus qui tollit peccata mundi, qui etiam simul est victima & Sacerdos, sacrificans & sacrificium. Et quidem hoc sacrificium, quod perfecti est holocaustum amoris, sufficiens erat ad reconciliationem totius mundi; sed vult illud perficere & consummare in Cruce, ut sit copiosa apud eum redemptio. Interim in hac voluntate, qua se in mundum veniens patri pro nobis obtulit, sanctificati sumus. Benedicite igitur Sacerdotes, benedicite omnes servi Domini, quia natus est vobis Christus, unctus ut Rex, ut Propheta, ut Sacerdos; & cum ipse omnium sit Dominus, vos servi ejus speciale obsequium servitutis offerte cum exultatione; *Servite ei in timore, & exultate ei cum tremore*, adorantes, benedicentes, glorificantes cum Angelis, cum Magis, cum Pastoribus, cum Simeone Sacerdote. Benedicite quoque cum Zacharia, & dicite: *Benedictus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.*

Psal. 2.

Luc. 1.

Spiritus & animæ justorum.

Benedicite spiritus & animæ Iustorum Domino. Non solum spiritus & animæ corpori conjunctæ, sed & spiritus & animæ à corpore separatæ, in limbo vel purgatorio carcere detentæ Dominum glorificate, venientem ut vos è tenebris liberet, & è carcere. En in præsepio fasciis colligatur, ut omnia vincula dissolvat; vobis ergo specialis gaudii seges est, quia jam libertati appropinquatis & lumini, qui in tenebris & umbra mortis sedebatis vinEccl. 24. cti. Etenim *penetrabit omnes inferiores partes terræ, & inspiciet omnes dormientes, & illuminabit omnes*

Isai. 49. *sperantes in Domino.* Atque etiam de eo dicit Pater æternus: *Dedi te in fœdus populis, ut suscitares terram, & diceres his qui vincti sunt: Exite; & his qui in tenebris: Revelamini.*

Sancti & humiles corde.

Benedicite etiam omnes Sancti & humiles corde Domino, quia adest in medio vestri Sanctus Israel, qui amat cordis puritatem & sanctitatem, amat & sanctitati confœderatam cordis humilitatem. Unde seipsum in præsepio ostendit perfectissimum exemplar humilitatis & puritatis, ut illuc omnes

Matt. 11. accedant, & primam ejus vocem audiant: *Discite à*

Matt. 5. *me, quia mitis sum & humilis corde.* Beati mundo corde, quoniam sic ipsi Deum videbunt. *Pellucet enim divinitas per humanum corpus, perinde ac lux quædam per vitream capsulam, eos illuminans, qui oculos cordis mundos habent*, inquit Basilius hom. de Nativ.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula. Utique benedicite & laudate Christum hodie nobis natum, vobis olim associatum in fornace in medio flammæ, ut vos liberaret ab adustione & nece. Hinc enim visus est ab ipso Rege obstupescente; & optimatibus suis dicente: *Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis Filio Dei.* Quis alius ille quartus similis Filio Dei, nisi ipse Christus Liberator & Salvator, qui jam tum ante sumptam naturâ humanam ejus similitudinem induerat, & se quodammodo ad futurum Redemptoris officium exercebat? An non ergo meritò, o tres pueri, benedicere & laudare debetis Liberatorem & Salvatorem vestrum, & præire tres Pastores, præire tres Reges in hac laude? Equidem benedicite, & nos ad benedicendum illi adjuvate, ut in hac Babylone, in hoc camino ignis & confusionis, ab ardore concupiscentiæ nos protegat, qui ad nostram descendere dignatus est Babylonem.

Sic docent alii SS. Patres tribus.

Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu, laudemus, & superexaltemus eum in sæcula. Benedicamus Patrem, quia *sic dilexit mundum, ut filium*

Ioan. 3. *suum unigenitum daret.* Benedicamus Filium, quia venit *non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Benedicamus Spiritum sanctum, quia per Christi ortum ejus gratia in nos abundè est effusa. Per sacram enim ejus Nativitatem adepti sumus spiritum adoptionis, *in quo clamemus. Abba*

Rom. 8. *Pater, hæredes Dei, cohæredes Christi.* participes spiritus divini. Benedicamus ergo Patrem, tamquam ejus filii; benedicamus filium JESUM, tamquam ejus fratres; benedicamus Spiritum sanctum, tamquam communicationem cum eo habentes. Benedicamus Patrem, tamquam ab ipso benedicti, benedicamus Filium, tamquam in ipso benedicti; benedicamus Spiritum sanctum, tamquam per ipsum benedicti. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula, qui propter nos fecit sæcula, qui est super omnia sæcula, qui sperare nos jubet in se in sempiterna usque sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli, & laudabilis & gloriosus & superexaltatus in sæcula. Equidem Domine sis benedictus in firmamento cœli, in loco æternæ habitationis tuæ, in regno potentiæ tuæ, in sceptro divinitatis tuæ, in throno majestatis tuæ, in templo gloriæ tuæ, in propitiatorio sanctitatis tuæ: *Tu enim in sancto habitas laus*

Psal. 21. *Israël.* Verùm etiam sis benedictus in terra peregrinationis tuæ, in domicilio humilitatis tuæ, in throno paupertatis tuæ, in templo humanitatis tuæ in arca sanctificationis tuæ, in propitiatorio benignitatis tuæ, in diademate mortalitatis tuæ, in sceptro Crucis. Benedictus sis in Bethleemica spelunca, in flabello, in præsepio, in matris gremio in infantili involucro. Ibi usque in sæcula benedicat te cœlum cum suis Angelis, ignis & aër cum omnibus suis meteoris & volucribus, terra cum suis germinibus & pecoribus incolis, aqua cum suis piscibus, filii hominum cum omnibus Sanctis & Justis. Et quantumlibet te benedicere & laudare conetur omnis tua creatura, agnoscat te superlaudabilem & superglorioſum, quia laus tua tu es, gloria tua tu solus es, qui dignaris esse laus nostra & gloria nostra in sæculorum sæcula.

Exempll.

MEmoria æterna dignum est, quod Diocletiani tyranni tempore accidisse refert Nicephorus Nicomediæ. Cum Natalis Domini dies fe-

Niceph. l. 7. cap. 6. Martyrolog. in die Nativ.

stus adesset, non obstantibus Tyranni edictis & minis, ad benedicendum Domino Christiani sancti & humiles corde turmatim in templum concurrebant, pueri scil. Jesu laudes decantaturi cum Angelis, & Pastoribus. Et rantus eorum fuit numerus, ut viginti millia in templo à Tyranno conclusa fuerint. Qui quidem omnes, immisso in eum locum ab impijs igne, maluerunt conflagrare, quam tantillum à Christianæ fidei stabilitate laudibusq; divinis deflectere. Atque ipsi poterant dicere idem quod pueri Babylonici. *Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi quia Deos tuos non colimus.* Ambulabant ergo & hi in medio flammæ laudentes & benedicentes Dominum, suorumq; corporum velut incensum & holocaustum odoriferum offerebant in igne, in honorem pueri Jesu nati, ab ipso mox coronati: De his Martyrol. Roman. sic habet: *Nicomediæ passio multorum millium Martyrum qui cum in Christi Natali ad Dominicum convenissent, Diocletianus Imp. jam ad Ecclesiæ claudi jussit, & ignem circumcirca parari, tripodemq; cum thure præ foribus poni, ac præonem inclamare, ut qui incendium vellent effugere, foras exirent, & Jovi thus adolerent. Cumq; omnes una voce respondissent, se libentius pro Christo mori, igne consumpti, eo die nasci meruerunt in Cælo, quo Christus pro salute mundi nasci dignatus est.*

DIE CIRCVMCISIONIS DOMINI

LECTIO V.

Thema. *Visitavit nos Sol Oriens ex alto*, &c.

Prol. die anni explicatur hic xenium Christo offerendum, Heliotropium, sive flos Solis. Diversa arbores diversis Dijs dicata.

SOliti fuere Gentiles offerre Dijs suis variarum arborum vel fruticum frondes & ramos, in specialis honoris significationem, quasi Dij specialiter arbores illas sibi dicatas gratasq; haberent. Sic Jovi ramos æsculi offerebant, quæ est arbor glandifera instar quercus, cujus fructu homines in primæva ætate vescebantur. Minervæ dicabant ramos olivæ, Veneri offerebant myrrhum, Baccho hæderam vel pampinos, Herculi ramos populeos, Apollini, sive Soli, ut antea diximus, sacrificabant cum ramis lauri. Hisce coronabant sua tempora, & victimas, ac idola sua, sive aras, dum sacrificantes accederent, immò & ipsos astantes. christus porro in hunc mundum veniens omnes hos Deos Deasq; exclusit, verus ipse Deus, cui cœlum & terra, omniaq; obediunt elementa. Quapropter si terra flores, frondes, fructices & arbores producit, ipsi producit, quem suum agnoscit Auctorem & Creatorem. Hinc etiam in gratiam Nativitatis suæ nonnulla edita sunt miracula in floribus & fructibus terræ. Audi ex illis pauca

Mirabilia in floribus & fructibus edita in gratiam Nativitatis Christi.

Refert Bartholomæus, Salegmacus, Adrichomius, & alij terræ Sanctæ descriptores & Justratores prope fontem Jericho, quem ex salso dulcem reddidit Elisæus in spinosis arboribus pulcherrimos nasci flores, quas Rosas Jerichuntinas vocant: illasque id habere gratiæ, ut nocte Natalis Domini sese aperiant & pandant sponte sua, & post eam noctem iterum se contrahant & concludant, licet siccæ sint & aridæ: idq; videtur fieri in testimonium Virginei partus, inquit Adrichomius. A multis etiam traditur, quod ea nocte qua Christus natus est, Vineæ Engaddi floruerint. Certè B. Virgo comparatur. *Plantationi Rosæ in Iericho*, & Christus *Botro Cypri in vineis Engaddi*, in Cantico Canticorum.

4. Reg. 6.

Eccli. 24. Cant. 1.

Refert quoq; Joannes Nider Ord. Præd. Vir eruditus & fide dignus, prope civitatem Nurembergensem in Germania in Diœcesi Bambergensi crevisse, & multis annis in vigore permansisse arborem poma instar aliarum in autumno ferentè; sed & annuatim in media hyeme, in sanctissima nocte Nativitatis Christi, parvula poma germinabat; & quidem miro prodigio, nec antea nec postea id cõtingebat. Solebantq; ex civitate Nurẽbergensi plures advenire, & tota nocte vigilare, ut rei veritatem comprobarent. Addit: *Vidi & ego præsentari in oppido Forchem unum ex illu poma Generali nostro Ord. Prædic. Bartholomæo Texerij* Hæc ipse.

Dicit vero ostentum illud patratum fuisse annue ob Nativitatem Christi, quando Virgo salva integritate germinavit Filium; ideoq; illo prodigio probatam fuisse Virginitatem Deiparæ, quam tũc aliqui hæretici impugnabant, & blasphemijs impetebant.

Notum est & de B. F. Ægidio S. Francisci socio, tertiò terram baculo suo percutiente, & tria lilia educente, ad ostendendum quomodo tamquam lilium purissimum Christus natus sit, Maria ante partum, post partum, in partu, Virgine permanente.

Itaque Christo recens nato, in pij animi piæque fidei symbolum possemus præsentare ramos Palmæ & Olivæ cum filijs Israel inclamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Offerre possemus & Rosas & Lilia, & Vineæ flores, & fructus pomorum; quia & ipse dicit: *Fulcite me floribus stipate me malis, quia amore langueo.* Sed quoniam cum sub nomine Solis orientis describimus, quid melius conveniens usque ei obtulerimus, quam Heliotropium, sive Florem Solis, quandoquidem ab eo nomen sortitur, & ei ex nativa sua conditione dicatus jam videtur?

Cant. 2.

Certè cuncti Flores & Plantæ Soli debent suum vigorem; quia ab eius luce & calore vitam habent vegetativam, virorem quoque & speciem. Attamẽ hic Flos specialiter FLOS SOLIS nominatur, quia ad id oriri videtur, ut illũ respiciat, & motu continuo intueatur, quasi illum venerans, illique homagium quoddam mutum faciens. Certe, si Elephas Animal Lunæ vocari potest, quia singulis novilunijs genua flectens ad illam se vertit, illamque fixè intuetur: Si etiam Aquila dicitur ALES SOLIS, quia ad illum intuendum teneros instruit pullos suos, & unguc ad Solem eos suspendens, si acie palpitaverint, tamquã adulterinos abjicit. Multò majori ra-

tio-

tione Heliotropium Florem, Solis Florem nominamus, quandoquidem ab ortu usq; ad occasum ad Solis radios semper est intentus, ad illos se vertit & gyrat, ad illius nutum se videtur velle ex toto cõponere, illiq; soli placere, illum sequi, illum imitari nititur, dum illo oriente se aperit, dumq; illo occidente se claudit. Per nubilam etiam auram, quo ad potest, Solem sic respicit, quasi cum eo vivere, cum eo mori peroptans. Et licet in nubilo Sol sese videatur abscondere, illi tamen aureos suos flosculos ostentat, quasi nolens florere nisi sub ejus auspicijs, ut jucundius lætiusque floreat.

Baptista Ferarius Orat. 25. Cornel. in 24. Eccli. v. 18.

Est & Rosæ, quam Chinensem Rosam vocant, magna cum Sole symbolisatio, & affinitas, seu cõformitas. Hanc sic quidam describit: Videas frondibus, magnitudine ac formâ Pampinos imitantibus, eam convestitam, è smaragdino dehiscentis calicis concavi multiplici foliorum symmate regaliter explicato, in publicam lucem prodire, lucis ipsius formosa discrimina sic æmulantem quotidie ut initio quidem candidam, deinde ex candida rubentem, postremò saturo colore purpuream, hoc est simul aliam, simul eamdem admireris, & quotidiani miraculi novitate fateri cogaris, ad Florum Reginam, quæ tamquam Sol variæ fuco lucis diem coloret, colorum Principes vicissim accederet tributarios.

Heliotropii symbolum animæ pis vel religiosæ.

Cæterum dicamus Heliotropium, qui Filius Solis antonomasticè nominatur, pulchrum esse symbolum animæ piæ vel religiosæ, quæ in Ecclesiæ Hortulo, vel Religionis Areola, ad hoc plantata est & radicatâ, ut sit Flos Solis Æterni, hoc est Jesu Christi, ab eo radicem, incrementum, virorem, rorem, aureumque colorem radiantem accipiens. Illi ergo omnia hæc accepta debet referre. Explicemꝰ id in particulari & practice.

Primo quidem illum suum Solem debet continuò intueri, omnia vota, desideria, intentiones, cogitationes, affectus, exercitia ad eum dirigendo, & in ejus gloriam ordinando.

Secundo specialiter agnoscere debet se ab illo omnia bona donaq; de die in diem recipere, & propterea nihil sibi illorum debet attribuere tamquam suum; sicut nec radicem, nec incrementum, nec virorem aut speciem sibi Frutex aut Flos attribuit, sed cælesti rori & Solis calori, ad cujus aspectum exurgit in altum & verticem exigit, quasi gratias illi agens. Sic inspirationes, irrogationes, illustrationes non sibi attribuat quispiam, sed Cælo & Soli Terram cordis nostri aridam & algidam fœcundãti, ut germen suum & florem vernantem in sublime proferat, & inferne irrigata & calefacta, superne proficiat in decorem.

Tertiò anima verè pia & religiosa, ceu Flos, Soli suo æterno solum debet placere, illumque solum adorare, illi homagium facere, illi ex intimo dicere: *Quæ ei placita sunt facio semper*; sicut ipse Christus dicebat de Patre. Quapropter nomen ejus debet esse Nomen illud novum, quod os Domini nominavit, VOLUNTAS MEA IN EA. Et secundum nomen illud, quasi fronti & cordi insculptum, se interius & exterius debet gerere, ut possit etiam illud dicere: *in capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam. Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei* Dicat ergo anima religiosa: Ideo veni, Domine, & Religioni me addixi, ut tuam adimpleam voluntatem, renuncians propriæ meæ inclinationi & cupidini; illustra igitur & confirma me luce tuâ & amore, ut tuum beneplacitum in omnibus possim agnoscere & perficere. Sic S. Gertrudis trecentis vicibus illud repetebat: *Non mea sed tua voluntas fiat Domine.* Sicq; floridum conficiebat Rosarium ex Rosis & Floribus solaribus, illios venustans aureo decore perfectæ resignationis.

Quartò debet se semper convertere ad radios Solis sui. Hi Radij sunt, humilitas, benignitas, castitas, charitas, puritas, obedientia, zelus, temperantia, sapientia, pietas & sanctitas, quæ ab ejus ortu usque ad occasum mirè in ipso effulserunt, & intuentes se, etiamnum mirè exhilarant & illustrant. Hos radios lucidissimos debet mens pia & religiosa ab hoc Sole cum luce sua mutuare, & non solum aliquo exiguo tempore, sed continuò ad mortem usque & occasum in illis perseverare, suum imitando Solem: *Gloria magna est sequi Dominum*, ait Sapiens. *Qui sequitur me non ambulat in tenebris vitæ, inquit Sol ipse.* Ac sicut Heliotropium flores suos ipsi tantummodò Soli expandit, sic decet desiderium & affectuum sanctorum folia & frondes expandere non vento vanitatis, sed luci veritatis, nec inconstanti Lunæ sæculi sese variantis, sed Soli stabili æternitatis, ut feliciter & jucunde floreant sub ejus auspicijs, & eos deauret auro lucido perfectæ charitatis. *Eccli. 27. Ioann. 8.*

Quinto. Quandoquidem Christus Sol noster est oportet per omnia ei conformari. Oportet cum illo nasci, circumcidi, in templo offerri, Ægyptum adire, Nazareth & Jerusalem sæpe venire, & cum ipso puero pure conversari, divinitatisque radios jam spargere, inchoantem pie contemplari. Oportet cum ipso lavari in baptismate, columbam descendentem suscipere, vocem Patris audire, & illi obedire. Oportet cum ipso jejunare, vigilare, orare, transfigurari in monte, prædicationisque & doctrinæ laboribus continuo interesse, & fructum ex illis elicere. Oportet cum ipso cœnam instituere, paschа magno desiderio manducare, divinas laudes canere, ad mortem sese disponere, & ad Patris æterni voluntatem consummandam sese offerre. Oportet cum ipso humiliare se, tristari, pati, crucifigi, spini scoronari, & libenter commori ac sepeliri. Oportet cum ipso rursus novo Oriente renasci & resurgere, quæ sursum sunt, quærere & sapere, de regno Dei tractare, ascendere, & in cœlestibus jam mente considere. Hæc sunt itinera Solis nostri, hæc vestigia quibus insistere oportet, sociamque & comitem se jungere. Hic est circulus annuus, quem oportet meditatione cordis seriâ, & pio

exer-

exercitio mentis continuò percurrere. Hunc nobis proponit circulum & curriculum Ecclesia, de die in diem, de anno in annum, variis festivitatibus varia repræsentans vitæ ac mortis Christi mysteria, mentis nostræ oculis contemplanda & cordis labijs ruminanda. Sic vult ut hunc Solem nostrum in cordis nostri meditullio imprimamus velut in speculo, & moribus quoad fieri potest exprimamus illum imitando. Vult ut coram facie eius semper nos sistamus, cum illo volvamur continuâ & perseverante pietatis revolutione, nec mentis oculos unquam ab eo deflectamus, sed semper de nobis verum sit: *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea faciem tuam Domine requiram* Sic verè FLOS SOLIS efficietur Mens nostra. *Psal. 26.*

Hæc debet esse professio vestra, ô Christianæ & Religiosæ animæ, quam initio anni sese renovantis oportet sedulâ & ferventi mente renovare, proposito stabili recenter firmare, & perseveranter tenere, quasi jam cum vestro Sole oriremini de novo, ut cum illo oculos claudatis in morte. Hunc ergo FLOREM SOLIS à me vobis propositum, & in Xenium ac Strenam oblatum in conclave vestrum vobiscũ reportate, ut in illo quasi in Speculo vos valeatis intueri, & quid sit muneris vestri plenius agnoscere. Attendite, an sicut ille radicem habeatis, crescatis, floreatis, vigore Solis vos respicientis, & intuitu suo vos adjuvantis, corroborantis, exornantis. Videte an etiam correspõdenter eum fixo intuitu respiciatis intentione sincera, cogitatione pia, eloquio recto, devotione continua. Attendite, an sequi eum jugiter desideretis, etiam per nubilum radios ejus requirendo & sectando, & illi ex integro se conformando. An vivere sub illo, & mori cum illo, ad ejusque nutum omnia peragere, & cum illo in gyrum verti & reverti, quandocunque & quomodocunque sit vestra resolutio & firma animi sententia.

Felix anima quæ dicere potest Christo in sinceritate & veritate: Tu es tuncus Sol meus, lux mea, claritas & splendor meus. Tu es unicum objectum amoris mei, subjectum laudis meæ, centrum cordis mei, ad te omnia mea desideria, omnes affectus mei tendunt. Ad radios tuos aureos & purpureos continuo adspicit oculus mentis meæ, quia sine te in tenebris ago in caligine, in nubilo, dum autem ades tota sum in luce & jubilo. Tu es spes & fiducia honor & gloria mea, divitiæ & possessio mea, possessio & hæreditas, fruitio & voluptas. Tu pax, quies & tranquillitas mea, totumq; bonum & oblectamentum, illuminans me à Montibus æternis: ut tandem perfectè videam te Lumen in Lumine.

Opiæ & religiosæ animæ, si sincerum fovetis affectum erga Jesum Christum qui per viscera misericordiæ suæ visitavit vos Oriens ex alto, hæc ei non tam oris apertione, quam cordis profusione pronunciandæ sunt, ejus luci omnes in intimis penetralibus fenestras cum jubilo expandendo. Rogate ergo quam humillimè & affectuosissimè his anni auspicijs, ut Sol ille vester plantet FLOREM suũ aureum in medio cordis vestri, & spargat Lucem suam amabilem nimis, qua vos illustret, afficiat, accendat novo fervore, ad soli illi placendum. Rogate id per viscera illa misericordiæ, in quibus oritur ex alto, per Incarnationem ejus sanctam, per Nativitatem amorosam, per Infantiam puram & lucidam, per Circumcisionem purpuream, per rorem sanguineum, per omne quod ei pretiosum esse potest & acceptum in suo ad nos adventu luminoso.

Ita, ô Christe Jesu, qui Dominus & Deus noster es, Sponsusq; animarum speciosissimus, instar Solis procedens de Thalamo & Solio tuo Virgineo, miserias nostras dispelle, & consolare splendidissimis tuis radijs, nostrasq; dissipa funestas & tristes tenebras. Esto nobis unicus Sol, unicum gaudium, & lætitia cordis nostri, unica possessio & opulentia, unicus honor & gloria, unicum & totum bonum in hoc & futuro sæculo. Effice ut simus instar FLORIS AMABILIS à te plantati per te crescentis, in te florescentis, tecum orientis, tecum morientis, semper fixo intuitu te respicientis, & ad te toto desiderio & affectu tendentis, ut possimus sincerè & verè illud pronunciare: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ille me illustrat, ille me respicit, ille dirigit & gyrat ut Sol meus: ego quoq; illum respicio, illi, intendo, illius voluntati servio, illius gloriæ studio, illi gratias continuò ago, illi omne bonum meum acceptum refero. Ita fiat per te in nobis, ô Sol noster amantissime, qui æterno dignus es amore: gratiæ tuę beneficentissimam lucem numquam à nobis subtrahe, sed illam adauge, ut feliciter ineuntem annum quasi coronam benignitatis tuæ valeamus te benedicente inchoare, ac felicius finire, tandemq; ad lucem indeficientem beatæ æternitatis tuæ pertingere.

OMnes electæ animæ in hunc Solem fuere intentæ, & illi familiares, ac in ejus contemplationem quandoque absorptæ. Audi specialiter de S. Lutgarde, de qua sic scribit Thomas à Cantipratо, olim Suffraganeus Cameracensis, & hujus Virginis Confessarius: Interroganti cuidam amico spirituali cujusmodi Christi faciem videret in contemplatione, respondit: *in momento apparet mihi splendor inæstimabilis, & instar fulguris video ineffabilem ejus glorificationu pulchritudinem, quæ nisi raptum subduceretur ab aspectu contemplationu mea, mortalis hujus vitæ imbecillitas eam ferre nullo modo posset. Post eum autem fulgorem manet splendor intellectualis, & cum illo quæro eum, quem rapiti in videram, sed non invenio.* Itaq; dicebat oculos Christi tam ineffabili coruscare splendore, ut si splendor ille Solis luminis infunderetur, in infinitum amplius ille Solem obscuraret; quam Solis radij stellaru lumen obtegant. Religiosus quidam Sacerdos scire cupiebat, quid sibi vellent illa verba: *Pulchriores sunt oculi ejus vino.* Vidit ergo in sacro calice, divina mysteria celebrans. Christi faciem ejusque oculos tanto lumine radiantes, ut mundum universum, Exempl.

etiam

etiam in mediis tenebris, longe uberius quàm vel mille Soles possent illustrare. Nec facile credi posset, quanto ardserit Lutgardis Christum videndi desiderio. Hæc Cantipratanus, secretorum Lutgardis conscius. Vide Surium Iunii 16.

Lec. 7. tripartita

De Circumcisione Domini.

Postquam consummati sunt dies octo, &c.
Luc. 2.

Pars I. *De Circumcisionu præcepto, & an Christum obligarit. Cur hæc dies sit celebru.*

HOdiernus dies nobis celebris esse debet multiplici titulo. 1. Quia rememorat festivæ Nativitatis diem octavum, estque gaudii ex illa exorti velut complementum. 2. Quia novi anni primum nobis diem initiat, quem fœlici & sacro auspicio inire debemus. 3. Quia circumsione Domini & primâ sanguinis ejus effusione consecratus est. 4. Denique, quia divinissimi nominis IESV impositione cœlo & terra est fulgidus. Fœlix quidem dies iste, sed partim dolore, partim gaudio mixtus: Dolor patescit in carnis vulnere & circumcisione, in sanguinis cruenta effusione: gaudium se miscet in redemptionis initiatione, & glorioso Salvatoris nomine. Nullum diem Christus hac in vita habere voluit adeò lætum & suavem, quin aliquid amaritudinis admiscuerit & doloris, ut & aliunde etiam nos non promitteremus hic nobis. Si lætus est dies Nativitatis ejus, cœlesti luce promicante, & Angelica harmonia resonante, lacrymis tamen mixtus est & vagitibus, frigore & paupertate tædiosus. Si lætus est dies adorationis ejus, Magis advenientibus cum thesauris; mirrha tamen cum donis mixta est, amaritudinis symbolum & memoriale mortis. Si lætus est dies oblationis in templo, attamen Simeon lætitiæ admiscet prædictionem gladii doloris. Si lætus est dies Transfigurationis, specimen exhibens beatitudinis, & gloriæ; Moyses tamen & Elias loquebatur cum eo de excessu dolorosæ Passionis ejus. Lætus ergo hic dies est, anni primus, nomine Iesu auspicatissimus: compassione tamen dignus ob aspersionem cruoris, ob cultrum circumcisionis. Porro ut divini hujus pueri plenius intelligamus Circumcisionem, pauca sunt nobis de Circumcisionis institutione prælibanda.

Nullum diem habuit Christus lætum sine amaritudine.

Circumcisiou & Baptismi convenientia.

Circumcisionem accepit à Deo populus antiquus per Patrem suum Abraham, ad similem ferè finem ad quem postmodum nos per Christum institutum habemus Baptismum. Sicut enim per Baptismum, ac per illius characterem indelebilem animæ impressum, destinguuntur Christiani ab infidelibus: Ita olim filii Abrahæ per signaculum Circumcisionis in corpore, distinguebantur à Gentilibus & incredulis populis. Atque ideo in generationis membro illud signum distinctivum poni voluit Deus; ut esset signum fidei Abrahæ, qui credidit Christum ex se nasciturum secundum carnem; & sic voluit omnes ejus posteros, omnes ejus verè filios, ejusdem esse fidei sectatores per idem signum. Propterea dicitur: *Circumcidetis carnem præputii vestri & erit signũ fœderis inter me & vos.* Præcipuum autem fœdus inter Deum & Abraham fuit, quod Deus illi promisit Messiam ex semine suo oriundum, & ipse tunc credidit Deo, & ei reputatum est ad justitiam. Unde dicitur: *signum accepit Circumcisionu, signaculum fidei*, illius scil. quia credidit Christum ex semine suo oriturum. Deinde, sicut in Baptismo remittitur nobis originale peccatum; ita etiam Circumcisio instituta fuit in remedium peccati originalis. Ideo iterum in membro generationis signum illud ponitur, quia per actum generationis carnalis peccatum originale in posteros Adæ traducitur. Denique, sicut in Baptismo nomen pueris imponitur sic & olim in Circumcisione impositum fuit. Cujus rei etiam specialem rationem habebant; quia quando data fuit Abrahæ circumcisio, nomen mutatum ei fuit. Antea enim vocabitur *Abram*, postea dictus est *Abraham*. Notantque Hebraicæ linguæ periti, additam fuisse ejus nomini litteram *He*, quæ desumpta est ex Tetragrammato Nomine Dei, quod ineffabile dicitur. Et significat *He* littera, Hebræis idem quod *Vita*. Quapropter in istius litteræ adjectione designabatur mysterium incarnationis, quod scil. caro Salvatoris (de quo dicitur, in ipso vita erat) ex Abraham esset processura. Adde, quod ideo in Circumcisione (uti & modo in Baptismo) nomen imponebatur, quia parvuli tunc cum solemnitate offerebantur Deo, & velut cœlesti hæreditati inscribebantur, ac de populo Dei censebantur. Gen. 17. Rom. 4.

Differentia Bapt. & circumcis.

In his igitur convenientia quædam est baptismi & circumcisionis: differentia tamen est in efficacia & virtute, quæ longè major competit Baptismo, quam Circumcisioni. Differentia etiam est in tempore administrationis utriusque: Nam Circumcisio non poterat dari ante octavum diem, ex instituto ipsius Circumcisionis, Vnde etiam Evangelista dicit: *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer*; id est cum advenisset dies octavus, sive postquam incepissent consummari dies octo requisiti ut circumcideretur puer, Mandatum verò Abrahæ datum sic habet: *Infans octo dierũ circumcidetur in vobis. omne masculinũ in generationibus vestris: Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo quia pactum meum irritum fecit.* Præceptum, hoc concernebat parentes (nam parvuli præcepti nõ erant capaces (& adeo rigorosum erat, ut quia neglexerat Moyses filii sui circumcisionem, Angelus voluerit eum interficere: unde mox ubi id Sephora ejus uxor intellexit, illicò acutissimam petram sumens, circumcidit filium suum, & Moysi dixit: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Quasi diceret, Ecce redemi te à morte, & quasi novo pretio mihi te Spõsum emi, sanguine filii mei in circumcisione effuso, Moyses verò distulerat circumcisionem Eliezer Gen. 17. Exod. 4.

Eliezer filii sui recenter adhuc nati ob iter, quia de terra Madian in Ægyptum proficiscebatur, & forsan timebat grave periculum puero in itinere; unde in Ægypto eum circumcidendum reservabat. Verum hic timor nimis humanus fuerat, & Moyses Legislator non debebat esse adeo remissus & timidus in lege observanda: sed potius ut Dux cæteris debebat exemplo præire, & rigorem legis non præterire. Volebat ergo cum Angelus occidere, quasi irritum Dei pactum redderet, hac remissione & negligentia utens erga puerum suum; ideoque eiminabatur, quasi mereretur (ut lex dixerat) deleri de populo suo: quod idem est ac occidi: *Sic enim violator Sabbati jubetur deleri de populo, aliique prævaricatores divini pacti & præcepti.*

An forsitan Maria & Joseph easdem mortis minas, eandemq; timent prævarication em quã Moyses & Sephora, si puerum hunc suum nõ circumcidant octavo jam die? An timent irritum reddere pactum Dei & deleri de populo suo? Absit. Nec enim ignorat Maria mysteriorum Christi conscia. eum ab hac lege exemptum: tũ quia legis ipse auctor erat: tum quia lex eum non comprehendebat, utpote non ex semine virili, nec communi modo instar aliorum infantium genitum. Unde & scie-

Christus à Circũcisione immunis.

bat eum non indigere hac circumcisione, vel ut remedio originalis peccati, quia illud nullatenus cõtraxerat; vel ut signaculo filiorum Abrahæ & fidei eorum, qua credebant Messiam ex suo semine nasciturum, quia jam natus huic signo & hujus fidei finem imponere venerat, remota umbra daturus lucem, remota figura impletur us veritatem. Cur ergo Maria octavum non vult præterire diem, cum puer hic tenellus nec legi nec dici sit obligatus? Cur non timet divinam attingere carnem, divinũ fundere sanguinem, & tam acerba nota divinum signare infantem? Absque dubio novit Filii, novit & Patris æterni hanc esse voluntatem, qui ipsum

Gal. 4. *misit factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret.* Alioqui non sine maximo Matris dolore potuit hæc circumcisio ab illa præsente videri. Sciebat enim in hac tenella ætate dolorem esse acerbum infantuli carni insigendum per cultrum lapideum, quo solebat fieri circumcisio: quo & usa est Sephora erga filium, & Josue ex mandato Dei erga populum in deserto. Sciebat ultra cæteros infantes dolorem in eo augendum, tũ ob nobilissimam complexionem à Spiritu S formatam, & proinde corporis ejus maximam teneritudinem, tum quia ratio in eo non erat sopienda more aliorum infantium. Denique, hunc dolorem adaugebat suavissimus dilectissimi Filii aspectus, in quo jam non tantum vulnus novellum contemplabatur, sed & futura vulnera & dolores, quorum istud erat initium & prognosticon. Contemplabatur enim tenellas manus cruci postmodum figendas, pedes perforandos, caput spinis pungendum, cæteraque membra flagellis & livoribus deturpanda, & hinc cor ejus dolore super dolorem, vulnere super vulnus conficiebatur. Non enim verisimile est Matrem Dei, nobilem illam Prophetissam, Prophetarum Reginam, hæc secreta filii sui ignorasse, quæ Prophetæ priores spiritu filii afflati scriptis consignarant. Propter hæc omnia Circumcisio primum inter mysteria dolorosa Rosarii Virginis annumerari solet. Fuit enim et tunc Christus Rosa mystica cum odore & rubore se pandens; sed non fuit sine spina, qua tenerum Matris cor transfixit amore & dolore.

Christus à quo fuit circumcisus.

Aderat igitur Maria præsens circumcisioni immo aliqui eam filium circumcidisse propriis manibus existimant, sicut Sephora filium suum Eliezer, ideoque potuisse, sicut & illa, filio dicere: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Et quidem de ministro certo nihil in lege præscriptum erat, unde modo viri, modo fœminæ circumcisionem peregisse leguntur. Forte tamen melius istud ministerium erga puerum Christum Josepho assignaverimus, qui mysteriorum coadjutor à Patre designatus erat. Adde quod in Bethleem, in spelunca Nativitatis, peracta fuit circumcisio ista, quia à loco Nativitatis utique addiem purificationis Virgo non recessit: & de loco etiam nihil in lege præceptum erat, quandoquidem Abraham seipsum & suos domi circumcidit. Interim non dubitamus, MARIAM filii sui præputium & linteum ejus cruore tinctum magna cordis devotione, magna animi reverentia in manus sumpsisse, & Deo Patri obtulisse, charoque applicuisse pectori, seipsam tingendo ejusdem Filii

Insigne factum nobilis matronæ.

sui cruore. Nec enim ignobilior fuit nobili illa Matrona, de qua Prudentius lib de Coronis, cujus cum puero carnifex cervicem amputaret, illa ex Davide psallere docta canebat: *Pret osa in conspectu* Psal. 115. *Domini mors Sanctorum ejus; Tuus ille servus filius ancilla tua.* Et talia canens explicabat pectusculum, & sinum sub ictu & sanguine, ut pretiosam cruoris undam gremio exciperet, & charo applicaret pectori. Nec ignobilior fuit altera illa mulier forti, de qua Procopius, cujus duæ filiæ in Nagran civitate Arabiæ ante faciem ejus gladio fuit perfossæ; cruoris autem effluentis partem collectam dum carnifex propinaret, illa suscipiens, & in cœlum suspiciens, lætabunda gustavit, & dixit: *Tibi Christe hoc meum offero sacrificium, tibi exhibeo martyres virgines costas egressus ex utero meo, cum quibus in thalamum tuæ educere digneris me Matrem propter filias lætantem.* Erat ergo & Maria in hoc primo sacrificio sanguinis filii sui cooperatrix, sicut & in postremo: atque ita primitias libans, & Patri præputium filii offerens sanguinolentum, poterat dicere: *Vide an tunica filii tui sit, an non? Vtique tunicella filii mei est filiique tui; quam offert ipse quam offero ego eum ipso expiationis hostiam.*

Gen. 37.

Sed quæret aliquis, quid de illo præputio factũ fuerit? Resp, in revelationibus S. Brigittæ l. 6. c. 102. legimus B. Virginem S. Brigittæ revelasse, se usque ad mortem particulam illam servasse, & tunc Evangelistæ Joanni eam tradidisse, ipsumque eandem

Præputium Christi ubinam asservetur.

rem reliquisse successoribus suis; & postmodum fideles in loco eam occulto reposuisse, in quo delituit donec per Angelum manifestata est. Est vero Romana traditio, diu fuisse in Lateranensi Basilica reservatum, in loco qui propter excellentiam & multitudinem Reliquiarum vocatur, *Sancta Sanctorum*. Illuc dicitur translatum à tempore Caroli Calvi ex Aquisgranensi civitate, ubi Carolus Magnus illud collocaverat sibi per Angelum Jerosolyma delatum; de qua re fecit mentionem Innocentius tertius, l. 4. de mysteriis Missæ. *Itaque pie creditur, adhuc Christi præputium in Ecclesia reservari, tamquam pignus amoris quem in infantia sua erga humanum genus Christus testatus est, istud sibi canto cum dolore circumcidi passus, suoque cruore aspergere dignatus.*

Audi quid Cardinalis Toletus in Lucam c. 2. annotatione 31, refert de hoc præputio, ex testimonio Sacerdotis unius, & trium illustrium fœminarum. Anno 1527. cum Roma expugnata fuit à Carolo V. miles quidam arculam è Basilica Lateranensi surripuit, in qua præputium Christi cum quibusdam Reliquiis asservabatur. Urbe autem discedens, à rusticis captus, deductus est ad pagũ cui *Calcata* nomen est, distatque Roma viginti millibus passuum. Ibi in cellaria quidam pro carcere detrusus, thesaurum surreptum defodit. Paulo post libertate donatus, Romam revertitur, & morbo correptus in Xenodochium S. Spiritus se recipit, mortique vicinus fatetur se istas Reliquias defodisse. Id ubi Clemens VII. resciviset, scribit ad Dominum Pagi, ut diligenter requirantur. Adhibuit ille diligentiam nec quicquam reperit. Mense vero Octobri 1557. divina providentia factum est, ut quidã Sacerdos in dictis cellaris refodiens, terniolum ex chalibe reperierit quod mox ad Magdalenã Stroiciam pagi Dominam detulit. Hæc cum illo Sacerdote & Lucretia Ursina, Clariceque filia octenni, aperto scriniolo vetustis panniculis sericis involutas Reliquias invenit; & singulis adjuncta erant nomina, sed vetustate sic consumpta, ut ægre legi possent: eas porro honorificè componens, in pellui argentea sigillatim reponebat. Inter cætera inventus est flaccidus sericus, juglandis instar, cui inscribebatur nomen Jesus. At dum Magdalena primũ filium solvere aggreditur, sentit manus rigere: mox vero eas confricat, & pergit solvere, sed magis quã ante stupescunt manus, Quare divinam sentiens hic virtutem sic Deum alloquitur O Domine, scio me peccatricem, indignam divina attingere; attamen non ex arrogantia, aut ut sacra contemnam, sed ut humiliter & honorificè conservem, id ago. Sic pergit utramque manum adhibere nodo solvendo, sed mox utriusque manus digiti indurantur instar metalli: ita ut nec illos conjungere, nec sacrum globum possent contingere. Spectaculum stuporem, & stupor lacrymas injicit astantibus. Tunc Lucretia: Crediderim, inquit sacrum Christi præputium contineri, de quo Clemens Pontifex conjugi meo olim scripsit. Hoc ubi dixisset, suavissimus odor è globulo illo exiit, omnes admiratione & timore sancto afficiens. Quid tandem consilii? Sacerdos qui aderat, istud suggerit: ut scil. Clarix virguncula nodum conetur dissolvere; sicque Matronis in id consentientibus, mox sine difficultate dissolvit, ac præputium extractum in vasculo argenteo collocat; erat autem densum & crispum instar rubi ciceris. Porro sic voluit Deus virginitatem & innocentiam teneræ puellulæ honorare: sed & tam matris quam filiæ manibus odor ille divinus ita insperfus fuerat, ut per biduum durarit: In illo vero pago, *Calcata*, in hodiernum diem asservari honorificè perhibetur. Quapropter quod Costerus in Meditatione de Circumcisione dicit per hæreticos Antverpia sublatum esse, non videtur verum, nisi dixeris particulam esse quæ præcisa fuerit ab eo quod Romæ servabatur.

PARS II.

Circumcisioni Christus se subjecerit.

cur

Cum verò Christus, ut jam diximus, legi circumcisionis non fuerit obstrictus, videamus & in particulari consideremus rationes aliquot, ob quas dignatus est se illi subjicere? varias enim recensent Sancti Patres.

Dicamus ergo primo, ideo circumcisum, ut ostenderet se in veritate carnem assumpsisse; quia futuri erant aliqui dicentes, Christum vel corpus cœleste, vel phantasticum, & in specie solum apparens habuisse. Ipse verò se non solum filium Adæ, sed etiam ex semine Abrahæ promissum ostendit: accepta circumcisione, per quam fluente cruore, veram esse carnem passibilem ex Adam & Abrahã oriundam ostendit; non vero esse corpus aliquod cœleste, vel aëreum, vel apparens tantum. Unde hic etiam verum est illud. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis.* Quia sicut tres testes de cœlo, attestantes Christi divinitatem in ejus Baptismo, *Pater, Verbum, & Spiritus sanctus*: ita sunt tres de terra testes, attestantes ejus veram humanitatem in circumcisione, scil. *spiritus, aqua, & sanguis*: spiritus & halitus vitæ; aqua lacrymarum, sanguisque tunc effusus. Et hi tres testes terrestres unum sunt, concordia quadam testandi, inquit S. Augustinus sicut & tres cœlestes vestes unum sunt, non solum concordi testimonio & voce, sed etiam unitate naturæ. Hæc igitur in ejus circumcisione specialiter testimonium dant, quæ idem testimonium datura sunt in cruce, cum spiritum emittet, cum aquam & sanguinem è latere fundet. Quapropter sicut post resurrectionem vulnera reservavit attingenda per Thomam in testimonium veræ resurrectionis: ita modo vulnus accipit, in testimonium veræ nativitatis, & veræ assumptæ carnis. Adde, quod per hanc circumcisionem omnem abstulit excusationem à Judæis. Hi poterant se excusare si Christus non fuisset circumcisus, quod illum non recipissent, tamquam non agnitum ut filium Abrahæ, cujus signaculum non haberet; & ab incircumciso audite verbum

1. Vt ostendere tur veritas carnis ejus.

1. Joan. 5.

Dei, sibi piaculum existimassent. Hanc enim causam dant S. Chrys. hom 34. in acta, cur Paulus Timotheum circumcidit, quem secum assumebat ad Evangelium prædicandum. *Hæc est*, inquit, *causa circumcidendi. Non enim ferebant audire verbum ab incircumciso, Sic ergo eum circumcidit, ut circumcisionem per eum tollat* : Simili modo de Christo dicimus cum Aug. ser. 13. de tempore: *Dominus susceptit circumcisionem, ablaturus circumcisionem susceptit umbram, daturus lucem; susceptit figuram, imploraturus veritatem.* Nam in ipso circumcisio circumcisa est, quia finis legis Christus; & cū voluerit circumcidi, ut probaretur esse is qui promissus erat Abrahæ, jam de cætero circumcisio debebat cessare, impleta promissione.

2. Vt impleret omnem justitiæ, id est virtutem, Matt. 3.

Dicamus secundo, susceptisse circumcisionem ob eandem causam quam ipsemet Joanni affert renuenti baptizare : *Sine modo*, inquit, *sic enim decet nos implere omnē justitiam.* Quid est omnem justitiam, nisi omnem virtutem ? Nempe omnis virtutis nobis voluit dare exemplum in hac circumcisione, obedientiæ, patientiæ, resignationis, mortificationis, sed maxime Humilitatis & Charitatis. Declaremus, quomodo hæ duæ virtutes speciali ter hic eluceant, nam Sancti Patres utramque hic mirè extollunt.

Christi humiliatus in circumcisione. Ser. de Nat.

Quantum ad humilitatem, illa quidem magnopere in incarnatione & nativitate apparuit, dum divina majestas sese quodammodo exinanivit, formam servi assumens, formaque pueri imbellis & impotentis, dum Deus cernitur in limo nostro infixus. De quo S. Bern. *Tanta dignatione Deus dejecit in limum, tantaque dignitate limus ascendit in Deum, ut quicquid facit Deus, limus fecisse credatur, quicquid limus pertulit, Deus pertulisse dicatur. Adverte ergo, ô homo, quia limus es, & non sis superbus, quia Deo junctus es & non sis ingratus.* tantæ scil. humiliationi & dignationi divinæ. Verbum in circumcisione humilitas magis elucet, quam in incarnatione aut nativitate: quia si per hanc in similitudinem hominum est factus, per illam assumere similitudinē peccatoris est dignatus. Ibi ergo maxime exinanivit se, stigmate & cauterio peccatoris notatus, & quasi inter cæteros peccatores connumeratus, quia pro peccatoribus lex erat imposita circumcisionis. Ergone major humilitas potest reperiri, quam ipsam innocentiam, ipsam sanctitatē, puritatisque omnis speculum, quasi peccatorum remedio egeret subdi circumcisionis cauterio ?

Serm. 1. de circ.

Hanc humilitatem admirans simulque nostrā superbiā arguens, sic de filio Dei filios hominum alloquitur S. Bern. *Manifestum dedit humilitatis exēplum, quia nec vestigium quidem vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Non sic agit pervversitas, elationu humane; erubescimus vulnerum ligaturam qui de vulneribus interdum gloriamur. Quē nullus potest arguere, ipse peccati remedium verecundum pariter & austerū sine necessitate suscepit : Nos è contra in verecundi ad obscenitatem culpæ, erubescimus agere pœnitentiam, quod extrema dementia est; male pronis in vulnera, pejus in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non est dedignatus se peccatorem reputari: nos esse volumus, & nolumus æstimari.* Hæc Bernardus.

Certè elucent in Christo, & nobis proponuntur duæ humiliationes admirabiles, quæ nostram deberent humiliare superbiam & arrogantiam, qui non novimus nisi peccatum, cum ipse qui non novit peccatum, fieri quodammodo voluit peccatū, & ut peccator apparere, ac in similitudinem carnis peccati immaculatam suam carnem exhibere. Prima humiliatio fuit in vitæ exordio, altera in complemento: Prima in circumcisione, altera in cruce: Prima sub cultro lapideo, altera sub clavo ferreo. Utrobique enim ut peccator apparet illic quasi inter filios Adæ inobedientiæ reos insignitur nota peccatoris; isthic inter iniquos & sceleratos deputatus multatur supplicio latronis. Utramque autem humiliationē sapienter suscepit, ut tolleret duplicem ex duplici peccato humiliationem & obligationem; primam quidē quæ erat contracta ex peccato originali : alteram, quæ erat ex peccato actuali. Hæc vero humiliatio Dei utrobique dæmonem decepit, ut certò agnoscere non posset Filium Dei sese humiliantem. *Ipse latenter in mundum venit, ut quoniam homo in Paradiso non cognoverat diabolum, sic & diabolus in sæculo non cognosceret Christum*, inquit B. Zeno. Atque ita dum nascitur, sub pannis, sub fœno, sub vilitate stabuli & præsepii Majestas divina absconditur, ut existimet puri hominem; attamen Angelorum cantus cœlicum lumen, exultatio Patrum in limbo ei absconditæ divinitatis in puero aliquam ingerunt suspicionem. Sed dum videt eum circumcisionem suscipere peccatoris signaculum, non poterat sibi persuadere hunc esse Salvatorem, utpote salutis remedio egentem. Decepisti, O Satan Adam primum latens sub serpentis pelle; decipiet te, Adam secundus, filius simul existens Dei, sed latens sub carnis peccati similitudine: Decipieris & in fine, simili quo decepisti modo, quando ut serpens ipse exaltabitur in crucis arbore. Erquia superbus es valde, superbiam ingenerare ausus homini, restituetillum, & decipiet at dejicietque humilitas Dei.

Duæ humiliationes Christi.

A Christo circumciso discamus humilitatem.

Nos interim discamus humilitatem non solum à Jesu crucifixo, sed etiam à Jesu circumciso, quam ipse tamquam primam virtutem in sua infantia edocuit. Audiant omnes, inquit S. Gregorius, *humiliter Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Audiant omnes : *Quid superbit terra & cinis ? Audiant omnes ; Dissice à me quia mitus sum & humilis corde.* Ideo unigenitus formam nostræ infirmitatis suscepit, ideo ludibria, opprobria tormē ta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. O quanta est virtus humilitatis, ob quam edocendam is qui sine æstimatione est magnus, usque ad passionem factus est parvus!

Ecclis. 10. Matth. 11. Greg. l. 34. moral. c. 2.

Quia perditionis nostræ originem protulit superbia dia-

diaboli, instrumentum redemptionu nostræ inventa est humilitas Dei.

Christi in circumcisione charitas in nos.

Quantum ad charitatem, pari passu hic cum humilitate procedit; est enim utraque in Christo germana soror, societate inseparabili connexa: unde propter nimiam suam charitatem, ita sub circumcisionis signaculo est humiliatus, ita acerbo vulnere est cruentatus. O nimis amabilis puer! O puer nimis amans! En ab occidduo è cœlis te amor funiculis suis innexum in Bethleem attraxit, & in præsepio reclinavit, charitatis lectulo: jam progreditur ut victor sui, & moræ impatiens tenellam carnem suam cruentat, novellumque sanguinem suum fundit. Vult ut ex nunc purpureo sacratissimi cruoris rore aspergaris, inchoans officium Redemptoris, & signans nomen Salvatoris: quia *sine sanguinis effusione non fit remissio*, nec salutis initiatio. Non ergo tam culter circumcisionis, quam vis amoris, hodie, primum fontem sanguinis, primum fontem salutis aperit, sed statim clauditur, ut postmodum ad extremam usque guttam exhauriatur, ut nomen Jesus cruore roseo signatum in circumcisione, ultimis suis coloribus charitatis penicillo perficiatur & consummetur in cruce. Omnia instrumenta quæ sanguinem nata sunt elicere, impendet amor, ut dolorem dolore, rorem rore cumulans, *copiosa sit apud eum redemptio*. Ideo quod hodie exorditur petra, perficiet postmodum hortianguſtia, funes, spinæ, flagella, crux, ferrum, clavi & lancea. Merito olim apud Prophetam dicebat Dominus: Dilexi vos. O quantum duæ hæ voces, divino ore pronunciatæ, emphasim & energiam continent! Omnem temporis differentiam complectuntur licet præterito tempore exprimantur; idem enim est ac si dicatur: *Dilexi, diligo, diligam*; & diligendo omnibus vos bonis cumulare non desistam. Est nempe dilectio & amor Dei erga nos plane efficax, fons omnis doni, origo omnis boni; quia ex benevolentia oritur beneficentia. Ideo ait testatur se nos diligere indicat se omne bonum nobis velle, & quidem ab æternitate, & pro æternitate; ideo dicit: *Dilexi vos*. Sed quanta ingratitudo, cæcitas, & oblivio respondentium ei: *in quo dilexisti nos*? An non ejus dilectio in populum sat manifesta erat in liberatione ex Ægypto, in lege & manna de cœlo, in columna nubis & ignis in deserto, in tot beneficiis quibus velut Mater & Nutrix eos aluerat, foverat, portarat suo in gremio? Eheu, dilexi vos! Sed rependitis odium pro dilectione, peccatum pro gratia, ingratitudinem pro beneficentia. Quod si hæc vox & querela Domini ad populum antiquum dirigitur, cui data erat lex timoris? quanto magis ad populum novum, cui data est lex amoris *Dilexi vos, dicit Dominus*? Verè vox ista sæpius mentis nostræ auribus deberet resonare, & in meditatione cordis nostri quasi in statera expendi, ut in una lance amorem Dei erga nos appendentes, in altera amorem nostrum erga eum, videamus quâ præponderet unus alteri. Neque vero nisi cæci simus & stupidi, possumus ei respondere, ut illi olim: *in quo dilexisti nos*? Nam si Dominum Jesum intueamur, in omnibus ejus membris inveniemus scriptum, *Dilexi vos*. Hoc petra in circumcisione ejus infantili insculpsit carni; hoc clavi in manibus, hoc ferrum in pedibus, hoc lancea scripsit in corde. Sanguis ejus fusus tamquam pretium pro nobis in prima & ultima ætate, sonore inclamat omnibus: *Dilexi vos*. & surdus est qui hanc vocem non audit, insensibilisque vel insensatus qui amori amore non respondet, cum & sanguinem sanguini oporteret rependere. Multum profecto dilexit Sichem filius Hemor Dinam, pro qua despondenda non solum ipse circumcisionis vulnus passus est, sed & populum suum ad idipsum adegit, infœlici licet exitu. Multum dilexit David Michoel filiam Saulis, quam centum præputijs Philistinorum despondit & emit. Multum Sephora Moysem dilexit, quæ filij sui circumcisione eum à morte redemit. At Christus Sponsam suam Ecclesiam, animasque quaslibet quas sponsas vocat, longè ferventius dilexisse certum est, dum circumcisionis suæ eas despondit & dotavit sanguine, desponsationem consummaturus in Cruce, dotis hujus pretiosæ totali exhibitione. Merito ergo dicit: *Dilexi vos*: Merito vicem rependens unusquisque cum Apostolo, de ipso dicit: *Qui dilexit me, & semetipsum tradidit pro me*. Hanc vicem amoris, hanc vocem mutuæ dilectionis rependunt Christo animæ piæ. Unde contigisse initio Ordinis Prædicatorum exemplum perfecti amoris sistit legimus.

Christus semper nos dilexit & diligit.

Exempl. perfecti amoris.

Nobilis quædam virgo annorum 14. B. Mariæ Virgini valde devota, continuis septem annis obnixe efflagitabat, ut dignaretur filium suum, animarum sponsum sibi manifestare. Quadam vigilia Nativitatis cum sola quoddam Oratorium intrasset, apparuit ei Maria Mater cum Filio in manibus suis, dicitque: *En filius meus tantopere à te desideratus, permitto te eum in ulnas accipere, & cum eo diu suaviari*. Excipit illa puerum cum gaudio, exosculandum & amplexu lætissimo fovendum. At mox ei puer hanc de amore interrogationem facit: *Diligisne me*? Cui respondet illa: *Omnino diligo*. Ulterius interrogat, *Quantum diligis me*? Cui illa: *Plusquam corpus meum*. Iterum puer: *An non plus diligis me*? Imò inquit ipsa, & *plusquam cor meum*. Tertio Jesus infans interrogat: *Sed quantum plus corde tuo diligis me*? Tandem illa; *Nescio id dicere, ipsum cor loquatur*. Mox vero cor ejus præamoris violentia scissum est. Et ecce Virgo Maria suo sinu materno ejus animam excipiens, cum cantu Angelorum in cœlum eam deduxisse visa est. Nam ad hunc cœntum angelicum familia accurrens virginem mortuam reperit, erat vero locus ineffabili odore repletus. Postmodum Fratres Ordinis Prædicatorum, qui ibidem aderant, cum ejus pectus aperiretur ad explorandam mortis adeo subitæ causam,

Mal. 1.

Christus semper nos dilexit & diligit.

Mal. 1. Signa dilectionis.

Psal. 108.

Gen. 34.

1. Reg. 18.

Exod. 4.

Gal. 2. Et nos Christum redamus.

Exempl. perfecti amoris.

Specul. exempl. Dis.

inverunt in corde ejus aureis litteris scriptum: *Diligo te plusquam me, quia creasti, redemisti, divisti me.*

PARS III. *De Circumcisione spirituali. Hom. in octava Nativ.*

DIcamus tertio, Christum voluisse circumcidi, ut legali circumcisione sublata, spiritualem nos edoceret. Hanc etiam rationem afferunt SS. Patres, inter quos B. Eusebius Emissenus sic ait: *Ideo est circumcisus, ut ejus nobis significationem commendaret. Iudæi quidem in uno membro circumciduntur, quare autem circumcidantur non intelligunt: Christiani vero quid circumcisio significet intelligentes, non unum tantum sed omnia membra circumcidunt, non pellis incisione, sed totius superfluitatis abjectione.* Hæc circumcisio frequenter in Scriptura commendatur, & vocatur *Circumcisio non manu facta*, quæ consistit non in spoliatione carnis, sed in expoliatione peccati & veteris hominis, sive in resecatione corruptæ & inveteratæ consuetudinis. Unde modo cor, modo aures, modo alia membra circumcidere monemur. Utinam igitur simus corde, auribus, oculis, lingua, manibus, crinibus, & omnibus carnis sensibus circumcisi, non littera, sed spiritu. Utinam non possit nobis illud objici, quod Stephanus Judæis: *Dura cervice & incircumcisis auribus, vos semper Spiritui S. resistitis.* Sed videamus in particulari.

Circumcidendum & quomodo. Deut. 30. Deut. 10.

1. Quid est habere cor circumcisum, nisi illud habere bene purgatum, & ab illo resecare nociva desideria, pravas cogitationes, ac duritiem omnem, ut aptum sit amori divino cælestibusq; affectibus. Hinc Deuteron. 30. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere.* Et iterum capite 10. *Et nunc Israel quid Dominus Deus petit à te, nisi ut timeas Dominū Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum ac servias ei in toto corde tuo? Circumcidi te igitur præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne indureris amplius.* Idem nos hodie omnibus inculcamus, præputium cordis circumcidite, omnem immunditiam, omne impedimentum cordis resecate, ut perfecto amore possitis Deum diligere, ad hunc effectum Christus pro vobis circumcisus est.

Aures circumcidendæ & quomodo. Eccl. 21.

2. Quid est habere aures circumcisas, nisi illas habere apertas ad monita & inspirationes Dei, ad monita Angelorum, & omnium qui nostri curam gerunt, ad verbum Domini, & exhortationes sanctas, ut Spiritui S. non resistamus? *Audivit verbum sapiens filius luxuriosus, & post tergum suum projecit illud*, inquit Ecclesiast. Quid ita? Quia incircumcisus est auribus & corde. Quid iterum est habere aures circumcisas, nisi resecare ab illis omnes sermones detractionis, omnia luxuriosa, omnia nociva honori, proximi, vel honori Dei? Incircumcisus igitur auribus & immundus censetur, qui his vacat audiendis, aut auditis delectatur.

Oculi circumcidendi & quomodo.

3. Quid est habere oculos circumcisos, nisi ab illis resecare omnem aspectum turpem, omnemque aspectum malevolum, aut malignum, ut nihil per illos ingrediatur nisi castum, nihil quod cor possit reddere immundum, nihil quoque per illos egrediatur, quod malevolentiam & odium, vel invidiā indicet? Circumciderat oculos suos qui dicit: *Pepigi fœdus cum oculu meu, ut ne quidem cogitarem de virgine.* Circumcidi sibi à Deo optabat David, dicens: *Averte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua vivifica me.* Incircumcisus igitur oculis censetur, qui impudicum habet oculum impudici cordis nuntium. *Iob. 31. Ps. 118.*

Linguæ circumcidendæ & quomodo.

Quid est labia & linguam habere circumcisam, nisi severè illam custodire à convitijs & contumelijs, à maledictionibus, à detractionibus, à juramentis & blasphemiis. Denique ab omnibus nocivis colloquijs, omniq; impuritate? O quam multi linguâ sunt incircumcisi, qui nonnisi turpilóquijs vacant, & labia maledica in detrimentum famæ alienæ acuunt, imo & in divini nominis injuriam vibrant! O utinam novacula spiritus membrum istud linguæ circumcidere & expurgare dignetur Dominus, vel calculo ignito Prophetæ sui Isaiæ ejus pruritum adurere! Hac ratione fieret, ut maxima peccatorum pars eliminaretur; quia illorum potissima pars lingua lubrica, immunda, incircumcisa committitur: Nam lingua, *Universitas est iniquitatis.* *Iac. 3.*

Manus circumcidendæ & quomodo.

5. Quid est habere manus circumcisas, nisi omne furtum & omnem rapinam à se removere, sicq; quodammodo ungues circumcidere & resecare? Multi habent manus aduncas ungues q; rapaces, injustitiæ dediti, & ex alieno viventes: hi certè manibus incircumcisi & reprobi sunt. Unde in lege antiquâ reprobantur tamquam immundæ aves, quæ rapto vivunt, & unguibus aduncis sunt, quales sunt aquilæ, griphes, milui, corvi, accipitres. De quare Isidorus sic ait: *Qui aquilam, miluum, & accipitrem odit, odis raptores, & scelere viventes.*

Crines circumcidendi & quomodo. 2. Reg. 14.

6. Quid est habere crines circumcisos, nisi omnem vanitatem, omnia vitia, omnes illecebras omnes superfluitates à mente resecare? Absalon si crines circumcisos habuisset, infæliciter in arbore funestâ non penderet, nec tribus lanceis confixus palpitaret. Gravabat eum cæsaries, & solum semel in anno tondebatur, & ideo misere perit, dum crinium coma ab arboris comâ tenetur: & justè ibi punitur ubi diadema paternum gestare contendebat. Sic convertitur iniquitas ejus in caput ejus, & in verticem ejus iniquitas ejus descendit. Figuram vero gerit Absalon juvenum mundanorum, qui crinibus & crinibus gravantur; & vix in anno semel tondentur, aut circumciduntur; ideoque divinæ justitiæ arbor quandoque eos crinibus & criminibus suis illaqueatos perimit, alijs in exemplum eos ostentans. Postquam Satan, instar Joab; eorum cor triplici lancea lætali transfixit, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ; etiā Deus in futura vita æternum triplici eos transfigit lancea, triplici scil. perennante pœna, pœna

omni,

damni, pœna sensus, & pœna vermis; hoc est visionis suæ privatione, ignis cruciatu, conscientiæ tortura. Quid igitur eis aliud remedij, quam tempore oportuno si frequenter crines circumcidere, luxuriantiaque desideria resecare triplici navacula, contritionis, confessionis, satisfactionis? Certè sicut Prophetæ Ezechieli mandatum fuit, ut crines omnes suos raderet, & partem in ventum dispergeret, partem igni combureret, partem gladio concideret: similiter & nobis mandatum existimare debemus. Quod si per veræ confessionis novaculam crines nostros eradamus, partem dispergere poterit divinæ gratiæ flatus, partem concidet contritionis gladius, partem comburet amoris divini ignis accensus.

Exech. 5.

Itaque ad hanc jam dictam multiplicem circumcisionem spiritualem nos adhortatur. Christi circumcisio illius quoque nos commonefacit. D. Paul. in epistolâ hodiernâ inclamans: *Apparuit gratia Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegantes omnem impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, justè & piè vivamus &c.* Et quandonam clarius apparuit gratia Salvatoris nostri, & Dei nostri, quam quando primo in circumcisione sanguinem fudit, & nomen Jesu, nomen Salvatoris accepit? Tunc in effectu ostendebat, quomodo venerit peccatores salvos facere. Et quidem apparuit *omnibus hominibus*, qui oculos aperire voluerunt quia neminem ab hac salute excluſit. Et licet omnes & singulos efficaciter non salvet, omnes tamen quantum in se est, vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, si & ipsi velint: immo de omnibus hominibus efficaciter aliquos salvaturus est hoc est, de omni statu, conditione, populo, & natione. *Viderunt enim omnes fines terræ salutare Dei nostri. & qui salvi facti sunt ex gratias reddentes clamant: Redemisti nos Domine Deus ex omni tribu; & lingua, & natione.* Sic ergo omnibus appartuit, ut nemo possit se excusare, nemo gratiam Dei accusare. Quid ita? Quia nemini voluit deesse, monēs nos, erudiens, instruens ad omnem virtutem, etiā in infantia sua, in Bethleemitica spelunca: sive enim consuleres ejus Nativitatem, sive consideres Circumcisionem, omnis ibi virtutis nobis exhibetur lectio & instructio. Vis discere humilitatem? Vide in circumcisione Deum humiliatum abysaliter, dum imaginem assumit peccatoris. Vis discere mansuetudinem & patientiam? Ecce tamquam Agnus sub cultro cruento mansuetus. Vis discere obedientiam? *Descendi*, inquit, *de cælo, non ut faciam voluntatem meam, &c.* Vis discere charitatem? Hæc est quæ impellit eum ad fundendum sanguinem. Vis discere pœnitentiam? Attende quod omnia quæ patitur, propter nostra peccata patitur, ut doceat nos peccati odium & detestationem, ad hunc quasi principalem effectum apparuit nobis gratia Salvatoris. Audi Apostolum hoc disertè exprimentem his verbis. *Ut abnegantes omnem impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, justè, & piè vivamus in hoc sæculo.* An non hæc est circumcisio spiritualis, ad quam erudit nos? Quid est enim abnegare impietatem & sæcularia desideria, nisi circumcidere, & à nobis removere concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, quibus sæculum hoc impeditur à vera pietate & justitia, & à gratia Salvatoris percipienda? His ergo desiderijs circumcisis, tanquam pelle veteris Adam, docet nos puer Jesu circumcisus, sobriè, justè, castè, piè vivere, novaque salutis desideria concipere, novum spiritum, novum cor induere, quibus solidè possimus expectare beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei. Quando scil. ipse qui venit parvulus Deus, parvulus Emmanuel, *Nobiscum Deus*, angustus & angustiatus in præsepio, venier ut magnus Deus in impios tonans è cælo, & pios coronans in superno solio. Sed non videbit eum magnum, qui non amplexatus est parvulum: nec fiet cum eo magnus, qui non fuerit sicut ipse parvulus. Ut vero spem hanc beatam in populo suo firmaret.

Circumcisio spirit. quid requirat. Tit. 2.

Brevis explicatio epistolæ.

Isa. 52.

Apoc. 5.

Dedit semetipsum in redemptionem, ut faceret populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, ut Apostolus subdit. Et quandonam dedit seipsum in redemptionem? Utiq; non solum in cruce, sed & in circumcisione, quando jām fudit sanguinem, tamquam lavacrum in culparum ablutionem, tamquā pretium in peccatorum redemptionem, ut populus qui antea invisus erat, cæcus, & ingratus, jam fieret *populus acceptabilis, populus acquisitionis, genus electum, gens sancta, populus sectator bonorum operum*: hoc est, veræ pietatis; veræ charitatis, cultusq; divini amator, & in omnibus oper. quæ Deo placere possint se exercens; circumcisisq; omnibus quæ illi displicere possunt, nihil aliud respirans, quam se illi acceptum reddere qui dedit semetipsum.

Omnibus itaq; jam dictis, commendat Apostolus circumcisionem, quæ sit in spiritu per contritionem, per mortificationem, per proprij amoris & voluntatis abnegationem & expoliationem, per occasions peccati resecationem, per proprij cordis renovationem, per novæ vitæ inchoationem, per bonorum operum sequelam. Quæ quidem oportune fit recurrente novo anno, novo mense, novo die quām edocuit in sua circumcisione novus puer novello profuso pro nobis sanguine. Ideo omnes animarum Pastores in persona Titi, ut hæc plebi inculcent monens Apostolus, concludit his verbis *Hæc loquere & exhortare in Christo* Jesu *Domino nostro* Quasi diceret: Hæc publice pronuntia cum exhortationis & charitatis fervore, ut nemo ingratus sit, nemo obliviosus tanti doni, nemo ejpers tantæ gratiæ exhibitæ à Salvatore, ut nemo quoque obliviscatur nominis ab eo suscepti, nec sanguinis ab eo profusi. Hæc loquere, ut omnes sciant apertum esse fontem salutis, his scilicet qui hauire voluerint, vel ad bibendum se incurvare: Hæc exhortare, ut nemo etiam obliviscatur eruditionis & scientiæ, quam Salvator tradidit in sua circum-

Circumcisio spiritualis omnibus annis renovatione tur initio

Ioan. 6.

cisione-

cisione; sed seriò omnes circumcidant, & abnegent omnem impietatem, omniaque sæculi desideria, ad justè, sobriè, & piè vivendum illi qui semetipsum dedit in redemptionem; ne inutilem illam reddant, & ejus sanguinem contra se clamantem tandem sentiant.

Cum S. Gertrudis quodam die Circumcisioni sacro offerret salutationes pias; nomin s Jesu perfectiones indicantes: *Ave* Jesu *benignissime, ave* Jesu *amantissime*, & similes, cor divinum medullitus afficiebat, affectuosissimè laborans, perquirendo omnes quas poterat perfectiones, & devotissimè eas pronunciando. Unde ejus amore attractus Dominus, ejus ori quasi melleum osculum infixit, & dixit: *Ecce impressioris tuo nomen meum dignissimum quod coram omnibus porcabis, & quoties ad illud proferendum labia movebis, suavissimum mihi resonabis melos.* His dictis, comperit in superiori labio oris sui aureis & vivis litteris scriptum Jesus, in inferiori labio scriptum *Justus*. Unde per inscriptionem Jesus, intellexit omnibus audire cupientibus se salutem & misericordiam divinam annunciare debere, per inscriptionem *justus*, intellexit se his qui durioris essent cordis, ultionem divinam debere proponere, ut sic minis terrendo corrigeret, quos suavi monito trahere ad Deum non valeret.

Exempl. S. Gertrudis Xenii à Deo im, petrat.

Eadem Virgo (quæ Ordinis S. Benedicti erat) eodem die dicebat Domino: *O amator suavissime, dignare congregationi nostræ tibi dilectæ more Sponsi novum annum dare.* Respondit Dominus: *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Iterum illa: *Ne obviscatur pietas tua hâc sanctæ Circumcisioni die omnium nostrum defectus circumcidere.* Respondit Dominus *Circumcidimini per considerationem regulæ vestræ.* Cui ipsa: *O amantissime Domine, cur sic respondes quasi nos hu ad ea gratiæ tuæ auxilium nullum dignaretur porrigere, sed nos proprio studio in hu velis laborare, cum tamè sine te nihil possimus facere!* His verbis delinitus Dominus, eamq; etiam blandè demulcens, dixit verba sequentia, quæ consideratione sane sùt digna: *Ego indubitanter volo vobu in hu tam evidèter cooperari; quod si quis propter amorem meum, hoc anni initio per veram cordis compunctionem animo retractare studuerit, quid in quibusvis regulæ articulis deliquerit, & studium de cætero cavendi proposuerit ego illi adesse volo tamquam Magister dilectus discipulo ad discendas litteras in sinu suo posito, qui indice cuncta ostendens incorrecta delet & omissa rescribit. Sic omnes defectus ejus misericorditer emendabo; & negligentias paternè supplebo. Et cum ipse more puerili mente vagando aliqua transilit inconsideratè diligentissimè supplebo quæ jùt neglecta.* Adjecit quoque Dominus: *Si quis voluntatem ab omni quod mihi contrarium novit, studuerit retrahere, & ad omne beneplacitum meum dirigere, ego de splendore divini cordis mei lumen ei cognitionis ministrabo, & digitorum ejus omnes articulos sic ordinabo, ut componere possit gratissimum mihi sit tiq; utilissimum Xenium, quod singulis annis more Sponsæ mihi Sponso dignè ad instar sponsalis arrhæ possit offere.* His nimirum divinis sermonibus docebat Christus hanc Virginem, quid esse circumcisio spiritualis; & quomodo mētis renovationem, propriæq; voluntatis resecationem & abnegationem involveret. Quod vero huic dixit virgini, omnes etiam Christianos concernit, qui a omnes quantum in ipsis est tenentur defectus circa mandata Dei initio anni per conscientiæ examen circumcidere, mentemq; renovare; debent quoq; auxilium Dei implorare, ut dignetur defectus præteritos supplere.

EODEM FESTO.

LECT. 3. Diversas benedictiones proponit

Dominus est salus, & super populum tuum benedictio tua, Psal. 3.

CUm primus hic anni dies à salutifero Jesu nomine, quasi à fælicissimo omine, sua ducat auspicia, simulque primitijs pretiosi cruoris ejus sit sacratissimus; merito omnis Christianus in illo sperat benedictionem, & gratiæ salutaris copiosam participationem. *Non enim est aliud nomen sub cælo in quo oporteat salvos fieri,* nec ulla derivatur in nos benedictio, nisi sanguinis ejus meritò. Ideo puero nato & circumciso dicere possumus quod olim Josepho Ægypti Salvatori dicebat populus: *Salus nostra in manu tua, tantum respice nos, & lati servietmus Regi.* Ad serviendum Regi sæculorum immortali & invisibili in sanctitate & justitia, & ad salutem assequendam, necesse est, ut is qui Salvatoris hodie est insignitus nomine, nos benigno vultu respiciat: quia ejus aspectus non est sine gratia & benedictione. Hoc est ergo quod in propositione nostra indicamus: *Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.* Et quia in populo diversæ sunt conditiones, ætates, sexus; unicuique propria congruit benedictio. Hanc omni ætati & conditioni hodie à Domino exoptabimus, & è cælo advocabimus ad omnium salutem. Dicemus igitur breviter.

Act. 4.

Gen. 47.

1. *De benedictione Puerorum.*
2. *De benedictione Juvenum.*
3. *De benedictione Juvencularum.*
4. *De benedictione Conjugatorum.*
5. *De benedictione Viduarum & Seniorum.*
6. *De benedictione Sacerdotum.*

Diversis ætatibus & statibus benedictiones assignantur.

PRima benedictio pueros concernit & adolescentulos. Olim benedicens filijs Joseph, dicebat: *Deus, in cujus conspectu ambulaverunt Patres mei Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem, Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Simile benedictionem exoptent pueris suis parentes, agnoscentes illos sibi natos, & datos esse a Deo, à quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, agnoscentes etiam ab illo

1. *Puerit.*

Gen. 48.

illo omnem familiæ benedictionem, dependere; ideoque sint solliciti eos instruere in timore Dei, in pietate, in obedientia, ut divinam mereantur benedictionem impetrare. Atque utinam possint dicere Parentes cum Jacob: *Deus in cujus conspectu ambulo, sicut ambulaverunt Patres mei.* Illi enim Patres qui in conspectu Dei ambulant, benedictionem facilè impetrant pueris Verùm Patres multi sunt qui timorem Dei non habent, ideoque nec illum in filios transfundunt. Et quia Deum sibi præsentè non spectant, maledictionem intorquere audent in filios loco benedictionis. Cùm Deum deberent invocare & Angelum; in ore habent diabolum. Cum benedictionis & ædificationis verba deberent proferre; execrationis verbis pessimis parvulos scandalizant, eisq; pravo sunt exemplo. Quàm multi parentes ad minimam occasionem illicò erumpunt in pessima verba, & nihil aliud sciunt, quam Blasphemias, quod vulgò dicunt *Charongner, Maugroer, Bourgruer*, &c. An hoc est in conspectu Dei stare? An non hoc est pusillos scandalizare? O quàm melius imitarentur Jacob, cum pietate nomen Dei invocando super pueros, auxiliumque Angeli! Etenim filii maximè illius egent directione in tenera ætate, dum adhuc ignorant introitum & exitum, nisi docente eos Angelo & ducente. Opto igitur vobis, ô pueri, anni hujus auspiciis benedictionem à Deo, & à puero Jesu, ut semper sitis puri, humiles, & obedientes. Opto vobis eam benedictionem, quam ipsemet dedit *imponens manus super pueros* Quæ absque dubio magnæ fuit efficaciæ. Accedite pueri ad puerum, & adorare eum, & benedictionem illius participare; vult enim pueros ad se venire, & talium dicit esse regnum cœlorum. *Matt. 19.*

2. Juvenibus. Secunda benedictio concernit juvenes, illis verò illam exopto quam olim Angelus (personam gerens Filii Dei) dedit Jacob post luctam dicenti: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* Benedixit enim ei in eodem loco; & benedicens tetigit nervum femoris ejus, qui mox emarcuit. At quænam est ista benedictio, quæ potius lædere videtur & officere, quàm proficere? Benedictio est castitatem indens & mortificans concupiscentiam carnis. Aptè enim illa per femur designatur, quia ex femore ortum habet, & maximè in illo viget, ut docent Medici; unde & in sacris litteris symbolum esse solet generationis; *Egressa sunt ex femore meo sexaginta animæ.* dicebat Jacob. Juventus igitur corrupta, & per luxuriam diffluens, multum eget hac benedictione. Eheu, plurimi vix toto anni decursu in gratia Dei existunt! Ambulant enim secundùm desideria carnis, & de hebdomade in hebdomadem, de die in diem se contaminant: Hos sic monebat Sapiens: *Lætare juvenis in adolescentia tua, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & scito quod pro his omnibus adducet te Deus ad judicium.* Oportet itaque ô Adolescens, luctari cum Angelo, nec dimittere illum donec extorseris benedictionem; oportet luctari donec aurora illucescat in corde tuo omnem libidinis distillans caliginem. Dicitur apud Oseam *Invaluit ad Angelii, & fl. vit.* Nimirum precibus & lachrymis Jacob luctabatur, sicque invaluit, & benedictionem impetravit. Similiter te flere decet miseriam tuam, & precibus ac lacrymis contendere, & dicere: Ergo ne ita continuo involvam me miserâ servitute, & compedibus libidinis? An propter momentum voluptatis jactabo aleam æternitatis & tradam me servum satanæ & damnationis? O Angele Dei, custos mei, fidelis tutor, castitatis amator, da benedictionem, fac illucescat aurora gratiæ, tange femur, ut emarcescat & emoriatur fomes impuræ luxuriæ, in periculum me inducens novæ contaminationis. Hac vel simili prece ora Filium Dei, vel Angelum ejus & lacrymas jungens luctare & invalesce; non recedes sine luce & benedictione. Hoc modo luctatus est S. Thomas cum Jesu crucifixo; coram Crucis ejus imagine genua cordis & corporis flectens cum lacrymis. Cumque variis motibus carnis agitaretur mirum in modum (immissa in ejus cubiculum puella, quæ eum ad libidinem instigaret) tandem prævaluit, & flens ad Dominum, benedictionem impetravit. Quapropter Angeli duo missi sunt, qui eum præcingerent cingulo perpetuæ castitatis. Quod quidem sacrum pignus adhuc hodie reservatur Vercellis in Conventu S. Dominici. Omnis igitur adolescens, qui carnis agitatur similibus motibus, recurrat ad similia remedia in fervore orationis, & impetrata benedictione canere poterit cum Psalte, *Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.* *Gen. 32. Juvenes luctando casti fiunt.* *Gen. 46.* *Eccl. 11.* *Oseæ 12.* *S. Thom. castitatem à Deo impetrat.*

Tertia benedictio concernit juvenculas, quibus illam opto quam Booz dedisse legitur Ruth: *Benedictus à Domino filia, quia non es secuta juvenes, pauperes sive divites* Multæ filiæ in dedecora labuntur, quia non satis fugiunt juvenum consortia, nec suaves & fallaces salacesque sermones, nec blanditias, oscula, & alias illecebras. Hæc sanè magnacum pectione evitare deberent, quasi incantatoris & serpentis vocem, aut quasi vocem ilicem, qua instat avis nimis credulæ in laqueos ducuntur & retia. Res omnino fragilis & delicata est pudicitia, facileque corrumpitur. Et sicut dum fructus sese mutuò tangunt, mox alter alterutri aliquid maculæ & corruptionis inspergit: ita dum diversi sexus corpora sese contingunt, facilè læsionem puritatis incurrunt. Benedicta igitur filia, quæ periculosum fugit consortium, quæ serpentinas vitat suggestiones, quæ colloquia nocturna familiaritatesque nimias odio habet, nec juvenes divites audiens, nec pauperes. O Virgo, etiàsi nubilis sis, noli oblivisci fasciæ pectoralis tuæ, si à Deo benedictionem cupis impetrare, hoc est, semper esto memor cinguli castitatis, quo affectus tui constringantur, ne diffluant at impura. Ne prodigas decorem & honorem tuum, juvenemq; irrisioni ne expone, qui ubi te leviorem suis exploraverunt blanditiis, irrident, & sese *3. Juvencula. Ruth. 3. Puditia facilè corrumpitur.*

sese jactitant posse tibi facilè opprobrium conflare, si vellent apud te esse impotum. Atque etiam parum est te castam esse corpore, nisi sis & corde. Utinam possis dicere cum Sara conjuge Tobiæ. *Tu scis Domine, quia numquam virum concupivi, sed semper mundam servavi animam meam. Numquam miscui me cum ludentibus, & cum hu qui in levitate ambulant participem me feci. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea, consensi accipere.* Tob. 3. Non poterat non benedictionem Domini in matrimonio sperare, quæ se ita mundam servarat & corde & corpore; quæ nunquam oblita fuerat fasciæ pectoralis suæ. E contra, illæ post matrimonio infælicitati traduntur, quæ omni via ambierunt matrimonia, etiam cum iis qui sponsi erant futuri, conquinationem non fugientes. Tales enim juste plectit Deus tribulatione carnis.

4. Conjugatis. Quarta benedictio concernit eos qui matrimonio juncti sunt. Horum benedictio continetur toto Psal. 127. *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus; Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit: Uxor tua sicut vitis abundans: Filii tui sicut novella olivarum: Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum, &c.* Timor Domini in conjugatis fons est omnis benedictionis; dumque eos ducit per vias Domini extimulans ad implendum ejus mandata, consilia, inspirationes, simul eorum laboribus benedicit. Quia hæc est promissio ejus: *Si mandata mea custodieru, venient super te benedictiones iste: Benedictus eris in civitate, & benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusque agrorum tuorum.* Deut 28. Simul etiam ubi timor Domini est, nulla injustitia regnat, ideo labores manuum suarum cum benedictione manducant, non verò alienos labores cum maledictione; non de hæreditate pauperis, aut pupilli, aut viduæ, aut de pane per fraudes, dolos, & circumventiones acquisito, sed de pane suo vescuntur. Et hæc est benedictio Dei, quia *melius est parum cum timore Dei, quàm divitiæ multæ & insatiabiles.* Prov. 25. nescio quibus viis acquisitæ, quæ vix benedictionem solent habere aut perpetuitatem; sed mox avolant, & cum ærumnis deficiunt. Potissima autem benedictio conjugatorum est, si pax & amor domi regnent, ita ut cum suavitate idem conjugii jugum dilectione spirituali melius factum trahant, ad æternam tendentes salutem: ita ut non sint sicut equi contumaces & rebelles qui currum, cui colligantur, in diversa trahunt, versant, reversant. Hoc enim si frequenter contingit, ut vel uxor viro sua rebellione sit causa damnationis, vel vir uxori suæ pervicatia, & administratione prava. Fœlix conjugium & à Deo benedictum, si vir & uxor consentiant, & sese mutuò ad familiæ providam administrationem, simulque ad Dei gratiam conciliandam, pari conatu adjuvent. Fœlix conjugiù, si uxor tamquam vitis in lateribus domus quieta fructificat in prolibus, tanquam sacra propagine. Si filii tanquam plantulæ olivarum sunt ductiles & virentes, in spe & timore Dei educati, ut tandem in bonis eorum moribus parentes valeant, oblectari. Benedict. im conjugium, dum vir in circuitu mensæ filios suos alit, erudit; dum sympolia & popinas non frequentat sua prodigens, sed frugali portione contentus benedicit Dominum in donis suis, dicens cum Job: *Omnipotens erat mecum, & pueri mei in circuitu meo. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum*; Job. 29. quia benedicet ei Dominus, benedictione temporali & spirituali, benedictione que æterna in cœlesti Jerusalem, postquam hic in filiis fuerit benedictus. Omnibus igitur conjugatis his anni auspiciis omnes has benedictiones peropto, ut per annos hujus temporis ad æternos valeant pertingere, jugiter Deum cum prolibus laudaturi.

Quod conjugium sit fœlix dicendum.

5. Viduis. Quinta benedictio concernit viduas, de quibus apud Psalmistam dicitur: *Viduam ejus benedicens benedicam.* Ps. 31. id est, multiplici benedictione replebo eas, quæ veræ viduæ sunt, illas solabor in desolatione, eis adero in omni afflictione, eis pro viro serviam in omni negotio, si spem suam fixerint in me. Utique multiplex Dei benedictio non deest illis, quæ verè viduæ sunt, castæ, quietæ, modestæ, nihil nisi obsequium Dei respirantes, renunciantes secundis nuptiis, ut illi perfectius possint servire, & corpurius offerre. Unde Apost. 1. Cor. 5. *Quæ verè vidua est & desolata, speret in Deum, & instet orationibus & obsecrationibus nocte ac die.* Christus enim, 1. Cor. 5. volens eis esse instar Patris & Mariti, orationem instituit tanquam medium, per quod vult cum eis familiariter conversari, & tamquam remedium, per quod eorum infirmitati optat providere, & benedictionem omnem impertiri. Et licet oratio ad omnia Christi membra spectet, potissimum tamen viduis commendatur, quæ aspirare debent ad faciem Christi, Mariti sui & Consolatoris; quia per illam hunc quem nondum intuentur præsentem in specie, intuentur tamen in spe, & ejus opem experiuntur: certa fide. Quod si exemplum cupis viduarum à Domino benedictionem specialem accipientium, habes in veteri Testamento Judith, habes in novo Testamento Annam viduam, Judith quidem benedictionem obtinuit, quia cum ancillis sola in conclavi morabatur in superiori parte domus suæ, & cilicio induta jejunabat omnibus diebus viduitatis suæ, præter Sabbata, & Neomenias, & Festa domus Israel. Jud. 8. Unde postmodum obtruncato Holofesne victrix rediens, quæ totam spem hujus negotii in Deo Protectore suo posuerat, audire meruit acclamationes faustas populi dicentis: *Benedixit te Deus in virtute sua, quia per te ad nihilum redigit inimicos nostros* Jud 13. Anna verò vidua, quia non recedebat a templo, orationi instans, & exspectans redemptionem Israel, quem oculis fidei jamdiu erat intuita, tandem meruit oculis corporis cernere, & brachiis amplecti, lachrymisque devotionis irrigare, benedicens corde & ore Dominum à Domino benedicta. Et paulo post vinculis exsoluta corporis hujus, ac in pace demissa, divinitatis ejus speciem

Viduis prater castitatem commendatur oratio.

Exempl. vid.

speciem limpidè potuit intueri in Christi resurrectione, & æterna frui benedictione. Hanc igitur benedictionem quam Anna & Simeon à Domino impetrarunt, Luc. 2. viduis & senioribus toto corde exopto, ut det eis Dominus postremam vitæ suæ partem sic ejus obsequio dicare, ut tandem mereantur in pace dimitti, & brachiis amoris Christum complectendo cygneum illud fœlix occinere: *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace.* ac tandem in cœlis perennante gaudere benedictione. Veniant ergo cum Anna vidua, veniant seniores cum Simeone, & Christum parvulum adorent, illique canos suos offerant. Imo offerant vitam & mortem cum plenissima resignatione & charitate; cruoreq; circumcisi pueri aspergant canos suos & purpurent eos rubicundo hoc latice, quia virtute illius omnis in nos promanat benedictio.

6. Sacerdotibus & Dei Ministru.

Sexta benedictio concernit Sacerdotes & Ministros Dei. His illam optamus benedictionem: *Benedictio illius qui apparuit in rubo, sit super verticem Nazarei inter fratres suos* Deut. 33. Quinam sunt Nazaræi inter fratres, nisi Sacerdotes? Nazaræus, id est, segregatus, consecratus, coronatus: hi ergo qui ad ministerium speciale Dei segregantur, consecrantur & coronantur. Nazaræi sunt; & à Christo in rubo Crucis manus protendente, summo Sacerdote & Nazaræorum Principe, debent benedictionem postulare, ut sancti sint in omni conversatione, sicut Sanctus est is qui eos sanctificat. Meminerint in omni ministerio & conversatione se Nazaræos esse, hoc est, consecratos & segregatos à plebe, ideoque prælucere debere pietate & puritate. Meminerint coronæ suæ, quæ dignitatis regiæ symbolum est, quam in Sacerdotio suo acceperunt à Christo Rege & Sacerdote, ut animum regium & excelsum, à terrenis avulsum, & ad cœlestia elevatum exhibeant. Sint ipsi veri Ecclesiastici; hoc est, Matris Ecclesiæ primogeniti & speciales filii, fratrum curam habentes, eis exemplo vitæ sanctæ præeuntes. Sint verè de clero, hoc est, de sorte Domini. Hæc enim erit sors & benedictio eorum, si verè possint dicere, quod eis in sua ad statum Ecclesiasticum assumptione injunctum est: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei tu es qui restitues hæreditatem meam mihi* Psal. 15.

Apostrophe ad Christum.

Obsecro igitur te, Domine, cùm in manibus tuis sit salus nostra, respice nos favore gratiæ tuæ, ut læti serviamus tibi. Et cum à te solo in populum benedictio possit promanare; illam impertire pueris, ut crescant ætate & pietate: illam impertire juvenibus & adolescentibus, ut tibi serviant in castitate: illam impertire adolescentulis, ut meminerint fasciæ pectoralis suæ & cordis munditiæ: illam impertire conjugatis, ut vivant in justitia & mutua dilectione prolesque alant in Dei timore: impertire illam viduis & senioribus, ut te colant sinceræ in ultima sua ætate: illam impertire Sacerdotibus tuis & Ministris, ut immaculati sint in omni conversatione, aliisque noverint prædicare face ardentis zeli, face pietatis & doctrinæ; sicque cum populis sibi commissis salutem assequi, & æternum te benedicere.

EODEM FESTO.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, &c. Psal. 66.

Præclarè optimam docebat S. Chrysost. populum Antiochenum, ad fœliciter annum novum auspicandum, quæ etiam non sine fructu plebi cuilibet à Pastoribus & verbi divini Præconibus brevi sermone proponi poterit. Ubi annum, *inquit*, expletum videris, gratias age Deo, qui te ad hanc, annorum circuitionem perduxit. Exstimula cor tuum, & totum vitæ tuæ tempus tecum reputa, tecum ad hunc modum verba facito: Dies avolant, & præterierunt; anni finiuntur, magnam vitæ nostræ partem confecimus; quid boni à nobis factum est? Judicium Dei præ foribus est, & reliquum vitæ tempus ad senectutem vergit. Hæc in annorum revolutionibus revolvo. Hæc porrò verba aliquot Monita continent ad fœlix anni auspicium apta; quæ ordine quodâ in particulari hic breviter explicabimus.

Lect. 9. *Pro fœlici exordio anni monita continet.*

1. Monit. *Deo agenda gratia pro præterito.*

Primò igitur agendæ sunt gratiæ Deo pro præterito, quòd scilicet ad ætatem istam incolumes nos perduxit. Neque hic exiguum est Dei beneficium; plerique enim infœliciter sunt abrepti, nos autem benignitate sua conservare dignatus est, ut ad meliora stimulum nobis subjiceret. Certè singulis momentis ab eo pendemus, & ejus fruimur favore & bonitate. Vitæ nostræ stamen & filum in manu ejus est: abrumpere illud posset, dum infœlici in statu agimus, dum adhuc ordimur telam, posset illam succidere nostro malo: attendamus ergo nobis, nec simus ingrati illi, à quo tota nostra pendet fœlicitas, salus, gloria. Dicimus cum humilitate & gratitudine: *Ego autem speravi in te Domine; dixi. Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ* Ps. 30. Alia habet lectio: *In manibus tuis tempora mea.* Anni, menses, dies, horæ nostræ in manibus Domini, imò æternitas nostra, & fors perennis fœlicitatis vel infœlicitatis, illas ergo manus frequenter respiciamus oculo humilitatis & pietatis. Solebant Antiqui primo & ultimo die anni, Fortunæ tamquam Deæ, à qua omnia negotia fœliciter vel infœliciter dirigi existimabant, mensam instruere, & ei sacrificare: ut Deam illam sibi toto anni incursis decursu conciliarent, & pro anno elapso gratias agerêt. Unde, quia Israelitæ quidam hunc morem Gentilium imitabantur, gravissimæ eos reprehendit Dominus: *Væ qui ponitis Fortuna mensam, & libatis super eam, qui Dominum dereliquistis, & oblitis estis montem sanctum meum.* Isa. 65. In quem locum sic ait S. Hieron. *Est in cunctis urbibus, & maximè in Ægypto, idololatria vetus consuetudo, ut ultimo die anni ponant mensam refertam variis generis epulis, vel præteriti anni vel futuri fertilitatem auspicantes, hoc*

hoc autem faciebant Israelita omnium simulacrorum portenta venerantes. Et fortasse etiam inde manavit consuetudo quorundam Christianorum, qui ultimo die æquè ac primo convivia ineunt, ut præteriti anni fælicitatem lætitiâ terminent, & novi prosperitatem auspicentur & apprecentur. Hæc quidem non adeo reprobamus, si modestia & temperantia Christiana his in conviviis observetur, & fœlicitas non à Fortuna tanquam Dea sed à Deo & ejus providentia, quæ fortunam omnem regit, exspectetur. Magis autem commendamus, ut primo die anni, annorum & sæculorum Regi gratias agamus per sacram Synaxin & mensam, per sacrificium gratissimum, per quod omnis nostra fœlicitas est auspicanda & terminanda. Hoc scilicet pio & grato animo practicant veri Christiani.

2. *Recogitandum tempus præteritum quomodo impensum.*

Secundò, non solum gratiæ agendæ sunt pro beneficiis perceptis, sed etiam in memoriam revocandi sunt dies & menses anni præteriti malè impensi. Recogitandum qualiter tempus pretiosum impenderis, quomodo gratia Dei usus fueris, quomodo vocationi satisfeceris. *Omnes quasi aquæ delabimur super terram,* & sicut unda unda, sic dies diem protrudit. Sed ad abyssum non pauci fluunt, cùm ad vitæ fontem deberent refluere.

2. *Reg.* 14.

Ovid.

Nec quæ præteriit, rursum revocabitur unda:
Nec quæ præterit, hora redire potest.

Melior certè vitæ portio multis inanis & vacua præterfluit; deterior succedit, nec prospiciunt. Magna pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, penè tota aliud agentibus. Sicut vinum è dolio effluens feces residuas facit, sicut torrens sordes relinquit, sicut candela extincta fœtorem parit; sic fæces peccati, sordes animæ, remorsus conscientiæ, fœtor prioris vitæ apparet & sentitur in fine, non sine dolore, & frustra tunc inclamatur:

Simile.

O mihi præteritos referat si Iuppiter annos!

4. *Esd.* 4.

Dicimus ergo unicuique, quod olim Angelus Esdræ: *Ponderа pondus ignis, mensura flatum venti, revocа diem qui præterиit.* Ingrediatur unusquisque ad cor, dum adhuc tempus est, dum nobis benignitate divina annus: & ponderando ignem divini amoris, ignemque æternæ damnationis, simulque brevitatem vitæ considerando, quæ non est nisi flatus venti, conetur revocare menses & dies præteritos vanè vel impiè impensos; sic prosperè poterit auspicari novos.

3. *Faciendum propositum non recurrendi ad mala antiquata. Iud.* 16.

Tertiò, pro futuro, forti planè proposito obfirmandus est animus, ut ad priores offensas non recurrat, sed ad meliora potiò tendat. Sed eheu! tota ferè vita nostra in propositis inanibus fluit. Cum Sampsone cæco eandem molam semper vertimus, in circuitu, eandemque viam imus & redimus. Volvuntur anni, & in illis ac cum illis magnis involvimur, sicut in labyrintho agimus, quo magis progredimur, magis intricamur. Similes quoque sumus ostio, quod in cardine volvitur continuò, sed non egreditur; sic & nos in vitiis nostris & imperfectionibus volvimur, & volentes egredi, iterum involvimur. Hoc tamen scire debemus, parum esse proponere, & continuò proposita pia renovare, sed nihil ad effectum deducere. Infernus, ut dici solet, plenus est bonis propositis; sed cœlum plenum bonis operibus, & nonnisi illis & efficaci illorum voluntate acquiritur. Quid igitur?

4. *Ad propositum perficiendum gratia Dei invocanda.*

Quarto, invocanda est cum humilitate & fervore gratia & benedictio Dei, ut dignetur per illam propositum melioris vitæ in nobis firmare & radicare. Invocandum & auxilium Matris Dei, & Angeli nostri, qui jam quasi de novo, anno sese revolvente renovante, curam nostri suscipit; renovatque tutelam, si voluntatem renovemus, cor & conscientiam. Dicamus ergo: *Benedices. Domine coronam anni benignitatis tuæ.* Quasi dicat unusquisque fidelis: Ecce Domine coronam texui anni præteriti, & tua benignitate adimpleta est, & consummata corona ista, qui filum illius, dum adhuc orditer, poteras succidere, & de mane usque ad vesperam me finire. Novam verò anni hujus iterare coronam necesse est & nequeo sine benignitate tua, non valeo eam protelare sine gratia tua. Ergo tu qui es semper is qui est, cujus anni non deficiunt, in te fluentes annos nostros & tempora rege & tempera, benedictione tua illa prosequere, ut dum mutamur de anno in annum, de mense in mensem, de die in diem, non mutemur in te, sed firmiter adhæreamus tibi, qui æternus es, ut æternitatis tuæ immutabilis tandem plenè valeamus esse consortes, in illa scilicet civitate Jerusalem, cujus participatio est in idipsum.

Psal. 64.

Isa. 38.

S. Augustinus ad hanc æternitatem Dei participandam aspirare nos docet explicans illud: *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.* Ubi eleganter sic dicit: Fratres quisquis erigit aciem mentis, videat quid est in idipsum. Idipsum quomodo dicam, nisi idipsum? Fratres, si potestis, intelligite quid est idipsum. Nam & ego quicquid aliud dixero, non dico idipsum: contendimus tamen quibusdam vicinitatibus verborum & significationum, perducere infirmitatem mentis ad cogitandum idipsum. Quid est idipsum? Quod semper eodem modo est quod non modò aliud, & modò aliud est. Quid est ergo idipsum, nisi quod est. Quid est quod est? Quod æternum est. Nam quod semper aliter & aliter est, non est, quia non manet. Non omnino non est, sed non summè est. Et quid est quod est, nisi ille qui Moysi dicit: *Ego sum, qui sum? Dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Ecce idipsum. Non potes capere; multum est intelligere, multum est apprehendere. Hæc ibi hac de re Augustinus, qui & paulò pòst prosequitur sermonem de mutabilitate nostra in annis & diebus, & de immutabilitate Dei explicans illud: *Mutabis ea, & mutabuntur, tu autem idem ipse es; & anni tui non deficient.* Ecce, inquit, idipsum, cujus anni non deficiunt. Fratres, nonne anni nostri quotidie deficiunt? Nec stant omnino. Nam & qui venerunt, jam

Psal. 64.

Exod. 3.

Psal. 101.

jam non sunt, & qui futuri sunt, nondum sunt. Jam illi defecerunt, & illi defecturi venturi sunt. In hoc ipso uno die, Fratres, ecce modo quod loquimur, in momento est: præteritæ horæ transierunt, futuræ nondum venerunt, & cum venerint, transibunt & deficient. Qui sunt anni non deficiunt, nisi qui stant? Si ergo ibi anni stant, & ipsi anni qui stant, unus annus est; & ipse unus annus qui stat, unus dies est, quia ipse unus dies nec ortum habet nec occasum, nec inchoatur ab hesterno, nec excluditur à crastino, sed stat semper ille dies. Et quod vis vocas illum diem: si vis anni sunt, si vis dies est, quodcumque cogitaveris, stat tamen: illius stabilitatis particeps est illa civitas, cui participatio est ipsius. Hactenus August.

5. Mens ad æternitatis considerationem reflectenda.

Quintò itaque monemus, ut cum de anno in annum progredimur, & agnatam nobis mutabilitatem, tum in ætate & tempore, tum in corpore, tum in corporis diversa conditione, tum etiam in animi varia affectione agnoscere cogimur; mentem seriò ad æternitatis considerationem & amorem convertamus. Ibi omnia stabilia, omnia firma, in eo qui semper idem est, in eo qui idipsum est. Ad hanc æternitatem & divinæ stabilitatis participationem contendere nos voluit Christus Dominus; & propterea ad nos venit, mutabilitatique & miseriæ humanæ in assumptione carnis se subjecit, ut suæ immutabilitatis nos tandem faceret participes & beatitudinis. *Natus est nobis in volubilitate temporum, ut nos perduceret ad æternitatem Patris*, inquit S. Augustinus serm. 13. de temp. Rogandus igitur est humillimè per annos benignitatis suæ, quos hic nobiscum dignatus est agere ter denos, coronam dierum sibi à Patre constitutorum in hac mortali vita sic adimplens, ut per illam coronam, annorum nostrorum coronæ benedicat, sicque anni nostri ab ejus annis, menses nostri ab ejus mensibus, dies que & horæ nostræ ab ejus diebus & horis dirigantur, & benedictionem participent; donec tandem pertingamus ad mensuram illam perfectam ætatis plenitudinis Christi, & occurramus in virum perfectum. Rogandus est, ut per puritiam suam & infantiam veram in nobis renovet innocentiam, ut sine dolo quasi modo geniti infantes lac gratiæ avidè concupiscamus; nec amplius de illorum numero censeamur, de quibus Propheta dicit: *Inundationem maris in quasi lac jugunt.* Hoc de illis verum est, qui sæculi hujus cupiditatibus amaris inhiant, quasi suavitatem lactis perciperent; sed postmodum amaritudinem & falsedinem experiri coguntur, non solum per variam conscientiæ remordentis alterationem, sed etiam per æternam sitim, in qua vel unicam aquæ guttam cum Epulone ad refrigerium expetent. Sed in æternum eam non reperirent, quia tempore opportuno lac gratiæ, vinum charitatis, aquam vitæ oblatam respuerunt.

Deut. 33.

Hæc porrò omnia, quæ requirimus ad fœlicia anni auspicia jacienda, insinuata videntur, & quodam compendio comprehensa in illo & secum orare nos docet rex & Propheta, *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri; Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.* Deus misereatur nostri pro tempore præterito & malè impenso: & benedicat nobis pro præsenti, ut fæliciter proponamus meliorem inchoare vitam: illuminet vultum suum super nos pro futuro, ut firmum propositum exequamur, & veri luminis participes videamus quæ agenda sunt, & ad ea perficienda convalescamus. Et misereatur rerum nostri, tam pro præterito atque præsenti, quàm pro futuro; quia in omni & pro omni tempore ejus misericordia debet in nobis elucere. Debet enim præire, comitari, subsequi. *Misericordia ejus prævenniet me.* Et alibi: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Denique in prædictis Prophetæ verbis tota Sanctissima Trinitas indicatur, cujus ope & gratia omnia nostra dirigantur. Dum enim dicit: *Deus misereatur*, ecce Pater. Dum addit: *Et benedicat nobis*, ecce Filius. Dum adjicitur: *Illuminet vultum suum super nos*, ecce Spiritus Sanctus. Dum repetitur: *Et misereatur nostri*, indicatur tota Unitas & simul Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Quod in fine ejusdem Psalmi specialius designatur, dum dicit: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Benedicat nos Deus, ecce Pater: Deus noster, ecce Filius, qui carnem pro nobis assumens specialiter Deus noster factus est: Benedicat nos Deus, ecce Spiritus Sanctus. Nomen ergo Dei ter repetitum Trinitatis est signaculum, à qua omnis promanat benedictio. Tandemque additur: *Et metuant eum omnes fines terræ*, non dicit, metuant eos in plurali, sed eum in singulari, ut unitas essentiæ designetur.

Psal. 66.

Psal. 58.

Psal. 22.

Sed ad quem finem omnis ista benedictio petitur & repetitur? Utique non ad alium, quàm ut cognoscamus in via hac tenebrosa circuitus & anfractus varios habente, veram viam, viam salutis & vitæ. Ut benedictione & lumine divino præeunte, non nimis deflectamus ad dextram per præsumptionem & nimiam de salute confidentiam; neque nimis vergamus ad sinistram per timorem anxium cum pusillanimitate & diffidentia conjunctum; neque ambulemus in circuitu per latam sæculi viam: sed breviorem & securiorem sectando semitam, tandem mereamur videre salutare Dei, hic per gratiam, in futuro per gloriam, ejus divinitate & humanitate in æternum perfruentes.

Conclusio.

Cum oratione ad Christum.

ITA, ô Domine Jesu; fac ut pio corde pro præteritis tuis beneficiis gratias rependere valeamus, omnemque professionem nostram, sive in temporalibus, sive in spiritualibus, agnoscamus perfecta fide à te solo dependere. Reduc quoque nobis in memoriam cum amaritudine annos, menses, dies que nostros contra honorem tuum impensos, ut possimus per pœnitentiam eos revocare, & ma-

culas in illis contractas lacrymis cordis obliterate, ne serò nimis cogamur pro illis in vanum ingemiscere & plorare. Propositum verò perfectioris vitæ & emendationis nostræ sic radica in nobis, ut non sit instar folii, aut floris, levi tentationis vento mox decidentis; aut instar vineæ, quæ primâ pruinâ læditur in suo flore. Adjuva ad excindendas omnes occasiones ad reiteranda peccata nos illectantes. Adjuva ad diffumpenda omnia vincula, omnesque iustitias funereas, in mortem animæ denuo nos pertrahentes. Denique æternitatis, cujus nos facere vis consortes, fac nos semper memores; ut dum altè insidet animo nostro, & illam prospicimus, ignorantiæ nostræ tempora despiciamus, & ad illam aspiremus, quæ perennat, beatitatem. Ita Domine benedic nobis, benedic annis mortalitatis nostræ: benedic coronæ, quam continuò teximus tua benignitate: hoc obsecramus te humillimè per sacratos annos pueritiæ, adolescentiæ, juventutis & totius ætatis tuæ. Rogamus per lacrymas, quas infans dedisti, per sanguinem, quem hodie fudisti, per circumcisionis dolores per nomen Jesu, nomen Salvatoris, quod pro fœlici nobis omine à Patre accepisti, ut numquam separemur à te, sed æternum nobis sis Jesus & Salvator.

Exempla. IMitandus est his anni initiis Nobilis ille, Rolandus nomine, de quo in Chronicis PP. Dominicanorum. Hic cum diem quemdam festivũ splendidus veste, in epulis, jocis choreis, omnibusque oblectationibus cum amicis traduxisset, vesperè in cor suum ingressus, & præterita hæc omnia secum serio volvens, exclamat. Eheu! ubi nunc festum, quod egimus? ubi dies totius lætitiæ? ubi epulæ & joci? ubi cætera omnia? Nimirum sicut hic dies, sic & reliqui transibunt, sicque omnis vita transcurret, nihil post se relictura, nisi æternum pœnitere. Dixit hæc secũ serò, & serio dixit: nam exinde ad meliorem vitam exstimulatus, non distulit, sed postero die S. Dominici institutum, ut pœnitentiam ageret, est adortus, in quo sanctitate & doctrina celebris fuit. Qui ingredi voluerit ad cor novum auspicans annum, quique voluerit præteriti anni dies revolvere, illos evolasse reperiet sine fructu, & multa cum vanitate; hoc ergo ei stimulum subjiciat ad meliora, nisi serò nimis & æternum velit pœnitere. Nec de die in diem proponat sine effectu; nam mors non infrequenter abrumpit cum filo vitæ inania proposita: ac multi annum subsequentem non sunt visuri, qui præsentem divino non impendunt obsequio. Cogitent hi, quid vellent fecisse in hora mortis.

Audi & aliud exemplum ex S. Petro Damiano. Quidam primo die Januarii tempestate jactus, voverat Religionem ingredi, ut salutis suæ certus consuleret: sed è naufragio erutus votum solvere hujus vitæ amore contempsit. Expleto anno, ipso primo die Januarii, dum cum aliis juvenibus discurreret, & choros duceret in scurrilibus cantilenis, subitò lapis de tecto super eum cecidit, & obtrivit. Sic infœlix ille, qui mundum deserere noluit ultroneus, amisit invitus; & fallacem carnis dulcedinem perdidit, quia amando carnem mentitus est veritati. Hæc P. Damianus.

EODEM FESTO.

Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus Genes. 27.

IN hortis terrestribus non inveniuntur flores hyberno tempore: at in Horto Nazareni, hoc est, Sponsi floridi, omni tempore inveniuntur, quia benedixit ei Dominus. Imo ipse est flos, qui hodierna die in media hyeme in acerrimo frigore exortus est; & mox instar rosæ antea clausæ incipit aperiri, & ruborem pandere per sanguinis sui aspersionem primam. Flos nimirum ipse est candidus & rubicundus, qui radiis ardentibus caritatis jam sese expandit, & demonstrat ardorem interiorem rubore exteriori; simulque odorem gratissimum afflat peccatoribus, & pius omnibus, qui eum contemplantur. Hic est flos, de quo Propheta prædixerat *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini* Isa 16. Quod explicans Richardus de S. Vict. ait: Quid flore formosius? quid flore fragrantius? quid flore fructuosius? In flore mellificatio, ex flore fructificatio: ex flore favus & fructus, in favo mel & cera, in fructu potus & esca; imò in flore est medicina.

LECT. 10 *Varios flores in strenam offert.*

Christus flos.

Hic flos Jesus factus est nobis medicina, ex illo mel, ex illo cera in ipso potus & esca. Medicina in redemptione, potus & esca in justificatione, mel & cera in glorificatione. Ex hac medicina sanitas incorruptibilitatis, ex ejus esca refectio internæ satietatis, ex ejusmodi potu ebrietas æternæ securitatis: de ejus cera splendor summæ claritatis, in ejus melle dulcor indeficientis fælicitatis. Hactenus ille. Ex quibus collige, quàm bene Christus dicatur floridus & Nazarenus, flos in infantia fragrantissimus, qui jam incipit fructum ferre redemptionis de spina circumcisionis, & postea omni ex parte in crucis roseto expansus, & perfectè rubens, maturissimum fructum proferet ejusdem consummatæ redemptionis de spina acerbissimæ Passionis.

Hortus Christi semper floridus. v. Sur. 5. Febr.

Semper itaque floret Hortus Nazareni. Hortus, ad quem ipse toties in Canticis Sponsam suam invitat ut flores colligat & lilia, quæ nullo desunt tempore, sicut nec fructus. Ex illo Horto B. Dorothea media hyeme Theophilo Judici rosas promisit martyrio vicina, & mox eas misit à morte sua; ita ut earum odore & pulchritudine mox conversus fuerit Theophilus ad fidem Nazareni, quam antea impugnabat & irridebat.

v. Vitam S. Cæcilia apud Ribad. vel Surium.

Ex eodem horto prodierunt illæ corollæ ex liliis & rosis textæ in media hyeme, symbolum virginitatis & martyrii præferentes, quas Angelus detulit ad Cæciliam, quarum odore & specie Valerianus

nus ejus sponsus non solùm ad colendam virginitatem, sed etiam ad martyrii infracto animo susciendam coronam est animatus.

v. Sur. 6. Ian. Ex eodem horto eodem hyberno tempore collecta sunt illa lilia & flores fragrantissimi, quibus conclave & thalamus Juliani & Basilissæ refertus fuit, quorum odore ad virgineum florem in matrimonio conservandum Basilissa fuit inducta, ineredibili ex his floribus perfusa gaudio in medio Angelorum & Sanctorum choro.

Selegi & ego ex eodem horto aliquot flores & viridantia folia odorem suavem spirantia, ut hocce anno ineunte, id quod unicuique juxta sortem suam vel ætatem congruit, in Xenium proponam, & muneris sui eos sic commonefaciam. Incipiendum nobis igitur ab eminentioribus & senioribus; deinde ad juniores & inferiores progrediendum est.

Strena Eccl. siasticorum flores amygdali. Primò quidem Sacerdotibus & Ecclesiasticis, qui in statu Deo consecrato cæteris præeminent, in Xenium & muneris sui sacrum symbolum offero flores amygdali ex horto Jesu Nazareni. Hos flores dum contemplantur, intelligere debent, quod sicut amygdalus inter cæteras arbores prima flores producit, sic & ipsi aliis omnibus debent præflorere pietate & perfectione vitæ, cætero que fideles, velut arbores in mystico Dei horto plantatas exemplo suo ad flores producendos invitare. Ideo enim de virga Aaronis, quando supremi sacerdotii dignitate fuit inauguratus, dicitur: *Turgentibus gemmis eruperant flores, qui solùm dilatatu in amygdalas deformati sunt*. Num. 17. Mox etenim è virga sicca flores visi sunt erumpere, & illico etiam forma florum mutata & desinente, gemmæ mutatæ sunt in fructus amygdalinos; & hoc fuit manifestum indicium electionis divinæ ad sacerdotium. Cujus rei pleniorem significationem hic prætermitto, latius à nobis explicatam in libello de Sacerdotio, quem intitulamus, *Virga Aaronis*; illuc remittimus Lectorem ad Tractatus primi lectionem primam & secundam, ubi reperiet monita Sacerdotes & Ecclesiasticos concernentia, ab hac virga & Sacerdotali amygdali flores & fructus producente desumpta.

Strena senum heliotropium. Secundo Senioribus ætate, in quolibet agant statu, pro Strena & Xenio offero Heliotropium, sive florem Solis. Nempe sicut flos ille ideo Solis flos nuncupatus est, quia semper respicit Solem, & ad ejus motum se gyrat & movet: sic & ipsos saltem in extrema ætate convenit Solem justitiæ & gratiæ tota cordis intentione respicere, ad ejusque nutum omnes cogitatus & actus ac vitæ hujus residuum gyrare & conformare. Totos se Christo resignent si velint ambulare in luce, & dies suos finire in ejus lumine, ipse enim dicit: *Ego sum lux mundi qui sequitur me, non ambulat in tenebris*. Joan. 8. Quem locum explicans S. August. Tract. 34. in Joan. sic eleganter ait: Sequere Solem istum visibilem, si ipse tendit ad Occidentem, quo & ille tendit, & si noluer-

ris tu illum deserere, ipse te deseret in Occasu. Deus verò tuus ubique est totus, si non ab illo facias casum, nunquam à te faciet ille Occasum. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, *inquit ipse*. Hæc Augustinus. Semper ergo respiciant Christum, qui jam sepulchro & tenebris mortis proximi sunt, & dicant cum discipulis: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit*. Luc. 24. Non videbũt mortem, si teneant Solem, sed poterunt dicere: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Psal. 22. Sicut heliotropium cum Sole se claudit, sed ad Solis ortum & radios iterum se aperit: ita meminerint senes, quod si cum Christo Sole suo extremum diem claudant vitæ, mox in altera vita se novum & perpetuum Orientem inventuros, ut refloreant, & iterum amœnissimè revirescant, nunquam clausulam ulterius habituri, quia ibi Sol suos nunquam retrahet radios. Studeant igitur ætatis suæ postremum cursum rectè peragere, ut intrepidi occurrere valeant caligini & umbræ mortis, lucem inventuri in tenebris: nec sepulchrum poterunt horrere, ex quo vitam poterunt haurire. Illi verò, qui postremam ætatem Deo consecrare contemnunt, Deo planè & hominibus odibiles sunt. Nam sic testatur Dominus: *Tres species odivit anima mea, pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum* Eccl. 25. Qui sunt senes fatui, nisi illi, qui ætate florida jam eos deserente, in vitiis manent inveterati, æquè scilicet in senectute ac in juvenili ætate ebrioſi, blasphemi, luxuriosi, maledici, & temporalibus rebus toti affixi? Quid stolidius, si mens ad perfectionem festinare non contendat, quando totius corporis habitus ad interitum properat? Quæ major stultitia & abusus, quam ad ostium hujus mundi stare ad egrediendum, nec tamen vitæ præsentis egressum, nec futuræ ingressum considerare? Hos ergo odit Dominus: hos æternum infœlices à se expellit mundus; ad hos excipiendos præ gaudio se dilatat infernus. Nos interim monemus, & ad meliora eos instigamus per florem Solis quem ad imitationem eis proponimus, ut æternum in luce vivant, æternumque floreant.

Senex fatuus quis.

Ramus olivæ strenæ conjugum. Tertiò, his qui in conjugio agunt, in Strenam & Xenium offero Olivæ ramum de horto nostri Nazareni. Quid ita? Quia Oliva semper fuit symbolum pacis, & ad eam significandam Columba emissa ex Arca, *ad vesperam venit ad Noe, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo* Genes. 8. Significabat nimirum ramus olivæ securitatem ab aquis, pacemque & fœdus cum Deo, diluvio jam cessante. Meminerint ergo conjuges hoc olivæ symbolum contemplantes pacem domesticam & concordiam perfectam semper sibi curæ debere esse & cordi. Meminerint iterum, quod sicut oliva pinguedinem suum communicat, & in nostrum derivat usum; ita se tamquam olivas fructiferas in domo Dei esse plantatas, ut de benedictione sibi à Deo communicata, alus indigentibus beneficentiæ oleum nove-

runt.

rint communicare. Unde eos monebat Apostolus:

Heb.13. *Beneficentiæ & communionu nolite oblivisci*: quod sit per opera misericordiæ, cujus oliva etiam symbolum solet esse. Unde S. Gregor. Hom. 6. in Ezech. de odore diversarum virtutum agens, sic dicit: *Aliter olet flos uvæ, quia magna est prædicatorum virtus & opinio, qui inebriant mentes audientium. Aliter flos olivæ, quia suave est opus misericordiæ, quæ more olei fovet & lucet. Aliter flos rosæ, quia candida vita carnis est de incorruptione virginitatis. Aliter flos violæ, quia magna est virtus humilium, qui ex desiderio ultima loca tenentes se per humilitatem à terra in altum non sublevant, & cœlestis regni purpuram in mente servant. Aliter redolet spica, cum ad maturitatem perducitur, quia bonorum operum perfectio ad satietatem eorum, qui justitiam esuriunt, præparatur.* Sic nimirum Ecclesia est instar agri pleni in diversis floribus, & fructibus vernantis, cui benedixit Dominus. Nam secundum varios status variasque sortes hominum, quæ in ea reperiuntur, varios flores producere cœlestis dicitur diversi odoris. *Christi bonus odor sumus*, dicebat Apostolus, Prædicatores Ecclesiæ comparantur viti florenti & fructiferæ, quia vinum cœleste propinant populo. Virgines, rosæ sunt candidæ. Humiles, sunt odorantes violæ, cœlesti vernantes colore. Conjugati, sunt instar olivæ fructiferæ, si vacent operibus beneficentiæ & misericordiæ, & ideo eis olivæ floridum ramum duximus in Xenium præsentandum. Sed & hoc symbolo eos meminisse volumus, quod curam prolium suarum attente debeant gerere, ut sint ipsi *sicut novella olivarum in circuitu mensæ suæ*, ab ipsis & à Deo benedictionem accipientes. Erudiri utique debent, & tanquam novellæ plantationes rigari, flecti, duci, ut floreant & fructificent in operibus pietatis & timore Dei, ut de illis possit dici, quod de Christo: *Puer autem proficiebat sapientia, ætate, & gratia, coram Deo & hominibus*, Lucæ 2.

Ps.127.

4. Lilium cum rosa adolescentum strena.

Quartò his qui necdum in conjugio agunt, sive adolescentuli sunt sive adolescentulæ, offero de horto Nazareni in Xenium *Lilium cum Rosa*. Lilium quidem candidum, tamquam symbolum puritatis & pudicitiæ, ut memmerint illam ante conjugium servare illibatam. Nam licet in ætate ista lubrica agant inter varias cupiditates, & illecebras, tanquam lilia inter spinas, tamen si sibi advigilare voluerint, & cœleste requirere auxilium, possunt his omnibus obsistere, nec lædi. In omni igitur tentatione recurrant ad illum, qui de se dicit: *Ego flos campi & lilium convallium*, Cant. 2. Ad ejus Matrem & Sponsam, recurrant, de qua dicit ipse: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Horum protectione & auxilio quis non erit tutus, & ab omni læsione immunis? Lilium itaque semper symbolum fuit castitatis, ita ut dixerint antiqui, quod inimicitiam & odium perpetuum cum lilio Venus habuerit, eo quod candore & puritate sua pulchritudinem Veneris superaret, & ejus quodammodo impudicitiam muto eloquio condemnaret. Optime igitur hoc symbolum proponimus his qui in flore sunt ætatis, ut si Deo placere velint, noverint se instar lilii debere conversari cum cordis & corporis castimonia; quia ipse pascitur inter lilia, amat castas cogitationes, & puras affectiones. Et sicut radix lilii cordis habet similitudinem, sursumque ascendens germinat & floret: sic adolescentibus convenit cor esse rectum, & sursum tendere, sursum aperiri instar cordis lilii, sive radicis ejus. Iterum: *Lilium non in montibus sed in vallibus nascitur, quia superbus Deus resistens, in humilium cordibus invenitur*, inquit B. Damianus. Porro cum Lilio obtuli & Rosam in Xenium, quia illa ob rubicundum suum colorem pudoris aptissimum est symbolum. Sic ergo meminerint cum Lilio Rosam considerantes, in omnibus modestiam & verecundiam cum castitate exhibere. Nempe verecundia est quasi facies & species cæterarum virtutum, & primum adolescentiæ decoramentum. Quasi aurora quædam, omnium actionum colorat principia & virtutes reliquas virgineo venustat pudore. Audi Sanctum Bernardum serm. 87. in Cant. *Quid amabilius verecundo adolescente? Quam pulchra & quam splendida est gemma, morum verecundia in vita & vultu adolescentu? Quam vera & minimè dubia bonæ spei nuntia? Bona malu index est virga disciplina, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatu innate. Specialu est gloria conscientiæ, fama custos, vitæ decus, virtutu sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus & insignæ vocius honesti.*

Serm. de Nat. B. M. V. Rosa pudoris.

Lilium symbolum castitatis.

Quinto his qui in sorte paupertatis sunt vel tribulationis alicujus, de horto Nazareni, cui benedixit Dominus, offero in Xenium, & Strenam, fasciculum Myrrhæ, cum florido ramo Palmæ. Nempè Myrrha symbolum est congruum, quod oculis meis contemplentur non sine fructu. Habet enim illa amaritudinem, habet & nihilominus odorem suavem, & medicinalem rorem, quam distillare se gloriantur manibus suis Sponsa & Sponsus in canticis. Sic paupertas & afflictio amara est; attamen à Christo diligitur, hominibus medicinalis est, Deo odorifera, si cum virtute patientiæ sit conjuncta. Illa meritis meritis cumulat, & relictis thesauris terrenis cœlum emit; nihil ergo ipsa ditius: quod dives sua possessione non potest, pauper sua emit vilitate & afflictione. *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis repromissionem. Ne indignemini fratres, si in mundo mali florent, & vos adversa patimini: quia non est Christiana religionis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali enim nihil habent in cœlo, & vos nihil debetis habere in terra; sed spe illius boni ad quod tenditis, quicquid in via contingit, gaudere debetis.* Propterea igitur his qui in afflictione sunt, palmam vernantem cum myrrha amara offerimus: quia palma quanto magis premitur, tanto magis in altum erigitur, semperque viret, quocumque nubilo hyemali non obstante, ac diminutione eorum quæ deorsum sunt

Fasciculus myrrha cum ramo palmi strena paupertati & afflictorum. Myrrha amara est sed odorifera. Paupertati applaudit. Heb. 10. Augustin. ser. de patient.

sunt foliorum, procera cœlum versus dulcibus est fœcunda fructibus. Sic patientiæ virtutem aptissimè designat, paupertati vel afflictioni conjunctam, quæ aspera est in cortice instar Palmæ, at suavis in fructu, quæ animum versus cœlum extollit, & quo magis tribulatio premit, eo animos magis erigit, nec quacumque asperitate adveniente, ipsa marcescit. Dicat ergo pauper & afflictus cum sponso *Manus meæ distillaverunt myrrham.* Cant. 5. Dicat cum Job patiente: *In nidulo meo moriar, quasi Palma multiplicabo dies meos.* Job. 29.

Magnatum strena sive dictus Corona Imperialis, cum viola.

Corona Imperialis symbolum dignitatis.

Sexto his qui in sublimitate sunt honoris, de Horto Nazareni, cui benedixit Dominus, in Strenam & Xenium offero florem illum qui inter flores Coronæ nomen obtinet, & *Corona imperialis* nuncupatur; sed cum hac Corona simul jungo & offero Violam. Corona illa florida & circumornata monebit eos dignitatis suæ, per quam aliis præsunt, & eis imperant; monebit & sapientiæ, quam debent possidere, ut digne possint regere, quæ instar coronæ gloriosæ, & gratiosæ, ornat, exaltat, protegit. Magnates aliis imperantes. Ideo dicebat Salomon illis. *Posside sapientiam, & exaltabit te, glorificabit ab ea cum eam fueris amplexatus, dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & coronam inclyta protegit te* Proverb. 4. Monebit quoque corona illa Coronæ immarcesibilis gloriæ in hac vita acquirendæ per præclara virtutis facinora, in altera à Rege Regum vertici suo imponendæ, si juste rexerint, si cæteros virtutum exemplo præcesserint. Hæc est *Corona decoris, & diadema speciei*, quod subsequitur coronam sapientiæ, coronam virtutis & gratiarum, ex Donis Dei contextam. Junxi porro coronæ illi sublimi dignitatem Magnatum designanti violam odoriferam, ut cum memores sunt dignitatis propter coronam, memores etiam sint humilitatis propter violam. Illa enim, ut supra etiam insinuatum est ex S. Gregorio, cum inter minimos flores computetur, præclarum est symbolum humilitatis. Est interim odoris suavissimi & cœlestis coloris, per id significans, quod humilitas licet humi repere videatur, reddere soleat tamen homines cœlestes, & in omni statu etiam eminentissimo esse illius præcipuum ornamentum. Quia humilitas in honore honor est ipsius honoris; & humilitas sine honore ipsa sibi sufficit ad honorem. Quapropter monebat Ecclesiasticus eos qui aliis præsunt, hanc humilitatis violam cordi habere, tanquam quæ illis maximo foret ornamento, quæque coronam gloriæ ipsis esset paritura. *Rectorem*, inquit, *te posuerunt? Noli extolli. Esto in illis quasi unus in ipsis; curam illorum habe, & sic confide, & omni cura tua explicita recumbe; Ut laetetur propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem consequaris correctionis.* An non hic commendatur humilitas? An non hæc ornamento est Rectoribus plebium? An non odorem & gloriam certam parit? E contra superbia, in his qui regunt, fœtorem, & dedecus, odiumque ingenerat. Advertant hæc Magnates & Nobiles, & quicumque in honoris gradu gloriantur; sicque violam humilitatis non negligant confœderare coronæ suæ dignitatis; alioqui audiant illud Propheticum: *Væ coronæ superbiæ, & flori decidenti, & gloriæ exultationis ejus.* Isai. 28.

Viola symbolū humilitatis.

Eccle. 32.

Itaque, ut concludam, hi sunt flores varii, quos hyberno tempore in agro cui benedixit Dominus, in horto Nazareni nostri collegi, ut unusquisque juxta statum & conditionem suam aliquem ex illis sibi congruum pectori possit appendere, & suavitatis odorem ex illis odorari. Suavissimi enim sunt, & maximè odoriferi, potentes depellere odoris sui fragrantia vitiorum immunditiam, dum unumquemque muneris sui commonefaciunt & virtutis cœlestem odorem spargunt. Potentes sunt, cum à Nazareni sive sponsi floridi & coronati horto prodeant, nos in illius amorem accendere, nos floridos & coronatos efficere, non minus quam flores B. Dorotheæ Theophilum, flores Cæciliæ Valerianum & Tiburtium, flores sancti Juliani Basilissam odore & amore cœlesti repleverunt. Rogemus ergo sponsum dilectissimum, qui adeo frequenter nos ad Hortum suum invitat, ut in illo possimus virtutum omnium flores ejus favore & ope colligere, lilium castitatis, rosam charitatis, violam humilitatis, hyacinthum cœlestis conversationis, olivam beneficentiæ, myrrham pœnitentiæ, palmam pœnitentiæ, laurum perseverantiæ, ut ex illis omnibus possimus contexere coronam spei & gratiæ in hac vita, coronam vero immarcessibilem gloriæ in altera: & cum hac corona tandem introducat nos ille sponsus, ille dilectus, ille Nazarenus, ad thalamum & lectulum floridum æternæ beatitatis.

Conclusio.

IN CIRCUMCISIONE DOM.

Lect. II. *De Festo Nominis Jesu,*

Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Psal. 8.

PRævidens David spiritu & lumine Prophetico divinæ incarnationis mysterium, nomenque Jesu Christi, ejus quoque ascensionem & triumphum, tandemque gloriam nominis ejus totum per orbem propagatum, exclamat in spiritu: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra, &c.* Singula vero hujus sententiæ verba energiam & mysterium continent; quapropter ea ponderabimus, & huic nomini Jesus sacratissimo & gloriosissimo apprimè convenire declarabimus. Et quidem quia de hoc nomine fusè tractavimus in Horto nostro Pastorali, ideo pauca hic adjiciemus, pauca etiam repetemus, & huic Themati appropriabimus.

Sic igitur exordiur Propheta: *Domine Dominus noster.* Ubi advertendum, quod nomen, *Dominus*, tam convenit Patri, & Spiritui sancto, quam Filio. Convenit enim tribus Personis divinis, respectu omnium creaturarum, & maximè respectu homi-

nis; quia ut observat Tertullianus l. contra Hermogenem, *in Scriptura sacra initio Geneseos non fuit Deus vocatus Dominus, nisi cum hominem creasset, tunc enim primo legitur: Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ &c.* Genes. 1. Interim licet toti Trinitati istud nomen, Dominus, conveniat, tamen specialiter Filio convenit secundum divinam & humanam naturam; unde bis hic Dominus nominatur, dum dicitur, *Domine Dominus noster*; propter scilicet utramque naturam. Quocirca quidam observant, quod vox illa prior, *Domine*, aliter scribatur in Hebræo, quam secunda *Dominus*; ita ut in Hebræo, sit nomen tetragrammaton soli Deo competens, nec Christo ut homini conveniens. Secundo autem loco repetita vox *Dominus*, sic scribitur ut etiam conveniat Regibus & Principibus, specialiterque Christo secundum humanam naturam. Idem observant in illo versu Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis &c.* Bis igitur Christus Dominus est, ratione binæ naturæ; nos quoque bis servi sumus; unde convenit nos ei repetere cum Davide; *O Domine ego servus tuus, ego servus tuus.* Psal 115. Et specialissimè Dominus noster est, propter assumptam humanam naturam nostram, per quam Nobiscum Deus est, & noster Deus in carne, & in finem usque sæculi. Noster Deus & Dominus, per Eucharistiam: immò per totam æternitatem noster Deus & Dominus particulari titulo, quia beati erimus non solum visione & fruitione divinitatis, sed etiam humanitatis ejus. Et manifestum est, quod speciali titulo Dominus noster est, quandoquidem emerit nos sibi servos sanguinis sui pretio, & dominum nostri acquirere voluerit crucis & mortis suæ merito, de hostibus iniquis qui possidebant nos per tyrannidem redimens & eripiens nos. Forsitan ideo hic Psalmus incipiens, *Domine, Dominus noster*, inscribitur apud sanctum Hieronymum, *Victori pro torcularibus*, Quia nimirum Christus Filius Dei, ut fieret specialis Dominus noster, venit in hunc mundum, & in crucis torcular calcari voluit, ut pretium redemptionis nostræ exprimeret, sanguinem illum quo aspersit vestem humanitatis suæ. Nec ibi tam victus fuit quam victor, nec tam calcatus quam calcans, quia peccatum, dæmonem, infernum, & omnes hostes nostros ibidem calcavit, & victoriam reportans nos sibi acquisivit; ita ut nomen nobis glorioſum sit, *Populus acquisitionis*. Ideo & in Baptismo sanguine ejus aspersi & abluti ejus dominium profitemur, nostramque servitutem, dum ad januam templi in aures nostras baptisantis digiti immittuntur, in signum quod apertæ esse debeant ad omne mandatum Domini nostri, & promptæ ad obedientiam: sicut olim ad ostium domus subula perforabatur auris servo, ad perpetuæ servitutis indicium. Idcirco etiam sæpe jubemur repetere; *Credo in Iesum Christum Dominum nostrum*, ut simus memores servitutis nostræ.

Secundo, videamus quod sit illud Nomen de quo dicimus ei; *Quam admirabile est nomen tuum!* Et quidem frequenter sacris in litteris per nomen Dei non aliud intelligitur, quam divinæ ipsæ perfectiones, majestas, potentia, sapientia, bonitas: sic nomen ejus sanctificari dicitur, dum hæ ejus perfectiones ubique celebrantur, & sanctitas ejus prædicatur; & nomen ejus admirabile glorioſum, justum, omnipotens dicitur, quia Deus est admirabilis, justus glorioſus, omnipotens, & ut talis à nobis colitur & celebratur. Attamen cum hic Psalmus de Messiæ & Christi gloria agat, rectè per nomen ejus, nomen JESUS ei in Circumcisione inditum accipimus. Filium ergo Dei in humana natura alloquentes dicimus; Admirabile est hoc nomen tuum, nomen JESUS, multis titulis specialiter tuum.

Nomen Iesus Christo specialiter convenit.

Primo, hoc nomen specialiter illius est, quia illi proprium est, ad hanc divinam personam in hac natura humana significandam impositum. Non enim est nomen commune & appellativum, aut metaphoricum, sicut alia ipsi accommodata. Nomen, Christus, commune etiam est Regibus & Sacerdotibus, propter unctionem: Nomina alia, Pastor, Agnus, Leo, Petra, Ostium, Via, translatitia sunt & accommodata, aliquam in illo proprietatem designantia. At nomen JESUS nomen proprium est, & ita illi propriè convenit, ut licet forsitan secundum sonum & syllabas materiales aliquibus impositum fuerit, non tamen nisi quia figuram illius gerebant. Et nulli alteri competit hoc nomen secundum perfectam suam significationem, vim & efficaciam: quia ipsi soli competit ratio nominis indicata per Angelum: *Vocabu nomen ejus* JESUM, *ipse enim salvum faciet populum à peccatis eorum.* Matth. 1. Ipse solus auctor est salutis spiritualis æternæ, universalis, & ideo perfecta hujus nominis significatio ipsi soli competit.

1. Quia illi proprium.

2. Quia à Patre æterno impositum.

Secundo, dicimus illius esse nomen, quia à Patre æterno ipsi specialiter impositum; nec ulla creatura in cœlo, aut terra, aut sub terram, digna erat illud imponere; non Angelus, non Joseph, non Maria. Hi si nomen illud pronunciarunt, vel in Circumcisione, vel antea non à se, illud nominarunt, sed à Deo Patre acceptum, qui nomen hoc præfinivit solus cognoscens perfectè nominis hujus dignitatem, solus habens jus proprium & auctoritatem ad imponendum nomen, quia solus habens jus & auctoritatem in illum cui imponebatur. Quod si magnum fuit Abrahæ, à Deo nomen suum mutari; magnumque quod Jacob Israel ab Angelo est nuncupatus, ob heroicam luctam; magnum quoque quod Simon vocatus fuerit Petrus, ob fidei firmitatem: quanto majus est quod ipsi à Patre perfectæ dignitatem ejus agnoscente nomen super omne nomen sit impositum, & ejus jussu per Angelum Mariæ & Josepho insinuatum?

3. Quia illud acquisivit sanguine & morte sua.

Tertio, Nomen JESUS, Nomen illius speciali titulo est, quia ab ipso acquisitum, non enim gratis impositum est à Patre, sed ob prævisa merita sua. Ab illo morte & sanguine tamquam caro pretio emptum

emptum est. Tuum ergo, & verè tuum, & merito tuum. Unde nec voluit illo nomine insigniri, nisi cum jam sanguinem inciperet fundere in circumcisione: ut sic jam inciperet mereri, officium inchoans Salvatoris, per aquam & sanguinem in hunc mundum introeundo; postmodum iterum per aquam & sanguinem ex hoc mundo exeundo, quia sine sanguine non fit redemptio, aut salvatio. Jam nomen illud in carne ipsius exarat recenti charactere stylus & culter circumcisionis; sed ultimos illi, perfectosque colores addet in cruce, per acumen clavorum & lanceæ, & per sanguinem lateris, ô Domine Dominus noster, quam caro tibi stat pretio hoc nomen, quod toto perfuso sanguine acquirere voluisti! Non ergo casu, aut fortuito, aut gratis nomen illud tibi obtigit, sed toto rigore justitiæ. Tuum est sic prodito in tabula crucis pretio prompte persoluto.

4. Hoc nomine Christus specialiter gloriatur.

Quarto, Nomen Jesus, ipsius esse specialiter ex eo etiam dicimus, quod specialiter in illo glorietur. Nomina quæ à parentibus dantur, vel ex origine alicui competunt, non tanti æstimantur, nec tanti titulum gloriæ cedunt, sicut illa quæ actu aliquo heroico acquisita sunt, & gloriose parta. In hoc autem nomine, tamquam glorioso victoriæ titulo & omine, ita gloriari voluit, ut capiti suo affigi illud voluerit & trophæo crucis. Et quamvis Iudæi conati fuerint illud delere hoc observantes apud Præsidem; tamen speciali providentia factum est, ut id non impetrarint, quia hunc gloriæ titulum, Iesus Nazarenus, triumphali columnæ indelebiliter affixum, voluit ab omnibus Nationibus agnosci. De qua re Prophetiam præcessisse agnoscit S. Aug. in titulo Psalm. 57. ubi habetur. *In tituli inscriptione ne disperdas.* Quod de titulo crucis intelligit; quasi præviderit David Iudæos illum honoris titulum conaturos disperdere, sed frustra, & ideo Psalmum suum sic inscripserit. Neque verò solum illo gloriari voluit in cruce, sed & gloriabitur tota æternitate. Est enim nomen hoc, nomen æternum, in quo secum electos suos vult gloriari. Et nonnulli existimant in capite ejus inscriptum fore in die jud cii & tota æternitate, Iesus Nazarenus. Sicut enim in manibus & pedibus reservat cicatrices in cœlo, sic putant & in fronte nomen istud inscriptum retinere in symbolum amoris pro electis, in symbolum confusionis pro reprobis. Cum hoc symbolo apparuit quondam B. Egmundo adhuc puero, & dixit ei: *Hoc nomen erit decus & memoriale tuum in æternum* Sic legitur in ejus vita apud Surium.

Cur nomen Iesus admirabile, Isai. 9.

Declaremus nunc ulteriùs, cur nomen istud dicatur *Admirabile.* Ad id intelligendum meminisse decet inter cætera pueri nati, & nobis dati nomina illud recenseri, Admirabilis: *Vocabitur*, inquit, *nomen ejus Admirabile.* Nempe cum Christus fuerit Deus & homo, quod antea fuit inauditum, humilis & sublimis, parvulus & immensus, mortalis & immortalis, omnia ista in hoc nomine comprehenduntur. Unde & Angelus Christi personam repræsentans dum apparuit Josuæ inquirenti nomen ejus, respondit: *Quid quæris nomen meum, quod est Admirabile?* Jud. 13. Utique; sicut admirabilis fuit Christus in omnibus in conceptione de virgine, in Nativitate sine Matris dolore, in vita sine peccato, in miraculis, in Transfiguratione, in Passione, Resurrectione, Ascensione; ita absq; dubio admirabilis fuit in nomine sibi imposito à Patre, cujus virtute tam mirabilia debebant patrari; cum ab ipso, tum ab Apostolis & successoribus eorum in finem usq; sæculi. Deinde admirabile est nomen ejus, quod est super omne nomen; in quo solo oportet nos salvos fieri; nec enim aliud datum est nomen sub cœlo. Dicitur autem nomen Jesus esse super omne nomen tuum quia excellit omne nomen, sive Angelorum, sive hominum; tum quia complectitur in se omnia alia nomina ei adscripta, qualia sunt. *Verbum Dei, Filius Patris, sapientia æterna*, & similia quæ secundum divinitatem ei competunt; sive etiam ea quæ secundum humanitatem ipsi conveniunt, *Magni consilii Angelus, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*, & similia. Denique hoc est primum nomen in libro prædestinationis divinæ, in libro vitæ, post quod sequuntur nomina aliorum electorum, quia in ipso & per ipsum electi sunt. Potest ergo meritò dicere: *In capite libri scriptum est de me.* Psal. 39. Admirabile ergo est nomen ejus in cœlis, imo & ejus magnificentia elevata est super Cœlos, & in nomine Jesu omne genu flectitur etiam cœlestium.

Cur admirabile in universa terra.

Admirabile quoq; est in universa terra, quia cum humiliaverit se Christus usq; ad mortem, exaltavit illum Pater, exaltavitq; nomen ejus: ut jam non amplius ut olim dicatur; *Notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen ejus*: sed etiam canitur: *A Solis ortu usq; ad occasum laudabile nomen Domini* Ps. 75. Et iterum: *Cantate Domino omnis terra, & benedicite nomini ejus, annunciate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.* Ps. 95. inquit David. Idem glorificare volens nomen Domini, postquam ad laudem invocasset cœlum cum Angelis; firmamentum cum sole, luna & stellis; deinde aerem cum nive, grandine, ventis, & volucribus, ulteriusq; montes & colles cum arboribus, & universis germinibus, cum animalibus, serpentibus, draconibus, abyssoq; cum aquis: tandem ad rationales animas vocè converteus, omnis conditionis, ætatis, & sexus ad laudem invitat, & concludit: *Reges terræ, & omnes populi, Principes & omnes iudices terræ, juvenes & virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius* Psal. 148. Exaltatum est admirabiliter in cœlis, à Deo ab Angelis: exaltatur & in terra ab hominibus cujuscumque status. Illi Pontifices suas tiaras & infulas, illi Reges sua sceptra, illi Principes sua diademata, illi nobiles suam purpuram & stemmata, adorantes substernunt, illius laudes decantant chori sacerdotum & virginum, Monachorum & Monialium, & Religiosorum omnis ætatis & sexus, ex parte cœlestium,

terrestrium, & infernorum illi humillimè genu flectentes in officiis quotidianis.

S. Gertrudis virgo pientissima, cùm feria quarta post Dominicam Palmarum inchoaretur Missa; *In nomine* JESU *omne genu flectatur*, ipsa ex intimo affectu cordis in honorem nominis ipsius dignissimi genua flectebat, ad suppletionem omnium in quibus ipsa unquam neglexerat Dominum debita reverentia honorare. Quod cùm sensisset Dominum benignè acceptare, fixit secundò genua in illo verbo, *Cœlestium*, pro suppletione omnium quæ sancti jam in Cœlo Domino conregnantes unquam neglexerunt in laude Dei. Viditque omnes sanctos, quasi exurgentes cum maxima gratitudine in laudem Domini, quod hanc gratiam Gertrudi contulisset, & orabant pro ea. Tertiò in verbo illo, *Terrestrium*, iterum flexit genua pro suppletione omnium quæ universalis Ecclesia neglexit & negligit in laude divina. Tunc Filius Dei benignâ hilaritate reddidit ei fructum totius devotionis, quæ sibi ab universa Ecclesia offerebatur. Quartò in verbo illo, *Infernorum*, similiter genua flexit pro suppletione omnium quæ neglexerunt qui sunt in inferno damnati. Tunc Filius Dei exurgens & stans coram Patre, ait: Hoc meum est, quia cum Pater omne judicium mihi dederit, ego justo judicio, cruciatibus, eos deputavi æternis. Ideoque hanc suppletionem tantopere gratam habeo ab illa, quod remunerationem humanus non capit intellectus, sed in futurum ei reservatur, donec capax æternæ beatitudinis efficiatur. Hæc l. 4. Insinuat. pietatis c. 24.

Quaterna sanctæ Gertrudis genuflexio.

Conclusio.

Concludamus, & dicamus non solum in cœlo & in terra, sed & inferno admirabile esse nomen istud & terribile. Nam de illo verum est, quod in oratione Manassis dicitur: *Conclusisti abyssum, & signasti eam nomine tuo laudabili & terribili.* Nempe nomen istud admirabiliter terret spiritus tenebrarum, & nomine illo velut clave Davidica, & velut sigillo indelebili, portas inferi obserat, ne spiritus illi nequam pro libitu erumpant in damna hominum. Unde ipsi dicunt: *Quid nobis & tibi* JESU *Fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos.* Matt. 8. Et rogabant ne imperaret illis, ut in abyssum irent. Luc. 8 Nempe adventus Salvatoris qui eos relegare debebat & relegare ad infernum, multum eos torquebat; tormentumque vocant, quod non permittantur libere in perniciem hominum erumpere, eos ad malum instigare, possidere & vexare. Et hanc libertatem videntes sibi adimi à JESU, seque expelli ab illo è corporibus & mentibus hominum, timebant, relegari in abyssum, ubi accidentalis eorum pœna augetur; dicuntque hoc esse ante tempus eos torquere, quia ante tempus judicii hanc in abyssum relegationem, & imperii sui eversionem non expectabant. Sicut ergo tunc Christus præsentia sua legionem dæmonum hominem Gerasenum possidentem valdè torquebat, ita ut rogarent mitti in porcorum gregem coacti exire: ita idem suo nomine in finem usq; sæculi eos torquebit, expellens virtute nominis sui per ministros suos invocati millena millia è corporibus & mentibus hominum, & quos voluerit relegans in abyssum; sicque nomine eam concludens & signãs, ne ultra sine ejus permissione egrediantur & noceant. Propterea igitur admirabile est nomen Dei in universa terra, & laudabile ac gloriosum in cœlo, terribile verò & summe exosum in inferno.

DE EODEM NOMINE JESU.

Domine nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. Isa. 62.

NOmina ideo hominibus indi solent, ut sint memoriale quoddam repræsentativum rei præteritæ, vel etiam prænunciativum & prognosticum rei futuræ. Sic Moyses istud nomen accepit, ut hoc nomine suo memoriam circumferret, quod de aqua extractus fuisset in infantia. Repertum enim in flumine infantem sibi afferri jussit filia Pharaonis, *& adoptavit illum, vocavitq; nomen ejus Moyses, dicens: quia de aqua tuli eum.* Exod. 2. Sed etiam erat hoc nomen prognosticum rei futuræ, & divinâ inspiratione ei dabatur fausto omine, quia de aquis afflictionum extracturus erat filios Israel, & per aquas maris rubri sicco pede eos translaturus in terram promissam. Sic etiam Jacob hoc nomen accepit, ut memoriam circumferret luctæ, quam in utero cum fratre iniverat, cujus ex utero egredientis plantam tenebat, unde Jacob, id est, supplantator. Prognosticum etiam erat futuri, quia in primogenituræ benedictione debebat fratrem prævenire, & quodammodo supplantare. Unde de illo dicit Esau: *Iustè vocatum est nomen ejus Iacob: supplantavit enim me in altera vice: primogenita mea antè tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam.* Gen. 27. Sic qui prius Abram vocabatur, Abraham à Domino vocatus est, Gen. 17. ut memoriã circumferret promissionis divinæ, quã ei pollicitus fuerat Deus, quod Pater foret multarum gentium. Sic & Simon Petrus à Christo est vocatus, Matth. 16. ut semper memor confessionis fidei, quam nomini totius Collegii Apostolici fecerat, quæ petra & fundamentum esse debebat totius Ecclesiæ ædificandæ. Sic denique Christo Domino impositum est nomen JESUS, ut sibi esset memoriale redemptionis & salutis totius orbis peragendæ; nobis autem memoriale æternum amoris ejus, & omnium mysteriorum ex illo amore prodeuntium. Videamus id in particulari.

LECT. 10

Primo igitur nomen JESUS, Memoriale est Incarnationis, Nativitatis, Circumcisionis, Oblationis in templo, & aliorum mysteriorum infantiæ Filii Dei. Reducit enim nobis in memoriam omnia ista mysteria, in quibus lux quædam initialis, & radioli lætitiæ & gratiæ ab hoc nomine promicarunt, & pias animas illustrarunt & lætificarunt. Quantã lætitiã affecit hoc nomen MARIAM in die Conceptionis & Incarnationis ejus, dum audit ab angelo: Luc. 1. *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen ejus* JESUM?

Nomen JESUS *est memoriale mysteriorũ infantiæ filii Dei.*

Jesum ? Hujus gaudii etiam paulò post particeps factus est Joseph ab eodem Angelo, dicente ei: *Noli timere accipere* Mariam *conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est; Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus* Jesum: *ipse enim salvum faciet populum à peccatis eorum.* Matth. 1. Quodnam posset esse lætius nuntium? In pronuntiatione hujus Nominis lux orta est justo & rectis corde lætitia, Mariæ scil. & Josepho. Deinde quanta lux, quamq; purum gaudium ex hoc nomine audito Pastoribus est infusum, dum in die Nativitatis Angelus iterum proclamat: *Evangelizo vobis gaudium magnum, natus est vobis hodie Salvator.* Luc. 2. Ulterius in die Circumcisionis, dum nomen ab Angelo vocatum ab æterno Patre impositum, puero huic ex mandato Patris cœlestis impositum declaratur, quo modo gaudio perfusos putas omnes ibidem præsentes? Denique, in oblatione ejus in templo facta, dum Simeon exultat in Deo suo, & canit, *Viderunt oculi mei Salutare tuum,* Luc. 8. sive Jesum tuum; exultarunt & omnes Justi qui expectabant redemptionem, & consolationem Israel, potuerunt; dicere cum Propheta: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo.* Abac. 3. Itaque omnia infantiæ mysteria, in quibus Nomen Jesu, Nomen *Salvatoris*, vel *Salutaris* insonuit, plena fuere lætitiâ. Et hæc omnia nobis rememorat Nomen Jesu piè pronunciatum desideria. Justorum nobis iterum ob oculos proponens; ideoque meritò de illo nobis Propheta dicit: *Domine, nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte, sed & manè de præcordiis meis vigilabo ad te* Isai. 26.

Nomen Jesus est memoriale omnium mirabilium quæ in ipso.

Secundo, Memoriale est totius vitæ ejus, & omnium mirabilium quæ in vita egit; omnia enim illa virtute nominis sui peregit, quandoquidem missio & commissio Patris in hoc nomine continebatur; nec erat aliud Nomen in quo oportebat salutem dari, dæmonia ejici, sanitati ægros restitui, mortuos suscitari, peccatores converti. Unde potestatem quã à Patre habuit, Apostolis & credentibus communicans, & Nomini suo eam infallibiliter annexam insinuãs, dicit: *in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferũ quid biberint non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Marc. 16. Propterea Petrus cum claudum sanaret ad speciosam portam Templi, ait: *In nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Et postmodum Judæis mirantibus, ait: *Viri Israelitæ quid admiramini quasi nostra virtute aut potestate hunc fecerimus ambulare. Deus Patrum nostrorum glorificavit filium suum Jesum, & in fide Nominis ejus, hunc quem videtis & nostis, confirmavit nomen ejus.* Act 3. Id est per fidem quam habemus nominis ejus, hunc claudum consolidavit, & sanavit nomen ejus. Sed & virtute Nominis Jesu facta est Pauli cõversio, & per illum totius orbis. Unde apparens ei Dominus, dicit: *Ego sum Jesus quem tu persequeris*; quibus verbis mirè ejus animum commovit. Et postea de illo Ananiam Christus alloquens, subdit: *Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus &c.* Act. 9. Nomen ergo istud Regibus & populis insinuatum à Paulo, animos eorum convertit & mansuefecit. Itaq; hoc Nomen Jesus, Memoriale est omnium prodigiorum, tum ab ipso Jesu dum in terris conversatus est, patratorũ, tum eorum quæ Apostoli virtute Nominis illius patrarunt. Si enim virtute Nominis Dei Virgæ Moysis inscripti tot in Ægypto mira edita sunt; multò plura à Christo & Apostolis virtute sacratissimi Nominis Jesu edita Orbis agnoscit: Et Nomen hoc quoties illud repetimus, Christi vitam ejusque miracula nobis repræsentat, tamquam Memoriale sacrum, quod Jesus fons sit salutis, cujus manus & membra, halitus & loquela, lachrymæ & saliva, vestis & fimbria salutem pariebant; ita ut in omnibus ejus membris scriptum hoc legere quilibet possit, Jesus & Salvator, sive ut Propheta loquitur, Deus Salutis meæ.

Nomen Jesus est memoriale mortis & Passionis ejus.

Tertiò, Memoriale est Mortis & Passionis ejus, quia per illã hoc Nomen meruit, humilians semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis: ita ut propter ea in cruce Nomen istud tamquã memoriale inscribi voluerit capiti suo. Et sicut olim summus Sacerdos offerens sacrificium Thiara caput tegebat, ex qua Nomen Dei Tetragrammaton & ineffabile dependebat; aureæ incisum laminæ, fronti ejus imminens. Ita Christus Dominus Sanguinis sui purpura, quasi Pontificali veste, indutus, dum sacrificium offert in cruce, Coronâ spineâ quasi Thiarâ caput tegit, & supra illam apponi voluit nomẽ gloriæ suæ. Jesus Nazarenus, ut impleretur illud per Spiritum S. non solum de Pontifice antiquo, sed & de ipso prædictum: *Magnificentia in diademate capitis ejus* Sap. 18. Et sic nomen illud magnificũ memoriale est æternum, non solum passionis, sed & gloriæ ejus quam per crucem & passionem acquisivit. Etenim quia humiliavit se usque ad mortem. *Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* Philip. 2. Ideo in cruce nomen istud scriptum legitur, Hebraicè, Græce & Latinè, à quibus tribus linguis omnes aliæ originem ducunt, & ad aliquam illarum omnes referuntur.

Est memoriale excitativum fidei.

Itaque dum dicit Propheta: *Domine nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ*, videtur velle dicere, Domine summopere exopto ut nomen tuũ animæ meæ omnibusque piis animis insculpatur, tamquam Memoriale sacrum Incarnationis tuæ & Nativitatis, tamquam Memoriale Circumcisionis & pro nobis fusi Sanguinis, tamquam Memoriale Vitæ admirabilis in prodigiis, tamquam Memoriale Crucis tuæ & Mortis, tamquam Memoriale Gloriæ tuæ & Exaltationis.

Quarto & postremò dicamus Nomen Jesu esse Memoriale excitativum in nobis fidei, spei & charitatis. 1. Fidei, quia dum illud audimus, excitatur in

nobis viva fides, qua credimus Filium Dei verum esse hominem à Patre missum, à Spiritu S. unctum, gratiæ & salutis nostræ actorem Ideo dicebat Apostolus: *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* 1. Cor. 12. Quia ex vera fide nemo potest id pronunciare, ita ut prosit ei ad salutem hæc invocatio, nisi Spiritu S. impellente. Et contra dicit S. Joannes: *Omnis spiritus, qui solvit Iesum, ex Deo non est.* 1. Joan. 4. Nempe Iesus censetur quid compositum & colligatum ex Deitate & Humanitate, per vinculum unionis hypostaticæ, qui ergo hoc compositum solvit, negans vel esse Deum, vel Hominem, hic ex Deo non est: qui autè viva fide agnoscit Iesum, utcumque agnoscit in eo, & censetur ex Deo natus, at dicit ibidem Ioannes. 2. Nomen Iesus excitativum est spei, quia hoc Nomen in quo est nobis salus. Unde rectè de Iesu dicimus: *Sperent in te, qui noverunt nomen tuum.* Ps. 9. Et iterum: *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus.* Ps. 39. Deniq; & illud unusquisq; cum veritate pronunciarit: *in te Domine speravi, non confundar in æternum, propter nomen tuum deduces me, & enutries me.* Ps. 30. Et quia hoc fovet spem nostram, ideo oleo comparatur: *Oleum enim lucet, pascit, ungit, lux, cibus, medicina,* inquit S. Bernardus; sic & hoc Nomen lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit & ungit. Quis ergo Nomen istud piè pronuncians non speret? Quis non ad Nomen vitæ respiret? Ideo Nomen Iesus agonizantibus solet proponi, quia tunc pusillanimitate, torpore, diffidentiâ solet premi cõtra mortis tenebras conflictantes hujus autem Nominis pia invocatio ad caliginem & mentis gravedinem, ad pusillanimitatem & diffidentiam dissipandam efficax est. Et certè quicunque huic Sanctissimo Nomini in vita affecti fuere ejus favorem & præsidium experti sunt, illud pronunciantes in morte.

Nomen Iesus oleo comparatur.

Nomis Iesu in morte invocatio efficax. Blosius in Monili spirit.

Sic de S. Mechtilde leginus, quod luctans cum extremo morbo, non aliud repetere & resonare, quam hæc verba, mellitissimâ affectione; *Iesu bone, Iesu bone.* Unde & apparuit ei Dominus Iesus, & dixit: *Veni benedicta patris mei, posside regnum tibi paratum à constitutione mundi.*

Sic & S. Ludovicus Rex, cùm in extremo spiritu ageret, ut omnem diffidentiam & pusillanimitatem depelleret, pronunciabat viva spe: *in conspectu Angelorum psallam tibi Domine, & confitebor nomini tuo;* Ps. 137. quibus in verbis expiravit.

Sic & S. Paulus cum capite plexus foret, nihilominus nomen Iesus resonabat, cum quo mors ei suavis erat. Nam caput à corpore separatum, tres dicitur dedisse saltus, tertio pronunciando nomen Iesus; unde & tres ibidem fontes eruperunt, qui adhuc Romæ ostentantur. Sic docebat omnes Christianos in Christo Iesu renatos fonte Baptismatis, hoc nomen salutis usque ad extremum spiritum semper in ore & corde debere gerere, tamquam nomen vitæ & calcar spei.

3. Hoc nomen est Memoriale excitativum amoris & charitatis. *Oleum effusum nomen tuum,* Cant. 1. dicebat sponso sponsa, *ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Ergo ab hoc nomine amor & dilectio. Utique nomen est rememorans nobis omnia divina beneficia, & ideo amorem in nobis excitat amori divino rependendum, à quo omnis in nos gratia promanat. Triplex nobis memoriale amoris sui reliquit nobis Pater noster Christus Dominus; nimirum corpus suum, sanguinem suum nomen suum amantissimum. Hæc in nobis continuò excitare debent & fovere caritatem. Unde congruit unumquemque cum Psalmista Iesu Domino nostro toto affectu dicere: *Benedic anima mea Domino, & omnia interiora nomini sancto ejus: Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas: Qui redimit de interitu vitam tuam: Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Ps. 102. Horum omnium beneficiorum memoriale est nomen Iesus. *Ideo omnibus amantibus divinum nomen istud mel est in ore, melos in aure, tubilus in corde,* ut dixit S. Bernardus, *& divinitus in quorumdam corde tamquam symbolum, & pignus amoris scriptum fuisse sacra tradunt historia.*

Obsecro Domine Iesu, ut tuum nomen istud sacratissimum digneris exarare in animis nostris, non litteris materialibus, sed litteris vivis, ut sit signaculum & Memoriale in intellectu nostro, in voluntate, in corde, Memoriale inquam, excitans fidem firmam, spem vivam, charitatem perfectam: Memoriale amoris quem exhibuisti nobis in incarnatione & nativitate, in circumcisione & oblatione, in vita & morte, ut & nos rependamus amorem, testantes illud in desiderio animæ, desiderantes te in nocte, sed & mane totis præcordiis vigilantes ad te; ut numquam nox peccati & mortis nos comprehendat; sed ambulemus in luce gratiæ, salutis, & vitæ.

Conclusio.

DE FESTO EPIPHANIÆ.

LECT. II. tripartita.

Ecce Magi veniunt ab Oriente Ierosolymam, &c. Matth. 2.

PARS I. *Quinam fuerint hi Magi.*

APud Prophetam Aggæum loquens Deus de Adventu Christi in carnem, hæc dixit: *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum & terram, & mare & aridam: & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Agg. 2. Quingentis circiter annis existimatur hæc Prophetia præcessisse Christi Incarnationem, & tamen tempus illud, unum modicum dicitur, quia Prophetis ad æternitatem Dei elevatis omnia tempora modicum quid sunt, punctum, momentum. *Filioli novissima hora est,* inquit S. Ioannes de toto tempore legis novæ. At S. Paulus cum LXX. legit: *Adhuc semel & ego commovebo cælum & terram.* Heb. 11. Quasi dicat: Commotio semel facta est in veteri lege in Sina; adhuc semel fiet adveniente illo qui novam feret legem. Commotio itaque facta est in cœlo & aëre, in Nativitate Christi, Angelis descendentibus, & cantantibus

tibus gloriam Deo, & claritate Deum circumfulgente, aëremque & Pastores illustrante. Commotio quoque facta est in terra, mari, & gentibus, dum Cæsaris edicto, unusquisque in suam civitatem profisci cogitur, sive terrâ, sive mari, in descriptione totius Orbis. Iterum commotio facta est tunc temporis, ut supra insinuavimus, per varia prodigia in cœlo, sole, salo. Denique an non hodie commotio in cœlo, stella insoliti splendoris apparente? An non & in terra, & in gentibus commotio, dum magno apparatu ab Oriente Gentiles in dromedariis accurrunt, dum etiam magnam commotionem in aula Herodis, & tota Hierosolyma suscitant? Unde sic Evangelista: *Cum natus esset Iesus in Bethleem Iuda, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Major erit commotio, dum in cruce morietur; & hic titulus ei inscribitur: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Unde S. Ambros. hæc verba Aggæi explicans ait: Moverat ante hæc cælum & terram, de Ægypto liberans populum, quando in cœlo erat columna ignis, terra inter fluctus, murus in mari, via in aqua. Manna de cœlo, petra in fontes aquarum. Movit & postea in Passione Domini, quando cœlum tenebris obductum, sol refugit, petræ scissæ, tumuli aperti, Mortui resuscitati, Draco victus in fluctibus suis vidit piscatores hominum non solùm navigantes in mari, sed etiam ambulantes sine periculo. Itaque & in Passione & in Nativitate, & in Christi per Apostolos facta in universo Orbe Annunciatione, impletum est hoc Aggæi vaticinium. Unde Augustin. lib. 18. de Civit. cap. 35. Movit cœlum, Angelorum, & siderum testimonio, quando incarnatus est Christus. Movit terram ingenti miraculo de ipso Virginis partu. Movit mare, & aridam cùm & in insulis & in Orbe toto Christus annunciatur. Ita moveri omnes gentes videmus ad fidem. Inchoatur ergo hæc commotio gentium hodie ad fidem Christi vocatis Magis, dum primo agnoscitur à Gentilibus, cujus nomen est, *Desideratus cunctis Gentibus.* Hi nempe erant primitiæ gentium, & quantum eum desiderarint, libet ex arrepto longinquo hoc itinere etiam per media discrimina: nec enim erat sine periculo alium quærere Regem in regia civitate præter eum qui sceptrum gerebat. Postmodum & cunctæ gentes exemplo eorum invitatæ, eum maximo desiderio suscipient, agnoscentes quod salus sit, vita, fœlicitasque universorum, & implebitur illud Isaiæ: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Isa. 42. Et iterum: *Ecce testem populis dedi eum, Ducem & Præceptorem gentibus.* Isai. 55. Hæc ergo hodie incipiunt impleri, dum puer recens natus interiori inspiratione, exteriorique luce, testimonium dat Magis ortus sui, divinæque bonitatis, eos ad lucem & salutem adducere exoptantis; dum & eis interius præcipit, urgetque citò accurrere ad se adorandum, Ducem viæ exhibens fallibilem, cœleste signum.

Thom. 2. sub fin.

Sed in particulari paucis explicemus, quinam sint hi de quibus dicitur: *Ecce Magi;* Unde venerint, & ex qua regione, de quibus dicitur: *Veniant ab Oriente;* Denique quid & qualis sit illa stella, de qua dicunt ipsi: *Vidimus stellam ejus.*

Quantum ad primum. Existimant nonnulli ex SS. Patribus, Magiæ fuisse deditos, & maleficiis, artibusque illicitis; nam & consuetudo & sermo communis Magorum & Magiæ nomen in malum interpretatur. Hæc fuit sententia S. Augustini serm. 2. de Epiph. Item Origenes lib. 1. contra Celsum, *qui dicit viso in cœlo prodigio incantationibus suis usos fuisse, ut intelligerent quid significaret; Dæmones autem jam à Christo superatos conticuisse, indeq; conjectasse, puerum per stellam designatum, potentiorem esse dæmoniis, ideoque eum adorare decrevisse.* Idem sentit S. Ignatius Martyr, qui de stella agens, dicit: *Evanuit mundi sapientia, præstigiæ factæ sunt nugæ. Magia risus, omnes ritus malitiæ abolti.* Idem docet S. Justinus Martyr. l. cont. Tryphonem: *Magi,* inquit, *quos sibi dæmon vendicarat ad omnia maleficia, postquam venerunt ut adorarent Christum, videntur ab illo defecisse, redacti in huius potestatem.* Hæc sententia si vera est, tanto magis efficacem ostendit gratiam ad lucem Christi, quæ illos cum dæmone commercium habentes, & tenebris stygiis obscuratos, mox ad se adducit, societatis sataniæ vincula omnia disrupit, & luci reddidit. Unde hic dicere libet: O puerum imbellem, sed fortem! O gratiam suavem, sed efficacem! O stellam ejus radiantem & potentem! Meritò nomen ejus apud Prophetam vocatur: *Accelera spolia detrahere, festina prædari;* Isai. 8. quia antequâ sciret vocare Patrem & Matrem, diripit spolia satanæ, & è faucibus inferi hanc eripit prædam.

1. Opinio *Hos Magos magiæ deditos fuisse.*

Epist. 1. ad Eph.

Alii interim ex sanctis Patribus hos non fuisse maleficos & incantatores existimant, sed Magos dici, eò quod fuerint sapientes Astrologi; sic quandoque etiam in bonum Magi nomen solet accipi; sicq; vocari soliti sunt Philosophi & Sapientes Chaldæorum, ut testatur S. Hieron. Dan. 2. Unde de his Magis dicit S. Cyprian. *Artem mathematicam vim & discursum noverant Planetarum, & elementorum naturâ, & astrorum ministeria certis experimentis observabant.* Sed in hoc etiam divinæ gratiæ efficacia sat est manifesta, quod hi Sapientes mundanam contemnentes sapientiam, agnoscant & adorent sapientiam veram in infantia; & hunc puerum qui lambit ubera, illum esse credant qui regit sidera. Quocirca eleganter S. Augustinus dicit serm. 1. de Nativit. *Hæc sunt testimonia Nativitatis tuæ, Domine Iesu, antequam tibi fluctus substernerentur calcanti crederent imperanti; antequam ventus te jubente siluisset, mortuus te vocavit te vixisset, Sol te moriente palluisset, terrâ te resurgente tremuisset, cœlum te ascendente patuisset; ante istâ & aliâ mirabilia, adhuc in manibus Matris portaberis, & Dominus Orbis agnoscebaris.*

2. *Astrologos alii dicunt. Anselm. Beda. Ruper. Serm. de Stella.*

Neque verò fuisse solum Sapientes Astrologos, sed & Reges, communis est traditio, licet Scriptura id non exprimat, nec ita certò & indubitanter ex sanctis Patribus constet; quia ordinariè Magorum nomi-

3. *Eos etiam Reges fuisse communis opinio.*

nomine eos vocitant, sicut & Evangelica scriptura. Sed communis Ecclesiæ sensus & picturæ regio eos nomine & apparatu decorat, nec sine fundamento. Etenim ut dixit B. Isidorus de passione Domini, cap. 15. *Magos Reges forè habuit Oriens*, Psal. 71. quod ipsum iisdem verbis dixerat Tertull. lib. 3. contra Judæos, cap. 9. Immo Cicero libro de divinatione refert, neminem potuisse esse Regem Persarum, qui non prius scientiam Magicam didicisset, quod etiam testatur Philo libro de specialibus legibus. Unde & B. Anselmus eos vocat Reges in cap. 2. Matthæi, & Theophilactus Reges Persicos eos nominat. Id quoque confirmari potest ex officio Ecclesiastico, in quo insinuatur tunc impletum illud: *Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* Et iterum illud: *Ambulabunt gentes in lumine tuo: & Reges in splendore ortus tui.* Stella nempè quæ apparuit splendor est ortus Christi, & lumen est illum designans, ut Reges illi venirent eum adorantes. Quapropter subditur: *Omnes de Saba venient aurum & thus deferentes*; in quo & horum Regum munera designantur. Hunc locum sic Arnoldus Carnotensis expresse interpretatur de his Regibus: *Reges Arabum & Saba ab oriente egressi, sicuti stellam insoliti luminis, gentibus curvatis, & humi purpurâ defluente, Iesum nostrum pannosum adorantes, donis sacramentalibus venerati sunt.* Adde, dona oblata indigna, haud esse Regibus; & quod *aperta thesauris* dicuntur illa obtulisse, etiam Regium indicat apparatum. Deniq; non est insolitum in Scriptura, quod Oppidorum Domini Reges vocentur; Gen 14. nam quatuor Reges adversus quinque dicuntur decertasse, & nominantur illi quinque, Rex Sodomorum, Rex Gomorrhæ. Rex Adamæ, Rex Seboim, Rex Balæ quæ est Segor; ita ut quinque civitates quinque Reges habuerint. Hoc igitur modo Magistri sapientes & potentes sæculi fuerunt in Oriente Oppidorum aliquorum Reges & Domini.

PARS II. *A qua regione venerint Magi.*

QUantum ad secundum, cùm dicuntur ab Oriente venisse, saltem certum efficitur Regionem Magorum respectu Jerosolymæ Orientalem fuisse: imò propriè loquendo ex illis verbis colligitur regionem ipsorum in Orientali plaga sitam fuisse; ideo enim absolutè dicuntur ab Oriente venisse, & vidisse stellam in Oriente. Sicut ergo nos dicimur habitare in occidentali plaga, ita illi in orientali. Sed cum Oriens, cui Judæa confinis est, vastitatem magnam habeat, an ab aliquo Orientali loco vicino, an à remotis Orientis partibus venerint, ambiguum relinquitur. Multi tamen ex antiquis Patribus ex remotis partibus venisse asserunt, specialiter S. Leo serm. de Epiphan. & tanto clarius mysterii hujus magnitudo declaratur, quanto ex remotiori regione eos ad se adduxisse infans isto de præsepio asseritur. Et quidem aliqui ex antiquis eos ex Perside venisse dicunt, quia Magorum auctoritas apud Persas maxima fuit, & eorum consilio omnia regni negotia administrabantur. Hujus opinionis fuit Basilius, & Chrysost. hom. 6 in Matth. Alii dixere quod ex Chaldæa venerint, in qua etiam Magi scientiâ floruerunt. Hujus opinionis est S. Hieron. & Ambros. l. 8. in Lucam. Et fortè hæc opinio à priore non multum dissidet, quia sub nomine Persarum etiam Chaldæi comprehendi propriè possunt, cum aliquando idem fuerit regnum Persarum & Chaldæorum. Interim probabilissimè dicitur, nec ex Persida, nec ex Chaldæa, sed ex Arabia Fœlice eos venisse, quia hæc est regio quæ muneribus illis, quæ Magi obtulerunt, abundat, & camelis, dromedariisque, qui sunt velocissimi cameli, fertilis est. Consonat istud scripturis jam allegatis: *Reges Arabum & Saba dona adducent.* Psal. 71. Item: *Dabitur ei de auro Arabiæ.* Item: *inundatio camelorum operiet te, dromedarii, Madian, & Epha. Omnes de Saba venient aurum & thus deferentes.* Isa. 60. Quæ scripturæ in hac festivitate impletæ indicantur, tum ab Ecclesia in officio suo, tum etiam à SS. Patribus. Unde S. Hieronymus in Isa. c. 60. ait: *Madian & Epha regiones sunt trans Arabiam fertilis camelorum. omnisque provincia appellatur Saba, unde fuit & Saba Regina, quæ venit sapientiam audire Salomonis.* Hujus sententiæ est Tertullianus, Justinus, Cyprianus. Et quia Arabia fœlix sic est Persiæ vicina, ut etiam interdum sub Persiæ nomine comprehendatur, teste Cyrillo Alexandrino lib. 4. in Isaiam orat. 4. hinc fortè & Patres qui asserunt à Perside venisse, non multum dissonant. Quod autem dicitur: *Reges Tharsis & insulæ munera offerent.* Psal. 71. Item: *Æthiopia præveniet manus ejus Deo. Coram illo procident Æthiopes.* Nomine Tharsis interdum significatur mare, ita ut non sit aliud dicere Reges Tharsis, quam Reges qui regnant in insulis maris; & fortè aliquis horum Magorum dominabatur in insulis maris, sive sinus Persici, Nomine autem Æthiopiæ metaphoricè intelligitur Ecclesia ex gentibus congreganda, quia peccatis nigra erat, & tamen Israelis populum erat præventura, & à Christo mundanda.

Porro non sine mysterio ab Oriente adducti dicuntur Magi isti. 1. ut ait Chrysost. quia unde dies nascitur, inde initium fidei processit, est enim fides lumen animarum. 2. quia ab Oriente initium suum sumpserat peccatum, idololatria, maledictio: conveniens ergo erat ut gratia, fides, & benedictio succedens suum ibidem sumeret primordium. 3. ait S. Thomas, quia omnes qui ad Christum veniunt, ab ipso & per ipsum veniunt: Unde dicitur: *Ecce vir Oriens* nomen ejus, Zach 6. Ab Oriente igitur veniunt ad verum Orientem, & ipse Christus Dux est eis vel via, & terminus Viæ; quia ab ipso, & per ipsum, & ad ipsum veniunt. Ipse eis oritur, eos ducit, eis se ostendit, eos reducit. Sicut nemo potest videre solem sine prævio lumine solis: sic nec Christi gratiam quisquam potest percipere, sine prævia gratia Christi. Hinc ipse dicit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Joan. 14. Via per quam oportet ire, veritas cum qua oportet ire, vita qua oportet invenire.

Simile.

Via

Via quæ excludit omnem aberrationem, veritas quæ excludit omnem deceptionem, vita quæ excludit omnem mortem. Hanc Magi viam secuti, huius veritatis luce instructi & ducti, vitam Orientem invenere in suis incunabulis. Propterea etiã olim Christiani in Baptismo Satanæ abrenunciantes, vultum & manum vertebant ad occidentem ter exsufflantes Satanam, ad eam regionem conversi. Deinde ad Orientem faciem vertentes, profitebantur se Christo adhærere, & cum Sole iustitiæ pactum inire, seque incolas esse Regionis lucis. Hæc est nempe Patria Christianorum ad Orientem sita, ad ipsam lucem & Solem, ut olim respondêrunt quinque Martyres, à Firmiliano Præfecto interrogati de qua forent civitate aut Patria, nec aliam ab eis ullis tormentis potuit vocem extorquere.

S. Dion. Eccl hierar. c. 2.

Surius in vita S. Pamphili

PARS III *Qualis fuerit stella quam viderunt. S. Thom. 3. p. q. 36. art. 7.*

QVantum ad tertium, Stella quæ Magis apparuit, non fuit una ex cœlestibus, ut multis rationibus probat S. Thomas ex sanctis Patribus. 1. quia illa nunc ab ortu ad occasum, nunc a Septemtrione in meridiem ferebatur, quod est contra ordinarium cursum stellarum. 2. quia non solum apparebat in nocte, sed etiam de die; quod nõ est virtutis stellarum. 3. quia quandoque apparebat, quandoque occultabatur. 4. quia non habebat continuum motum, sed cum oportebat ire Magos, ibat: cum oportebat stare, stabat, sicut columna nubis in deserto. 5. quia non sursum manens, sed deorsum descendens, Virginis partum ostendebat. Propter hæc igitur aliqui dixerunt fuisse virtutem invisibilem in apparentiam tantum stellæ transformatam; immo fuisse Spiritum sanctum, qui sicut super Dominum in specie columbæ apparuit, ita nunc in specie stellæ. Vel fuisse Angelum, qui apparuit Pastoribus in humana specie, Magis autem in specie stellæ. Verum probabilius est fuisse stellam de novo creatam, non in cœlo, sed in aëre vicino terræ, hoc est corpus lucidum & illuminans ex aërea aut elementari materia. Cui nomen stellæ attribuitur vulgari nomine, quia instar stellæ apparebat exterius, sicut & cometæ aliaque corpora lucida in aëre apparentia, stellæ nomen quandoque obtinent, immo & aer cœlum vocatur; alioqui strictè loquendo, cum stella significet corpus cœleste, talis non erat hæc stella. Quod vero splendidior sole dicitur ab aliquibus sanctis Patribus, cum & in meridie lucebat; non propterea lucem intensiorem, aut perfectiorem habuit, quam sol; quia difficile est creditu perfectiorem lucem connaturalem esse alicui inferiori corpori, aut datam esse à Deo sine necessitate. Vt autem in meridie lucebat, satis erat quod esset terræ propinqua, & haberet lucem valde perfectam, & materiam admodum densam; hoc enim plurimum cõfert ad magis lucendum. Peracto autem officio, stella ista in eandem resoluta est materiam, ex qua à Deo formata fuerat.

V. Suarez. in 3. p. q. 36. a. 8. sect. 3.

Licet vero stella ista verè corpus lucidum fuerit, tamen motus ejus (cum non esset uniformis sed modo per modum descensus, modo per modum ascensus, modo interruptus, modo progressivus, verisimiliter fiebat à motore intellectuali, scil. ab Angelo; quia cum non esset naturalis, sed secundum divinam voluntatem fieret, ordinarie tales motus per Angelos operatur Deus. Et hoc fortè voluerunt dicere Sancti Doctores, cum dixerunt fuisse invisibilem aliquam virtutem in speciem sideris transfiguratam intelligunt enim non fuisse verè stellam cœlestem, quamvis verum corpus lucidum fuerit, quod invisibili virtute Angeli movebatur, ita ut in speciem stellæ cœlestis, virtus invisibilis Angeli appareret in illo corpore radiante. Sic & Angelus in columna nubis & columna ignis Hebræos deducebat. Nam cœlestes spiritus omnis formæ expertes, eam speciem & formam assumunt, quam usus hominum postulat. Vnde B. Theodotus oratione de Christi Nativit. & stella sic loquitur: In Præsepi positus Dominus, & à stella denuntiatus non a stella descendente ad Magos, neq; enim stellæ loca permutãt, sed quoniam Chaldæorum terra plurimos habet stellarum motus inspicientes, virtus superna, nimirum Angelica, deducens Magos assumpsit stellæ speciem; & ea doctrina sua Chaldæi quod nesciebant, agnoscunt: ut cum astronomiam respiciũt, ab astris Christi mysteria docerentur. Quapropter S. Hieron. rationem quoque insinuans, cur Magi potius per stellam, quam per vocem cœlestẽ, vel per Prophetã aliquem, vel per Angelũ sint instructi de Filii Dei Nativitate, sic loquitur: *Oportuit potius Prophetas mitti; sed nequaquã Magi credidissent Prophetis: Aut Angelũ mittere; verũ & hunc forsan praetermisissent: Aut voce aliqua desuper insonare vel hanc quidẽ tantopere non curassent. Omnia ergo haec Deus derelinquens, per ea vocat quae familiaria eis consuetudo faciebat, mira dispensatione pietatis ad hominũ salutẽ descendens.* Vtique mira est Dei providentia & bonitas, dum & Angelos & alias creaturas modo planè extraordinario electis suis subservire facit ad æternam eorum procurandam salutem; injustis autẽ easdem creaturas vertit in cruciatum. Quod patet in illo; *Creatura tibi factori deserviens exardescit in vertit in tormentum adversus injustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.* Hoc multis exemplis ostendit B. Theodotus supra, *Aqua inquit, utebantur Hebraei sanguis autem Ægyptius Nilus factus est. Dies Israelitis erat, & clarũ eis circumfulgebat lumen; Ægyptiis autem hoc lumẽ facta sunt tenebrae. Babylonia quoq; flamma ros tribus facta est pueris: Quod quidem ros erat, tres docent pueri per hanc flammã refrigerati, quod vero etiam flamma fuit per hanc exustinuuntiant Babilonii.* Hæc ille. Sic iterum verum est quod subdit Sapiens; *Propter hoc & tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratia tua deserviebat, ad voluntatẽ eorũ, qui à te desiderabãt.* Sic & de stella ista, & de Angelo Dei eam movente dice-

Stella motus fiebat ab angelo.

Theodotus in Concil. Ephesino.

Magicus per stellã vocati.

Iustis Deus creaturas in iustum, salutem, injustis in cruciatum. Sap. 16.

dicere possumus, quod ut gratiæ Dei & voluntati benevolæ erga hos electos plenè deserviret, in varias formas & situs se transfigurabat; modo clarior modo absconditior, modo se abscondēs, modo se prodens, modo ascendens, modo descendens, modo progrediens, modo sistens. Vnde S. Chrisol. *Ambulāte Mago, stella ambulabat, stante Mago stat stella, dormiente Mago, excubat stella. Sic sentit Magus ut quibus viandi par conditio est, par sit necessitas serviendi. Et stellā jam non Deum credit, sed judicat esse conservam quam cernit taliter suū obsequiū mancipatam.* Interim eadem stella serviens electis ad obsequium, incredulis erat ad tormentum; Nam verisimile est multos præter hos Magos eam vidisse, nec credidisse; nec eam secutos fuisse; his ergo erat ad condemnationem, quæ Magis fuit ad salutē. In Evangelio dicitur, quod Ninivitæ surgent in judicio, & condemnabunt generationem incredulam; quia ad prædicationem Ionæ crediderunt, hi autem ad prædicationem Christi cor clauserunt; *& ecce plusquam Ionas hic.* item quod Regina Saba surget in judicio, quæ á finibus terræ venit audire sapientiam Salomonis, *& ecce plusquam Salomon hic.* Similiter dicimus, non solum quod Reges isti, sed etiam quod stella in judicio surget, & condemnabit incredulos. Et forsitan (inquit quidam Doctor Thelogus) verè & realiter iterum apparebit stella ista in die judicii, ad gloriam Regum, qui eā secuti á finibus terræ venerunt adoraturi Christum Regem natum; & ad vituperium justamque reprobationem Iudæorum, qui præsentem contempserunt, & blasphemaverunt: saltem mentaliter eis à Christo repræsentandam eam stellam ad confusionem, rectissimè asserimus.

Chrisol. ser. 165.

Matt. 12.

Guil. Pepin. ser. 1. in festo Regū

Concludamus de hac stella, & dicamus ex communi Patrum sententia, hos Magos fuisse posteros sive successores Balaam, qui vaticinatus erat de Christo *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet Duces Moab.* Ex quo vaticinio edocti fuerunt oriturum quando que stellam, quæ Nativitatem magni cujusdam Regis Iudæorum indicaret; cujus virga, id est sceptrum aliis Regibus & Ducibus dominaretur. Atq; ideo Magos visa hac stella mox permotos fuisse ad Regem hunc inquirendum. Adde tamen non solum stellam & signum istud visibile eos permovisse, sed etiā specialem Spiritus S. instinctum adfuisse, per quem cognoverunt, quis & quantus ille Rex esset, & quomodo ut Deus adorandus. Vnde S. Leo *Dedit aspicientibus intellectum qui præstitit signum, & quod fecit intelligi fecit inquiri, & se inveniendum obtulit requisitus.* Et iterū: *Agebat sine dubio in cordibus eorū inspiratio divina, ut eos tanta visionis mysterium non lateret, & quod oculis ostendebatur insolitū animū non esset obscurum.* Hinc & inspiratio interior que illustratio instar stellæ nobis est, ad Christum nos vocans; quæ licet ducat ad humilia & abjecta, quasi ad præsepium, imò ad adversa & aspera, quasi ad crucem, numquam tamen est negligenda, sed ubique sequenda; ut Christum tam in adversis quam in prosperis, tam in abjectis quam in sublimibus toto corde adoremus, ejusque voluntati nos conformemus, dicentes *Paratum cor meum Deus, paratum cor meū.* Fœlix igitur, qui intrepidè sequitur stellam vocationis suæ quamlibet via difficilis videatur & dura, ut IESUM tandē inveniat, qui dignus est ut desideretur, & quæratur per omnes labores, cruces, & tormenta. Fœlix qui instar Magorum non torpidè & cunctanter, sed cum prompta obedientia & humilitate, cum devotione & charitatis fervore, gratiæ interius fulgenti & vocanti quæ nulli deest, cooperans progreditur; non gressu corporis, sed effectu mentis, perseveranter ad eum tendens, qui est objectum dignissimum, principium, finis, centrum omnium nostrorum desideriorum. Felix, qui illum quærit purè propter ipsum, sicut & hi; non enim ab eo aliquid petierant, vel beneficium aliquod expectarunt, sed *venimus adorare eum*, inquiunt ipsi. Ad illum colendum, amandum honorandum, agnoscendum, & manifestandum veniunt; licet adorantes gratiam & favores cœlestes ab eo perceperint, Vtique, ut ait Sanctus Bernardus: *Non sine præmio diligitur Deus, licet absque præmii intuitu, sit diligendus. Vacua esse vera charitas non potest, nec tamen mercenaria est. Non quærit quæ sua sunt? sponte affluit, & sponte aneum facit. Verus amor sui ipso contentus est, habet præmium, quia quod amatur.*

Psal. 56

Bern. de diligendo Deo.

Concussio.

Num. 24

Magi & stella & instinctu Spiritus S

Leo ser. 1.

Idem ser. 3.

Inspiratio interior stella est.

DE EODEM FESTO.

Audiens autem Herodes Rex, turbatus est. Matth. 2.

RECT. in tripartita.

IN his Magis, qui primitiæ fidei nostræ fuerunt, merito admiramus fidem ferventem & constantem. Ingrediuntur civitatem regiam, nec Imperatorem Romanum, nec Herodē vice ejus ibi Regem veriti, publicè & constanter interrogant: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Rege vivente alterum Regē pronunciare numquid crimen sanguinis? Sed nec tyrannidem Regis præsentis, nec periculum verentur mortis: Audi S. Chrysost. in opere imperf. *O beati Magi, qui ante conspectum crudelissimi Regu, antequam Christum cognoscerent, Christi facti sunt Confessores. Adhuc non viderant Christum & jam parati erant mori pro eo.* Magna fides fuit Centurionis, de qua testatur Dominus: *Nū inveni tantā fidē in Israel.* Magna fides mulieris Chananææ, cuiiterum Christus: *O Mulier, magna est fides tua!* Magna est fides Latronis inter supplicia crucis in Crucifixū credentis. Sed horum Regum an non fides major? Centurio & Chananæa, multa jam Christi vel viderant, vel audierant miracula. Latro plurima cernebat prodigia, cœlo & sole se obscurante, petra se findente, & tota pene creatura obstupescente. At hi nihil adhuc de Christo vide-

PARS I. De Herodis turbatione & ejusdem dissimulatione.

Matt. 8. Matt. 15. Luc. 23.

viderant, tamen adeo intrepidè de ejus Nativitate & stella testimonium publicè perhibent & confitentur Regem, quem nondum viderunt infantem. Et hanc quidem confessionem non sine discrimine fuisse, ex eo liquet, quod Regem præsentem, ejusque aulam regiam, imo totam turbarit Jerosolymam: ac postmodum ex confessione ista exorta turbatio in mente Tyranni in rivos sanguinis per cædem innocentium exundavit, quorum quatuordecim millia internecioni fuisse data testatur Kalendarium Græcorum die 29. Decembris, idemque dicitur in Liturgia Æthyopum.

Sed quandoquidem res non erat sine periculo, cur voluit Deus Reges istos Jerosolymam ingredi? cur non in Bethleem eos stella compendioso & recto duxit itinere? cur se occultavit (vel lucis radios continendo, Deo suspendente concursum, vel se ita elevando, ut videri non posset) cum Jerosolymam appropinquarent, ita ut putantes ibi esse terminum itineris, Regem natum in civitate Regia existimarint requirendum? cur voluit Deus permittere Herodis turbationem, & innocentium cædem? Horum Sancti Patres variam reddunt rationem.

Cur Magos Ierusalem Deus ingredi voluerit.

Primo igitur voluit eos Deus ingredi Jerosolymam, ut Nativitas Christi per Gentiles Judæis publicè nuntiaretur, eorumque cæcitas indicaretur: ac deinde, ut ipsi per Gentiles edocti, cogerentur verum proferre testimonium de loco Nativitatis Messiæ, quo ipsimet convincerentur, mendaces à se veraces contra se. Inquisiti enim ubi Christus nasceretur, oracula Scripturarum consulentes coguntur respondere; *In Bethleem Judæ*: quia scriptum legunt: *Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet Dux qui regat populum meum.* De hac scriptura egimus, cum de Nativitate Domini disseruimus; & quia varias habet lectiones, videri possunt de ea paulim Interpretes. Hæc solum dicimus cum S. Aug. *Quid per hoc aliud significavit divina Providentia, nisi apud Iudæos solas divinas litteras remansuras, quibus gentes instruerentur, illi execærarentur? Illuminatio enim Magorum, testimonium est cæcitatu Iudæorum, dum illi in eorum terra eum requirunt, quem hi in sua non agnoscebant; dum illi de longinquo venientes, puerum nondum verba promentem adorant, quem hi miracula facientem crucifigunt; quasi plus fuerit videre novam stellam in ejus Nativitate fulgentem, quam Solem in ejus morte lugentem.* Inexcusabiles vero magis redduntur, dum interrogati à Magis, locum indicant Nativitatis, nec requirunt similes facti fabricantibus arcam Noë, qui aliis mediū quo evaderent, præstiterunt, & ipsi diluvio operiuntur: similes lapidibus milliariis, qui viam ostendunt, nec ipsi ambulare possunt: similes cymbalo Ecclesiæ, sono suo ad Ecclesiam omnes vocanti, & semper foris remanenti. Sic illi foris mansuerunt à Dei gratia exclusi, & Magi geminato testimonio confirmati, ardentiori fide illum expetierunt, quem

Mich. 5.

Aug. ser. 2. Epiph.

Iudæi excæcati quibus similes,

& stellæ claritas, & Prophetiæ manifestabat auctoritas. Sic denique aliis demonstrato vitæ fonte, ipsi mortui sunt siccitate.

Notat verò S. Chrysost. licet Scribæ verè Prophetiam protulerint, Nativitatis locum indicantem, tamen eam præcidisse, nec integram protulisse; ita ut non tam Doctores Herodis, quam irritatores malitiæ ejus fuerint, & occasionem dederint interficiendorum parvulorum. Sicut enim scriptum erat; *Tu Bethleem terra Iuda, ex te exiet Dux qui regat populum meum Israel*; sic mox adjicitur: *Dies ejus à diebus sæculi*; sive ut nostra lectio habet; *à diebus Æternitatis*: Si ergo integram prophetiā protulissent, considerasset Herodes, quod dies nascituri Regis illius à diebus sæculi erant: & intelligens antiquitatem honoris ejus, quia non erat ille talis Rex terrenus, in tantum furorem non exarsisset adversus eum. *Nunc autem præcisa hac parte prophetiæ, quæ compescere poterat zelum ipsius primam partem solum protulerunt*, Hæc Chrysost. in opere imperf. vel quisquis auctor est. Non absimiles sunt nostri hæretici, qui ut sua stabiliant dogmata, Scripturæ quidem verba in medium proferunt, sed nonnumquam mutilata & concisa. Sic contra imagines allegant illud: *Non facies tibi sculptile*; relinquunt quod sequitur, *ut adores illud*. Sic contra intercessionem Sanctorum proferunt: *Unus est Mediator*; relinquunt quod subjicitur: *Qui dedit semetipsum pro multis*. Sic contra leges humanas, & præcepta Ecclesiæ allegant: *Unus est Legulator & Iudex*; subticent quod sequitur, *Qui potest perdere & salvare*.

Hæretici veteris legis similes.

Secundo dicamus, Deum voluisse permittere turbationem Herodis, ut ejus crudelitas & astutia pateseeret, moliens occultam necem puero; simulque omnibus innotesceret nihil posse humana cōsilia adversus divina; nec quemquam ei posse vitā eripere, nisi cum eam pro nobis dignaretur ponere: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Dominus reprobat cogitationes populorum & consilia Principum, consilium autem Domini in æternum manet.* Sic Pharao jubet submergi omnes masculos Hæbræorum, ne gens illa multitudine & fortitudine in Ægypto invalescēs, rerum tandem potiretur. Verum unus evadit Moyses, qui gentis suæ Dux de manu Pharaonis eam eripere potuit, & Regem cum exercitu suo in profundum maris mergere; & ita non est consilium, non est sapientia contra Dominum. Sic iterum putabant fratres perdere Joseph, Saul Davidem, Aman Mardochæum: ac consilium & molitio iniqua in caput eorum revertitur. Turbatur igitur Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo, quia hoc est ingenium adulatorum, Principis ingenio se conformare. Turbatur ipse & omnes impii cum eo; dum lætantur Angeli, & justi cum eis.

Cur Deus Herodis turbationem permiserit.

Psal. 32.

Et meritè turbatur, quia semper sæva præsumunt impiorum conferentiæ. Quam pulchrè suis depin-

gitur coloribus Herodes in Job. *Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidæ ejus. Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur, circumspectant undique gladium.* Ipse tyrannicè regnū occuparat, & tyrannice administrabat, Regno exigi adventante novo Rege formidat, etiam infantem imbellem & infasciatum pertimescens. Quid erit tribunal iudicantis, si superbum Regem cuna terrebat infantis? Sed frustra turbaris, ô Tyranne, non eripit mortalia qui regna dat cœlestia. Non venit hic puer ut alienam invadat gloriam, sed ut donet suam, non ut regnum terrestre præripiat, sed ut cœleste conferat: non caput paratad gemmatum diadema, sed ad spineam parat coronam: non thronum aut sceptrum aureum, sed crucem ambit acerbam. Venit non ut pugnet vivus, sed ut triumphet occisus; nec Reges pugnando vult superare, sed moriendo subjugare. Morietur, non quando voles, sed quando volet: & mortem quam cupis inimicus inferre, pro inimicis ab inimicis sustinebit, & eam in suo corpore occisus occidet.

Iob. 15.

Potestas sublimis timori obnoxia.

Cæterum exemplo isto Herodis etiam & hic patesci, quomodo potestas sublimis sæpè sit timori obnoxia. Quia sicut cacumen arborum in excelso sitarum, etiamsi aura levis flaverit movetur, sic & homines in culmine dignitatum positos etiam levis nuncii aura conturbat. Humiles autem sicut in convalle, sic plerumque sunt in tranquillitate; ait Chrysost. Qui etiam rectè advertit, quod non tantum Herodes à semetipso turbabatur, quàtum diabolus in Herode. Herodes timebat quod suspicabatur; diabolus timebat quod verè sciebat. Herodes hominem æstimabat, diabolus Deum cognoscebat. Audierat enim Angelos inclamantes: *Gloriam excelsis*; & quanto magis testes addebantur Christo, tanto magis suæ potestatis destructionem timebat. Unusquisque eorum celo proprio turbabatur, & secundum naturam sui regni successorem timebat. Herodes terrenum, diabolus cœlestem. Non terreretur Herodes, si cœlestem Regem nasci suspiceretur; nec diabolus si terrenum. Utrique jam sentiebat sibi prædam eripi, & nomen ejus in Prophetia expressum impleri: *Velociter spolia detrahe, festina prædari.*

In opera imperf. in c. 2. Matth. Herodis & Diaboli turbatio.

Isa 8.

Dissimulatio turbationis in Herode.

Dissimulat interim Herodes turbationem, & simulat devotionem; clamque vocatis Magis, postquam didicit tempus stellæ, indicat se puerum velle adorare. Occultè vocat Magos, quia palam nihil audet simulata mens, conscientia dolosa: Occultè vocat, quia fur amat noctem, & latro in occulto tendit insidias. Et qui timet Regem signum cœli non timet, temporis non pertimescit auctorem, ideo inquirit diligenter tempus stellæ; & forsitan explorat an in suum consilium quaquaversus eos valeat pertrahere. Sed advertens post diligentem inquisitionem, magnam Magorum devotionem, nec blandimentis flectendam, nec minis terrendam, nec auro corrumpendam, ut in necem Regis quæsiti consentirent; malitiam cordis depingit colore humilitatis & consimilis, devotionis; sic eos decipere moliens, si proderent illum quem cœlo teste agnoverant. *Mollitisunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt jacula.* Labia habet dolosa, corde, & corde locutus est. *Vox ejus vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esau*: vox pietatem sonat, sed manus impietatem molitur, & animus. Hoc nimirum est ingenium mundi in maligno positi, ut in occulto gravius noceat benevolentiam fingere; in labris mei proponere, cauda aculeum figere. Sic Joab Amasæ osculo & amplexu salutat, simulque pugione exacuto, letale vulnus infligit. Sic Judas cum signo benevolentiæ Dominum suū prodit impie. Ideo & de Herode inclamat S. Fulgent. *Ite, inquit, & renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eū. O callidas fallas! O crudelitas impia! O nequitia fraudulenta! Sanguis Innocentium quem effudisti, attestatur quid de hoc puero voluisti.* Hoc postmodum agnoverunt impii Herodis consilium pii adoratores. quod regni amore, successoris timore, vagienti pararet necem, cunis indiceret bellum, matris gremio & uberibus exacueret ferrum, ut divina soboles antea sepulchrum intraret, quam mundum: & ideo renunciant et, quia adhærentes Christo, renunciant Herodi & diabolo. Renuntiant ergo, non quomodo Herodes intellexerat, sed quomodo intelligere debuerat. Unde sic S. Petrus Chrysolog. *Conveniebat dixit Herodes: Renunciate mihi, quia semper diabolo renunciat, qui ad Christum pervenire festinat, Christianus futurus à sacerdote, cum audit Renuncias diabolo? Respondet? Renuncio. Proprie ergo à Magis renunciari sibi debere dicit Herodes, qui Diaboli tenebat locum. Satana implebat personam & præsumpsum.* Sed etiam quisquis aliquid humanitatis habet execratur & renuntiat crudelitati Herodis, quæ adeo tenellæ non parcit ætati Naturā enim docet, quid valeat, quid mereatur infantia. Quam non feritatem mitigat, quā crudelitatem non comprimit? quem non compescit furorem? Quid non amoris postulat? quid non affectionis extorquet? quam non impetrat gratiam & charitatem? Hoc sciunt Patres, sentiunt matres, probant omnes, viscera humana testantur. Et tamen apud malitiam Herodianam, sic pia, sic chara, sic blanda nihil proficit infantia, ut ætati parcatur, vel tempori, ut innocentiæ parcatur prolium, vel pietati matrum.

Chrysol. ser. 158.

Cur innocentiā cædem Deus permiserit.

Tertio & hoc nobis superest breviter explicandum, cur voluerit Dominus immanem adeo permittere innocentum cædem? Nempe propter eorum gloriam id permisit, & propter suam: ipse qui venerat Agnus immolari, hos agniculos sibi prius cruore purpuratos cupit offerri; immo illos tanquam primitias cruoris sui in circumcisione effusi offert ipse Patri. Unde de illis sic alloquitur Christum quidam è sacris Doctoribus: *Quodam modo præcurrunt primitias tuas, ô Christe primitias nostras;*

P. Cellens. lib. de panibus c. 28.

nostra; præcurrunt revera moriendo ante te, sed non præcurrens veniendo ad regnum sine te. Ad portam te sustinebunt, quia custodes nisi te viderint, regnum æternum non reserabunt. In passione igitur sanguinis nõ in possessione beatitudinis, agniculi suum Pastorẽ præcedunt. Si autem præcedunt, quomodo verum est, sequuntur Agnum quocumq; ierit? Vtrumq; verum est & quod præcedant, & quod sequantur; præcedunt in morte, sequuntur in resurrectione; prius currere caperuno, sed in cursu substitere. Hæc ille. Voluit insuper Dominus ab his primis martyrib⁹, qui merito prima semina & flores martyrum nominantur, nativitatis suæ testimonium habere; nam dum propter ipsum recenter natum occiduntur, certissimum illi testimonium ab his præbetur, longè apertius, & perfectius quam à Scribis & Pharisæis ab Herode congregatis. Quocirca de illis sic loquitur Sanctus Leo serm. 1. Epiph. *Veritatem ore proferunt, mendacium corde sequuntur. Noluerunt agnoscere oculis, quem de sacris indicabant libris. Qua est ista, o Scriba tam imperita in vobis scientia, & tam indocta doctrina? Cur vobis viam, quam aliis aperitis, obstruitis? Felicior ignorantia infantium quos persecutor occidit quam vestra scientia quam in sua perturbatione cõsuluit. Vos noluistis regnum ejus percipere, cujus oppidiũ potuistis ostendere. Illi potuerunt pro illo mori, quẽ nõdum poterant confiteri.* Certè infantes hi infanti Christo deserviebant, non solum tamquam testes, sed etiam ut adventus ejus & Nativitatis publici præcones. Nam sævitia Herodis volens suspecti sibi Regis primordia extinguere, huic dispensationi nescius serviebat: dum atroci intentus facinori ignotum sibi puerum indiscreta infantium cæde persequitur, annunciatum cælitus Dominatoris ortum insignior ubiq; fama loqueretur: quam promptiorem ad narrandum faciebat, & supernæ significationis novitas & cruentissimi persecutoris impietas, ut loquitur idem S. Leo ser. 2. Epiph. *Vide ergo quod ordinata divinitus serie Præcones Christi spiritus est in ortu suo, Angelos, Pastores Stellã Reges, Oraculum Prophetæ à Scribis pronunciatum, Iustos in templo per benedictionem & laudem, Infantes in Bethleem per sanguinem.*

PARS I. *De egressu magorum & stella iterum apparente.*

CUm hi Magi Regem audissent, abierunt, absque dubio subtristes; tum ob stellæ ducatum quem paulo ante Jerosolymæ ingressum perdiderant; tum ob eam quam in Herode, & Hierosolymitanis Primoribus animadvertere poterant turbationem: quia nec subdolus eorum animus omnino latere potuerat, quantumlibet pietatis velo sese abscondere niteretur. Etenim verum est illud:

PROV. 10. *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: qui autem depravat vias suas, manifestus erit.* Ubi 70 Interpretes legunt: *Qui detorquet vias suas cognoscetur.* Quantumlibet ergo Herodes signa pietatis prætenderet; dolum apud se sustinere & premere non poterat, tortuose ambulans. Sed sicut si ignis in imis signis sit occultatus, etiamsi nondum in luculentam flammam attollatur, emicantes tamen scintillæ quædam aut fumus illum subindicant: sic & Herodes impietatis fraudem vel obscuram animi sui caliginem dissondere non poterat, simulato licet sermone. Et hoc igitur potuerat horum animis aliquid caliginosi mœroris afficuisse: nec enim læta omnia solet Deus diuturna facere, sed amara lætis permiscere, & alternantibus prosperis & adversis se quærentes exercere. Quo quidem modo sibi usitato serga hos Reges gessisse, non obscurè colligitur, cum ex stellæ subtractione, tum ex ista Hierosolymæ ob eorum adventum & interrogationem turbatione. Sed adeo constans & perseverans fuit eorum animus superne illustratus, ut nec labore itineris, nec turbatione Regis, nec amissione sideris frangerentur. Ad quærendum igitur puerum cælitus designatum, iter prosequuntur, ideoque eorum constantiam suo etiam Dominus prosequitur renovato favore. Nam *ecce stella quam viderant in Oriente antecedebat eos, donec veniens staret supra ubi erat puer*, inquit Evangelista. Sic nempè perseverantia impetrat gratiam; perseverantia sola invenit Christum: perseverantia reportat inquisitionis præmium: perseverantia parit plenum & consummatum gaudium. Unde & de illis subditur: *Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde.* Jam plurimum tentata fuerat eorum fides; quod in regia urbe non invenirent eum quem quærerent, quod ibidem ad ejus nomen vidissent Judæos conturbatos, quod incognitus illic omnibus foret ideoque se poterant arbitrari delusos. At ubi vident stellam quæ Nativitatis tempus demonstrat, etiam locum demonstrare, an non merito gaudent spem suam non esse frustratam? An non seges gaudij magni, quod non frustra tanti itineris susceperint laborem? An non occasio gaudij magni valde, hoc est maximi, quod stellam ad eundem locum perducere conspiciunt, quem jam etiam oraculis Prophetarum didicerant? *Gaudium* ergo eis de stellæ recuperatione: *Gaudium magnũ* de pacifica & incolumi ad locum designatum cælitus perventione: *Gaudium magnum valde* de puerii inventione.

Cover. Iansc. Stella ante tota via apparuit.

Quia vero Evangelista dicit: *Stellã quam viderant in Oriente antecedebat eos*, aliqui inde colligũt stellam non fuisse reliqui itineris Ducem; sed solum fuisse visam ab eis dum essent in Oriente, & exinde se ducem solum præbuisse in egressu è Jerusalem; & propterea etiam eos tanto exilisse gaudio ea iterum visa. Sed communis est Sanctorum Patrum sententia Stellam toto eos itinere comitatam, & hoc indicat hymnus Ecclesiæ: *Iam Magi quam viderant stellam sequentes præviam.* Et favet ratio, quia decebat homines adhuc in fide novellos sensibili signo duci: nec Evangelica narratio repugnat, licet id ita explicare non exprimat. Itaque stella illa in die Nativitatis eis apparuit, & tredecim diebus velocitate dromedarium,

Leo serm. 2. Chrys. hom. 6. in Mat. Beda Chrys. Theophil.

Similis.

rium, qui sunt velocissimi cameli, eos perduxit in Bethleem: dicuntur enim 40. leucas posse dictim perficere. Arabia autem trecentis tantum distat leucis.

Euthy. S. alij Ser. S. Tho. de Epiph.

Nam quod aliqui cum Aug. dicunt biennio ante Nativitatem apparuisse (aut certè multo tempore ante eandem, ut dicit Chrysostomus) non est verisimile: Multo minus quod B. Epiphanius dixit Christum adoratum biennio post apparitionem stellæ, & Nativitatem suam. Nec refert quod Herodes occiderit infantes *à Bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis.* Herodes enim cum nihil audiret à Magis, existimavit eos fallaci visione delusos, & ideo pudore prohibitos redire in Jerusalem. At postmodum vulgatis his quæ in templo in purificatione acciderant, vidit se illusum, & cæpit quærere puerum ad necem; non post duos annos, ut aliqui dixerunt, sed post paucos menses. Et occidit omnes à bimatu & infra, non quod existimaret stellam à biennio apparuisse, sed præ timore & furore, ad majorem securitatem; sicut ad majorem cautelam occidit pueros non solum in Bethleem, sed etiam in omnibus finibus ejus.

Hom. 7. in Matt.

Stella stetit supra caput pueri.

Quod autem stella dicitur stetisse supra ubi erat puer, confirmat quod supra diximus, eam in aere vicino fuisse, alioqui non satis domum & locum in quo erat puer, discrevisset: quod fieri convenie. bat, ne iterum in Bethleem cogerentur interrogare de puero; & ita mox de illo vulgata fama ad Regis insidiantis aures perveniret. Sic ergo puer stellæ agit cursum, sic temperat & dirigit gressum ut Regibus certo ortus sui designet locum, & securum ad se det ingressum. *Stetit enim supra caput quasi dicens. Hic est, ut quem loquendo monstrare non poterat, stando monstraret.* Sic cultores siderum, noctis incolæ, auctorem lucis inveniunt in tenebris; auctorem cæli inveniunt in terris: & qui in cælo cum astris errantibus errarant, Deum verum non reperientes, in terra reperiunt cum ducatu novi sideris; nec id tam fit subsidio scientiæ suæ & humanæ artis, quam favore speciali divini muneris. Non enim hic satis valebat industria quærentis, nec erat natura stellæ hujus & sideris ut puerum demonstraret; sed eam dirigebat benignitas auctoris, & virtus nascentis. Et quid mirum si soli justitiæ oriturо stella ministrat, & ortum ejus designat quandoquidem dignetur & ipse Sanctorum suorum illustrium nativitatem, vel mortem, per stellarum apparitionem, vel per præsagium aliquod lumen nonnumquam demonstrare?

Auctor Imper. oper.

Stellæ Sanctorũ nativitatem, & mortem præsuntia.

Sic cum natus foret *S. Dominicus* apparuit in visu nobili cuidam Matronæ, lucidissimam stellam in fronte gerens, cujus splendore totus orbis irradiabatur; ut habet ejus vita l. 1. c. 1 & c. ult.

Sic *S. Nicolaus Tolentinas* in cella sua dormiens vidit sidus radiantissimum: vigilans vero vidit stellam, quæ quotidie motu recto ipsum antecedebat usque ad altare; deinde stella hæc post mortem ejus ipso die obitus quo annis ad tumulum ejus visa est.

Surius in vita

Sic in morte *S. Thomæ Aquinatis* visa est viro cuidam Religioso stella incumbens monasterio, quæ illo animam exhalante in cælum ascendebat: unde ipse licet absens, Thomæ obitum & gloriam cognovit. Castig. in hist. ord. sui p. 1. l. 3. c. 33.

Sic *Abbas Policronius in Prato spirit. c. 6.* narrat de S. quodam Monacho, super cujus defuncti caput stella quasi comes itineris apparere non destitit, donec ipsum sepulturæ traderent. Et c. 104. narrat Abbas Theodosius se vidisse stellam lucidissimam super caput Presbyteri.

Sic dum ortus fuit *S Carolus Borromæus*, duab° horis ante ortum solis, in arce Arona apparuit super cubile Matris insolitus quidam fulgor, radio solis similis, latitudine cubitorum sex, longitudine vero protentissima, quem palam contemplati sunt præsidiarij milites & custodes loci, aliique plurimi.

Sic quo tempore *S. Suybertus* Verdensis Episcopus in lucem fuit editus, totum cubiculum splendor irradiavit, donec in lucem editus esset.

Surius t. Martij

Idem de *S. Heriberto* refertur à *Ruperto tuitiensi apud Surium* 12. *Mart.* Idem de *S. Avito* 17. Junii, qui in ortu suo tanto cum lumine prodijt, ut obstetrices ab officio deterritæ cælestem splendorem ausæ non fuerint intueri.

Ipse igitur qui visitavit nos tanquam sol Oriens ex alto, sicut ortum Sanctorum suorum quandoq; splendore cælesti designat; sic & stellam novi fulgoris elegit sui ortus' præmunciam, cujus favore vult quæri, cuius luce vult inveniri. Et ideo hi gentiles Reges & Astrologi, qui verum ignorantes Deum, dijs totidem, quot sideribus servierant, hoc signo eruditi unum agnoscunt Deum, eumq; adorant humana carne vestitum. *Nam procidentes adoraverunt eum, &c.*

PARS III. *De adoratione & oblatione munerum eorum.*

TUgurium & speluncam Bethleemiticam domum appellat, quod utcumq; habitaretur, inquit Euthymius. Nec enim Virgo hunc præsepij locum, partus sui diversorium reliquit ante purificationē: & ubi ab Angelis & Pastoribus fuerat visitatus, à stella voluit demonstrari, à Magis & Regibus voluit adorari, ut communior Patrum fert sententia. Quam expressit eleganter August. ser. 2. de Epiphania. *In præsepio tunc jacebat, & Magos ab Oriente ducebat: abscondebatur in stabulo, & agnoscebatur in cælo, ut agnitus in cælo, manifestaretur in stabulo.* Et inde tanto magis eorũ fides elucescit, quod puerulum invenientes in præsepio, vel vili tugurio à cæteris pueris nihil differentem; nihilominus ei regium & divinum deferunt honorem. Qua de re sic dicit S. Chrysostomus. *Numquid viderunt palatium marmoribus splendidum? Numquid matrem diademate coronatam? Numquid puerum purpura involutum? Numquid aulæ regiam diversis populis personantem? Sed quia? Pandochium tenebrosum & sordidum*

Ser. 2. Epiph.

In op. imp. per hom. 2.

dium, animalibus magis quam hominibus aptum, quo nemo secedebat nisi necessitate coactus. Matrem ejus vix tunicam habentem, non ad ornamentum corporis, sed ad tegumentum nuditatis, quam habere poterat uxor Carpentarij peregre constituta. Si Regem terrenum quæsissent, hæc eis magis poterant esse confusioni quam gaudio : sed Regem cœlestem quærentes, licet nihil regale videant, stellæ solius contenti sunt testimonio, cum quo & interius jungebatur cælestis inspiratio & instructio. Per hanc igitur in paupertate agnoscunt divitias, in infantia sapientiam, in humilitate altitudinem ; in imbecillitate potentiam, in præsepio animalium Dei thronum, in pannis vilibus majestatem. Lynceis fidei oculis ultra parietem humanæ mortalitatis agnoscunt latentem gloriam divinitatis. Præerat enim huic adorationi falli aut fallere nescia gratia Dei : alioqui non adorassent infantem non intelligentem adorationis honorem, nisi aliquid divinum in eo credidissent. Ergo non pueritiæ detulerunt honorem nihil intelligenti, sed divinitati omnia cognoscenti.

Sed & ipsa munerum qualitas satis indicat eorum fidem, & à Spiritu S. in hac adoratione instructionem. *Attende quid obtulerunt, agnosce quid crediderunt*, inquit S. Fulgentius. Licet enim morem suæ gentis observent) mos utiq; Orientalibus erat cum muneribus Reges suos adorare, Arabes autem auro, thure, mirrha abundant) tamen & in his specialibus donis Spiritus sanctus mysteria Christi designabat, ut omnes S. Patres interpretantur. Nam Aurum Regi congruit ; Thus in Dei sacrificium ponitur. Myrrha mortuorum corpora condiuntur. Aurum ergo ei offerunt, quasi Regi magno Thus quasi Deo vero, Mirrham quasi homini pro omnium salute morituro. Neque etiam sine mysterio est numerus trinus munerum, sicut nec numerus trinus offerentium. Tres enim viri illustres secuti divini luminis ductum tria obtulerunt munera, & ut aliquorum est opinio, singuli tria, quia singuli agnoscebant in Christo regiam dignitatem divinâ majestatem, corporis assumpti mortalitatem. Sed etiam hoc indicabatur, quod venerint in nomine Trinitatis, ad fidem Trinitatis. Et ut ait Rup. l. 2. in Mat. *Tres homines tribus partibus Orbis, Asiæ, Africæ, Europæ, fidei confessionis, & adorationis exemplum mortuorum existere.* Adde quod hi omnium gentium vices obirent, & ideo rectè tres designantur, tamquam nationes omnes ex tribus filijs Noe orundas repræsentantes. Ad ejusdem mysterij Trinitatis significationem & glorificationem, tres specialiter electi & dilecti à Deo nominantur sacris in litteris, Abraham, Isaac, & Jacob, quorum se Deum gloriatur. Similiter tres Pueri eliguntur, qui in flammis Babylonijs Trinitatem collaudent, invitatis ad eandem laudem omnibus creaturis. Sanct. Bernardus quoque, & alij, existimant tres fuisse Pastores adorantes Jesum ex parte Israelitarum, sicut & tres Reges ex parte Gentium, ob mysterium ejusdem SS. Trinitatis. Sic & in Transfiguratione tres fuere specialiter electi testes. Sic & in Resurrectione tres specialiter eliguntur mulieres Tres igitur hi cum tribus muneribus ab Oriente vocati, velut tres novi Evangelistæ, & Trinitatis præcones, ad propria sunt remissi; & vitam finientes eodem sepulcro sunt conditi, ut infra dicetur, expectantes beatissimæ Trinitatis æternam visionem & divinitatis fruitionem, quam primi inter Gentes in Christo agnoverunt, adorarunt, glorificarunt.

Tres Viri tria munera obtulerunt.

Not. ternarium numerum.

Quapropter ex tunc incepit compleri per eos illud Prophetæ: *Afferte Domino Patriæ Gentium, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus.* Ubi ter nomen Domini repetitur, ad indicandum mysterium Trinitatis. Postea additur, *Adorate Dominum in atrio sancto ejus, commoveatur à facie ejus universa terra. dicite in Gentibus quia Dominus regnavit.* Quid est Bethleemitica spelunca, nisi quoddam atrium in quo Christus vult adorari, in templo æterno postmodum adorandus. Ibi sua munera deprimunt Magi, tamquam oblationes & hostias laudis. Et dum hæc adoraturi accedunt, commovetur universa terra ; Commovetur Oriens, à quo recedunt magno comitatu ad videndum faciem Pueri designati per stellam: commovetur Occidens ad quem accedunt, dum turbatur Jerosolyma. Ad propria quoque clam revertentes, majorem Herodis commotionem pariunt, quærenti faciem pueri ad perdendum. Denique reversi multos commovent novo nuncio, novi & ignoti Dei, *Dicentes in Gentibus, quia Dominus regnavit à ligno* (sic ibi legunt antiqui Patres: Hilarius, Ambrosius, Augustinus & alij) Utique regnum suum inchoavit a ligno præsepij, consummaturus in ligno supplicij: cum Regem proclamarunt Magi in præsepio, cum Regem agnoscent omnes Gentes in Crucis ligno, quod etiam publicat ejus superscriptio.

Psal. 95.

Quoniam verò nos in his Magis tamquam primitijs gentium designati sumus, qui ex Gentilibus orti omnia habemus; ideo & nobis hodie inclamat puer in matris gremio, vel in vili jacens præsepio. *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.* Et nos cum gaudio & gratiarum actione respondeamus: *Dominus virtutum nobiscum susceptor noster Deus Iacob.* Quid est, vacate & videte quoniam ego sum Deus? Idem ac si nobis diceret; Relinquite sæculi ad tempus interpellantia & interturbantia vos negotia, superfluas dimittite curas, aperite oculos mentis & cordis, oculos fidei, ut me in infantia Deum agnoscatis, adoretis, adametis pro vobis sic humiliatum. Angeli dimiserunt cælum, Pastores gregem, Regis sceptrum & regnum, ut hic me adorarent; & vos eorum prævio exemplo invitati huc accedite, vacate, videte adorantes, adorate vacantes. Utique ego sum Deus, & licet aliud præsepe indi-

Psal. 45.

indicare videatur, cœli id clamant; licet stabulum & fœnum id absconditum reddat, stella & Reges id fatentur. Licet non nisi vagire posse videar & nescire loqui, ego sum sapientia & verbum. Licet oculi non videantur apti nisi ad lacrymas & fletum, tamen ego sum Deus, & oculis sole lucidioribus cordis vestri abscondita perspicio, & quæcumque de vobis tota erunt æternitate pernosco. Licet manus videantur colligatæ, videre tamen quia ego sum Deus omnipoteus, formans cœlum, & tribus digitis appendens molem terræ. Licet videar fasciis involutus, vacare & videre quia ego sum Deus, cœlum & terram & mare quasi fasciis involvens. Licet jaceam in fœno, tamen ego sum Deus, cœlum habens pro throno; licet pendeam lactens ab ubere materno, ego tamen Angelos & omnes creaturas pasco. Licet infans sim tredecim dierum, vacare & videre, quia ante Luciferum sum genitus in splendoribus Sanctorum. Licet mortalis videar, omnibus tamen vitam dono. Licet circumcisus sim, quasi infans natus cum peccato, ego sum Deus qui omnes salvo; *Ego sum ego sum* — *Isai. 43.* *qui deleo iniquitates tuas, & absque me non est salvator.* Ita est, ò Domine JESU, tu es *Dominus virtutum, susceptor noster Deus Jacob.* Tu es Emmanuel, Nobiscum Deus, Susceptor noster, suscipiens carnem nostram, suscipiens nos in tempore, suscipiens in æternitate, suscipiens per gratiam, suscipiens per gloriam. Tu es Deus virtutum, Deus es exercituum; Militia cœli, quæ est multitudo stellarum, te adorat: Militia cœli, quæ est multitudo Angelorum te glorificat. Tu es Deus virtutum, Deus exercituum, te benedicit & adorat innumerus exercitus Martyrum, Virginum, Sanctorum: Tu es Deus virtutum omnis virtus, omnis gratia omne donum à te in nos promanat. Tu dignus verè es exaltari in gentibus, adorari & benedici ab omnibus nationibus, & Regibus. Tu dignus es exaltari in terra, in præsepio, in fœno, in sinu materno: da igitur nobis ut digne te cum Regibus & Magis sic adoremus & exoltemus in terra, hoc brevis vitæ nostræ tempore; ut nos exaltes tandem in cœlo, & te Regem nostrum videamus in æternitate.

DE EODEM FESTO.

LECT. 15. tripart. *Magnificentus est Rex pacificus super Reges universa terræ. 3. Reg. 10.*

PARS I. *Cur Christus pacificus Rex dicatur.*

CHristus Dominus aliquoties legitur in fine vitæ periisse à Patre, *Pater clarifica Filium tuum, ut & Filius tuus clarificet te.* Et respondsum accepit per vocem è cœlo. *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Quid est clarificare Filium, nisi ejus majestatem, potestatem, gloriam manifestare? Clarificaturus ergo erat eum Pater in Resurrectione, quasi solem novi splendoris ex lepulchri occiduis tenebris educendo, & omnibus ejus gloriam manifestam faciendo. Unde Christus rectè Synagogam hisce Prophetæ verbis alloqui introducitur: *Ne lætere inimica mea super me, quia cecidi* — *Mich. 7.* *consurgam, cum sedero in tenebris, Dominus lux mea educet me in lucem, videbo justitiam ejus.* Clarificaturus etiam cum erat gloriosa ascensione in conspectu hominum, & jubilo Angelorum. Denique eum clarificaturus erat Apostolorum in universum orbem missione, qui ejus nomen & gloriam annunciaturi erant omnibus gentibus, omnibusque Regibus & Principibus intrepidè manifestaturi. — *Quomodo Christus à Patre clarificatus.*

Sed Pater non solum voce cœlesti respondet se clarificaturum filium: immo addit se eum jam glorificasse. Et hoc verum est, quia tam initio ætatis ejus, quam initio & fine prædicationis, cum ut filium cœlitus declaravit, ejusque gloriam manifestavit. Propterea dicit: *Vidimus gloriam ejus,* — *Joan. 1.* *gloriam, quasi Unigeniti à Patre.* An non gloria ejus manifestata fuit, tum in Baptismo, tum in Transfiguratione, hac magnifica voce: *Hic est Filius meus* — *Ibid.* *dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite?* Numquid gloria ejus quasi Unigenti à Patre patuit, Angelis super eum ascendentibus & descendentibus. Numquid manifesta fuit in tot miraculis, quasi tot divinitatis radiis per nubem carnis promicantibus? Et hæc quidem, tum in exordio, tum in fine prædicationis, ejus gloriam palam publicarunt. Sed nec in infantia defuit ei clarificatio à Patre, tum in ipso Nativitatis die, claritate cœlesti Angelos & Pastores circumfulgente, & ad cunas ejus eos deducente? tum maximè in hodierna luce adorationis Regum, quæ per excellentiam *Epiphania* sive manifestationis dies nuncupatur: quia cœlesti splendore Pater Filii sui gloriam publicavit, eumque publico cultu à Regibus Orientis, nomine totius Orbis, agnosci & adorari voluit. Merito ergo vox cœlestis dixit: *Et clarificabo, & clarificavi.* Merito & nos cœlesti nostro Rege in cunis adhuc jacente accinimus; *Rex pacificus magnificatus est super omnes Reges universa terra.*

Hæc verba primò de Salomone pronuntiata sunt, de quo dicitur: *Magnificatus est Rex Salomon super Reges universa terræ divitiis & sapientia, & universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus. Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea & aurea, vestes & arma bellica, aromata quoque & equos, & mulos per annos singulos.* Vides magnificentiâ & gloriam Salomonis? Sed quia ipse typum gerebat Christi pacifici Regis nostri; ideo Ecclesia ad de Christo canit à Spiritu sancto edocta, quod de Salomone Scriptura sacra expressit. Et hodiernæ quidem festivitati mihi optime verba ista vita sunt congruere; cum à finibus terræ ad eum adorandum & ei munera offerendum Reges veniunt. In quo etiam die illud ad animas fideles meritò dirigimus: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salo-* — *Cant. 3.* *monem in diademate quo coronavit eum mater sua.* Videte — *Salomonis magnificentia. 3. Reg. 10.*

Joan. 17. *Joan. 12.*

dete eum in diademate mortalitatis, quo Maria eum coronavit; videte Regem pacificum hodie magnificatum, cujus vultum desiderat universa terra. Sed expendamus hujus sententiæ singula verba.

Christus Rex pacificus.

Primò rectè Christus hoc titulo gratiæ designatur, *Rex Pacificus*. Et quidem licet infans jaceat in stabulo & præsepio, pauperatis cinctus angustiis, tamen verè ibi Rex est, Rex ille de quo Reges inquirunt: *Ubi est qui natus est Rex Iudæorum?* Rex ergo est & quidem *Rex natus*, non ab hominibus electus, non à principibus nominatus, sed à patre unctus à matre coronatus, coronam jam ex utero gestans. Nec solum Rex, sed Pacificus Rex nominatur; hoc enim est nomen ei à patre inditum, *Princeps pacis*. Quaptopter in ejus nativitate pacem nuntiat Angeli & tractatum pacis inter Deum & homines jam signat lachrymis, postmodum sanguine signaturus. Unde de eo dicit Apostolus: *Pacificans per sanguinem suum sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt.* Nec Noe, aut Daniel, aut Job, hanc cum Deo pacem nomine totius orbis potuerũt inire, de quibus dicitur: *Si fuerint tres viri isti in medio ejus, nec filios nec filias liberabunt.* Hi fuerant magni intercessores & pacificatores apud Deum; quia Noe post diluvium obtulit gratum Deo sacrificium; Job pro amicis impetravit gratiam; Daniel in captivitate Babylonis pro populo oravit: interim non fuere sufficientes ad illam pacificationem generalem, & sed imptionem orbis. *Non est qui valeat manũ suã ponere in ambobus* quasi in symbolum pacis & fœderis, nisi Rex iste pacificus & pacificans, in cujus ortu pax nuntiatur in terris, sicut & gloria in cœlis. Etenim nulla amplius dissensio erat in cœlis, expulso illo qui ab initio bella ibi fuscitarat, tertiam partem stellarum cauda sua sive prava suggestione & consilio involvens, & secum in abyssum trahens; & ideo in cœlis gloria decantatur. At quia è terris ille dissensionis omnis auctor, illam secum abduxerat, bellum serens in paradiso inter Deum & hominem, inter Angelum & hominem qui inde ab Angelo ejectus fuit, inter carnem & spiritum ac postmodum etiam in mundo inter hominem & hominem, inter fratrem & fratrem, patrem & filiũ, inter eos qui strictissimo fœderis vinculo à natura jũcti sunt: hinc in orto hujus infantis, qui integram ubique pacem sancire venit, pax nuntianda fuit per Angelos pacis.

Quid ergo turbaris Herodes, & bella cies? Ecce Rex pacificus & princeps pacis venit, qui nascens eam attulit, vivens prædicavit, moriens legavit, resuscitans donavit, & per suos legatos in finem usq; sæculi nunciari præcepit; quid fremis? Sed non est pax nuntiata nisi hominibus bonæ voluntatis. Talis non erat Herodes, qui toto regni decursu manifesta signa edidit summæ crudelitatis, & pessimæ voluntatis. Quæ si antiquis Scriptoribus credimus, Hircanum Regem simul & Sacerdotem interfecit ut regno potiretur; Phetonam fratrem & Egesippum cognatum interemit: uxorem Mariam ne ob levem suspicionem decollavit: Aristobulum & Alexandrum filios neci dedit. Unde de illo sic posteritati consignatum lego: *Herodes Ascalonita, vultu ferus, animo barbarus, luxu & sanguine maceratus, à quo nihil ad summam crudelitatem præter Deicidiũ abfuit, Deicidio voluntas non defuit, Vulpina fraude regnum Iudææ invasit, regnavit ut servus, jure Dominus, fortuna felix, Cyclopica vita infelicissimus. Desit cœlesti plaga, feralis morbi, anno regni tricesimo septimo, vitæ fermè septuagesimo, Christi octavo.* Quia ergo non est pax impiis, dicit Dominus, ideo conturbatur Herodes: & omnes Jerosolymis conturbat, ac postmodum cuncta sanguine commiscet in Bethleem, ob adventum illius qui Rex est pacificus & Princeps pacis.

Herodis descriptio

Quomodo Christus Rex magnificatus in ortu suo.

Sed quomodo dicitur magnificatus in ortu suo Rex hic pacificus, cum nec vilior nativitas nec magis indigna Rege posset reperiri? An nõ inter sordes stabuli nascitur, & inter fœtorem animalium in vili præsepio reclinatur? Quid vilius? An non jacet in fœno, ab omnibus reprobatus, quia non est ei locus in diversorio; Quid abjectius? An non frigore agit & nuditate, & vix pannos viles habet in hac nativitate? Quid miserius? Quis similem eligeret nascendi modum, aut quæ ibi magnificentia regia? An forte stabulum pro palatio, præsepium pro throno, panni viles pro purpura, araneorum texturæ, pro peristromatibus & tapetibus, Bos & Asinus pro comitatu regio reputantur? Utique, si hæc oculis spectentur humanis, nihil hic augustum reperietur, sed omnia vilia & abjecta. Sed si oculos fidei adhibeamus, omnia hic sunt magnifica, & mysteriis cœlestibus plena: ita ut hic merito pronuncietur puer iste magnificatus super Reges universæ terræ.

Magnificentia Christi ex parte matris.

Ac inprimis ex parte matris ejus, quæ vilis exterius censetur & paupercula, multa magnificentia cernitur, dum virgo & mater esse reperitur. Ab illa velut splendor rutilans egressus est hic filius magnificentissime, nihil eam sordidans, nihil ejus puritatem & virginitatem minuens, sed eam consecrans & in æternum spectabilem reddens. An alicui Regum concessum est, ut è matre incorrupta & virgine nasceretur? Certe, dum Reges nascuntur, similem alijs è matris utero exitum, vilitate, miseria, & sordibus plenum nanciscuntur. Reginæ Reges patientes angustias patiuntur & acerrimos dolores, immo & quandoque regio suo partu enecantur, nam & qui Cæsares dicti sunt, à cæso ventre matris primitus hoc nomen sortiti sunt. Ergo hæc nostri Regis pacifici prærogativa singularis & magnifica est, nullum matri afferre dolorem, & virginei pudoris haud temerare integritatem. Ideo apud Ezechielem mater hæc designata est in porta illa magnifica & splendida, de qua dicitur: *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, Vir non pertransibit per eam, quoniam Dominus Deus ingressus est per eam, erit q; clausa principi.* Hoc est, in honorẽ ipsius Principis

Ezec. 44.

Iob. 9.

Colos. 1.

Ezec. 14

V. Ioseph l. 4. 15. 16. & antiq

pis erit clausa, etiam cum Princeps pertransibit per eam: ideoque vocabitur, *Porta Principis*. Itaque magnificatus est Rex noster ex parte matris suæ de Spiritu S. fœcundæ, de cœlo virgineo lacte plenæ, quam magnificabunt & beatam dicent omnes generationes, quia fecit ei magna qui potens est.

Christus magnificus & pacificus in cunis.

Ulterius, si ejus cunas, pannos, fascias, oculis fidei attentè intuearis, reperies hæc non esse vilia; sed regia omnia cunabula, auroque & purpura intextos lectulos magnificentia sua superare. Regum cunæ tandem putrefactæ in vilem abeunt pulverem: Præsepe Christi, quod ei pro cunabulis cœlitus ordinatū erat, incorruptum in Romana Ecclesia in Templo S. MARIÆ Majoris asservatur; quasi immortalitatem quandam à Rege sæculorum immortali in eo decumbente participasset. Nonne à Regibus & Principibus in genua procumbentibus maxima illud religione colitur? Ergo magnificatus est Rex pacificus, etiam in vilibus his cunis, mysteria interim multa continentibus, ita ut inclamare liceat: O fœlix præsepe! O beatæ divini infantis cunæ! O Regis pacifici thronus magnificus! O Ara prima summi Sacerdotis! O cathedra sublimis cœlestis Doctoris & Præceptoris! O Sponsi æterni floridus lectulus! *O Bethleem parvula, quam magnificata es à Domino, qui factus est in te parvus ex magno! Qua civitas tibi non invideat pretiosum illud flabulum, & præsepii gloriam? In universa siquidem terra jam celebre est nomen tuum, ubique gloriosa dicta sunt de te civitas Dei, quia homo natus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus.* Ita S. Bernardus. Tanta fuit hujus præsepii gloria, teste S. Hieron. ut, *ex omni terrarum orbe ad illud accurreret innumerabilis multitudo: ita ut nervo sapientiæ aut sanctitatis opinione celebris ejus visendi desiderio non flagraret. Hæc est igitur magnificentia Regis pacifici in cunis suis.*

Panniculi Christi vincula amoris fidelium.

Denique, si fasciolas & panniculos consideres quibus involvitur, omnibus sunt purpuris pretiosiores. *Divitiæ nostræ sunt*, inquit S. Bernardus: Vincula sunt amoris, & funiculi Adam, quibus fideles ad se trahit, & corda nostra sibi colligat. Tanto verò sunt in honore habitæ fasciolæ, ut templum speciale erectum sit in honorem earum, & zonæ Virginis matris Constantinopoli dedicatum à B. Germano Episcopo Constantinopolitano, qui & tunc Orationem habuit in laudem Virginis & pueri Jesu. Quinimò adhuc modò panniculorum & fasciarum partes asservantur cum celebritate quibusdam in Ecclesiis. Certè Ecclesia Trevirensis, Ecclesia S. Amati Duacensis, Ecclesia B. MARIÆ Floreffiensis, Ecclesia Lætiensis, gloriantur in particulis quibusdam horum anniculorum infantiæ Domini Jesu & pretiosè eas asservant. Itaque & in his magnificatus fuit, & hodie adhuc magnificatur, Rex pacificus.

Exstat hæc oratio apud Metaphrast.

PARS II.

Quando Christus magnificatus fuerit super Reges universæ terræ.

SEd his omnibus silentio prætermissis, an non hodie magnificatus est super Reges universæ terræ, dum ab Oriente tres veniunt Reges; & sese ad pedes ejus abjiciunt humillimè adorantes? Nūquid Salomon, aut alius quispiam Regum Judæorum, vel Gentium, quæ litus est in cunis, & à Regibus adoratus? Immo numquid Herodem in regio throno Hierosolymis sedentem simili adoratione adorarunt, similibusque muneribus honorarunt? Magnificatus fuit Rex Salomon, cum Regina Saba de longinquo ad eum venit cum muneribus, ejus sapientiam fama sibi nunciatam præsens exploratura. Sed longè amplius hic puerulus, dum stella duce hi tres Sapientes & Reges magno comitatu adveniunt, & mystica dona adducunt. Quam magnificentiam longe ante prædixerant oracula Prophetarum: ita ut Isaias prophetico lumine hoc intuens proclamet: *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madiam & Ephra. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes; & laudem Domino annunciantes.* Eandem magnificentiam eodem lumine Prophetico prænunciarat David. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* Licet enim hæc & similia oracula generaliter Gentium & Regum Gentilium cōversionem ad Christum & Ecclesiam significent: tamen etiam in particulari initium & primitias magnificas conversionis istius designant, ut docēt SS. Patres. Et talis est etiam Ecclesiæ sensus, in officio divino huc ea referentis. Unde S. Hieronymus in Psal. 71. dicit *in Magorum muneribus impletum fuit, quod ibi à Prophetis est prædictum; quia ipsi Gentium Regum & typus fuisse monstrātur.* In hoc ergo hujusce Regis adhuc infantis gloria & magnificentia demonstratur, quod Regum omnium vice adoraturi advolarint, & suo exemplo docuerint omnes. Reges ad ejus pedes sua subiternere sceptra, Principes sua diademata, Magnates purpuram suam & dignitatis stemmata; Heroes sua arma bellica; Duces militiæ sua vexilla; magistratus fasces & honorum symbola; Pontifices Tiaras suas & Pastoralia ornamenta; Sapientes togam suam & sapientiæ insignia; Divites suas opes & curi pretiosa munera; Pauperes suæ paupertatis, amaræ instar myrrhæ, haud ab eo rejicienda munuscula: denique omnes pietatis sectatores, odoriferi thuris grana. Ad eorum imitationem 24. Seniores in Apocalypsi describuntur ad pedes Agni non solum seipsos prosternere, sed etiam coronas suas, & magna voce dicere: *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Quem illi agno jam occiso honorem & adorationem offerunt procidentes coram throno suo cœlesti; eandem eidem agno recenter genito deferunt hi Reges procidentes coram throno suo terrestri. Quis alius hic thronus, quam Virginis sinus in quo sedebat Agnus? *Invenerunt Puerum cum MARIA matre ejus.* Aptissime.

Jam specialiter magnificatus à Regib. hic 3. Reg. 10

Isai. 60.

Psal. 71.

Apoc. 4. & 5.

Christus Agnus.

sumè vero agnum nominaver's, tum quia in stabulo & ovili reperitur; tum quia pro nobis factus est puer & infans, pueros autem agnos vocamus. Unde S. Clemens Alex. l. 1. pedag. c 5. *Quoniam scriptura pueros Agnos & infantes vocat, Deum qui est Verbum, qui pro nobis homo factus est & nobis in omnibus assimulari voluit, vocavit Agnum Dei, Filiũ Dei. Infantem Patrũ.* Huic ergo infanti & agno dũ offerunt aurum, thus & myrrham, quid aliud insonare censentur, quam quod dignus sit accipere divinitatem & sapientiam, & virtutem & fortitudinem, & gloriam & benedictionem? Utique in his tribus munerib. hæc omnia mysticè designantur; & ita magnificatus est Rex noster pacificus, non solũ quod viri sapientia & potestate regia illustres accesserint adoraturi; sed etiam quod talia obtulerint munera, quæ magnificentiam ejus & gloriã declararent. Aurum enim obtulerunt ut Regi: nam aurum subditi regibus pendunt, Thus ut Deo, illud enim Deo solet adoleri, Myrrham ut morituro, sed in corruptionem servaturo. Nam Judæi myrrha mortuos sepeliunt, ut corpus maneat incorruptũ, myrrha enim cum sicca sit, arefacit, & exsiccat humiditatem, & nõ sinit innasci vermes. Unde S. Ambrosius significatã vult corporis Christi in sepulchro jacentis incorruptionem. *Aurum*, inquit, *Regu est insigne, Thus divina Sacramentum potestatu, Myrrha honor est sepultura, qua non corrumpat corpus mortui. sed re'ervat.* S. Cyprianus in thure etiam Christi sacerdotium designatum putat, unde ait: *In auro Regem, in thure Sacerdotem, in myrrha incorruptibilem, licet passibilem confitentur.* Hoc etiam Ecclesia in officio Epiphaniæ approbat. Addit S. Maximus hom. 3. in auro nostram redemptionem, in thure Christianam religionem, in myrrha resurrectionem designari; sic enim ait: *Auro ostenditur captivitatu nostra preciosa redemptio, in thure demoniorum cessatura superstitio, & futurus vera religionis cultus aperitur in myrrha qua exanima solet corpora conservari, pra figuratur carnis nostra reparatio, & mortuorum resurrectio.* Hæc vero omnia ex speciali fide & speciali spiritus instinctu ac lumine agnovisse, mysticisque his muneribus intêdisse profiteri Patrum communis est sententia. Quod sic exprimit Sanctus Leo: *Divinam humanamq; naturã in unitate venerantes, quod cordibus credunt, muneribus protestantur.* Atque dubium esse nequit, quin spiritus directione speciali omnia peregerint; quãdoquidẽ etiam tantæ post adorationem curæ fuerint Deo, ut dignatus sit eis in somno responsum dare, ne ad Herodem redirent, sed per aliam viam reverterentur in regionem suam.

Munera Magnorum.

Cypr. ser. de Magis.

Ser. 1. de Epiph.

Magnificentia Christi, caterorũ Regum superat. I.

Itaque magnificentia Regis nostri pacifici super omnes Reges ex multiplici, capite potest hic breviter demonstrari. Primo ex magnifica illa stella ortũ ejus designante, quæ cæteris clarior illustriorque erat sideribus, quam regebat ipse è cunis & præscipio. Immo S. Ambr. serm. 16. non solũ stellam asserit exortam, sed & solem solito citius festinasse in ortu suo ad ejus nativitatem illustrandam. *Cur*, inquit, *non credamus quod nascente Christo sol ad obsequiũ lucidior advenerit, cum Magos ad indicium clarior stella præcesserit? Et si stella per diem alteri temporis officiũ ministravit, cur non credamus quod sol quoque nocturnis horis aliquantum adventu maturiore decerpserit? Ex eo denique factum puto, ut nox decresceret, dum sol festinus ob Dominica Nativitatis obsequium ante mundo lucem protulit, quam nox cursum sui temporis consummaret.* Hæc S. Ambr. Hoc saltem factum fuisse in ejus resurrectione, aliqui ex antiquis Patribus docuerunt, ut alibi diximus. Secundò ex magnificentia eorum qui stellæ hujus luce illecti & adducti fuerunt ad eum adorandum in cunis; quos magna sapientia & potestate regia præditos fuisse declaravimus. Solis retrogressio ad decem, lineas in gratiam Ezechiæ Regis (cui hoc signum dabatur sanitatis) adduxit Legatos Babylonios ad eum visendum cum muneribus: nam Babylonici astrologiæ periti hanc animadverterant retrocessionem solis, & postmodum rumore nunciatum fuerat Regi, id cælitus factum in gratiam Ezechiæ Regis Israel. Sed hi licet Regem in palatio purpura coruscum repererint, opibusq; omnibus circumfluum, & corona nobilium stipatum; non tamen dicuntur procidentes adorasse eum. At Reges nostri stellæ novæ indicio invitati, ad Regem hunc pacificum accurrunt: & licet in vili tugurio infantem inveniant, vilibus tectum pannis, pauperis matris lac sugentem, mox tamen procidentes adorant eum. Ergo magnificatus est super Ezechiam, imo super Reges universæ terræ. Tertiò ex magnificentia munerum, quæ licet ex se non videantur nisi munera provinciæ illius ex qua venerunt sat ordinaria; tamen in significatione mystica, à Regibus & à Spiritu sancto eos dirigente intenta, magnificentissima sunt, & magnificentiam illius cui offeruntur ostentant; ita ut nulli Regum terræ hac ratione competant. Adhuc hodie Lætiense Monasterium de isto thure & myrrha regum asservat, per Theodorum totius Orientis Patriarcham, & Henricum Imperatorem anno 1208. eis Constantinopoli sacrum munus datum, ut litteris authenticis ibidem ostenditur.

Quartò ex magnificentia donorum cœlestium, quæ reportarũt hi offerentes munera. Si enim munificentiam suam vinci patitur hic Rex noster, semper pretiosiora & augustiora donans quam ei offeramus. In figura hujus rei Regina Saba dicitur obtulisse Salomoni aurum, aromata, gemmasque pretiosas. Sed plura longè largit' est Salom. de quo dicitur. *Rex Salomon dedit Regina Saba, cuncta qua voluit, & qua postulavit & multo plura quã attulerat ad eũ.* Sic reges isti exteriora & terrena offerentes; interiora, cœlestia, & æterna munera retulerunt, copiosa scilicet dona gratiæ spiritualis, & virtutũ cœlestium. Utique nec alia expectabant, qui 2. Par. 9.

non accesserant spe alicujus præmii temporalis, nec ut humanam gratiam Regis hujus vel parentum ejus aucuparentur; quia nec gratiam hanc ab infante, vel à paupere matre, congruum erat expectare.

Quintò, etiam ejus magnificentia patescit, ex turbatione inimicorum suorum; nam per hos patescit cœlestis ejus dignitas: *Cœli Rege nato Rex terræ turbatus est, quia vanivum terrena altitudo confunditur, cum celsitudo cœlestis aperitur*, inquit S. Gregorius. Deinde, quia per id judiciaria ejus potestas designabatur, dicente S. Augustino: *Quid erit tribunal judicantis, si superbos Reges cuna terrebat infantis?* Ulterius per id designabatur dejectio regni diaboli quia non tantum Herodes in seipso turbabatur, quantum diabolus in Herode: uterque regni successorem timebat, sed Herodes terrestrem, diabolus cœlestem. Denique, quod propter eũ infantes occiduntur, etiam in magnificentiæ ejus testimonium cedit; nam mittit infantes infans Christus ad cœlum, nova xenia patri primitias fructuum terræ exhibet Genitori, Nec eis tantum pro fuisse possent Herodes obsequio, quantum profuit odio; quãdoquidem per illud Rex hic pacificus eos destinat ad coronam & regnum. *Absit, ut ad liberandos homines Christus veniens, de illorum præmio qui pro eo interficientur nihil egerit, qui pendens in ligno pro illis à quibus interficiebatur oravit*, inquit S. August. serm 13. de Epiph.

De morte Regum adorantium.

Postremo addamus, hos Reges magnificasse Regem nostrum Pacificum non solum in adoratione ista sed & tota postmodum vita; immò in morte, & post mortem. In vita quidem, quia ut dicit S Chrysost. hom. 16. in Matth. Christum alloquens: *Adventu tuo Magos ab Oriente vocasti, & Evangelistas eos ad sua remisisti.* Certè eis conveniebat illud dicere: *Hæc dies boni nuncii est, si tacuerimus, sceleris arguemur.* Itaque Domini gloriam tres hi testes irrefragabiles mox ad sua reversi annunciarunt, quã stellæ indicio & Spiritus sancti institutione didicerãt. Et si de Pastoribus dicitur: *Reversi sunt glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant*; quanto magis id de ipsis verum erit, qui gavisi fuerant gaudio magno valdè, desiderantes videre eum cujus vultum desiderat universa terra, cujus nomẽ est, *Desideratus cunctis Gentibus.* Unde notat Rupertus l. 2. in Matth. in adoratione magorum majorem perfectionem præsignificatam fuisse gentium, quam Judæorum. Pastores enim Judæi, & ab Angelo instructi, non adeo erant eruditi ut procidentes adorarent, aut munera offerrent: sed tantum dicitur de eis: *Venerunt & cognoverunt de verbo quod dictum illis erat.* Magi vero primitiæ gentium, *& venerunt, & procidentes adoraverunt, & munera obtulerunt*, quibus & magnam fidem, & magnam mysteriorum Christi notitiam protestati sunt; quam absque dubio mox in alios transfundere posse gavisi sunt. Traditio quoque est, per resurrectionem Domini, cum S. Thomas in eorum devenisset provinciam, ab eo baptizatos & ordinatos prædicationis ejus fuisse adjutores. In morte autẽ eos Christum glorificasse per martyrium, tradunt aliqui; verumtamen Breviarium Colonienſe, ubi horum corpora miraculis post mortem adhuc Regem nostrum pacificum magnificant, aliter tradit.

Magi in vita & morte Christum adorarũt.

4. Reg. 7.

Luc. 2.

Magi miraculosè simul in eodem sepulti sepulchro.

In eo sic legitur in Festo obitus tertii Regis, quod observant undecimo Januar. sanctis Magis invitatis ad cœlestes delicias, instabat Nativitatis Domini festum, quod solemniter celebrarunt per totum tempus in oratione pervigiles. Adveniente octava, primus natu Melchior Missæ sacrificio peracto obdormiens in Domino, ad regnum cœleste transiit. Corpus ejus alii duo sepelierunt, & aromatibus condierunt in marmoreo sepulchro ipsis tribus in sepulturam præparato. Sexto primi mensis die, h. e. in Festo Apparitionis, secundus Balthasar peracto etiam sacrificio sanctam, reddidit animam; quem tertius etiam honorificè sepelivit. Cur igitur is in sepulchro foret locãdus, primus antea ibidem positus, quasi vivens in una parte monumenti se collocans; locum dedit socio, vidente & admirante populo, Tertius Gaspar sexto Epiphaniæ die, etiam peracto sacrificio, gratias agens Domino, in manus Angelorum tradidit spiritum. Pontifices autem provinciæ convenientes cum Sacerdotibus solemniter exequias celebrarunt: sed qua parte sepulchri apponerent tractabant inter se: & ecce videntibus cunctis unus duorum ad unam partem se posuit & alter alteram tenuit & sicut viventes, dilectum socium susceperunt in medium. Hæc ibi.

Videri possint hæc alicui Apocrypha; ego tamen Breviario tantæ Ecclesiæ Metropolitanæ in eruditissima Universitate, multum deferendũ autumo, cum & ibi horũ Regum corpora honorari voluerit Deus. Nec dissimilia quandoque contigisse in Sanctorum Historiis legimus. Audi de tribus Viris Illustribus & sacris Episcopis Euchario, Valerio, Materno. Hi missi sunt à P. Petro ad Gallias & Germaniam Evangelium nunciare. At post emensa jã itinera longa, Maternus febre mortem obiit: hoc indolens socii ad Petrum regrediuntur, alium deposcentes Evangelii socium: ille vero baculum mittens suum, jubet mortuo superponi. Cumque ad corpus die quadragesimo pervenissent, superposito baculo per 40. dies mortuus mox revixit, multis paganis hoc miraculo ad fidem conversis. Inde tres illi Trinitatis præcones zelo & charitate indivisi destinatas ingrediũtur provincias, ac multis conversis populis, Sede apud Augustam Trevirorum fixa; primus eorũ Eucharius, post eum Valerius, deinde Maternus Ecclesiæ Trevirensis Episcopatũ suscepit, cui adjunxit Colonienses & Tungrenses populos. Cum vero ad summã pertigisset senectutem, illi triduo ante obitum in Ecclesia pernoctanti beati socii Eucharius & Valerius decora specie apparentes, instantem sibi ad Deum migrationem prænunciarunt. Quod convocatis die altera suis aperuit, & post monita salutis, cum ipsis

oratio-

orationem peregit. Postea voce cœlitus audita; moxque susceptо Dominici corporis viatico, miraculis illustris expiravit 18. Kal. Octob. Coloniæ Agrippinæ. Sed mirabile, quod Rheni fluxu miraculose sursum converso, mox Colonia Treviros translatus est divinitus, ubi juxta sanctorum sociorum Eucharij & Valerij corpora quiescit. Ita Breviar. Leodiense 19. Septemb.

Mirabilis planè Deus in Sanctis suis, de eorum ortu, vita, morte, secreta providentia supra legem ordinariam sæpe disponens. Igitur hos tres sanctissimæ Trinitatis præcones elegerat, quos sicut prædicatione noluit separari, aut sede Episcopali; sic nec postea sede sepulchri, ut qui in vita Christum indivisè animo & zelo dilexerant & glorificarant, etiam post mortem nec animis nec locis separentur. Trinitatis fruitione consimiles in cælis, ejusdem honoris consortes in terris. Simili modo de his tribus Regibus disposuisti videtur, ut qui unanimi consensu adoraturi venerant, & reversi ad sua Christi gloriam pari zelo propagarant, simili fine consummarentur, eodemque tumulo conderentur: & postmodum eodem loco honorarentur in terris; indivisi in cœlis. Quod si quæras, unde illos Orientales, Occidentalis Colonia possideat? Audi quod iterum apud eosdem Colonienses legitur. Helena mater Constantini Regum corpora variis in locis sparsa Constantinopolim transtulit, fueruntque ibi usque ad tempora Manuelis Imperatoris. Fuit vero eisdem temporibus Eustorgius Græcus, Religiosus & Nobilis, qui Legatus ab Imperatore missus fuit Mediolanum, à populo ibi electus Episcopus. Hic postea Constantinopolim regressus ab Imperatore impetravit corpora trium Regum, Mediolanumque transtulit. Anno autem 1163. cum Fredericus Imp. rebelles subjugasset Reinoldus Episc. Colonienſis ab eo obtinuit tres Reges, cum martyribus Fœlice & Nabore, Coloniamque transtulit, omni clero & populo sacra supplicatione occurrentibus, ac in Ecclesia S. Petri pignus hoc sacrum deposuit.

Tres Reges qualiter Coloniam translati sint.

Illo autem loco specialiter velle sibi honorem deferri, confirmat miraculosa translatio à Baptista Fulg. lib. 1. cap. 6. his verbis relata. Sicut Deos Penates ex Alba Longa Lavinium, unde abducti erant, revertisse credit vetustas: ita verius Otthonis & Philippi Imperatorum bello, Coloniam visa sunt redire trium Regum corpora, ab Abbatia Fuldensi in Thuringia regione (*melius in Buchonia*) ad quâ à Colonia fuerant translata. Mane enim cum nocturni psalmi canerentur, Abbas Monachique illius Monasterij egredi templo corpora ipsorum trium perspexere Regum, quæ haud multo post Coloniæ in Templo, ubi antea erant, fuerunt inventa.

PARS III. *Quomodo nos*

SIcut Reges ad Christi præsepium venerunt stella duce, sic & nos interioris inspirationis & illustrationis ductu ad Christum oportet venire, ut prodicētes adoremus eū, & munera ei offeramus cujus vultum desiderat universa terra. Verè dixit Dominus: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Hoc impletum fuit in cruce, de qua loquebatur Dominus, in illa ut serpens exaltandus à Judæis. In hac exaltatus, cœlum, & terram, & inferos ac dura corda multorum ad se traxit, dum multi revertentes percutiunt pectora sua dum elementa ejus lugent mortem, dum è limbo Patrum animæ redeunt ad corpora Christo resurgenti consocianda. Sed non solum in cruce, verum etiam in præsepio id ipsum ex parte impletum est, dum elevatus virgineis manibus è terra (in qua natus primum apparuit) & exaltatus in hoc præsepio, omnia cæpit trahere ad seipsum. Angelos enim trahit è cœlesti palatio, qui ei nomine totius aulæ cœlestis honorem & homagium deferant, stellam trahit è cœlo, quæ nomine totius cæli siderei & aerei cum agnoscat, & alijs adorandum manifestet. Pastores trahit è Judæa, qui nomine totius Judaicæ gentis Regem suum regni sui possessionem ineuntem suscipiant. Ex Oriente trahit Magos, ut totius terræ nomine ab eis adoretur. Sic ergo vultum ejus desiderat universa terra, immo cœlum, & elementa. Sic mysticus iste magnes paululum elevatus à terra ad se trahit omnia. Sic impletur quod de ipso in persona Jacob dictum fuerat: *Esto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filij matris tuæ.* Sic puer jacens in præsepio, jacit funiculos Adam, funiculos amoris, vincla benignitatis & charitatis in Orientem usque, quibus ad se trahat etiam infidelium corda. His isdem funiculis trahere nos debet ad se, ut procidamus coram eo, ut adoremus, ut dona offeramus, vultum illius requirentes amabilem, in quem desiderant Angeli prospicere. Veruntamen, hic cum Propheta dicere possumus: *Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? Numquid offeram ei holocaustomata & vitulos anniculos? Numquid dabo primogenitum meum?* Offer aurum, thus, & myrrham, offert tria dona donis magorum non absimilia: nec in Orientem penetrandum tibi est ut illa reperias, descende in te; prope sunt in corde tuo, prope in ore tuo, prope in manu tua.

Christū magnificare debeamus. Ioan. 12.

Christum natum cuncta adorarunt creatura.

Gen. 27.

Mich. 6.

Primo, si animæ tuæ aream scruteris, tria hæc reperies munera; est enim in ea intellectus, voluntas, memoria. Illa tria offert ei integrè nec vacuus apparebis coram Domino, nec vacuus redibis ab eo. Offer intellectum tuum tamquam aurum pretiosum, per contemplationem rerum cælestium & divinarum. Offer voluntatem instar Thuris, per amorem æternorum. Offer memoriam instar Myrrhæ per rememorationem infantilium necessitatū quas pro te pertulit, illis compatiendo cum amaritudine.

1. *Munera mystica Deo offerenda, quæ?*

Secundo, scrutare tria pretiosa quæ posuit in te dona, & illa offer, erunt acceptissima; hæc sunt fides, spes, charitas. Offer fidem pretiosam instar

2.

auri, spem odoriferam instar myrrhæ, charitatem ardentem instar thuris.

Tertio, offer tria munera pretiosa, cordis contritionem, oris confessionem, operis satisfactionem. Aurum est contritio. Quia sicut radij solis terram penetrantes in ejus visceribus aurum ingenerant, & de luto illud producunt: ita cælestes radij cor terrenum & impurum peccatoris penetrantes, in ejus intimis ex luto vitiorum aurum pretiosum educunt contritionis, quo nihil pretiosius Deo offerri potest, nec enim cor contritum potest despicere lachrymarum gemmis adornatum. Thus est peccatorum confessio ex corde ardenti procedens: & suavem odorem coram Domino producens: fumus ejus dispellit omne genus dæmoniorum. Mirrha est mortificatio & satisfactio, ob amaritudinem naturaliter ei adjunctam: hanc myrrham tanquam pretiosam distillaverunt manus Sponsæ, ut Sponso offerret, & partem ad offerendum nobis communicaret. Vade cum illa *ad montem myrrhæ, ad collem thuris*: non deerit tibi quod offeras & ibi decerpas, si manus aperire volueris. *Cant. 4. & 5.*

Quartò, offer tria opera meritoria Eleemosynã, Orationem, Jejunium. Eleëmosyna illi placet instar auri: Oratio sursum ascendit instar auri: Oratio sursum ascendit instar Thuris incensi: Jejunium acceptabile est instar Myrrhæ, quia animam præservat á corruptione.

Quinto, pete mutuo ab electis Dei tria munera, quæ ei offeras. Offer ei charitatem ardẽtem Apostolorum tamquam aurum ignitum & pretiosum. Offer ei afflictiones omnes Martyrum & pœnitentium, tamqum myrrham electam & probatam. Offer devotionem & pietatem Virginum, tamquam Thus in conspectu ejus odoratissimum.

Vera Religiosorum munera Christi accepta.

Sextò, offerat anima Religiosa, Obedientiam, Castitatem, Paupertatem. Hæc tria vota tria sunt munera pretiosa, illique acceptissima sunt super aurum & topazion. Hoc S. Francisco quondam indicatum fuit á Domino. Cum enim in monte Alverno quodam die in contemplatione ageret, vidit B. Leo ejus familiaris flammam splendidam ad eũ de cælo descendentem: & ex illa vox quædam loquebatur ei; ipse vero ter ad illam protendebat manum. Hujus rei cum postmodum exquireret instanter a S. Francisco & B. Leo significationem, noluit ei celare, quia ob puritatem & mansuetudinem plurimum eum diligebat. Dixit ergo Vir Sanctus, inter cætera Deum tunc sibi locutum fuisse velut Moysi è flamma rubi, & petijsse sibi oblationem trinam fieri. Cui respondi, inquit, *Domine sum totus tuus, non habeo nisi tunicam & cordam, & tua sunt quid potero offerre? Cælum & terra, ignis & aqua, tua sunt omnia.* Tunc dixit mihi Dominus; Mitte manum in sinum tuum, & quod invenies, offer. Et inveni monetam auream fulgidissimam, cui similem numquam videram, & obtuli Deo. Dixitque, offer secundo, & tertio, quod in sinu inveneris. Et dixi. *Domine non amo, nec volo aliquid praeter te, aurum & omnia despexi ob amorem tuum. Si ergo aliquid in sinu meo est, tu posui sti illud, & redde Dominatori omnium.* Ter ergo feci oblationem, & benedixi eum; & intellexi per tres aureos significari obedientiam, castitatem, paupertatem, quas per gratiam suam dedit mihi Deus perfectè severare; ipse posuit in sinu meo, ut ei reddam, & eum honorificem. *Bonav. c. 13.*

Septimo. Quilibet potest ei tria dona pretiosa offerre, ab ipsomet deprompta, & ut ea offeramus nobis concessa. Offer ei ipsiusmet Divinitatem, Corpus, Animam, quæ ipse quotidie tibi donat, ut ei amoroso corde reddas, & referas. Divinitas aurũ est electissimum, anima thus fragrantissimum, corpus instar myrrhæ est donum acceptissimum. Cum his sacratissimis muneribus teipsum offer in sacrificium.

Octavo. Offer tria dona, vitæ scilicet tuæ tempus præteritum, præsens, futurum. Offer tempus præteritum, per recogitationem, vel gratiarum actionem. Offer præsens, per piam illius, in honorem Dei impensionem. Offer futurum, per firmam nũquam peccandi resolutionem. Si recogites annos præteritos cum amaritudine, invenies myrrham offerendam. Si impendas horam præsentem purè in honorem Dei, invenies Thus oblatione dignum. Si resolvas omne etiam futurum tempus ei impendere, aurum erit acceptabile.

Formula offerendi se Christo parvulo.

ITa Domine Jesu, in unione illius perfectissimæ donationis quam fecit nobis pater, te filium suũ unigenitum omnibus donans: in unione etiam illius oblationis quam fecisti patri recens natus, teipsum in hostiam vivam ei offerens: in unione quoque illius oblationis quam acceptissimam habuisti factam à Magis te adorantibus: Offero & ego tibi hodie trium instar munerum, intellectum meum, voluntatem, memoriam, ut te cognoscere, amare, frui in æternum valeam. Offero tibi omnes cogitationes, verba, opera totius mei temporis vel æternitatis, ut in illis perfectè glorificetis. Offero tibi fidem, spem, charitatem, tam meam quam omniũ electorum. Offero tibi zelum ardentem Apostolorum, patientiam Martyrum, puritatem Virginum, per quæ tibi laus sit in sæcula sæculorum. Offero tibi obedientiam, paupertatem, continentiam, omnium Religionem professentium, in honorem assumptæ à te pro nobis paupertatis, obedientiæ, humilitatis. Offero denique, quicquid pretiosissimum posuisti in sinu nostro, corpus, animam, divinitatem in tuam: & cum his tribus donis meipsum totum offero titulo servitutis perpetuæ: te Regem meum agnoscens, Deum meum, Redemptorem meum, pro me mortalem factum, ut immortalitate me donares. Hæc Domine Jesu pro me, hæc pro omni plebe tua offero, & dona tua tibi refero, novis ut semper nos donis augeas; donec tandem triplici æternitatis munere nos individibiliter tibi cõjungas, divinitatis scilicet tuæ æterna visione, tentione, fruitione, tũc nobis licebit sine intermissione

te

te ter sanctum cum Angelis collaudare, & in spiritu ac veritate jugiter adorare.

Exempla. HAs oblationes Christo offerre edocuit nos sancta Gertrudis, à Deo prius ipsa edocta. Illa enim solemni Epiphaniæ Festo, exemplo regalium oblationum offerebat Deo quasi pro myrrha corpus Christi cum omnibus passionibus suis & meritis, quibus optabat apud Deum emendare omnia peccata hominum ab Adam usque ad hominem novissimum; item pro thure animam ipsius devotissimam cum omnibus spiritualibus exercitiis, in suppletionem universalium negligentiarum; item pro auro superexcellentissimam deitatem Christi cum delectatione fruitionis ejusdem, in suppletionem defectuum omnium creaturarum. Tunc verò apparuit ei D. Jesus, eam oblationem instar dignissimi Xenii sanctissimæ Triaitati repræsentans. Visaque est tota curia ob reverentiam totius oblationis, Christo eam deferente, velut procidere & adorare.

Alia vice dum eodem Festo legeretur illud ex Evangelio, *Et procidentes adoraverunt eum, & obtulerunt ei munera*, memor personæ quæ sæpe rogarat eam ut eo die Domino offerret aliquid pro se, requisivit à Domino quid sibi vellet offerri pro ea. Cui Dominus. *Offer mihi pedes ejus, manus, & cor.* Per pedes signavit desideria; unde quia ferventer persona illa desiderat recompensare mihi passionē meam, studeat omnia gravamina suo cordi & corpori adversantia patienter in unione passionis meæ tolerare, ad laudem & gloriam nominis mei, & totius Ecclesiæ utilitatem: & hoc pro myrrha electa acceptabo. Quia verò per manus signatur operatio, studeat omnia tam corporalia quam spiritualia opera perficere in unione perfectissimorum operū sanctissimæ humanitatis meæ: sic nobilitata sanctificabuntur, & pro immolatione thuris suaviter redolentis acceptabo. Similiter, quia per cor signatur voluntas; in omnibus agendis semper ab aliquo homine humiliter meam requirat voluntatem: & quicquid tunc ei consultum fuerit licitum & honestum, suscipiat pro meo beneplacito; idque pro purissimi auri oblatione acceptabo. Nam pro illa humilitate & confidentia qua meam voluntatem requirit ab alio, voluntas ipsius unita fiet divinæ voluntati meæ, sicut ex auro & argento in igne conflato fit electrum pretiosum.

DE FESTO PURIF. M. V.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ. Luc. 2.

LECT. 16 Quare M. V. se purificandam statuerit. SI illa quæ hodie in Templo Jerusalem gesta sunt oculo pietatis consideremus, MARIA procedente cum JESU in ulnis, illumque inter brachia Simeonis & Annæ miro cum gaudio omnium justorum deponente: merito, si unquam, ei dicere possumus quod olim Angelus, quod Elizabeth à Spiritu sancto edocta: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Mariæ nomen, inquit sanctus Hieronymus idem est quod illuminatrix: Ecce imp. et nomen suum, lucem in ulnis ferens ad illuminationem gentium & gloriam plebis suæ Israel. Ave igitur Maria; gaudium tibi sit ô illuminatrix nostra: Sed quanto cum splendore; quanta cum pietate mulierum speciosissima procedit? Verè gratia plena est in omnibus, in mente, in corpore, in incessu, in affectu: ita ut dicere liceat illud: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis*, ô Filia Principis; Quis vero procedit cum illa, nisi ille qui fuit novem mensibus in illa, & processit ex illa; igitur Dominus tecum, ô MARIA: innititur tibi: inniteris illi: ascendis enim in templum innixa super dilectum, ipse te portat & ducit, licet tu illum ducere videaris & portare, Verè tu in mulieribus es benedicta quam hodie admirantur omnes mulieres, virgines, conjugatæ, viduæ. Etenim in templo ex parte totius sexus muliebris Benedicit te Anne vidua pientissima, similem edens vocem quam olim Elizabetha conjugata. Sed ideo est benedicta Maria, quia Benedictus Fructus Ventris quem portat, quem offert, qui postquam ipsam omnigena benedictione replevit, & jam eandem benedictionem in omnes per ipsam effundit. Hanc Simeon & Anna omnesque qui expectabant redemptionem Israel hodie participarunt; benedicentes Dominum, ab ipso prius benedicti; lucem adventantem cum gaudio spectantes, ab ipso interna luce præventi. *Lux orta est justo, & rectis corde lætitia. Lætamini justi in Domino & confitemini memoriæ sanctificationis ejus.* Dum justo Simeoni lux oritur, omnibus rectis corde lætitia cooritur: & ideo hodierna dies instituta est, ut divinæ lucis à Domino reddamur consortes cum justis, & confiteamur memoriæ sanctificationis ejus: quia in voluntate quia se ipsum in templo sanctificavit, & in MARIÆ ulnis obtulit Hostiam puram & sanctam Patri æterno, nos etiam sanctificati sumus.

Cant. 7.

Ps. 90.

Quæ causa purificationis M. V. *Exod. 13. Num. 18*

Sed in particulari hic videamus, quam obligationem MARIA habuerit ad hanc purificationem, vel ad infantis sui oblationem. Duæ erant olim leges hanc rem concernentes. Una erat concernēs masculos primogenitos, qui jubebātur offerri Deo, & redimi quinque siclis. Ideo autem voluit sibi offerri primogenita, quia dum percussit primogenita Ægypti, primogenita Israelis conservavit. Unde dicitur: *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel.* Altera erat concernens puerperas, & pullum columbæ sive turturem, aut duos pullos columbarum vel duos turtures si pauperes erant. De hac re agitur. *Mulier si susceperit semine, pepererit masculū, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ. Et die octavo circumcidetur infantulus; ipsa vero triginta tribus*

Levit. 12

Leges antiquæ ut Christum, sic nec M. V. obligabant.

tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur Sanctuarium. Itaque per septem dies nemini, ne marito quidem, cum ea versari licebat, vesci, vel colloqui: per alios 33. dies arcebatur quidem a sanctuario, sed cum ea licebat vesci aut versari. Hæ duæ leges Christum nec Mariam concernebant. Non prima lex, quia agit de primogenitis qui aperiunt vulvam, Christus autem cum ex virgine natus sit, matris claustra non reseravit; & sic in rigore loquendo vulvam non aperuit; ideoque illa lege non comprehenditur. Et quidem specialiter sic legem expressisse Spiritum sanctum, ut verbis expressis Christus & Maria non comprehenderentur, communis est sententia Doctorum. Altera etiam lex Mariam non obligat. Quia verba legis agunt de muliere quæ susceptio semine peperit masculum; Maria autem nec concepit, nec genuit susceptio viri semine. Neque refert quod in Hebræo habeatur: Mulier quæ semen fecundaverit, seu quæ fecerit semen, sive quæ genuerit, ita ut semen pro prole accipiatur (prout aliqui sunt interpretati:) licet enim semen aliquando pro prole accipiatur, tamen seminificare est susceptio semine parere, & emittere prolem ex semine conceptam; quod Mariæ non convenit. Itaque non eguit Maria purificatione, cujus integritatem filius non minuit, sed sacravit, quia sine sorde filium peperit sanctissimè & purissimè, ut sol radium suum, ut supra diximus. Non poterat de hac puerpera dici quod de aliis lex, præscripit. *Omne sanctum non tanget*; quandoquidem ipsum sanctum sanctorum in gremio tenebat, in sinu fovebat, virgineo lacte nutriebat, inquit B. Eusebius Emissenus serm. de purificatione. *Nequaquam immunda judicatur, quæ sancto Spiritu obumbrante, totius munditiæ & sanctitatis authorem genuisse probatur*, inquit S. Eligius. Dicere ergo poterat virgo. Quid mihi opus purificatione, cur abstineam ab ingressu templi, cujus uterus nesciens virum templum factus est Spiritus Sancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? Nihil in hoc conceptu nihil in hoc partu impurum, nihil purgandum, cum proles ista fons sit puritatis, & purgationem facere veniat delictorum. Quid ergo in me legalis purificat observatio, quæ purissima facta sum ipso partu immaculato? Interim licet hæc omnia posset dicere, voluit tamen varias ob causas legi huic se subdere.

Caussa purificationis B. Mariæ.

1. Ut Filio suo assimularetur.

Prima est, ut filio suo assimilaretur, qui cum omni peccato careret, voluit tamen fieri in similitudinem carnis peccati, & peccatoris quoddam velut stigma sibi in circumcisione inuri. Unde Bern. *O vere Beata Virgo, verè non habes caussam, nec tibi opus est purificatione; sed nunquid filio tuo ejus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una earum, nam & filius tuus sic est in numero puerorum.* Sicut ergo filius ejus voluit illam circumcisionis legem servare, ut humilitatem & obedientiam profiteretur; omnemque occasionem scandali vel murmuris evitaret; eamdem ob caussam Maria Virgo legem observat purificationis. Maxime, cum non foret cognitum eam virginem peperisse & sine impuritate, scandali occasio vitanda erat: quam etiam ob caussam Christus cum ad tributum urgeretur, voluit solvere. Unde dicit Petro: *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filiis, an ab alienis?* Mox subdit: *Ut autem non scandalizemus eos vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore ejus invenies staterem; illum sumens da eis pro me & te.* Hanc eandem ob caussam dicebat Apostolus: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Noli cibo perdere eum pro quo Christus mortuus est.* Loquitur de idolothytis, sive de cibis idolo consecratis, quos aliqui comedebant libere & sine conscientia, alii vero inde scandalizabantur. Quantum autem murmuris aut scandali oriri potuisset si legis purificationem. Maria non subiisset, ex eo colligi potest, quod multi ex sanctis Patribus doceant ideo Joannis Baptistæ patrem Zachariam occisum fuisse, quod cum mysterium de Virginis partu intelligeret, non arcuerit purissimam matrem à Templi loco qui Virginibus ex lege erat designatus. Erat vero hic locus inter Templum & Altare medius. Unde existimant hunc esse Zachariam de quo Dominus: *Veniet super vos omnis sanguis, à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ quem occidistis inter templum & altare.* Hujus sententiæ est Sanctus Gregorius Nyssenus de Christi Nativitate Sanctus Basilius de humana Christi generatione Origines in Matt. tract. 26. Cyrillus Alexandrinus adversus Antropomorphitas. Testatur quoque Hippolytus Martyr apud Nicephorum lib. 2. c. 3. Zachariam patrem Joannis fuisse filium Barachiæ Sacerdotis. De illo etiam sic ait Epiphanius de vita & interitu Prophetarum. *Zachariam Herodes ille Tyrannus juxta aram domum, Dei occidit, effusus est sanguis ejus in vestibulo templi.* Et Tertullianus in Scorpiaco c. 8. *Zacharias intra altare & eadem trucidatur, perennes sui cruoris maculas filicibus assignans.* Quamvis igitur S. Hieronymus simplicitati credentium assignet quod de Zachariæ nece & sanguine dicitur, tamen ex his patet antiquorum id miti auctoritate, quod scilicet quia annuntiabat Christum advenisse & ex Virgine ortum esse, & matrem hanc purissimam à Virginum loco arcendam non esse, neci crudeli occasionem dederit. Unde Cyrillus loco citato sic ait: *Quando audierunt Regem totius creationis ad humanam naturitatem divino consilio procedere, veriti ne in ejus regis potestatem venirent, eum qui hac de partu testificatus erat interficiut sacrificantem.* Necdum vero tempus erat ut seipsum Christus mox natus proderet, aut Maria, & ideo ille subit circumcisionem, illa purificationem, quasi de communi essent hominum ordine, & legi subditi ut cæteri, qui exempti erant & ex leges.

Zacharias quare occisus

Matt. 17.

1. Cor. 8.

Matt. 23.

Secunda caussa purificationis à Maria susceptæ fuit,

2. *Vt nos excitaret ad quærẽ dam puritatem.*

fuit, ut nos excitaret hoc exemplo ad quæ rendam puritatem, sive ad purificationem spiritualem, sicut filius suo exemplo in circumcisione carnis nos invitabat ad cordis circumcisionem. Hanc rationem affert S. Ber. serm. 7. inter parvos. *Quid est quod dicimus B. Mariam purificari? Quid vero quod ipsum Iesum dicimus circumcidi? Enim vero tam non indiguit illa purificatione, quam nec ille circumcisione. Nobu ergo & hic circumciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, ut à vitiis continentes, primum per ipsam continentiam circumcidamur deinde à commissis per pœnitentiam purificemur.* Amat Jesus, amat Maria magnopere in nobis puritatem, docetque nos illam in templo quærere. Nam quia novit infirmitatem nostram multis esse sordibus obnoxiam, aperuit nobis in medio Ecclesiæ *fontem in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Non ergo solum anima peccatis levibus obnoxia ibi reperit ablutionem; sed etiam quantumlibet menstruata, quantumlibet sanguine cruenta & fœda: licet vestimentum gerat mixtum sanguine, quod in combustionem esset, & cibus ignis, ibi tamen purificatur. Hic est fons pœnitentiæ, qui patens dicitur, quia nulli clausus, nec absconditus: qui de domo David sunt eum facile reperiunt, hoc est filii Ecclesiæ: & qui habitant in Ierusalem ad eum lubenter accedunt; hoc est, qui ad visionem & amorem pacis adspirant. Maria quæ de domo David erat & in Ierusalem procedebat, fonte illo non egebat, quia nec maculam culpæ cõtraxerat, nec legalis immunditiæ: fontem tamen illum omnibus habitantibus in Ierusalem ostendebat, & ad eum nos invitabat, sciens nostram indigentiam. Si ergo nos Iesum, si Mariam amare profitemur, cura sit nobis continua puritatis acquirendæ & conservandæ, puritatis inquam spiritus, cordis, carnis. Puritatem hanc discere possumus à Iesu, & ab illo tamquam fonte eam derivare; quia origo est sanctitatis omnis, non solùm secundum divinam naturam, secundum quam est essentialiter purissimus & sanctissimus, sed etiam secundum humanam: quia eius anima & caro deifica divinitate sanctitatis & puritatis sacratissimo chrismate copiosissime est perfusa, ut eam etiam in omnes valeat dirivare. Discere eandem puritatem possumus à Maria, in qua eminentissima fuit, etiam super omnes Angelos, sanctimonia mentis & corporis: & per illam tamquam per aquæ ductum in nos potest derivari, si illi corde sincero adhæreamus.

Pœnitentia fons patens.

3. *Vt solemniter in templo filium offerret. Agg. 2.*

Tertia causa fuit, ut occasione hujus observantiæ legalis solemniter filium suum offerret in templo. Volebat enim ipse mox ab infantia templum illud honorare, & implere Aggæi prophetiam; *Veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituũ & magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam prima.* Longè major fuit gloria primi templi instructura magnifica, quam secundi à Zorobabele initiditu à captivitate exstructi, sed tamen dicitur fore major gloria hujus secundi, quia Christus erat illud ingressurus, ibi se oblaturus, ibi concionaturus, & miracula patraturus. Gloria ergo illius domus primæ in eo fuit quod Deus in nube in illud descenderit: gloria domus secundæ in eo quod Deus homo ibi visibiliter se præsentaturus foret, Gloria domus primę in eo quod multitudo hostiarum ibi sit offerenda, sed gloria domus secundæ in eo quo primogenitus Dei filius hodie in eo sit oblatus, omnes continens & consummans hostias, de quo etiam Malachias: *Statim veniet ad templum sanctum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* Volebat etiam Christus (qui à primo instanti quo homo factus est in carne passibili perpetuo fuit victima ante faciem patris) omnibus modis pro nobis in sacrificium offerri, & hæc est publica & solemnis oblatio qua ei fistitur incruentè. Volebat & ipse non solum nos redimere, sed etiã pro nobis redimi: quod factum est, dum instar aliorum primogenitorum quinque siclis est redemptus, ut præcipiebatur. Virgo ergo sanctissima eum obtulit sine Agno, quia ipsa agnum verum offerebat. Ipsum quoque redemit, non tamsuo quam totius mundi nomine; & ideo jam totus noster censetur, non solum ut à Patre datus, sed etiam ut à Matre redemptus. Sic quod de eo canitur: *Iesu nostra redemptio, amor & desiderium*, dupliciter verum est, activè scilicet & passivè, quia & pro nobis redimi dignatus est in templo, & nos redimere voluit in patibulo. Utrobique interim in Sacrificium est oblatus, & quidem ut dixit Propheta Isajas: *Oblatus est quia voluit.* Nam & modo oblatus est, non quia opus habuit, aut quia sub legis edicto fuit; sed quia ita voluit, & quia ita Patrem velle agnovit. Et in cruce oblatus est, non quia meruit, aut quia Iudæus prævaluit, sed quia ipse voluit; ut voluntariè nosipsos ei Sacrificaremus, qui voluntarie se ipsum pro salute nostra obtulit, quotiescumque obtulit: *Ergo pro eis* (inquit ille) *Sanctifico me ipsum.*

Malach. 3.

Num. 18.

Isa. 53.

Ioan. 17.

Differentia Oblationis.

Sed utriusque oblationis & Sacrificii digna est considerationè differentia.

Christi in templo, & in cruce.

1. Hic velut matutinum est sacrificium, postmodum sequetur vespertinum, ut implicatur figura Agni, qui præcipitur offerri manè & vesperi.

Exo. 24. Num. 28.

2. In matutino offertur inter brachia matris, in vespertino inter brachia crucis. Nunc offertur miro cum gaudio speciosus ille forma præ filiis hominum, tunc autem diro cum lamento novissimus virorum vir dolorum.

3. Nunc Mater Paterque dicere potest: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui:* tunc vero Patri dicet quasi derelictus. *Deus Deus meus ut quid dereliquisti me;* Matri vero quasi eam derelinquens, *Mulier ecce filius tuus.*

4. Nunc offertur in templo gloriæ & odoris, tunc in loco infamiæ & fœtoris.

5. Nunc offertur cum cereis & lumine; tunc

cœli luminaribus subtractis ubique factæ sunt tenebræ.

6. Nunc offertur cum benedictione Simeonis & Annæ, omniumque justorum expectantium redemptionem Israël: tunc cum maledictione multorum blasphemantium Redemptorum Israël.

7. Nunc redimitur quinque siclis, tunc redimet omnes quinque plagis.

8. Nunc cum præconio introducitur intra sancta, tunc cum improprio ejicietur extra castra.

9. Sacrificium quidem hoc jucundius, dum offertur ineruente; sed istud erit plenius, quod non consummabitur nisi toto exhausto sanguine. Utrumque tamen sit ardenti amore nostri, & ideo utrumque debet ardenter imprimi nostro cordi, quod sibi optat offerri in perfecti holocaustum amoris. Nam & propterea Maria obtulit primogenitum suum, ut doceret nos Deo offerre primogenitum nostrum. Quod est autem primogenitum in nobis, nisi cor nostrum, quod primũ vivens, & ultimum est morieus, ergo illud primo viventi, vitæ auctori consecrandum & cum Christo primogenito Mariæ, primogenito omnis creaturæ, indivisibiliter conjungendum: in qua unione non poterit non esse Patri acceptissimum.

4. Vt doceret proles mox à partu Deo offerendas.

Quarta causa purificationis Mariæ fuit, ut doceret mulieres omnes fructum suum mox à partu Deo offerre. Ad hoc nempe matrimonium institutum est, ut terram impleat fidelibus, qui postmodum in cœlo impleant numerum electorum; nam per illud multiplicantur animæ quæ in æternitate Deũ debent benedicere. Unde mox ab utero proles Deo sunt offerendæ. Sic B. Monica Augustinum Deo obtulerat, qui fatetur se ex Matris utero sal quoddam Dei gustasse, matris pietate illud ori animæ ejus instillante. Sic B. Alæta Mater Bernardi proles omnes quas gignebat in ulnas sumebat, & Jesu Christo offerebat, consecrabat; atque ex eo tempore eas tractabat quasi res sacras, iacrumque depositum sibi à Deo commissum; quod adeo fæliciter successit; ut septem sanctissimas nacta sit proles divino mancipatas obsequio. Sic Mater B. Edmundi mox à nativitate eum Deo sacravit; & quia præter communẽ nascentium morem mundus è maternis visceribus prodierat singulari scitie. Dei beneficio sic futuram ejus puritatem insinuabat ita ut mundissimus pannus cui involutus fuit nullam maculam contraheret; ideo mater in baptismo eum Edmundum tamquam a munditia nuncupandum censuit. Et exinde puritatis ejus magnam curam habuit, monitis & institutione continua. Sic Laudunæ mater S. Elzearii Comitis, suum hũc primogenitum mox ferventi devotione Deo offerens dixit: *Domine Deus ad cuius imperiũ omnes existunt creaturæ, gratias tibi ago pro hoc filio tua benignitate mihi donato, humiliterque oro ut tuus in eum servum accipias, & tua benedictionu gratiam ei largiaris. Quod si tu illum nosti divinæ voluntati tuæ fore rebellem, ubi sacro baptismate erit candidatus, illum sine morã è medio tolle. Satius enim est innocentem & nullis proprijs auctum meritis tecum vivere, & mundo emori, quam in hac mortali vita tuam offendere Majestatem.*

Surius 20. Aug.

Surius 10. Nov.

Surius vita 28. Septemb.

Hinc etiam est, quod ad imitationem B. Mariæ post partum procedũt cum prole Matres ad Ecclesiam, ut reddant Deo gratiarum actionem qui eas è periculo partus incolumes reddidit: simulque ut offerant se & fructum suum divinæ majestati, implorata per preces Sacerdotis & Ecclesiæ benedictione pro se & prole. Unde nec sine mysterio sunt ceremoniæ tunc adhibitæ. Primo veniunt cum cereo & lumine, Christum sibi propitium optantes qui lumen est de lumine, gratiasque illi agentes quod lucem vitæ lucemque gratiæ proli dignatus sit impertiri. Secundo, à sacerdote capiti earum superponitur stola, designans à filio Dei mortalitatis nostræ stola induto omnem benedictionem derivari, & per illum immortalitatis stolam in Adam perditam recuperari. Tertiò, recitatur oratio in memoriam Præsentationis Jesu & Purificationis Mariæ: *Omnipotens sempiterne Deus majestatem tuam supplices exoramus, ut sicut Vnigenitus tuus cum nostra carnis substantia in templo est præsentatus, ita facias hanc famulam tuam purificata tibi mente præsentari.* Quarto recitatur Evangelũ S. Ioannis, in quo continetur quomodo filius Dei dedit nobis potestatem filios etiam Dei fieri, & ex Deo nasci; ad quem effectum habitavit in nobis, & Verbum caro factum est. Quinto monentur (juxta rituale diœcesis nostræ) ne puerum secum in lecto eodem collocent, quia frequenter grave illis inde immæet periculum. Accedant ergo ad templum puerperæ, non Iudaico ritu, sed imitatrices Mariæ; nec vim ponant in diebus purificationis, sed ubi integram recuperarint valetudinem possunt accedere. Nec etiam diem observent, an sit dies Martis, Iovis aut Sabbati. Omnis enim dies ad id aptus debet judicari. Unde illæ quæ die Lunæ Mercurii, aut Veneris cavent accedere (tales nunnullæ reperiuntur) non id agere possunt sine superstitione & vana observatione; quasi aliquis dies fælix, alter sit infelix. An forte dies Veneris sanguine Christi consecratus non est opportunus ut infans in illo Deo offeratur & consecretur? Quod si Christus in die dominico natus est (secundum veriorem opinionem) Mariæ purificatio in diem Mercurii incidet, ut patebit comput. anti 40. dies: ergo ille dies non est reputandus quasi inter minus fœlices pro puerperis:

Caussa ceremoniarum puerperarum post partum.

Damnabilis superstitio puerperarum in die egressus post partum.

Concludamus, & pro coronide adjiciamus Mariam nõ solum Jesum obtulisse & redemisse quinque siclis, (valebat siclus florenum nostrum brabanticum) sed etiam obtulisse duos turtures, vel duos pullos columbarũ, quæ erat oblatio pauperum. De hac re agens Origines hom. 14. in Lucam ait: *Ego aves istas beatas puto quæ pro ortu Dominis oblatæ sunt: Et quomodo asinam Balaam miror, & falcitate accumulo, quia digna fuerit non solum videre*

dere Angelum Dei, sed etiam ore reserato in humanum sermonem erumpere; sic multo amplius has volucres pradixo, easque sustollo quod pro salvatore oblatæ sunt. Quod vero idem Origenes insinuat ibidem non fuisse veras aves, sed sicut in specie columbæ Spiritus apparuit, ita hic fuisse speciem turturis aut columbæ; id inquam rejiciendum est, nam proprietas scripturæ requirit ut veras fuisse turtures vel columbas asseramus. Habebant tamen & illæ significationem mysticam à SS. Patribus insinuatam.

Columba & turtur mysticè quid significent.

1. De hac re sic loquitur *S. Ambros.* 5. Hexameron. c. 19. *Dei lex hoc casta hostiæ munus elegit. Hoc est enim verum Christi Sacrificium, pudicitia corporalis & gratia spiritualis, pudicitia ad turturem refertur ad columbam gratia.* Hæc ille.

Beda in hom.

2. Sic loquitur eadem de re Beda, *Columba simplicitatem, turtur indicat castitatem, quia & columba simplicitatis, & castitatis amator est turtur, ita ut si conjugem casu perdiderit, non ultra aliam quærere curet. Merito ergo turtur & columba offeruntur in hostiam Domino, quia simplex & pudica conversatio est illi justitiæ acceptum sacrificium.*

Ibidem.

3. *Aliam addit significationem idem Beda. Cum utraque avis propter consuetudinem gemendi præsentes sanctorum luctus significet, in hoc tamen differunt, quod turtur soli vagus, columba gregatim volare consuevit; & ob id iste secretas orationum lachrymas, illa publicos Ecclesiæ conventus insinuat. Vel columba, qua gregatim volat, activæ vitæ frequentiam demonstrat: turtur vero, qui singularitate gaudet, speculativæ vitæ culmina denunciat. Et quia apud utraque creatori accepta est hostia consultè Lucas utrum turtures an pulli columbarum pro Domino sint oblati non dixit, ne unum alteri vivendi ordinem præferret, sed utrumque sequendum doceret.* Hæc Beda super Lucam.

Offeramus & nos cum Maria per turturem, vel duos pullos columbarum: aversionem à peccato, conversionem ad Deum; odium peccati, amorem Dei. Offeramus par turturum; corporis & animæ puritatem. Offeramus intellectum & voluntatem, Offeramus adorationem profundam & dilectionem sinceram. Offeramus totum hominem exteriorem. Offeramus totam interiorem gementes vitam prætéritam.

DE CEREIS ACCENSIS.

LECT. 56

Lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis tuæ Israël. Luc. 2.

De candelis hujus festi & earum significatione.

HOc Festum vocatur etiam *festum candelarum, sive Candelaria* à candelis scilic. tunc solenniter benedici solitis, quia unusquisque fidelis in hac festivitate cum cereo accenso solebat se in templo sistere. Hunc vero morem primò introductum existimant antiquitus, ad tollendum abusum Gentilium, qui adhuc inter aliquos noviter ad fidem conversos vigebat. Solebant nempe Romani Kalendis Februarii ad honorem Februæ (hæc dicitur fuisse mater Martis qui est Deus Belli) tota nocte civitatem lustrare cum cereis & facibus: & hoc fiebat de quinto in quintum annum, unde & dictum est *Lustrum*, quod & modo quinque annorum spatium Latinis significat. Ideò verò hanc Februam Deam venerabantur, ut Mars ejus filius felicem eis victoriam in bellis concederet. Item hic mensis Februarius dicatus erat Februo, id est Plutoni, aliisque diis inferni, quibus tunc sacrificabant pro animabus suorum antecessorum, ut illis ei illi forent propitii, & offerentes eam ob causam solemnes hostias, tota nocte vigilabant cum cereis. Item dixerunt antiqui Proserpinam Jovis & Cereris filiam, flores dum colligeret, à Plutone raptam ad inferos, eique connubio junctam, quam Mater Ceres requisivit per totum orbem, accensis facibus. Hinc nata superstitio, ut mulieres Romanæ Kalendis Februarii nocte tota lumina gestarent in memoriam quæsitæ Proserpinæ. Ita Beda cap. 10. lib. de ratione temporum. Quapropter Sergius Papa dicitur hanc consuetudinem superstitiosam commutasse in pium hunc morem luminis ubique accensi in honorem Virginis Matris, & Filii ejus JESU CHRISTI. Sed quamcumque ob causam & à quocunque mos iste pius introductus fuerit, certum est omnino in Ecclesia antiquum esse; nam etiam illius meminit Cyrillus Jerosolymitanus sic in hac festivitate ajens: *Lætihodie lampades ornemus, jamque filii lucu, ceras Christo veræ Lucis offeramus. Quoniam lumen ad revelationem gentium mundo apparuit, ideo lumina resplendeamus.* Sunt igitur hujus luminis sacri plures significationes mysticæ.

Vide has nationes apud Iacobum Voragine ser. 5. de hoc festo.

Cereus accensus Christum designat.

Primo Cereus accensus aptissimè designat Christum. Nam cera carnem ejus significat, quæ genita est ex Virgine sine corruptione, sicut etiam apes ceram suam sine corruptione gignunt. Lychnus verò significat Christi animam, in nostra carne velut in cera latentem. Ignis autem accensus designat divinitatem est enim divinitas ignis ardens, & lux illuminans, à qua omnis ardor, omne lumen in Christi animam primum, deinde & in fideles omnes derivatur. Et quia Christus noluit mox suam omnibus manifestare divinitatem, sed certis temporibus, certisque personis paulatim ejus lucem ostendit, *in manibus suis abscondit lucem, & de ea annuntiat amico suo*, inquit Job; ideo quædam sunt festivitates quæ specialiter possunt festa luminis appellari.

Iob. 36.

Quadam festa specialiter festa luminis appellantur.

Primum est Nativitatis Domini festum, cujus prima Missa rememorat nobis quomodo ipse in die æternitatis processerit à Patre tamquam lumen de lumine: Secunda, quomodo lucem spiritualem voluerit nobis ingenerare; *Lux fulgebit hodie super nos*, canit tunc Ecclesia: Tertia, rememorat nobis Nativitatem ejus in carne, per quam hæc lux orta est nobis, in cujus lucis symbolum claritas

Dei circumfulsit Pastores. Ob eandem etiam significandam solet triplex cerea candela plerisque in locis in altari accendi in his tribus Missis.

Secundum festum luminis est festum Regum, quod & festum Apparitionis dicitur, in quo Gentilibus primò lux orta est, & factus est manifestatio illius qui dicitur hodie, *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis Israël.* Unde tunc etiam canitur: *Surge illuminare Ierusalem quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est* Isai. 60.

Tertium festum luminis est festum Transfigurationis, quia in illa refulsit facies ejus sicut Sol, ita ut lucem illam non ferentes infirmi discipulorum oculi, terrore percussi sint. Nempe ibi luminis sui æterni specimen voluit exhibere, in quo videbimus lumen de lumine, & ideo merito luminis festum poterit nuncupari.

Quartum festum luminis, festum est Resurrectionis, quando lux ejus quæ mortis occidui tenebris sepulta videbatur, mox novo inclaruit oriente, ita ut in fines orbis splendorem radiantem statim protulerit. In figuram hujus rei olim Sabbato sancto in Ecclesia Sepulchri Domini, igne de Cœlo descendente, post consecrationem baptismalis fontis, lampades omnes & cerei divinitus accendebantur. In hujus rei etiam significationem Cereus Paschalis, quinque granis thuris odoriferi adornatus, succenditur novo igne. Symbolum enim gerit Christi redivivi, glorioso corporis novo lumine cincti, quinque vulneribus decori.

Quintum luminis festum, est festum Pentecostes, in quo ignis ille divinus cum splendenti lumine in verticem Apostolorum descendit: quo ipsi succensi & illuminati, per totum orbem corda fidelium illustrare debebant, & ardentia reddere. Quocirca etiam in illius solemnitatis pervigilio fons baptismalis denuo consecratur, immisso in eum cereo illo mystico Christum designante, qui vim regenerativã aquis contulit, simulque virtutem illuminativam, à qua Baptismus vocatur *Sacramentum illuminationis* à SS. Patribus, in quo filii lucis & gratiæ efficimur, qui eramus filii iræ & tenebrarum.

Sextum festum luminis, est festum Venerabilis Sacramenti, quod cereis accensis ubique colitur; ut in conspectu tanti luminis & splendoris fidei hostes, vel debilitati & fracti tabescant, vel pudore affecti & contusi aliquando resipiscant, ut loquitur Tridentinum Concilium sess. 13. c. 5.

Septimum Denique & hoc festum specialiter festum luminis ab Ecclesia est nuncupatum, solemni cæremoniâ & benedictione tot luminarium cõsecratum; quia tunc primum ille publicè in templo apparuit, qui splendor est paternæ gloriæ, lux lucis, & fons luminis. Et propterea major fuit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ, eo quod in templo illo primo typicum tantum lumen fuit jugiter ardens; hujus verò luminis hodie in templo secundò sese exhibentis figuram gerebat, Significaturúque Ecclesiam, quæ est Domus Dei viventis, à Christi Incarnatione luminis divini sumere primordium. Quod ipsum tot desideriis optarat senex Simeon justus & timoratus continuò dicens illud Isaiæ: *Propter Sion non tacebo, propter Ierusalem quiescam, donec egrediatur ut splendor justus & Salvator ejus ut lampas accendatur.* Propter Sion dicit se clamaturum: hoc est propter gloriam Ecclesiæ Christi luce illuminandæ, cujus primordia hodiernâ die coruscant, dum lux orta est justo, & rectis corde lætitia: & ideo cordis ejus desiderium & clamor quietem & finem accepit. Isa. 62.

Ex his itaque manifestum est, quàm aptè Cereus illuminatus & illuminans Christum designet divinitatis luce coruscum, qui gratiæ lumen, quæ divinitatis est specialis participatio, electis suis in hac vita impartitur, ut & ipsi sint lumen quoddam de lumine. Et quidem quibusdam electis adeo copiosam lucem fundit, ut & ipsi eam in alios valeant transfundere. Audi quod de S. Dunstano refert Scriptor vitæ ejus apud Surium. 19. Maii. Dunstanus ex nobilissima Gentis Anglorum prosapia, eò nobilius in lucem hujus mundi prodiit, quo in materni sinus angustia, ipso adhuc clauso, divino miraculo designatum est præclarum mundo per eum oriturum lumen. Cum enim Mater ejus spe prolis propediem nascituræ lætaretur, dies festus Purificationis B. Mariæ illuxit. Multitudo ergo ingens undique confluxit in Ecclesiam, quæ antiquitus Glasconiæ de lignis miro opere ædificata. In honorem erat Dei Genitricis consecrata; & eam inter alios adit Pater Dunstani cum uxore. Jam Missæ officium celebrari cœperat, & immensa accensorum Cereorum claritate pro ritu festi locus refulgebat, cum repente sereno cœlo omnia luminaria extincta sunt. Respiciunt invicem singuli, attoniti pro insueti prodigii novitate. Verum dum starent perculsi, flammam ignis cælitus labi, & cereum quem Mater Dunstani tenebat ea accendi conspiciunt, attoniti magis quam anteà. Accedunt itaque singuli ad lumen cœlo demissum, & inde recipiunt lumen amissum. Hæc Scriptor vitæ ejus. Nempè Christus principalis cereus è cœlo lumen quibusdam electis communicat specialiter, & pro eos aliis, quod in Donastano voluit festivo hoc die ostendere. Exempl.

2. Cereus quem gerimus accensum, ultra hoc quod Christum designat, etiam ex parte nostra significat fidem spem, charitatem, quam erga Christum profitemur. Fides indicatur in lumine. Charitas in calore. Spes in cerei recta altitudine: spes enim sursum nos erigit, sicut & cereus eximo in altum ascendit. Hæc omnia indicantur, dum jubemur cum servis Evangelicis lucernas ardentes habere in manibus. Unde in symbolum ejusdem rei, in Baptismo unicuique accensus cereus traditur: quia per id monemur fidei, spei, charitatis in Baptismo acceptæ, quarum lumine iter ingredimur securè, ut coram Domino compareamus. Quod si extin- 2. *Cereus accensus, fidem, spem & charitatem erga Christum significat.*

extingui contingat lumen gratiæ tunc acceptæ, in tenebris æternis erit sors nostra, si eo tempore à Domino evocemur. Unde monet S Bernardus. *Qui ardens est & lucens per gratiam & charitatem, nondum se in domo esse confidat, ubi sine timore venti lumen solet deportari: sed meminerit se esse sub dio, & utraque manu studeat operire quod portat, nec credat aeri etiam tranquillo, quia horâ quâ non putarit, mutabitur, & si ad modicum manus remiserit, extinguetur. Et licet ardor manus portantis adusserit, eligat potius pati, quam manum retrahere, quia in ictu oculi poterit exsuffiari. Si essemus in domo aeterna, ubi nullus inimicus intrat, nihil foret timendum: sed tribus malignis ventis expositi sumus, carni, dæmoni, mundo, qui conscientiam illuminatam moliuntur extinguere; insufflantes desideria prava, motusque illicitos. Ex quibus licet duo sæpius intermittant, à tertio numquam inducia. Ideo utrisque manibus cordis & corporis anima tegenda est, ne lumen ejus extinguatur, & dicendum cum Propheta: Anima mea in manibus meis semper. Eligamus potius ardere, quam cedere. Et sicut quod manibus tenemus, non facilè obliviscimur; sic animarum nostrarum negotium numquam obliviscamur.* Hæc Bernardus. Itaque tertio nobis cereus traditur, ut nobis semper curæ sit lumen. In primis quidem in Baptismo, ubi dicitur: *Accipe lampadem ardentem, irreprehensibilem custodi Baptismum tuum, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis ei occurrere in aula caelesti, habeasque vitam aeternam.* Deinde quotannis in Purificatione Virginis Matris; ut in ea festivitate sponsionem nomine nostro à Patrinis factam ratificemus, & Jesus Patri sese tunc offerenti, nos etiam offeramus. Denique in agonia mortis, ut protestemur nos vivere & mori in fide & lumine Jesu Christi per Baptismum accepta.

Ps. 118.

Cereus accensus est symbolum Regiæ majestat.

3. Cereus qui hodiernâ die gestatur accensus, symbolum est supremi quem Christo deferimus honoris, symbolum etiam ex parte nostra lætitiæ spiritualis. Nam olim Regibus & Imperatoribus in signum Majestatis faces & lampades præferri solitas constat ex Historijs non solum apud Romanos, sed etiam apud Persas, Æthiopes Chaldæos. Unde Sueton. c. 27. vitæ Julij Cæsaris ait: *Ascendit ad Capitolium, quadraginta Elephantis dextra atque sinistra lychnos gestantibus.* Et Herodianus lib. 1 de Martia dicit: *Præter ignem, omnes honores velut Augustæ ei tribuebantur.* Similiter Judith c. 3. legimus, quod Principes & honorati cum populis exirent obviam Holoferni, *excipientes eum cum choreis & lampadibus.* Symbolũ etiam lætitiæ cereos accensos præferre, ex communi populorum usu notum est; in cujus rei signum dum Evangelium canitur, lumina præferuntur, tum ut lucem gratiæ, tum ut spiritualem lætitiam per verbum Christi exortam profiteamur: Itaque & modo omnes Fideles cereis accensis significant animi lætitiam in oblatione Salvatoris, simulque honorem quem illi propter illum Mater ejus Mariæ deferunt. Atque illis gratum illud luminis obsequium esse, multis exemplis possemus declarare. Unicum dictis adjicio, quod refert Sophronius Prati spir. c. 18. Joannes Anachoreta & Abbas habebat in spelunca imaginem B. Virginis ferentem in ulnis Christum Salvatorem: quoties vero abibat peregrinaturus, vel Hierosolymam ad S. Crucem, vel in montem Sinai, vel ad sepulchra Martyrum, reficiebat candelam & ascendebat, & Virgini iter commendans dicebat: *S. Domina nostra Dei Genitrix, quia iter longum peraturus sum, Candela tua curam habe, & ne extinguatur juxta propositum meum serva, ego enim adjutorio tuo comitante, iter arripio.* Sic egrediebatur, & peracto itinere regrediebatur aliquando post tres vel quatuor menses, & reperiebat integram candelam & accensam. Et numquam hanc vidit à se ipsa extingui, neq; de somno surgens, neq; à peregrinatione rediens.

Cerei oblatio Sanctis grata Exempl.

De occursu Simeonis. Lect. 17

Simeon venit in spiritu in templum, cum inducerent puerum Jesum Parentes ejus. Luc 2.

De occursu Simeonis & Annæ.

Vocatur hoc festum à Græcis, *Occursus*, quod etiam nomen Galli retinuerint, vocantes *La feste du rencontre*, propter scilicet Simeonis & Annæ fœlicem illum occursum, quo Mariæ & Puero Jesu occurrentes in Templo, benedixerunt Dominum ejus præventi benedictione; de quare sic loquitur Ambrosius: *Non solum ab Angelo & Prophetis, à Pastoribus & Parentibus, sed etiam à Senioribus & justo Generatio Domini accipit testimonium: omnis aetas, & uterque sexus eventorum & miracula fidem adstruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus adorat. utero clausus Joannes exultat, vidua confitetur, justus expectat.* De hoc justo sic Evangelicus Textus: *Ecce homo erat in Jerusalem, Simeon nomine, justus & timoratus, expectans consolationem Israel;* quæ singula pondere digna sunt. Quid est enim quod habitare in Jerusalem dicitur hoc est in visione pacis, nisi quia ejus cor & conscientia interna omnino pace pertruebatur expers perturbationis? Quid est quod ei erat nomen Simeon, quod idem est ac obediens, nisi quod divinam in omnibus conabatur adimplere voluntatem? Cur etiam homo justus & timoratus dicitur, nisi quia erga proximum omnem servabat æquitatem; erga Deũ sanctum & filialem timorem, nihil aliud perhorrescens, quam ejus offensionem? *Expectabat autem consolationem Israel*, non temporalem, non mundanam fœlicitatem, sed promissam consolationem spiritualem in adventu illius, qui fons est omnis boni. Et enim Spiritus S. in eo erat per gratiam specialem habitans, & responsum acceperat ab illo, non visurum se mortem, nisi prius videret illum, qui ablaturus erat mortem, & allaturus omnibus

Simeonis laus.

consolationem, ac salutem. Unde absque dubio, ardenti desiderio expectabat hanc Spiritus S. promissionem, quam etiam ardentissimis precib. prius impetrare meruerat. Quænam enim, putas debuit esse orationis instantia, quæ divino meruit firmari responso? Quinam gemitus, & quam continui, à quibus non cessavit, donec responsum cælitus acciperet? Fuere multi simili desiderio accensi, teste
Luc.10. Domino: *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, audire quæ vos auditis, &c.* sed ex illis hoc specialiter huic concessum fuit, dum in plenitudine temporis apparere dignatus est is qui
Hebr.1. *multifariam multisque modis olim loquens in Patribus*, per varias similitudines & figuras, tandem dixit: *Ego qui loquebar, ecce adsum.* Ac sicut olim Jacob luctabatur totâ nocte usque mane cum Angelo
Gen.32. vicem Dei tenente, & dicebat: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*: Sic & hic Senex precibus colluctans cum Deo, nolebat eum dimittere, nec ab eo dimitti, nisi benedictione sibi impertita per visionem Salvatoris. Unde idem quod Jacob ei convenit; *Vidi Dominum, & salva facta est anima mea*, & sicut de Jacob dicitur: *invaluit ad Angelum, & flevit*, ita & hic fletu invaluit ad Dominum. Vere poterat dicere cum Psalmista, præ magnitudine desi-
Psal. 118. derij sui, & præ firmitate spei: *Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum super speravi* quia in ejus corde Sanctorum Prophetarum antiqua omnia desideria quodammodo erant collecta, & exæstuabant, exsaliebantque maximo cum fervore, in illum qui erat expectatus, & proxime jam venturus. Immo Simeon personam gerebat omnium Electorum, etiam eorum qui post Christum futuri erant. Hi magno ardore desiderant illius videre divinitatem, sicut & Simeon ejus optavit videre carnem. Nam & ipsi existimant mori lucrum, quibus vivere Christus est: & quem hic aspexit in carne parvulum, expectant in divinitate immensum. Unde justi ex fide, timorati ex spe, Spiritu sancto pleni ex charitate, inclamant, *Quando veniam & apparebo ante faciem Domini? Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

Venit itaque Simeon in Spiritu in templum, hoc est Spiritus S. instinctu, per quem Ductorem & Doctorem intellexit adesse horam, in qua adimplenda erant jam promissa Unctio Spiritus S. docebat eum & per eandem gratiam, qua venturum Messiam
B. Timot. Presbyt. Hierar. Orat: de Simeone. præno verat, agnovit præsentem. Etenim, (ut testatur beatus Timothæus,) vidit divinam nostram Virginem, licet in medio turbarum, & aliarum mulierum, instar stellæ lucentem, & agnovit in ea Spiritus sancti signum: ideo accessit, & accepit in ulnas suas infantem quem gestabat, & benedixit eum. O verè fœlix Occursus, cor Senis ineffabili imples gaudio, dum leve illud onus divinum senilia brachia amplectuntur, & portant, à quo ipse Senex regebatur & portabatur! Meritò hoc festum *Occursus*, sive *Obviatio* nominatur, dum Simeoni, & Annæ dignatur Dominus occurrere, & se manifestare. Ille speculum est virorum, illa viduarum & mulierum, in utroq; Spiritus sanctus agit, quia utrumque ad Templum adduxit. Unde S. Timothæus Christo Templum ingresso sic introducit Spiritum sanctum ad Simeonem loquentem: *Surge senex, quid dormis? Matura cito, præsto est qui te absolvet, excute, & præpara necrotaphia, funereasque fyndones, præpara sepulchrum, adest qui te missum faciet, adest Emmanuel.* Anna autem mulier desideriorum, sicut & Simeon vir desideriorum, non absimilis erat alteri annæ matri Tobiæ, quæ expectans filium peregrinantem sedebat in supercilio montis, unde respicere poterat cum de longinquo venientem. Atq; ipsa, sine dubio Spiritus impulsu, eâdem horâ super venit, quæ etiam Prophetissa fuisse dicitur annorum octoginta quatuor, jejunijs & orationibus serviens Domino nocte & die, non discedens à templo: superveniens autem confitebatur Domino, & loquebatur de eo omnibus qui expectabant redemptionem Israël; gaudio etiam ineffabili repleta in hoc occursu Salvatoris, qui coronidem vitæ ejus mox erat impositurus, & æternæ coronam vitæ daturus.

Sic semper fælix fuit Domini occursus, ab initio infantiæ usque ad terminum vitæ. Occurrit enim discipulis piscantibus, cum esset in plena ætate, & vocat eos, gratiæq; divinæ supra omnes homines facit eos participes. Occurrit *cæco in via*, & cum luce donat. Occurrit *filio viduæ in porta*, & resuscitat. *Ioann. 4.* Occurrit *Samaritanæ ad puteum*, & propinat ei aquam vitæ. Occurrit *decem leprosis*, & sanitati eos restituit. Occurrit *Chananææ*, & filiam à Dæmonio liberat. Occurrit mulieri *fluxum sanguinu patienti*, & integrè eam sanat. *Occursus Christi felix.*

Occurramus & nos ei cum Simeone & Anna in hac sacratissima processione, nec carebimus ejus benedictione. Ulnis fidei, brachijs charitatis, oculis spei possumus eum accipere, & cum gaudio benedicere, lachrymisque devotionis divinam ejus faciem rigare. & justorum omnium, qui eum in carne videre meruerunt, gratiæ consortes esse, maxime illorum, qui in hac cælesti fuerunt processione, dum in templo inventus est, & oblatus divinus ille puer. O verè cœlesti gaudio plena processio illa, cælum ornans & terram, in qua reperitur JESUS, MARIA, JOSEPH, fœlix Trinitas terræ & indivisa: in qua etiam reperitur Simeon & Anna, ex Spiritus instinctu divina decantantes præconia. Quis dignitatem possit satis explicare horum omnium ut etiam processionis hujus majestatem valeat intelligere? Reperitur hic JESUS Deus & homo, MARIA Mater & Virgo, JOSEPH maritus & illibatus, continens & Sponsus. Simeon sacerdos & Prophetа Anna Vidua & Prophetissa: digna sane congregatio, cui omnis ætas, omnis sexus, omnis status jungatur. *Iuvenes & virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius, Confessio ejus super cœlum & terram, hymnus omnibus Sanctis ejus, filijs Israel, populo appropinquanti sibi.* Appropinquent igitur Senes, & cum Simeone *Psal.148.*

nicone sene divinas decantant laudes. Appropinquent viduæ, & cum Anna vidua gloriam Dei annuncient. Appropinquent Virgines cum Maria Virgine in Filij Dei præconijs exultantes. Appropinquent Maritati, jungantque se cum Joseph lætitia exsilientes. Appropinquent pueri, puero Jesu societatem facientes. Appropinquent Justi, cum istis, imo & cum Angelis in spiritu pietatis & devotionis. Appropinquent peccatores, turturem & columbam gementem offerentes, cum spiritu cõpunctionis. Appropinquent omnes filij adoptionis ad hoc sacrificium Filij Dei naturalis, ut participes fiant redemptionis & fœlicis cum sene mortis. Quicumq; in spiritu venerit in templum, non erit expers benedictionis, nec amplexus spiritualis; si cor & ulnas voluerit aperire amoris, instar Annæ & Simeonis.

B. Virgo cordis securitatem donat.

Audi hac de re quod B. Angelæ de Fulginio legitur contigisse hodierna die, cum in spiritu in templum ingressa esset. In vita ejus cap. 45. sic legimus; in Purificatione B. Virginis, cum essem (inquit) mane in Ecclesia Fratrum Minorum de Fulginio, facta est mihi locutio dicens: *Hæc est hora, qua Virgo venit cum Filio in templum.* Et hæc audivit anima mea magno cum amore, & vidi Dominam intrantem, obviavitque illi anima mea cum magna reverentia. Et cum vererer accedere, extendit ad me Filium suum, magnam animæ meæ dans securitatem, & dicens: *O dilectrix Filij mei illum accipe inter brachia tua.* Sic subitò remansit puer in brachijs meis totus nudus; & cum direxisset in me oculos, quos prius videbatur habere clausos mirum sensi amorem: Exijt enim de ejus oculis tantus splendor, & ignis amoris ac lætitiæ, ut sit mihi indicibile. Et tunc subitò apparuit immensa quædam majestas ineffabilis, dixitque mihi: *Qui non viderit me parvum, non videbit me magnum.* Iterumque dixit: *Ego veni ad te, & obtuli me tibi, ut tu offerai me mihi.* Hæc omnia vidit & audivit anima mea elevata, & tunc modo mirabili & indicibili obtulit ei anima mea se ipsam; nihil sibi, nec de se, nec de suis reservando. Et intellexit Deum hanc oblationem gratissimam & acceptissimam habere. Ita tibi.

V. exemplum hoc festum concernens in Candelabro myst. 7. lect. 4. in fine.

Refert Thucidides, Atheniensem quendam, inclytum militiæ Ducem, Regis ita iram incurrisse, ut de capite ejus ageretur. Quid ageret ipse tanto in discrimine? Regnum accedit, & ad ejus pedes provolutus cum lachrymis, instanter supplicat, ut apud Regem intercedere dignetur. Cui illa: En parvulus unicus Regis filius unicè dilectus, suscipe cum in ulnas, & cum eo coram Rege te fiste, & amore filij dilectissimi quem gestas, veniam deprecare; non patieris repulsam. Acque vit ille Reginæ consilio, & quidem fœlicissimo exitu: nam viso filio mox ei Rex culpam omnem remisit. Agat idem peccator, cum fiducia è brachijs Reginæ clementissimæ cum Simeone & Anna filium Regis suscipiat, & per illum Regem æternum deprecetur pro offensis, non poterit repelli, sed cum pace & gratia dimittetur.

De Cantico Simeonis.

Lect. 18. tripartita.

Nunc dimittis servum tuum Domine, &c. Luc. 2.

Exordiũ.

Simeoni justo & annoso ad hoc tantum videtur vita prorogata, ut Jesum ulnis complecteretur, & ut Salvatorem omnibus annunciaret venientem. Poterat ergo cum Propheta sæpe repetere, unico Salvatoris videndi, eumque alijs annuntiandi desiderio succensus: *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* *Psal. 37.* Et iterum cum Moyse poterat dicere: *Domine si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* *Exod. 34.* Nec poterat ei Dominus respondere: *Non videbit me homo, & vivet*, quandoquidem unicum erat ejus desiderium post Jesum visum desinere vivere, & videndo mori, vel moriendo videre. Magna ergo flamma amoris & pietatis in ejus fuit succensa corde, dum potius est desiderio; cujus scintillæ tot sunt, quot verba, quæ deprompsit in complexu Salvatoris, in cantico isto suavisone. Quod quidem verbis breve est, sed mysterijs fœcundum, quia ostendit se pervidisse sublime istud mysterium à sæculis absconditum mysterium scilicet Incarnationis & Redemptionis omnium populorum; quod plene non agnoverunt Apostoli nisi post Spiritum sanctum descendentem. Immò Petrus post Spiritus descensum adhuc non agnoverat mysterium istud Redemptionis ad Gentes spectare; unde visione lintei è Cœlo dimissi debuit edoceri. At Simeon illud perfectè agnovit, & palam hic prædicavit, aliaq; mysteria Crucis per revelationem scivit, de quibus ad Virginem verba facit. Pauca igitur de hoc Cantico amoris pleno & flammivomo proponemus.

Pars I. *Christus Deus absconditus semper se aliquibus manifestavit*

Multæ sunt causæ, cur de Christo Domino dixerat Propheta Isaias: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.*

1. Ipse enim qui in Nativitate æterna in Patris mente, velut in umbroso monte, lucem habitat inaccessibilem, & nobis absconditam, etiam post rerum creationem varijs sese sub figuris olim abscondere voluit. *Isai 45.*

2. Veniens in hunc mundum absconditus voluit agere in Matris utero, novem mensium spatio.

3. Ex utero hoc progrediens, in stabulo & præsepio, in pannis & fœno velut absconditus latet, nostræ etiam carnis infirmitate velatus. Sive igitur mysterium Nativitatis æternæ sive mysterium Nativitatis terrenæ consideres, merito poteris dicere cum Propheta: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.*

4. Postmodum is qui Deus homo erat, vitam quandam egit absconditam triginta annis, sine mi-

ra-

raculis aut signis, sine aperta manifestatione divinitatis; ita ut septem annis latuerit in Ægypto, reliquis in Nazareth servilibus vacans operibus tamquam fabri filius: ergo & de his omnibus annis meritò dicemus: *Verè tu es Deus absconditus.*

5. Ulterius post illos triginta annos, quadraginta dies peragit in deserto, ibi velut latens & incognitus, inter rupes & saxa recumbens, & jejunans, quasi egeret jejunio, & remedio hominis peccatoris: ergo & ibi verum est: *Tu es Deus absconditus.*

6. In cruce, quis eum agnosceret inter tot angustias & blasphemias, aut in sepulchro in pulvere jacentem, syndone & linteis velatum? An non & tunc verum est; *Verè tu es Deus absconditus?* Certè illa Crux quæ fuit ejus Ara, meritò gestare posset eandem inscriptionem, quam Paulus Athenis invenit: *Ignoto Deo.* Postremò, is qui se abscondit sub carne, in utero, in Ægypto, in deserto, in cruce, in sepulchro, voluit & carnem, & animam, & divinitatem sub panis & vini specie abscondere in Sacramento. Verè infinitis titulis; *Tu es Deus absconditus*, Deus Israël Salvator. Act. 17.

Israeli Deus manifestus.

Attamen non potest Christus dici absconditus Israëli Deus, quandoquidem Israëli idem est quod videns Deum: vidit ergo eum quicumque de Israël est, videt per fidem, agnoscit per adorationē; videt divinitatem sub carne, agnoscit potentiam sub infirmitate. Agnoscit hunc aliis ignotum Deum, sive in infantia, sive in perfecta ætate; sive in utero, sive in præsepio, sive in Nazareth, sive in Ægypto, sive in deserto jaceatem, sive in horto incurvatum; sive in patibulo extensum, sive in sepulchro; & in fine usque sæculi agnoscit in Sacramento, quem Angeli adorant in cœlo. Nunquam verò defuerunt aliqui qui verè de Israël essent, tamquam à Deo electi testes, qui eum aliis manifestarent; ita ut possimus è contrario dicere: *Verè Domine, tu es Deus manifestus, Deus Israël Salvator.*

1. Prophetis.

Primò quidem antiquitus electi sunt Prophetæ de Israël, qui Deum latentem sub variis similitudinibus & figuris aliis manifestarent; unde & videntes dicti sunt, quasi per Prophetæ lumen procul conspicientes, & agnoscentes eum qui venturus erat. Talis erat Jacob, qui oculo prophetico Christum agnoscens moriendo, dicit: *Expectabo salutarè tuum Domine.* Talis & Abacuc: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo* JESU *meo.* An non hi & similes poterant dicere: *Viderunt oculi mei Salutare tuum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.* Gen. 49. Abac. 3.

2. Mariæ & Joseph.

Secundò, dum in utero clausus agit, agnoscit eū de canit MARIA. *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Agnoscit Joannes, de utero in uterum figens aciem oculorum. Agnoscit & Elisabeth per exultationem prodigiosam infantis adorantis Deū aliis incognitum. Et hi igitur de Israel erant, & poterant dicere. *Viderunt oculi mei Salutare tuum.* Ergo verè tu es Deus absconditus in utero, sed Israeli manifestus, ô Christe!

3. Pastoribus & Magis.

Tertiò, dum in stabulo & præsepio absconditus latet, agnoscunt eum Angelis canentibus Pastores, tamquam qui primitiæ erant Israëlis: agnoscunt & adorant Deum incognitum, oculo fidei illuminato sibi manifestum. Agnoscunt & postmodum, stellâ monstrante, Magi & Reges, quem non vult agnoscere cum suis Herodes; quia & ipsi erant de Israel, non secundum carnem, sed secundùm spiritum & promissionem. Poterant ergo etiam hi dicere: *Viderunt oculi mei salutare tuum; lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.*

Et quandoquidem dies, quo advenerunt adorantes, *Epiphania*, hoc est manifestatio, dicitur; nos iterum dicere hic possumus: Verè, ô Domine, tu es Deus absconditus in stabulo, & manifestus in stabulo: manifestus utique præordinatis à te testibus veris secundùm spiritum Israëlitis.

4. Ægyptiis.

Quartò, dum agit absconditus & ignotus in Ægypto, non defuerunt ultra JOSEPH & MARIAM qui eum agnoscerent, idolis tunc corruentibus, & oraculis dæmoniorum cessantibus, aliisque nonnullis signis divinitus editis, ut puer ille divinus ab Ægyptiis agnosceretur, qui etiam de Israel censerentur, electi testes divini mysterii, & Salvatoris nati. Sed & infantes ab Herode occisi propter pueorum tunc natum & absconditum, mox agnoverunt eum; verè proles Israelis, & primitiæ Martyrum infanti Deo dedicatæ. Itaque & tunc is tyranno fuit absconditus, Israëlitico germini ut Salvator fuit manifestus. *& Innocentibus.*

Quintò. Qui in deserto quadraginta diebus latuit, jam paulo ante Joanni fuerat voce cœlica manifestatus in baptismo, qui & ad hoc fuit missus, ut eum manifestaret Israeli, sicut ipse testatur; *Propterea veni in aqua, ut manifestetur in Israël.* Atque etiam postmodum Petro, Joanni, Jacobo, apertissimè fuit manifestatus in monte, tamquam electis testibus gloriæ suæ: ubi iterum vox Patris eum manifestavit, lumen quoque & gloria promicans ex ejus corpore. Et hi poterant dicere: *Viderunt oculi mei Salutare tuum, lumen ad revelationem gentium; & gloriam plebis tuæ Israël;* nam de Israel ipsi electi sunt, personam gerentes omnium Electorum, qui postmodum Dei gloriam in æternitatis monte sunt visuri. Iterum igitur & hic dicere possumus. Verè Domine, tu es Deus absconditus in carne, & in nube: & tamen Israëli manifestus in luce & divina voce agnitus ab Elia & Moyse, agnitus à Petro, Jacobe, & Joanne, totius electi Israelis nomine. Joan. 1. Matt. 17.

Sextò. Dum agit ignotus Deus in cruce, & postmodum latens in sepulchro sub rupe, non desunt de Israel qui eum agnoscant; terra, cœlo, sole prodigiis suis eum manifestante. Num & Centurio *Centurioni &c.*

pro-

pronunciat: *Verè filius Dei erat iste*; & multi percutiebant pectora sua revertentes à crucifixione. Certè hi de Israel electi erant, ut fieret eis Deus Israel Salvator manifestum, qui reprobis Principibus & Scribis despectus erat; & absconditus.

PARS II. *Quomodo specialiter se Simeoni manifestarit.*

POstremo, ut ad propositum nostrum propiùs accedamus, absconditus fuit Christus sub pannis infantiæ, in gremio matris ad purificationem accedentis, quasi infantem communem gestaret; sed debuit manifestari in templo Israeli, cujus ipse Salvator advenerat, de quo & propheta dixerat: *Ecce veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quaritis, & Angelus testimenti quem vos vultis.* Ideo ad hoc eliguntur Simeon & Anna, expectantes consolationem Israel. Et propterea ille coram toto Israele, in divinas laudes pueri erumpit, inclamans: *Nunc dimitte servum tuum, Domine, secundum verbum tuũ in pace, quia viderunt oculi mei Salutare tuum.* Nunc dicit cum Iacob, non cum timore ut ille, sed cum summa exultatione: *Vidi Dominum, & salva facta est anima mea.* Sat is diu importunis desideriis luctatus fuerat cum Deo totâ nocte mœroris; nunc illucescente aurorâ consolationis invalescit, & petitâ benedictione potitus, dimitti petit, gratias agens & benedicens. Et quidem tali gratias agit Cantico, quod in Ecclesia in finem usque sæculi perdurabit, & luce suâ oculos caligantes illuminabit. Iternque hoc fuit solitum antiquis Patribus. speciali aliquo beneficio percepto, laudis & gratitudinis cantica depromere. Sic fecit *Moyses & Aaron* AEgyptiis submersis. Sic *Debora Prophetissa* victoriâ contra *Sisaram* Principem reportatâ. Sic *Anna* mater *Samuelis*, prole hac impetratâ. Sic *Ezechias*, accepto beneficio de vitæ suæ prolongatione, Sic *Tobias*, oculorum recepto lumine. Sic *Iudith*, truncato *Holoferne*. Sic pueri in fornace Babyloniæ. Denique, sic in novo etiam testamento egit MARIA post salutationem *Elisabeth* cognatæ, & *Zachariæ* in nativitate Ioannis receptâ voce. Ad horum ergo omnium imitationem Simeon hoc canticum depromit totâ cordis affectione. Et quia hæc tria cantica Zachariæ, MARIÆ, Simeonis, specialiter laudes continent, & gratiarum actionem pro filii Dei incarnatione, ideo in Ecclesia repetuntur quotidie.

Mal. 3.

Gen. 32.

Gratiarum actio pro beneficiis accepta impendenda.

Et quidem sub nocte ista decantatur ut intelligat quilibet Fidelis sic diem transigendum, quasi eâ nocte mors incumbat, & ideo non anxiâ conscientia sed lætâ, unicuique expectandus somnus quasi imago mortis, quia & ipse non raro in mortem desinit: providendumque ut sit mors nobis quædam demissio ex hoc carcere, ad quietem & pacem æternam, & ideo unicuique cum Simeone cantandum: *Nunc dimittis servum tuũ Domine, secundum verbum tuum in pace*: justo enim cuilibet quamdiu in corpore agit bellum quoddam instat cum Carne, Mundo, Sathana: sed mors finis est belli, pacem adferens & quietem. Ideo Abrahæ dictum est: *Tu autem vades ad Patres tuos in pace, nutritus in senectute bona.*

Gen. 15.

Sed mirum videri potest, cur Sanctus senex tam cito cupiat dimitti: an non satis foret, ô Simeon, divino hoc puero diutiùs te frui? dum vitam portas, cur non diutius illam tenere exoptas? Dic igitur, ô Simeon, & edissere nobis desiderii tui causas? arrectis auribus eas excipiemus. Respondet ipse: Tria sunt quæ me ad id impellunt ut dimitti exoptem.

Simeon cur se dimitti petat.

1. Quia cum mors omnibus terrori sit, nunc dum vitam manibus & sinu gesto, metus omnes adimitur, nec elabi cupio hanc tutò moriendi oportunitatem 2. Video oculis adeo ingens bonum, ut nihil amplius sit expectandum quod videam; immò claudendi oculi sunt, ne rebus fœdentur humanis, ne in rem turpem vel mœstam incurrant, & pulchritudinem ac lucem, quam oculis hausi, mihi eripiant. Denique, animadverto quanta puer iste passurus sit, quantum sanguinis fusurus, quam crudeli morte configendus; horrent oculi horum aspectum, & in mortem claudi malunt, quàm superstites hæc videre. Tu, ô Mater, hæc videbis, eheu! Et gladius animam tuam pertransibit, dum elevabitur in signum, cui contradicetur. Ego autem quasi Cygnus cantans, vitæ finem exopto; & viam patrum lætus ingredior, cum Iacob viso filio pronuncians; *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.* Aveo quoque quàtociùs Patribus meis in carcere detentis in lymbi tenebris, lucem hanc quam oculis meis vidi, adventuram nunciare, ut & ipsi mecum exultent in Deo salutari suo. Has porrò rationes indicant SS. Patres, & maximè postremam, quâ videtur optasse dimitti Simeon, ne cogeretur videre contradictiones contra Christum suscitandas, opprobriaque & mortem crudelem. Unde illam B. Tymothæus Ierosolymitanus exprimit his verbis. *Absolvar nunc quaso Domine, ne diutiùs hic hærens, quæ nolim intueri compellar; etenim Spiritus S. qui in me est, palàm ostendit quæ in te futura sunt. Dimitte ergo me nunc, obsecro, ne videã nefariũ Iudæorum in te facinus, ne videã coronam ex spinis contextam, ne videam servum alapam insigẽtem, ne videã lanceã in te adactam, ne videam te clavis cruci affixum.* Nimirum tantâ jam conspectâ luce, tanto concepto gaudio, non cupit videre obscuritatem & horrorem, non tenebras aut luctum amarum; quem sentiet omnis creatura in morte Salvatoris, quæ gaudium quoddam experta est in adventu & Nativitate ejus.

Gen. 46.

Serm. de Simeone.

Hoc reservabatur Mariæ; quæ quoniam in partu fuerat doloris expers, experiri debebat illum in Passione Filii, ut consors foret & cooperatrix redemptionis: & hoc est quod ei dicit Simeon: *Animam tuam per transibit gladius doloris*, dum scilicet novo quodam partu cum filio paries filios adoptionis & salutis.

PARS III. *Quomodo fœliciter mori Simeon nos doceat.*

POrrò Simeon exultans jam appropinquante morte, omnibus piis exemplum dat & animum mortem cum hilaritate expectandi, nam omnium justorum fœlix est exitus, dicente etiam impio Balaam. *Moriatur anima mea morte justorum, & novissima mea fiant similia novissimis eorum.* E contra verò impiorum infœlix est exitus, nec dimittuntur in pace; sed acerbissimum eis tùc incumbit bellum, cum verme conscientia, cum dæmone; cum igne. Et ideò cantus eorum tunc non est nisi cantus maledictionis & blasphemiæ, quo sibi suisq; parentibus, imò Deo & omnib. maledicunt creaturis: Tunc eis non contingit videre salutare Dei, sed omnib. circumvallari malis, væ undiq; & væ & æternum væ cõspiciunt, sive suprà, sive infra, sive intrà, sive circà oculos vertant. Suprà enim cœlum clausum intuentur; infrà infernum apertum, intrà conscientiæ remorsum, circà dæmonum vultum horridum quæ omnia mirũ eis bellum ingenerant.

Num. 23.

Hom. in Evang. Absq; dubio acerbum sibi bellũ experiebatur ille, quia apud Divum Gregorium his circumvẽtus inclamabat *Inducias vel usq; manè, Inducias vel usq; manè*; sed inducias non habuit, qui dum pacem cũ Deo & cõscientia inire poterat, penitus neglexit & contempsit: qui tempore suo illud Prophetæ attẽdere debebat: *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionẽ meam. & considerabo quid respondere debeã ad arguentem.* Quasi diceret: Omnibus aliis relictis, in custodia mei sollicitè & perpetuò vigilabo, in cura bonæ conscientiæ pernox & pervigil ero, non jacebo supinus, sed figam gradum ad hostium incursum paratus, ut Duci meo rationem valeam reddere pervigilis & constantis animi in excubiis mihi commissis.

Abac. 3.

Vtinam ergo omnes nos in egressu illo, in quo gravior nobis incumbet conflictus, cavere valeamus cũ Simeone: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Hoc autem fiet si sæpius Salvatorem nostrum ulnis fidei & dilectionis amplectamur, qui nobis cum se futurum promittit usque in finem sæculi, & adesse spondet in exitu periculoso, & discrimine ancipiti. Habemus itaque eundem quem Simeon in altari, brachiisque finceri amoris & fidei eum cum voluerimus, possumus amplectis spondet autem ipse nos implere omni benedictione cœlesti, & tam quam lumen & salutare Dei, depulsis tenebris, nos illuminare, & deducere in viam pacis & æternitatis.

Hanc vocem Simeonis in extremo spiritu pronuntiabat sanctus Eligius Episcopus, plenam spe & gaudio: *Nunc*, inquit, *dimitte Domine, servum tuum secundum verbum tuum in pace.* In quib° verbis animam Deo reddidit: visaque est instar stellæ in crucis modum compositæ, in Cœlum ferri rectissimè, sic Deo specialiter disponente, quia ejus vita perpetua quædam crux fuerat, & ipse aliis præluxerat verbo vitæ & exemplo doctrinæ.

Surius in vita ejus

Dan. 12. Sic in illo complebatur illud: *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Similiter S. *Maria Ægyptiaca* ex hac vita migratura cum quadraginta annos in deserto exegisset, hominibus incognita, Angelis solis nota) tandem à Zozima Abbate divino impellente spiritu fuit visitata, & ab illo vivifica suscipiens mysteria, extensis in cœlum manibus, cum lachrymis ingemiscens, dixit: *Nunc dimittu ancillam tuam Domine, secundum verbum tuum in pace; Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Et his dictis, anima mox in cœlum evolavit, ad pacem & lucem æternæ visionis.

Mortem sanctè cum gaudio exoptant.

Sic & alii non pauci, si non iisdem planè verbis similibus tamen, idemque cum Simeone desiderium & gaudium exprimentibus, in extremis usi fuit, cupientes dissolvi, & esse cum Christo, cupientes dimitti, & videre in æternum salutare Dei. Inter hos S. Franciscus qui in Ecclesiam B. Mariæ Angelorum deportatus, ubi spiritum gratiæ primò hauserat, ibidem spiritum vitæ in manus Redemptoris reddidit in his verbis, *Educ de custodia Domine animam meam ad confitendum nomini tuo, me expectant justi donec retribuas mihi.* An non hoc ejus desiderium, hæcque vox ejus postrema consonat cum voce & desiderio justi Simeonis? Quid est aliud educi animam de custodia, quam dimitti in pace? Ad quid vero hæc eductio aut dimissio, nisi ad videndum clarius salutare Dei, ad confitendum plenius nomini Domini cum electis & justis, qui expectant retributionem fratrum suorum, & adimpletionem numeri prædestinatorum.

Psal. 141.

Sic & S. Stephanus ubi morti vicinus inter saxa crepitantia vidit oculis in cœlum intentis salutare Dei, Iesum stantem à dextris virtutis Dei, inclamabat: *Domine Iesu suscipe spiritum meum, & ne statuas illu hoc peccatum*; & his dictis, obdormivit in Domino. Quid est, suscipe spiritum meũ, inquit S. Aug. nisi idem ac si diceret: *Tibi vixi, tibi morior accipe spiritum meum de manu eorũ qui oderunt tuũ Fecisti me victorem, recipe me in triumphum. Illi persequantur, tu suscipe; illi eiecit, tu intromitte. Dic spiritui meo, intra in gaudium Domini tui.*

Act. 7.

Aug. Ser. 93. & 51.

Similiter S. Agatha post varia tormenta in carcerem reducta semiviva, sic Dominum est precata: *Domine qui me custo disti ab infantia, qui abstulisti à me amorem sæculi, qui me carnificum tormento superiorem fecisti, accipe animam meam.* Ea vero in oratione migravit in cœlum.

Denique S. Gorgonia soror S. Gregorii Nazianseni læta erat in extremis, & cum gaudio vitam finivit, ad illam eandem pacem adspirans; ad quam Simeon justus: nam ejus hæc fuerunt extrema verba: *in pace, in idipsum dormiam, & requiescam.* Quæ verba quondam ruminans S. Aug. in quodam spiritus fervore, sic pronunciat *O in pace, o, in idipsum, ô qui dixit dormiã & requiescam!* Non absimili modo verba illa Simeonis ruminantes; *Nunc dimittis servum*

Psal. 4.

vum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. dicere possumus: *O Nume* fœlix; ô fœlix hora! ô dimissio secura! ô servitus beata! ô verbum & promissum infallibile! O pax desiderata! O quam nati sunt fortunati, qui cum conscientiæ securæ testimonio similes possunt edere voces in vitæ termino! Hoc autem possunt omnes, qui verè se Dei fuisse servos possunt asserere, quibus cum opera bona & merita propria meritis Christi conjuncta, instar optimi sanguinis, ad cor tunc recurrant, illud exhilarant ideoque mentis suave melos instar Cygni exspirantis edunt, qui antea in silentio vitam peregerant. E contra improbi, recurrente tunc in memoriam cum mœrore & angustiis vita dedecorosa, flagitiisque innumeris, instar pravi & infecti sanguinis, cor obnubilantibus & lancinantibus, coguntur in infœlices & luctuosas erumpere voces; instar Sirenum, quæ suaviter antea canentes in fine ululant horribiliter.

Impii in morte præmærore ululant. Act. 10.

Sed quoniam multos jam audivimus instar Cygnorum suaviter in fine vitæ cum Simeone canentes; audiamus & aliquas Sirenes morti vicinas, præmœrore & horrore cum Simeone reprobo ululantes, quibus & illud dici potest, quod Simoni dixit Petrus: *in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis te esse video.* Hoc nimirum fel acerbum reprobæ conscientiæ, amaras ab eis elicit in fine voces cum desperatione.

1. Mach. 6.

Sic Antiochus Rex morti proximus inclamabat: *Heu in quos fluctus tristitia devenit, qui jucundus eram in potestate mea! Reminiscor malorum quæ feci in Jerusalem, &c.* Memoria utique præteritorum flagitiorum instar fellis cor ejus circumdabat, & luctuosam illam vocem promebat.

Sueton. & alii. Cedrenus in Compendio. Nicephorus & alii.

Sic & Nero infœlicissimus sibi mortem consciscens propria manu, voceque sua se condemnans, dicebat: *Dedecorose vixi, turpius peream.*

Sic Diocletianus in gravi infirmitate interno quodam adustus calore, scatens vermibus, orbatus lumine, plenus fœtore, jam consumpta carne miserè ejulans clamabat: *Va mihi, qui sic persecutus sum Christianos, mercedem recipio operum meorum!*

Sic Julianus Apostata in bello contra Persas, sagitta cœlitus emissa, læthaliter percussus, cava manu sanguinem in cœlum mittebat, cum hac insana voce: *Vicisti Galilæe, vicisti, Saturare Nazarene saturare.* Hæc ultima ejus vox fuit.

Bolsecus in vita Cal.

Sic Calvinus Hæresiarcha morbo pediculari, & fœtore intolerabili consumptus, inclamabat: *Maledicta dies & hora, quæ primum studio & scriptioni me addixit.* Testis est Bolsecus Medicus Lugdunensis in vita Calvini.

Sic Chrisaurus (ut refert sanctus Gregorius) horrenda voce in extremis inclamabat: *Inducias vel usque mane. Inducias vel usque mane.* Dæmonibus nimirum se prædam jam videbat, & inducias, sed sero, poscebat: nam in his verbis misere expiravit, ut supra dixi.

Ioan. Algrini Epise. & Card. id refert.

Sic alius quidam æger sæpius monitus de pœnitentia, cum semper responderet sibi sat adhuc superesse temporis, necdum morbum adeo gravem esse; tandem ad extrema deductus, inclamabat: O *pœnitentia ubi es? O pœnitentia ubi es?* Et hæc repetens, infœlicem animam sine pœnitentia exhalavit, æterna sine fructu pœnitentia cruciandam.

Li. de viris illust. Ord. Cisster.

Sic ille, de quo in lib. de viris illustribus Cisterciensis Ord. qui fini proximus cum interrogaretur, num testamentum vellet condere, & postremam suam voluntatem indicare? Respondit Notario: *scribe testamentum hoc: Corpus meum terræ detur ex qua sumptum est; Anima dæmonibus tradatur, quia eorum est.* Cumque argueretur tamquam læsi cerebri, integrisse esse judicii asserens, & tertio idem repetens testamentum, illi animam reddidit, cui eam legarat.

Specul. exempl. V Detractio.

Denique, sic quidam detractionibus assuetus, cum urgeretur in ægritudine læthali confiteri, & de salute animæ cogitare: ipse linguam exserens, & digito monstrans, non aliam confessionem fecit, quam hanc *Reproba ista lingua me damnationi addixit* Mox lingua intumuit, ita ut in os eam retrahere nequiverit, horribiliterque expiravit.

Isa. 3.

An non hæ sunt voces horrisonæ & amarulentæ Syrenis? An non amaritudinis fel, & obligatio iniquitatis in desperationem adigens, eas deprimit? Sic post cantica lætitiæ, post tympanum & organum, ululatus & horror lequitur; & in puncto ad infernа cum Simeone reprobo descendunt, qui hic noluerunt justi esse & timorati cum Simeone: *Dicite justo quoniam bene: Va impio in malum retributio manuum ejus fiet ei*, inquit Dominus apud Isaiam.

TRACTATUS V.

DE DOMINICIS POST EPIPHANIAM.

DOMINICA I. POST EPIPH.

Lect. 1. bipartita est.

Ascendentibus illo Hierosolymam, remansit puer Jesus in Hierusalem. Luc. 2.

Sapiens in Proverbiis suis dicit: *Tria mihi sunt difficilia, & quartum penitus ignoro: Viam Aquilæ in Cœlo, viam Colubri super terram, viam navis in medio mari, viam viri in adolescentia.* Relictis & Joseph, va-

PARS I. Cur Maria

cum

variis hujus sententiæ explicationibus, insistamus modo ad propositum nostrum accommodatæ interpretationi, quam insinuat S. Amb. libro de Salomone c. 5. ubi sic dicit, *Christus est vir cujus via cognosci in juventute non possunt. Quis enim animo æstimare aut capere possit, quanta ille opera exercuerit, cum secundum hominem moraretur in terris? quæ itinera virtutum duxerit?* Ipse nimirum semper Vir fuit, licet ætate & statura infans, aut puer, aut adolescens; Vir ratione, gratia, sapientia perfectissimus in omni ætate: nec minus fuit sapiens parvus, quam magnus; sive enim latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive interrogans in templo, sive docens in populo, æque fuit plenus Spiritu sancto. Sed viæ ejus in adolescentia ignotæ fuerunt, quia vitam voluit ducere absconditam ad trigesimum usque annum, verè Deus absconditus in carne. Et sicut ideo nobis ignota est via aquilæ in cœlo, aut via colubri super petram aut via navis in medio mari, quia nullum vestigium relinquunt; ita ignota est nobis via magni illius viri Christi in pueritia & adolescentia, quia licet magna sapientiæ & perfectionis opera etiam tunc ediderit, eorum tamen in speciali testimonium nobis non est ab Evangelistis relictum. Nam solum in generali de eo dixere, quod puer proficeret ætate, sapientia, & gratia apud Deum & homines; majora scil. & perfectiora gratiæ & sapientiæ opera semper edens se cundū incrementum ætatis: quænam autem illa fuerint, ignotum nobis relinquitur, ita ut vestigia viri hujus in adolescentia nobis maneant abscondita.

Iesu ascenderint.

Prov. 30.

Attamen in Evangelio hodierno vestigium quoddam ejus nobis insinuatur, dum in templo inter Doctores interrogans & respondens reperitur admirantibus omnibus super responsis & prudentia ejus; dum & ipse matris & patris non satis agnoscentibus vias & consilia ipsius sublimia, respondet: *Nesciebatis quod in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Audiamus igitur Evangelistam particularius hæc enarrantem, *ascendentibus illo, &c.*

Primò adverte præceptum fuisse Judæis, ut ter in anno Jerosolymam adirent. & in templo se cum oblatione sisterent, Exod. 23. *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino*, id est, coram arca, vel tabernaculo Domini. Deut. 16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum in conspectu Domini in loco quem elegerit, in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate Tabernaculorum, non apparebit ante Dominum vacuus.* Solemnitas azymorū erat Pascha; solemnitas hebdomadarū erat Pentecostes, solemnitas tabernaculorū Scenopegia apud Judæos vocabatur. Viri tenebantur cōparare à vigesimo anno usque ad quinquagesimum, at mulieribus liberum domi manere. Et attende hic tria notabilia. *Primum*: quod cum unicum esset templum in illud totā Judæa, totum regnum debebat concurrere, & tamen quantolibet numero concursus fieret, numquam ita impletum fuit templum, quin locus superesset. *Secundum*, quod cum viri omnes civitates suas desererent eisdem temporibus, nullus tamen eis metus fuit ab hostibus, quod diripere forsan possent civitates sic desertas & inermes. Nempe promissum eis erat Exod. 24. *Cum tulero gentes à facie tua, & dilataverò terminos tuos nullus insidiabitur terræ tuæ ascendente te & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.* Hic cum S. Augustino q. 161. in Exod. *intelligunt interpretes à Deo promitti custodiam, ut securus quisque ascendat.* Tertium, quod cum sacrificia innumera animalium in templo illo Salomonis offerrentur, non fuit tamen visa musca carnibus sacrificii insidere; quod mirū est, quia carnes sacrificii idolis immolati tot muscæ circumvolitabant, ut dæmonem in idolis adoratum propterea Beelzebub nominarint, i. e. Deum muscarum.

Iudæi ter in anno Ierosolymam adibant.

Secundo adverte, quod licet Maria nec Jesus obligaretur hoc præcepto, voluit tamen Maria ascendere cum Jesu. Inprimis, ut exemplum nobis præberet non solum faciendi ea quæ præcepti sunt, sed etiam ea quæ sunt consilii, & quæ novimus Deo grata. Dignus est reprehensione servus; qui licet sciat voluntatem Domini, nihil tamen vult agere ei gratum, nisi ejus præcepto urgeatur. Tales non pauci sunt inter Christianos, qui si moneantur audire sacrum diebus ferialibus, dicunt se non obligari nisi diebus festis. Si moneantur vesperis interesse diebus festivis, dicunt se non obligari nisi ad Missam. Si moneantur audire sacrum solemne in Parochia, dicunt satisfieri præcepto per quodlibet sacrum, & ubilibet. Si moneantur frequenter confiteri & communicare, dicunt se non obligari nisi semel in anno, & hoc eis sufficere. Neque attendunt, quod sicut olim Judæis, ut jam dictum est, præceptum fuit ter in anno coram Domino, sive coram arca vel tabernaculo se sistere, ita etiam omnibus Christianis quōdam præceptum fuisse ter in anno confiteri & cōmunionem sacram percipere, nimirum in die Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini; ita ut hæc festa primaria adhuc modo duo dies festivi subsequantur, quibus solebant divinorum beneficiorum meditationi vacare, percepta sacratissima Eucharistia. Sed quia torpor gravis in his qui se Christianos profitentur, succedentibus temporibus, invaluisse visus est, coactus fuit Innocentius. III. Pontifex Maximus ad annuam communionem reducere vim præcepti. Possumus ergo dicere his tepidis Christianis: Ad duritiem cordis vestri vobis indultum est nonnisi semel in anno ad Confessionis & Communionis Sacramentum cogeremini, quia filii degeneres & exasperantes estis; interim non estis ignorantes piæ voluntatis & intentionis Patris vestri Christi & Matris vestræ Ecclesiæ, ad frequentandum sacramentum istud & pignus amoris vos invitantis. Et ita

2. *Quæ consilii, ac quæ præcepti, facienda.*

Vide Fabianum Pont. de consecr. d. 1.

si filij estis, & non servi ac mancipia, non tantum urgere vos debent præcepta & fulminantia verba, metusque pœnarum & censurarum; sed & pietatis affectus urgere debet, ut saltem ter in anno secundum consuetudinem diei festi appareatis coram Domino, & ipsum Dominum, sacratissimæque humanitatis ejus aream in cordis vestri tabernaculo collocetis ferventi devotione & amore. Hoc vos docet Joseph, hoc Maria. Quod si quispiam audeat dicere, Nolo confiteri aut communicare nisi tempore Paschæ, quia non obligor: videat ne Deus respondeat ipsi in peccato mortali agenti; Nolo te ultra sustinere quia non obligor, sed volo ut te infernus absorbeat, quia & hoc commeritus es. Unde unusquisque attendere debet, quod quondam S. Catharinæ Senensi dicebat Dominus: *Filia habe curam mei, & ego habebo curam tui.* In quibus verbis plurimum ipsa fiduciæ & solatij reperiebat, enitens in omnibus placere Deo, & divinam gloriam, quoad poterat, procurare, ut vicissim Deum obligaret sibi.

Observantia Festorum ad implenda.

Ulterius, dum Maria & Joseph dicuntur ascendisse Jerosolymam, secundum consuetudinem diei festi, docemur pias consuetudines maximè in observatione festorum & in cultu divino, diligenter adimplere. Et quænam debet esse consuetudo diei festi inter Christianos, nisi Missæ sacrificium integrè, devotè, attentè audire, vespertinis laudibus interesse? Cur Dominici & festivi dies instituti sunt, nisi ut specialiter tunc Deo vacet omnis Christianus, & qui septem dies suis maxima ex parte dedit negotijs, saltem unum divino specialissimè dedicet obsequio? Et quænam pia consuetudo tunc nisi orare Dominum pro peccatis tota hebdomada commissis, eorum contritionem eliciendo, & obsecrare ut subsequente hebdomada præservemur à futuris? Neque solum hæc fuit primorum Christianorum consuetudo, quinimmo omnibus diebus Dominicis antiquitus sacra Communione se reficiebant pij Fideles, hoc erat ascendere in Jerusalem (quæ significat visionem pacis) pacem scil. interiorem per confessionis & communionis Sacramentum toto affectu quærere & inculcare verbi inhiare cum conscientiæ puritate & animi quiete. At hisce sæculis, quænam est alia multorum consuetudo in die festo, quam otio & genio indulgere, aleis, chartis, alijsque ludis indignis vacare, commessationibus, ebrietatibus, & asotiæ totum penè diem dare, exinde rixas concitare, vel tripudia, & choreas sectari, aliaque multa Christianis indigna peragere? Et adeo grave est hujus consuetudinis prævæ imperium, ut quantumlibet hi qui animarum curam gerunt, eam convellere studeant voce & monitis, tum privatis, tum publicis, parum vel nihil proficiant. Et ideo de nostris festis idem dicere potest Deus quod olim: *Odivit solemnitates vestras anima mea.* Quasi dicat: Vestræ sunt non meæ, in illis vacatis ventri & voluptati, me autem negligitis, imo peccatis vestris conspurcatis, ideo odivi & projeci eas à me & *dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum*, ac earum fœtorem faciam vos experiri, quia in eis non mihi thus odoriferum orationis adolevistis, sed graveolentem peccatorum vestrorum fæcem in cœlum usque exhalare fecistis. *Mal. 2.*

Isa. c. 1. Amos 5.

Tertio adverte, quod Joseph & Maria secum ducunt puerum Jesum ascendentes in templum, ut exemplum exhibeant Parentibus omnibus, pueros jam ad annos discretionis pertingentes assuefaciendi pijs moribus, & in quantum eorum fert ætas, assuefaciendi rebus divinis. Dico, in quantum fert ætas; nam pueros duorum vel trium annorum in Ecclesiam deferre, qui cursu, lusu, ploratu, immodestia, nonnisi Sacerdotibus celebrantibus molesti esse possunt, & matrum, ac aliorum devotionem perturbare, non est piæ, sed pravæ consuetudinis, ut quotidie experimur. Et propterea etiam antiquitus ante Evangelium Diaconus clamabat conversus ad populum *Habete silentium* ut ab omni inquietudine, vel ob tussim, vel ob pueros sese observarent, ne qualibet ratione sacrificans impediretur. Quapropter non legitur etiam Christus à parentibus puer adductus ad templum, nisi cum jam esset duodecim annorum, non vero cum esset duorum vel trium annorum; quia nec moris erat pueros sim les adduci antiquitus tempore divinorum. Cum vero jam incipiunt adolescere, eumque instrui possunt, ut cum modestia valeant assistere, rationemque aliquam reverentiæ erga divina concipere; tum piæ est consuetudinis eos adducere. Immo tunc convenit docere eos ministrare sacrificio, quia Deo placet pueris innocentia, Angelorum ministerium imitans. Tunc quoque decet non solum privatim eos erudire, sed & in templum adducere oportet pro audienda doctrina Christiana in Catechismis, & alijs instructionibus publicis. Hoc olim maximæ curæ fuit pijs Matribus, ut proles in pietate & doctrina instituerentur, tum domi, cum publicè; & non solum ad templum eas adducere solebant, sed etiam instigare ad martyrium. Hoc varijs sparsim exemplis in Horto Pastorum ostendimus, pauca hic in memoriam revocamus.

3. Parentes pueros jam discretos rebus divinis assuefacians.

Cum Numerianus Imperator Antiochiæ ingredi vellet Ecclesiam Dei, ut dæmonijs immolaret, prohibuit eum Babylas Episcopus. Is postmodum in vincula conjectus, & facti sui rationem interrogatus, respondit: *Placuit Deo me humilem servum plebis suæ constituere Pastorem, ideo cum te vidi lupum venientem timens ovibus, prohibui ab ingressu ovilis.* Cum autem interrogaretur de Christianis, & de doctrina sua, iterum respondit: *Si scire cupis quæ sit doctrina mea, tres habeo parvulos, quos gratia Dei erudivi, jube adduci, videbis in eis scientiam Dei.* Adducuntur parvuli, adducitur & mater. Interrogatur nomen, & an isti filij ejus sint? Respondet, *Theodula vocor, eos genui, & Deo obtuli per Pastorem bo-*

Baron. tom. 2. anno 253. Meta. 4. Septembris.

bonum Babylam, qui erudivit eos in doctrina Dei. Cæditur ipsa alapis, & jubetur tormentis filiorum assistere. Pueris in sublime elatis, plagæ infliguntur: uni quidem duodecim; alteri novem, tertio septem. Illis autem Deum benedicentibus, dicebat & mater. *Gratias tibi ago Domine, quia singuli secundum numerum annorum cæsi sunt.* Cum verò à confessione per hoc non deterrerentur, jussus est & Babylas suspendi cum eis, & gravissimè cædi. At ipse exultans, consonabat: *Ecce ego & pueri mei mecum, quos dedit mihi Dominus in portentum. Ecce nihil tormentorum sentio, quia Christus pro me patitur.* Pueri autem inclamabant; Crudelis Tyranne gloriam nobis accumulas; dum pœnam exaggeras, tu autem non effugies judicium Dei. An non erubescis à pusillis vinci? Non sentimus tormenta, juvante Deo, tu vero magis cruciaris. Cum nihil proficeret tyrannus, jussus est Babylas cum infantibus gladio percuti. Dicebat autem iterum: *Ecce ego & pueri mei mecum, quos dedit mihi Dominus in portentum.* Pueri autem manus ejus osculantes, respondebant: O Pater ac Domine, quale nobis gaudium, si tecum pariter consummemur! Quibus ipse: *Benedictus es Domine, qui ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem tuam, ut destruas inimicum & ultorem.* Osculatusq; singulos, tradidit eos tortoribus, ut in sua præsentia percuterentur; postea tradidit & seipsum. Sic pariter educati, pariter coronati ad cælestia migrarunt, & quatuor victimæ ad Deum missæ sunt; Aries Dux cum tribus Agnis.

Sic igitur filios suos *Theodula* Deo se obtulisse gavisa est, non solum ad templum adducendo, sed & ad martyrium per S. Babylæ institutionem. Sic & aliæ matres idem fecere, inter quas celebris S. Felicitas & Symphorosa, utraque cum septem proli-bus Deo per martyrium oblatis.

Lib. de persec. ut. Vandalica.

Audi & de S. Dionysia Victorem Uticensem. Illa cum unicum filium admodum teneræ ætatis in pœnis formidolosum cerneret, verberans illum nutribus oculorum, & materna increpans auctoritate, dicebat: *Memento fili mi, quia in nomine Trinitatis in Matre Catholica baptizati sumus, non perdamus nostra salutis indumentum, ne veniens invitator, & non inveniens vestem nuptialem, dicat: Mittite eum in tenebras exteriores, ubi fletus & stridor dentium. Illa pœna timenda, quæ numquam finitur: illa vita desideranda, quæ semper habetur.* Talibus filium solidans verbis, velociter Martyrem fecit. Sic filius eius Majoricus nomine, in certamine confessionis spiritum reddès, cursum consummavit. Amplexàsque Mater illam hostiam suam, quantis potuit vocibus Domino gratias agens, ad gaudium spei futuræ in sua domo mâlut sepelire, ut quoties super sepulchrum ejus Trinitati preces effundit, alienam se à filio numquam confidat.

PARS II.

Cur Iesus in templo manere voluerit.

HOc speciali consilio, divinaque providentia factum est, non parentum aliqua negligentia aut culpa; nec enim Virgo vel veniali unquam culpæ fuit obnoxia. Etenim, ut scribit Venerab. Beda mos erat Israelitis, ut separatim viri & fœminæ reverterentur à festivitate, puerique vel patrem, vel matrem comitarentur. Unde existimavit Deipara puerum esse cum Joseph, è contra Joseph sibi persuasit cum Matre futurum. Nec deceptus proprie hic censetur, sic judicante Maria; quia cum sine assensu firmo ex probabilibus conjecturis, & rationibus colligit quispiam aliquid, non censetur decipi, sed probabiliter judicare: sic probabiliter existimabat Maria Jesum esse in comitatu cum Joseph, qui cum viris incedebat. Et licet Scriptura non exprimat hoc iter separatim viros á mulieribus fecisse, tamen ex eo etiam colligi potest, quod peculiare erat atrium virorum ab atrio mulierum sejunctum; quodque legimus plangere solitas *familias & familias seorsum, & mulieres eorum seorsum.* *Zach. 12.* Atque utinam peregrinationes Christianorum ad loca sacra tali modo fierent, ut sexus fœmineus seorsum incederet: at videmus adolescentes, & adolescentulas mixtim incedere, simulque impura colloquia & occasiones lubricitatis misceri, ita ut peregrinationes istæ frequenter non tam in cultum Dei & Sanctorum quam in occasionem carnis & lasciviæ libertatis vertantur. Si arbores aures haberent & linguam; mira audire, miraque nobis possent enarrare, quæ in his peregrinationibus pertractantur. Nam multi qui putantur ascendere ad loca sancta secundum consuetudinem dici festi, descendunt in Babylonem & infernum occasione dici & loci festivi, & Jesum ibi perdunt, & salutem.

Sed cur voluit Jesus remanere in Jerusalem, & id quidem in ætatis suæ anno duodecimo? Primo quidem, quia jam tempus aderat, quo sapientiam suam manifestare conveniebat, zelumque habebat in his, quæ Patris honorem concernebant. *Quid mâste me mecum esse, inquit ipse & non reliquisse me solum, quia quæ placita sunt ei facio semper.* Christus Sol divinus splendorem suum & lucem sub mortalitatis & infirmitatis nostræ nube occultabat, ita nihil in ipso in tenera ætate nisi humanum & puerilitæ congruum adverteretur. Attamen cum ætatis incremento, quando jam in aliis pueris rationis usus solet illucescere, pro salute hominum & gloria Patris sui voluit aliquod indicium gratiæ & sapientiæ suæ exercere, & radium aliquem divinæ lucis in se latentis palam manifestare. Nam sicut Sol licet semper æqualem lucem in se contineat, nec in illa in se crescat, tamen paulatim à matutino tempore crescendo venit in meridiem, sic Christus plenus semper gratia & sapientia paulatim exercet opera majora gratiæ & sapientiæ. Et hæc specialiter exhibere voluit in templo, tamquam templum sanctificans, & domum Patris sui honorans sua præsentia, sapientia, gratia, ut propterea etiam specialiter dictum fuerit à Propheta, quod foret gloria major novissimæ do-

1. *Causa mansionis in templo.*

Similе

Ioann. 8.

2. Causa

domus, quam primæ, quando scilicet Dominus templi in illo templo dignaretur sedere respondere, docere. Specialiter quoq; tempus elegit duodecim annorum, quia hoc erat præludium sapientiæ & doctrinæ, quam postmodum non solum in templo Judæorum, sed & in toto orbe per duodecim Apostolos debebat exhibere. Unde de Amb. sic ait

l. 2. in c. 2 Luc. 3.

A duodecimo anno Dominica jumitur disputationis exordium, hic enim prædicandæ fidei evangelizantiũ numerus debetur. Adde, quod duodecimum ætatis annum tamquam mystico numero constantem,

Duodenarius numerus mysticus.

Dominus non solum in se, sed in Sanctis suis plurimis voluerit specialis gratiæ donis illustrare. Nam quosdam in hac ætate ad gubernacula cum sapientiæ dono admovit, quosdam ad perfectionis viam in Religione capessendam impulit, quosdam etiam ad martyrij lauream ea ætate animavit; ita ut in his omnibus supra ætatem virtus & gratia, spiritus & sapientia, quasi à Christo puero duodenni primitus derivata effulgeret.

Duodennes sapienter gubernacula administrant.

Sic Salomon anno ætatis duodecimo regni gubernaculis est admotus, ut testatur S. Ignatius epistola 6. ad Magnesianos. Cumque juberetur à Deo quicquid vellet postulare, non opes, non victoriam, non vitam longævam, sed sapientiam postulavit, ut idoneus foret regendo populo, &

3. Reg. 3.

quod dormiens elegerat, vigilans est consecutus.

Sic Daniel anno ætatis duodecimo spiritu Dei plenus judicavit senes injustè Susannam condemnantes. *Suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel, & exclamavit voce magna: Mundus ego sum à sanguine hujus, &c.* Fuisse autem tunc duodecim tantum annorum, testatur idem sanctus Ignatius ibidem his verbis: *Non omnes annos sapientes continuo sunt, nec senes intelligentiam possident, sed spiritus qui in hominibus est. Daniel enim ille sapiens cum duodecim esset annorũ, spiritu Dei afflatus erat, & senes frustra canos ferentes, calumniatoret, & alienæ formæ appetentes esse coarguit.*

Dan. 13.

Sedulius in histor. Europ.

Sic S. Ludovicus Francorum Rex anno ætatis duodecimo sceptrum gestare cæpit, & Diadema Regium, spiritu Dei plenus, spiritu sapientiæ & intellectus, timoris & pietatis, à Blancha Matre ad omnem pietatem instructus.

Duodennes viam perfectionis profitentur.

Hi sunt celebres pueri duodennes, qui spiritum intellectus & sapientiæ acceperunt à Deo in illa ætate; ut idonei reperirentur ad populum judicandũ. Addamus & aliquos qui in ea ætate perfectionis viam profiteri cæperunt.

Sur. 10. 6.

S. Daniel Stylita matre infœcunda genitus, Deoque ex voto promissus, anno ætatis duodecimo perfectionis vitæ desiderio tactus, relictis parentibus clam ad monasterium fugit, atque ad pedes Præfecti Cœnobij prostratus monastico amictu vestiri supplex oravit. Cum autem ille teneram ætatem objiciens negaret eum laboribus monasticis ferendis fore sat idoneum, suaderetque ut adhuc aliquanto tempore apud parentes moraretur, cæpit ipse vehementius instare, & dicere: *Ego huc ea mente accessi, ut sic quidem Christo vivam, mortar carni, quod si inter hojce labores morte consumar, optatius esse duco sic emori, quam abire vacuum & missa ad aratrum manu retorsum converti.* Videntes igitur Religiosi omnes ejus ardentem zelum & constantiam, communi consensu eum receperunt.

B. Aloysius Gonzaga cum anno ætatis duodecimo ad sacrum Eucharistiæ epulum admissus esset, miro cæpit inflammari pietatis ardore, & exinde tam impense Eucharistiæ Sacramentum est venetatus, ut cum quotidie sacrificio interesset, mox ubi Sacerdos corpus Christi consecrârat, vi pietatis in fletum erumpens, ipsam etiam humum lacrymis humectaret. Et exinde etiam de perfectionis via inunda cogitare cæpit.

Virgil. Cerparius vitæ ejus l. 1. c. 4. & 5.

S. Theresa cum anno ætatis duodecimo dolore afficeretur, quod Matre foret orbata, ante B. Virg. Mariæ imaginem se prosternens, profusis copiosis lacrymis oravit humillimè, ut ipsa matris vicem gerere dignaretur. Quam quidem orationem Virgini Matri fuisse acceptissimam, singulare in eam patrocinium comprobavit. In eadem ætate cum imaginem Samaritanæ cum Christo colloquentis in paterna domo intueretur depictam, in qua scriptum videbatur, *Domine da mihi hanc aquam*; cerebro cum summo ardore efflagitabat à Domino illam aquam spiritus & gratiæ, quæ ei à Domino copiosè est infusa.

Ioan. 5. Ribera in ejus vita.

S. Margareta Hungarica Regis Hungariæ filia cum anno ætatis decimo translata fuisset ad monasterium insulæ Dambii ab ejus parentibus Christi amore fundatum, quod hodie a S. Maria nomen retinuit, ipsa anno duodecimo possessionem emisit.

Surius 28. Ian.

Adjiciamus denique & aliquos Martyres, qui ætate solum duodennes fortiter pro Christo sanguinem fuderunt. Inter hos illustris est S. Vitus, cujus festum agitur 15. Junij cum Modesto & Crescentia, à quibus in fide institutus fuit inscijs parentibus. Hic cum duodennis foret, tantus fidei & pietatis fervor ejus cordi inerat, ut nulla timeret tormenta. Pater ejus Hilas omni studio eum conabatur à fide abducere, sed frustrà. Viditque adstantes filio duodecim Angelos, tanto fulgore ut eum excæcarent; sed orante filio visum recepit. Diocletianus Imperator (ex cujus filia energumena diabolum fugârat) cum in ardentem fornacem plenum ardentis plumbi, picis, & resinæ conjecit, objecitque terribili Leoni, & cum ab his omnibus nihil læderetur, ita crudeliter eum diverberari jussit, ut ossa & viscera apparerent, atque ita obijt.

Duodennes martyrium subeunt. Surius 1 Iunij.

Sic quidam Conon nomine cum filiolo suo duodenni passus est pro fide vigesimâ nonaMaij, in craticula primo assatus, ferventique oleo perfusus, denique malleis ossa contusus. Noluit huc

Martyr 29. Maij.

Co-

Conon sine filio gloriari, sed cum Nicomediæ vinctus Judici traderetur, unicum suum natum duodennem ut Christianum Judici exhibuit, postulans eum ad cruciatus secum admitti, ut pari supplicio & morte, parique triumpho consummarentur.

Boxius to. 1. lib. 11. c. 1. Sic quidam Joannes puer duodennis, natione Hispanus, cum captus fuisset ab Indis anno 1576. & Regulo cuidam donatus: ille primum pollicitationibus multis, ac deinde gravissimis minis eum à fide abducere fuit conatus; sed nihil profecit, illo intrepidè omnia contemnente. Itaque summos ei primum digitos, deinde manus in frusta paulatim secuerunt, idemque brachijs ambobus fecerunt, mox ad pedes & crura venerunt. Sed in his omnibus læto animo & facie captivis alijs Christianis suadebat, ut similia lubentes perferrent, asserens numquam se tantâ lætitia & suavitate affectũ atq; eos hortando, & Deum orando, ad Superos evolavit lætissime.

Sic etiam inter nostri temporis Martyres, qui anno 1613. Arimæ in Japonia passi sunt; celebris est quidam Jacobus puer duodenis, quem quum alij Christiani cum fausta acclamatione sicut & alios prosequerentur, & fœlices Martyres inclamarent, & intercessores apud Deum deposcerent, respondit ipse: *Videte quomodo me Martyrem vocetis necdum confecto certamine, ego quidem martyrij coronam adspicio, sed nondum eam sum assecutus, gratia tamen Dei ad eam magnâ alacritate contendo.* *Ex litteris Iaponicis 1613* Cum verò procederent ad locum, & lutosa admodum foret via, Nobilis quidam bene merendi de Martyribus voluntate Jacobum in humeros sublatum ad martyrij locum usq; gestare cupiebat. Cui ipse; *Christus Dominus an rhedâ, an equo ductus ad supplicij locum properavit? Noli igitur obsecro me impedire ad mortem pedibus ire, etenim mox labore quies secura consequetur.* Cum ergo ad martyrij locum pertigissent, flammis circumactus, & illarum vi solutis vinculis, mox ad matrem ibidem vinctam in flammis gratulabundus accurrit, & ter sanctissima Jesu & Mariæ nomina altâ voce pronuntians, beatæ Matris sinus cumulans, ad ejus latus extinctus concidit.

Apud Surium 15. Junij, in vita S. Febronia. Denique, addamus & aliquas sexus muliebris duodennes puellas pro Christo viriliter mortem obeuntes. Testatur Metaphrastes Eutropiam duodecimo anno maximâ animi fortitudine sagittis fuisse confixam. Sic & S. Aquilina Diocletiani Imp. anno septimo cum duodenis Volusiano Judici esset tradita, & ille blandutijs eam delinire conaretur, respondit. *Nolo me misericordiâ prosequaris, nam ea quæ à te misericordia æstimatur, majori me damno afficiet, rogo ut ferociam omnem in me ostendas & agnoscas nullo posse frangi supplicia vires nostras Christi sanguine corroboratas.* *Surius 15. Junij.* Postmodum acriter est distenta, & verberibus affecta, auresq; ejus ignitis fubulis perforatæ, ac celebrium candenti ferro exustum, tandemq; gladio cum ei carnifex præcideret caput, lac pro sanguine effluxit. Sic & Virgo cui nomen Fides S. Sophiæ filia, annos 12. nata, virgis crudelissimè fuit cæsa, mammillisque exsectis, lactis rivulum dedit & ipsa loco sanguinis. Postmodum cum & in flammis maneret integra, gladio eam transverberari Judex mandavit. Illa gaudio perfusa matrem Sophiam, quæ cum duab⁹ sororibus, quarum uni nomen Spes, alteri Charitas vincta erat, sic allocuta est: *Vides, o Mater, quâ me benignitate Christus est prosecutus, precibus tuis hoc ultimum certamen munive pergo. Et vos, o sorores, nihil formidate pro Christo gloriosam mortem optetere; una mater nos genuit, una nos aluit, tribus unusit finis, sint sororibus sororia & germana voluntates.* Sic illa porrectâ cervice certamen absolvit. Similiter B. Eulalia virgo duodennis sub Daciano Hispaniæ Præside in urbe Lusitaniæ Metropolitana, nomine Emerita, ferreis pectinibus lacerata, mirâ in responsis suis sapientiâ prædita admirabile subijt martyrium. Cum enim oleum bulliens in ejus mammas funderent, dicebat: *Oleũ istud nihil mihi obest, immo* D. Jesum *Sponsum meum mei amore inflammat.* Cum ignis circa corpus ejus accenderetur dicebat tyranno: *Iam assum est corpus meum, nec vires deficiunt, jube aspergi sale, ut cœlesti sponso cibus sapidus sim.* Cum ad latera ignis admoveretur, dicebat: *Probastinos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum* Cum pectinibus ferreis laceraretur, dicebat: *Hæc signa Domine, quæ ferrum imprimit in carne mea, litteræ sunt quibus nomen tuum sanctum carni meæ inscribitur, & tuas victorias prædicant* Cum juberet à carnificibus Judex et capillos radi, & per forum ad dedecus nudam pertrahi, dicebat: *Licet sim humi inhonorata, capillo spoliata, nuda & informis, tamen cujus amore hæc patior, à me non alienabitur, de te autem gravissimam sumet vindictam.*

Ex Metaphrast. Alexand. Pont. anno 122. A Imp

V. Ribad. 10. Decm & Martyrol. Roman.

Porro hæc & similia responsa, tum in illa virgine duodenni, tum in alijs consimilis ætatis, à Christo duodenni, sive à participatione spiritus & sapientiæ ejus, quam in ætate illa in templo ostendit mirantibus omnibus super prudentia & responsis ejus, proveniſſe, nemo potest ambigere.

EADEM DOMINICA.

LECT. 2. tripartita.

Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te. Luc. 2.

PARS I. *De dolore Virginis filii quærentis, & gaudio inventi.*

MAgnum fuisse dolorem Virginis filium requirentis in hoc triduo, nemini potest esse dubium, qui considerarit amorem ejus maximum erga filium, omnem amorem superantem quorumcunque etiam Sanctorum erga Deum. Primo enim Sancti Deum diligunt, ut filij Patrem. Deipara diligit sicut mater unicum filium suum. Amor autem parentum erga filios vehementior est, quam filiorum erga parentes, eo quod respiciunt parentes proles suas quasi aliquid sui: *Sicut mater* 2. *Reg.* 1. *uni-*

unicum amati filium, ita ego te diligebam, inquit David, ut declararet magnitudinē amoris sui erga Jonathan. Et quid mirum si MARIA præ omnibus diligit filium, præ omnibus ab illo dilecta, & ab æterno electa, ut illius filii sit Mater, cujus Deus est Pater? Nonne sicut Pater unigenitum suum diligit infinito amore: ita mater ejusdem filii, supra omnes perfectissimo eū diligit amore? Secundò cum ipsa sola genuerit eum sine Patre terreno, in ea conjunctus censetur amor Patris & Matris erga filium, & ideo vehemētius quam aliæ matres eum adamasse certum est, maximè cum ex parte filii omnes rationes amorem inflammantes reperirentur, infinitæ nimirum ejus perfectiones. Unde S. Anselm, sic cā affatur: *O beatissima fœminarum, in quam fluxit tā copiosa & superemines gratia omnium gratiarum, quid animi quæso gerebas ad eum qui tibi hæc magna fecit? Certè quo nullus major inter puras creaturas potuit reperiri.* Tertiò cum MARIA in suis actionibus supernaturalibus perfectissimè se haberet, nunquam operans tepidè & remissè, sed perfectissima intentione & conatu secundum omnem efficaciam gratiæ & charitatis, quam habebat, absque dubio omnes vires cordis & animi exerebat in dilectione filii sui, illum diligens intensissimo amore, ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus suis. Unde & illa vox jubilationis è corde ejus amoroso exsiliebat. *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

de excell. Virg. c. 4.

Luc. I.

Itaque, cum maximus ejus fuerit amor erga filium, non potuit nō esse maximus dolor de absentia illius, cùm nesciret ipsa jam ubi ageret. Nimirum incipiebat experiri illud Simeonis; *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Dolores quos effugerat pariēdo, illo triduo per animi afflictionem amarissimam, quodammodo persensisse visa est gemendo, & perditum requirendo. Cum magno dolore perditur, quod cum magno amore possidetur. Et quo major est thesaurus, eo major angustia si amittitur. Variæ autem rationes doloris & timoris poterant se menti Virginis tunc offerre, eamque afflictare. In primis, vereri poterat, ne quia sibi incuria aut negligentia in custodiendo tali thesauro imputaretur, aut ne se indignam ejus præsentia quapiam in re exhibuisset. Unde cum eum reperisset, ait: *Fili quid fecisti nobis sic?* quasi dicat? Quæ causa fuit ut nos dimitteres? In quo potui adversum te deliquisse? Aperi obsecro matri, si quid obsequi non satis diligenter præstiti, si qua in re deliqui, parata sum agnoscere; si quid in me tibi displicuit, parata sum corrigere. Deinde poterat timere, ne in manus Archelai successoris Herodis incidisset, inquit S. Antoninus, quia & ipse Jerosolymis imperabat. Denique omnia quæ prudenter parentes pii dilectis suis filiis timere solent, & quæ valēt animos eorum affligere, MARIÆ menti poterant occurrere, & cum tristitia anxietatem in generare. Addit B. Alredus homil. hac de re: *O Domina mea quid dolebas! Credo non famem, non sitim, non inedium timebas puero, quem Deum noveras: sed tantum subtractas tibi ad modicum ineffabiles præsentiæ ejus delicias querebaris.* Nempe non sustinet MARIA vel modicum à JESU divelli, cui ardentissimo & deliciosissimo amore tota inhærebat; nec aliud cogitare, nec aliud desiderare poterat, ideo gemit ut Turtur amisso compare. O modicum longum pie Domine, quo non videt te MARIA! Fili, inquit, quid fecisti nobis sic? Fili, multo charior vita, cur nos deseruisti, cur à nobis insciis discessisti, cum noveris te totum bonum nostrum esse, totum gaudium, totius amoris nostri objectum, pondus, & centrum? Ecce dolentes quærebamus te, quærebamus te ut vitam nostram, sine te velut mortui; quærebamus solem nostrum tenebris doloris & caligine afflictionis circumfusi; quærebamus gaudium nostrum, quod te discedente à nobis planè discesserat, & sine te reverti non poterat. Interim si Christus triduo absens à parentibus eos tanto replevit dolore, quanta putas afflictione afficientur reprobi, cùm ab eis faciem suam æternum absconderit, quando & ipsi eum amplius reperire non poterunt, quātumlibet quærant, nisi ut judicem & Vindicem? Et id quidem, quia in die gratiæ cum dolore & sollicitudine eum non quæsierunt.

Varie causæ doloris & timoris M. V.

Per hanc porro Virginis afflictionem edocere nos vult Deus, sibi solitum esse quantumlibet justorum & amicorum suorum vitam prosperitate & adversitate intertexere, & sic eos probare. Unde & JOSEPH & MARIAM alternantibus adversis & prosperis crebrò à se probatos, voluit omnib⁹ piis speculum & exemplum exhibere. Est utique MARIA lilium sed inter spinas crescens, florens, odorem exhalans. Dum generat filium suum, *germinās germinavit quasi lilium latabunda & laudans*, in medio Angelorum laudes divinas concinentium: sed lilium est spinis cinctum, frigore, paupertate, loci incommoditate, aliisque spinosis miseriis. Dum filium peperit, quem jam adorant non solùm Angeli, sed & Reges ab Oriente venientes, exultat & est quasi lilium specie sua intuentes se exhilarans; sed mox spinæ non desunt & puncturæ amaritudinis, dum intelligit Regem Herodem puerum quærere ad perdendum. Dum in templo offert filium cum gaudio omnium justorum, an non MARIA ibi quasi lilium? sed mox spinæ consequuntur dum ibidem audit à Simeone: *Tuam ipsius animam gladius doloris pertransibit.* Dum JESUS infans agit inter JOSEPH & MARIAM, nonne Dilectus est qui pascitur inter lilia? At spinæ non desunt, dū fugiendum est in Ægyptum, & septennio commorandum in terra extera, non sine ærumna. Postquā rediit Maria in Nazareth ab Ægypto, ibi tamquam lilium odoratissimum conversatur omnibus gratiosa; nam Nazareth flos interpretatur: sed quot spinæ hodie hoc lilium cinguntⁱ, dum à templo in Nazareth regreditur, nec puerum reperit in comitatu? O MARIA, verè tu lilium es inter spinas! O JESU verè tu vis pasci & crescere inter lilia, sed spinas

Joseph & Mariæ adversis prosperis probantur.

B. Virgo lilium inter spinas.

non vis abesse, quia de spinis rosas nosti producere, mœrorem & afflictionem in gaudium nosti convertere, ac de tribulis ficus suaves procreare!

Cernere id licet hodie in Deipara nostra. Etenim cum Nazareth primo die rediisset, & vesperi inter cognatos & notos puerum non reperiret, rosectem duxit afflictione plenam in gemitu & suspiriis. Mox manè consurgens, potuit dicere: *Surgam* *Cant. 3.* *& circuibo civitatem, quaram quem diligit anima* *Cant. 5.* *mea*, & illud: *Adjuro vos filiæ Ierusalem, ut nuntietis dilecto quia amore langueo.* Nec amor ejus sine dolore, nec dolor erat sine amore; & quò major amor, eò dolor amplior. Quid ergo? An non & nos compatiemur dolenti & amanti, cum solitudini assueta foret iterum abeunti, & dilectum quærenti? Dicamus illi: *Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum, quò declinavit dilectus tuus, & quæremus eũ tecum?* Sequamur & requiramus dilectum in domo Patris sui. Mox enim ubi Maria advenit Jerusalem, templum adit cum Josepho, sciens pueri eximiam pietatem, ideoque potius ibi quam alibi inveniendum. Nec votis fraudantur, sed ibi eum reperiunt sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem. Post triduum autem dicitur inventus, post triduũ scilicet inchoatum, ea phrasi qua Marcus dixit Christum post tres dies resurrecturum. *Marc. 8.* O triduum speciali ad Filium, speciali ad Matrem devotione recolendum! De Filio quidem pia anima consideret quis tunc eum hospitio excepit? quis aluit? An Angeli cibum suppeditarunt? Hoc ejus dignitati congruebat. An forte mendicavit? Hoc pie putat Bernardus, & paupertati conveniebat quam desponsare venerat. Quis dabit me buccellarum emendicatarum participem fieri, inquit Bern. De Matre vero considera, quam ei fuerit lacrymosum triduum, & confer cum triduo mortis, quando jam non inseiam relinquet Matrem, sed à vidente tolletur. At post hoc triduum invenit in templo, sic post istud triduum gloriosum reperiet redivivum è sepulchro.

Sed quis explicare valeat quantum tunc fuerit gaudium reperto Dilecto? Certè quãto major fuerat dolor & sollicitudo in Virgine eum requirente; tãto major lætitia in ejus inventione, ita ut potue- *Psal. 93.* rit dicere: *Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* *Matt. 2.* Magnum fuit Magorum gaudium, dum stellam amissam iterum viderunt. Magnum gaudium mulieris drachmam perditam reperientis, & vicinas ad *Luc. 15.* congratulationem advocantis. Magna lætitia Pastoris, ovem requisitam humeris suis reportantis. Exultatio grandis Patris super collum prodigi cum osculo recumbentis. At tamen horum omnium lætitia conferri nequit cum ea quam habuit Virgo, in filii sui, tanto amore & sollicitudine quæsiti, inventione. Quid ita? Quia clarior erat stella quæ tunc ei apparebat, omnem mœroris caliginem dissipans. Quia charior erat gemma, quam ad tempus absconditam reperiebat: Quia in sinum ejus reducebatur agniculus enutritus incomparabili dilectione, matris totum solatium; & jam ei dicere licebat: Tenui, nec dimittam eum. Denique, quia amabilis erat filius super omnes filios, super cujus dilectissimam faciem ei recumbere licebat. Sic lachrymæ sanctissimæ matris, tam doloris quam lætitiæ, sibi jam mutuo obviabant, & quo major fuerat dolor, eo major lætitia, illum ut penitus absorberet. Sic aquam mœroris in vinum lætitiæ convertere solet ille qui potens est, ita ut quo plus fuerit in hydriis aquæ, eo plus reperiatur & vini.

PARS II.
Ubi inventus, quomodo salutatus & quid responderit Jesus.

SEd in particulari explicemus quid agens repertus sit puer, quibus verbis à matre compellatus quidve responsi dederit?

Jesus inventus in templo Act. 24. S. Ambr. 1. Cor 14. Act. 22.

Quod ad primum spectat, Evangelista exprimit: *Invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem & interrogantem illos.* Juxta portam orientalem templi locus fuisse commemoratur, in quo legis Magistri & interpretes docebant, ibi quædam Academia Judaica existebat, de qua aliqui intelligunt illud: *Neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem*, hoc est, in Academia, quæ in atrio templi erat. Dicit autem S. Ambr. *Hæc traditio Synagogæ est, ut seniores disputent, juniores dignitate in cathedris, sequentes in subsellio, novissimi in pavimento*, sive super scoreas humi stratas. Unde dicit Paulus se eruditum in civitate Jerusalem secus pedes Gamalielis, quia humi inxta pedes Præceptoris, cum cæteris sedebat discipulis. Christus ergo puer cùm nec ex Doctoribus esset nec ex illis dignitate inferioribus qui in subselliis sedebant, dignatus est humi sedere super scoream ut discipulus, in medio Doctorum, hoc est inter Doctores humi, tamen ad pedes eorũ. Ibi primum audit Doctores de divina lege disserentes, deinde sicut mos erat ex auditis quæstiones excitat, & interrogatus etiam respondet. Atque de Messiæ adventu disputationem fuisse nonnulli conjiciunt, ita ut puer hic ex locis Prophetarum de ejus adventu, regno, vita, secundum gratiam & sapientiam in labiis suis diffusam disseruerit, & omnes in stuporem converterit, ignorantes quis puer ille foret. Neque porrò sine mysterio est, quod in medio Doctorum sedisse dicitur ille qui ait: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorũ sum.* Verè in medio eorum est qui Ecclesiæ veram doctrinam proponunt & explicant ex officio; non in angulo est, vel latibulo eorum qui hæresi infectam doctrinam obtrudunt. Atque Christus semper amavit medium, sive in præsepio in medio animalium, sive in cruce in medio latronum, sive post resurrectionem in medio discipulorum, sive in ascensione in medio Angelorum & hominum, sive post ascensionẽ in medio septem candelabrorum, sive in judicio in medio ovium & hircorũ, sive in æternitate in medio inter Patrem & Spiritum sanctũ.

In medio Doctorũ Christus Matt. 18.

Christus amat medium.

Imnuõ

Immò in pueritia semper puer iste fuit inter Mariam matrem suam & Joseph Patrem nutritium; sed ad tempus, ob mysterium ab eis discessit, & illi eum tandem in medio Doctorum reperientes etjam admirati sunt videntes, inquit Evangelista. Quare mirati sunt? Numquid ejus noverant sapientiam & divinitatem? Utique saltem MARIA hanc probè noverat; sed admirationem parere solet id quod inopinatè nobis evenit. Illa autem pueri hujus cum Doctoribus collocutio, Deiparæ & Josepho inopinata fuit, quia nihil simile ad illam usque ætatem fecerat. Admirabatur ergo MARIA, non tam scintillam sapientiæ promicantem, quam benignitatem filii jam alios in puerili ætate instruentis, & Doctoribus occasionem præbentis recogitandi, an non ipse foret ille qui ante duodecim annos à Magis ut eum adorarent, fuerat quæsitus à justis in templo agnitus; non Messias ferè foret, & Rex promissus Israelem docturus, & redempturus?

Quomodo salutatus JESUS *& B.M.V.*

Quantum ad secundum: Cum jam solutus foret docentium & audientium cœtus, accessit Mater ad illum & dixit: *Fili quid fecisti nobis sic? Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Et hæc quidem verba jam partim in superioribus explicui, hic tamen contra quosdam hæreticos advertendum, nullam ex illis verbis Mariæ posse notam inuri, vel ambitionis & superbiæ, vel indignationis & iracundiæ, quod sese ingesserit cœtui præ ambitione, desiderans haberi Mater tam sapientis pueri; aut quod præ ira aut impatientia publicè eum arguerit quasi transgressorem divini præcepti de parentibus honorandis & immemorem molestiarum, quas ipsius causa tam in Ægypto quam alibi passa erat. Hæc enim omnia blasphemiæ sunt, quia Maria columba fuit sine felle; & quæ peccato originali non fuerat obnoxia, fuit sine turbulenta passione; & cum filium suum sciret Deum esse, non potuit, vel verbo, vel cogitatione eum peccati redarguere. Non ergo verba sunt turbulentæ exprobrationis, sed suavis interrogationis, materni amoris querelam humilem continentia, sensu quo supra exposui. Neque publice hæc filio ingessit, hoc enim ejus & verecundia & modestia non patitur, sed jam soluta congregatione, quamvis nonnulli adhuc præsentes manere potuerint, præ nimio stupore vix ab eo descendentes. Suavis ergo & humilis interrogatio ista fuit, nonnisi mysterio à Virgine expressa, & ab Evangelista scriptis mandata. Nam mulierum omnium humillima fuit Maria, & silentio omnino addicta, loquendi omnino parca, nulla sine necessitate effutiens verba. Unde quater tantum locuta invenitur in Scripturis. *Primò*, cum Angelo paucis omnino verbis. *Secundo* cum Elisabeth etiam paucis, nisi cum occasione laudis sibi ab Elizabeth tributæ, in Deum laudes referens exultat spiritu, & cum Deo prolixius loquitur, quàm cum hominibus, pronuntians Canticum illud omnibus sæculis decantandum: *Magnificat anima mea Dominum.*

B. Virgo silentio addicta.

Tertiò, locuta est hic amore materno impelleate. *Quartò*, in nuptiis breviter etiam cum filio & ministris locuta reperitur. Numquam verò, vel temere, vel inutiliter. Neque temeritatis ullatenus argui potest, quod præveniat Josephum, quodque illo tacente ipsa loqui reperiatur: & hoc enim quodam factum est mysterio. Loquitur enim Maria tanquam vera Mater Christi; tacet vero Joseph sciens Dominum non ex se genitum; hoc solo se fœlicem æstimat, quod Nutritius sit Filii Dei, & custos Matris. Deinde Maria idem loquitur fidentissimè, quia amabat ardentissimè, & sic dicit: *Fili quid fecisti nobis sic!* Filium vocat, quod sola poterat facere in terris, sicut & Pater æternus in cœlis; & audenter filium vocat eum, qui cœli & terræ est Dominus. Et tamen dum addit: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, videre licet ejus humilitatem, & in omnibus reverentiam. Sciebat se Matrem, & Josephum esse Nutritium tantum; attamen illum sibi præponit, & quidem cum honoris titulo *Pater tuus & ego*. Sic Dei Genitrix fabrum sibi præfert, & titulo sublimi condecorat, ut scilicet maritum honoret; quem licet opificem & plebeium, novit tamen esse caput mulieris, etiam Reginæ Angelorum. Unde hic censetur docere omnes mulieres, quemnam maritis debeant honorem; & in memoriam reducit hoc suo facto illud Apostoli: *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Ergo sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita debent & mulieres esse viris suis. Hoc quoque hic advertant Parentes pro documento morali in verbis Virginis quod circa proles, licet quandoque offendant, non debeant se gerere cum exasperatione, impatientia tumultuosa, & verbis contumeliosis. Mariam imitentur: *Fili quid fecisti nobis sic?* Et licet quandoque illis debeant correctionem, semper tamen immisceant cum discretione paternum, vel maternum amorem. Non maledicant, non convitientur, non exasperent: Non cum fu ore mox inclament; Tu pessime nequam tu diabole, tu patibulum, tu inferni utio, & similia multis parentibus non infrequentia. Hæc sunt longè alia à Mariæ verbis, & querela illius materna; *Fili quid fecisti nobis sic?* Unde & Apostolus: *Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate eos in disciplina, & correptione Domini.*

Ephes. 3.

Morale proparentibus.

Ephes. 6.

Quantum ad tertium. Respondit Christus *Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Non his verbis intelligendus est Christus Matrem aut Josephum reprehendere; nec enim merebantur reprehensionem quod eum quærerent, sed potius meriti eâ fuissent si neglexissent, aut si eum non requisivissent: sed interrogatione eos vult instruere, & eorum anxietatem levare. Interim cum auctoritate loquitur Matri, ut ostendat se illius non solummodo filium, sed etiam Deum esse, quod aliquibus tunc

Christi responsio.

Præsentibus debebat tandem patescere. Habet ergo Christus speciem reprehendentis, in veritate tamen interrogatio est docentis. Sic solemus simulata increpatione discipulos docere, etiam cum nullam culpam in eis advertimus, ut acrius ad discenda quæ dicimus, eos incitemus. Potest autem esse triplex sensus illorum verborum. *Primus*, ut de templo agatur. Quasi dicat: Quare inter cognatos & notos me quæ̃rebatis? Nesciebatis quod in templo tanquam domo Patris mei convenit me esse ad populi instructionem? An nesciebatis quod ibi agantur quæ Patris mei sunt? *Secundus* sensus esse potest: Quare me quærebatis? An nesciebatis, quod in iis quæ Patris mei sunt; oportet me esse, & non semper vobiscum? Quinimmò vobis aliquando relictis, Patris mei negotium debere me agere, cogitare debueratis. *Tertius* sensus est. Quid est quod me quærebatis? Numquid ignorabatis incumbere mihi redemptionis humanæ negotium, cui me operam navare oportet? An non sciebatis illud esse opus Patris propter quod veni in mundum, quod oportet me perficere, & jam inchoare? Hoc idem est quod alibi dicit: *Me oportet operari opere ejus qui misit me.* Item; *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et quidem sciebat MARIA & JOSEPH Christum Dei filium, & ut Redemptorem à Patre missum; sed qua ætate hoc inchoaturus erat, ignorabant, & an propterea remansisset in Jerusalem, non cogitarant: Immo addit Evangelista: *Et ipsi non intellexerunt verbum hoc quod locutus est ad eos.* Quod quidem aliqui synecdochicè accipiunt, quia Joseph non intellexit. Verùm etiam, id rectè de Maria accipitur; licet enim ipsa intellexeris quod de Patre æterno loquatur; non tamen plenè assecuta fuit ipsa, nec Joseph, quænam illa essent in particulari Patris negotia, in quibus in ea ætate occupari deberet. Nec id tenebantur scire; & ita non est ignorantia privativa, sed negativa, ideoque perfectioni Virginis nihil hoc derogat: non enim perfectissimè statim debuit assequi omnia filii mysteria, sed de die in diem ipsa in sapientia proficiebat. Unde & ibidem additur: *Mater autem ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.* Ut frequenti scilicet consideratione intelligentiam eorum, quæ minus clara erant, assequeretur; eorum verò quæ perspicua erant, contemplatione frueretur. Deinde ut suo tempore & loco ea aliis explicaret, & conferret in communem piorum usum.

Triplex sensus responsi Christi.

Ioan. 4.

Ioan. 14.

Parentibus consensus in ingressu religionis non expectandus.

Interim suo facto & responso Christus nos docuit in his quæ ad divinum spectant obsequium, parentum consensum non esse necessarium, immo quandoque nec expectandum Patris æterni voluntas, ejusque negotia, Patris terreni voluntati & negotiis præponenda sunt; dicendumque nonnumquam Patri & Matri; *Nescio vos*, & fratribus, *Ignoro vos. in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Licet sparso crine, & scissis vestibus ubera quibus te nutrierat Mater, ostendat, licet in limine Pater jaceat, per calcatum perge Patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola.

Sic fecit S. *Thomas Aquinas* annorum circiter quatuordecim adolescens; non obstantibus Matris, sororumque lacrymis, & fratrum minis, ad Religionem evolans, ut in his quæ Patris sui erant, se esse profiteretur. *Hieron. ad Heliodor. Exempl.*

Sic S. *Franciscus* vestem importuno Patri rejiciens, dixit: Jam liberius dicam; *Pater noster qui es in cœlu*, & qui in negotiis Patris terreni totus fuerat, tunc in his quæ Patris cœlestis erant, totus cœpit esse.

Sic S. *VValerius* numquam potuit Patris consiliis, blanditiis, minis, à Monasterio revocari, quod adolescens omnibus parentibus insciis ingressus fuerat. Cumque etiam fratres Monasterii hortarentur imò urgerent, ut ad tempus paterno desiderio satisfaceret, quod teneræ adhuc foret ætatis, infractus perstitit, adeò ut Abbas dicere coactus sit: *Non abjiciamus fratres, quod nobis à Deo donatum videmus.* *Surius 1. April.*

Sic S. *Aichardus Abbas* Gemmeticensis prope Valencenas, cùm Pater militari laude illustris puerum jam decennem per mil tiæ honores evehere decerneret, respondit: *Ego, ô Pater, Christi miles ef se decrevi, à Christi militia nihil nisi mors separabit* Itaque evicto parentis animo, Religionem ingressus est duodennis. *Surius 27. Sept.*

Sic S. *Idelphonsus* reluctante Patre, Cœnobium Agaliense est ingressus, ut ibidem in his quæ Patris cœlestis erant, occuparetur. *Ioan. Mariana l. 6 hist.*

Sic S. *Cæsarius* Irebatensis Episcopus, novennis puer ignorante familia & parentibus capillos sibi circumcidi, & habitum mutari à sancto Episcopo Sylvestro petiit, & impetravit; ac postmodum Lyrinense Monasterium est ingressus. *Hisp. Surius 27. Aug.*

His itaque omnes, vel inscis, vel invitis etiam parentibus in templo remanserunt, & Patris cœlestis negotiis toti se addixerunt, exemplo Christi duodennis invitati, potuerunt que omnes dicere: *In his quæ Patris mei sunt, oportet me esse:*

Tu quoque post habeas divinis omnia jussis,
Et quæ velle Patrem noveris, illa velis.

Concludamus itaque & ad illum qui omnibus omni ætate sapientiam conditioni congruam impertiri se posse, & velle insinuavit, sermonem convertamus, & dicamus: O Sol sapientiæ Christe, qui hodie duodennis in templo apparere dignatus es, & radios tuos per nubem humanitatis emittere cœpisti, digneris etiam nos illuminare luce gratiæ tuæ contra tenebras culpæ, luce sapientiæ contra tenebras ignorantiæ, luce veritatis contra tenebras erroris, & doce nos viam salutis, & æternitatis. Doce nos in domo Patris tui lubenter conversari, & in negotiis ejus gloriam concernentibus lubenter occupari, donec tandem ad domum æternam, te Duce, & tua luce pertingamus, ubi te, & Patrem æternum contemplemur perenni visione, & fruitione.

Potest

Poterit & specialis formari concio super illis verbis: *Descendit cum eis Nazareth, & erat subditus illis*; hoc est, erat subjectus & obediens, cum ipsis quietè, modestè, & amanter agens; in illis omnibus dicto eorum obtemperans, in quibus ingenui filij solent parentibus obtemperare. Tractari igitur hic potest de obedientia parentibus debita, de qua fusè dictum est in Horto Pastorum, lect. 1. super quarto præcepto Decalogi, omniaq; ibi dicta huc referri possunt.

Lect 6. tripartita

DOMINICA II. POST EPIPH.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, &c.
Joan. 2.

Pars I. *De sacramento Matrimonij.*

NUlla hæresis adeo stolida est & impia, quæ non in alicujus amente mente, & insano cerebro locum reperiens, sectatores & propugnatores nacta sit. Hoc ipsum probant hæreses circa Matrimonium ortæ. Quidam enim dixere illud illicitum esse, immo inventum satanæ appellarunt. An non hi stolidi, qui suo se ore stultè condemnarunt, cum ipsi ex Matrimonio fuerint orti? Hos prævidebat

2. Tim. 4. Apostolus ajens: *Spiritus manifestè dicit, quod in novissimis temporibus quidam discedent à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum prohibentium nubere.* Tales fuere quidam dicti Eucratitæ, sive continentes, de quibus S. Irenæus: *A Saturnino & Marcione exorti abstinentiam à nuptiis annuntiaverunt, frustrantes antiquam plasmationem Dei, & obliquò accusantes eum, qui masculum & fœminam ad generationem hominum fecit.* Sic & quidam Manichæi (teste S. Epiphanio hæresi 40.) Matrimonium contrahentes onus satanæ explere dicerunt, addentes *dimidiam partem hominis esse Dei dimidiam diaboli: nam umbilico & supra dicebant formationem Dei, ab umbilico & infra esse mala partu formationem, omniaque secundum voluptatem, stimulum, & concupiscentiam, & umbilico & infra fieri.* An non hi in Deum impij & injurij? Alij dixerunt, si Adam non peccasset, non fore nuptias; quare Adam in Paradiso imitari volentes, fugiebant nuptias: & dicti sunt Adamitæ; quia nudi obambulabant; nudi orabant mares cum fœminis, congregationemque suam vocabant Paradisum, sic Adæ in Paradiso nuditatem imitari volentes. Initio tumultuum Belgicorum tales prodierunt Antverpiæ ex Hollandia. An non hi cæci, rebellionem carnis; vulnusq; peccati considerare nolentes? Denique aliqui ex Anabaptistis voluerunt uxores esse communes, in conventiculis suis promiscuam commistionem inducentes. Quid stultius, & fœdius?

lib 1. c. 30

Hæreses diversæ circa matrimonium.

Postremò Lutherani & Calvinistæ matrimoniũ à Deo esse concedunt, negant tamen esse Sacramẽtum. Ecce quot errores, quot hæreses matrimonij sanctitati maculam inspergentes. Contra quas depugnat Concil. Trident sic definiens: *Si quis dixerit Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus inventum, neque gratiam conferre anathema sit.*

Sess 24. c. 2.

Matrimonium est Sacramentum.

Christum porrò Matrimonium ad dignitatem Sacramenti elevasse, quando nuptias hodie sua præsentia approbavit, nonnulli censent Theologi. Quia tunc eas primitijs signorum suorum publicoque miraculo decoravit, aquam in vinum vertens, ut significaret aquam carnalis concupiscentiæ, quæ in matrimonijs invaluerat, per gratiam quam matrimonio superaddebat, vertendum esse in vinum perfectioris & purioris amoris. Jam antea approbarat virginitatem, de Virgine nascens approbarat & viduitatem, inter viduæ brachia in templo præsentatus; sic & approbavit matrimonium, non solum sua præsentia, sed & miraculo? quod prius etiam honorarat, Matrem eligens non tantum virginem, sed etiam conjugatam. Alij Theologi putant Christum elevasse matrimonium ad rationem sacramenti, quando ad primævum statum matrimonium reduxit, rescindens pluralitatem uxorum, & libellum repudij, & addens: *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Quasi dicat: Unum & unam conjunxit, procul ergo uxorum pluralitas, & inseparabiliter conjunxit, procul ergo libellus repudij. Declaremus id similitudine. Matrimonium vitis erat manu Dei plantata, sed postmodum produxit luxuriantes palmites, & germina sylvestria vitem hanc dedecorantia; pluralitatem scilicet uxorum, & repudij libellum; Christus tamquam cælestis agricola vitem hanc expurgat, & germina ista impura resecat, novumque gratiæ rorem, novum Spiritus sancti colorem huic viti adjicit, ut jam felicior sit in fructu; de suis surculis beata proferens germina, tot Martyres, tot Confessores, tot Virgines, tot sanctos Angelorum cohæredes. Hæ sunt uvæ pretiosæ coram Domino non aqua sed vino plenæ: quas uvas protulit conjugium, non jam solum institutum ut primitus in officium naturæ, sed per Christum ad rationem sacramenti elevatum. Quod quidem vel factum est in Cana, dum his nuptijs suæ præsentiam benedixit; vel saltem tunc illius rei præsignificationem quamdam dedit, dum aquam in vinum convertit.

Matt. 19.

Simile.

Si ergo quæras, quid modò plùs habeat matrimonium, ut legis novæ Sacramentum, quam antiquitus habuerit in veteri lege? Resp. 1. Majorem habet firmitatem, quia antiquitus matrimonium patiebatur solutionem per libellum repudij, patiebatur etiam divisionem per pluralitatem uxorum.

An sit differentia inter antiquæ & novæ legis matrimonij.

R. 1.

Secundo habet perfectiorem significationem, quia non significat solum futuram Christi & Ecclesiæ conjunctionem per incarnationem & charitatem, sed significat illam conjunctionem jam perfectè consummatam: ità ut propterea moneat Apostolus ut uxor diligat virum sicut Ecclesia Christum,

R. 2.

Ephes 5.

rum, & vir uxorem sicut Christus Ecclesiam ; ut non sit inanis repræsentatio Christi & Ecclesiæ in conjugio, quod Sacramentum magnum est, ob significationem perfectam illius unionis, quæ est inter Christum & Ecclesiam, tanquam corpus suum mysticum, & tanquam sponsam suam.

Pr. 3. *Tertio*, habet gratiam specialem, quam olim non habebat, quæ est gratia sacramentalis, quam Christus ei sua promeruit passione. Sicut enim in Baptismo datur gratia regenerans, per quam specialiter Christo gignimur ; in Confirmatione gratia ad profitendam Christi fidem confirmans? in Eucharistia gratia nutriens & restaurans vires? in Pœnitentia gratia vulnera sanans, & á morte peccati suscitans: in Extrema Unctione gratia consolidans contra languores animi & tentationes inimici: in Ordine gratia specialiter sanctificans ad dignè obeunda ministeria sacra. Ita in matrimonio datur gratia specialis, conjuges sanctificans, amorem naturalem perficiens, adjuvans ad matrimonij sub eunda onera, concupiscentiam refrænans, ut ad illicita diffluat, vel in matrimonio, vel extra ma-
1. Thess. 4 trimonium, *ut unusquisque vas suum possideat in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut gentes quæ Deum non noverunt.* Item datur gratia specialis ad sese mutuo supportandum, & ad educandam prolem in timore Dei, ad cooperandum ædificio cælestis Jerusalem, & reparandas ruinas Angelorum per generationem filiorum timentiũ Dominum; ad quem finem matrimonium est institutum.

Effectus gratiæ matrimonialis.

Itaque gratia ista sacramentalis, quæ in matrimonio datur, multiplices habet effectus. 1. Est instar fræni concupiscentiam cohibentis, ne extra limites conjugales exundet. O quot conjuges ruerent in adulteria, vel alia in conjugio illicita, nisi benedictio Dei, & gratia Sacramenti custodiam & frænum eis injiceret! 2. Est instar stimuli ad amorem verum & perfectum conjuges instigantis, unde suspiciones, zelotypiam, dissidia removet, affectumque conjugalem omnia ista dirimentem excitat & perficit. 3. Est instar olei jugum ponderosum matrimonij (unde & conjugium appellatur) emollientis & alleviantis; unctio enim spiritualis gratiæ in Sacramento datæ ad onera matrimonij ferenda, animum intus corroborat. 4. Est instar rotæ, quia currum matrimonij, quem tota vita, conjuges debent trahere, volubilem reddit & facilem, etiamsi per vias difficiliores, paupertatis, ægritudinis, vel alterius calamitatis oporteat pertransire ; tandemque ad fœlicem viæ & vitæ finem perducit. 5. Denique est instar vini, quod aquam insuavem (hoc est, varias tribulationes quæ in conjugio reperiuntur, & instar aquæ amaræ sunt) in se convertit & amaritudinem tollit, consolationem adjiciens, vel quandam oblivionem inducens. Hoc est vinum de quo possumus dicere: *Da vinum his qui amaro sunt animo,*
Prov. 31. *ut obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Hoc vinum Dominus dat conjugibus in sacramento ritè dispositis, & aquam removet mœroris per varias tribulationes transeuntibus.

PARS II. *Ad fœlix matrimonium qui sint vocandi.*

QUia igitur solus Christus hoc gratiæ vinum dare potest, ideo vocandus est ad nuptias, sicut ad has in Cana Galileæ nuptias vocatus legitur cum discipulis suis. Gentiles olim in suis nuptijs Deum Hymenæum laudibus & hymnis advocabant, ut conjugio benediceret; existimantque eum esse Deum nuptiarum Præsidem. Depingebant tanquam juvenem speciosum, corona ex floribus odoriferis redimitum, una manu gerentem facem, altera velum sericum pallidi coloris, ab antiquis *Flammeum* vocatum, quia Flaminum uxores illo caput ornabant. Quid corona illa è floribus designat, nisi lætum, & festivum animum? Sed quia talis corona etiam facilè marcessit, significabat quoque conjugij corporisque voluptates non diu perdurare. Quid fax accensa designat? Utique consuetudinem antiquam, qua olim nocte sponsa in sponsi domum traducebatur, ob recentem adhuc verecundiam ; imò in tenebris, viri sponsæ thalamum adibant, unde deceptus fuit Jacob putans esse Rachelem, cum Lia foret. Signifi- Gen. 29.
cabat quoque fax ardens in manu Hymenæi affectum conjugalem nunquam extinguendum, sed etiam in nocte adversitatis, & fidelitatem debere continuò ardere. Quid ulterius designat velum in sinistra? Denotat subjectionem perpetuam, quam sponso sponsa se habere profitetur ; simulque cum oculi sedes sint pudoris, sponsæ solebant obnubere velo oculos, cum matrimonium imbat; inde & nuptiæ dictæ Sic Rebecca cum ducta fuit in
domum Isaac sponsi sui, velo se ornasse legitur Ita- Gen. 24.
que hunc Deum suum varijs laudibus & hymnis sibi optabant propitium; unde & Hymni nomen derivatum est, Hymnus enim quasi Hymenæus cautus.

Christum ad nuptias vocandum.

Sed procul hæc Gentilium figmenta, procul eorum fictitij Dei. Patefcit hodie quomodo Christus verus sit nuptiarum Deus, verus Hymenæus, dum divinitatis suæ primum signum, & miraculum à nuptijs auspicatur, aquam in vinum convertens, in symbolum benedictionis nuptijs Christianorum imperriendæ: per quam, ut diximus, aqua carnalis concupiscentiæ in amorem supernaturalem verteretur. Ipse igitur advocandus est, qui in finem usque sæculi sacrat connubia Præses & Auspex. Ubi ipse adest omnia sunt felicia : ubi ipse abest, omnia sunt infausta. Ubi ipse adest. Dæmonium nullam habet potestatem: ubi ipse abest, Asmodæus accipit posse fionem, & luxuriantem ex se naturam in fœda propellit, & conjugio indecora. Ubi ipse adest, thorus est immaculatus, & per omnia honorabile connubium: ubi ipse abest, zelotypia, æmulatio, discordia, aliaque vitia, vel irrumpunt, vel irrepunt. Ubi ipse adest, inter matrimonij spi-

spinas etiam flores novit producere, flores sanctorum desideriorum, flores bonorum meritorum, ex quibus corona æternæ gloriæ texatur, ubi ipse abest, nonnisi spinæ pungentes, augmentum curarum tribuli & lolium malorum multorum reperiuntur. Denique ubi ipse adest, vinum non deest gratiæ spiritualis: ubi ipse abest, fæces solum manent, & amaritudo mixta cum aqua carnalis concupiscentiæ. Vis uno verbo complectar? Ubi Christus adest, nuptiæ habent per ejus benedictionem speciem & initium quoddam paradisi? ubi ipse abest, maledictione plenæ sunt, & speciem ac initium quoddam habent inferni. Felices ergo qui eum advocant, ejusque gratiam: infelices sunt qui illum, illamque negligunt. Venerem & Cupidinem, aut etiam Mammonam in suis connubijs spectantes & advocantes.

Maria ad nuptias ciranda.

Deinde vocanda est etiam cum Christo mater Jesu; non enim sine mysterio dicitur, quod illa in nuptijs Galileæ adfuerit. Olim dicebatur Dea Juno, Dea pronuba, Dea felicis connubij conciliatrix, ideoque invocabatur & ipsa in nuptijs. Hanc fictitiam Deam excludit Maria, sicut Christus fictitium Deum Hymenæum. Ipsa nimirum est Sponsa, & Virgo Virginum, & Sponsarum primiceria, ac tutelaris Diva. Ipsa est quæ nuptijs impetrat vinum pro aqua pia sua intercessione, impetrat conjugibus amorem sanctum, cœlestemq; gratiam, ac necessaria dona. Unde ipsa ait filio: *Vinum non habent.* Attende hic Virginis pietatem & sollicitudinem in favorem conjugum. Quod si adeo sollicita est pro temporali defectu, etiam non rogata; quid putas facturam est pro necessitate spirituali, & donis gratiæ a filio impetrandis, si conjugum precibus ad id invocetur? Certè quantum ipsa alios sanctos superat gratia, merito, & gloria, tantum & eos superexcellit benigna erga nos pietate, & sollicitudine: idcoque specialiter dicitur Mediatrix nostra. Propterea etiam primam sanctificationem, quam Christus operatus est, veniens in hunc mundum, dum Joannem in utero sanctificavit, per Mariam effecit: *Ut audivit vocem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus*, sanctificationis gratiam mediante Virginis voce percipiens. Sic & primum miraculum per ejusdem preces operatur, ut ubique Mediatrix electa ostendatur, & quicquid ad nos venit, per ejus manus descendere declaretur. Ad illam ergo se conjuges convertant, ut benedictionem nuptijs suis per eam impetrent, & felicem inde progressum in matrimonio, ad prolem in fide & pietate patiendam, fovendam, educandam, sortiantur. Nam etiam Ecclesia eam cum filio specialiter ad hunc effectum invocat, conjugibus benedictionem hanc impertiens, *Domine* JESU *Christe Fili Dei, & Beata Virgine Maria, qui in Paradiso Matrimonium instituisti in officium, & pro nobis homo factus etiam in Sacramentum, tua præsentia ac miraculorum primitus dignanter illustrans: Tu per merita & preces Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, hos quos sacro matrimonio conjunxisti benedicere digneris, & liberare ab omni ligamento, fascinamento, & maleficio satanæ, & dare eis fœcunditatem & gratiam, qua libere possint uti matrimonio, ad generandum, & fovendum prolem gratam Deo & hominibus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* *Rituale Romanum.*

Maria prolis conjugibus impetrat.

Recensere hic liceret multos conjuges, qui Mariæ favore & benedictione non solum vinum cœleste in conjugio repererunt, hoc est, gratiam & consolationem cœlitus manantem, sed & fælices, sanctitatisque proles orbi dederunt. Sic S. *Ludovicus Francorum Rex*, S. *Elzearius Comes Ariani*, S. *Edmundus*, S. *Robertus*, S. *Andreas Fesulanus* ob pietatem erga Beatissimam Virginem Mariam suis parentibus fuere dati, & ab illis huic Matri specialiter consecrati, universo orbi sanctitatis luce admirabili præfulserunt.

Apostoli nuptijs advocandi.

Denique cum Jesu & Matre ejus vocandi sunt etiam ad nuptias Discipuli Jesu: *Vocatus est Jesus cum Discipulis suis*, ait sacer textus. Non ergo hi præterm ittendi, quos secum voluit adducere; hi vocandi & invocandi in quolibet connubio. Quid ita? Quia hi sunt optimi testes qui adhiberi possunt connubijs. Hi sunt amici cælestis sponsi, qui gaudio gaudent propter vocem sponsi, & favorem ejus nobis conciliant. Hi vinum etiam loco aquæ impetrare possunt conjugatis: nam & propter illos hoc primum miraculum edidit Christus aquam vertens in vinum, *ut manifestaret gloriam suam coram discipulis*, ut hic dicitur. Certè Apostoli Jesu pie invocati non infrequenter fœcunditatem & fœlicitatem matrimonio impetrarunt.

Apostoli fœcunditatem matrimonio impetrant.

Admirabilis est hac de re historia, quæ Romæ in templo S. Salvatoris de Lauro extat exarata, ubi sic habetur. Anno 1474. Joannes Mates & Catharina Calagnita Barcinonenses, cum annos octo egissent sine prole, pro ea obtinenda voto domi cœperunt, & in S. Severi Ecclesia renovato, Sacrum solemne celebrandum curarunt in honorem duodecim Apostolorum, accensis duodecim cereis cum nomine unius Apostoli ad singulos cereos. Audierunt Apostoli vota precantium; nam spatio tredecim annorum sequentium duodecim proles habuere, octo masculos, quatuor fœminas, quorum singulis unius Apostoli nomen indiderunt. Et licet diu supervixerint, nullam ultra prolem susceperunt. Filij deinde post parentum mortem singuli circa festum sui Apostoli, cujus nomen gerebant, obierunt. Horum ultimus Petrus Mates J. U. D. Cubicularius Apostolicus, hæc Romæ in marmore incidi curavit in S. Salvatore. Quod marmor translatum est in claustrum, dum Ecclesia conflagravit.

PARS III.
Infœlices nuptiæ, quæ sine Jesu celebrantur.

MUlti sunt qui Jesum non censentur vocare ad nuptias suas, ideoque Infœlicitatem in conjugio nanciscuntur, & vinum eis deficit.

Primò inter hos recensendi sunt illi, qui sine consul-

Qua sunt sine consultatione cum Deo.

consultatione cum Deo, matrimonialia fœdera nectunt, & non vocati ab illo statum conjugalem ineunt. Deus enim licet matrimonij sit auctor, non tamen omnes ad illud vocat; sed providentia sua particulari id inspirat illis quibus novit congruum ad salutem. Homines autem mundani id non attendentes, cæco gressu, & sine deliberatione matura, sine consultatione cum Deo conjugio sese involvunt, sicque æternitatis aleam jactant. Nam verè momentum est à quo pendet æternitas quando de status electione decernitur, tunc ergo voluntas Dei sollicitè inquirenda. Quæ ut agnoscatur, aliqua præscribunt media rerum spiritualium periti.

Quæ requirantur ad electionem alicujus status.

In primis, ut serio cogitet homo finem ad quem creatus est, ut scilicet æternum Deo fruatur: huc totus ætatis cursus dirigendus est. Deinde coram Deo se sistat purgata conscientia, & intret in cor suum, cum indifferentia perfectè suam Deo offerens voluntatem, ut inspiret quod voluerit, paratus illud firmiter amplecti. Ulterius ne fortè mundus suo pulvere oculos mentis inspergat, juvat tunc in horam mortis illos conjicere, & cogitare quid tunc velles fecisse, quam viam iniisse? Deniq; consideret talenta, inclinationes, complexionem; vires omnesque quas potest rationes pro uno statu vel altero. Quibus omnibus perpensis, si aversionem aliquam sentire videtur ab aliquo statu, non censetur ad illum vocari: si ad alterum cum pace interna; & gaudio conscientiæ, atque cum fiducia in Deum se moveri sentiat, illum potest amplecti. Nec refert quod non sit status perfectior, non enim ille omnibus convenit: nec omnes qui voluerunt sequi Christum, statim ab eo in suam sequelam sunt adoptati, sed aliquos illorum in suam domum remisit hujc perfectæ sequelæ parum idoneos. Non pauci possunt cum Loth dicere: *Non possum in monte salvari, est hic Civitas parva salvabor in ea.* Altitudo montium est mundicia continentium, qui ad montana scandere non possunt, civitatem parvam eligunt, in qua ab igne defendantur. Civitas parva est conjugium, non incolarum numero, sed comparata cum altitudine continentiæ & castitatis. quia conjugalis vita non quidem in virtutibus mira, sed tamen à supplicijs est secura: nec à mundo longè divisa est, nec tamen à gaudio salutis est aliena. Ita S. Gregorius in Past. 3 p. admonitione 28.

Gen. 19.

Defectu itaque hujus consultationis, multis vinum defi. it felicitatis in nuptijs, non vocato Jesu, aqua autem infelicitatis eisdem superfluit. Arripiunt aliqui statum matrimonialem, ut parentes imitentur, in eorumque negotia, vel officia succedant. Non considerant statum qui parenti congruit, non propterea filio congruere, nec qui uni fratri, etiam alteri convenire, cum non sit eadem complexio talentum, inclinatio, in parente & filio, in fratre & fratre; quod in Esau & Jacob nimis patuit. Alij consulete quidem videntur Deum, sed ideo cum jam prævenerunt ejus inspirationem & consilium prævio affectu, & penè firmata resolutione; nec tam optant se divinæ conformare voluntati, quam ut Deus se conformet ipsorum inclinationi & resolutioni. Hoc nimirum fit præposterè, quia voluntas divina prius exquirenda est, quam nostra.

Neque vero solum ab eo exquirendum est, an ineundum sit Matrimonium, sed etiam cum qua persona: quia contingit personam eligi, quæ impedimenta salutis sit allatura: si alteram elegisses, securior tibi salus fuisset. Hinc Sapiens: *Domus & divitiæ à parentibus, à Domino autem uxor prudens.* Quasi dicat. Duo à parentibus filij quodam hæreditario jure accipiunt, nobilitatem & opes: at uxorem prudentem licet parentes filijs magno studio perquirant, sæpe fallluntur: quia talem non tam parentes dant, quam Deus, ideoque rogandus est, ut dignetur providere. Legunt septuaginta Interpretes: *Aptatur uxor viro à Domino.* Non quælibet cuilibet viro apta uxor, sed illa tantum quæ similes mores habet, in his consistit fundamentum conjugalis amoris. At similem simili copulare solius est Dei, qui omnium mores temperat, & solus perfecte concordiam novit, aut discordiam.

Prov. 18.

Frequenter autem punit Deus infaustam electionem, malam vitam præteritam conjugum, & frequenter dirigit hanc electionem ut felix sit ob bonam vitam peractam. *Pars bona mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.* Attendant igitur juvenes dissoluti, impudicitijs & ebrietatibus dediti, salutisque incurii ne Deus eos tandem puniat infausta electione. Quare volunt invenire uxorem castam, piam, sobriam, cum nec casti sint, nec pij nec sobrij? Si aptatur a Domino uxor viro, in pœnam expectent potius incontinentem, levem, maledicam, rixosam, quales ipsi sunt. Aut certe discant hæc emendare tempore opportuno, quando agitur de statu totius vitæ, de salute, de æternitate, quæ pendet ab hac electione. Audiant monentem August. *Si ducturi estis uxores, servate vos uxoribus vestris; quales vultis eas reperire, tales vos reperiant. Intactam quæritis? Intactus esto, puram: purus esto. Non enim illa potest, & tu non potes.* Consulant Angelum suum, qui matrimonium inire volunt, ipse enim dirigit hominem in omnibus vijs suis. Hunc Abraham voluit esse comitem Eliezer famulo suo, ad quærendam uxorem Isaac filio: hic etiam providit Tobiæ in sua peregrinatione.

Eccli. 26.

Aug. ser. de verbis Domini.

Gen 24.

Secundo, hi Jesum non censentur vocare ad nuptias, qui sine debita intentione matrimonio se ingerunt; & propterea etiam his vinum solet deficere, & aqua tribulationis superabundare. Tales sunt qui primario respiciunt voluptatem carnalem, & propter illam conjugio sese involvunt, potius Venerem & Cupidinem advocantes ad suas nuptias, quam Jesum & Mariam, ut antea insinuavimus. Et hi quandoque matrimonio non tam extin-

2. *Qui sine debita intentione fiunt ie sum non vocant.*

extinguunt concupiscentiam carnalem, quam accendunt: ideoque extra limites conjugales feruntur ad turpitudines cõjugio indecoras; imò & alienа conjugia nonnumquam polluere tentant. Tales etiam sunt qui primario opes vel honores respiciunt, & sic occasionem oblatam opulenti vel honorati connubii mox arripiunt; sine examine debito, & sine ea quam debent habere intensione æternæ salutis. Certè sæpè punitur illorum temeritas, qui cum sint humiles aut inopes, inæqualia matrimonia ambiunt cum nobilibus aut divitibus, non considerantes illud:

Quam malè inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor.

Cum Adæ uxorem dedit Deus, similem dedit: *Faciamus adjutorium simile sibi*, nonsolum natura, sed etiam conditione & morum conformitate. Disparitas conditionis crebras invehere solet dissensiones. Ferrum non cum argento & auro, sed cum alio ferro recte cohæret; cum argento vel auro si miscetur, invicem dissiliunt: sic inæqualium connubia dissidiis sunt plena. Naucleros gubernacula eligit pro magnitudine navis: cum navis est parva gubernaculum magnum, navis potius mergitur quã regitur: cum navis est magna, gubernaculum parvum navis impelli non potest. Vir pro gubernaculo est, uxor navim imitatur, si vir nobilis est, uxor tenuis; non tam regitur quam opprimitur, & contra si uxor illustris, vir tenuis, non potest uxorem regere & ad nutum vertere. Audi Chrysost. dehorrantem pauperem ne ducat divitem: *Est superbum mulierum genus, & perturbationibus expositum & cum superbia occasionem habent, non possunt in officio contineri; sed sicut ubi silva ignem concepit, flamma fertur in altum, sic elata ordinem pervertunt, dominatum in virum occupant. Taceo vitia & contumelias: nihil illo intolerabilius.*

Simile.

Chrysost. de virginit. c. 53.

Recta matrimonii intentio & finis est triplex.

Quod si quæras, quæ debeat esse recta intentio ineuntis matrimonium? Resp. triplicem finem posse intendi. *Primus* finis est mutuum auxilium. Homo enim inclinationem naturalem habet ad vivendum socialiter, ut mutua ope facilius tolerentur incommoda hujus vitæ. Ad hunc finem institutũ est matrimonium, in solatium solitudinis & sollicitudinis: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* An solum ad prolis propagationem adjutorium istud datum est? imò & ad laborum & dolorum levamen, cæterasque vitæ necessitates. Hinc licitum est matrimonium, licet spes prolis non adsit, ut patet in sterilibus & matrimonio senum. *Secundus* matrimonii finis, & magis principalis, qui meritoriè intendi potest, est procreatio prolis. Debet verò intendi prolis generatio, ut instruatur in fide, pietate, timore Dei, sicque benedictionem æternam consequatur, atque ita per matrimonium multiplicetur numerus electorum. Non ergo primaria intentio esse debet, ut hæredem domui relinquas, sed ut æternorum bonorum hæredem instituas prolem à Deo dilectam & electam. Qui hanc intentionem habent, Jesum vocant ad suas nuptias. Hanc edocebat Angelus Tobiam dicens *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris. Tertius finis* qui intendi potest in matrimonio est, ut sit remedium concupiscentiæ; nam & propter illum sinẽ institutum est, dicente Apostolo: *Propter fornicationem, unusquisque uxorem suam habeat.* Sciens Dominus quantos fluctus homo patiatur à carne originali justitia privatus, in remedium hujus morbi voluit cedere matrimonium à se institutum.

Tob. 6.

Cor. 7.

Quando accedẽtes non sunt in statu gratiæ, Jesus non vocatur.

Tertiò hi Jesum non censentur vocare ad nuptias, qui accedentes ad matrimonii Sacramentum non sunt in statu gratiæ. Hi enim benedictioni obicem ponunt; & novo peccato se obstringunt, si in peccato mortali accedant, & confessionem aut cõtritionem non præmittant. Hinc origo tot malorum in conjugiis, quia sanctitatem & gratiam Sacramenti ne glexerunt, & ad illud se non præparaverunt. Nonne multi Sponsi & Sponsæ post impudicitias inter se, quas non audent Sacerdoti detegere, accedunt? Nonne multi post fraudulentas promissiones, & pernicioſa mendacia, quibus eam quam ducere volũt, deceperunt? Nonne multi post ebrietates mortiferas, & alia peccata? Certè pauci attendunt sanctitatem Sacramenti, nec alia dispositione quam ad contractum in foro, aut ad profana convivia, accedunt ad Matrimonium. Moniti de præparatione, confessionem quidem & communionem perfunctoriè præmittunt aliquot ante matrimonium diebus; reliquos dies nõ conscientiæ & Deo, sed negotiis nescio quibus immergũt, & peccata irrepentia negligunt. Sic non mirum quod nõ pauci infelicia nancisc antur conjugia, conscientiæ puræ vix advigilantes; ideoque ulterius in illis per maleficia & ligaturas Satan quandoque potestatem reperit. O utinam imitarentur Christiani pietatem Tobiæ, orationem ferventissimam ad Deum conjugio suo præmittentis, & sic orantis: *Domine Deus Patrum nostrorum benedicant te cœli & terra, & omnes creaturæ tuæ. Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique illi adjutorium Evam. Et nunc Domine, tu scis quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Utinam imitentur Cæciliam, quæ Valeriano desponsanda tribus ante nuptias diebus jejunabat sub byssina veste Cilicium gerebat, orationi continuo vacabat, negotium istud Domino supplex commendabat. Ideo meruit à Deo gratiam impetrare ad convertendum Sponsum, & cũ nuptiis integritatem conservandam. Vocaverat nimirum ipsa Jesum ad has nuptias, cum incorrupta matre sua; ideo vinum ei non defecit, vinum puritatis sine fæce corruptionis.

Tobi. 6.

Sed ut concludamus, quæstio illa nobis hic obiter re solvenda est quid agendũ his qui imprudẽter

conjugio se ingesserunt non vocati, vel certè erraverunt in delectu personæ, ideoq; nonnisi aquam tribulationis reperiunt? Resp. hos non debere animum despondere, quia Deus in quolibet statu à se instituto non deserit hominem; sed dat gratiam sufficientem statui congruam, ut in illo rectè vivere quilibet possit, si velit, & impedimenta superare. Deus enim non deest in necessariis, maximè cum noluerit statum certum præscribere singulis, sed electionem hominis arbitrio reliquerit. Talis ergò varia se potest solari consideratione.

Varia cōsolatio afflicti in Coniugio infausto.

Primo. Consideret difficultates & tribulationes quibus se comperit involutum, à Deo immitti, vel permitti in pœnam transactæ imprudentiæ. Hæc est pensio, quam ob intentionem voluptuariam, vel terrenam à conjugatis exigit Deus. Hæc est aqua amara, quam vino nostro admiscet justa providentia suâ.

Secundo. Approbet hanc justam providentiam, præteritam cæcitatem sic castigantem, offeratque se illi supplex petens patientiæ gratiam, ut tolerare hæc possit in satisfactionem. Petat auxilium efficax, quo possit transire inter tot spinas gratia divina calceatus. Deus adhuc potest de tribulis uvas, de spinis flores, de aqua vinum producere, & mala nostra in bonum convertere. Hoc fit, si de angustiis conjugalibus saltem humilitatem & patientiam discas.

Tertiò. Consideret se conjugis vitia posse odio habere, ut personam, ut potè sibi Christi vinculo conjunctam, amare debere, & satagere ut eam possit Christo lucrari. Si maritum diligis, quia bonus, benignus, facilis, quam mercedem speras? At si iracundus est, difficilis, turbulentus, & diligis, coronam tibi fabricas, quia propter Deum diligis, *Sic Christus onera & peccata Ecclesiæ Sponsæ suæ patienter tulit, & suo sanguine expiavit.*

Quarto. Consideret in conjugiis Sanctorum similes contigisse spinas; & tantum abest, ut eis hæc in salutis dispendum cesserint, quin potius ad majorem segetem perfectionis profecerint. Sic in mediis afflictionibus Sanctum Job uxor vexat, & ad blasphemandum impellit: at tunc ejus fiducia & patientia magis enituit. Sic S. Monica virum sævum nacta, patientia tamen & benignitate illum vicit, & convertit ad fidem. Vide hæc latius in Tract. nostro de matrimonio, ex quo hæc decerpsimus.

Lect. 4. tripartita.

EADEM DOMINICA.

Erat Mater Iesu ibi, vocatus est autem & Iesus.

Pars I. *An Matrimonia parentum consensu ineunda. Nuptiæ olim.*

IEsum & Matrē ejus ad has fuisse vocatos nuptias titulo cognationis, concors est sacrorum interpretum sententia: unde & Maria noluit suam denegare præsentiam licet solitudinis amans esset: quia auxilio invitatibus poterat esse sua sedulitate; quæ patuit dum ipsa filium suum sollicitè urget pro defectu vini supplendo. Atque etiam convivia convocatis consanguineis olim in nuptiis celebrari solita, non solū ex hoc loco Evangelii colligitur; sed etiam ex antiquo testamento manifestum est. Sic Laban cum traderet Iacob filiam suam, vocatis amicorum turbis ad convivium fecit nuptias. Unde & Athæneus Ethnicus Convivii nuptialis causam recensens, sic dicit: *Moribus & legibus scitum est, ut in nuptiis epulum fiat; tum nuptiales Deos ut veneremur, tum ut pro testimonio id sit convivio, quod nuptæ suæ placeant nuptiæ.* Atque hæc olim convivia à piis exercebantur cum timore Dei, ut patet Tob. 9. At nunc passim in luxum & abusus Christianis indignos abeunt; ita ut quibusdam non solum præsidere videatur Bacchus, sed & proserpina, furiæq; infernales cum suis tædis ardentibus; potius quam Christus aut Maria cum Geniis bonis. In illis enim non solum regnantem ebrietatem, sed & rixas, homicidia, gravemque sanguinis effusionem non infrequenter est cernere. Taceo alias dissolutiones, & inde crebro infausta multa exorta. exempla ea de re dedi in Tractatu de sacram. matrim. lect. 5.

Convivia addebantur. Gen. 29. Athenæus li. 5.

Olim apud Judæos cū fierent nuptiæ, unus dabatur de Sacerdotali ordine qui morem disciplinæ legitimè gubernaret, inquit S. Gaudentius tra. 9. ex traditione antiqua; cuiusvis quod dicitur generaliter *Epulaberis coram Domino tu & domus tua. & Levita qui intra portas tuas est.* Atque hunc hic vocari Architriclinum, sive trichnii & convivii præpositum, putat S. Gaudentius. Cui favet S Thomas, dicens fuisse Principem & primum inter convivas, ideoque jussisse Dominum illi vinum propinari, videlicet primo inter discumbentes. Sic & Lyranus dicit: *Architriclinus significat eum, qui principaliter inter convivas sedebat. Et probabile est quod fuerit aliquis Sacerdos illius temporis, qui stabat tu nuptiis ad benedicendum, & ad ostendendum qualiter debebant procedere secundum legem & statuta seniorum.* Hæc ille. Quicquid sit de hoc, & de more illo antiquo Sacerdotem vocandi ad cōvivium, & ad præsidendum nuptiali epulo; hocce tempore non congruere Ecclesiasticis hæc nuptialia frequentare convivia, per varias rationes ostendimus in virga Aaronis tract. 4. lect. 11. de quo & Concilium Agathense olim statutum perhibens edidit cap. 28. & repetitur in cap. Presbyteri d. 34. his verbis: *Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, nuptiarum evitent convivia. Nec hic atibus misceantur, ubi amatoria canantur & turpia, aut obscæni motus corporum choreis & saltationibus exhibentur: ne auditus & visus sacru ministeriu deputati turpium spectaculorum atq; verborum contagione polluantur.* Hæc ibi.

Nuptiarum convivia olim Sacerdos intererat. S. Gaudent. tract. 9. Deut. 14. S. Thom. in Ioan.

Ulterius, quia Mater Jesu ad has vocata fuit nuptias titulo cognationis, colligimus matrimonium istud consensu parentum & cognatorum fuisse initum: itaque docentur hic juvenes, si connubium ambiunt, de parentum & propinquorum consensu id agere. Ratio est, quia ad parentes spectat prolibus providere in hoc gravi negotio,

Matrimonium consensu parentum ineundum.

ideo-

ideoque consuli debent; pro ut etiam scriptura tam novi quam veteris testamenti satis indicat, dum hanc curam delegat parentibus. Audi Apostolum: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit.* 1. Cor. 7. Audi etiam Ecclesiasticum: *Filiastibi sunt? Serva corpus illarum, & non ostendas faciem hilarem ad illas. Trade filiam, & grande opus feceris, homini sensato da illam.* Eccl. 7. Attende id etiam exemplo Abrahæ, qui mox ubi Isaac nubilem attigit ætatem, mittit Eliezer fidelem domus suæ œconomum, ut illi despondeat uxorem. Et laudatur Isaac tanquam filius obediens, quod hanc totam curam defert Patri suo. Nihil disputat, quod è longinquo adducatur, cum non deesset, quam posset eligere è multis, quas suis lustrarat oculis. Non etiam ipse contendit proficisci, ut eligat; sed Patris directioni, & illius qui mittebatur, fidelitati se committit. Ideo tanquam obedientiæ exemplar illum proponit S. Ambrosius, laudans illud puellæ apud Euripidem responsum: *Sponsalium quidem meorum Pater curam habebit, hoc enim non est meum.* Gen. 24. Sic Catullus in Epithalamio alloquens puellam ut assentiatur voluntati parentum, lepidè dicit:

Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est.
Tertia pars Matri data, pars data tertia Patri.
Tertia sola tua est; noli pugnare duobus,
Qui genero sua iure simul cum dote dederunt.

Itaque invitis parentibus contrahere ordinarie est peccatum grave, ob iræ verentiam & injuriam patriæ potestatis. Sic graviter *Esau* offendit, & contristavit parentes, sine eorum assensu duas ducens uxores. Sic ut plurimum infeliciter solet cedere inobedientibus hac in re, in pœnam peccati. Aliud est cum quis religionem ingreditur; quia tunc non tam cum parentibus, qui obicem solent injicere, quam cum Deo consulendum est. Si vocat Oriens, non attendas ad Occidentem; si lux affulget, ne respice tenebras; si cælum vocat, ne respice terram. Si vocat magni consilii Angelus, noli aliena consilia præstolari: *Sine mortuos sepelire mortuos suos, tu vias vitæ ingredere.* Solum pietatis genus est in hac re esse crudelem. Sufficit, vero ad conjugium, parentum interpretativus consensus. Sic *Tobias* absens ducit uxorē *& Iacob* peregrinus apud *Laban.* Licet vero non adesset consensus parentum, ratum tamen est matrimonium, ut definit *Trid. ſſ 24 c.1.* quia jure naturæ illorum consensus sufficit, quorū est onera matrimonii ferre; hoc autem non est parentum, sed conjugum. Et licet peccent contra obedientiam, de sua tamen re disponunt. Gravissimè etiam peccant parentes, qui metu, minis, verberibus adigunt proles adconnubia sibi placita, proli-bus parum grata: quia magna opus est libertate, cum de status agitur electione, & de vinculo insolubili, ad cujus onera ferenda spōtaneo opus est amore. Certè non tā uxor quam hostis dicenda est quæ invita nuptui datur. Importuna parentū volūtas & potestas cum exosis maritis filias colligans, innumera solet mala parturire, per quam etiam nōnumquam contingit, ut matrimonia polluantur adulterinis amoribus; imò venificia inde originem duxisse novimus, quibus viri ab uxoribus sunt interempti. Utinam ergo non abutantur hac in re parentes patria potestate, liberos morosè premendo, & opprimendo, in periculum salutis æternæ.

Qualis parentū consensus requiratur ad matrimonium.

PARS II.

Quinuptiarum sponsus fuerit.

CUum autem sponsus cōsanguineus fuerit matri Jesu, ideo quæstio est quisnam is fuerit? Certe Joannem Evangelistam fuisse Spō sum olim communis fuit opinio sanctorum Interpretū. Unde Beda explicans illud, *Dixit Iesus Petro, sequere me*, sic ait: *Tradunt historia quod Ioannem de nuptiis volentem uxorem ducere, vocaverit Christus: & propterea quem à carnali voluptate retraxerat, potiori amoris sui dulcedine donavit.* Idem dicit Rupertus l. 2. in Ioan. & asserit quod omnium fere sit opinio. Unde eam sequitur S. Thomas 22. qu. 166. a. 4. & multi ejus discipuli, aliique Theologi.

1 *Opinio Sotus in 4. d. 27. q. 11. a 4. Cajet. Io. 1. Ioa. Maior, Ludolphus, Ekius. Chartusianus, S. Antonin. S. Bon in vit Christi Lyran. Matt. 4. Marc. 1.*

Sed dies, Christus ideo nuptiis interfuit, ut matrimonium approbaret; quod si matrimonium jam ratum dissolvisset, reprobare potius illud videretur, quam approbare. Deinde hoc virginitati Joannis non videtur congruere, quod uxorem duxerit. Denique Ioannes statim Christum tunc secutus fuisset; id verò postea legitur seciſſe, cum vocatus est cum fratre Iacobo ex mari Tiberiadis, ubi reficiebant retia. Respondeti potest, Ioannem bis vocatum, semel è nuptiis postea à navicula, sic & aliqui ex Apostolis bis vocati fuere. Virginitate autē Joannis conjugium non detrahit, quia illam & ante & post nuptias servavit. Christus verò Ioannem si ex nuptiis vocavit, nō propterea matrimonium reprobavit; sed illud sua præsentia voluit approbare & simul virginitatem esse præstantiorem edocere. Unde factum putant quidam, quod jure Pontificio decernitur, ut post matrimonium ratum ante consummationem, religionem possint ingredi conjuges, aut mutuo consensu virginitatem colere & vovere.

Cōjuges Matrimonio nondum consummato, virginitatē vovere possunt. Isai. 62.

Hujus rei non desunt præclara exempla in Ecclesia nova. Deo spiritum gratiæ & castitatis conjugibus suggerente, antequam virginitas dispendium pareretur. Et hanc aliqui thoro, non tamen cohabitatione, separati integram conservarunt, quasi in igne illæsi, verè Eunuchi Evangelici, ob regnum cœlorum se castrātes. De hac re interpretātur quidam Prophetiam Isaiæ: Ecclesiam sub nomine Sion alloquentis: *Non vocaberis ultrà derelicta aut desolata sed vocaberis, voluntas mea in ea. Habitabit enim juvenis cum virgine, & habitabunt filii tui in te.* Vis videre quomodo habitabit juvenis cum virgine? Utique habitabit spōsus incorruptus *Ioseph cū Maria, Valerianus cum Cæcilia, Elzearius cū Delphina, Henricus cum Cunegunde. Iulianus cum Basilissa.* Audi particularius (omissis cæteris) præclaram resolutionem Iuliani, & Basilissæ conjugum. Urgebatur Iulianus à parentibus, ut uxorem duceret, tum ut familiam conservaret, tum ut adolescentiæ

tiæ lapsus evaderet. At Deo se virginitatemque dum commendat, movetur ab Angelo acquiescere parentum voluntati, nacturum autem se uxorem, quæ virgo permaneret. Peragitur ergo festivitas nuptialis; in thalamum cum sponsa introducitur. At mox rosarum & liliorum odor, hyems licet foret, locum perfundit. Miratur sponsa, & inquirit unde tanta fragrantia? Respondit Julianus, esse odorem munditiæ virginalis, hortaturque ut florem hunc Deo gratissimum velit servare secum illibatum. Illa cœlesti capta suavitate, sponso consentit. Cùm ergo castitatem vovissent, subitò cubiculum lux perfundit: Hinc Christus cum Sanctorum choro; hinc MARIA cum Virginibus. Ortus deinde cantus ex parte Sanctorum: *Vicisti Iuliane, vicisti*: ex choro quinque Virginum; *Beata es Basilissa, Beata, salutaribus consentiens monitu.* Datusque est liber Juliano, in quo aureis litteris scriptũ erat: *Iulianus qui pro meo amore mundum contempsit, deputetur in numero eorum, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Basilissa in numero Virginum, quarum* MARIA *tenet principatum.* Responderuntque Chori: *Amen, Amen.* Tunc Angeli duo duas Coronas afferentes eis dexteras junxerunt, & in proposito confirmarunt. Sic reliquum noctis in laude transigentes, cœperunt spiritu, non carne fructificare. Nec dinumerari possunt animæ quæ per Julianum præmittebantur ad Dominum, nec agmina Virginum, quæ per Basilissam præmittebantur in cœlum. Sic multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum, ut vaticinatus est Isaias. Ita in vita eorum apud Surium.

Surius 9. Ioan.

2. Opinio.

Alii dixerunt Sponsum in his nuptiis fuisse Simonem Chananæum, Apostolum. Ita Nicephorus l. 8. c. 20. dicitque quod Helena Imperatrix illam domum ubi nuptiæ hæ Simonis fuerunt celebratæ in sacram ædem & templum erexerit. Favet huic opinioni nomen Chananæi, fuit enim ex Cana oppido oriundus. Advertunt quoque sacri Interpretes, nomen istud. *Cana*, significare zelum & amorem, & his nuptiis Christum interesse, ubi amor est perfectus secundùm Deum inter conjuges. Neque sine illo amore possunt onera conjugii rectè tolerari; per illum autem amorem onus sit leve, & jugum suave. Cùm ostium perstrepit in cardine, aut tota in horologio, aliquid olei adjicitur, ut faciliùs volvatur. Sic in matrimonio multus sæpe est strepitus, nisi oleum amoris accesserit, ut rota major & minor debitam suam teneat revolutionem, hoc est, ut vir & uxor debitum officium cum suavitate exequantur. Unde sæpe sacræ litteræ ad hanc dilectionem conjuges hortantur: *In tribus placitum est spiritu meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè sibi consentientes.* Hinc consensum & amorem indicatum fuisse in ipsa mulieris e viro formatione tradunt communiter SS. Patres; ideo enim formata est de latere & costa cordi proxima, ut cordatè diligeretur tanquam collateralis & socia. Non est de pedibus formata, ne conculcetur ut inferior & serva: non de capite, ne dominium sibi usurparet ambitiosa: non de oculis, ne nimis foret curiosa: non de renibus, ne carnalis nimium foret & lubrica: non de brachiis, ne audax nimium fieret & factiosa. Costa vero ista sub brachio viri extracta est, ut significaretur sub manu mariti esse, & sub ejus directione. Itaque felix matrimonium solet esse, quod in Cana celebratur, quod amore secundùm Deum initur: imitarique debet matrimonium quodlibet Christi & Ecclesiæ conjugium, quod in amore sincero & puro fuit fundatum; ideoque tamquam exemplar perfectum illud omnibus proponit Apostolus imitandum: *Viri diligite uxores sicut Christus Ecclesiam.* Certè matrimonium Christi & Ecclesiæ in Cana Galilææ rectè deractum dixeris, hoc est in zelo transmigrationis: quia Christus repudiata Synagoga, per zelum ad Ecclesiam transiit, & illi indissolubili vinculo conjungi voluit.

Similo.

Conjuges sese mutuo ament.

Eccl. 25.

Ephes. 5.

PARS III.

Petitionẽ M. V. & responsum Christi explicat.

Petitionis bona qualitates.

RElictat ut aliquid dicamus de Virginis petitione, & Christi responso. Itaque Virgo Deipara pro sua charitate erga desponsatos sibi consanguineos, ut præveniat confusionem, paupertati eorum compatiens, rogat filium, ut vini dignetur defectum supplere; & paucis quidem verbis rogat: *vinum non habent.* Petitio certè simplex, benigna, efficax, plena fidei & spei, ac resignationis. Sciebat se cum Omnipotente & Omnisciente loqui: ideoque non opus sibi esse verbis multis. Sic Martha & Magdalena orabant Dominum. *Domine, ecce quem amas, infirmatur.* Neutrobique aperta petitio est, sed solùm insinuatio necessitatis, cum fide magnæ de potentia, & spe de voluntate juvandi agnita in illo qui invocatus non deserit, relinquendo ejus sapientiæ & voluntati modum, & negotium totum auxilii petiti. Et certè cùm Christus, ex eo tempore quo carnem assumpsit, pareatibus non solum honorem, sed & quandam in se potestatem concesserit; *Descendit Nazareth, & erat subditus illis*; non potuit non concipere virgo magnam fiduciam id imperandi, cujus pietate impellente justam habebat causam rogandi. Attamen paulò austerius responsum videtur illi dare filius: *Quid mihi & tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Qualis est Domine Jesu hæc ad tam benignam petitionem responsio? Numquid jubes honorari Patrem & Matrem? Quomodo igitur adeo asperè illi potes respondere? An non confusionem vereris talibus ei verbis inducere? An fortè ipsa te in aliquo offendit? Deinde quomodo dicere potes nihil tibi cum illa commune? Numquid tu es fructus ventris ejus? Numquid salva virginitate te concepit, sine dolore peperit, novem mensibus portavit, uberib⁹ diu lactavit, in Ægyptum deportavit, & magna cum lassitudine reduxit? Denique nonne omne obsequium amoris materni tibi in eam usque ætatem irreprehensibiliter exhibuit? Magna ergo tibi communio cum illa, carnis & sanguinis, magna amoris, cordis,

Christus cur matri durè respondeat.

cordis, spiritus. Et quia fecisti illi magna infans conceptus in illa, infans natus ex illa: numquid facies magna propter illam, quia potens es, & jam tua non debet in virili ætate latere potentia? Quid ergo sibi vult responsum istud. *Quid mihi & tibi mulier?*

Actiones Christi triplices.

Hoc ut intelligamus, advertendum est triplices à Theologis in Christo actiones distingui, divinas, humanas, Theandricas, sive Homnis Dei. In divinis & theandricis solitus est Christus ad nostram institutionem, parentum respectum evitare, Sic

Luc. 2.

cum duodecim foret annorum respondet: *Cur me quærebatis? Nesciebatis quod in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Sic Judæis dicentibus; *Ecce mater tua & fratres tui quærunt loqui tibi*, Respondet

Matt. 12.

Quæ est mater mea, & qui fratres mei? Qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ille meus frater & soror & mater est. Sic mulieri inclamanti;

Luc. 11.

Beatus venter qui te portavit; Respondet: *Quinimo, Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Sic & hic: *Quid mihi & tibi mulier?* *Nondum venit hora mea.* Significat ergo potestatem faciendi miracula non se accepisse a matre, & in auspicando redemptionis officio non esse se sub materna potestate; Atque opera Dei non esse metienda ex motivis, & respectibus humanis, sed ex divina pendere providentia & bonitate. Licet ergo in speciem durior videatur responsio, & quasi matris reprehensio; non est tamen nisi nostra instructio. Atque in verbis non tam attendendum est quid sonent, quam quo vultu, & quomodo proferantur. Hæc autem à Christo vultu sedato, qualem sempet habuit in matrem, esse pronunciata non ambigimus; quam vis auctoritativè dicta fuerint, ut significaret rebus in divinis parentes nihil habere auctoritatis; quod ipsum scire conveniebat, tum Apostolos suos, tum alios præsentes. Unde & hoc responso dedit matri occasionem exercendi & ostendendi excellentissimas virtutes in se latentes, humilitatem, confidentiã, patientiam, resignationem animi. Quapropter nec turbata fuit, nec replicavit, nec fiduciam perdidit; quinimò majorem in spem erecta mox ait ministris: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Si eam repulisse, aut miraculum denegasse censendus erat, cum dixit: *Quid mihi aut tibi mulier? Nondum venit hora mea*: cur ministros monet ut quidquid jusserit, exequantur. Rectè utique intellexit filij sui hæc pronunciantis & verba & animum, quo illa proferebat: nec propter seipsam, sed propter alios hæc elocutum. Unde & mox ob petitionem matris miraculum fecit, non tamen ob respectum carnis & sanguinis, sed propter respectum pietatis & caritatis Eleganter ergo S. Justinus

Iustinus quæst. 36. Gaudent. re honoravit.

dicit: *Christus matrem verbo non objurgavit, quam* Et S Gaudent. *Numquam Virgo mandaret ministru. Quæcunque dixerit vobis facite, nisi Spiritu sancto post partum divinum plena, non solum responsionis Christi virtutem cognovisset, verum etiam futurâ ab eo tunc ex aqua vini ordinem universum cognovisset. Quid enim lateret sapientia matrem, Dei capacem.*

Quæ fuerit hora Christi.

Sed quid sibi vult quod dicit Christus: *Nondum venit hora mea?* Sancti Patres varie id interpretantur. Etenim quia frequenter Christus horam suam vocat tempus suæ Passionis. Joan. 13. *Sciens quia venit hora ejus*, & 17 *Pater venit hora.* & 7. *Nondum venerat hora ejus*: hinc aliqui ex illis putant hic agi de tempore passionis. Ita S. Aug. tract. 8. in Joann. *Quod de me facit miraculum non tu genuisti, sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te cognoscam cum infirmitas mea pendebit in cruce cujus tu mater es.* Idem ergo est secundum Aug. ac si diceret Christus Mariæ: Nondum venit hora quâ in Cruce pendebo; tunc te Matrem agnoscam, quoniam secundum humanitatem, quam à te accepi, moriar; at modò miraculum peracturus sum secundum divinitatem, secundum quam nonnisi cœlestem agnosco Patrem. Favent huic interpretationi & alij ex sanctis Patribus.

Greg. l. 8. epist. 42. Beda in Ioan. Athanas. Apol de fug. sua.

Aliter S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & alij; *Nondum venit hora mea*, id est, Nondum sum cognitus à præsentibus, neq; adhuc sciũt defectum vini Sine eos hoc primò intelligere; non tam a te quam ab illis oporteret me rogari. Sentiant ergo hi defectum, ut tanto grandius agnoscant beneficium, & tanto clarius manifestetur gloria mea, & gloria Patris mei.

Iren. l. 3. cont. har. c. 18.

Denique S. Irenæus interpretatur; *Nondum venit hora mea*, hora scilicet edendi miraculi à Patre præcognita. Utique à Filio perfecta fuere omnia, illo ordine, tempore, horâ, quâ Pater præcognovit. Unde dicit: *Ego non ascendam ad diem festum istum quia meum tempus nondum impletum est.* Impletum est autem paulò post; nam ad eam festivitatem paulò post ascendit. Sic hic, qui horam suam venisse negabat, mox fecit quod ante differebat; quia à Patre præordinatum erat hoc miraculum patrandum, si Matris preces id postularent, certum tamen instans horæ huic erat beneficio prædecretum.

Ioann. 7.

Gratiæ divinæ certæ horæ constitutæ. Eccl. 19. Luc. 19. 1. Reg. 13.

Sic nimirum omni gratiæ divinæ tempus certum & hora est constituta. *Non defraudetur à die bona, & particula boni diei non te præteream*, inquit Sapiens. Flebat super Jerusalem Christus dicens: *Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die quæ ad pacem tibi.* Unde Samuel Sauli ait: *Nisi hoc fecisses, præparasset Deus regnum tuum in æternum.* Sic frequenter ex una hora pendet æternitas pœnæ vel æternitas gloriæ. *Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te.* Hanc veram horam vocat Deus suam, qua solet benefacere & misereri: est est enim propria ejus hora, cum ei sit proprium benefacere & misereri. Unde quia origo omnium beneficiorum futura erat ejus passio, ideo frequenter vocatur hora ejus, ut suprà diximus. Necdum ergo venerat hora beneficentiæ hujus à Christo exhibendæ, & gloriæ suæ per miracula manifestandæ, quamvis omnino in proximo esset. Unde jussit

illa adventare hydrias sex impleri aqua per ministros, ut tanto notius foret miraculum & certius; cujus hi qui aquam hauserant testes forent oculati, dum vinum cernunt & gustant præstantius quam natura produxerit. Cujus etiam miraculi testē voluit habere Architriclinum, sive convivij præfectū, ad quem jubet perferri vinum, ut gustet, & judicium ferat. Sic horā à Deo præordinatā, gratiam sponsis exhibet, gloriamque suam manifestat omnibus convivis, & maxim è discipulis: qui exinde firmius in eum crediderunt; firmiusq; ei adhæserunt; dum potestatis suæ rudimenta ab aqua auspicari eum cernunt adeo admirabili signo, quod primum inter omnia ejus signa fuit. Expectavit exinde maximo cum desiderio alteram illam horam à Patre decretam, qua sublimiorem gratiam, & potestatis suæ complementum, postremumq; signum erat exhibiturus coram omnibus discipulis in cōvivio postremo. Quando scilicet vinum & aquam, à quibus miracula inchoarat, in suum corpus & sanguinem longè admirabilius erat transmutaturus, & eandem potestatem in signum extremi amoris discipulis suis, ac eorum successoribus in finem usq; sæculi communicaturus. Unde *S. Cyrillus Ieros. cat. ech.* 4 sic de utraq; conversione ait, postremam conferens cum prima, & fidem utriusq; adstruens: *Qui aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ sola voluntate non erit is dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutarit? Si invitatus ad corporeas nuptias, stupendum miraculum operatus est non multo magu corpus & sanguinem suum filiis sponsi dedisse confitebimur?*

Expectabat & Christus toto cordis anhelitu horam illam; qua ipse botrus Cypri ad torcular erat portandus, ut vinum illud pretiosū exprimeretur, de quo Propheta prædixerat: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.* Hoc in cruce fieri debebat, ubi lavit humanitatem suam tanquam stolam & Ecclesiam suam tanquam palliū, in sanguine uvæ mysticæ, in pretioso suo cruore. De qua hora dixerat manifestans desideriū suū: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur in me.* Deniq; expectabat desideratissimè illam horam, quā vinum Spiritus S. & perfectissimi amoris mustum cordibus discipulorum erat infusurus, tota aqua conversationis terrenæ & carnalis transmutata in cælestem liquorem gratiæ & caritatis ferventissimæ, de vasis in vasa ebullientis, de cordibus Apostolorum in corda fidelium.

Gen. 49.

Luc. 12.

O Domine Jesu, coram te inopiam, & indigentiam nostram agnoscimus: Deficit nobis vinum, vinum gratiæ & pietatis, vinū perfecti amoris; & ideo confusione pleni sumus coram te, coram discipulis tuis, coram ministris & Angelis tuis. Aqua sola in hydris cordis nostri reperitur, aqua salsa & amara, aqua putrida, de cisternis dissipatis, de stagno concupiscentiæ limoso hausta, quæ animæ sitim non extinguit, sed alterationem continuam parit. Hora tua est, Domine, tempus tuum, tempus dignationis tuæ & beneficentiæ; ostende potestatem tuam, & benignitatem, aquam evacua, vel in vinum converte. ostende in nobis gratiam, ostende gloriam tuam, vero pietatis & amoris musto, cæleſtiq; liquore corda nostra adimplendo. Hoc à te precatur pro nobis Maria, Mater tua, Mediatrix nostra, nostræ compatiens paupertati & miseriæ. Hoc rogant discipuli tui & Apostoli, vini illius necessitatem & suavitatem scientes. Hoc expectant Angeli ministri tui, ferventissime optantes ut cælestis vini hic à te reddamur participes, & postmodū illius plenitudine in æternitatis epulo jugiter cūm ipsis perfruamur.

DOMINICA III. POST EPIPH.

Domine si vis potes me mundare. Matt. 8.

PARS I. *De Lepra in genere & ejus diversitate.*

LEpra frequens fuit inter Judæos, vel ex vitio quodam naturæ, vel immissā à Deo nonnunquam in punitionem culpæ. *Primo* ex vitio naturæ frequens fuit, quia sicut in generali diversa climata & regiones diversis qualitatibus, complexionibus, morbis sunt obnoxiæ, sic in particulari Judæa videtur habuisse dispositiones ad hunc morburn. Hinc tot leges de Leprosis in Levitico, ubi & de multiplici genere lepræ fit mentio. Et Dominus: *Multi Leprosi in Israel sub Eliseo Propheta, & non est mundatus nisi Naaman Syrus.* Quapropter Historici tradunt hanc fuisse causam cur tempore belli sacri tot Germani, Galli, Belgæ ex Judæa in patrium solum revertentes, lepram secum retulerint; ita ut oportuerit erigi varias domus leprosorias modo adhuc extantes, sed sine leprosis, quia aër patrius non ita dispositus fuit ad ingenerandā, vel fovendam lepram in Belgio, aut Gallia sicut in Judæa.

Cur multi viderit habuisse dispositiones ad hunc morburn.

In Israel. Levit. 13. & 14.

Luc. 4.

Secundo etiam crebrò immissa fuit lepra in punitionem peccati, ita ut non tam foret morbus naturalis, quam plaga divina. *Observa diligenter, ne incurras plagam lepræ. sed facies quæcumq; docuerint te Sacerdotes Levitici generis juxta id quod præcepi eis.* Ex quo colligè inobedientiam erga Sacerdotes solitam puniri lepra; sicut & gravia peccata simili pœnā mulctata legimus. Multa ea de re in veteri testamento sunt exempla

Deut. 24.

1. *Maria* soror *Moysis* murmurans contra Moysen lepra percutitur, à qua nonnisi ejus precibus liberatur. *Ex Maria teterrima lepra decemur, quam detestabile vitium sit obtrectatio. Corpus quod lepra infectum cernebatur, velut speculum animæ fuit, quæ non perspiciebatur, cujus indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patuit quomodo detractoris corrūpatur animus,* inquit S. Ephrem agens de morbo linguæ.

Num. 12.

2. *Ozias Rex* usurpans sacerdotium, dum vultq; dolere incensum, lepra percutitur. *Iratus Ozias* 2. Par. 26

tenens

tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum. minabatur Sacerdotibus, statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis. Et festinato Sacerdotes expulerunt eum, fugitque leprosus usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separata plenus lepra. Ita ibi.

3. Giezi quia acceperat vestes & dona à Naaman sanato, idque contra præceptum Eliæi, ideo dicitur ei: *Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum.* 4. Reg. 5.

4. *David* imprecatur lepram *Ioab*, & semini ejus, qui insidiosè occiderat Abner. *Veniat super caput Ioab, & super omnem domum Patris ejus sanguis Abner, & non deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane.* Ubi pro tenens fusum, quod nobis significaret idē quod egemus, vili ac muliebri opificio vitam sustentans, alii legunt ex Hebræo, *tenens scipionem*, ob corporis scilicet infirmitatem, vel quasi cæcus pertentans scipione viam. 2. Reg. 3.

Sicut porro olim tempore Prophetarum multi fuere leprosi, sic & tempore Christi non defuere. Unde remittens discipulos Joannis inter cætera eis dicit: *Renunciate Ioanni, Leprosi mundantur.* Hoc nempe officium fuit Messiæ, lepram quæ præcipuum inter corporeas infirmitates locum tenet, sanare, & sub symbolo illius spiritualem animæ lepram fugare. Sic occurrunt ei decem leprosi clamantes: Jesu *Præceptor miserere nostri*, quos remittit ad Sacerdotes, & dum irent mundati sunt. Et hodiernum Evangelium facit mentionem leprosi specialiter curati à Domino ob magnam fidem & pietatem. Sic habet textus. Luc. 17.

Christus tur in monte docet.

Cum descendisset de monte, Ecce leprosus veniens, &c. In interiorem montis partem ascenderat, quasi in suggestum, ut facilius videretur & audiretur à circumstantibus; proximè autem cingebant eum discipuli, & ad radices montis multitudo consistebat. Ibi Beatitudines docuit, & alia multa, & partē eorum videtur reperisse in loco campestri post descensum, ut significare videtur S. Lucas. Hunc vero montem fuisse Thabor putat S. Hieronym. & Bonaventura, & alii. Adricomius autem & Bozchardus dicunt alium fuisse montem tribus milliaribus à Capharnaum distantem, in quo solitus sit Christus & orare & prædicare, dicuntque adhuc ostendi lapidem in quo Christus sedit docens. Sic scil. consueverat in montibus prædicare, orare, mysteriaq; alia peragere, ut sublimitatem doctrinæ, orationis, mysteriorum suorum insinuaret. Ob quam etiam causam olim montes varijs mysteriis honorarat, jubens immolari *Isaac* in monte, dans *Moysi* legem in monte, *Eliam* specialiter alloquens in mōte, &c. Descendens itaque de monte, voluit doctrinam quam tradiderat, miraculo evidenti confirmare; nam & propterea ei miraculorum data est potestas, ut illa servirent tamquam sigilla doctrinæ à Patre acceptæ: sicque nō solum verbo, sed & opere plebem docens, eam ad fidem attraheret. Neque enim minus docent opera Christi, quam sermo: linguam habent opera ejus, & factum omne Verbi verbum est. Propterea oportunè ei occurrit Leprosus insignis, sive ut exprimit S. Lucas: *Ecce vir plenus lepra*: ubi etiam emphasim habet illa vox, *Ecce*, sicut cùm de Magdalena dicitur: *Ecce mulier in civitate peccatrix* aut de Magis: *Ecce Magi ab Oriente venerunt.* Occurrit autem erin civitate, ut indicat S. Lucas, licet enim leprosi non possent inhabitare civitates, poterant tamen perfrustrare vias publicas, vel ut aliqui volunt, occurrit in agro suburbano civitatis juxta Capharnaum. Quia mos etiam loquendi patitur, ut dicatur factum in civitate, quod juxta illam factum est. Sic secundum lectionem Hebræam dicitur *Iosue* luctatus cum Angelo in Jericho, secundum nostram lectionem dicitur in agro Iericho, ut observant quidam Interpretes. Sed ubicumque occurrerit hic Leprosus, māgna sese gessit reverentia & pietate, magnaque fide. Vis videre pietatem cum reverentia conjunctam? Audi S. Matthæum: *Ecce Leprosus veniens adorabat eum.* Audi & S. Marcum: *Deprecabatur eum genu flexo.* Audi denique S. Lucam, *Procidit in faciem suam.* Sic mirum non solum exhibet Christo cultum; sed etiam externum, in genua & faciem humiliter prostratus. Unde hic consideratione & rememoratione dignum est id (quod signanter notant SS. Evangelistæ) quoscūq; ad Christum accedentes beneficiū aliquod poscendo, vel jam acceptum cōfitendo, ad fecisse adorando, & ad pedes ejus cadēdo. Luc. 17. *Iosue 5. Tostatus & alii. Pietas leprosi. Prostrato corpore Christus adorandus est.*

1. Dum S. Matthæus mentionem facit Principis pro filia sua defuncta Christum interpellantis, dicit: *Accedens adorabat eum* S. Marcus de eodem dicit: *Procidit ad pedes ejus, & deprecabatur eum multum.* *Matt. 9. Marc. 5.*

2. Mulier Chananæa veniens ad Christum *adoravit eum dicens: Domine adjuva me.* Sic S. Marcus dicit de muliere Syrophenissa, cujus filia habebat spiritum immundum. *Intravit & procidit ad pedes Christi.* *Matt. 15. Marc. 7.*

3. Mulier fluxum sanguinis patiens postquam sanitatem percepit, *cecidit ante pedes Christi*, confessa acceptum beneficium. Quod idem & de Maria pro Lazaro defuncto rogante dicitur. *Luc. 8. Ioan. 11.*

4. De leproso Samaritano à Christo sanato dicit S. Lucas: *Cecidit in faciem ante pedes ejus gratias agens.* *Luc. 17.*

Quod ille fecit percepta jam sanitate, noster leprosus fecit dum precaretur sanitatem. Quod si in toties contigit Christo adhuc in carne mortali agenti, ut adoraretur adeo humili prostratione, quanto magis id nobis faciendum est, dum obsecrantes accedimus ad eum jam glorificatum? Quicquid ergo obgannirant hæretici, adorādus est Christus, sive in cœlo, sive in sacramento, non solum interius animo & mente, sed etiam exterius prostrato corpore; quia non solum animi & mentis sed etiā totius auctor est corporis. Quapropter per externum cultum internum declaramus, totos secundum

Orandū cultu interno & externo.

dum animam & corpus nos Deo ſubſternentes & offerentes. Itaque dum lachrymas fundimus, interiorem dolorem teſtamur: dum in terra jacemus humilitatem profitemur: dum manus complicam⁹ & genua flectimus, reos nos agnoſcimus; dum pectus tundimus, fatemur à corde noſtro prodire originem mali omnis. Similibus externis ſignis corporis, veri fideles internam ſpiritus diſpoſitionem vel ſignificant, vel quoad inſe eſt, excitant. Hoc nos Sancti docuerunt, docuit & Chriſtus in horto orās proſtratus. *Si proſtratus in terra orat medicus, quare non inclinetur agrotus?* inquit S. Cæſarius Arelatenſis hom. 29. Chriſtum imitari nos docet Apoſtolus:

Epheſ. 3. *Flecto genua ad Patrem à quo omnis paternitas in*

Pſal. 94. *cœlo & terra nominatur, &c.* Docuerat idipſum prius Propheta & Rex David; *Venite adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino:*

3. Reg. 18. fecit & ipſe id cum oraret pro parvulo ſuo ex Ber-

2. Reg. 12. ſabee nato, *jacens ſuper terram.* Docuerat idem & Elias ſuo exemplo qui orans poſuit faciem inter genua ſua. Primò procubuit in genua; deìde demiſit caput ſuum uſque in terram, in ſignum humillimæ & ferventiſſimæ orationis. Exemplo igitur horum omnium humiliemus nos in oratione: exemplo leproſi ac eorum qui à Chriſto beneficia poſtularunt, procidamus ad pedes Jeſu, non poterit nos repellere, ac petita denegare.

Cum Dionyſius Tyrannus ab Ariſtippo Philoſopho interpellatus preces pro amico non admitteret, Ariſtippus proſtratus amplecti cæpit pedes Regis, ſicq; impetravit quod poſtulabat. Interim dum quidam reprehenderet Ariſtippum quaſi abjectius hoc foret Philoſopho, reſpondit: *Non ego ſed Dionyſius in culpa eſt, quia habet aures in pedibus.* Non judicemus indignum nos ad pedes Chriſti ſupremi Regis abjicere, qui ſumus pulvis & cinis; quia coram illo rei ſumus. Habet & ipſe aures in pedib⁹ ut ſupplices exaudiat. Et certè omnium gentium obſervatione pedibus & genibus quædam ineſt religio: hæc ſupplices attingunt, ad hæc manus tendunt; hæc ut aras adorant, pedes & genua in poten-

4. Reg. 4. tibus miſericordiæ conſecrata agnoſcunt. Ideo & Sunamitis illa pro filio mortuo Eliſæum deprecatura, pedes Prophetæ vult tangere; nec ab illis vult ſeparari donec petitioni acquieſcat.

Fides Leproſi.

Domine ſi vis potes me mundare. Porrò ſicut leproſus in hac proſtratione magnam oſtendit pietatem & reverentiam; ſic & in verbis ſuis magnam omnino oſtendit fidem: *Domine ſi vis potes me mūdare.* Majeſtatem enim confitetur: dum Dominum vocat poteſtatem etiam eximiam agnoſcit; dū dicit, *Si vis potes.* Unde & hinc colligitur, quod non tantum ut hominem Chriſtum adorarit, ſed etiam ut Deum. Hoc verba ejus indicant, dum in ejus & voluntate ita ſanitatem eſſe agnoſcit, ut neminem neceſſe habeat interpellare, cum ſola volūtate poſ-

Eph. 13. ſit imperare. q. d. *In tua ditione Domine omnia ſunt poſita nec eſt qui tua poſſit reſiſtere voluntati.* Medicus non poteſt ſemper ægrum reſtituere, tu cœleſtis & ſupremus Medicus potes, cum volueris. Non etiam dicit. ſi oraveris potes, ſi tetigeris aut manum impoſueris, ſi verbo imperaveris. Sic nec quippiā horum neceſſe eſſe, ſed ſolum dicit: Si vis, a ſola id ſciens pendere ejus omnipotente voluntate. Solius Dei eſt poſſe quidquid vult. *Si Elias mortuum ſuſcitavit, ipſe rogavit. Si Eliſæus leproſum mundavit, valuit figura miſterij, non auctoritatis præcepti,* inquit S. Ambroſius, oſtendens differentiam inter Chriſtum & Prophetas in operandis miraculis: quā etiam agnoviſſe videtur hic leproſus: *Domine ſi vis potes me mundare.* Quaſi dicat, interprete Origine, *Domine, qui digne adorari, qui merito coleris, te ego Dominum adoro, ideoque te Dominum dico, per te enim omnia facta ſunt. Tu ergo Domine, ſi vis potes, voluntas enim tua opus eſt. Voluiſti ut hæc immūmundiſſima lepra ſuper me veniret; ſive propter mea peccata, ut correptus pœnitentiam agerem; ſive propter tuam providentiam, ut mirabiliter me mundans glorificareris: omnia prudenter facis, & ſalutem largiter tribuis. Sive ergo hanc lepram propter peccata portavi, dimittens culpas meas munda me; ſive propter providentiam tuam, me munda ut glorificeris. Voluntas tua opus eſt, quia & opera tua voluntati obediunt.* Si vis, potes.

Orig. in hunc loc.

Sed cur de voluntate dubitat? An de divina diffidit pietate? An non agnoſcit quod eum alloquatur cui proprium eſt miſereri, & parcere? Equidem Addit tamen: *Si vis?*

Leproſ. ſumma reſignatio.

Primo, quia veretur ne divinā ipſe ſit indignus miſericordia, & ideo totum negotium ſanitatis ejus ſanctiſſimæ committit diſpoſitioni & voluntati. Scit in ſe nulla eſſe merita, multa agnoſcit demerita; & ideo non audet Dominum abſolute pro ſanitate rogare. Unde S. Amb. *De voluntate Domini nō quaſi pietatis incredulus dubitavit, ſed quaſi iniquitatis ſuæ conſcius non præſumpſit. Religionis autem & fides plena confeſſi eſt quæ in voluntate Domini tribuit poteſtatem. Si vis potes me mundare, immundus ſum me ipſum mundare neſcio.* Non abſimiliter Magdalena & Martha ægrotante Lazaro, mittunt ad Chriſtum, & dicunt: *Ecce quem amas infirmatur.* Non rogant ut ſanet, ſed ægrum demonſtrant, ut quod voluerit, præſtet. Sic tres pueri Dan. 3. dicunt Regi: *Deus noſter quem colimus, o Rex poteſt nos eripere de camino ignis ardentis. Quod ſi noluerit, noveris quod ſtatuam tuam non adoramus.* Conformant ſe divinæ voluntati, ſive eripere voluerit ab igne, ſive non; interim certò fatentur ipſum ſola id poſſe voluntate.

Ambr. l. 5. in Lucam.

Dan. 3.

Secundo docemur, hic quomodo orare debeamus apud Dominum; cum temporalia beneficia poſtulamus. Cum enim certò non ſciamus hæc nobis expedire, ſub conditione petenda ſunt. Unde æger, licet graviſſime afflictus ſit, non dicat; *Sanitatem mihi Domine reſtitue*; ſed exemplo Leproſi dicat. *Domine ſi vis, potes me ſanare.* S. vis, id mihi bonum eſſe ſcies; ſi non vis, & id mihi etiam bonum erit, quia nihil vis niſi providentia tua ordinan-

Bona temporalia ſub conditione petenda.

mando in bonum. Sic quidam Anachoreta, de quo in vitis Patrum, in acerrima & prolixissima ægritudine numquam ausus fuit à Deo postulare sanitatem, vel aliquod levamen ægritudinis, sed his solum orare solitus erat verbis ? *Miserere mei Deus, sicut vis, sicut scis.* Nesciebat ipse quid sibi expediret, Deum scire noverat, atque etiam velle; ideoque ejus voluntati & scientiæ omnia committebat.

Refertur & ibidem de quodam sancto Patre, qui sexaginta annis leprosus in eremo egerat, Deo ei necessaria miraculosè providente, nec tamen sanitatem restituente, quia saluti ejus non expediebat. Quodam autem die cùm quis eum visitans, pecuniam offerret, quâ se sustentaret, indignabundè rejecit eam, & dixit: *Tu post sexaginta annos venis auferre nutritorem meum ? Ecce tanto tempore in infirmitate meâ nihil indigui, Deo tribuente, & pascente me.*

Habes & de alio leproso, cujus cùm carnes planè tabe defluerent acerrimis cum doloribus, nihilominus in spiritu exultabat, nec sanitatem postulabat : cujus rei cùm rationem quidam ab eo exposceret, responsum istud accepit: *Inter Dominum & me non mediat nisi paries de luto, hoc est corpus meum; quo confracto, & interstitio dissipato, ad ipsum me per venturum conscientiâ teste scio. Videns ergo quotidiè dissolvi hunc parietem, præ lætitia canto, ad Deum sine impedimento brevi perventurus.* Spec. exempl. vide In firmitas.

Itaque temporalia beneficia à Deo quandoque petenda non sunt, si non expediant; quandoque petenda sub conditione, sub beneplacito voluntatis ejus, si expedire nobis sciat Deus, Spiritualia bona, in quibus salus nostra consistit, non petimus sub conditione, quia semper expediunt: & si illa velimus, etiam volet nobis illa Deus impertiri. Imò conqueritur quod ea nolimus, sed quodammodo contemnamus, nec ex animo petamus, aut ad ea ut oportet, non adspiremus. Utique, *vult omnes homines salvos fieri*, ut dicit Apostolus; si nimirum & ipsi velint. Sic enim id interpretatur S. Ambrosius, dicens: *Si is qui est omnipotens dicitur velle omnes homines salvos fieri, cur non impletur voluntas ejus?* Respondet. *In hac locutione conditio latet, vult enim omnes salvos fieri, sed si accedant ad eum: Non enim vult ut nolentes salventur, sed vult illos salvari, si & ipsi velint.* Sic & S. Thomas Aquinas cùm à sorore interrogaretur: *Quomodo, ô frater, potero æternam salutem assequi?* respondit: *Poteris si volendo.* Insinuabat hoc brevi responso, in hominis voluntate rem esse positam, nec Dei voluntatem abesse, si hominis seria adsit voluntas. 1. Tim. 2.

PARS II. *Cur Christus sanet exo. dare.* *Dissenden-do manũ.*

SEd quàm sit etiam beneficus in donis temporalibus, si expediant, si etiam ut docet, ea petamus, ostendit hoc efficaci suo responso, *Volo Munsanet exo. dare.* dixerat Leprosus, *Si vis.* Respondet. *Volo.* Dixerat, *Potes me mundare:* respondet. *Mundare.* Dum *Volo*, indicium est ignotæ antea leproso divinæ voluntatis. Dum dicit, *Mundare*, præceptum est agnitæ ab eo potestatis. At verò quandoquidem sola voluntate agnoscitur posse curare, quare voluit tangere! Hujusce rei variæ apud Sanctos Patres rationes indicantur, aliquot breviter hic percurremus.

Prima ratio est, quia sic voluit docere omnem nostram salutem ab assumpta sua humanitate & carne vivifica procedere. Hæc est enim instrumentum divinitati conjunctum, per quod operari voluit opera omnia magnifica, quæ hominum salutem concernebant: Ideò *omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes*, Luc. 6. Et. *Quotquot tangebant eum, sanabantur à quacunque infirmitate.* Adhuc modò in Sacramentis virtus humanitatis Christi, & carnis ejus vivificæ quidam attactus, gratiam & salutem in nobis operatur. Et sicut hic Leprosus voluntate Christi per verbum & attactum operante, sanitatem est consecutus: sic nos in sacramentis per eandem voluntatem, per verbum Christi sacramentale, ac per manum extensam, & virtutem ejus nos attingentem, sanitatem à lepra animæ consequimur. Unde Sacerdos id indicans, & vices Christi agens, manum extendit, manum imponit, in sacramento pœnitentiæ, & alibi, ut manum Christi invisibiliter operantem & tangentem repræsentet. Nulla itaque circumstantia vacua est mysterio in hoc Christi facto: Quinimò varias hæreses hic prævenit & profligat, teste S. Ambr. *Volo, dicit Christus propter Photinum: Imperat, propter Arium: Tangit propter Manichæum.* Nempè tangendo ostendit humanitam, & carpit veritatem; imperando ostendit divinitatem. Rt. 1. Matth. 6

Secunda ratio; Quia sic voluit ostendere se legi non esse obnoxium, quæ prohibebat tangere leprosos, vel eum qui tangeret, habebat immundum. Dominus autem ostendit se ex contractu eorum non pollui, quandoquidem contactu suo illorum tollat immunditiam. Non ergo ipsum respiciebat lex; nec contrà legem, sed suprà legem operabatur. Non prohibebat lex tangere ad sanandum, sed erat prohibitus tactus, ne inficeretur sanus. Sic prohibebat lex tangere mortuum, alioqui immunditia contrahebatur & irregularitas legalis. Hanc tamen non contraxerunt Elias & Eliæus dum incubuerunt super puerum mortuum, quem suo attactu potuerunt reddere vivum. Rt. 2.

Tertia ratio. Quia sic voluit ostendere quod non horreat fœditatem & putredinem, lepramque nostram; si enim accedamus, & opem ejus imploremus, misertus mox extendit manum suam, sanat & amplectitur nos. Olim conquerebatur Leprosus Naaman de Elisæo, quod domo non egrederetur, & descenderet ad se, ut locum lepræ tangeret & curaret. Sic enim habes: *Putabam quod egrederetur ad me, & stans invocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu suâ locum lepræ & curaret me.* Absit hæc querela à nobis. Vidit Dominus lepram nostram; Rt. 3. 4. Reg. 5.

ſtram; & ut ſanitatem nobis redderet, deſcendit de monte cæleſti per Incarnationis myſterium, & ad nos venit, lepramq; tetigit, manus extendendo. Et cur putas tam ſtudioſè Evangeliſtæ meminerunt extenſionis manus dum de Leproſo agunt ſanato? An non ſufficeret dicere; *Tetigit eum*? An ſine manus extenſione attactus fieri poterat? Vtique cum emphaſi dixerunt; *Extendēs manum tetegit*, ut inſinuarent extenſione manuum in cruce lepram noſtram fugandam, & ſalvandos omnes credentes. Hæc eſt virtus manuum Chriſti non dedignantis lepram noſtram tangere & curare. Imò verò ut eā curaret, tamquam Leproſus voluit reputari. *Iſa.53.* *Nos putavimus eū quaſi Leproſum, & percuſſū à Deo, & humiliatum* Quare exiſtimatus eſt Leproſus? Quia quæcumque lex ordinabat antiquitus de Leproſis, quodam modo in Chriſto locum habent. 1. Le- *Leges leproſorum in Chriſto obſervatæ.* proſi caro viliſſima habebatur & abjectiſſima; quid Chriſto abjectius de quo dicitur: *Non erat ei aſpectus, neque decor*? Noviſſimus virorum habitus eſt. 2. Leproſus extra urbem pellebatur, quaſi indignus hominum conſortio: ita Chriſtus extra portam ejectus eſt cum improperio, Audi & Pſalmiſtā: *Amici mei & proximi mei adverſum me appropinquaverunt, & qui juxta me erāt, de longè ſteterūt* *Heb.13.* *Pſal.37.* Hebræa legunt: *Ex adverſo plagæ meæ*, & ſanctus Hieronymus vertit: *Quaſi contra lepram meam ſteterunt*. 3 Leproſus habebat veſtes diſſutas; ſic & Chriſtus carnem undique diſſutam, quæ erat veſtis divinitatis ejus: habuit & exteriores veſtes a militibus diſſutas, 4. ſi Leproſus habebat caput nudum; nudo & ipſe capite fuit ſpinis coronatus. *Iſa.53.* 5. ſi Leproſus habebat os veſte contectum: ſic de Chriſto legimus apud Prophetam: *Quia abſconditus vultus ejus: & non aperuit os ſuum*. An non ergo per omnia Leproſo ſimi is factus eſt, ut peccatorum noſtrorum fœtidam lepram tolleret & mundaret? Vtique ſuſcepit in ſe lepram, extendit manus pro ea ſananda, tetigit & fugavit, imò ſanguine ſuo eam emundavit. Et quotidie adhuc tangit & curat, ſanguinemque ſuum applicat, ſi modo accedamus cum fide ad eum, & dicamus: *Domine ſi vis potes me mundare.*

Mat. 8. *Quarta ratio*: Voluit tangere, ut doceret lepram corporis non eſſe abominandam, ſed ſolam animæ lepram. Inſinuat ergo leproſos & alias miſerabiles perſonas, turpi licet ægritudine deformes, non eſſe deſerendas, ſed illis miniſtrandum eſſe, quemque ferendam pro modulo & facultate noſtra. 6. Chriſtum imitati ſunt multi ſancti, tam viri, quam mulieres, eligentes miniſtrare leproſis, ut meritum victoriæ ſui ipſius conſequeretur, & charitatis præmium. Et quam ſibi id gratum foret, ſæpè Deus etiam miraculis oſtendit. Paucos ex illis hic propono, ut ad charitatem erga ægros nos accendant.

Surius 1. Ian. 1. In vita *S. Baſilii* legimus de quodam Anaſtaſio, qui cum uxore quadraginta annis ſervarat virginitatem, quod in Domo ſua Leproſum in conclavi clam aleret, & cum uxore ei miniſtraret: adeo verò plenus erat lepra, ut vox ei per eam adimeretur S. Baſilius noverat ſecretum illud Dei revelatione: ideoque veniens cubiculum volebat ingredi. Negabat ei Anaſtaſius ingreſſum, dicens locum non eſſe aptum; interim Baſilii verbo ſponte aperta eſt janua. Voluit vero Vir ſanctus unā nocte apud eum pernoctare, ſicque ejus oratione Leproſus ſanatus eſt.

Diverſi ſancti leproſis inſervientes. 2. *S. Elzearius Comes Ariani* valde miſericors erat erga leproſos, eorum lavabat pedes, oſculabatur, cibo, potu, eleemoſynis eos reficiebat. Abierat quodam die venatum cum multis è familia, illos vero omnes juſſit antecedere, milite ſolum uno cum tonſore retento. Cum his ad domicilium leproſorum divertit, ubi ſex horridā lepra percuſſi jacebant, eernebantur exeſa & abſumpta labia, ita ut dentes etiam paterent, & exciderent. Eos interim humaniſſimè ſalutans, ſalutis is ſimul adhortationes proponebat. Cumque omnes ſingulatim peramanter oſculatus eſſet, ecce repentè curantur omnes, domuſque ſuaviſſimo odore repleta eſt. Atque ipſe data eis eleemoſyna receſſit, ſed eo abeunte igneus quidam radius è capite ejus emergere viſus eſt, qui ſemper cum recedente longius tendebatur: attingenſque leproſorum domum, ſpatium omne quod inter illum & domum intererat, mira luce perfundebat. Nec prius diſparuit radius, quam ad ſuam familiam pertigiſſet. Leproſi porrò ab eo curati, relicto hoſpitali, inter ſanos habitarunt. Sic Chriſtus qui poteſtatem habuit leproſos ſanandi tangendo, ſuis electis eandem communicavit, ut ſanarent etiam oſculando. Ob meritum victoriæ quam de ſe ipſis referebant, cum natura horreat oſculum leproſorum, hoc eos favore dignatus eſt Dominus

Surius tom 5. in vita ejus.

3. Audi & aliud noſtro Evangelio conforme. Cum *S. Daniel Stylites Conſtantinopolim* proficiſceretur, quidam leproſus ad eum in via accedens emiſit vocem quam olim hic noſter leproſus ad Chriſtum: *Serve Dei, ſi vis, potes me mundare.* Hæc ſolum differentia fuit, quod iſte ſervum Dei vocabat, & rogabat ut curationem aſſequeretur; hic vero Filium Dei, quem etiam Dominum vocat. Reſpōdet S. Stylites. *Quid tibi vis, quod eo relicto qui poteſt curare, acceſſiſti hominem ſimilem tui poſtulans ab eo quæ ejus vires ſuperant? Si tamen credis non illū ſolum, ſed etiam ejus miniſtros poſſe hæc curare, erit quoque tibi per nos ſanatio.* Cum ille id conſiteretur & inſtaret, vir ſanctus fidei intuens fervorem, miſericordia motus ſignificavit his qui ſe ſequebantur, ut manus in cœlum tollerent, & Deum lacrymis placarent. Iubet mox ipſe ut in mari corpus lavet, (erat autem mari proximus,) & ſtatim rediit totus ſanus coram iis qui virum ſanctum comitabantur. Admirabantur hi gratiam, & Dei potentiam, glorificabantque cum non ſolum in ſe, ſed

Surius 13 Decemb. Baron. tom. 6. a. 476.

& in Sanctis suis admirabilem. Oculi omnium in hunc leprosum cum admiratione conversi erant, illius fidem collaudando. Atque ut hujus rei plures forent testes, in Dei templum venientes virum illum in suggestu statuunt, facientes sicut Zachæus: nam illi persuasit fides, ut ascenderet sycomorum, his similis persuasit fervor spiritus, ut in alto statueret hunc qui curatus fuerat.

4. Audi etiam quod de S. Francisco refert S. Bonaventura; Sub vitæ finem dicebat ipse: *Incipiamus fratres servire Deo nostro, quia usque nunc parum profecimus. Flagrabat desiderio magno ad humilitatu redire primordia, ut leprosis sicut à principio ministraret, corpusque jam præ labore collapsum revocaret ad pristinam servitutem.* Hæc S. Bonavent. cap. 14. vitæ ejus.

Irritatus eum fuit S. Ludovicus Episcop. Thol. Ord. Minorum, qui cum esset 18. Annorum, Barcælonæ omnes leprosos in die Jovis sancto congregans, eis lavit pedes, & cibos propria manu ministravit. Inter eos autem sublimis staturæ leprosus horribilis apparuit, qui omnibus nauseam horribili sua lepra movebat. At ipse diligentius hunc lavit, & toto prandio specialiter ei ministravit. Sequenti die cum hic leprosus requireretur, nusquam potuit reperiri. Unde existimatum est Christum hac figura ei apparuisse, & præsentia sua servum suum Ludovicum dignatum fuisse. Ribadeinera 19. Augusti.

5. Non etiam desunt mulieres leprosorum ministerio celebres. Inter has B. Maria Ogniacensis, quæ mira charitate leprosorum curam suscipiebat teste Jacobo Vitriaco l. 2. vitæ ejus. Item Radegundis Regina, quæ eis lavabat manus & ulcera, & postmodum eos osculabatur; & citò reficiebat, teste Fortunato l. 1. vitæ ejus cap. 9. Idem testatur S. Hieronymus de Fabiola Nobili Romana epist. 30. 30. ad oceanum. Idem & de Placilla Theodosii Imp. uxore refert Theodorerus l. 5. hist. c. 18.

PARS III. *Cur silentio impositio, ad Sacerdotes mittatur.*

CUr præceperit Christus nemini dicere, varias rationes adferunt sancti Patres.

Primo, S Chrysost. in Matth. Hom. 26 hanc rationem affert. *Mandavit leproso, & jussit nulli hac fateri, docens quam esset alienus ab aura gloriæ, & pompa jactantiæ. Et certè noverat quod ille non esset taciturus, & tamen quantum in ipso erat, facit ostentare quod fecerat.* Nempè in hoc nobis dare voluit exemplum, ut cum aliquid boni gerimus, quod ad possumus à mercede laudis humanæ abstineamus. *Sic opus sit in publico, ut intentio maneat in occulto, ut & de bono opere proximus præbeamus exemplum, & tamen per intentionem quæ soli Deo placere quærimus semper optemus secretum*, inquit S. Greg.

¶. 1.

S. Greg. hom. 11. in Evang.

Secundo, S. Hieronymus putat rationem fuisse cur dixerit leproso; *Nemini dixeris*, quia ipsamet sanitas corporis miraculum satis prædicat: nec opus erat verbis in miraculo manifesto. *Non erat necesse sermonem hac de re faceret; quandoquidem omnes sanum videbant, quem leprosum viderant.* Unde Victor Antioch. Marc. 1. huic accedens sententiæ ait. *Nemini dixeris, non indiges tua prædicatione, si enim morbus quo laborabat, me non prædicaverit. mūdities tua nulla erit.* Discere & nos hic possumus, quod potius opere quam ore dona nostra jactanda sint. Loquantur opera nostra de nobis, nostro sermone non est opus.

¶. 2.

Tertio, Auctor operis imp. sub nomine Chrysost. putat non fuisse præceptum ut nemini umquam diceret antequam se sacerdotibus sisteret; *ne fortè si ante alicui nuntiaret, de verbo in verbum audirent sacerdotes, & occasionem habentes lepræ, ob odium Christi expellerent eum de populo quasi leprosum, non recipientes mundum.* Sic ille. Sed videtur Christus huic leproso idem præcepisse quod cæcis duobus *Comminatus est eis Jesus dicens, Videte ne quis sciat.* Similiter præcepit parentibus post suscitatam Archisynagogi filiam ne alicui dicerent. Unde nec illi, nec hic prævaricatus est dicendo, quia satis intellexerunt illi sicut & hic leprosus, mentem Christi ad nostrum exemplum sic loquentis, nec tamen absolutè obligantis. Oportet nempè eum qui beneficium confert modestiæ causa præcipere silentium; eos verò in quos collatum est, illud propter gratitudinem prædicare.

¶. 3. *Matt. 9.*

Sed cur præcepit Christus, ut Sacerdoti se ostenderet leprosus? Dicamus *primo* id præcepisse ut lex servaretur: nam statuitur ut ad sacerdotem leprosus mundatus adducatur, offeratque munus suum. Mittit ergo eum, ut sit illis in testimonium, quod legem non dissolvat, sed adimpleat: quandoquidè à lepra virtute sua sanatum, etiam legis vult adimplere præceptum. Simulque vult eis innotescere hac via miraculum istud, ut in excusabiles reddantur, si illius doctrinam non reciperent, quam miraculis cernebant confirmatam. Ideoque & hæc leprosi missio fit in testimonium illis: in testimonium quidem salutis, si voluerint credere, quod si nolucrint, in testimonium damnationis & reprobationis.

Lepra sua cur missus ad Sacerdotes Levit. 14 ¶. 1.

Dicamus *secundo*, Christum misisse leprosum ad Sacerdotes, ut sacerdotio ipse reverentiam exhiberet, & à nobis exhibendam doceret. Christus enim veteris testamenti sacerdotibus semper honorem debitum haberi voluit, propter Deum Patrem suum, cujus ipsi erant ministri: ideoque cum peccata reprehenderet, numquam Sacerdotes sed Scribas & Pharisæos nominatim taxabat. Quod si sacerdotibus antiquis, quorum erat carnis lepram dijudicare, reverentiam voluit exhiberi: quanto magis sacerdotibus novæ legis, qui animæ lepram non solum judicare possunt, sed & perfectè mundare & tollere? In hujus rei significationem etiam aliquando pravis sacerdotibus concessit lepram corporis in aliis posse tollere, ut indicaret eorum potestatem erga lepram animæ.

Sacerdotes etiam pravi venerandi. ¶. 2.

Turrianus l. 2. de ordin. Hierarchiæ c. 24

Audi quod in vitis Patrum refertur; laicus quidam leprosus cum certò nosset Sacerdotem in crimine adulterii deprehensum : adiit tamen fidenter eum, cum postero die sacrificaret, ut ex manibus ejus sacram synaxim perciperet. Cumque eam percepisset, petiit ab eo instanter ut frontem lepra infectam cruce signaret. Mox verò ubi sacerdos id fecisset, lepra tamquam piscis squamma excidit, & restitutus est sanitati. Res profectò stupenda, & divini judicii plena. Etenim ne præberetur locus obtrectationi contra sacerdotes & sacerdotium, iste propter dignitatem honoratam sacerdotii, gratiæ fortitus est efficaciam, quia cum fide accesserat. Sciebat nimirum leprosus hic, etiam ad improbos sacerdotes leprosos à Domino missos fuisse, ad sacerdotium honorandum. Sciebat quod per improbos etiam soleat Deus operari. Ideo dicit Sanctus Chrysost. *Sacerdotem si despicis, non illum despicis, sed Deum qui illum ordinavit. Si per Asinam*, si per scelestum Balaam populi, causa Deus locutus est, *multo magis loquitur per sacerdotem plebi suæ gratia. Si per Judam operatus est, si per Caipham, si per Prophetas illos quibus dicturus est : Non novi vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quando magis per Sacerdotes sui vino ministerio famulantes operatur.*

Chrysost. hom. 2. in 2. ad Tim.

Idoctrina PP. nu. 7 de judicio, tempor.

Audi iterum ex vitis Patrum. Quidam Anachoreta sacellum in loco solitario habebat, ad quod è vico vicino Sacerdos solebat in die Dominica ad celebrandum venire, de cujus manu sacram Eucharistiam percipiebat. Cum autem à quodam inaudisset hic solitarius dictum Presbyterum pravæ esse conversationis, noluit ultra eum admittere ad celebrandum, nec de ejus manu sacram synaxim percipere. Quodam autem die cum in contemplatione esset, audivit vocem : *Tulerunt homines judicium meum.* Et mox factus in extasi, videre sibi visus est puteum aquæ limpidæ, rotâ & hydriâ aurea, aureoque fune instructum ad hauriendum. Advenit autem leprosus quidam & hausit aquam limpidissimam. Tunc vox insonuit : *Accede & bibe, sitimque extingue.* At ille hærebat, & horrebat; eo quod aquam à Leproso hausturn viderat. Et ecce iterum vox eum increpans, *Quid moraris, quid vereris? Aqua optima est, viva & salubernma; Leprosus si hausit, haud eam tetigit, haud infecit, bibe ergo, nec eam nauseabundus despice, aut repelle.* Solitarius porro iste à profundo contemplationis ad se rediens, mox intellexit, à se non fuisse despiciendum, aut rejiciendum sacerdotem illum, qui ei aquam vivam de Sacramentorum divino fonte hauriebat; quia licet leprosus foret, & maculatus, vim tamen & efficaciam gratiæ haud inficere poterat, aut inanem reddere. Itaque sacerdotes pravi quantumlibet in anima leprosi sint, animæ lepram possunt in aliis curare, non propria sed divina virtute; & ideo ob officium & personam, quam gerunt, digni sunt honore.

Gratiæ Deo agẽ da probe nesciis acceptis.

Deut. 23.

Si votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret Dominus Deus tuus illud, & si moratus fueris tibi reputabitur in peccatum. Hoc & Ethnici voluerunt significare, dum dixerunt non rectè satisfacere promissis & voto naufragii, qui non suspendit vestes, quas è naufragio tulit templo Nuptuni, antequam illas exsiccet. Volucrunt enim indicare promptitudinem quam debemus habere, ut Deo vota solvamus, cujus favore è calamitate eruti sumus. Sed quam, cheu, socordes hac in re multi inveniuntur, acceptis tamen à Deo notissimis beneficiis! De his sic conqueritur Lactantius l. 2. institutionum : *Si morborum pestifera vis incubuit, si alimenta frugibus longa siccitas denegavit, si tempestas vel grando ingruat, ad Deum confugitur. Si ad mendicandi necessitatem quis deductus victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, per ejus nomen divinum hominum sibi misericordiam quærit. Numquam Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt. Postquam periculà recesserunt, Deo quem in necessitate imploraverunt, ne quidem gratias agunt.* Hæc ipse. Monemur igitur in hoc leproso, dum in morbis & periculis, corporis, vel in morbis & periculis animæ divinum percepimus beneficium, in testimonium gratitudinis munus ad Dei altare offerre, vel per sacrificium Eucharisticum mediante sacerdote oblatum, vel per sacrificium laudis & orationis, quod per Sacerdotem Christum semper offerimus Patri; estque illi munus gratum, maximè pro animæ lepra oblatum. Quale autem munus soleret offerre leprosus, dicemus cum agemus de decem leprosis, Dom. 13. post Pentec.

Concludo igitur, & ad Christum vota converto Domine Jesu, tu nosti quam multiplex nos lepra inficit, lepra Naaman lepra superbiæ, lepra Oziæ lepra præsumptionis, lepra Giezi lepra avaritiæ, lepra Mariæ sororis Moysis lepra detractionis & invidiæ, lepra volatilis & vagæ inconstantiæ, lepra pruriens luxuriæ. Sed tu Domine, si vis, potes nos mundare; à tua id dependet bonitate à tua voluntate. Impone ergo manum, dic : Volo, & mundabis nos; propterea enim descendisti de monte æternitatis, & carnem sumpsisti, ut nos tangeres & mundares adorantes te, & potentiam tuam agnoscentes. Ubi autem dignatus fueris nos mundare, offeremus munus nostrum, & gratitudinis testimonium, offeremus sacrificium laudis, & in sæcula sæculorum beneficium agnoscemus.

Luc. 23

Dicamus *tertiò*, ideo Christum misisse leprosum

EADEM

EADEM DOMINICA

LECT. 2. tripartita.

Accessit ad eum Centurio, dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus & malè torquetur. Matth. 8.

PARS I. *De Centurione & ejus servo deque officio dominorum & servorum.* 1. Cor. 1. Iob. 26.

VIdete Fratres vocationem vestram, inquit Apostolus, *non multos nobiles, non multos potentes, sed infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Equidem illi quos initio ad fidem & gratiam suam vocavit Christus, vel per se, vel per Apostolos, maxima ex parte plebei fuere, & infimæ vel communis conditionis, prout ex discipulis qui primitiæ fidei fuerunt, satis constat. Attamen quia; *Nec potentiæ despicit, cum sit ipse potens,* ut loquitur Job, voluit etiã initio aliquos divites, nobiles, potentes, ad fidem & gratiam coaptare, maximè ex Gentilibus. Quapropter tanquam primitiæ Gentium (post Pastores illos humiles qui fuerunt primitiæ Judæorum) illustres illi Orientis Reges & sapientes accessere adoraturi Christum in infantia sua, & primo ætatis oriente. In ipsum autem jam in perfecta ætate sese per miracula prodentem primus Gentilium credidit nobilis hic Centurio, Præfectus præsidij Romani existentis in Capharnaum metropolitana civitate Galileæ. Unde & ejus fidem dilaudat Dominus præside Israelitarum, & de electione ac prædestinatione ejus pronunciat testimonium, cum inter illos eum accenset qui recumbet in regno cum Abraham. Meritò ergo connumeratur & hic inter primitias gentium. Ulterius tempore Apostolorum mox post Christum, dum gentibus aperitur ostium Evangelij & Ecclesiæ, primus qui vocatur cœlesti visione ostensa Petro, nobilis iterum Centurio Romanus est, nomine Cornelius; quem ideo Sancti Patres etiam Primitias gentium vocant, quia licet ante eum aliqui Gentiles conversi & baptizati fuerint, ipse tamen fuit primus conversus & baptizatus, post publicam illam solemnem & expressò factam publicationem per visionem linteí cælitus demissi, quo denunciabatur Evangelium debere transire ad gentes. Quod ipsum jussus est tunc Petrus Judæis promulgare, nec obsisterent divino decreto.

Orig. hom. 11. in Num. Hier. ad Salmiam. Act. 10.

Cujus nationis fuerit centurio.

Ipsum ergo præcessit vocatione & conversione noster hic Centurio, quem origine Hispanum fuisse, & Hispanis prædicasse Christum scribit Lucius Dexter in Chronico suo, quod S. Hieronymo dedicavit contemporaneo suo, & Cornelium quoque nomine fuisse asserit. Sic enim ait: *C. Cornelius Centurio Capharnaumensis, Dominus servi quem Dominus sanavit, Pater etiam C. Oppij Centurionis erat Hispanus, & mirè floret in Hispania.* Et de ejus filio hoc ipse addit: *C. Oppius Centurio Hispanus credit Christo morienti in Cruce. Ex Gentilibus hic primus à Christi morte credidit, qui fuit civis Romanus baptizatusque à S. Barnaba factus est tertius Mediolanensis Episcopus. Vir quidem Apostolicus qui Christi mortem & eclipsin admirabilem primum omnium Hispanis, genti suæ, cum audientium stupore refert.* Hæcille.

Sed cujuscumque nationis fuerit hic Centurio (Ethnicum fuisse certa ex Patribus est sententia) ex ejus in Christum fide colligimus, neminem cujuscumque status fuerit, despiciendum esse, cum ex omni statu aliquos elegerit Deus: ita ut & ipsum militiæ, & Præfecturæ militaris statum honorarit electione hujus Centurionis, acillius qui in Evangelio memoratur Christi morientis divinitatem agnovisse, denique & istius qui in actis celebratur. Nempe hi milites erant; & præfectura militari illustres; sed non de illis qui amplius exigunt, quam constitutum sit, qui opprimunt aut extorquent, suis non contenti stipendijs, ut jam in more est: Plures enim modò conscribuntur milites ad prædandum quam ad præliandum; plures ditantur de lachrymis Provinciarum, quam de præda hostium: plures de sanguine pauperum ornati procedunt, qui nunquam cogitarunt progredi, ut sanguinem fundant inimicorum. Miles igitur haud reprobandus est; aut militia, ubi justa est causa, & observatur disciplina: nec illa tunc poterit obstaculo esse ad salutem & gratiam consequendam, maximè ubi pro vera fide militatur. An non maxima pars nostrorum Martyrum ex militibus & militiæ Ducibus est conflata? Inspice Mauritium & Gereonem cum suis legionibus. Inspice quadraginta Martyres Cæsaræ fortiter pro fide occumbentes. Inspice Georgium, Batiidem, Sebastianum, & sexcentos alios militiæ Duces sanctissimos. Nihil nocuit his militantibus paludamentum, & balteus, & gladius & catervæ eos cingentes; quia licet in acie obsecundarent imperatori terræ, mente tamen serviebant in conscientia bona Imperatori cæli; & ubi de ejus honore agebatur, sanguinem parati erant fundere, potius quam ejus offensam incurrere. Audiverant, & observabant illud monitum Joannis militibus datum: *Neminem concutiatis, nemini calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris.* At quia hæc modo non observantur, ideo militare nomen tribunitium; infamatur, quasi injustis obnoxium divitijs, varijsq; scatens vitijs. Audi Petrum Blesensem ep. 94. milites nostri temporis describentem. Ac primum quidem eorum tangit infidelitatem his verbis. *Olim se juramento militiæ obligabant, quod starent Reipublicæ statu quod in acie vitia non fugerent: sed & hodie Tyrones enses suos recipiunt de altari, ut profiteantur se filios Ecclesiæ. At in contrarium res versa est, nam ex quo militari cingulo decorantur, mox insurgunt in Christos Domini, & desaviunt in patrimonio Crucifixi, spoliant & deprædantur Christi pauperes, & in miseros crudeliter affligunt miseros, ut in doloribus alienis illicitos appetitus & extraordinarias impleant voluntates.* Secundò prosequitur, & tangit alia eorum vitia, incontinentiam

Militia non est reprobanda.

Liv. 31.

Militum vitia

& intemperantiam his verbis: *Qui contra inimicos crucis vires exserere debuerant, in potibus & ebrietatibus pugnant. Vacant otio, marcent crapula, vitam q; degenerem in immunditijs transigentes nomen & officium militiæ dehonestant. Hi laudant in pace prædas inter arma fugas, inter vina victorias, cum sint in pratorijs leones, in prælijs sunt lepores.* Tertiò prosequitur, & tangit linguæ eorum vitia his verbis eleganter: *Ordo militum nunc est, ordinem non tenere: nã cujus os malorum verborum spurcitia polluitur, qui detestabilius jurat, qui minus Deum timet, ministros Dei vilificat: qui Ecclesiam non veretur, iste hodie in cœtu militum fortior & nominatior reputatur.* Hactenus ille, & verè, & disertè.

Centurionis virtutes. Non de numero horum Centurio noster censeri debet; immò multæ in eo virtutes, & Ducibus, & militibus imitandæ proponuntur, nobisq; omnibus. 1. Charitas erga inferiores, cum tantam servi curam cum benignitate gesserit. 2 Honor erga sacerdotes & seniores, quos accedit, rogatque humiliter, ut pro se intercedant, & servo agnoscens eos majores. 3. Pietas erga Deum, quem agnoscens ædificat synagogam, in qua veri Dei doctrina cultusque tradatur. 4. Liberalitas & beneficentia, in sumptibus pro ædificanda synagoga sustinendis; nec rapiebat aliena, qui distribuebat sua, nec concussionibus vacabat, qui ita gratus erat senioribus & civibus. *Vere Centurio, qui stipendia terrena centenarium cali mutavit in fructum*, inquit S. Chrysologus serm. 15. 5. Humilitas magna erga Dominum quem in domum suam recipere se dicit indignum. 6. Fides insignis, qua credit eum absentem posse mederi servo.

Hæc igitur omnia disponunt eum ad gratiam Christi percipiendam, tum exteriorem per servisui curationem obtentam, tum interiorem ob quam prædestinationis suæ à Christo percipit testimonium. Sed videamus in particulari quod petierit à Christo hic Centurio, & quare intercedat pro servo.

Luc. 7. *Domine, puer meus jacet paralyticus, & male torquetur.* Lucas dicit: Centurionis cujusdam servus male habens erat moriturus, qui illi erat pretiosus. Quem ergo Matthæus puerum vocat; non filium, sed servum intelligit: qui dicitur fuisse pretiosus, id est, charus, & in magno pretio habitus, quia fidelis, industrius, & rebus administrandis penè nec essarius. Duplex porro hic documentum, unum concernens famulos, alterum Dominos.

Morale 1. servi boni qualitates. Primò igitur hic monentur servi & famuli muneris sui, gratiam scilicet Dominorum suorum sibi conciliare, per fidelitatem, obedientiam & promptitudinem, sic enim & gratiam supremi omnium Domini sibi conciliare poterunt. Unde eos sic monet Apóstolus. *Ephes. 6.* *Servi obedite Domino cum timore, in simplicitate cordis sicut Christo, non ad oculum servientes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus, scientes quod unusquisq; quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino.* Multi serviunt solum ad oculum, hoc est in præsentia Domini, aut dum timent ne inquisiturus sit; in absentia verò otiantur, vel negligenter gerunt negotium sibi commissum. Multi non sincerè, fideliter, & ex animo serviunt, sed murmurando & contradicendo saltem interius, nec verbis, nec corde dominos honorando: & hi non satis Christiane famulantur, nec mercedem à Deo percipiunt, quam poterant promereri, debitè, sincerè & cum cordis humilitate obsequium servitutis suæ exequendo, illudque in Deum referendo, qui in persona Domini consideratus est, ut monet Apost.

Emblema servi. Aptum est illud antiquum emblema servi fidelis, quo depingebatur pileatus rubro pileo, elegantí interula vestitus, asininas habens aures, cervinos pedes, dextram tenens erectam & in palmam explicatam. Quid designat pileus, nisi eum libero & liberali debere esse ingenio? Quid interula, nisi assiduo operi debere esse intentum? Quid aures asininæ, nisi multa dura patienter debere audire? Quid cervini pedes denotant, nisi celeritatem in exequendis mandatis? Quid dextra erecta, nisi fidelitatem in tractandis negotijs? Hæc omnia cerne in *Iacob* apud *Laban* fidelissimè diligentissimeque famulante in custodiendo grege ejus; & tamen dura audiente cum ille frequenter mutaret mercedem. Testem eum facit fidelitatis suæ discedens ab eo. *Gen. 31.* *Quid invenisti de cuncta tua substantia pones me. Viginti annis fui tecum, & oves tuæ ac capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi, tibi ego damnum omne reddebã, quidquid furto periebat, à me exigebas. Die noctuq; æstu urebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis,* hæc est fidelitas & diligentia, quæ est dos præcipua famulantium. Sed utinam fideles solum essent obedientes Dominis suis in his quæ ex officio tenentur; verum quandoq; contingit eos esse obsequentes in his quæ contra conscientiam sunt & divino honori adversantur: & ita quandoq; famulantur hominibus, ut obsequij quod Deo debent, non recordentur. Habes exemplum in servis *Absalonis*, qui cum conceptum odium in fratrem suum *Ammon* parere decerneret, præcipit servis suis: *2. Reg. 13.* *Observate cum temulentus fuerit Ammon, & dixero vobis percutite eum: & interficite; nolite timere: Ego enim sum qui præcipio vobis.* Obsecuti sunt servi illi, fratricidio impiè se immiscuerunt, & ut Domini sui gratiam sibi conciliarent, divinam offensam non pertimuerunt! O quam multi hos imitantur, divinum imperium aspernantes, & hominis impium præceptum adimplentes! O quam multi animam & animam exponunt, ut fideles censeantur in obsequio hominum, interim Deo debitæ servitutis parum memores sunt, de qua tandem levera ab eis ratio exigetur.

Servus non sit obsequens Domino in his quæ sunt contra conscientiam.

Audi *Vincentium Bellouacensem*, hac de re exclamantem famulis non infructuosum proponentem

Qui-

Quidam miles, inquit, multo tempore cuidã Marchioni inservierat fidelissime, eratque ei clarissimus. Is tandem in gravem incidit infirmitatem, quam ubi Marchio audisset, personaliter visitans adducit medicos, multa promittit, urgetq; ægrum ut exponat, si aliqua in re ejus egeat ope cum multis verbis apud eum egisset, tædio affectus æger, ait ei. *Si pro tot laboribus & fideli obsequio quippiam rependere decrevisti, fac vel ut mortem imminentem evadam, vel una hora ab his refrigerer doloribus. Et si decedere me contingat, vel una nocte de felici cures mihi hospitio provideri.* Cumque diceret Marchio hæc in solius Dei esse potestate, se autem lubenter impensurum, si quid in temporalibus desideraret, subjicit æger: *Ergo laborem meum & obsequium omne vanè consumpsi.* Conversus autem cum lacrymis ad astantes, dicebat! *En cernitis quomodo pretiosum mihi tempus expendi, huic Domino tantæ animæ periculo obtẽperãs qui nec ad horã eximere me potest à præsentibus periculis, aut futuris pœnis. Hoc angit me & ex corde pœnitẽo, rogoq; ut discrimen hoc meum cõsiderantes, illi Domino serviatis, qui vos hac in necessitate poterit sublevare ab angustiis præsentibus & futuris. Quod si pristinæ sanitati restitui daretur, spondeo me illi soli obsequium impensurum.* Sic emoritur, exemplum relinquens sua compunctione omnib. servis, ne obsequij Domino debiti obliviscantur & ne nimium fidant in Dominis quantumlibet potẽtibus. Ecce & Centurio quantumlibet dives, nobilis & potens, non potest juvare servulum paralyticum, sibi licet pretiosum & charum. Quia tamen fide pollet, & ab altiori Domino Christo se potentiore sperat auxilium, ideo seniores Judæorum, & amicos quosdam quos se existimat digniores, mittit ad eum intercessores: & ut loquitur S. Basilius Seleucus orat. 19. *Non servi contempsit afflictionem Herili fastu turgens, neq; præ voluptate, quam ex numeroso satellitio capiebat, pueri ignobilis obitum est, verum obibat investigans periculo remedium.*

Moraliz. *Secundo*, itaque, datur hic Heris muneris sui documentum erga famulos & servos, ut salutem ipsorum, tum corporis, tum maximè animi diligenter curent, & instar Patris se gerant. Propterea enim *Herier-ga servos munus. Apoc. c. 34.* Patres familias vocantur potius quam Domini, quia paternum animum debẽt omnibus de familia impendere; ut observat Tertul. Ideo etiam Eccl. sic *Eccl. 33.* monet. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua quasi fratrem sic eũ tracta.* Quod maxime debet verum esse inter Christianos, quia ut ait S. Ambr. ser. 33. *Etsi servus est conditione, gratia tamen frater est etenim similiter Christum induit ijsdem participat Sacramentis, eodem quo & tu utitur Deo Patre, cur te non ut atur ut fratre.* Imò Ethnici & hoc considerandum censuerunt, quod licet dignitas in hoc sæculo diversa sit inter servum & Dominum, una tamen est illis natura, propter quam humaniter tractandi sunt, nec despiciendi. Unde Seneca in epist. ad Lucilium sic scribit. *Lubenter cognovi familiariter te cum servis tuis vivere, hoc prudentiam tuam servi sunt? Imo homines. Servi sunt? Imo contubernales. Servi sunt? Imo humiles amici. Servi sunt? Imo cõservi, si cogitaveris tantundem in utrosq; licere fortuna.* Hæc omnia considerabat Centurio & ideo tantam servi gerit curam, & ægritudinis ejus; longe dissimilis Hero illi de quo conqueritur ejus servus Davidi: *Puer Ægyptius ego sum, servus viri Amalecita; dereliquit autem me Dominus meus, quia ægrotare cœpi nudius tertius.* Non sic centurio, quia pretiosus erat illi servus. Sic & omnib. pretiosi debent esse servi illi & ancillæ quorum ope & opera uti quandoq; eos vult Deus, non solum ad opus familiæ, sed etiam ad opera salutis & gratiæ. 1. Reg. 30. *Heris, servi sint pretiosi.*

1. Sic pretiosi erant servi Naaman, vocantes eum Patrem dicentes illi: *Pater si rem grandem dixisset tibi Propheta, etiam facere debuisses, quanto magis cũ solum dixerit. Lavare & sanies in Iordane.* Sic acquievit eorum consilio, & sanatus est à lepra Pretiosa erat ei & ancilla Israëlitica, prima sanitatis hujus suo consilio suggestrix: *Vtinam fuisset Dominus meus ad prophetam in Samaria, profectò curasset eum à lepra.* 4. Reg. 5.

2. Sic *Eliezer* servus senior pretiosus erat Domino suo *Abrahæ*, cui totum committit negotium conjugij filij sui Isaac, mittens eum in Mesopotamiam, non sine inspiratione Dei, & ductu Angeli. *Gen. 24.*

3. Sic *Ioseph* pretiosus erat Domino suo *Putiphari* in Ægypto, ob sapientiam & fidelitatem, cui omnia sua commiserat, nec quicquam al ud noverat nisi panem quo vescebatur. Hoc est, nullius rei sollicitudine angebatur, sed tantum accumbebat mensæ, & fruebatur eis quæ *Ioseph* procurabat. At postmodum, quia fidelis fuerat hero erga uxorem falsecm, falsa accusatione gratiam perdit. *Gen. 39.*

4. Sic *Abra* ancilla pretiosa erat Dominæ suæ *Iudith*, cujus opera & fidelitate uti voluit ad liberationem suæ plebis & heroicum illud facinus quo caput obtruncavit Holofernis. Hæc de veteri testamento addamus & aliqua exempla de novo. *Iudit. 10.*

5. Sic *Vitalis* Martyr pretiosus fuit *Agricolæ* Domino suo, quem cum *Agricola* vidisset in persecutionem Diocletiani, inter gravissimos cruciatus constantissime se servum Jesu Christi profiteri, & in oratione spiritum reddere; ejus exemplo totus confirmatus est ad quælibet tormenta pro Christo patienda. Unde cruci affixus, servo suo *Vitali* consors & socius fuit nobilis Martyrij. *Breviar. 4. Nov.*

6. Sic pretiosus fuit *B. Martino* adhuc militi servus suus, cui (ut *refert Severus Sulpitius*) versa vice serviebat, ita ut plerumq; ei calceamenta detraheret & detergeret, & cum cibum una sumerent sæpius ministraret.

7. Sic pretiosus servus esse debuit *B. Isidorus Mardritesis* Hero suo, cujus ob sanctitatem multiplici benedictione à Deo fuit cumulatus; ita ut ipso orationi vacante, Angeli vicem ejus obirent, ararent occarent, sererent, & lucrum ejus Domino fruges-que procurarent.

8. Sic pretiosa esse debuit Domino suo illa ancilla captiva quæ Regem & Reginam gentis Iberorum totam illam gentem in Hispania ad fidem prima perduxit, cum sanitatem Reginæ ægritudine gravi afflictæ per donum orationis & miraculorum, quo pollebat, restituisset. De qua Ruffinus hist. cap. 10. lib. 1. Eusebius lib. 10. c. 10. Nicephorus, & alij. *Vide Bar. tom. 3. anno 327.*

9. Sic pretiosa fuit Hero suo *B. Iulia* ancilla captiva Cartaginensis, ducta à quodam Eurichio in Syriam Palestinam, quæ expleto diligenter servitio, orationi continuo insistebat, & jejunijs omni die præter diem Dominicum corpus affligebat Hæc tandem à quodam Principe) cui nomen Felix) inscio Domino capta, & jussa Dijs sacrificare, post alapas & flagella fuit crucifixa, sed cum efflaret spiritum, viso est de ore ejus columba egredi, cælum recta petens. Ita Ado in Martyrolog. die 22. Maij.

10 Postremo S. *Carolo Borromæo* pretiosi erant omnes famuli, quos non tantum amabat ut domestícos, sed ut filios ac fratres, alloquens familiariter etiam infimos ex stabulo & coquina, ut resciret an ut decet, tractarentur, an cuiquam etiam eorum fieret injuria. Et quamvis in seipsum esset severus, moderatus tamen erga eos, nulli erat onerosus. Quod si quis ægrotaret, diligentissimè necessaria provideri curabat, & hunc muneri charitate flagrantes præficiens, ipsos etiam cum suavitate frequenter visitabat. Imitabatur igitur charitatem hujus Centurionis cui servus dicitur fuisse pretiosus.

Sed si servus iste pretiosus erat Centurioni; quanto magis Christo vero Domino, quem dum sanat, per sanitatem ad fidem adducit? Utique non fuit solitus quempiam secundum corpus sanare, quin id faceret simul pro salute animæ. Atque nos etiam omnes sumus illi pretiosi servi, quandoquidem ejus sanguine sumus redempti; & propterea non debemus viles esse in opere, qui ita pretiosi sumus in emptione. Debemus nos totos illius obsequio profundere, ut quantum in nobis est pretium quo empti sumus, valeamus adæquare: injuriam enim facit emptori servus, qui utilitate sua aliquo modo non adæquat pretium quo est emptus. Et licet quidlibet fecerimus, servi inutiles sumus, quia Domino nihil lucri afferre possumus tamen ut ait B. Euseb. *Tale conversationis nostræ expectat meritum, quod sanguinis sui valere possit commercium, qui tantum contulit, multum reposcit.* Hoc ergo attendat omnis Christianus; ut hinc stimuletur Domino suo, qua potest promptitudine & fidelitate servire illiusq; honorem ubiq; procurari. *Empti estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* *Christiani omnes sunt servi Dei pretiosi.* *Hom. 1. de Symbolo.* *1. Cor. 6.*

PARS II.
De Christo descendente ad Centurionem se excusante.

CEnturio servi misertus primo Principes viros ad Christum mittit, excusans se, ut ait Lucas, cap. 7. tanquam indignum qui ipse veniat; cum verò à Christo impetrassent, ut unà cum eis descenderet, amicos misit nuntians se indignum qui visitetur à Christo; cumque nihilominus Christus accedens non longè abesset à domo, ipse cum omni humilitate occurrit pro pueri sanitate deprecans, & Dominum rogans, ne ulterius in domum procederet: quod solum expressit S. Matthæus, reliqua autem ex narratione S. Lucæ supplenda sunt

Quæritur verò cur Dominus in domum Centurionis voluerit descendere, cum nosset excusationem & fidem Centurionis credentis eum absentem posse sanare? Dicamus *primò*, id fecisse ut fidem illam Centurionis omnibus palam faceret, etiam Judæis & senioribus ibi præsentibus, in confusionem eorum qui tantæ non erant fidei, ut crederent absentem solo verbo curare posse. Sic etiam Chananæa clamante. *Filia mea malè à dæmonio vexatur*; respondit, *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*, dans ei occasionem excitandi actum insignis fidei, quam omnibus notam etiam cupiebat. Quam fidem illa manifestavit dum respondit: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis cadentibus, &c.* Hinc Christus mox infert: *O mulier magna est fides tua*? sicut & de Centurione ait: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Dicamus *secundo*, quia petitio Centurionis erat pro servo, ideo ire proposuit, ut nos doceret modicos non contemnere & pauperes, divitesque solum honorare. Ad filium Reguli rogatus noluit ire, ne personam Reguli videretur accipere: ad servum Centurionis non rogatus vult descendere; ne videatur humilitatem servi contemnere. Retunditur hic superbia nostra, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores & divitias veneramur; superbia hominum non homines pensat propter homines, sed solum ea quæ circumstant pensare novit. Redemptor ergo ostendit quæ alta sunt hominum, quandoque despicienda esse, & quæ despecta sunt hominum despicienda non esse. Hoc sit solatium pauperum, & quorumlibet infimæ sortis, quod licet despiciantur ab hominibus, à Deo non despiciuntur, quia *eos elegit divites in fide, hæredes regni.* Hoc sit exemplum divinum & honoratorum in hoc sæculo, ut infimos non dedignentur. Quandoquidem is qui de cœlo venit, servo in terra occurrere non despicit, etiam & ipsi quandoq; humiliare se in terra noverint, qui de terra sunt. Dicamus *tertio*, etiam in his verbis Christi, *Ego veniam, & curabo eum*, mysterium adventus Domini & finem ejus insinuari, propterea enim ad hominem in homine venit Deus, ad servum in servo venit Christus, ut levaret jacentes, elisos erigeret, solveret compeditos; & ut eos quos jam nemo afferre; nec offerre poterat, ipse operis sui vector clementissimus bajularet, inquit S. Chrysol. *Hoc ergo voluit Centurionem & omnes nos nosse, dum ad servum vult venire* *Vt* *Cur Christus intraverit in domũ Cent.* *Luc. 7.* *Matth 15* *Luc. 7.* *Pauperes non contemnendi* *non despiciuntur à Deo.* *Serm. 15.*

leprosum sanavet, descenderat de monte, suum à cœlo descensum significans ad lepram nostram curandam, sic descendit ad domum servi, suam exinanitionem indicans, qua formam servi accepit, ut nostram ægritudinem curaret, & in pœnali servitute jacentes in divinam erigeret filiorum Dei dignitatem.

Humilis Centurionis excusatio.

Sed Centurionis excusationem ponderemus, *Domine* inquit, *non sum dignus.* Qui vocat Dominum, fatetur suam fideliter servitutem, Dominumque cum pavore vocat, & quasi ad cõtemplandam Domini celsitudinem eo illustrante pertigerit, dat debitum de humilitate & fide responsum. Sic *Petrus* ubi Christum agnovit rerum auctorem exclamat: *Luc. 5.* *Exi à me Domine quia peccator sum.* Sic eum à se Petrus exire rogat, quomodo Centurio eũ ad se supplicat, non venire, agit uter q; ne indigaitas hospitii in hospitis maneat iniuriam, inquit *S. Chrysol.* Interim dicendo se indignum, præstitit dignum, nõ in cuius parietes, sed in cuius cor Christus intraret, inquit S. August. *Serm. 6. de verb. Domin.* *Humilitate enim Christi ad nos advenitus procuratur sicut & superbia fugatur. Videte miraculum fratres. Altus est Deus, erigite te, & fugit à te; humilitas te, & descendit ad te. Humilia enim respicit & alta à longe cognoscit.* Hanc igitur Centurionis humilitatem & fidem imitandam proponit Ecclesia, dum sanctum cibum corporis & sanguinis Christi sumimus, quod à tempore Ouginis jam esse usitatum, patet ex eius homil. 7. in diversis. Unde & S. Chrysol. de illo sic loquitur: *Romana cohortis Centurio Dux factus est militiæ christianæ, & capit ante docere, quam credere. Antequã discipuli subirent officiũ, fortitus est Magisterij locum. Præbet enim petendi fervorem, dat normam credendi, fidei pandit causas, virtutum commendat exempla, qui nondum Christiana schola ingressus est disciplinam.* Itaq; non sine pavore & magna cordis humilitate suscipiendus est Dominus; dum per sacram communionem dignatur venire ad animæ nostræ domum, ad cordis nostri secretum, ad tectum conscientiæ & mentis penetrale: videndum ne immũda sit domus ista, & oculos intrantis offendat, providendum ne tunc ibi familia cogitationum incõdita & confusa versetur; curandum ut aula pectoris sine strepitu in sinceritatis silentio permaneat, ut non ad judicium ingrediatur tantus hospes. Dicendum in sinceritate cordis: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo & sanabitur anima mea.* Verbum tuum Domine sanitas est, verbum tuum vita est, verbum tuum lux est, fugat tenebras, fugat ægritudinem, fugat mortem. Si angusta est domus animæ meæ, dic verbo, & dilatabitur, tuique capax fiet; si tenebrosa est, dic verbo, & illuminabitur; si ruinosa est, dic verbo, & restaurabitur, solidabiturque; si inornata est, dic verbo, & mox adornabitur, fictque te hospite digna.

Eucharistia magna humilitate suscipienda.

Diversi, Centurionis huius imitatores.

Centurionis nostri humilitatem imitati sunt omnes pii, sed & aliqui specialiter, qui in extremis pene agentes noluerunt Dominum susc ipere, vel in tectis privatis, vel in lectulo decumbere, sed vel in Ecclesiam deferri voluerunt, vel occurrere cum humili adoratione Domino advenienti conati sunt. Audi exempla.

Breviar. Rom. 1. *S. Benedictus* præmonens discipulos quo die foret moriturus, sepulchrum suum sex diebus ante aperiri jussit, sextoque die voluit deferri in Ecclesiam, ubi humillime sumpta Eucharistia, sublatis in cœlum oculis orans inter manus discipulorum, efflavit animam.

Surius in vita. 2 Similiter *S. Franciscus de Paula* sentiens finem suum appropinquare, in die Jovis sancto descendere voluit in Ecclesiam; ibiq; sumpsit sacram Eucharistiam in præsentia discipulorum suorum, lachrymis totus perfusus. Ac deinde in die Veneris sancto ea hora qua Christus animam reddidit, manibus & oculis in cœlum sublatis.

Hector Boëtius lib. 12. hist. Scotorum. 3. Sic & primus Scotorum Rex, nomine *David*, cum vitæ suæ terminum adesse sentiret, indignum se reputans ad quẽ corpus Christi deferreretur, duobus Sacerdotibus innitens ad templum venit, & ardentibus cum precibus Christi corpus integra fide suscepit. Inde in cubiculum reductus, convocatis primoribus nepotes suos commendavit; & paulo post commendata Deo anima pientissime expiravit.

Marulus l. 4. c. 12. 4. *S. Hieronymus* morti appropinquans sacrum sibi corpus Domini dari petiit; illud vero sumpturus, de lectulo humi se deponi fecit, sacco que operiri. Tunc genibus provolutus lachrymas fudit, pectus pugno percussit, sacramque synaxim percepit.

Surius in vita. 5. Sic & *S. Thomas Aquinas* divina revelatione supremum sibi vitæ diem in Monasterio Fossæ novæ adesse sentiens dixit *Reginaldo* socio suo coram multis. *Hac requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Cum sentiret paulatim se viribus destitui, cum multa devotione petit sibi Sacrosanctam Eucharistiam ministrari. Ut verò ab Abbate & Fratribus reverenter allata fuit, licet fractis foret viribus, obviam procedens, humi se prostravit, & cum lachrymis, & admirabili pietate eam suscepit.

Pater Guissane l. 6. c. 12. *S. Carolus Borromæus* pridie mortis suæ cum ob debilitatem maximam celebrare Missam non posset quod ei maximè erat in votis) voluit tamen deduci ad Ecclesiam, ibique reconciliari; ac postmodum sacram ibidem synaxim summa devotione percepit. Sequente die (quo mortem obiit) iterum optavit communicare. Cum autem speraret posse è lecto exurgere, & Domino cum adoratione occurrere & extremitas ægritudinis id non permisit; sed erectus super lectulum, rocheto & stola indutus, viatico postremo se communivit.

Ex his collige, non satis prudenter & piè quosdam mox ubi aliqua tenentur ægritudine curare sibi sacrosanctum Christi corpus deferri; quum reverentia tanti Sacramenti poscat, tantique Domini

in eo contenti majestas, ut in loco sacro ardeatur & suscipiatur, nisi sit urgens necessitas. De quo monendi sunt aliqui pauperiores, qui morbo levi afflicti, ideo petunt Sacramentum ad se deferri, ut familia eorum eleemosynis publicis, vel privatis commendetur.

Sed & illi reprehensione digni sunt, qui se à frequentatione Eucharistiæ excusant prætexentes reverentiam, quasi exemplum ex hac Centurionis humilitate captantes; *Domine non sum dignus, &c.* Verum plerique eorum non tam ob reverentiam rarò ad communionem accedunt, quam ob vitiorum pravam consuetudinem & inclinationem quâ nolunt deserere, quia Christo & pietati haud afficiuntur. Neque Centurionis nostri verba à frequenti communione abstrahunt, sed solum ad præparationem & humilitatem prævium nos excitant. Neque hic alia dignitas requiritur, quam ut à peccato mortali liberi simus, cum proposito firmo ea vitandi & ut accedamus corde humili, & pio fine, ut ab infirmitatibus animi sanemur, ut contra tentationes præmuniamur, ut remissionem præteritorum peccatorũ percipiamus, ut Deo firmius uniamur; & in ejus gratia confirmemur. Conveniret ergo hos maximè accedere, qui pravis inclinationibus languent & jacent, ad ea quæ sunt salutis quasi præpediti & tardi, conscientiæ scrupulos & remorsus ob vitam negligentem patientes. Appropinquent hi cum Centurione, & dicant: *Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Quis enim est puer iste sive servus jacens in domo, nisi anima in corporis domicilio malè affecta, torpens & languida, & paralysi spirituali impedita; quæ defectus suos non agnoscit, sed est velut sine sensu & affectu ad divina & cœlestia? Interim non est sine conscientiæ tortura; quæ quidem est gravissima & quandoque omni pœna gravior nullam permittit quietem, nullum solatium. An nõ anima talis vel invita vitiis & peccato servit quasi mancipium? *Omnis qui peccatum facit, servus est peccati.* Ioan. 8. *Et à quo quis superatus est, ejus servus est.* 2. Pet. 2. Servitus ista tot dominorum est, quot vitiorũ. Servitus ista Deorum est alienorum, quia superbiæ deditus servus est *Luciferi*, avaritiæ deditus servus est *Mammonæ*, luxuriæ deditus servus est *Asmodæi*, &c. O miserabilis servitus, quæ cum ægritudine paralisi conjuncta sic male torquet, nec ad eum qui sanare potest, accessum indulget! Interim si quis vel desiderium sincerum sanitatis eliciat, servitutisque hujus miserandæ pertæsus excutere eam exoptet, si ex animo agnoscat hanc miseriam, & dicat: *Domine servus meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur*, mox responsum audit à supremo Medio: *Ego veniam, & curabo eum.* Paratus est enim ægrum quantocyus præsentia sua honorare, gratia ungere, sanguine lavare, misericordia sanare, paralysim & languorem fugare, virtute & fortitudine stabilire, donisque omnibus cumulare.

7 S. Virgo *Gertrudis* intellexit à Domino, quod illi non irreverenter, nec indigne sumunt Eucharistiam, qui eam pie sumunt ex desiderio honoris, laudis & gloriæ Dei. Quæ sanè gloria divina in hoc maximè elucescit, quod summa illa majestas tam indignis hominibus se communicare non dedignatur. Unde ei ab eodem Domino insinuatum est, quod viri vel fœminæ sæculares, quotquot vivunt in aliquo statu, qui à Deo & Ecclesia non discordat, sive sint in matrimonio, sive extra, sive vendant, sive emant, seu alia ratione victum sibi parent, si bona voluntate præditi, ex Dei gratia perseverant in bono & à gravibus culpis sese continent, vitamque secundum Dei & Ecclesiæ præcepta dirigere volunt peccataque sua humili corde Sacerdoti confitentur: hi omnes de Dei misericordia cõfisi in solemnitatibus, vel diebus à Patre spiritualis statutis, Eucharistiam accipere possunt. Licet enim rebus externis multipliciter occupati sint, & in leviores culpas sæpius cadant, pro viribus tamen sũt justi in omnibus, ob idque Deo placent. Hæc ex S. *Gertrudu Blosium* Monilis c. 6.

AUdito Centurionis responso admiratus est Christus hoc est, admirantis speciem & vultum præ se tulit, ut ad admirationem alios provocaret, & dixit: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Et ni à quidem major fides in Prophetis, in Patriarchis, in Joanne Baptista, in Deipara, in Apostolis reperiri potuit; sed rum his nõ confert Centurionem, Christus de præsentibus loqui censendus est, & de fide communis populi. Vel etiam intelligi potest insinuare his verbis; neminem ab eo sanitatem petisse tanta fide. Nam licet leprosus videatur plus profiteri, sola enim voluntate Christum mundare posse asserit, Centurio autem verbi mentionem facit; tamen credit hic Centurio, & profitetur etiam Christum absentem posse dare sanitatem, quod leprosus non facit. Sic & magna Marthæ fides fuisse videtur, & tamen nonnihil dubietatis illa verba involvunt, *Si fuisses hic frater meus nõ fuisset mortuus*, quasi absens non posset efficere ut non moreretur. Sic alii paralyticum ei adducunt, ut præsens præsentem sanet. Sic *Iairus* Archisynagogus rogatur ut veniat, & imponat manum super filiam. *Regulus* rogat ut descendat ad filium. Major ergo fides Centurionis qui credit & absentem sanare posse, & verbo posse, imperiumque, dominium & majestatem in Christo apertè confitetur, dum dicit: *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit, & alio veni, & venit, & servo meo fac hoc & facit.* Quasi dicat ego homo sum, tu Deus: Ego sub potestate sum positus tu super omnem es potestatem, potestatum es potestas: Ego habeo sub me milites; tu virtutes: Ego dico huic vade, & vadit, tu multò magis potes dicere infirmitati abi, & abibit. Ego dico alteri veni, & venit; tu multo magis potes dicere sanitati, veni, & mox aderit. Si ergo sub alterius potestate solo verbi imperio

PARS III. *De laude Centurionis Christo data.* Luc. 7. Ioan. 11. 1. Ioan. 4. Luc. 8.

perio mihi obedientiam paro, quid tu poteris nulli subjacens, & cujus omnia subjacent potestati? At cur reficere non potes, quod verbo fecisti, cur reparare non potes, quod ex nihilo verbo parasti? Itaq; Centurionis merito laudatur fides, qui *Christi majestatem intellexit, & intra corporis tegmen latentem agnovit divinitatem*, ut loquitur Sanctus Hieronymus.

Deus plus dat, quã ab eo petatur. Ioan. 4.

Sed & hoc considerationedignum, quod Centurioni electionis suæ hic præbetur testimonium nõ obscurum. Sic liberalis esset solet Dominus, ultra quam ab eo expectatur. Samaritana ab eo petit aquam materialem, & accipit aquam gratiæ, aquam vitæ. Multi ab ipso petierunt corporis sanitatem, & acceperunt ejus beneficia voluntate simul peccatorum remissionem, & animæ salutem. Latro petit sui memoriam, & eadem die accipit Paradisi possessionem & gloriam. Sic & noster Centurio dum pueri precatur sanitatem, simul à Domino accipit laudem, & de prædestinatione sua significationem. Hanc nõ omnibus electis indulget Deus, quia cum timore & tremore vult eos salutem operari, inter spem, metumque ambulare. Propterea dicebat Apostolus, adhuc ut apparet electionis suæ incertus: *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Propterea etiam monebat S. Petrus *Fratres satagite, ut per bona opera certam electionem vestram faciatis.* Denique propterea continuo lachrymabatur *S. Arsenius*: à quodam enim Religioso interrogatus, cur se continuo suspiriis & lachrymis conficeret, Respondit: *Quando memini Esau fuisse reprobum de ventre matris, & Iudam è societate Christi excidisse & periisse: & Salvatorem dicere arctam esse viam ad cœlum, & me ignorare quid anima mea contingat, quis exitus vitæ meæ, non possum à lachrymis temperare, aut gaudio locum dare.*

Aliquibus ante mortem dat Deus salutis certitudinem, 2. Tim. 4. 2. Pet. 1. Luc. 10.

Aliquibus tamen ex speciali gratia dat Deus electionis suæ certitudinem: ante mortem tollens omnem anxietatem & timorem. Hanc accepit postmodum S. Paulus, qui dicit: *Ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat: Bonum certamen certavi, &c. in reliquo reposita est mihi corona justitiæ &c.* Accepit & S. Petrus, qui dicit: *Scio, quod velox est depositio tabernaculi mei, sicut signavit mihi Dominus Iesus Christus.* Accepit & Magdalena, cui dixit Christus *Optimam partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea.* Addo & alios ex sacris Historiis.

Ribad in vit.

S. Eligius multa spiritus anxietate premebatur suggerente sibi continuo sathana importunam hanc cogitationẽ: *Quicquid agis inutile est, finaliter casurus es, quia de numero es reproborum.* Permittebat id Deus ad ejus explorandam patientiam. Postquam verò diu hæc perdurasset anxietas, voluit Deus benignus eam funditus tollere. Quadam nocte cum dormiret inter lintea cilicina, vox cœlestis ad eum facta est, de peccatorum remissione, & statu gratiæ eum certiorem reddens. At quam vocem mox è stratu exiliens, miram in animo sua vitatem persensit, miramque spiritus libertatem, omni depulsa anxietate: ac statim ex sacris Reliquiis lecto suo appensis vidit suavem liquorem defluere, in signum acceptæ à Deo interioris unctionis.

Platus & alij.

S. Franciscus cum biennio ante mortem in quadã extasi de prædestinatione sua certior factus foret; ut sibi redditus est, statim exclamavit: *Laudetur Dominus Deus, ipsi gloria & honor sine fine.* Exinde proximos octo dies sic trãsegit, ut nec ulla de re loqui, nec horas canonicas recitare posset, sed hoc solum in ore haberet, & semper repeter: *Laudetur Dominus*; ita animus ejus lætitia exultabat.

Blosius in Monili

S. Mechtildis cum introitus Missæ feria 4 post Pascha inchoaretur: *Venite benedicti Patris mei*, insolita exultavit lætitia, Domino dicens: *O si essem unaex illis benedictis qui suavissimam hanc audituri sunt vocem!* Cui Dominus. *Scias certo te ex illis esse; & ut nihil dubites, ecce tibi cor meum impigneo do amoris, & domum refugij, ut semper & maximè in hora mortis ibi solatium, & quietem reperias.* Exinde vero facta est mira cordis eius cum corde Jesu unio, & in hora mortis, vocem Domini in vitantis audivit. *Veni benedicta Patris mei posside regnũ tibi paratum à constitutione mundi*

Ribad. in vit.

S. Clara de Monte Falco in fine vitæ Deus revelavit peccata omnia sua esse remissa, & gloriam præparatam. Tanto vero gaudio inde perfusa est, ut interius illud continere non valens, silentio rupto sponsum suum summo fervore sic alloquta fuerit. *O bone Iesu, quam magna est merces servientium tibi! Quam magna est, pro adeo exiguo obsequio quod impẽdimus! Vtique nimia est, magna nimis merces pro me Paradisi tui gloria.* His similibusque verbis in extasim rapta fuit, ita ut mortem obiisse existimarent præsentes ibi sorores; jamque corpus eius in Ecclesiam deferebant, cum ad se rediens, raptusq; causam exponens, omnes lætitia affecit.

Bifariam colligit Centurio se salvandum.

Si itaque omnes merito gavisi sunt, quod nomina sua scirent scripto in libro vitæ: eadem ratione Centurio verum gaudium potuit concipere, idipsum de se intelligens ex ore veritatis. Huius rei testimonium est, tam laus à Christo ei exhibita; tum id quod subjungit. *Multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham in regno cœlorum.*

Matt. 17. Ioan. 1. Luc. 19.

Primò quidem laus eius, ore Christi pronunciata, judicium hujus rei dat, quia non est solitus aliquem laudare Christus, nisi laude perennatura. Nõ laudat hic arundinem vento agitatam, sed arborem solida & permanente virtute radicatam. Sic si laudat *Petrum*, & pronunciat Beatum, qui à Patre divinitatis suæ revelationem hauserit, veræ beatitudinis initium jam in eo agnoscit. Si laudat *Nathanaelem*, tamquam vere Israelitam, in quo dolus non sit inter veros Israelitas Deum contemplaturos eum futurum prænoscit. Si laudat *Zachæum*, ex arbore festine descendentem, & cum gaudio se excipientem, etiam inter veros filios Abrahæ

æternæ salutis participes locum ejus designare censendus est. Sic dum nostrum publice collaudat Centurionem, ejusque fidem fidei cæterorum præfert, electionis ejus certissimum testimonium dare. 2. *Secundo* hujus rei indicium non obscurum dant subsequentia verba: *Dico vobis multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum.* Multi scilicet similes huic, qui ex alienis est electus, & per fidem ac prædestinationem verus filius est *Abrahæ* verus filius promissionis instar *Isaac*, verus *Israelita*, Deum *Iacob*, sive Israel, æternum contemplaturus, & in convivio perenni cum iis primoribus Patribus fidei Felix futurus. Ipse inter primos de gentibus futurus est, & multi ejus fidem & pietatem secuti à quatuor orbis partibus venturi sunt; quia regiæ istius civitatis & aulæ *ab Oriente portæ tres sunt, ab Occidente porta tres, ab Austro porta tres, ab Aquilone porta tres*, ut describitur in Apocalypsi. Atque etiam (moraliter interpretari si volueris) illi veniunt ab Oriente, qui convertuntur ad Deum in primæva ætate: ab Occidente, qui convertuntur in senectute; illi ab Aquilone, qui inter prospera servant patientiam, illi à Meridie, qui inter prospera servant temperantiam.

Iudæi à regno Dei excidunt, gentes admittuntur.

Filii autem regni ejiciuntur in tenebras exteriores. Qui nimirum nati erant ad regnum Judæi (de populo nati cui sub typo terræ promissionis regnum erat promissum (excident à regno, fidem & vocationem Dei dum aspernantur. O infelices hi, qui videbantur hæredes regni, & Abrahæ filii legitimi! De hac re sic ex ore & persona Dei vaticinatur David, *Populus quem non cognovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.* Gentes scilicet quæ non censebantur ex populo Dei, audire Evangelio mox credidérunt, obtemperarunt. *At Filii alieni mentiti sunt mihi, inveterati sunt, claudicaverunt à semitis suis.* Judæi scilicet, tanquam filii adulterini, mentiti sunt, fidem negarunt & obedientiam: *Inveterati sunt*, in lege veteri male persistentes, & claudicaverunt à semitis legis: erraverunt que quia illa ut semita & via ad Messiam ducebat, quod noluerunt agnoscere.

Psal. 17.

Hi nimirum à consortio sanctorum Patrum suorum ejicientur, & à convivio illo æternitatis exclusi relegabuntur ad tenebras carceris tartarei. Hæ exteriores dicuntur; quia non solum sunt tenebræ internæ animi, sed etiam externæ loci. Item, quia extra splendorem mundi sub terra sunt, quo nunquam lux pertingit. Item, quia extra splendorem cœli sunt, quod erit velut aula convivialis facibus illuminata ad cœnam illam perpetuam; extra quam ejecti, sunt in tenebris, luce privati beatæ æternitatis, ejulatu ac stridore dentium indignationem ac quandam rabiem præ se ferentes.

Atque utinam quod de Judæis hic dicit Christus, verum etiam non foret de quibusdam Christianis! Quam multi per baptismum effecti filii Dei & hæredes regni, postmodum fiunt adulterini filii, mentientes Domino, non observantes promissum, quo satanæ renunciarunt, claudicantes in duas partes, dum partim Deo, partim peccato voluit servire, errant à vera via mandatorum? Ideo ejiciuntur in tenebras exteriores tartari. At loco eorum ex India, Japonia, Chinis vocantur alii, de quibus verum est, *Populus antea ignotus in auditu auris obedivit mihi.* Similiter quam multi de clero, & sacerdotio, primogeniti filii regni, in sortem Domini adsciti, in pravis moribus consenescunt, mentiuntur cum dicunt, *Dominus pars hæreditatis meæ*, errant à via vitæ? Et ideo ejiciuntur ex aula Dei, & denumero filiorum ejus, ut sit pars eorum cum impiis in caligine horrenda. Horum autem loca vocat Deus ad eorum confusionem quosdam è laicali statu, & in regnum eos adsciscit. Item quam multi in Religione semitas perfectionis ingressi, postmodum claudicant, errant, retro aspicunt, mentiuntur Domino votis fragi? Horum loco quosdam pios è sæculo & matrimonio in regnum evehit Dominus. Denique non pauci ex variis statibus sapientes sunt & literati, aliisque donis naturæ & gratiæ ornati; quos Dominus volebat deducere per vias rectas, & ostendere illis regnum Dei; sed his abusi donis, lucem vertunt in tenebras, claudicant, errant, & pereunt. Simplices autem & illiteratos ad eorum coronam elevat Dominus, filiosque regni efficit ignobiles & idiotas. O infelicitas miseranda! Amove, ô Domine, à nobis tenebras interiores, quæ ad exteriores & æternas nos ducunt. Fac nos filios Abrahæ filios regni, constantes in fide & veritate, ut non claudicemus vel exerremus, sed ad convivium æternum, te duce, pertingamus.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM. LECT. 7. bipartita.

Ascendente Iesu in naviculam, &c.

ABsoluta Concione ad populum circa mare Galileæ, voluit ulterius progredi Christus, & naviculam ascendere cum Discipulis ad transfretandum, ut Regioni Gerasenorum aliquem fructum verbo & miraculis suis inferret. Certe nec ipse egebat ad transfretandum navicula nec Discipuli ejus: quia poterat jubere, ut liquidum elementum sibi & Discipulis suis solidum præberet obsequium. Nam hic est qui Petri pedibus marinos vortices inclinavit, jubens eum venire ad se super aquas, & frequenter legimus, quomodo in gratiam Evangelii tam & Verbi divini Apostolicis viris concesserit, siccis pedibus undas calcare.

PARS I. *Cur Christus ascendat in navim, dormiat, & tempestatem permittat.*

Sic *S. Franciscus de Paula*, cum in Siciliam è Calabria Religionis & pietatis propagandæ gratia pertingere optaret (sed à Nauta eo quod pecunia ad naulum solvendum careret, repelleretur) post fusas ad Deum preces, extenso super mare pallio, fretum periculosissimum cum socio illæsus pertransiit. Dicitur que ab eo tempore fretum illud (quod antea periculosissimum erat inter Scyllam & Charibdim) in ho-

Viri Apostolici pedibus undas calcant. V. vitam in Ribad.

in hodiernum usque diem quodammodo placatum esse.

Sic & *S. Hyacinthus Polonus, Ord. S. Dominici*, in Russiam Meridionalem prædicandi Evangelij gratia penetrans, cum navis deesset ad fluvium profundissimum, & rapidissimum pertranseundũ, stratо super aquas pallio, cum socijs pertransivit, quasi navi vectus. Cum vero egrederetur ex ea Provincia propter grassantes ibidem Tartaros, sumpto in manu una Venerabili Sacramento, & in altera Imagine Virginis Mariæ, non solum Boristhenem fluvium sicco pede cum socijs pertransit; sed & in illo vestigia sua sic impressit, ut semita quædam ab una extremitate fluvij ad alteram usque cerneretur; quæ adhuc hodie cernitur, ut habetur in processu canonizantis ejus.

V. Ribad. in vita ejus. Aug. 16.

Similiter *S. Raymundus Penna fortius, Ord. S. Dominici*, in Majorica Insula *Iacobum Regem Arragonia*, cui erat a confessionibus, deserere resolverat, eo quod pellicem frequenter monitus non abjiceret; verum Rex mandato publico cavit, ne quis eum transveheret. At ipse extendens cappam super mare, & baculo suo scapulare in altum elevans, instar veli centum sexaginta milliaria sex horis confecit, & Barsinonam appulit vestibus siccis, toto populo ad tantum miraculum confluente, & vestigia ejus exosculante.

Audi & in Belgio non absimile ex monumentis Dominicanorum Conventus Gandavensis. Quidam *Ioannes Agnus* zelosus Concionator cum tempestatis injuria navem conscendere non posset qua pagum appelleret ad concionandum in solemni supplicatione S. Crucis, zelo accensus, invocato Deo cappa navis loco utens, aquis se commisit. Interim voce cœlesti monetur Parochus, ut venientem Cõcionatorem cum honore excipiat. Itaque campanæ pulsu plebem advocans, supplicationis more obviam sancto viro processit, & ad sanctam Crucem, quam miraculosam vocant, cum honore deduxit. Vestigia autem in loco in quo constiterunt, pedes tempore quo concionem habuit, in hodiernum usq; diem visuntur. Quem locum dum nefarius quidam temerare tentat ligone fodiendo, mox in brachijs divinitus paralysim gravi cum cruciatu persensit. Obijt vir S. an. 1397.

Cur Christus transfretaris.

Poterat simili modo Christus Dominus trãsfretare absq; usu naviculæ: sed cum Deus & Homo foret, quandoq; suam ostendere voluit divinitatem & majestatem, quandoque etiam humanitatem & humilitatem sic se gerens quasi humanis egeret auxilijs. Quia ut ait S. Chrysol. *Si commune cum hominibus nihil haberet, & carnis ordinem non implesset, carnis in ipso otiosa fuisset susceptio.* Itaq; paulo post ostensurus divinitatem imperando mari & ventis, prius dupliciter ostendit assumptæ humanitatis ubertatem. *Primo* quidem in eo quod naviculam ascendit, quasi illius egeret auxilio ad transferendum. *Secundo*, eo quod lassitudine pressus & somno in hac navicula dormiebat. Etenim somnus ille naturalis fuit, sicut & noster; quamvis & in hoc à nostro differat, quod noster necessarius sit, & potentias omnes liget: Christi vero somnus liber erat, nec intellectum à Dei visione, nec voluntatem impediebat ab amore. Unde illa ejus vox: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Atque ad exemplum nostrum aliquid corpori indulget Dominus captando somnum; sed parce id agit, nec molliter: Nam in veste jacet, nec lecto utitur, sed ligno. Et sæpe ipse humi dormivit, ut Patrem mox excitatus noctu oraret: Filius hominis non habet ubi caput reclinet, cum vulpes foveas sibi parent, & volucres cœli nidos. Et Marcus quidem dicit Dominum in navi cervicali usum; sed Euthym. & Theophylact. putant lignum fuisse, in ipsa scilicet puppi ex ligno fabricatum. Nihil vetat tamen dicere pulvillo Christum usum ad brevem quietem; hoc enim indicat nomen Cervical, à cervice deductum, cui supponitur ad somnum conciliandum. Nec Scriptura reprehendit eos qui aliquid quieti indulgent ad reparandas vires; sed reprehendit nimiam mollitiem, voluptatem, diuturnitatem, lasciviam in jacendo: *Va qui lascivitis in stratis vestris, va qui dormitis in lectis eburneis.* Ubi Propheta taxat divitum libidinem, superbiam, & prodigalitatem, qui duri erga pauperes, profusi sunt ad voluptates. Sic lasciviunt homines hujus sæculi, sed Christum Dominum dure sine lecto jacentem imitati sunt sanctorum plerique, brevissimo etiam somno contenti. Exempla pauca è multis accipe

Somnus Christi qualis fuerit. Cant. 5.

Matth. 8. Marc. 4.

Amos 6.

Dum *S. Ioannes Eleemos.* austerè decumbere solitus foret, quidam civis Alexandrinus, ejus miseratus, misit ei culcitram mollem è plumis, rogans, ut ea nocte uti dignaretur. Acquievit ille. Sed noctem illam insomnem egit, sese increpans, & ingemiscens: *Quid hic agu sub delicijs? Quos sunt Christiani famelici & frigidi? Quid dicet in judicio Christus? Recepisti bona in vita tua.* Itaque culcitram postridie vendens, pecuniam pauperibus dedit. Cumque id resciret civis, ab emptore redemptam ei iterum misit, obsecrans ne venderet, sed ea frui vellet. Verum non potuit impetrare quin iterum venderet. Sic secundo reempta eidem remisit, dicens: *Videbimus uter nostrum citius fatigabitur tu vendendo, an ego redimendo.* At ipse subridens dixit. *Gratias ago Deo, quod inituri simus certamen, divitis salubre: pauperi commodum, mihi jucundum.* Et ita quoties missum est munus, toties illo vendito pauperibus subveniebat.

Somno levi sanctus.

Leont. in vita ejus.

S. Carolus Borromæus cum in pestilentia illa acerbissima Mediolanensi, ut ægris subveniret, etiam lectum & stragulam suam vendidisset, ex eo tempore noluit amplius lecto uti, sed super duros asseres vili cum tegmine decumbebat.

B. Petrus de Alcantara Ord. Minorum, Confessarius S. Theresæ, quadraginta annos exegit non dormiens, nisi hora cum dimidia, idq; sive die, sive nocte, atq; ut vinceret somnum, vel stans erat, vel fle

genibus orabat. Cum vero dormiendum erat, sedens capite innitebatur super asserem parieti infixum. Sed nec toto corpore iacere potuisset in cellula sua, quæ tantum quatuor pedes cum medio longa erat. Ita refert se ex ore ejus audisse *S. Teresa cap. 27. vitæ suæ.* Additque, ipsum sibi apparuisse post mortem frequentius; ac prima vice qua apparuit, dixisse: *O felix pœnitentia, quæ talem promeruit mercedem!*

Breviar. Rom. 21. Octob. *S. Hilarion*, in cujus Festivo die hæc scribo, extructa in solitudine exigua casa, quæ vix ipsum caperet, humi cubabat. Nec saccum quo amictus erat, unquam lavit; aut mutavit, supervacaneum dicens munditias in cilicio quærere.

Interim dum dormit Dominus, tanquam alter Jonas securus: *Ecce motus magnus factus est in mari ita ut navicula operiretur fluctibus.* Sic mors ante oculos navigantium obversabatur. An forsan eo inscio hæc orta est tempestas? Absit. Immo ab ipsomet Christo, ejusque imperio specialiter suscitatam tradunt nonnulli ex Sanctis Patribus. Unde

Beda. Autbertus. Carthus. Origenes homil. 6. in diversos: *Tempestas non ex se orta est, sed potestati parvuli imperantis, ejus qui educit ventos de thesauris suis.* Sic hic cernere licet illud Psal. 106. *Dixit & stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus ejus*; id est, Imperavit Deus, & stetit, sive insurrexit ventus procellosus, ad ejus nutum paratus maris fluctus exaltans. Quid deinde? *Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat; Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est.* Hoc de Christi discipulis verum est, qui rabescentes præ timore, omnem peritiam regendi navem perdiderant.

Tempestas quare excitata. Sed cur Dominus hanc voluit excitari tempestatem? Variæ rationes, à Sanctis Patribus insinuantur.

Pr. 1. Christus ostendit suam potentiam. *Prima* est ex parte ipsius Christi, ut potentiam suam notam faciat. Hanc his verbis exprimit auctor Glossæ ordinariæ: *Ut discipuli magis timeant & regent, & rogantibus ostendat potentiam, hanc suscitat tempestatem.* Nempe cum in terra multa patrasset miracula coram plebe & discipulis, transit ad mare, ut & ibidem potestatem suam ostendat, & fidem in discipulis excitet ac confirmet, suamque gloriam in eorum liberatione manifestet, auditi Chrysost. in Matth. *Christus fecit in mari magnam turbationem, ut magna turbatio magnum incuteret discipulis timorem, & magnus timor induceret ad clamosam orationem, & oratio induceret ad magni miraculi operationem, & magnum miraculum induceret homines ad magnam fidem & admirationem.* Hæc Chrysostomus.

Pr. 2. Justi adversis concutiuntur. *Secunda* est ex parte nostra, quia hic documentum voluit dare omnibus, etiam justis, quod licet justi sint, & cum Deo navigent, multis tamen adversis concuti eos oporteat, & probari. Hoc plerisque mirum videtur, quod mali secundo flumine navigent, dum boni undique magis concutiuntur. Hinc cum Angelus Gedeonem salutasset, *Dominus tecum virorum fortissime:* Respondet Gedeon: *Si Dominus nobiscum est, quomodo nos apprehenderunt mala?* Sed Deus varias habet rationes, cur suos velit tribulationibus variis concuti, eorum probans patientiam, humilitatem, fidelitatem. Vult nempe eos se sequi, non solum in terra, dum iter jucundum est, & aura favens, sed etiam in mari, inter procellas & fluctus. Sic veri & fidi explorantur amici, dum temporis procella eos ab amico non separat, nec ab obsequiis reddendis; quia non ejus tantum diligunt felicitatem, sed magis personam. E contra de multis verum est; *Iud. 6.*

Si fueris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Pr. 3. Christus suos patientia probat. *Tertia* est ex parte discipulorum. Christus enim discipulos voluit ducere in mare, & in tempestatem turbulentam, ut eis jam daret quoddam præludium procellarum, & tentationum, sive persecutionum futurarum. Hi enim tanquam gubernatores mundi hoc periculo naviculæ fluctuantis erudiendi erant (velut in imagine) ad fortiter ferendas procellas & fluctus, qui postmodum impetituri erant Ecclesiam; & simul ad confidentiam magnam, in illum qui simul cum illis navigabat, qui dicit. *Cum transieris per aquas tecum ero; & flumina non operient te.* In omni ergo genere patientiæ exercuit illos Christus, quos orbis athletas & Navarchos instituebat. Etenim cum illo famem & sitim patiuntur in deserto, cum illo frigus & æstum tolerant peregrinando, cum illo paupertatis sunt sectatores sine certo domicilio, cum illo de civitate in civitat em transeunt ob Evangelium, non sine labore cõtinuò, cum illo à Pharisæis calumnia afficiuntur & opprobrio cum illo in mari & tempestate jactantur non sine grandi periculo. Sic merito eis dicit: *Vos estis qui mecum permansistis in tentationibus omnibus meis.* Sic ad omnia dura eos exercet sacra quadam velitatione, & præludio, ut nihil postmodum videatur eis peregrinum, & à sua vocatione alienum. Certè qui mare navigarunt, multasque hyemes & procellas perpessi sunt, non parvum suæ peregrinationis lucrum reportant; quia fidentiores sunt, & pelagi sævitiam minus horrent, ideoque intrepide transmarinas aggrediuntur peregrinationes. Sic & Apostoli qui multas pro Christo, ab ipso Christo, afflictiones ferre didicerant, excelso postmodum animo omnia adversa meritò despiciebant. Unde S. Petrum sic alloquitur D. Leo. *Ad hanc urbem, Romam, venire non metuis, & turbulentissima profunditatis. Oceanum, constantior quam cum super mare gradereris, ingrederis.* Et de utroque Apostol. Principe eleganter sic pronunciat S. Augustin. serm. 20. de Sanctis. *Petrus super aquas ambulare debita soli Deo potestate præsumpsit; verum obstante natura per insueti maris novas vias pendulum inferens gressum, tumentia maris dorsa calcavit. Sed non minor Paulus, quem velut navi testamenti tonam die ac nocte per maris profunda jactatum absorbuit fluctus, & reddidit,* *Luc. 22.* *Isa. 43.* *Leo. ser. 10.*

reddidit, quasi sacrum depositum violare non audens, qui familiatrix eum unda custodiens, illæsum populorum prædicationibus reservabat.

Ser. 4. Ambr. in Luc. Quartam causam tempestatis dat S. Ambr. quod scilicet Judam improbum navicula veheret. Verba Ambrosii sunt. *Non turbatur navis qua Petrum habet, turbatur illa quæ Judam habet. Et si ibi multa Discipulorum merita navigabant, tamen adhuc illam perfidiæ proditoris agitabat, in utraque Petrus, sed qui in suis meritis firmus est, turbatur alienis.* Ex qua opinione deducitur, semper timendum aliis, dum aliqui in aliqua communitate improbi sunt, & Deum offendunt. Nam & justi quandoque ob aliena demerita concutiuntur, & tribulationibus involvuntur. Propter unius peccatū dicitur. *Non poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate. Non ero ultra vobiscum, &c.* Propter unum Achan hoc Deus minatur Israeli. Similiter Deus. *Ne sit inter vos vir aut mulier familia aut tribus, cujus cor aversum est hodie à Domino Deo nostro, ut vadat & serviat Diis aliarum gentium & sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem.* Nempe dum quis peccat in civitate, alii debent timere: quia ibi radix est germinans fel afflictionis & flagelli divini, ita ut nec securi sint justi ob aliorum delicta. An non propter inobedientiam Jonæ omnes in navi periclitabantur? Non mirum igitur si naviculam Ecclesiæ adeo jactari videamus, quæ non unum modo vehit Judam, sed sanè plures ei non absimiles, etiam ad clavum Ecclesiæ vocatos, & gubernacula admissos horum scilicet perfidia tempestatem ciet, navemque exagitat.

Justi ob aliorum delicta concutiuntur.

Ios. 8.

Deut. 26.

PARS II. Quomodo Jesus excitatus imperat mari & ventis.

CUm dormiret Christus, & periculum urgeret, excitant eum discipuli clamantes; *Domine, salva nos perimus*: vel dicit Marcus c. 4. *Magister non ad te pertinet quia perimus?* Utique pertinebat ad ipsum, & discipuli omnino cordi & curæ Magistro erant. Nam licet dormiret corpore, non tamen corde; licet clausisset oculos carnis humanæ, non tamen oculos divinitatis & providentiæ. Ideo dicitur de eo: *Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel.* Quasi diceres, Cæteræ urbes & naves vix habent securitatem, quia dependent à custodibus & gubernatoribus qui indormire possunt. At Custos Israel, & gubernator ejus, non dormitabit, neq; dormiet; quia nec dormit aut dormitat ille qui impugnat Israel, qui fluctus suscitat, ut obruat populum Dei. Quandoque tamen ut dormiens se gerit, dissimulat; periculaque permittit, ut fidem, ac diligentiam nostram exacuat. Aliquibus semper dormit, his nimirum qui in infernō clamant, quos perpetuę oblivioni tradit. Aliquibus semper vigilat, electis scilicet suis quos in cœlo non solum sua præsentia custodit, sed & coronat gloria. Aliquibus quandoque vigilans, quandoque dormiens censetur, nobis scilicet in hoc mari navigantibus: dormit dum procellis nos exponi permittit, vigilat dum nos ab illis mox liberat, & securos reddit. Itaque dormit Deo non est aliud quam anxiis tardius subvenire. Tunc verò magnis vult vocibus à nobis excitari. Vult ut cum Psalmista clamamus: *Exurge quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis, & oblivisceris tribulationis nostræ?* Vult ut cum discipulis dicamus; *Domine, salva nos perimus.* Quam apte hoc ei dicimus, cui proprium & nativum est salvare, magis quam igni ardere, magis quam soli lucere? Et quidem inter angustias afflictionum, inter fluctus tentationum ad se recurrentibus, & corde invocantibus, mox quasi excitatus adest; sed id non semper intelligimus, aut sentimus: vigilat pro nobis, ipsum vero quasi dormientem existimamus.

Quibus dormiat, aut vigilet Deus.

Psal. 43.

Nonne *Sanctæ Catharinæ Senensi* videbatur obdormire Dominus, dum agitatur fluctibus cogitationum turpium, quos ei suscitarat satan, virorum & mulierum in nudis corporibus choreas ejus imaginationi repræsentans? Aliquamdiu durarunt hi fluctus, ita ut ejus navicula mergi hac procella videretur; timebat enim consensum in turpitudinem impuris his undis exagitata, & inclamabat: *Salvum me fac Deus, quoniam introierunt aquæ usque ad animam meam: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Tandem tempestate tentationis sedata, præsentiam Domini specialius jam persentiens, amorosè conqueritur illa: *Ubi eras bone Jesu, ubi eras, dum absorbere me nitebatur profundum, & urgebat super me puteus os suum?* Respondit Dominus; In medio cordis tui eram, clavum & gubernaculum tenebam, ne mergeretur navicula: *In tribulatione invocasti me, & exaudivi te in abscondito tempestatis.* In abscondito utique aderam, nec me videbas; non dormiebam, quia te videbam, & nescientem, nec persentientem liberabam; sine me etenim perieras; me præsente perire non poteras. Jā agnosce quā verū sit illud: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecū es.*

Psal. 68.

Psal. 80.

Psal. 22.

Docemur itaq; in omni tribulatione, tam temporali quam spirituali, ad Deum recurrere, & precibus nostris eū suscitare, nec diffidere, etiamsi invalescente tempestate differre videatur auxilium. Omnia enim disponit secundum suam sapientiā; novit quando, & quomodo oporteat subvenire, imò ad extremum usque periculum solet differre optatum subsidium, ut tanto majus appareat beneficium, & tanto acrius provocet nos ad orandū, patiendum, fidendum. Hinc de tribus pueris loquitur S. Chrysost. *Voluit Tyrannus puerorum urbem evertere & non prohibuit Dominus, voluit captivos ducere, nec impedivit; voluit ligare concessit; in fornacem injicere, permisit; flammam ultra modum succendere, & hoc dimisit: & quando nihil reliquum fuerat, sed omnem vim Tyrannus exhauserat, tunc suam virtutem monstravit, & puerorum patientiā.* Similiter poterat castum *Joseph* à calumnia liberare, à falsa accusatione mox justificare, à vinculis & compedibus præservare; clamabat ille de multa tempestate, & videbatur obdormire Dominus;

In tribulatione ad Deum confugiendum.

Hom. 6. ad pop.

Sap.10. minus, eumque desereret: *sed descendit cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum*: Exaudivit eum in abscondito carceris, quasi in abscondito tempestatis, eduxit, justificavit, exaltavit. Consideravidem & in *Susanna*. Ingemiscit, dum jactatur fluctibus gravissimæ tentationis, ad flagitium eam impellere nitentibus improbis illis senibus. Ingemiscit ad Dominum, opprobriosè accusata. Ingemiscit injustissimè condemnata. Nec in his omnibus adesse videtur Dominus, ejus licet precibus & lachrymis vocatus, ut innocentis fieret Advocatus. Quid tandem? Jam funibus constricta tenetur, jam ad supplicium rapitur, jam saxis plenæ sunt manus plebis ream subsequentis, jam omnis humani auxilij spes elanguit; illico adest Dominus qui dormire videbatur, sedatque tempestatem per spiritum *Danielis* pueri junioris, ejusque innocentiam omnibus facit manifestam. Sic nimirum quando aliqui ex toto deseruntur, auxiliatrix Dei adest oculus & manus. Audi & aliud. Errabat puer *Ismael* fiti enectus, exul à paterna domo agebat deducente eum *Agar* Matre. Tandem Mater abjicit eum sub arborem, deserit curam pueri & dicit: *Non videbo puerum morientem*. Exaudivit autem Dominus vocem pueri, inquit Scriptura. Antea non erat auditus, licet amare fleret, quamdiu scilicet mater illius curam gerit; ubi verò Pater & mater dereliquit eū. Dominus assumpsit illum, & Matri ostendit puteū, quem meritò illa vocat *Puteum videntis me*, quia videt, audit, & exaudit in abscondito tempestatis, nec unquam suæ providentiæ oculos clausos habet. Itaque nonnunquam suos jactari & premi sivit Deus, ut jactati pressi clament, clamantes confidant confidentes exaudiantur, exauditi Deum glorificent. Hoc exemplo naviculæ Discipulos vehentis, & vehementer tamen exagitatæ declarare voluit Dominus.

Gen.36. Dan.13.

Christus ostendit se Deum. *Surgens imperavit mari & ventis*. Ostendit hoc imperio se eundem illum esse, qui super omnes creaturas ab initio potestatem habuit. Imperavit enim mari, & divisum est, transitumque dedit, ut *Exod.14.* sicco vestigio Israel pertransiret. Imperavit terræ, & mox illa dehiscit *Core, Dathan & Abiron* cum *Num.16.* familijs suis, quia *Deo & Moysi* erant rebelles. Imperavit igni, & descendit de Cœlo ut clade æterna *Gen.19.* involveret *Sodomam*. Imperavit Soli, & stat ut *Iosue* *Ios.10.* consequatur consummatam victoriam. Imperavit stellis, & illæ manentes in ordine suo, instar aciei ordinatæ, pugnant contra *Sizaram*. Imperavit cœlo, & non dat pluviam. Imperavit morti & inferis, reduntque mortuos suos. Sic sentiunt omnes creaturæ majestatem & imperium Creatoris, ut ejus non possint præceptum præterire: interim homo illis durior & ingratior, rebellem quandoque illi gerit voluntatem. Itaque Christus qui frequenter in terra suam ostenderat variis miraculis potestatem, illam modo ostendit in pelagi furentibus. Unde *Basil. Seleucus* oratione 22. sic eleganter hac de re disserit: *Verbo minaci mare con-*

tinet, & modica voce ingens elementum frænabatur. Recognoscebat veterem vocem, recordabatur antiqui præcepti: Congregentur aqua in unum locum. Nempe cum procellosum ventum & mare, quasi servum & mancipium increpuit: *Tace obmutesce*, & compressit solo verbo, quis non videat illi soli convenire: *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas?* Procul ergo Æolus, cui ventorum fræna & habenas tamquam Deo commisit fabulosa antiquitas. Procul Neptunus, cui maris data olim potestas à Gentilibus. Procul Nereus, Glaucus, Triton, Oceanus, Proteus, Phorcus, Nereides, & alij eorum Dij Marini, quorum quosdam proræ, quosdam puppi, quosdam velis adesse fingebant, ut navis felici ferretur cursu. Procul, inquam, omnes isti factitij fictitiique Dij. Tu dominaris potestati maris, non Neptunus, Triton, aut Glaucus: Tu motum fluctuum ejus mitigas, non Æolus, aut quispiam alius. Sicut tu solus Deus es cœli, non Jupiter altitonans; tu solus Deus ignis non Vulcanus ardens: tu solus scientiarum Deus, non Apollo, aut eloquens Mercurius; tu solus exercituum Dominus, non Mars Bellicosus: tu solus terræ & fructuum ejus Deus, non Ceres aut Bacchus, ita tu solus maris es Deus. Tu solus ei potes dicere tamquam Dominus; *Tace obmutesce*. Tu involvis illud nube, quasi pannis infantiæ, tu ponis ei terminum, & dicis: *Huc usque proceedes, hic confringes tumentes fluctus tuos.*

Psal.88. *Giraldus de Dijs, Sintag.* *Iob.38.*

Non ergo etiam homines sibi nimis superbe arrogent maris dominium, qui nequaquam ejus fluctibus possunt imperare, vel undas comprimere. Superbiæ & stultitiæ sic arguit Scriptura Antiochum: *Is qui sibi videbatur etiam in fluctibus maris sibi arroganbulare, supra humanum modum superbia replebatur, & montium altitudines in statera appendere, nūc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contemnans & qui paulo ante sidera Cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare, eo quod de corpore impij vermes scaturirent, & ita ut fœtore exercitus gravaretur.* Vesaniæ etiam merito arguuntur ab Historicis *Cyrus & Xerxes*, qui intolerando fastu Gyndem Fluvium, siccare & pontibus Hellespontum trajicere conati cum res non succederet, verbera fluvio infligi, compedes injici stigmata inuri jusserunt. Hi sunt stultorum Regum æstus, qui potestati undarum dominari non potuerunt.

Mare ãquarum minium superbe ambulare. 2. Mac.9. *Herodotus l.1.* *Horat. l. 1. ep.2.*

Sapientius & pientius *Angliæ Rex Canutus*, Hic cum animi gratia Oceani littus obambularet, assentator quidam eius Aulicus in Regis laudes multa cœpit dicere, Regum eum potentissimum dicebat, qui terræ & mari latissimè imperaret. Tū Rex chlamydem regiam exuens, & ex illa convoluta sedem sibi faciens proximè aquam, dixit: *Mare tu regni mei pars es, itaque tu mihi obtemperes, & hunc terminum quem tibi statuo, ne transgrediare. Unde ego tibi jubeo ne pedes meos tangas.* At mox sese ex alto fluctus inci-

Polidorus Virgilius l.7. hist. Anglorū

sanctas eum totum madefecit. Illico ipse surgens ad suos ait: *En quam vana est Regum potestas, quamque vane me mariu Dominum appellatu, quod nec in tantillo mihi voluit obtemperare.* Paulò post ubi Vintoniam pervenisset, detractam de capite coronam imagini Crucifixi in templo Sanctorum Petri & Pauli imposuit, dicens: *Tu dominaru potestati maru & motum ejus tu mittigas.* Exinde non amplius usus dicitur ejusmodi insigni.

Fluctus, maru Sancti precibus suis sedant.

Cæterum etiam Sanctis suis Deus quandoque communicat hanc suam super fluctus potestatem, sed tamquam servis, non tanquam Dominis: ipse nimirum ut Dominus per servos suos operatur. Unde S. Chrysost. Hom. 29. in Matth. sic hac de re loquitur: *Quamquam Moyses tale quid olim fecerit; ille quasi servus, Christus quasi Dominus operatur. Non enim virgam ut Moyses tetendit, non manus in cœlum sustulit, non precibus indiguit; verum ut Dominus ancillæ imperans, & conditor suæ creaturæ, fluctus depressit fræna vitque solo verbo & præcepto.* Hos frequenter sanat in gratiam Sanctorum suorum, ut eos incolumes reddat è fluctib⁹, & alios per preces eorum.

Act.27.

Sic *Paulo* in valida tempestate oranti astitit Angelus nocte, & dixit: *Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere, & ecce donavit tibi Dominus omnes qui navigant tecum;* erant autem animæ 266 in navi.

Sic S. *Magdalena*, cum *Martha*, *Lazaro* & sociis, à Iudæis navi sine velis & remis imposita, feliciter appulit Massiliam, Deo ad ejus preces ventos & fluctus compescente, & navim regente.

Sic S. *Nicolaus* in Palestinam profectus, ut loca sancta præsens veneraretur, conscensa nave sereno cœlo horribilem nautis tempestatem prædixit; sed mox citam, cum omnes in summo essent periculo, precibus sedavit.

Beda l.1. hist. Angl. c.17.

Memorabile est, & Evangelicæ huic narationi simile, quod de S. *Germano Altissiodorensi*, & S. *Lupo Trecensi Episcopo* refert *Beda*. Cum in Britannia serperet hæresis Pelagiana, electi hi fuere à Synodo Episcoporum Galliæ, & destinati in Britanniam, ut eos in fide confirmarent. Ipsi igitur jussa & preces Ecclesiæ Gallicanæ prompte suscipientes; navigationem ineunt. Cum vero à Gallico sinu ad medium usque itineris navis tuta volaret, subito occurrit inimica vis dæmonum, invidentium salutem populis ad quos hi tanti viri destinabantur. Concitantur procellæ, cœlum diesque nubiũ nocte subducitur, ventorum furorem vela non sustinent, cedunt ministeria victa nautarum: & jam ferebatur navis oratione, non viribus. Sed ecce etiam *Germanus* fractus corpore & lassitudine, resolutus est sopore. Tunc quasi repugnatore cessante tempestas invaluit, & navis jam fluctibus mergebatur. At B. *Lupus*, omnesq; alii turbati instar discipulorum, suscitant Ducem suum, ut elementis furentibus opponat. Ille immanitate periculi constantior Christum invocat, & assumpta in nomine S. Trinitatis olei & aquæ benedictæ aspergine fluct⁹ sedat, hor-

Surius in vita S. Germani.

tans universos ut uno ore orationem profundant. Sic fugantur inimici, sic tranquillitas redit, & venti è contrario reversi itineris sunt administri, navigiumq; famulatrix unda subsequitur: & decursis pelagi immensis spatiis, brevi littoris optati quiete potiuntur.

Propterea etiam viri sancti cum opus aliquod Apostolicum, vel Dei gloriam concernens adoriebantur, nullum terræ, vel maris periculum metuebant, scientes se illi curæ esse qui mari & ventis potest imperare. Sic S. *Xaverius* in Mauricas contendens insulas Evangelii gratia, cum amici dissuaderent, ac tandem navigium negarent respondit: *Se nulla pericula timere, nullumque genus mortis, ubi de Dei gloria & animarum salute agitur, de se velle in Mauricam Deum vocantem sequi, quodsi navis deest, semet Deo incubantem utique transnaturum.* Ita refert Turselinus li.3. vitæ ejus cap.3.

Celebre etiam est in hoc genere, quod de S. *Ignatio* refertur. Hic cum foret Præpositus Generalis, dicebat: Si Pontifex juberet, ut ad ostia Tiberina navim primò obviam, clavo, malo, remis velis destitutam conscenderem, idque sine commeatu, animo lubenti hoc facerem. Cumq; Prælatus quidam ei diceret, quænam esset talis prudentia? Subjecit Ignatius. *Prudentia non tam est obedientia, quam imperantis.* Nempe hi qui ad gloriam divinam propagandam vocati sunt, in illo debent fidere, etiam supra humanam prudentiam, maximè si ex obedientia destinetur; semper enim scire debent se cum illo navigare qui imperat mari & ventis. Quòd si naufragio emori necesse sit, in ejus voluntate sanctissima conquiescunt.

EADEM DOMINICA.

LECT. 8. *de fluctibus quos Ecclesia, passa, & patitur.*

Ecce terræmotus factus est magnus, ita ut navicula operiretur fluctibus Matth. 8.

NAvicula, quam ascendit Iesus & discipuli, Ecclesiæ typum gerit. Hæc enim frequenter nomine navis, vel naviculæ designatur, ob varias rationes. *Primò*, sicut navis in principio & fine est angusta, in medio lata: sic & Ecclesia in principio arcta fuit ob paucos credentes; in fine etiam angusta erit, quia tempore Antichristi pauci erunt fideles; in medio autem omnino lata est, ob multitudinem credentium fide jam dilatata. *Secundò*, sicut navis nec minimam fissuram pati potest sine periculo: ita nec Ecclesia ullum schisma; aut divisionem, sive patrialitatem, sine multorum naufragio. *Tertiò*, sicut navis variis partibus est instructa, variisque eget instrumentis: habet enim gubernaculum, velũ, malum, anchoram, funes, &c. Ita Ecclesia navigat instructa fidei gubernaculo, erecta crucis arbore quasi malo, velum funesque duplicis charitatis extendit ut Spiritus sancti prosperum flatum excipiat, anchoram quoq; spei non deserit: sic omne quod navigio necessarium est, sibi providens, navigat per

mare hujus sæculi, portans choros Sanctorum, & ad æternæ quietis portum contendens. *Quartò*, sicut in navi est gubernator sunt remiges, sunt & alii diversis officiis addicti, est provisio aquæ dulcis simul & panis; & si longa est & periculosa navigatio, munitiones diversæ etiam armorum in eam inferuntur: ita in Ecclesia Gubernator est Christus, vel ejus Vicarius Pontifex supremus, Officiarii hujus navis sunt, Episcopi, Prælati, Sacerdotes; unusquisque ordinatâ serie officium aliquod obit felici navigationi necessarium: etiam usque ad exhauriendam sentinam, aliqui sunt destinati ne sordibus prægravetur navis, hi suat confessarii. Nec deest in illa aqua dulcis gratiæ in Sacramentorum vasis præparata, nec panis biscoctus in Eucharistia, nec arma spiritualia, quibus obsistatur hostibus. Denique non solum habet remiges pios fideles, sed & Angelos habet remigio feliciter cooperantes. Ac sicut in navi Noë tres erant contignationes; ita & in navi Ecclesiæ tres sunt mansiones, Matrimonium, Viduitas, Celibatus.

Laert. l. 1. c. 9. Anton in Melissa. Alii aliis hoc tribuunt.

Postremò, quod nostro maxime congruit proposito navis in medio mari fluctibus & ventis exposita est, non sine periculo & timore, quia mox ascendere videtur usque ad cœlos, mox descendere usque ab abyssos. Hinc illud Ovidii 2. Trist.

Me miserum quanti montes volvuntur aquarum!
Iam jam tacturos sidera summa putet.
Quanta diducto subsidunt æquore valles!
Iam jam tacturas tartara nigra putet.

Hinc navigantes quatuor tantum digitis à morte distare dixit Anacharsis, tum quia hæc est spissitudo navium, tũ quia paucis digitis navis mari eminet: Et Aristoteles de tribus doluisse dicitur. 1. quod secretum suum mulieri revelasset. 2. quod in hac vita adeo incerta unum diem mansisset intestatus. 3 quod eò navi vectus esset, quòd poterat pedibus proficisci. Ita de Ecclesia dicimus eam continuò agere in medio mari, circumfrementibus frequenter immanibus fluctuum montibus, ventis, procellis, ita ut videatur modo exaltari usque ad cœlos, modo deprimi usque ad abyssos, tabescentibus etiam ejus rectoribus præ tædio & timore. Hinc de illa in sensu mystico rectè possumus interpretari

Prov. 30. quod dicit Sapiẽs. *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro, Viam aquilæ in cœlo, Viam colubri super terram, Viam navis in medio mari, Viam viri in adolescentia.* Sic legunt Hebræi, & intelligi potest de Incarnationis mysterio abscondito, per quod Christus Vir virginem ingressus est admirabili via, nullo relicto vestigio in egressu vel ingres-

Jer. 31. su, de quo mysterio Propheta: *Novum creavit Dominus super terrã, fœmina circumdabit virum.* Viã autem Aquilæ in cœlo, viam possumus interpretari ejusdem Christi pernicibus instar Aquilæ alis cælorum sublimia penetrantis; Viam verò colubri super terram, dicamus esse viam hæresis in terra repentis, & per varios circuitus sese quocumque potest latenter insinuantis in veræ fidei perniciem.

Denique viam navis in medio maris, dicamus esse viam Ecclesiæ inter procellas & minaces fluctus inter horrisonas tempestates peregrinantis, & ad portum suspirantis. Quis verò perfectè assequi vel agnoscere potest ejus viam, inter tot persecutiones contradictiones, schismata, hæreses, quas abinitio jam passa est, & in finem usque sæculi patietur? In *Apoc.* describitur quædam mulier pariens masculũ, & draco stans ante mulierem, ut mox ejus partum devoret. Interim peperit masculum qui rectorus erat omnes gentes, sed ille raptus est ad Deum & thronum ejus; & mulieri datæ sunt alæ ut fugeret à facie draconis. Hæc de Ecclesia rectè intelliguntur, & aliqui quidem, de primis Ecclesiæ temporibus interpretantur, alii de ultimis: Semper Ecclesia Christo gravida est, semper illum spiritualiter parturit; illam verò draco mirè omni tempore persequitur, ut partum ejus devoret, Christum & Christianos, sed ejus protectionem, partusque sui, suscepit omni tempore Deus, suscipietque in finem usque, quantumlibet draco fremat, & furorem effundat. Unde ibidem subditur: *tratus draco in mulierem misit ex ore suo aquam tanquam flumen, sed terra aperiens os suum adjuvit mulierem, & absorbuit flumen.* Hæc est persecutionis & blasphemiarũ illuvies, qua Ecclesiam ab initio appetiit. Tandem adjicitur: *Abiit facere prælium cum reliquis qui sunt de semine ejus & stetit super arenam maris.* Quare stitit super arenam maris, nisi ut naviculam, quo benedictum mulieris hujus semen ferebatur, multiplicatis fluctuum aggeribus, hoc est, varijs exercitatis persecutionibus obrueret, & submergeret? Multiplices ergo fuere fluctus, multiplices procellæ, impetentes naviculam, in qua ascendit JESUS cum discipulis. Vis id specialius cernere?

Apoc. 12

Primos fluctus suscitavit draco per Judæorum Principes, qui cruentis edictis sævichant in Ecclesiam; & eam jam in suis primordiis feliciter navigantem turbidâ persecutione evertere & mergere parabant. Sed frustra fremuerunt, meditati sunt inania. *Sæpe, inquit illa, expugnaverunt me à juventute mea, etenim non potuerunt mihi.* Navigabant discipuli, navigabat cum illis Dominus; & qui ex se poterant esse ad pericula trepidi, illius verbis & promissis, illius virtute & spiritu confirmati; adversus omnes fluctus & procellas obnituntur, & suspensis spei velis prospere progrediuntur, etiam jã non contenti Judææ limitibus, in Gentium ditionem penetrant, & fidei anchoram ibidem figunt. Nempe hoc proprium habet Ecclesia Christi, ut dum persecutionem patitur, floreat; dum opprimitur, crescat; dum contemnitur persistat; dum læditur vivat; dum arguitur, intelligat. Tunc stat, cum superari videtur. Propterea comparatur vineæ, quæ per fossionem, per amputationem excrescentium palmitum; per ventorum agitationem, crescit, floret, fructificat. Item comparatur palmæ, quæ quanto magis opprimitur, tanto celsius erigitur cœlum versus.

Impugnata est Ecclesia per Iudæorum principes.

Psal. 128.

Item

Item comparatur rubo Moysis, qui ardebat, sed non comburebatur, quia Deus in illo latens eum conservabat & protegebat. Denique comparatur Arcæ Noë, quæ tantò altius elevabatur, quanto magis aquæ & fluctus multiplicabantur. Sic prima persecutio multiplicatis fluctibus Ecclesiam non submersit, sed illustravit, & dilatavit. De hac dicitur: *Act. 8.* *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Ierosolymis & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apostolos.* Hæc persecutio fecit, ut discipuli dispersi inde ulterius in alias regiones se sparserint, & illas converterint. *Act. 11.* Unde dicitur: *Illi quidem qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicem & Cyprum, & Antiochiam.* Sic Antiochiæ crescente fidelium numero, primum vocati sunt fideles & discipuli à Christo Christiani. Dicuntque alii, dispersorum numerum fuisse ad quindecim usque millia, & hos fuisse quibus Jacobus scribit: *Duodecim tribubus quæ sunt in dispersione salutem*, quibus & Petrus ait. *Adventum dispersionu Ponti & Galatiæ, &c.* Hoc etiam tempore censent Magdalenam cum Lazaro, Maximino, Martha, & aliis appulisse in Galliam, & Josephum ab Aritmathia transmisisse in Britanniam, ibique Evangelium & fidem propagasse. Sic impiorum conatibus, quibus Dei opera nituntur impedire, utitur ipse Deus, ut illa promoveat Sic adversis licet fluctibus ad portum intentum pertingit nostra navicula à Deo directa.

Baronio, I. Iac. 1. Pat. 1.

2. *Ecclesiæ infestarunt Tyranni & Imperatores.*

Secundos fluctus suscitavit draco per Imperatores & Tyrannos, qui hanc naviculam in Gentium ditionem progredientem submergere sunt conati. Utique *Nerones, Decii, Maximiniani, Severi, Dioletiani*, & similes, quid aliud sunt quam Boreales quidam venti, ab Aquilone à quo repanditur omne malum immissi, omnem impetum & furorem effundentes, ut naviculam istam in qua Christus & discipuli navigabant, funditus everterent? Craticulæ, sartagines, equulei, cruces, catapulta, ungulæ, & sexcenta alia supplicia; quæ semper nova excogitabat ingeniosa crudelitas, nonne fluctus sunt ab Orco suscitati ad eam profligandam? Decem numerantur cruentæ & ferocissimæ procellæ à *Nerone* usque ad *Constantinum* per annos amplius quam ducentos & quinquaginta, quibus cymba Apostolica quaquaversum fuit exagitata. *Prima* fuit sub *Nerone*, qui Petrum & Paulum primarios navis Rectores interemit. *Secunda* sub *Domitiano*, qui Joannem in dolium ferventis olei immisit, & illectum in Pathmos relegavit *Tertia* sub *Traiano*, qui Ignatium leonibus objecit. *Quarta* sub *Antonino*, qui multa Christianorum millia occidit, quos S. Praxedis & Prudentiana in suis ædibus sepelierunt. Tunc passi sunt. *S. Polycarpus, Germanicus & Potamius. S. Felicitas* cum septem Filiis. *Quinta* fuit sub *Septimio Severo*, sub quo passus est Victor Pontifex & alii magno numero, quia fuit valde crudelis & severus. *Sexta* fuit sub *Iulio Maximino*, cujus etiam magna fuit crudelitas, ita ut alii cum *Busiride*m, alii *Phalarim* appellarent, sub eo passi sunt Pontianus & Antejus Pontifices. *Septima* fuit sub *Decio*, sub quo passi sunt sancti Cornelius, Fabianus, Appollonia, Agatha, *Octava* sub *Valeriano*, sub quo passi sunt SS. Cyprianus, Laurentius, & alii. Ipse tandem justa Dei vindicta a Sapore Rege Persarum captus, illi equum ascensuro dorsum instar scabelli præbere est coactus, & ibidem misere periit. *Nona* fuit sub *Aureliano*, sub quo passus est Felix Papa, Agapitus 15. annorum, & alii. *Decima* & sævissima fuit sub *Diocletiano & Maximiano*, sub quibus passus est S. Mauricius, cum legione, S. Agnes, S. Vincentius, cum plurimis, ita ut uno mense septemdecim millia occiderentur. Videre potest *Eusebius* l. 8. Certè illo tempore Christiani vix nisi in antris vivebant, quo se à facie debacchantis furibundæ procellæ abdiderant. Quapropter, quasi de profligata penitus Religione Christiana publica trophæa Diocletiano tunc erecta fuere. Etiam modò Cluniæ & Arevaci in Hispania dicuntur reperiri columnæ cum hac inscriptione: *Diocletiano Cæsari Augusto superstitione Christi ubique deleta, & Deorum cultu propagato.* Tunc obdormire videbatur Dominus, dum Navicula mirè agitabatur ventis, & his operiebatur fluctibus. Hæc turbulentissima tempora lumine prophetico prævidisse & designasse videtur Rex & Propheta, *Psal. 106* *Qui descendunt mare in navibus facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini in profundo. Dixit, & stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus ejus. Ascendunt usque ad cœlos, descendunt usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat.* Qui sunt qui descendunt mare in navibus, nisi Apostolici viri, qui Ecclesiarum gubernacula sunt sortiti? Et hi quidem nebulosis adeò procellis tempore tyrannicæ persecutionis fuere circumvallati, ut quodammodo clavum & regendi peritiam amisisse censerentur, quia furor ille tyrannicus maxime Antistites Religionis impetebat, eos ad simulachra Deorum & idololatriam cogere conitens, ut hi qui eminebant, tamquâ montes transferrentur in cor maris. Hinc & *Marcellinus Pontifex* hac procella turbatus & emotus, quasi sapientia devorata, timore mortis idolis thurificavit. At postmodum maximè pœnituit, & sese arguit ac Tyrannum, qui eum ad id scleris adduxerat, & cum descendisset usque ad abyssos taliter peccando, ascendit usque ad cœlos feliciter pœnitendo, martyrio postmodū & gloria coronatus in cœlis. Sed quid subsidii inter tot procellas, tot ingruentes fluctus & malorū undas? *Clamaverunt ad Dominum* qui videbatur dormire differens auxilium: Clamaverunt tota cordis contentione cum discipulis: *Salva nos, perimus;* & suscitaverunt eum. Tunc imperavit mari & ventis, ac tandē *stetuit procellam ejus in auram, & siluerunt fluctus ejus. Et lætati sunt quia siluerit, & deduxit eos in*

Impugnata est Ecclesia per Iudæorum principes. Psal. 128.

Decem persecutiones Ecclesiæ per quingentos circiter.

Ecclesia propugnator Deus.

portum voluntatis eorum. Hoc nimirum tempore *Constantinus Imp. & Sylvestri Pontif.* qui *Constantinum* (Græcorum Medicorum consilio) de infantium sanguine balneum meditantem pro lepra sua eluenda, baptismo sanavit, virtute illius sanguinis, qui pro totius mundi lepra effusus est. Hic ergo cessare fecit persecutionem, immò exaltavit & ditavit Ecclesiam miris privilegiis & opibus; etiam Romanum ei cedens imperium, & Constantinopolim sè transferens. Tunc ergo lætati sunt fideles, silente procella, & eduxit eos Dominus in portum & quietem optatam. Propter hoc subdit Psal. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. Et exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum.* Utique meritò tunc læti erant Christiani, non solum à lethо erepti, sed etiam cum publico applausu indulto & exemplo Imperatoris Ecclesias erigentes, altariaque, & cathedras Seniorum, Presbyterorum, & Prælatorum. Sic publicè misericordias Domini, & mirabilia eius erga filios hominum decantabãt; officiis divinis & sacrificiis solemnibus; cum antea nonnisi in antris & speluncis delitescentes mœsti flere cogerentur. Hæc tempora respexisse videtur *Isaias* vaticinium, in quo sic alloquitur Dominꝰ Ecclesiam: *Paupercula tempestate convulsa, Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo tuum Saphyris, & ponam Iaspidem propugnacula tua.* Quasi dicat: O Ecclesia mea, quæ antea eras vilis & ignobilis, procellis agitata, & quasi paupercula Navicula in medio maris deserta & despecta, ego eruam te è tot malis; nec solum id, sed etiam regium ac sacerdotalem decorem tibi tribuam, & oculos omnium cum admiratione in te convertam. Stabiliam in te Hierarchicum quemdam ordinem, quasi lapidum pretiosorum: Ut jam sis civitas quædam à me dilecta, & ad exemplar cœlestis civitatis à me ornata, & ordinata.

Isai. 54.

Tertiò fluctus suscitavit draco hinc invidens tranquillitati per hæreses, errorumque illuvies, quæ miram suscitarunt tempestatem, maximè tempore Arianorum. Licet enim ab initio Ecclesiæ hæreses multæ irrepserant, Cherinthi, Ebionis, Simonis, Nicolai, Menandri; parum tamen in valuerant, Apostolis & Discipulis Christi eas redarguentibus & compescentibus, qui quod audierant, quod viderant, quod contractaverant, de verbo vitæ annunciabant: eorumque auctoritas hos errorum fluctus facile potuit mitigare, vel elidere. At Arianorum error primũ dolosa arte irrepens, mox furioso Marte irrumpens, primas etiam Ecclesiæ Cathedras occupavit, cum Regium Cæsareumque Thronum sibi vendicasset. Nam Constantius, Ursacius, Valens, Imperatores hoc errore imbuti Episcopos multos ad se allexerunt, vel blanditiis & dolis, vel vi & minis: ita ut in Concilio quodam Ariminensi, & aliis conciliis Episcoporum pene omnium, vera fides de consubstantialitate Filii, & æquitate cum Patre, in Micæna Synodo à trecentis decem & octo Patribus, Præside S. Sylvestro definita, fuerit tunc exposa & condemnata, urgentibus Imperatoribus & Episcopis Arianis. Tunc veræ fidei defensio in solo S. Athanasio, cum paucis Episcopis, aut sacerdotibus sibi adhærentibus, resedisse visa est. Ideo in ejus exterminium conjuraverant, Imperatores, Episcopi, Populi, & Exercitus, imò totus infernus. Missis à Constantino Imp. quaquaversum exploratoribus, ut vivus, vel mortuus quæreretur, quinque annis in siccâ cisternâ delituit, nec solè, nec homines videns, uno ejus clerico victum suppeditante. Atque iterum alias persecutione inundante; 4. mẽses in paterno delituit incognitus, quasi jam sepultus licet & vivus. Multoties quoque tempestatibus his Arianorum jactatus, in exilium abire est coactus; incredibilesque perpessus calamitates, magnã orbis terræ partem peragravit. An nõ hi admirabiles fluctus. Naviculam nostram operientes? Et hi quidem fluctus periculosiores fuere prioribus quia non solum à foris erant, sed deintus: Gentilium persecutiones foris tantum concurrere navem censentur; hæresum autem undæ intus eam prægravant, exagitant, discriminique majori exponunt. Hoc notavit S. Chrysolog. super illis verbis Marci. 4. *Facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut adimpleretur navis.* In quæ verba sic ait: *Dominicam navem quantũ extrinsecus quatiunt undarum Gentilium moles; tantũ intrinsecus tumidi hæreticorum desæviunt fluctus. Hanc tempestatem se pertulisse B. Paulus declarat, dũ dicit: Foris pugnæ, intus timores. Et merito spumosis fluctibus Evangelista refert navem fuisse repletam, quam toti pene hæreses Ecclesiæ patiatur, quot divinæ legi sunt quæstiones.* Hæc ille. At vero hoc Arianorum tempore, dũ totius penè orbis una foret tempestas, dum Regum spumabant undæ, dum fervebant potestatum fluctus, dum sanabat rabies proditorum, dum populorum gurgites rotabantur, dum perfidiæ scopuli notabantur, & mugiebant littera Christiana, dum totus orbis ingemiscens se Arianum miratus est, ut loquitur S. Hieron. *Nunquid dormire videbatur Dominus, quasi impotens, & imjus rei ignarus? Non dormiebat ejus majestas & providentia expers lassitudinis, ignara quietis. Non dormiebat ille, cujus palpebræ interrogant filios hominum, quæ nunquam claudũtur, nisi ut non videant malum, sed vultu averso plectant & puniant delinquentes.* Voluit igitur explorare suorum fidem, se gerens quasi ignarium & dormientem, ut Rectores jam sibi diffidentes tanto humilius recurrerent ad eum qui primario navim gubernat; cujus peritiam probat non temporis serenitas, sed procellosa tempestas; quia blandiente aurà navem regit ultimus nauta, sed in confusione ventorum primi quæritur ars Magistri. Cum humana ars & sapientia deficit, tum divina adest, si advocetur; & seriò quidem quandoque adesse videtur, sed novit quando adesse debeat opportunè, ut periculum submoveat, & salutem reddat rebus pene desperatis.

37. *Ecclesiam navem infestarunt Hæretici.*

Chrysol. ser. 21.

Rector

Oola. *Rector in incertò est, nec quid fugiatve, petatve,*
Invenit ambiguis ars stupet ipsa malis.

Hoc verum est ubi homines sibi & sapientiæ suæ fidentes regunt. At ubi Deum agnoscunt Rectorem & Vectorem qui mari & ventis imperare possit, tutaque ad eum fiducia recurrunt, haud deseruntur. Quod & hic factum est. Nam Deus piorum precibus & lachrymis vocatus, & quasi dormiens suscitatus, potenti suo imperio fecit, ut sileret Ariana tempestas. Sic ubi & quando voluit adjutor in oportunitatibus & tribulatione tranquillavit orbem, mitigavit Reges, potestates placavit, sedavit fluctus, composuit populos. Et sicut per patientiam Martyrum, alteram Tyrannorum devicit procellam: sic & hâc hæreticorum tempestatem præclarissimorum virorum sapientia dissipavit. Etenim clarissima illa lumina. Athan. Basil. Gregor. Nazian. Hilarius, Ambros. Hieron. Augustin. sapientiæ suæ fulgore hæresim non solum Arianorum dispulerunt; sed & Donatistarum, Pelagianorum, Manichæorum, & similium tenebrosas nebulas stygiis latebris erumpentes propulsarunt; ita ut tenebræ & tempestates istæ errorum irritæfuerint, & in vanum irritatæ contra hanc Naviculam. Ideo hæreses torrentibus comparat S. August. sic dicens: *Non vos terreant fratres quidam fluvii, qui dicuntur torrentes; hyemalibus aquis implentur, aquæ ad tempus perstrepit, mox cessant, diu stare non possunt. Multa hæreses jam emortuæ sunt, cucurrerunt in rivos suos quantum potuerunt. Siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur, ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens.* Hæc August. in Ps. 57.

Postremi fluctus qui naviculam hanc prægravant, & in discrimen adducunt, sunt corrupti Catholicorum mores, & fæculenta vitiorum, & flagitiorum illuvies. Hos etiam fluctus draco suscitat, dum ejus viroso afflatu in populis cernitur iniquitas, in Judicibus injustitia & cupiditas, in Principib⁹ ambitio & damnosa vanitas, in Religiosis exundâs libertas, in clero sæcularis voluptas, in omni statu, ætate mira corruptela, & ad malum proclivitas. 4. Navem Ecclesiæ gravant vitia Catholicorum.

Certè hisce nostris procellosis temporibus non desunt multiplices hactenus explicati fluctus. Naviculam Ecclesiæ valde infectantes. 1. Non desunt Judæi variis in Provinciis, qui in Christianos magno odio & invidia feruntur, fidemque Christianam, si non ita palam, clàm saltem quantum possunt, persequuntur, & è multorum cordibus eam convellere nituntur. 2. Nõ desunt barbari & infideles, Saraceni, Turcæ, Mahometistæ, qui Ecclesiam jugiter persequuntur & illius fidẽ submergere conantur, ut sectam suam & infidelitatem toto orbe propagent. Et hi Orientis imperio occupato, & Hungaria ac Transilvania ex parte subacta jã Germaniæ, Poloniæ, Italiæ imminent Christianorum adhuc sanguinem sitiunt, quem prioribus sæculis sæpe fuderunt, & illo inebriati, necdum sunt satiati. 3. Non desunt hæresum fluctus à Lutheranis & Calvinistis excitati, rabie contra Ecclesiam similiter insatiabili. Hinc tot funestæ bellorum clades à Principibus eorum suscitatæ, quæ Belgium & totam Germaniam mire involvunt, & concutiunt. *Ibi elevaverunt flumina vocem suam, elevaverunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum:* hoc est, multæ ibi conspirationes, seditiones, persecutiones excitatæ sunt, immissis exercitibus, quasi torrentibus horrisonis, ad fidem Catholicam submergendam. Ibi profanata Templa. Monasteria in prædam data; exturbati religiosi, & in exilium acti, ibi Sacerdotes & Episcopi suis sedibus & beneficiis orbati, ibi universa tam privata quã publica, tam sacra quam profana mira confusione de populationi fuere obnoxia. Hæ sunt mirabiles elationes maris adversus Christi & Petri Naviculam. Hi fluctus fieri, hæ spumæ confusibiles à Rege à maritimis locis progrediente Principibus hæreticis coadjuvantibus, jamdiu suscitatæ; quæ modo adhuc perseverant, tumidè, tenebrosè, mare inquietantes Ecclesiam & Imperium. Sed inter hæc animum non debemus despondere, neo modicæ fidei esse; quia si *mirabiles sunt elationes maris, mirabilis est in altis Dominus*, potens eas compescere. Utique, *Deus noster refugium & virtus, adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, transferentur montes in cor maris.* Etiamsi nonnulli Principes & Duces, qui tãquam montes eminere videbantur in regno vel Imperio; Regem vel Cæsarem deserant, imò & Ecclesiam, in abyssum rebellionis & hæresis, quasi in cor & profundum maris projecti; tamen sub refugio & adjutorio divino non est animo cõcidendum. Licet consilia misceant quibus orbem conturbent, licet omnia commiscean & confundant suscitatis tumultibus, variis, non est nimio timore trepidandum: *Sonuerunt & turbata sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine ejus.* Horrendo fragore exercitum, quasi voce & impetu aquarum multarum; nonnulli in sublimitate constituti perterriti sunt, exagitati, & perturbati: sed Civitas Dei non turbatur, licet maria æstuent, spument, fremant, minitentur irruituras moles aquarum & montium. Quid ita? *Quia flumen impetus lætificat Civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus, Deus in medio ejus non cõmovebitur.* Ob speratam Dei opem, impetuosi fluctus tribulationum quandoque justis (incolis scil. hujus civitatis) sunt materia spiritualis gaudii: & gratia Dei velut fluvius placidus corda eorum irrigans, exhilarat eos, & securos fortesque reddit contra sævissimos fluctus maris. Sciunt ipsi quod civitatem suam firmarit Deus, & tabernaculum fixerit in medio ejus, ut suorum preces exaudiat, & opem ubi opus fuerit, ferat. Cum igitur in illius versetur meditullio, tali custode nullam oportet vereri hostilem incursum, nullam cladem. Si ita judicarit congruum; *Adjuvabit eam mane diluculo*; Tempestive, & quasi ante auroram, auxiliarem præbebit manum, eritque, ut ait Propheta: *Brachium*

Psal. 92. *In persecutione Ecclesiæ Deus pro auxilio ferendo invocantes in eor maris.* Applicatio Ps. 45.

chium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis. Non ergo diffidamus. *Ecce conturbatæ sunt gentes, inclinata sunt regna, dedit vocem suam, mota est terra,* adversus Ecclesiam adversus Civitatem Dei conspirans: sed dicere possunt cives ejus: *Dominus virtutum nobucum, susceptor noster Deus Iacob* Si nobiscum est Deus virtutum, exercituum Deus, in ejus potestate est armorum belliq; omnis dispositio, & compositio. Quando illi placuerit, *auferet bella usq; ad finem terræ, arcum conteret, & confringet arma, sic exaltabitur in gentibus, & exaltabitur in terra,* is qui post tempestatem tranquillũ facit, & admirabuntur omnes dicentes. *Quis est hic, quia mare & venti obediunt ei?*

Conclusio. CLamemus itaque ad Dominum, & quasi dormientem suscitemus: *Domine salva nos, perimus.* Clamemus non tàm forti voce quam forti fide; non tam corporis contentione, quam animi devotione, non murmurantium pravo more, sed supplicantium pro clamore. Dum se undiq; furens & pernicios us ingerit turbo ventorum, dum tristi tonitu littora Christiana feriuntur, non solum illorũ est clamare qui conquassantur, sed & omnium nostrum. Si verè credimus nos unum constituere corpus cum his qui ejusdem sunt fidei & professionis, nostra credere debemus esse viscera hos qui in tempestate conteruntur; & ideo misericordiæ & pietatis operibus, afflictione jejuni, precum gemitu, fletus effusione meritò clamare debemus: *Domine salva nos, perimus.* Si fratres nostri sunt illi qui sub cruento & babylonico gladio affligantur, vel interimuntur, noster sanguis effunditur; & ideo meritò ingemiscimus, & corporum ac animarum naufragium amoliri precibus conamur. Si Deus justus est, & ejus flagella nostræ provocant culpæ; etiam misericors est, & ejus vindicem impedit manum, ejus cruentum mucronem nostra recondit supplicatio. Revertamur ergo ad Dominum, ut revertatur ad nos Dominus: renunciemus malis, ut respondeant bonæ: serviamus Deo bono, ut malis & iniquis potestatibus non serviamus. Clamemus cum Apostolis, sed non modica fide, *Domine salva nos, perimus;* & ipse imperabit mari & ventis. Clamemus cum Ecclesia humili & cordata supplicatione quasi è medijs fluctibus: *Deus qui nos in tantu periculu constituisti pro humana seu fragilitate non posse subsistere, da nobis salutem mentis & corporis, ut ea quæ propeccatu nostru patimur, te adjuvante, vincamus.*

DOMINICA V. POST EPIPH.

Lect. 9. tripartita. *Simile est Regnum Cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo.* Matth. 13.

PARS I. *Semper [illegible] bos.* INter ea quæ hominibus admirationem pariunt in hoc sæculo, quæ nec satis assequi humanus potest intellectus, nisi speciali lumine illustratus, recensetur prosperitas iniquorum, & afflictio, oppressioque justorum. Etenim hujus rei consideratio nonnunquam etiam bonos torquet, & quasi fluctantes reddit, ac de divina providentia dubios. Propterea apud Deum multi è Prophetis conquesti sunt, velut cum eo eam ob causam disceptantes. *Primus* est *Ieremias,* sic Deum alloquens: *Iustus es Domine, si disputem tecum, verumtamen justa loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur, & inique agunt?* Plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt & faciunt fructum, prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum Quasi dicat: Etiamsi sis me justior; ita ut tecum disputare non debeam, tamen pace tua liceat mihi afflicto nonnihil indulgere affectui meo, & proponere justam, ut mihi apparet, expostulationem & querelam Quare impij in prosperitate omnimoda agunt quasi arbores alta radice plantatæ, floridæ, & frugiferæ, proficiunt opibus, honoribus prolibus? Quare quæ postulant, & in votis habent, mox consequuntur, quasi adesses ori eorũ; & renes eorum, ac terga immunia sunt à flagello tuo? *Secũdus* est *Iob,* eandem plane querelam expromens his verbis: *Quare impij vivunt sublevati confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum, Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit, & non abortivit; vacca peperit, & non est privata fœtu suo. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus* Quasi dicat: Omnis eis prosperitas est, & omnis incolumitas in familia, sive in pecoribus fœcundis, sive in pueris, qui circa domos eorum lusitant vegeti & sani; nullus apud eos morbus, vel afflictio. *Tertius* est *Abacuc. Usquequo Domine clamabo & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborem, videre prædam & injustitiam contra me, & factum est judicium & contradictio potentior? Quare respicis supra iniq; agentes, & taces devorante impio justiorem se & facies homines quasi pisces maris?* Quasi dicat: cur permittis tantam iniquitatem, tanta scelera, quæ ob alis meis exhibita, dirè me cruciant & vociferari faciunt, quasi vim paterer? Quomodo enim sine acri dolore cernere valerem tantam afflictionem justorum, tantam violentiam & oppressionem, quam commovent perversi homines probis potentiores, quos in judicio circumveniunt, & litibus exagitant? Quare benignis adhuc oculis illos respicere; illisq; favere videris; permittens ut justiores se devorent, sicut in mari majores pisces devorant minores? *Quartus* est Propheta David; *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei. Quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns, &c.* Q.d. Similis fui illi qui in via lubrica aut inæquali & confragosa titubat & vacillat, & quasi labascit; dum nimia indignatione commotus fui videns felicitatem & prosperitatem impiorum: nã fere tentationi succumbens, declinabam à rectis co-

nos aliquã malie-runt.

Hier. 12.

Iob 21.

Abac. 1.

Psal. 72.

cogitationibus de Dei providentia, & de firma in eum fiducia quodammodo decidebam. Nam cum eos quadam ratione beatos censerē, quædam velleitas eos imirandi suboriebatur, & ad eam felicitatem quaqua ratione pertingendi. Hæc porro effusio gressuum, & motio pedum primos motus indicat, qui non semper in nostra sunt potestate, nec sēper reos nos efficiunt, sed ad exercitium proficiunt & meritum, si mox eis obsistatur. Unde nec David nec alij Prophetæ censendi sunt dubitasse hic de Dei providentia: sed humanum quendam exserunt affectum, & velut in persona infirmiorum loquuntur, ipsi tamen firmi. Unde & suam firmitatem, non obstante tali querimonia, quilibet eorum præmissis aliquibus verbis profiteri videtur. Ideo priusquā exponat Jeremias querelam suam, justitiæ divinæ professionem præmittit: *Justus es Domine, si disputem tecum.* Similiter & Job ne videretur Deū arguere injustitiæ præmittit: *Nunquid contra hominem disputatio mea? Et ego quando retorquatus fuero, pertimesco.* Sic & Abacuc prævenit eandem quæ de se cōcipi poterat, opinionem, dicens: *Mundi sunt oculi tui ne videas malū, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Tunc addit: *Quare taces impio conculcāte justiorem se?* Deniq; & David antequam suā quæ vacillare videbatur opinionem de impiorum prosperitate proponat, firmæ fidei professionem promittit, contenta voce exclamans: *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!* Et postmodum cum suggestio quædā occurreret, interius sibi dicens: Si omni prosperitate fruuntur improbi, omni afflictione premuntur probi: *Ergo sine causa justificavi cor meum, & lavis inter innocentes manus meas,* mox sinistram illam corrigit cogitationem: *Si dicebā narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.* qui tuam agnoscunt providentiam & justitiam, licet diversis afflicti malis, dū in bonis impij luxuriant. Tandē addit *Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in novissimu eorum.* Q. d. Non possum assequi sufficienter has rationes divinæ providentiæ, nisi intrem in abdita consiliorū ejus secretorū per orationem, ubi illuminer ab eo ad cognoscendum eorum infelices exitus; quod & in altera vita plenius intelligere dabitur in æterno Sanctuario.

Psal. 72.

Sed ut quid hæc tam alto repetita principio? quia nimirum ad hoc tendit hæc à Christo proposita parabola, ut querimonijs istis frequenter antiquo tempore propositis, & in fin em usque sæculi ab aliquibus infirmioris animi proponendis, satisfaciat. Conqueruntur enim adhuc nonnulli conformiter antiquis. Unde tot in agro Dei zizania? Quare permittit illa Deus crescere: Cur finit illa impune bonum semen opprimere? Cur non mox jubet eradicari? Cur impios cum damno proborum vult crescere, florere, & in malum fructificare? An non illico potēs est eos evellere? Respondet Christus: *Sinite ea crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: Triticum autem congregate in horreum meum.* Est ergo Christus Dominus divinitatis Sanctuarium, quod qui consulit in afflictione & oppressione quam ab improbis sustinet, mox intelligit se neutiquā debere perturbari sed considerandum esse finem & exitum, quem improbi sortituri sunt in supplicijs. probi ob patientiā in æternis præmijs. Hoc nimirum est intelligere in novissimis eorum, ad quæ nos in hac parabola Christus remittit. Vult ipse usque in finem sæculi in Ecclesia filios regni, & filios gehennæ permisceri, sicut in sagena pisces bonos & malos: sicut in officina figuli vasa in honorem, & vasa in contumeliā: sicut in Arca Noë corvum & columbam, sicut in horto spinas & lilia, sicut in ovili hædos & agnos, sicut in eodem corpore sanguinem bonum noxio cum humore, sicut in area triticum cum paleis; deniq; sicut in eodem agro granum bonum cum loliis & zizanijs.

VAriæ autem sunt rationes, cum generales tum particulares divinæ providentiæ & justitiæ cur malos tamdiu inter bonos tolerare decernat. Duas primarias generales insinuat S. August. in Psal. 4. *Ne putetis gratu esse malos in hoc mundo, & nihil ter bonos boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit tolerat. ut corrigatur, aut ideo vivit ut per illum bonus exerceatur.*

PARS II. *Quare Deus malos in-ter bonos tolerat.*

§. I. *Malos Deus ut convertantur, patitur.*

Prima itaque ratio tantæ patientiæ Dei erga impios est, ut tandem ad ipsum convertantur, & qui zizania erant, triticum fiant. Quia ut ait S. August. serm. 46. de diversis. *In agro sunt zizania, sed fieri potest, ut qui hodie sunt Zizania, cras sint frumentum Zizania alloquor. Corrigite vos antequam messis adveniat.* Nempe mali sunt zizania, non naturæ necessitate, sed voluntatis pravitate. Mutent ergo voluntatem commutent pravitatem: quia Deus eos tolerando non perdidit eradicandi potentiam, sed exigit animi veram pœnitentiam. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis ejus contemnis, ignorans quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Sic loquitur S. Paulus. Et iterum similiter S. Petrus: *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Et quidem quandoque posse re videtur divina justitia subitam malorum eradicationem, & ignis in eos immissionem, sed misericordia superveniens sese interponit, & temperat iram Judicis, exposcens pietatem Patris. Ideo apud Oseam sic alloquitur Dominus populum suum: *Israel quomodo dabo te? Sicut Adama ponam te, ut Seboim? Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea, non faciam furorem iræ meæ.* Quasi dicat: O populi mi, qui peccatis tuis iram meam accersis, quomodo de te faciam? quomodo te tractabo? quomodo me geram erga te? Nunquid mereris ut sicut in Sodomam & Gomorrham, in Adama & Seboim civitates Pentapolis, ignem immisi: ita & idipsum tibi faciam, & radicitus omnia in te zizania cælesti flamma consumam: Sed hoc cogitanti mihi cor meum com-

Rom. 2.
2. Pet. 3.
Oseæ 11.

commovetur, & dum cogito ita acerbe te plectere, jam quasi pœnitet, & dolore cordis tangor intrinsecus, sperans ergo conversionem tuam, quodque pacem pœnitens postulabis, furorem iræ meæ suspendam, nec in te, licet merueris, illum immittam, neque tepenitus disperdam.

Zelus indiscretus Deo displicet.

Proptrea etiam in hoc Evangelio interrogantibus servis, an vellet ab ipsis eradicari zizania? Respondet, *Non* additque hanc rationem? *Ne forte eradicetis simul & triticum*; Quia nimirum, ut diximus, in triticum converti potest, qui inter zizania deputabatur; & sic tempestivè nimis eradicaretur, quia id à servis non agnosceretur, quod soli Domino notum esse debet. *Novit enim Dominus qui sunt ejus; novit qui permanenmt ad coronam: qui permaneant ad flammam. Novit in area sua triticum, novit & paleam, novit zizania, novit & segetem.* ita Augustinus. Quod si mox exscindenda forent zizania, & igni addicenda, ubi *Magdalena*? ubi *Thais* meretrix? ubi *Maria Ægyptiaca*? ubi *Pelagia Antiochena*? ubi magnus illæ Ecclesiæ *Doctor Augustinus*. Jam in flammis agerent, nec conversionis suæ ac doctrinæ pretioso frumento Ecclesiam pascerent. Unde S. Chrysol. ser. 97. *Si zizaniis Despatientia non subveniret, nec Matthæum de Publicano & usurario Evangelistam, nec Paulum de persecutore Apostolum Ecclesia possideret.* Vult ergo Dominus non nimio zelo servos suos ferri ad extirpationem malorum, ad evulsionem omnium zizaniorum: quinimo optat potius ut orent pro conversione eorum, ut è zizaniis triticum, è paleis granum, è loliis lilium efficiantur, & sic tandem congregentur à Domino in horreum. Sic oravit S. Stephanus pro Paulo persecutore suo, & exauditus est à Domino. Ananias autem videbatur optare, ut eradicaretur tanquam de numero zizaniorū, quando de illo sic conquerebatur, *Domine quanta mala fecit sanctis tuis in Ierusalem*, quasi dicat Saulus iste, de quo mihi loqueris, frumentum tuum novum quod adhuc in primo suo ortu est, omni conatu suffocare conatur, quid igitur me ad eum mittis, cum potius extirpari à te mereatur? Sed cum Ananias videret Saulum, Paulum Dominus tunc videbat cum Ananias persecutorem diceret, Dominus Prædicatorem sciebat: & cum ille eum zizania judicaret inferni, tanquam electissimum triticum Dominus jam cū ponebat in horreo cœlesti; ideo dicit de illo, *vas electionis est mihi*. Itaque non est facilè servis Dei prosiliendum in zelum indiscretum, nimiumque fervorem ad extirpandum ante tempus zizania, quandoquidem nec illa certò agnoscant. Proptrea à Domino reprehenduntur *Iacobus & Ioannes*, qui cum viderent Samaritanos non recipere Christum, nimis ferventer dixerunt: *Vis dicimus, ut descendat ignis de cœlo & consumat illos!* Quibus Dominus: *Nescitis cujus spiritus sitis.* Quasi diceret: Zelatores estis honoris mei, tanquam Magistri vestri, sed non secundum scientiam.

Tract. 12. in Ioan.

Act. 9.

Luc. 9.

Admirabile est hac in re quod S. *Dionysius de S. Carpo* refert. Indignatus *Carpus* cuidam infideli, quod alium à fide abduxisset, precabatur ut ambo Deus fulmine extingueret. Hæc precatus, vidit nocte cœlum aperiri, & lumen descendere ad cubile usque suum: Oculos que in cœlum elevans, vidit Christum innumeris cinctum Angelis; exinde illos in terram deflectens, vidit profundam abyssum, & duos illos viros præcipitio jam proximos, tremen tes planè & miserandos. Cernebat etiam serpentes teterrimos pedibus eorum colligatos, ut miseros omni vi in voraginem pertraherent. Delectabatur Carpus, quasi voto potiturus, si ruerent, Deo injuriam suam vindicante. At ecce in superna iterum vertens oculos videt Jesum commiseratione eorum descendentem, & manum porrigentem, Angelosque opem ferentes. Sic autem Carpum allocutus est. *Iam percute adversum me, paratus sum etiam iterum pro salvandis hominibus pati: gratum mihi istud est, dum non alii homines peccent. Tu autem inspice an tibi utile sit, istam cum serpentibus in profundo mansionem Dei & Angelorum præferre consortio.* His zelum ejus indiscretum correxit, & aliis exemplum dedit, ut prudenter zelo utantur.

Dion. ep. 9. ad Demophylū.

Secunda ratio, cur Deus impios toleret, est, ut per eos boni exerceantur, & ut sic eorum merita & coronæ augeantur. Utique si non fuissent à Deo tolerati tot & tam diri tyranni, non esset nobis nota tot Martyrum invicta patientia, nec eis tam eminentes præparatæ in cælo coronæ. Non agnovissemus Laurentium, Vincentium, Sebastianum, & innumeros alios fortissimos Christi Athletas, omnibus tormētis superiores: nec inter teneras virgines Agnetem, Ceciliam, Catharinam, Apolloniam, tātæ fortitudinis credidissem in fragili sexu. Improborū persecutione virtus eorum enituit, sublimēque apud Deum coronam est adepta. Sic nisi malitia & æmulatio Aman aliquamdiu à Deo tolerata fuisset, Mardochæi gloria latuisset. Et nisi fratrum invidia Josephum opprimere tentasset, ejus exaltatio & virtutis meritum incognitum foret. Mavult ergo Deus de malis bona elicere, quam malos nullos permittere; quia sapientia sua probè novit de improbis fructū colligere, de veneficio beneficiū, quasi *mel de petra oleumq; de saxo durissimo*. Proptrea jā ab initio sæculi bonos cum malis, zizania cū tritico; voluit permisceri. Hoc probat *Cain*, qui primus justi Abelis fratris sui impius persecutor, ejus sanguine terram tinxit. Hoc probat & Ismaël filius Abrahæ secundum carnem, qui Isaac, Abrahæ filium secundum spiritum, persequebatur. Hoc notum est in Jacob & Esau, qui ab utero contendere visi sunt, in figura eorum quæ in Ecclesia gerenda erant, *ut Aug.* iuse & erudite explicat. *Concepit, inquit ipse, de Isaac Rebecca, quia conceptura erat de Christo Ecclesia. Sed sicut duo parvuli in utero colliebantur; sic in utero Ecclesiæ duo populi adversantur. Si enim aut soli mali essent, unus populus foret: quia vero in Ecclesia & boni sunt & mali, quasi in ventre spiritalis Rebecca duo populi collidun-*

Ps. 2.

Impios Deus, ut per eos boni exerceantur, tolerat.

Esth. 3. Gen. 37.

Deut. 32.

Serm. 78. de temp.

colliduntur, humiles scilicet & superbi, casti & adulteri, mansueti & iracundi, benigni & invidi, misericordes & cupidi. Boni enim lucrari volunt malos: mali extinguere bonos. De uno Isaac semine Esau & Iacob nascuntur, de uno Baptismo Salvatoris & Ecclesia utero populus Christianus procreatur, qui tamen pro morum diversitate sicut Esau & Iacob, in duas partes dividetur. Cum autem Rebecca molestiam ex

Gen. 25. *puerorũ collisione non sustineret, sed diceret: Si sic futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Ait Dominus: *Duæ gentes in utero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo dividentur, & populus populum superabit, & major serviet minori. Majoris nomine mali intelliguntur, quia semper eorum major numerus. Quomodo ergo serviunt boni?* Nam secundum litteram Ia-

Quomodo mali boni servant. cob Esau servivisse Scriptura non memorat. Si autem spiritualiter accipiamus, facilè intelligimus malos bonis servire, non obsequendo, sed persequendo. *Quomodo ergo mali serviunt bonis? quomodo per sectatores Martyribus? quomodo lima vel malleus auro? quomodo panibus coquendis furnalia? quomodo in Artificis fornace palea servit auro? ubi palea consumitur, aurum probatur. Non ergo glorientur mali, quod bonis tribulationes immiserint, quia cum illos persequuntur corpore, seipsos occidere probantur in mente.* Hactenus *Augustin.* apte ad nostrum propositum. Sicut ergo cũ quis Aurifabri officium ingreditur, non miratur si ibidem reperiat non solum aurum & argentum, sed etiam fornacem, carbones, malleos, folles, limas, forcipes, quia sunt instrumenta auro poliendo servientia. Sic sunt & mali respectu Dei summi Artificis his nimirum purgat, cudit, politelectos suos, ut sint instar auri probatissimi. Unde *S. Gregor.* sic

9. epist. ait; *Tolerandi sunt proximi etiam mali, quia Abel frustra non vult quem Cain malitia non exercet.* Non ergo potest esse ager Domini sine zizaniis, non potest Ecclesia esse sine malis, cum & de illis fructum velit elicere pro bonis. Immò nulla congregatio est adeo sancta, quin aliqui perversi in ea reperiantur. Unde *S. Augustin.* cum à quodam ex suis scandalum suscitatum in populo esset, sic scribit: *Quantumlibet vigilet disciplina domus mea, homo sum, & inter homines vivo; nec mihi arrogare audeo ut melior sit domus mea, quam Arca Noë, ubi inter octo unus reprobus est inventus, aut quam domus Abrahæ, ubi dictum est, Ejice ancillam & filium ejus, aut quã domus Isaac, cui de duobus geminis dicitur, Jacob dilexi, Esau autem odio habui, aut melior sit quam domus Iacob, ubi lectũ Patris filius incestavit, aut quam domus David, cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contra Patrem rebellavit: aut melior quam cohabitatio Christi, in qua undecim boni perfidum Iudam tolerâverunt, aut quam cœlum, unde Angeli ceciderunt.* Ex his ergo omnib⁹ satis liquet, quomodo ; Simile est regnum cœlorum agro in quo cum semine bono crescunt zizania.

PARS III. Zizania à & damones

SEd tu, ô Domine, nunquid purum semen seminasti, unde ergo zizania? Unde in Ecclesia tot mali, in qua tot bene agendi media tam præclaræ leges, tot sacramenta? Unde tot peccata, eum inibi in situm sit verbum, quod potest salvare animas, cum etiam non desit ros cæli, copiosa gratia Spiritus S. Unde tot in congregatione omni scandala cum non desint tot exhortationes ad bonum, tot exempla Sanctorum, tot inspirationes, tot cælestia beneficia & auxilia, tot interiora monita Angelorum à malo dehortantium? Unde in populis Christianis tot zizania dissensionum, tot invidiæ, tot amaritudinis germina, tot rancores & vindictæ perennantes, cum Dominus non seminaverit in eis nisi bonum semen charitatis, amoris, benignitatis, mansuetudinis, compassionis, quod etiam sanguine suo rigavit? Quandoquidem voluerit eos uniri tamquam socios ejusdem mensæ, tanquam hæredes ejusdem regni tanquam filios ejusdem uteri, tanquam fratres ejusdem familiæ, tanquam membra ejusdem capitis, tanquam spicas & grana ejusdem manipuli in horreum æternum inferendi, unde tot discordiarum virulenta zizania? Eheu! *Inimicus homo hoc fecit.* Hoc est diabolus, qui se gerit instar inimici hominis erga hominem; immò instar inimici erga ipsum Deum. Ideo enim homini nocet, quia Deo nocere non potest. Sicut qui hostis est Patris familias, cum illi in persona nocere nequit, ejus possessioni, aut agris, aut filiis nocere conatur: sic & diabolus quia Deo est cœlo exturbatus, hostilem contra eum animum induit, & quia illi nocere non potest in se, agrum ejus & possessionem conatur perdere frumentumque optimum agri suffocare, hoc est justos. Ita in Deum quodammodo retorqueri vindictam existimat, dum hominem ad ejus imaginem factum perimit, dum præparatam ei coronam adimit, dum non patitur pervenire illuc, unde ipse met cecidit. Sic nostris gaudet malis nostris erigi se, aurumat ruinis, nostris pascitur vulneribus, nostrum sitit sanguinem, nostra vivit ex morte: & hominũ damnũ suum putat lucrum, cum nonnisi majorum damnationem acquirat ex societate poreuntium; sicut ex accumulatione dignorum ignis major exardescit. Quem putas fructum colligit homo homini inimicus ex zizaniorum seminatione inter hostis sui triticum? Nullum plane; quinimo novo & inutili sibi conficitur labore; sed vesania mentis suæ, quod alter perdit, hoc se existimat acquisivisse. Sic est de cæmone; ideoque ubicumque Deus bonum semen seminavit, ipse jam à sex annorum millibus, conceptoodio, virulentum semen nititur supersemiparticulari cernere & discernere?

ignitus dendo.

Diabolus inimicus homo.

semini bono Dei virulentum nare, quo primum corrumpat & perdat. Vis id in super seminat.

Primò. Cum Deus in cœlo in Angelica natura, tanquam in agro suo supremo, seminasset semen gratiæ & donorum supernaturalium, quod mox in gloriæ frugem natum erat exurgere: ipse semen pestiferum superbiæ super seminavit, & corrupit penè tertiam partem agri; ita cœlestis agricola coactus fuerit illico semen illud cum suo cespi-

1. *In cæle*

te extirpare, & in æternum ignem deturbare.

2. *In paradiso.*

Secundo, Cum in paradiso terrestri in natura humana, quasi in agro medio seminasset optimum semen originalis justitiæ, cum variis annexis donis & sacris germinibus, quæ si adolevissent, mox hominem ad vitam immortalem & beatam traduxissent: ipse fraudulenter irrepens superseminavit semen maledictum inobedientiæ, quod fructificaret in mortem, corrumpens totam originalem justitiã pariens in mente & carne rebellionem, omnemq; suffocans gratiam cœlestem. Unde & in pœnam suscepti hujus seminis ejectus est homo in terram quæ post laboriosam culturam, nonnisi spinas & tribulos germinaret, maledicto obnoxia.

3. *In terra.*

Tertio. Cum postmodum agricola cœlestis in agro infimo, ad quem homo ejectus fuerat, seminasset semen tenerum & amabile charitatis & pacis, veritatis & simplicitatis: ipse mox superseminavit semen odii & rancoris, invidiæ & æmulationis, fraudulentiæ & falsitatis, & id quidem inter fratres & fratres, inter filios & patres, inter agnatos & affines. Quod semen mox patuit in Cain contra Abel, in Esau contra Jacob, in filiis Jacob contra fratrem Joseph, in Absalone contra Davidem, in Saule contra eundem. Et quidem virosum illud semen adhuc hodie germinat.

4. *In agro humanæ mentis usque hodie multa zizania.*

Quarto, Si agrum mentis nostræ inspiciamus, cũ Deus in illõ sancta proposita cœlestia desideria, salubres inspirationes & voluntates seminer: ipse è contra nociva superseminat desideria, terrenas cupiditates, carnales delectationes. Et ubicunque aliquid boni est: totum sua satione nititur pervertere & inficere. Sic qui in initio seminavit in cœlo bellum, in paradiso dolum, in fraterna amicitia odium; adhuc modo in omni opere nostro immittit segetem zizaniorum. Nam immiscet in comestione gulam, in generatione exundantem luxuriam, in conversatione invidiam, in gubernatione avaritiam, in correctione iram, in præsulatu & dominio superbiam, in corde cogitationes pravas, in ore locutiones falsas, in membris operationes iniquas? Si ergo quæris, unde tot zizania? non id à primo satore, omnis boni auctore, provenit: sed inimicus homo hoc fecit. Hoc tamẽ adverte, quod mox ubi seminavit, abit; *Super seminavit zizania in medio tritici, & abiit*, ut non illi soli culpam adscribas, sed etiam tibi, si excrescant zizania. Solum nempe potest pravæ suggestionis serere zizania, ut assentiaris effiocere nequit: & ideõ nisi tu cordis tui terra excipias & foveas, frustra serit, nec fructum ferent, aut bonum semen impedient. Abit ergo cum seminavit, quia fecit quod suum est, reliquum tibi peragendum relinquit. Abit etiam, quia se abscondit, & dissimulat se illorum auctorem.

Sed iterum advertе, quandonam superseminavit; *Cur dormirent homines*. Si vigiles, non adveniet, vel sine fructu erit semen ejus. Quisquis semen bonum gratiæ, magna sollicitudine conservare conatur, facile hostis insidiis obsistet, facile illas deteget. Quia autem plerique dormiunt, salutis suæ incurii, ideo ad eos facilem habet aditum, ut grave inferat in tenebris nocumentum. Cœlestis agricola nonnisi in luce fulgida bonum semen terræ mandat, impius ille sator lucis refuga in nocte serit, dormientes appetit, in caligine latitat. Etiã & in hoc imbecillitatem suam ostendit, quia vigilantes nõ vincit, sed soporatos. Sic Samsonem dormientem potuit fœmina Dalila spoliare fortitudine, similiter & Sizaram Jahel, & Judith Holofernem, ô somnum perniciosum, quinos sic hostilibus insidiis reddit obnoxios. Esto igitur vigilans, ô Christiane, ne dum torpes inertia, ille qui non dormit, te agrumque tuum circumveniat, & spurcitiã vitiorum super semen bonæ voluntatis spargat, tenebrasque offundens rationi, animam tuam obscuret nocte peccati, quæ debet semper esse in luce Dei. Dic cum Propheta: *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inveniã locum Domino.* Estote & vos vigilantes, ô Ecclesiæ Pastores, cœlestes agricolæ, Dei cooperatores; dũ enim desides indormitis, multa mala inserit hostis, de quibus à vobis ratio exposcetur, quia illis obniti poteratis vigilantes. Sicut non dormit, neque dormitat qui impugnat Israel; ita nec dormiendum vobis qui custoditis Israel. Dum desides estis & negligentes in animabus vobis commissis, quid non mittitur nocturnus ille insidiator? Hæreses serit inter fideles, ut veritatis semen suffocet. Sic evangelicã segetem cœlesti semine satam, zizaniis errorum confundit iste satan; sic manipulos fidei gehennæ manipulos conatur efficere, ut non intrent horreũ cœleste. Hoc factum novimus per Lutheri & Calvini errores tenebrosos, qui sparsi fuere dũm dormirent Ecclesiæ Pastores; & adhuc verendum est ne ulterius crescant, si non excitentur negligentes. Ulterius satan cum videt suis zizaniis se justos nõ posse corrumpere, sed illos feliciter crescere, & maturescere; *Expetit eos ut cribret sicut triticum*, juxta monitum Domini, hoc est variis tribulationibus eos concutit, ut excutiat. Sed nihil proficit, quamdiu triticum sunt, quamdiu in paleas non vertuntur. Nempe justorum agitatio est velut tritici, dum impii ventillantur ut palea: hi post agitationem inter mala hujus sæculi instar palearum excutiuntur, & in ignem mittuntur: illi post agitationem manent in cribro; sive vanno; solida grana sunt, nec deficiunt, sed asservantur in vitam. Propterea igitur dicebat Dominus Petro. *Satan expetivit vos ut cribraret tanquam triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* In Petro autem monebat omnes justos, ne deficiant.

Somnus perniciosus.

Psal. 131.

Pastores Ecclesiæ sint vigilantes.

Luc. 22.

Implentur mensuræ

Simite eos crescere usque ad messem, &c. Hæc est justa permissio Dei, ut cum impleta fuerit mensura, quisque vel peccatorum, vel meritorum, unusquisque mercedem accipiat. Sic, *Qui in sordibus est, sordescat ad. huc; qui justus est, justificetur adhuc; Ecce venio cito,* &

quisque mercedẽ accipit,

Apoc. 22.

& merces mea mecum est reddere unicuique juxta opera sua. Usque in finem sæculi tam zizania quam frumenta crescunt, usque ad messem, usque ad falcem sed illa ad majorem damnationem; hæc ad majorem gloriam crescere permittuntur Crescite igitur, ô pessima zizania, & fructificate in malum, hoc sinit agri Dominus, sed ejus falcem attendite, attendite & ignem. Crescite, O superbi per ambitionem, præsumptionem, crudel tatem, contemptum, inobedientiam, gloriationem in malis; sed quantamlibet altitudinem etiam extollentem se contra Deum sortiti fueritis, demetet vos, & flammis acrioribus succendet. Crescite, & fructum vestrum producite in altum & latum, O terreni & cupidi, multiplicate divitias per fas & nefas, per fraudes & injustitias, per mendacia & perjuria, extruite domos vestras in sublime per oppressionem & sanguinem pauperum; Sed ecce *Falx volans* mox consumet vos, & omnes opes vestras in favillam rediget, eritisque paleæ instar & stipulæ esca ignis. Crescite, florete, diffluite in luxuriis, O carnales & mundani, pietatem & castitatem suffocate, proculcate: *Lætare; ô juvenis in adolescentia tua, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & scito quod pro omnibus hu adducet te Deus in judicium* inquit, Crescite, & in malum fructificate, O vindicativi & invidi, fructum malitiæ vestræ ad maturitatem perducite, implete mensuram vestram; venient tandem messores, venient flammæ ultrices, & divina justitia, quæ nunc vos sinit omnem perversam explere voluntatem, convertetur in judicium vobis acerbissimum, quia nonnisi fructum amarum protulistis, & triticum suffocastis. Eheu, ô impii! Illi messores vestri erunt, & in ignem vos injicient, qui prius erant fautores, custodes, intercessores, ut ab igne vos eruerent. Angeli sc. qui vos custodiebant & amabant, & oratione adjuvabant, consiliisque suis ad bonum fructum hortabantur. Nihil eis tunc crudelius, nihil amarius vobis videbitur, cum omnia exuerint compassionis viscera ad plectendam ingratitudinem vestram. Et hoc vobis acerbum planè erit, quod in fasciculos oporteat vos ad combustionem colligari, hoc est, pares paribus sociari, ad pœnæ incrementum; ut quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat, dum superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, fallaces cum fallacibus invidi cum invidis, quasi in fasciculos colligati ardebunt; non jam societate lætantes, sed cruciatus augmentum inde sentientes.

Apostrophe ad impios.

Zach. 5.

Eccl. 11.

Crescite & vos, O pii, instar frumenti electi, quod cœlestis agricola in agro suo seminavit. Crescite per mortificationem membrorum & passionum super terram: *Nisi granum frumenti mortuum fuerit nullum fructum affert*, nec crescit. Crescite per ventos, frigora, nubes, pruinas, nives per pluvias & calores, per adversa sc. & prospera: sicut enim per gelu & nives firmiorem figit triticum radicem, ut postmodum crescat altius & fœcundius; sic & vos adversis variis probati altius figite radicem, non deorsum, sed sursum tanquam in Deo radicati & fundati Crescite, & fructificate in omni opere bono, licet agatis inter zizania vos suffocare nitentia, inter improbos interitum vestrum spirantes. Fructificate non fructum carnis & peccati, sed fructus spiritus & gratiæ: *Fructus autem spiritus sunt, Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas. Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas* Crescite igitur in fide, crescite in charitate, crescite in puritate & castitate, crescite in patientia & mansuetudine, usque ad maturam messem; quando vos messores colligent Angeli, & tanquam manipulos electos in cœleste horreum transferent, ubi à pluviis & tempestatibus, à nive & frigore securi eritis, & in panem pretiosum mensæ Domini servietis.

Apostrophe ad electos.

Ioan. 12.

Gal. 5.

TE interim, O Sator cœlestis, qui in agro cordis nostri, agro tuo, agro sanguinis tui, seminare dignaris semen optimum gratiæ tuæ supernæ (per tot inspirationes sanctas, per tot monita & consilia interni & externi verbi tui, per tot Sacramenta, totque æternæ salutis media) rogamus & obsecramus, ut semen istud irrigare, fœcundare, custodire etiam digneris; nosque vigiles reddere, ne nobis dormientibus inimicus & malignus sator sua superseminet zizania, & semen tuum pretiosum suffocet & extinguat. Et quia non est voluntatis tuæ mors impii, sed magis ut convertatur & vivat, fac ut qui modo zizania sunt, improbi scilicet inter bonos frumentum fiant relicta pravitate & immutatis moribus: ut cum venerint messores tui, non fiant esca æterni ignis, sed tua benignitate recenseantur inter manipulos horrei tui cœlestis: *Sitque anima eorum custodita apud te in fasciculo viventium.*

Conclusio

1. Reg. 25.

DOMINICA VI. POST EPIPH.

LECT. 10 triparti-ta.

Simile est regnum grano sinapis. Matth. 13.

CHristus Dominus de regno Dei loquens, frequenter turbis similitudines & parabolas à rebus cõmunibus & familiaribus desumptas proponebat, *ut ex his quæ animus novit, surgat ad incognita quæ non novit; & ut exemplo visibilium ad invisibilia rapiat.* Quia ergo sermo ejus non solum doctis, sed & indoctis convenire debebat, non solum divitibus, sed & pauperibus profuturus erat, non de rebus cœlestibus & occultis profertur, sed de his quæ quotidiano usu omnibus nota sunt desumitur. Hinc comparat regnum cœlorum modo *thesauro absconditio in agro, quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & emit agrum illum.* Sciunt divites quid sit thesaurus, sciunt & pauperes, sciunt pauperes quid sit fodere in agro, non ignorant idipsum divites, quid vero sit agrum emere norunt omnes. Iterum simile dicit

PARS I. *Christus cur tot parabolis utatur de regno cœlorum. Greg. hom 12. in Evang. Matt. 13.*

regnum cœlorum *homini quærenti bonas margaritas, qui inventâ unâ pretiosâ, dedit omnia sua, & comparavit eam.* His duabus parabolis attentionem sibi vult excitare negotiatorum, quorum maximus est in orbe numerus, & ad meliorem negotiationem eos accendere. Iterum dicit esse *simile sagenæ missæ in mari*, & educenti bonos pisces & malos, sed hos in vasa electa congregandos, illos ejiciendos. Sic cibo communi piscium omnes invitat, ut sint non de reprobis, sed de electis illis piscibus qui serviant mensæ Domini, & quia tunc Christus circa mare differebat, piscatores ipsos hac similitudine familiari cupit instruere, & ad altiora intelligenda manuducere. Iterum regnum cœlorum simile dicit *homini Regi qui fecit nuptias filio suo*, & per servos suos vocavit multos. Sic nobiles hac similitudine attentos reddit, simul & eorum famulos, & ad mysteria regni investiganda, vel intelligenda eos exacuit: ac postmodum insinuans etiam cæcos, claudos, debiles & infirmos vocari ad illas nuptias, egenos exstimulat ad illius regni cogitationem. Iterum dicit *simile regnum cœlorum decem virginibus*, quæ Sponso & Sponsæ cum lampadibus obviam eunt, ut omnes quidem, sed maximè adolescentulas, quæ choreis & nuptiis delectantur, ad nuptias cœlestes, & consortium Æterni Sponsi invitet. Iterum, ut in hoc Evangelio refertur, simile dicit regnum cœlorum grano sinapis, quod homo seminat in agro suo, & fermento quod mulier in farina sua abscondit, ut panis sapidus efficiatur. Quæ quidem parabolæ duæ in omnium sunt doctrinam propositæ, sed tamen ad eas percipiendas maximè vult, ut aures erigant Patres & Matres familias: sicque utrumque sexum cupit erudire, ab eorum officiis ducta similitudine. Cum itaque omnibus regnum cœlorum evangelizaret, & ad illud convocaret personas cujuslibet conditionis aut sexus, propterea de illo differens; similitudines varias, proposuit à variis hominum officiis deductas; ab emptoribus & negotiatoribus, à piscatoribus & agricolis, à Rege & nobilibus, à sponso & Virginibus, à viris & mulieribus. Nec sine mysterio est, quod Christus servata proprietate virum dicit in agro granum seminasse, mulierem dicit domi fermentum & farinam præparasse, indicat enim specialiter utriusque sexus officium: quia viri est foris cum servis laborare & familiæ providere mulieris est domi cum ancillis necessariis invigilare, ut fideliter omnia administrentur, sicque adjutorio esse viro in domestica gubernatione, ut proles domi alere. Hoc notavit hic S. Chrysost. ser. 99. & expressit his verbis: *Vir in agro sinapis arborem serit, mulier fermentum procurat, & panes præparat alimonæ: quia virum foris expectat labor, intus mulierem domestica cura constringit.* Propterea dicitur: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Quasi diceretur Uxor tua non foris vagatur, nec otiosa circuit, sed quiete domum incolens in lateribus domus fructificat; prolium ibi curam habet, ut alat & erudiat, ibidem laborat, net, vel aliud quidpiam operis agit domesticæ gubernationi proficuum. Propterea etiam de muliere strenua, dicitur. *Consideravit semitas domus suæ & panem otiosa non comedit: Comedit in ea cor viri sui.* Quid est, consideravit semitas domus suæ? Idem ac si diceres: Inspexit diligenter & vigili oculo statum familiæ, domestica omnia negotia, & domesticorum omnium occupationes & opera; omnibusque illis non solùm verbo, sed etiam ad omnia præibat sedulitate & exemplo. Hoc mulieris munus est: Viri autem est foris versari, non in tabernis & symposiis, sed in agris ad colendum eos, vel in negotiis publicis, vel ìm privatis ad provisionem eorum, quæ necessaria sunt privatæ familiæ. Unde de quodam dicitur, *Sæculum pecuniæ tulit secum*, in sumptum scil. peregrinationis longinquæ, & ad coëmenda necessaria. *In die plenæ lunæ reversurus est*, hoc est, post multos dies, & cum lucro; quia antiqui Gentiles plenam lunam observabant, tamquam symbolum felicitatis in quibusdam negotiis gerendis. Sollicitus erat vir ille pro familia, longinquas etiam obiens provincias: interim mulier non valens domi consistere, nunc foris: nunc in plateis vagabatur, quietis impatiens ad mariti absentis thronum etiam alienos allectans. Utinam & hoc quandoque inter Christianos non contingeret! Utinam vir suo muneri, tum erga Deum, tum erga familiam sedulò satisfaceret? Utinam mulier erga virum, erga proles, erga domesticam gubernationem, erga divina non deesset! Utinam vir ovem sibi commissam non perdat? Utinam mulier dragmam suam non amittat, vel amissam studio pervigili recuperet, hoc est animam sibi à Domino concreditam. Utinam vir diligenter colat agrum cordis sui, in eoque serat granum sinapis, granum fidei ardentis! Utinam mulier sibi sedulo præparet panem vitæ, cum fermento gratiæ, & charitatis igne, ut se & familiam alere possit in vitam æternam. Sed ad explicationem parabolæ specialius descendamus; sunt enim parabolæ sacra quædam velamina, quæ velant non explicata, explicata verò divinas ac spirituales res nobis aperiunt, & illarum memoriam, ac amorem nobis firmius figunt.

Matt. 22.

Matt. 25.

Vir foris, mulier domi laborat.

Psal. 127.

Prov. 31.

Prov. 7.

PARS III.

Cur Ecclesia Regnum cœlorum & granum sinapis dicatur.

REgnum cœlorum à Christo vocatur hic Ecclesia, in præsenti tempore in terris agens: nam ea quæ in cœlis est, non amplius crescit, ut granum seminatum, sed omne incrementum, & omnem suam perfectionem habet. Vocatur autem Ecclesia regnum cœlorum, quia in illa Christus regnat & Deus, per fidem, spem, charitatem, gratiam, & alia cœlestia dona: item, quia ejus origo de cœlo est, cœlestibusque legibus gubernatur, & ad cœlum ipsa jugiter tendit. Sic & in aliis multis parabolis manifestum est, de Ecclesia præsenti sub nomine Regni cœlorum agi; ut cum assimilatur sage-

ſagenæ bonos & malos piſces congreganti, aut decem virginibus, quarum quinque erant fatuæ, aut convivio nuptiali, ubi reperitur non habens veſtem nuptialem. Manifeſtum enim eſt, quod Regnum æternum reproborum nullus ingreditur, ſed in Eccleſia præſenti adhuc boni cum malis converſantur. Hoc eſt ergo Regnum de quo Lucæ 17. *Regnum Dei inter vos eſt.* Hoc cum diceret Dominus, reſpondebat ad interrogationem Phariſæorum, qui dicebant quaſi irriſorie: *Quando veniet Regnum Dei*, quod tu adeo frequenter prædicas & polliceris? ubi eſt regnum illud, de quo dicis: *Appropinquavit regnum Dei?* Expectabant illi magnificentiam quandam, faſtum, & gloriam cujuſdam regni ſubluris, quo ſubigeretur à Meſſia regnum Romanorum, & in libertatem ipſi vendicarentur, tamquam filij regni & Regis Potentiſſimi. Sed reſpondet Chriſtus regnum à ſe promiſſum non venire cum obſervatione, ſive cum pompa exteriori, quinimo jam veniſſe & eſſe intra ipſos. Quia ſcilicet Eccleſia ejus in qua regnabat, & fideles in ipſum credentes cum Apoſtolis & diſcipulis jam Jeroſolymis intra ipſoſmet converſabantur. Sed quia pauci adhuc erant numero, & partim ignoti, exiguumque initium cernebatur Eccleſiæ & regni ejus; ideo hic comparat illud grano ſinapis, quod minimum eſt, & tamen ita creſcit, ut volucres in ramis ejus habitent. Itaque ob varias conditiones Eccleſia Chriſti, ſive fides ejus, aut prædicatio Verbi divini à Chriſto & Apoſtolis primum promanans, grano ſinapis comparatur.

R. I. *Primo.* Parvitas grani iſtius Eccleſiæ humilitatem deſignat. Hæc ab initio humilis, vilis, & abjecta fuit quaſi granum parvum & deſpectum, & vili gleba originem habens, conculcationi obnoxium. Sed ſicut granum minimum quantitate, magnum eſt virtute, in fruticem vel arborem excreſcens: Sic Eccleſiam ſuam voluit Deus v. libus ab exordijs dilatari & excreſcere, grandi ei virtute cœlitus inſita, quam radicitus continet humilitas. Ob hanc rationem exiſtimat Ven. Beda Dominum dicere diſcipulis ſuis: *Nolite timere puſillus grex. Puſillum*, inquit, *gregem electorum, vel ob comparationem majoris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis devotionem nominat: quia videlicet Eccleſiæ ſuam quantalibet numeroſitate jam dilatatam, tamen uſque ad finem ſæculi humilitate vult creſcere, & ad promiſſum regnum humilitate pervenire.* In hoc verò excellit Dei & potentia, & ſapientia, quod ex vilibus & humilibus initijs gloriosa & magnifica educere ſolita ſit opera; quia magnus eſt in parvis & in omnibus admirabilis. Si conſideres primũ opus creationis, admirabilem iſtam machinam eduxiſſe reperies non ſolum è minimo, ſed plane ex nihilo, ſic & ipſam voluit ſuſtentari in minimo, hoc eſt, in centro terræ, quod eſt quoddam punctum. Si conſideres opus ſecundum redemptionis, ecce iterum fundatur in minimo, immo in nihilo, in verbi divini quadam exinanitione, cum formam ſervi accepit qui æqualis erat Deo. Si conſideres opus tertium glorificationis noſtræ educitur è minimo, quia æternæ exaltationis fundamentum humilitas eſt; & hoc momentaneum noſtræ tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in nobis, à momento, æternitas. Sic tota perfectio Chriſtiana nonniſi de minimis agit, & in minimis conſiſtit, in abnegatione ſui, mortificatione, toleratia, crucis, in quibus virtus quædam ignea continetur amoris divini, amoris perfecti. Sed particularius videndum de grano noſtro ſinapis, hoc eſt, de Eccleſiæ noſtræ exiguis initijs, magnum poſtmodum incrementum divina virtute accipientibus.

Ob parvitatem.

In primis ſi conſideres doctrinam Evangelicam, quam vilis hæc ab initio viſa eſt, quam abjecta? Nam illum ut Deum adorandum proponebat, qui ex parentibus egenis ortus erat, filius vocatus fabri, natus in vili ſtabulo, ob inopiam contemptus ab omnibus, & quaſi mendicus habitus: poſtmodum ut malefactor comprehenſus, illuſus, publicè flagellatus, inter latrones quaſi eorum anteſignanus in crucem actus. An aliquid vilius vel ſtultius proponi poterat hominibus ſuperbis, vel doctrina inflatis? Quapropter dicit Apoſt. *Prædicamus Ieſum Crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam, ſed quod ſtultum eſt Dei ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum eſt Dei fortius eſt hominibus.* Et iterum: *Verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt* (hoc eſt incredulis & perverſis) *ſed placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.* Neq; ſolum prædicatio myſterij crucis, ſed & myſterij Euchariſtici, vilis & ſtulta videbatur Gentilibus. Quid enim ſtultius, quam dicere Chriſtianos manducare Deum ſuum, aut ſub minima albicantis panis ſpecie Deum & hominem contineri cum tota & divinitate, & tota humanitate corporea? Hoc & ſapientes & mundani irridebant, & doctrinam iſtam ut vilem proculcabant. item per modicum aquæ in baptiſmo, per modicum olei in Confirmatione, vel Extrema unctione divina dona dari, & cineres diſperſos cadaverum in reſurrectione iterum animari, quis crederet? Ideo cum id proponeret Apoſtolus Paulus deridêtur, & vocatur *ſeminiverbius*, quaſi verba ſine intellectu multiplicans.

Initia Eccleſiæ fuerunt vilia & abjecta. 1.

1. Cor. 1.

Act. 17.

2. Ulterius doctrina Evangelica vilis viſa eſt & abjecta in ſuis initijs, non ſolum ex parte eorum quæ credenda proponebantur, ſed etiam ex illorum parte qui ea proponebant. Qui enim illi? Utique ignobiles, piſcatores, & rerum factores, ut Petrus, Joannes, Jacobus, telonarij, ut Matthæus, pelliones & ſcenofactoriæ artis, ut Paulus. Rudes hi erant, & ex ſe viles, ac ineloquentes, & ex opere manuum viventes, vel ut mendici ſine peculio huc illuc circumeuntes; ideo tanquam purgamenta & fæces, tanquam per ipſemata, à multis ſpernebantur & ſic granum ſinapis quod

1. Cor. 4.

seminabant, conculcabatur, & ludibrio habebatur.

3. Similiter visa est vilis doctrina Evangelica; & fides, ex parte illorum qui Apostolos secuti primi Christiani & fideles dicti sunt: erant enim etiam
1. Cor. 1. hi ignobiles, & ut plurimum de communi fece plebis. Unde Apostolus: *Videte vocationem vestram fratres, non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt, elegit Deus ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, ignobilia & contemptibilia, & ea quæ non sunt ut ea quæ sunt, destrueret.* Ideo tanquam mancipia quædam Christiani isti spernebantur. *An non te pudet*, inquit Quintianus Judex B. Agathæ, *adeo nobili genere ortam, sordidam & servilem Christianorum vitam agere?* Et quia ad tormenta passim rapiebantur, *Semiaxij* dicti sunt, teste Tertulliano, quia ad semiaxes illigati flammis cremabantur; appellabantur etiam *Bolhanati*, quasi violenta morte perituri. Talia ergo fuere initia Ecclesiæ, minima sane & contemptibilia instar grani sinapis. Sed sicut granum sinapis paulatim crescit satum in terra bona, & instar arboris fit maximè in locis calidis, sicut in Judæa ubi hæc Christus loquebatur: ita & Ecclesia ab exiguis incipiens initijs, mox dilatata est, & incrementum grande accepit, dum Dei jussu Apostoli in orbis partes omnes Evangelicam doctrinam propagarunt. Itaq; Ecclesia ideo comparatur grano sinapis á Christo, propter parvitatem scilicet in initijs, & propter incrementum admirandum ex tam exiguis exordijs, de quo mox dicemus.

Pt. 2. *Ob Virtutem & efficaciam.* *Secundo*, non tantum in grano sinapis parvitas attendenda est, aut crescentia: sed & virtus & efficacia, nam & propter illam Ecclesia; & doctrina Evangelica illi grano comparatur. De qua re sic eleganter S. Ambrosius serm. 1. *Granum sinapis prima fronte specie sui parvum est, vile & despectum, nō sapore præstans, non odorem circumferens. At ubi teri cœperit: statim odorem suum acrimonia exhibet, cibum flammæ saporu exhalat, & tanto fervoris calore succenditur, ut mirum sit in tam frivolu grani tantum ignem fuisse conclusum.* Sic & fides Christiana prima fronte vilis apparuit & tenuis, non potentiam suam ostendens, non superbiam præferens, at ubi diversis persecutionibus teri cœpit, statim acrimoniam ostendit, & vigorem suum prodidit, corda non solum fidelium, sed & infidelium succendens. Granum ergo sinapis est fides, in medijs persecutionibus dum conteritur fortis & vivida. Granum est sinapis Verbi divini prædicatio, quia si meditatione & consideratione manditur &
Chrysol. serm. 9. teritur, vim suam patefacit, & ardorem: *Cor meum concaluit intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Granum sinapis est Christus, *qui in hortum virginei corporis missus, crucis in arborem crevit, ac tantum fructus sui saporem dedit, cum teritur passione ut quicquid est vitale, suo saporaret & condirot attactu. Et sicut in integritate grani sinapis virtus habetur occulta, apparet verò vehementissimè cum teritur, ita corpore Christus voluit teri, qui suam noluit latere virtutem.* In cruce attritus miram ostendit potentiam, dum omnia traxit ad se. Granum sinapis fuere quilibet è Martyribus, quia antea lenes apparebant & viles; sed cum tormentis conterentur, tunc enituit eorum virtus, fides, ardens zelus: *Ignis, crux, confractio ossium, membrorum divisio & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, nunc incipio Christi esse discipulus*, dicebat *S. Ignatius Martyr.* Ergo ipse non solum granum frumenti, qui bestiarum dentibus commolendus erat, ut panis mundus inveniretur; sed & granum sinapis, qui conterendus erat, ut vim & acrimoniam suam posset exserere, ac incredibilem fidei fervorem prodere. Sic & de alijs Martyribus. Immo granum sinapis est quilibet justus quilibet verus Christianus, qui minimus debet esse humilitate, magnus fide & charitate; & si qua tribulationis pressura eum conterat, mox necesse est, ut igneum fervorem & saporem ostendat. Propter hæc igitur omnia, simile est Regnum Cœlorum grano sinapis, hoc est Ecclesia, cujus Christus Rex est & Caput, Martyres vero & justi membra vivida; Apostoli Principes sunt & Senatores, fides & doctrina velut vita est & anima.

Pt. 3. *Ob succum sinapis.* *Tertio*, succus sinapis lacrymas ciere solet, licet prosit ad salubritatem corporis; nam & hyemis tempore & sumitur ad frigus repellendum, ad humores egerendos, ad viscera interiora calefacienda. Immo ad serpentium ictus & scorpionum fritum cum aceto illinitur, teste Plinio & multis alijs morbis medetur; hinc & ab aviculis appetitur. Hæc omnia etiam ridet & doctrinæ Evangelicæ competunt; illa enim nobis est remedium contra morbos spirituales, illa nobis ut condimentum servit, saporem cœlestem conferens, illa frigus peccati & desidiæ expellit, illa lacrymas contritionis & compunctionis elicit, illa humores noxios peccati exiccat & consumit illa cor purificat, illa serpentinis medetur morsibus. Sic quod succus sinapis in corpore, hoc fides & doctrina Christiana operatur in mente. Ergo ob id iterum meritò dicitur, Simile est Regnum Cœlorum grano sinapis.

Lib. 20. c. 22.

Vide Am. ser. 2. 33. de Sanctis.

PARS III.

Quomodo granum sinapis Ecclesia creverit. Esth. 10.

VIdeamus quomodo crescat in arborem, & volucres cæli habitent in ramis ejus. Hic insinuatur dilatio Ecclesiæ & fidei Christianæ ex suis exiguis initijs, quæ sæpius in Scriptura varijs est similitudinibus adumbrata. Memineris parvi illius fontis. *Qui crevit in fluvium & in lucem solemque conversus est, & in aquas plurimas redundavit.* Hoc symbolum in somno ostensum fuit Mardochæo, & per illud insinuabatur. Esther ab obscura origine in solium exaltata, & ut sol dissipans tenebras populo Israelitico circumfusas.

Ap-

Aptissimè autem eodem symbolo Ecclesiæ incrementum, splendor, exaltatio & solium potest designari. Memineris etiam nubeculæ quam vidit Elias, quasi vestigium hominis, quæ ascendebat de mari. *Hæc Cœli contenebrati sunt, & facta est pluvia grandis.* Hæc quoque Evangelicam doctrinam aptè designat, quæ initio nonnisi nubecula erat mox autem totam terram irrigavit. Memineris denique lapidis, qui *de monte abscissus est sine manibus, & percussit statuam, & factus est mons magnus, & implevit universam terram.* Designabat enim ille Regnum spirituale Christi, quod humilitate, paupertate, contemptu sæculi prosternere debebat gentilismum & idololatriam, ac è mentibus Fidelium per totum orbem dejicere ambitionem & fastum humanæ gloriæ & concupiscentiæ. Hæc omnia in diversis metallis statuæ illius magnæ & pretiosæ designabantur, in auro, argento, ære, ferro. Crevit ergo lapis & implevit universam terram factus mons magnus, dum Christi fides & Ecclesia per omnes mundi plagas se propagavit. Hæc est enim quæ Isaiæ secundo, vocatur *Mons Domus Domini*. Hæc est ad quam dirigitur illud apud eundem Prophetam: *Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, longos fac funiculos tuos, ad dextram enim & ad lævam penetrabis*: hoc est, ad Orientem & Occidentem pertinges, & dilatabaris, quæ prius angusta videbaris, & abjecta; quaqua versum penetrans, aras, templa, domos eriges eritque Civitas toto Orbe conspicua, quasi constructa in monte, qui implevit universam terram, qui mons excrevit ex parvo lapide sine manibus abscisso. His igitur omnibus idem significatur, quod hic per granum minimum sinapis excrescens in arborem, & sese multiplicans quaqua versum ab exigua radice. Propterea iterum dicit Dominus. *Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam.* Quasi dicat: Surculus parvulus Ecclesiæ plurimos alios germinabit, sicut & unum granum seminatum germinat, & producit multa. Unus Martyr pro Christo fortiter obiens virtute fidei ardoreque charitatis; frequenter etiam mille convertebat, qui & postmodum fortissimè se pro fide gerebant; ita ut initio Ecclesiæ apertissimè patesceret, quam verum foret illud: *Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam.* Nempe, ut dixit Tertul. Sanguis Martyrum semen erat Christianorum: & ut loquitur S. Leo. *Semper Dominicus ager segete ditiori vestiebatur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Unde & in revelationibus S. Brigittæ, l. 3. sic habetur: *Si mensurares terram centum pedum in longitudine, & totidem in latitudine, ut seminares plenam granu, & quodlibet granum daret fructum centuplum, adhuc essent plures Martyres & Confessores Romæ; à S. Petri tempore usque ad Cælestinum.* Hic erat Pontifex tempore S. Brigittæ. Martyres igitur q. asi granum frumenti; quasi granum sinapis fuere; mirè crescentes, maximè Apostoli, qui minimi & despecti creverunt in millia. An non *Thomas* Apostolus millia Indorum, *S. Joannes* millia Asinorum, *S. Bartholomæus* millia Armeniorum *S. Matthæus* millia Æthiopum, *S. Petrus* millia Judæorum, *S. Paulus* millia Gentium progenuerunt? Sic crevit semen sinapis in arborem & ramos, ita ut volucres cœli venirent, & habitarent in ramis ejus.

3. Reg. 18.

Dan. 2.

Isa. 54.

Isa. 60.

S. Leo ser. de Petro & Paulo.

Sed quæ sunt hæ volucres cœli? Dicamus *primo* esse Reges, Principes; Primates. Ideo volucres eos cœli rectè vocitaveris, quia in sublimitate sunt constituti, in altum volant, in altis habitant, ibi mens eorum & intentio. Sed descenderunt ad arborem sinapis, ut ibi granis ejus vescerentur, ut ibi quietem reperirent. Suavem judicarunt doctrinam humilem Ecclesiæ ad pascendum, suavem in ea pacem & tranquillitatem conscientiæ repererunt ad requiescendum, commodum quoque in ea locum nacti sunt ad nidulandum. Sic Constantinus, Theodosius, Carolus Magnus, Henricus Imperator, Clodovæus, Ludovicus, & alij magno numero Reges & Principes magnam suavitatem spiritus in doctrina Christiana perceperunt, & magna cum humilitate ac pietate in Ecclesia conversati sunt. Similiter & Reginæ Helena, Pulcheria, Cunegundis, Blancha, Elizabetha, Margareta, & aliæ innumeræ Illustrissimæ Heroinæ altitudinem sæculi despicientes; pietatem toto corde sectatæ sunt, & sese humiliter propter Christum submiserunt.

1. *Volucres cœli, Reges & Primates terræ.*

Dicamus *secundo*, volucres cœli esse sapientes hujus sæculi, qui quidem initio despiciebant hoc granum, & hanc sinapis arborem, tumidi scilicet sua sapientia, sublimia Philosophorum dogmata magnificiebant, splendorem eloquentiæ, astrorum notitiam, cœli contemplationem vilipendebant. Attamen postmodum eloquentiæ Oratorum, sublimi sermoni Philosophorum, scientiæ quorumlibet sapientiam prævaluit rudis, & imperitus sermo Piscatorum; ita ut venerint & hæ volucres ad ramos arboris nostræ, de sublimitate sua descendentes. Testis est *Sanctus Dionysius*, & alij cum eo, qui Paulo adhæserunt de schola Areopagi. Testes sunt & illi Philosophi, & Oratores quos *Sancta Catharina* convertit. Testes & alij eloquentissimi & sapientissimi, qui de Gymnasijs Rhetorum & Philosophorum Christi humili doctrinæ se subdiderunt, quorum scripta doctissima & disertissima adhuc extant. Sic Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, de schola Oratorum (ubi per sublimitatem sermonis quasi in altum volitabant) ad scholam Piscatorum descenderunt, & doctrinæ Evangelicæ virtutem & veritatem, quasi in grano sinapis latentem acrimoniam, agnoverunt. Sic in ejus ramis post sublimem vanæ facundiæ volatum conquieverunt, sic & alios pascentes non amplius

2. *Volucres cœli sapientes mundi.*

ventosa vanitate, sed solida veritate. Immo paulatim factum est, ut illa doctrina quæ antea adeò vilis videbatur, postmodum tanto consensu reciperetur, ut jam omnium aliarum scientiarum forma fieret & regula, lydiusq; lapis quo aurea veritas ab adulterina discerneretur. Etenim nulla scientia, nulli libri, nulla assertio, nulla Philosophia recipitur, quæ doctrinæ Apostolicæ vel scripto, vel traditione acceptæ non consentiat.

3. *Volucres cæli, pii & Religiosi.*

Dicamus *tertio*, volueres cœli hic posse dici omnes pios, qui à terrenis cor & mentem erigentes, quantum possunt, in sublime feruntur, & ad cœlestia adspirant. Hi sunt qui cum Apostolo possunt dicere: *Multi ambulant inimici crucis Christi, qui terrena sapiunt quorum Deus venter est, quorum finis interitus, quorum gloria in confusione ipsorum, Nostra autem conversatio in cœlis est.* Itaque triplicis generis homines possumus distinguere. Alij enim repunt super terram, instar serpentis terræ incubant, terrenis inhiant, & terrâ pascuntur. Hi sunt serpenti cibus, cui dicitur: *Terram comedes.* Alij quasi pisces in mari, volutantur, vitijs & voluptatibus hujus vitæ immerguntur quasi aquis deliciosis, nec tamen requiem reperiunt, sed amaritudinem inquietam, vel inquietudinem amaru lentam; sed & postmodum infernalis cœtus eos æternum deglutit & infelicissimè absorbet. Alij denique abstrahunt se ab aquis & voluptatibus hujus sæculi, ne mergantur & pereant; in terra quoque mente & corde non hærent, quia sciunt se ad sublimiora natos, sciunt & retia, & laqueos, & escas fallaces spargi in terra; ideo assumunt pennas, & à terra se elevant, in arborem sinapis volant, ejus granis pascuntur, ejus ramis delectantur, ibi cantillant & requiescunt. Hos vocamus volucres cœli. Tales sunt multi Religiosi, Sacerdotes, Virgines, Viduæ, aliqui etiam conjugati pietati dediti.

Gen. 3.

Qui sint Ecclesiæ rami.

Atque rami varij in quibus quiescunt, sunt hi diversi Ecclesiæ status, in quibus secundum vocationem suam piè & cum tranquillitate bonæ conscientiæ conversantur: scilicet Religio, Sacerdotium, Cælibatus, Viduitas, Conjugium. Iterum, rami in quibus volitant & pascuntur, divina Sacramenta sunt, quæ pie frequentant. Iterum, rami in quibus lubenter agunt, ut grana colligant meditatio est sacrarum Scripturarum, & divini verbi, collectio, vel auditio, in quo invenitur granum interius cor accendens, contritionis lacrymas educens, medelam malis interioribus afferens. Iterum, rami in quibus versantur, sunt omnia pietatis opera, oratio, jejunium, eleemosyna, & similes alij ejs annexi funculi bonorum operum, ab his prodeuntes quasi germen sacrum. Hæc omnia habent se ut rami in charitate & humilitate radicati, in his gloriari possunt, pij laudem Deo omnium bonorum auctori referentes, quam aves in ramusculis cantillantes. Denique, rami in quibus volitant, sunt merita Christi, merita beatorum, merita totius Ecclesiæ quibus communicant, in quibus etiam protectionem reperiunt à pluvijs & procellis, ab accipitre infernali, & rapacibus avibus.

Conclusio

SEd concludamus, & ad Christum vota convertamus. Tu Domine, qui nos ad regnum cœlorum vocasti, ad regnum gratiæ in præsenti vita, ad regnum gloriæ in futura, quique hoc regnum grano & arbori sinapis hodie assimilare voluisti: fac ut simus inter volucres cœli, super terram & mare sæculi volitantes lubenterque hujc arbori & ejus ramis insidentes; ut granum humilitatis, granum charitatis, granum veræ pietatis, granum compunctionis & contritionis corde colligentes, masticantes, comedentes, interius accendamur interius pascamur, interius saporem percipiamus. Donec tandem in æternitatis horto & paradiso, plenius detur nobis refici regni tui delicioso fructu, in grano sinapis modo abscondito. Fac ut detur nobis tunc geminas alas (contemplationis & amoris, intellectus & voluntatis) expandere instar volucrum, ad perfectè volandum in te per visionem, ad perfectè quiescendum in te per fruitionem ad perfectè laudandum te per cantus æterni suavitatem interminabilem.

DOMINICA SEPTUAGESIMA.

LECT. II. tripartita.

Simile est regnum cœlorum Patrifamilias, &c. Matth. 29.

NOmen Patrisfamilias non incongruè Deo tribuitur, quia habet homines & Angelos suæ potestati subjectos, tum ut filios, tum ut famulos & servientes: illosque instar Patrisfamilias sua regit sapientia, sua alit providentia, sua coercet auctoritate, sua in officio continet justitia. Possumus autem triplicem familiam Dei distinguere. *Prima* est regnans in cœlis, quam adipe frumenti satiat, nulliusque rei indigam esse sinit, sed bonorum omnium suorum facit esse consortem; ita ut cuicunque de illa familia merito dicere possit: *Esto in semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Hanc non amplius vult esse inquietam aut laboriosam, sed pacatam, securam, omni benedictione repletam, in sui visione lætantem, in sui amore & fruitione quiescentem. Hanc vestit, non purpura, auro, aut gemmis; sed immortalitate, gloria, & incorruptione. Hanc sic regit, ut omnes summo consensu, promptissima obedientia, gaudio & alacritate maxima sibi serviant & obediant, sine tædio, sine labore, sine invidia & æmulatione. An non hæc ordinatissima familia est, adeo amabili & admirabili fœdere sub tanti Patrisfamilias regimine coadunata? Meritò eam ad jugem laudem invitat Psaltes, rationem adjungens: *Quia confortavit seras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te, posuit fines tuos pacè, & adipe frumenti satiat te.* Secundo ejus familia est illa quam in inferioribus terræ lo-

PARS I. *Deus est Patersamilias. vinea est Ecclesia. Triplex Dei samilia.* 1. *In cœlis. Luc. 15.* *Psal. 147.* 2. *In purgatorio.*

locis castigat, & purgat ad tempus, quia neglexit ea quæ sui erant muneris: Sicut prima lætantium est, sic & hæc gementium: quia ibi nonnisi dolor & gemitus, nonnisi pœna & cruciatus, donec perfectissimæ purgati lætantium fratrum consortio adsocientur. Interim non deserit eos, tum quia per Angelos quandoque visitat, & solatur: tum quia per fraternas pręces, adjuvari sinit, ut pœnarum tempus citius finiatur; tum quia fidem, spem, charitatem eis submministrat, datque certitudinem liberationis, qua eos patientia alit.

Merito ergo hi censentur de familia ejus, cum erga eos non solum se gerat ut Judicem, sed etiam ut Patrem: & licet ad tempus ab ejus conspectu sint religati, illi tamen postmodum sunt æternum conjungendi. Non sic de illis dicendum est, qui perpetuis sunt addicti pœnis; quia in æternum eos à se abjecit, nec punit instar pii Patris, sed instar inimici & ultoris. Proinde illis congruit illud, *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli propter multitudinem iniquitatu tua. Quid clamas super contritione tua: Insanabilis est dolor tuus. Propter dura peccata tua fecit hæc tibi.* Jer. 30. Non ergo amplius eos agnoscet ut suos, de quibus alibi dicit: *Nescio vos discedite à me operarij iniquitatis.* 3. Operantium hic in terra. *Tertia* familia est adhuc operantium in terris, qui quia agunt in medio utriusq; dictæ familiæ, etiam aliquid participant de utraque; quandoquidem lætantur cum superis, quandoque gemunt cum aliis; quandoque prosperitate sublimantur, quandoque adversitate deprimuntur; quandoque in pace sunt & ubertate, quandoque in luctu agunt & egestate. Interim eos regit, eis providet, eorum curam habet paterno affectu hic bonus Pater familias; ideo eis dicitur. *Iacta super Dominũ curam tuam, & ipse te enutriet.* Psal. 54. Nempe, sicut familia totam curam jactat super Patrem familias, ut de domo sua ad libitum disponat: ita homines præcipuam corporis & animæ curam in illũ jactare debent, cui dicit Sapiens: *Tua autem Pater providentia ab initio cuncta gubernat.* Sap. 14. Neque tamen ob id quispiam otiosus manere debet: sed sicut filiifamilias Patri relinquentes præcipuam curam domus (quam per se ordinat auctoritative, & aliis peragenda imperat) parati sunt ad ejus nutum in his quæ præscripserit, in utilitatem familiæ: Sic & nos à Deo onus & opus impositum gnaviter & prompte implere debemus, eum tamquam supremum Ordinatorem, & provisorem humillime & obedientissime agnoscentes. *Fidelis obediens nescit moras, ignorat tarditatem præcipiti præcipientem, parat oculos ut sui, aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, totum se colligit, ut imperantu impleat voluntatem.* Bern. ser. de obed.

Itaque hic Paterfamilias describitur hac in parabola curam habens, ut operarios mittat in vineam suam, proviso eis alimento & mercede. Unde ad hunc scopum, egreditur mane, hora tertia, sexta, nona, undecima. Vinea ejus est Ecclesia, in qua alibi dicit se ædificasse murum & sepem, turrim & torcular, magnamque illius se gessisse curam, & adamasse in collo & loco uberi plantatam. *Vinea facta est dilecto in cornu filio olei.* Isai. 5. Murus & sepes ejus est protectio Angelorum contra incursus ferarũ, dæmonis scilicet & vitiorumi, qui tamquam *aper de sylva & singula ferus eam depascere* & demoliri jugiter conatur. Psal. 79. Turris est providentia specialis Dei; & sublimis doctrina, qua protegitur, munitur, & ad cœlum usque extollit verticem, contra hæreses firma, contra errores incursantes circumvallata. Torcular multitudo est Sacramentorum & sacrificiorum, quibus Jesu Christi sanguis exprimitur; vel potius in torculari crucis expressus olim, in hoc iterum recolligitur, ut vinum propinetur Fidelibus. Habet & torcular aliud, scilicet martyrium, quo uvæ pretiosæ exprimuntur, ut serviat instar libaminis sacri sanguis eorum mensæ Domini; unde Apostolus: *Ego enim jam delibor* (hoc est, in sacrum libamen Deo sanguinem mox profusurus sum) *& tempus resolutionu mea in stat.* 2. ad Tim. 4. Hæc porro vinea tot palmites produxit, quot huc usque sanctos protulit; & eos in finem usque sæculi proferet non cessabit, rore cœli irrigua, & Spiritus S. calore fœcunda. Eget autem & operariis, qui eam continuò colant. Primarii autem operarii sunt illi qui in Ecclesia verbo & opere laborant, docentes alios fideliter & gnaviter laborare. Hi etiam custodes vineæ dicuntur, nam de illis verum est illud *Posuerunt me custodem in vineis.* Cant. 1. Per hos omni tempore vinea à Patre familias colitur, hoc est, à Patre æterno, & à Christo, qui dicit; *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Ioan. 5. Nemo potest operari nisi per ipsum, nemo nisi ab ipso ad hoc electus; idcirco iterum alibi dicit: *Non vos me elegistis, sed vos elegi, ut eatis, & fructum afferatis & fructus vester maneat.* Ioan. 15. Neq; vero operarii fideles umquam defuerũt huic vineę, neque unquam deerunt, ut quia iste Paterfamilias exit omni hora, ut aliquos eligat & conducat. Quapropter *Sanctus Gregor. & alij Patres* varias hujus parabolæ horas, intelligunt varias mundi ætates; ita ut mane mundi fuerit ab Adam usque ad Noe, hora tertia à Noe usque ab Abraham, hora sexta ad Abraham usque ad Moysen, hora nona à Moyse usque ad adventum Domini, hora undecima ab adventu Domini usque ad finem mundi. Sic primo per Patriarchas, deinde per Prophetas, postea per Apostolos, dum plebis suæ mores excoluit, in vineæ suæ cultura laboravit. Ac modo per Apostolicos viros, sive per Apostolorum successores undique missos, eam excolere censetur, & propagare. Extendit enim usque ad Indos, Japones Chinas, Peruanos antea incultos & incognitos, propagines vineæ suæ magno cum fructu, magno cum gaudio. Strenui hujus vineæ cultores fuere, Xaverius, Capistranus, Alphonsus à Rosa, & multi alii sanctitate & sapientia prestantissimi, in barbaras Regiones pro salute animarum penetrantes.

De his recte intellexeris illud. *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam ad laceratam, ad populum ter-*

Vinea est Ecclesia.

Operarij Ecclesiæ.

vocatur Angeli Isa. 18.

ribilem, post quem non est alius, ad gentem expectatam & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius. Quos hic operarios vocat parabola, quibus dicitur; *Ite & vos in vineam meam*, hos ibi Angelos vocat Propheta, & illis nomine Dei dicit; *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam & laceratam:* Quasi dicat; Ite ad vineam incultam, conculcatam à feris, exspectantem nihilominus adventum vestrum, ut excolatur, & ferat fructum. Sic terra arida dicitur expectare pluviam, & arua spinosa expectare manum extirpantis, ideo & Christus dictus est, *Expectatio gentium.* Hi autem Evangelici Operarii ibi Angeli vocatur, tum propter excellentiã ministerii, tum propter puritatem vitæ, tum propter celerem promptitudinem obedientiæ. Ipsi enim à Deo missi alacriter tendunt in remotas illas Orientis & Occidentis regiones, non quærentes mineralia auri & argenti, aut lapides pretiosos ibi abundantes; sed solum quærentes ibi vineam Domini plantare, propagare, ad producendum verum fructum fœcundam reddere; & *Populum terribilem*, hoc est ferocem, barbarum, & incultum ad Christi fidem adducere; ut jam fiant electi palmites, qui jacebant inter vepres & sentes, à spiritibus immundis conculcati.

PARS II. *Vnaquæque anima est vinea in particulari.*

CÆterum, sicut Ecclesia universalis vinea est Christi, ita quælibet anima particularis ejus est vinea. Vinea utiq; in fœcundo Ecclesiæ horto per baptismum plantata, sanguine eius frequenter irrigata, cœlestis gratiæ imbre & rore complura, ut fructum maturum producat, vinum amoris & devotionis, non uvam acerbam peccati, de qua

Deut. 32. dicitur: *Vva eorum, uva fellis & botrus amarissimus, de vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ.* Ut autem vinea fructum non silvestrum & amarum, sed suavem & pergratum ferat, opus est multiplici cura, multiplicique labore, sic etiam ut anima ferat fructum cœlestem & divinum.

1. *Vitis circumfodienda, sic & anima.*

Primo quidem vitis circumfoditur, & stercoratur, ut felicius crescat, & fructificet uberius. Nam quod dicebat Hortulanus hero suo de ficu infructuosa quam volebat excindi, etiam de vite verum est: *Dimitte adhuc illam & hoc anno, usque dum fodiam, & mittam stercora, &c.* Fossio autem hæc circa vitem nostram fit per serium examen conscientiæ, quod totam invertit terram cordis, ut quod infra erat clausum, aperiatur & quod occultum manebat, fiat manifestum, ut fit in fossione. Fit autem fossio facilior, dum pluvia præcessit quæ terram irrigaverit; sit & facilius felicisusque examen istud peragitur, dum divinæ gratiæ imber cor irrigaverit, quem & quandoque sequitur pluvia lachrymarum vitis huius radicem irrigans. Stercoratio autem fit per humilitatem & confusionem, dum omnes nostræ miseriæ, & sordes humili agnitione simul aggeruntur super cor, & erubescentiam pariunt ac pudorem. Sic carne anima mortificatur, impinguatur, melioratur, juvaturque ad producendum humilitatis & resipiscentiæ fructum.

Examen conscientiæ est fossio.

2. *Vitis putanda sic & anima.*

Secundo, Vitis resecari solet & putari, ne silvestris efficiatur, & ut fructus plus afferat: ideo enim putata resecata fructificat amplius, & conservatur melius, quia virtus radicis ad pauciores palmites transmittitur, & ita magis unita majorem habet vigorem. Sic superflua resecanda sunt ab anima, ut tota virtus ejus in Deum tendat, ut intellectus, abjectus superfluis cogitationibus, de Deo cogitet, voluntas ejus dilectionem quærat, memoriam eius recordationem foveat; sicque tota anima in primarius potentiis, quasi suis palmitibus fructificet uberrime, nec silvescat infructuose, dum ad multa se spargit per vagam cogitationem, per vanam dilectionem, per superfluam recordationem. Amputandæ igitur sunt occupationes nimiæ hujus sæculi, delectationes pravæ carnis & mundi, suggestiones malignæ diaboli: hæc enim omnia impediunt, & suffocant perfectum fructum vineæ Dei, & nonnisi palmites luxuriantes producunt servientes igni. Et quidem Vinitores certum habent putationis tempus, nobis autem illud est tota vita nostra, sic enim ait Sanctus Bernardus: *Nobis fratres, semper est putationis tempus, sicut semper est opus. Scrutemur vias nostras & studia nostra, & in eo se quisque judicet profecisse, cum non in venerit quod reprehendat, sed cum quod invenerit, reprehenderit.* Nempe quantumlibet quis perfectioni studeat & puritati, semper eget purgatione, semper putatione; quia aliqui inutiles palmites semper repullulant pœnitentiæ ferro circumcidendi.

Serm. 58. in Cant.

3. *Vitis alliganda sic & anima.*

Tertio, Vitis debet ad palum alligari, ne vel suo pondere, vel ventis agitata in terram corruat, sed hac alligatione erecta in altum latumque crescat. Hac de re sic loquitur D. Zeno in Psalm. 79. *Palmes in scrobem demittitur, ut animatus ibidem nutrimentur: auxiliare illi necessario lignum jungitur, cuius tutela defensus sese sustollat. At ubi adoleverit in vitem perfectam, eius omnes crines luxuriosse tendentur, tunc que nodis adstringitur, ne à ligno à quo portatur, vel cuius ductu in uberes fructus longius invitata producitur, vi aliqua separetur. Tunc solemniter plorans, clementer imbre suo rorat, & statim oculis aperta folia radiata procedunt, quibus subjecti ac sese commendantes fructus sequaces arridenti, quos solu ardore, pluvia, ventique exercendo provehunt, & ad maturitatem perducunt.* Hæc ille, eleganter totam vitis debet describens originem, progressum, perfectionem, quæ omnia vineæ spirituali optime congruunt. Nempe illa ut fructificet, eget auxiliaris ligni colligamento, quia cruci debet adhærere & crucifixo, eget ardore solis, hæc est gratia Spiritus sancti: debet exerceri imbribus & ventis, ærumnas debet perpeti variasque adversitates; sic gloriosius provehitur, sic fructificat uberius, & pretiosa

pretiosa humiliatis scrobe assurgens, per patientiam & longanimitatem in sublime seſe extollens.

4. *Nobilissima planta vitis in radice vivens, sic anima in charitate.* Iud. 9.

Quartò, nulla planta vite nobilior est, fœcundior, ditior, dum rectè excolitur, & quamdiu in radice sua vivit: nulla verò contemptibilior, si à sua radice separetur. Sic nihil nobilius est anima quamdiu in radice charitatis vivit; potestq; dicere quod olim vitis in parabola descripta in lib. fertur respondisse: *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter cætera ligna promoveri?* Nempe huic radici charitatis inhærens fructum meriti producit acceptissimũ apud Deum. E contrà verò si à radice separetur charitatis, instar ligni vitis contemptibilis est, & ad nihilum valet, nisi ut in ignem mittatur, & ardeat. Et hoc est quod Ezech. 15 dicitur: *Factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis quid fiet de ligno vitis? Numquid tolletur ut ex eo fiat opus quodcumque, &c. Ecce igni datum est in escam.*

5. *Vinea præ reliquis agriculturæ labores requirit, sic & anima.* Cant. 8.

Postremo dicamus, in omni agriculturæ genere nihil ita assiduum laborem & curam desiderare atque vineam; quia & in autumno, & in hyeme, & in vere, & in æstate industriam aliquam & curam poscit. Nam finita vindemia resecantur palmites, terra refoditur, sepes renovantur, sustentacula nova parantur. Cum vero incipit pullulare, pampini purgantur, folia superflua excinduntur. Cum maturuerint botri, magnus in vindemiando labor est. Sic in animæ cultura & custodia continua opus est vigilia & labore, ut fructum dignum proferat, & fructus ille maneat. Propterea unusquisque salutis animæ suæ sollicitus merito potest illud usurpare: *Vineam meam coram me est*, sive ut septuaginta Interpretes legunt: *Vineæ mihi meæ in conspectu meo.* Quasi dicat. Habeo semper præ oculis illã. ut colam, ut custodiam, ut inspiciam cuncta quibus indiger, aut quæ illi prodesse valent, Illius nunquam obliviscor, sed vigilanter eam reseco, fodio, purgo, colligo, sepio, irrigo, stercoro, & ex omni parte collustro & circumspicio. Hoc unicum meũ negotium est. hæc unica cura ut fructum ferat, cætera non curo. Hoc ipsum est, inquit *S. Greg* coram se ambulare, quod de mysticis animalibus dicit Ezech. hoc est sibimetipsi absentem non esse, sibimetipsi attendere. S. Greg. ho. 4 in Ezech. *Omnis enim justus qui vitam suam aspicit sollicitus, & diligenter considerat quantum quotidie in bono crescat, aut forte quantum à bono decrescat iste quia se ante se ponit, coram se ambulat, quippe qui vigilanter videt, an surget, an desinat. Quisquis vero custodiam sui negligit, & discutere qua loquitur, qua cogitat, vel despicit, vel nescit, coram se iste non ambulat, quia qualis sit in moribus suis ignorat.* Talis etiam non potest dicere: Vinea mea coram me est. Sed de illo verum est illud: Prov. 24 *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerunt superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat.*

PARS III. *De horis quibus operarii vocantur.*

IAque omnes vocantur ad hanc vineam colendam, quia omnes creati sunt, ut animę curam habeant, & postmodum mercedem percipiant; hæc est vocatio Christiana. Efficacissime tamen aliqui vocantur primo mane, alii hora tertia, alii hora sexta vel nona, denique alii hora undecima. Olim dies duodecim horis constabat, juxta illud. *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Isque in quatuor partes dividebatur, quarum quælibet tribus horis constabat. Hora prima diei illa erat, qua Sol oritur, post tres horas hora erat tertia; post tres iterum hora sexta, sive meridies? rursus post alias tres à meridie hora nona dicebatur, vespera erat post tres alias in solis occasu, undecima erat hora una ante solis occubitum, & ab illa unius tantum horæ spatium erat usque ad duodecimam. Sic ergo qui primo mane conducti fuere, duodecim circiter horis laborarunt, qui hora tertia horis novem, qui hora sexta horis sex, qui hora nona horis tribus, qui undecima conducti fuere unam tantum horam labori impenderunt, & vespere facto, id est in solis occasu, receperunt mercedem. Horæ istæ rectè designant ætates hominis diversas, ita ut primum mane sit pueritia, hora tertia sit adolescentia, hora sexta iuventus, hora nona virilitas & incipiens senectus, hora undecima ætas decrepita. Nempe vita nostra nonnisi instar unius est dici, quæ diversis ætatibus constat, quasi horis; claudit morte, sicut dies nocte; nox lucem diei eripit sic mors lucem vitæ. Sic brevi temporis spatio pertransit hæc vita, etiamsi in senectam pertingat: una ætas alteram propellit, sicut hora horam: *Mille anni tamquam dies hesterna quæ præteriit.* *Vita hominis dies una.* Psal. 89.

Primo mane igitur illi ad vineam colendam à Domino conducti censentur, qui jam à pueritia vocationis & electionis suæ signa dederunt, & gratiæ divinæ cooperati sunt; ita ut possint dicere illud, *Dominus ab utero vocavit me, &c.* & illud Job. *Ab infantia crevit mecum misericordia.* Habes horum exempla sacris in literis *Joannem Baptistam*, qui triennis antra deserti in colere cœpit, & vitam asperam ducere; item *Samuelem*, qui coram Domino jam puer ministrabat accinctus Ephod lineo. Habes & in sacris historiis plurimos, inter quos S. *Nicolaus* Abstemius ex utero matris suæ; S. *Carolus* Borromæus altariolis extruendis, & aliis sacris exercitiis vacans à puero, sanctitatisque indicia præbens non obscura; *S. Bernardinus*, qui cum rediret puer à concione, pueros simplicitate puerili convocabat, & quasi ad illos concionem habens, quæ audiverat cum zelo enunciabat, miræque castitatis speculum sodalibus suis erat; *S. Heliodorus*, qui puer trium annorum cœnobium ingressus, annos sexaginta duos ibidem sanctissime vixit; *S. Godefridus* Ambianensis Episcopus, qui in monasterium assumptus est, cum quinquennis esset. De his & similibus dicit Dominus: *Sinite parvulos ad me venire, talium est regnum cælorum.* *Qui mane vocentur.* Isa. 49. Iob. 31. Sur. 20. Maii. Sur. 5. Ian. Matt. 19.

Qui hora tertia vocantur. Thren. 3.

Hora tertia ad vineam excolendam à Domino conducti sunt, qui ab adolescentia se divino servitio manciparunt, de quibus verum est illud: *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* In quem locum sic ait S. Ambr. *Ei autem qui post decursa juventutis annos jugum tulerit, non est statim perfectum bonum: stimulant enim eum peccata sua, exagitat conscientiam consuetudo peccandi, & usus erroris instabilem facit. Luctandum est hujusmodi viro, ut abolefaciat inveterata. Huic in periculo res est, illi in bono.*

Adolescentia ad Dei servitium apta.

Ætas nempe tenera gravis laboris & oneris molestiam non sentit, in obsequioque divino se promptiorem exhibet: sed ætas senescens ægrius fert onus ægriusque curvatur ad laborē: Ideo hora tertia vocati numerosi adolescentum greges in vineam, promptissime & fructuosissimè laborarūt. Talis S. *Antonius*, qui adolescens orbatus parentibus cū ingressus Ecclesiam ex Evangelio audisset: *Matt. 19.* *Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me*; tamquam ea sibi dicta essent, sic Christo Domino obtemperandum existimavit. Sic omnibus venditis, omnibusque solutus impedimentis, cœlestis vitæ genus in terris colere cœpit. Talis & S. *Paulus* Eremita, qui cum 15. esset annorum ut liberius Deo serviret, eremum est ingressus, & palma ei victum & vestitum præbente vixit ad 113. annum corvo etiā ei quotidie dimidiatum panem afferente. Talis & S. *Hilarion*, qui anno 16. Domino vocante adiit solitudinem, & septuaginta annis Deo servivit, solitudinem in Paradisum convertens, cultor vineæ Domini egregius. Hi omnes operarii fuere inconfusibiles, & postquam pondus diei & æstus pertulerunt postquam totum pene vitæ tempus vineam colendo impenderunt, mercede à Patrefamilias ad vesperam donati sunt.

Vocati hora 6. & 9.

Hora 6. & 9. vocantur, qui cum partem ætatis in vitiis vel otio transegerint, tandem resipiscunt, & voci Dei obtemperantes, supplent duplicato labore quod priori tempori defuit. Sic *Matthæus*, sic *Zachæus*, sic *Paulus*, voce Domini conversi, in ejus vineam venerunt serò paululum, sed serio ita labore opus Domini promoverunt, ut inter primarios operarios mercedem acceperint. Sic S. August. è vitiis sæculi & hæresi post annum ætatis 30. evocatus, frugiferam admodum operam Dominicæ vineæ impendit reliquam ætatis partem Deo ex integro consecrans, & saluti animarum.

Serò conversi serio alti labore præunt.

Hora 11. venientes.

Denique, alii ultima veniunt hora, qui vilis & infine vitæ convertuntur, nec unquam est sera conversio, si vera: undè & quosdam etiam tunc vocat Magnus ille Patersfamilias, qui neminem vult irremuneratum, quamlibet exiguo tempore laborantem. Exemplum habes sacris in litteris in latrone, qui paucis horis consors laboris Christi in monte Calvariæ, mox etiam ad consortium vocatur regni & coronæ. Habes & in sacris historiis nonnulla exempla huc spectantia. Habes in vita S. Andreæ de quodam sene Nicolao, qui 64. annis in impudicitiis versatus fuerat; at quadam die lupanar ingressus portabat Evangelium super se, meretrix vim divinam in illo perientiscens cæpit retrocedere, & rogare ne accederet; eo quod res mysteriis plenas secum circumferret. Ille hac occasione compunctus, recessit, & postmodum S. Andream accessit, rogans ut suggereret remedium contra inveteratū illud peccatum: Vir S. Oratione & Jejunio quinque dierum imperavit ei divinam gratiam & castitatis donum, cœlesti voce ei insonante: *Conceditur tibi petitio pro sene, sed sicut tu pro illo jejunasti, ita & ipse debet pro se jejunare.* Cùm verò mandatum illud seni insinuasset, redit domum senex; & postquam menses sex in jejunio & pane transegisset, ex hac luce evocatus est. Revelavit autem Angelus S. Andreæ, ipsum pro tantilli temporis labore meredem æternam esse consecutum. Sic *consummatus in brevi, explevit tempora multa*: nam quod amiserat anteacto tempore compensavit ferventi mentis devotione. Nostro quoque sæculo admodū notabile fuit, quod in Jubilæo *an.* 1575. *sub Greg.* 13. contigit cuidam Lutherano ministro, natione Polono, qui ministerium istud hæreticum 23. annis obierat. Compunctus autem in illo Jubilæo confessionem generalē peccatorum Romæ fecit, hæresim abjuravit, sacram synaxin percepit, cumque ferventissime & copiosis cum lacrymis sacra loca visitasset, morbo correptus, tribus postmodum diebus maxima conscientiæ pace, maximaque devotione & animi erga Deum gratitudine, spiritum reddidit. An non hic tibi videtur ad undecimam vocatus; moxque mercedem percepisse? Agnovit id summus Pontifex ad quem cum res gesta referretur, in cœlum oculos attollens dixit: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! ô investigabiles viæ ejus! Cum tā multi peccatores ut pœnitentiam agant monasteriorum vel deserta petant, ecce iste trium dierum spatio, & veniam adeptus est & mercedem.*

Ribad. in vitæ S. And.

Hist. lacrimuli in de lib. lect. 2. in fine.

Meritò verò noster Pater familias eos graviter arguit quos invenit hora undecima vacantes & infructuosos: *Quid hic statis tota die otiosi?* Nempe gravis culpæ rei sunt, quos vel ultima ætas nō monet socordiam & vecordiam excutere & manum operi vel sero admovere; ideo dicitur apud Sapientē: *Tres species odivit anima mea, pauperem superbū, divitem mendacem, senem fatuum.* Quosnam dicemus senes fatuos, nisi eos qui in ea ætate quæ tota pietati vacare deberet, in vitiis infatuati hærent? Quam odibiles sunt Deo hominibusque, qui in senecta æque ac in florida ætate sunt vani, æque impudici æque ebrietati dediti, æque litibus & mundo implicati? Audi Cyprianum: *Quid stolidius, si mens ad perfectionem non festinet, quando totius corporis habitus ad interitum properat:* Dum oculi caligant, aures graviter audiunt, capilli fluunt, dentes cadunt, genua trepidant, tussis suffocat, humor pedes inflat; nonne interior homo jam persentiscit ruituram corporis domum? Cur ergo tunc non vigilat, ut Deo rationem reddat? Audi & Hugonem lib. 2.

Senex impius Deo hominibusque odibilis.

Eccl. 25.

Cypr. de abus. sæculi.

lib. 2. de clausto animæ? *Inter abusus saculi sola major est senio obstinatio, qui morti proximus mortis non horret adventum, & quasi ad ostium positus vitæ præsentis non attendit egressum, nec futura considerat. Audit mortu nuncios, nec credere vult illis.* Sapientius Berzellai, qui cumà Rege Davide ad aulæ delicias & mensam regiam vocaretur, respondit: 2. Reg. 19. *Octuagenarius sum, numquid delectare potest servum suum cibus aut potus, vel audire possum ultra vocem cantorum, aut Cantatricum? Obsecro revertar filius tuus, & moriar in Civitate mea, & sepeliar juxta sepulchrum Patris mei.* Quasi dicat. Non est mihi nunc cogitandum de aulæ delicijs, nec inter tumultus agendum, sed mens tota in solitudine sepulchro defigenda, ut felix sit transitus ex hoc sæculo: illud ut despiciam mortis nuntia senectus me admonet. Præclarè ille antiquis temporibus illis nominatus.

Carol. V. transit ad Monasterium S. Iustini. Florimund, & alij. non absimiliter vero sæculo nostro *Carolus V.* Imperator, qui cum inter bellorum fluctus triginta sex annis imperij gubernacula tenuisset, ætatem ingravescentem præsentiens, sceptris renuntiavit, & comitijs in Belgio indictis Principibus suis valedixit, in Hispaniam transiens. Mox vero ubi post enavigatum mare terram attigit, caducum corpus illi offerens, his dicitur verbis usus: *Salve, o mater communis, chara mihi & desiderata! Sicut nudus exivi de ventre matris, ita nudus ad te revertar, velut ad secundam matrem, & pro omnibus beneficijs mihi à te præstitu, non habeo illud quod tibi offeram nisi corpus istud agrum & caducum.* Exinde transijt in monasterium S. Justini Ordinis S. Hieronymi in solitudine, ubi in pœnitentia & oratione residuum vitæ feliciter transegit.

Sic ille hora undecima specialiter à Patrefamilias vocatus, omnia deseruit, vocantemque secutus nullum laborem detrectavit, mercedem mox consecuturus. Pudeat ergo eos qui in ultima ætate adhuc socordes reperiuntur, imò sine corde. Nec dicant: *Nemo nos conduxit*, nam & ultima exit Paterfamilias, ut operarios quærat & adducat. Et quater jam antea sollicitus exiverat ut conduceret, sed si non comparuerunt, aut laborare noluerunt (detrectantes portare pondus diei & æstus, malentes otiari & dormire, aut inquietè vagari, aut in popinis potitare, & belluari) saltem egenos se conspiciant vespere incumbente; & ad denarium & laborem accurrant. Hoc optat Paterfamilias, erga ipsos benignus futurus, & quod justum fuerit daturus. Nec tamen quia benignus est, & omnibus horis vocat, ideo vocatio negligenda est, quæab eo hora 3. aut 6. fit, differendo usque ad 11. neque enim Evangelici operarij hora tertia vocati, aut sexta se excusarunt, sed mox secuti sunt. Ideo dixit S. Augustinus, *Tu quando vocaris, veni. Sexta hora vocaris? veni. Paterfamilias etiam hora undecima venienti denarium promisit, sed atrum vivas usque ad septimam horam non promisit.* Nempè hoc concernit dilatores & procrastinatores, quando agitur de obsequio Dei, aut negotio salutis. Quam enim incertum est, an ad senectam sint perventuri, cum multi in flore ætatis in medijs abripiantur peccatis? *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viventes sic in ira absorbet eos.* Quam incertum, an tunc à Deo vocandi sint, cum justo judicio eos tunc deserere possit, quia tempore opportuno vocantem sequi neglexerunt? Quam incertum, licet tunc vocarentur, an sint obtemperaturi, an in cæcitate permansuri? Concludo ergo cum Apostolo, & dico: *Videte fratres ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo vivo. Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Nempe *Hodie* vox est Dei, *Cras* vox est diaboli, Deus pœnitentiæ indulgentiam dum promisit, dilationi diem crastinum non promisit.

Psal. 57. Heb. 3.

Tu interim, ô bone Paterfamilias; qui semper nostræ es salutis sollicitus, in numerum servorum tuorum gnaviter operantium nos adsciscere. Vocanos efficaciter in vineam tuam, & effice ut vocationi quacumq; hora obtemperemus. Da nobis vires & gratiam ad circumfodiendam vineam nobis commissam pœnitentiæ & contritionis sarculo, ad resecandum folia & palmites superfluos & luxuriantes mortificationis ferro; ad colligandum tibi ejus propagines fidei, spei, charitatis vinculo: ut sic debitè exculta & rore ac calore cœlesti fœcunda, fructus uberes producat, botros suaves portet in divini amoris pretiosum vinum eliquandos.

Conclusio

EADEM DOMINICA.

LECT. 9. tripartita.

Voca Operarios, & redde illis mercedem. Matth. 20.

DUplex est vocatio horum Operariorum, & omnium qui ad vineam Domini vocantur; una ad laborem, altera ad mercedem: promisit enim Dominus laborantibus mercedem: & dignatur quodam pacto ad eam dandam se obstringere; ita ut post pactum sit merces justitiæ, & non tantū gratiæ. Merita nostra fundantur in gratia Dei primario, quia gratiæ ipsius fuit, quod operibus nostris, quibus non egebat, præmium & regnum voluit promittere. Benignitatis etiam est, quod illa per gratiam internam & sanctificantem dignetur vivificare, & quodammodo leificare, ut condigna sint vitæ æternæ; nam ex se, & quatenus à libero arbitrio nostro procedunt, nullam habent proportionem aut condignitatem ad futuram gloriam; prout dixit Apostolus: *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Attamen supposita gratia, quæ deificum facit statum operantis, suppositisque Christi meritis quibus innituntur, supposita denique promissione & pacto, vere meritoria sunt, & proportionata, ac condigna vitæ æternæ, ita ut ex quadam justitia illis debeatur. Propterea dixit idem Apostol: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem* 2. Tim. 4.

PARS I. *Quomodo Deus mercedem pro veranguibus reddat.* Rom. 8.

servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet in illa die justus Judex. Non ergo solum corona est misericordiæ & gratiæ, sed & justitiæ: nec illam dat Deus solum ut pius & misericors Pater, sed etiam ut justus Judex; quia promisit & se obstrinxit, & dona sua voluit esse merita nostra, ut loquitur Concilium Tridentinum. Propterea hic dicitur, quòd conduxit operarios. *Facta conventione de denario*: & novissimis promisit, *quod justum est, dabo vobis* sic monet & Apostolus: *Fratres stabiles estote, abundantes in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Et alibi: *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis.* Ob eandem etiam causam dicuntur justi emere Regnum, quasi pretium condignum persolventes, dum vel sudorem, vel sanguinem pro illo fundunt. Unde Sanctus. *Venale habeo. Quid Domine? Regnum Cœlorum. Quo emitur? Paupertate Regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita.* Sic & Bedæ sermone 18. de Sanctis: *Regnum Cœlorum in tua est potestate, aliud non quarit pretium, quam et ipsum, tantum valet, quantum tu es. Te da, & habebis illud. Quid turbaris de pretio? Christus semetipsum tradidit, ut acquireret te in Regnum Deo Patri; ita & tu teipsum da, ut sis Regnum ejus, ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore, sed spiritus in acquisitionem vitæ.*

Trid. sess 6. 1. Cor. 5. Heb. 6. Justi quasi emunt regnum cœleste in Ps. 93.

De Sancto Francisco legimus, quod cum frater ejus uterinus in summa hyeme cum seminudum, & frigore rementem adspexisset, non solùm non compassus fuerit, sed amaro etiam ludibrio eum irriserit. Etenim ad eum in plateis transeuntem misit quemdam qui ei amaro joco diceret: *Rogat supplex frater tuus, ut ei vel unam sudoris tui guttam vendere velis.* Quid vero Franciscus? Sapientissimè & pientissimè respondit: *Die fratri meo, me jam pridem sudorem meum Domino vendidisse, & quidem ingenti pretio.* Sciebat nimirum quantum Dominus æstimet vel laborem, vel æstum, vel frigus pro se toleratum; adeo ut hoc ipsum sit pretium, quo emitur Regnum Cœlorum. Quo pretio exhibito, illud à Domino possimus quasi ex justitia debitum exposcere. Audi & de ea re exemplum memorabile ex *Petro Damiano* Cardinale.

Exempla.

Quidam Scotorum Rex in primævo adolescentiæ flore Patri defuncto successerat: sed considerans quam fragile sit quidquid in hoc sæculo tumet, quam labile quod supereminet, quam velociter extinguibile quod splendet, decrevit Regales insulas Regni cœlestis amore deponere, coronam capitis, purpuram cucullo mutare. Quid plura? Simulat orationis studium, & Apostolorum liminum se devotione teneri. At completa hac visitatione, ignorante clientium comitatu, monasticum habitum latenter induit, & sic mundum cum regno benè se furatus abjecit. Paulo post gravi ægritudine percussus, ad extrema pervenit, sed usque adobitum hoc tanquam fœderata conventionis elogiis inclamare non destitit: Domine feci præcepisti, imple quod promisisti. *Quicquid vero aliud ei diceretur, ab hac voce non cessabat, quasi debitum suum sic exigens. Nimirum in vinea constitutus expescebat denarium, quia Patrisfamiliæ se noverat adimplevisse præceptum, & licet hora undecima fuerit conductus, exigebat requiem post laborem, & expleta oratione repositebat mercedem.* Hinc S. Petrus Damianus.

Exemplum.

O admirabilis bonitas Domini, qui cum omnia opera quæ peragimus sine ut debita innumeris titulis possit exigere, eumque non egeat illis, nec lucrum ullum inde acquirat, sed solum nobis profi-cua sint; nihilominus dignatur se nobis obstringere ut debitorem & promittere mercedem, & quidem tantam mercedem pro exigui temporis labore: *Leve enim & momentaneum tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, momentum temporis, mercedem habet æternitatis. Hoc miro afficit gaudio & admiratione bonitatis divinæ operarios ad mercedem istam vocatos in fine, in vespera scilicet vitæ. Sic de *S. Clara* de Monte-Falco legimus, quod cum vitæ fini appropinquaret, revelationem acceperit, omnia peccata certo sibi esse remissa, & gloriam præparatam. Tanto vero inde perfusa est solatio & gaudio, ut illud interius continere non valeret: sed abrupto silentio Dominum hisce vocibus ex intimo cordis amore & fervore depromptis cœpit compellare: *O bone Jesu, quam magna merces servientium tibi! Quam magna pro adeo exili obsequio! Eheu quam breve, quamque leve servitium tibi impendimus! Multum est, multum est, & merces magnanimi pro me Paradisus tuus.* His & similibus affectuosis eloquiis in extasim rapiebatur, adeo ut corpus emortuum existimaretur, animo sic in Deum exultante, & dignationem divinam admirante.

Ingens Bonitas Dei erga homines. 2. Cor. 4. Ribad. in vit. ejus.

Quod verò serò dicitur merces reddenda, vocandosque tùc operarios, significatur vel finis sæculi, vel mors cujuslibet in particulari. Tunc occidens est & vespera, tunc finitur dies mutabilitatis; hoc est vita nostra quæ per horas variatur, & vix meretur dies dici respectu futuræ æternitatis. Per mortem *ibit homo in domum æternitatis suæ*, ut loquitur Sapiens, ut in securitate quiescat à diurno labore: *A modò jam dicit spiritus ut requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* Interim ante hanc quietem, & ante mercedis consecutionem, indicatur opus esse perseverantia; quandoquidem merces serò sit reddenda, perseverantibus scilicet usque in finem. *In Christianis enim non quæruntur initia sed finis*, inquit Sanctus Hieronymus. *Jude laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.* Saul bene cæpit, sed malè finivit, Saulus malè cæpit, sed factus Paulus benè finivit; unde ad vesperam appropinquante mercede

Cur merces operariorum serò soluta. Eccl. 12.

cede feliciter canit : *Cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Exire ergo debet *homo ad opus suum, & ad operationem suam* (velut alia lectio habet, ad servitutem & culturam suam) *usque ad vesperam.* Debet operari opus suum homo, congruum scil. homini & rationali menti, quamdiu dies est : *Venies nox in qua nemo poterit operari*, inquit Christus Dominus. Ne fame pereat dum vespera adveniet, debet *operari non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius dat nobis.* Hæc est merces sive denarius, quę vineæ procurator dat operariis. Audiant ergo hoc desides illi, qui ubi modicum quid fecerint, quasi officio bene functi, mox se otio tradunt ; audiant inquam, non sufficere manè exisse ad opus, sed ad vesperam usque in illo permanendum. Non sufficit in valida ætate aliquid boni egisse, sed oportet & in tempore senectutis, quando homo ad occasum declinat, strenuè laborare ? non verò carni curandæ, aut otio indulgere ; *Nescit mens per torporem vetescere, quæ studet per desiderium semper inchoare*, inquit S. Greg.

Exempla Hinc S. *Franciscus* sub finem vitæ cum spiritus fervore, se suosque fratres quasi indefessos operarios ; excitabat, & dicebat: *Incipiamus fratres servire Deo nostro, quia usque modò parum profecimus.* Flagrabat desiderio magno ad humilitatis redire primordia, ut leprosis sicut à principio ministraret, corpusque præ labore jam collapsum revocaret ad pristinam servitutem ; nempè languor & desidia locum non habet, ubi amoris stimulus semper ad majora perurget, ut de illo dicit S. Bonaventura c. 14. vitæ eius. Sic & alii viri S. semper fuere solliciti, ut usque ad ultimum spiritum, & vitæ terminum in opere reperirentur à Patrefamilias, ut sic securi forent de mercede, & possent dicere ; *Opus consummavi quòd dedisti mihi.* Sic S. *Oswaldus* Vigorniensis in Anglia Episcopus, sciens vitæ suæ terminum adesse, viaticum & Extremam unctionem petiit, & suscepit, Interim nocte sequente, quasi oblitus adversæ valetudinis, in templum se cõtulit, & totum officium divinum explevit cum suis Sacerdotibus. Manè solito more linteo præcinctus pauperum pedes lavit, & 15. Psalmis quos eo in ministerio dicere solebat persolutis, cum adjunxisset. *Gloria Patri & Filio & Spiritui S.* ad pauperum pedes expiravit ; quasi diceret supremo Patrifamilias: *Opus consummavi quod dedisti nobis.* Non absimile refert S. Greg. de S. *Cassio* Episcopo Narniensi. Hic cum operarius foret indefessus quadam nocte ejus Presbytero in visu astitit Dominus & dixit ; *Vade, die Episcopo ; Age quod agis, operare quod operaris, non sedeat pestuus, non cessat manus tua Natali Apostolorum venies ad me & retribuam tibi mercedem.* Id 7. post an. contigit. nam in natali Apostolorum oblato sacrificio, quod quotidie cum lachrymis offerre consueverat, ad lectum properavit, ibique Sacerdotes suos, quasi ultimum vale dicens, die servando charitatis vinculo admonebat. At inter sanctæ exhortationis verba exclamavit, *Hora est.* Moxque assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more morientium sibi contra faciem tenderetur, quo tenso spiritum emisit. Sic dum extrema hora invenitur operi addictus, ad mercedem vocatus est. Et sicut Christus cum dixisset : *Consummatum est*, tradidit spiritum ; & ipse potuit cum illo dicere, *Opus consummavi quod dedisti mihi*; hoc enim ipsum est quod dixit, *Horæ est. Sic quod Dominus ex potestate, hoc egit famulus ex vocatione*, inquit S. Greg. Hic accenseamus Sanctissimum P. *Carol. Borrom.* qui maxime sollicitus fuit, ut ad vesperam, & postremam usque horam operi inveniretur intentus. Quapropter vitæ suæ finem approximare in spiritu sentiens, montem Varallum, ubi descripta in diversis sunt capellis mysteria primaria Dominicæ passionis, adire voluit, & ibi spiritualia exercitia plures per dies subire. Singulis verò diebus 7. horas orationi mentali ibidem impendebat ? Et cum generalem confessionem directori suo spirituali facere tunc pararet, 8. horas genibus flexis sine ullo fulcro orationi dedit, nocte confessionem illam præcedente. Postea æger Aronam veniens, nihilominus Missam apud PP. Societatis decantavit (quia festum erat omnium Sanctorum) & Novitiis omnibus atque aliis quibuscunque de plebe communionem propria manu impertiit. Subsequente die, in quo agitur commemoratio omnium defunctorum, cũ præ debilitate non valeret sacrificare, Missam tamen audivit, & communicavit, ac post genibus flexis officium horarum persolvit : inde Mediolanum petens, cum post orationem se in lecto collocasset ; cilicium cinere benedicto consperssum sibi indui voluit ; iterumque mane facto communicavit, & nocte subsequẽte à Patrefamilias evocatus est ad mercedem. O vere operarium vineæ infatigabilem nullo unquam labore victum, sed ad extremum usque spiritum constantissimè perseverantem, nobis que exemplum dantem ! Vere & ipse poterat dicere: *Opus consummavi quod dedisti mihi.*

Hos imitari decet, si cupimus cum eis remunerationem accipere. Non enim ad eam vocat Patersamilias nisi operarios: *Voca*, inquit, *operarios, & redde illis mercedem* ; non vocat desides & otiosos, sed hos juste permittit æterna pauperie & fame torqueri. Unde his per Sapientem dicitur ; *Usquequo piger dormies, usquequo dormitabis ? Paululum dormies, paululum conseres manus, & veniet tibi tamquam viator egestas, & tamquam vir armatus paupertas.* Hi sunt qui apud Prophetam ingemiscunt præ inopia: *Transiit*, inquiunt, *messis finita est æstas & nos salvati non sumus.* Utique, sicut æstas, & tempus messis vel vindemiæ transit sine labore, non potest hyems, & tempus nubilosum esse sine inopia & calamitate. Neque solum operari oportet, sed & in opere perseverare, solis enim illis qui ad vesperam usque in labore perseverarunt, jubet

Otiosi pauperie & fame torquentur. Prov. 6.

Ierc. 8.

1. *Tim. 4.* *Psal. 103.* *Hier. sic legit.* *Ioan. 12.* *Ioan. 6.* *Ioan. 17.* *Ioan. 17.* *S. Greg. ho. 37. in Evang.*

jubet Patersamilias mercedem reddi. Eheu, quam multi bona inchoant, nec consummant. Immò cum spiritu cæperint, carne consummantur, & instar statuæ Danielis, cum aureum sit initium, finis desinit in lutum. Frustra igitur est labor inchoatus, si non sit perseverans & consummatus. Immo, ut dicit S. Gregorius: *Si inchoata bona fortè operantis manu ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra id quod operatum est, pugnat: nam qui proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant capta convellunt.* Dicamus igitur cum S. Bernardo. *O fratres, non tædeat incipere magna, nec fastidiat tanere inchoata, scientes quod perseverantia informat merita, coronat bonum propositum, remunerat laborantem, ducit ad bravium currentem. Hæc est tunica talaris* Joseph *ad finem pertingens. Hæc tunica Sacerdotalis ad pedes perveniens. Hæc est cauda hostiæ quam tenemur offerre. Hæc est calcaneus bonæ operationis, quem contra serpentis morsum debemus servare. Hæc est virtus quæ Deum ligat, qua laureantur Martyres, Virgines coronantur, sublimantur Sacerdotes & Confessores.*

Operarium mercedes non est differenda.

In hoc quoque quod ad vesperam redditur hic merces operarijs, monentur Patresfamilias, his quos ad laborem vocant non differre mercedem. De hac re frequenter monet Scriptura. *Non negabis mercedem indigentis fratris tui, sed eadem die reddes ei pretium laboris ante Solis occasum quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam, ne clamet ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Quid luculentius potest dici contra nobiles qui gravissimas operas exigunt à subditis inopibus, & nullum pretium reddunt? *Væ qui ædificat domum in injustitia, amicum suum opprimet frustra, & mercedem non reddet ei.* An non & id concernit plerosque negotiatores & mercatores, varij generis operarios conducentes? Quidam ad ligna cædenda conducuntur, quidam ad mineralia, vel carbones è terra eruendos, quidam ad cudendum ferrum, æs, cuprum; & similia: denique & alij ad ædificandum, alij ad agros colendos: Interim dum merces persolvenda est, ex industria protrahitur de die in diem, de hebdomada in hebdomadam, non sine angustia & clamore eorum. Die eis determinata se absentant, vel prætexunt excusationes & impedimenta, vel ad nutum volunt solvere, vel cum pecuniam debeant, alia mercimonia obtrudunt; dicentes se carere pecunia, sed pannum pro veste paratos se vendere, vel granum pro alimentis; sed vel deterius, vel carius vendunt, quam alibi sua sibi pecunia compararent. Certe scimus quod in his quandoque non parum graventur pauperiores penè de die in diem ex labore manuum victitantes; quandoque ipsum redundet in conscientiam eorum, qui sic procrastinant dandum angustiatis, quorum etiam ob id negotiationes benedictione carent, nec prospere succedunt. Audi Job: *Si adversum me terra mea clamat, & cum ea sulci ejus deflent. Si fructus ejus comedi absque pecunia, & animam agricolarum ejus afflixi, pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.* Quasi dicat. Si terra quasi à me injustè possessa vindictam petit pro justo suo possessore. Si sulci ejus cum ipsa deflent hanc meam tyrannidem, qua colonis lachrymas, fletumque excivi. Si ejus fructus comedi absque pecunia, ita ut his qui operam suam in colendo exhibuerant, mercedem suo tempore non persolverim, ideoque eis afflictionis causa fuerim, nulla benedictio sit super agris meis, quinimo spinas & tribulos mihi germinent, qui me pungant & angant.

Deut. 24.

Ier. 22.

Iob 31.

PARS II. *Quomodo novissimi sint primi in mercede recipienda.*

DEnarius iste diurnus, ex sanctorum Patrum interpretatione, beatitudo & gloria est æterna. Quia sicut denarius (quem æquivalere Regali Hispanico, sive uni Julio Romano censent) totius diei merces erat operantibus persolvenda: sic æterna gloria merces est totius laboris, quem in hac vita quasi in uno die pro Deo assumimus. Et sicut denarius numerus est perfectus, à decem sic dictus, (decem grossos nostros sive decem cruciferos germanicos continebat) sic etiam perfecta est gloria labori nostro reddita. Atque etiam denarius gloriæ denario mandatorum correspondet. Idem vero denarius omnibus datur, quia omnium beatorum ex parte objecti una est gloria: omnes enim Deum possident, idemque Deus clare visus omnibus est merces. Ex parte tamen eorum qui hanc gloriam participant differentia est, quia unusquisq; pro varietate meritorũ lumine gloriæ à Deo donatur, ut qui excellit in meritis, etiam excellat dono hujus luminis, & sic perfectius Deum possideat, videat, diligat, fruatur. Ideo dicit Paulus *Stella differt in claritate. sic erit & resurrectio mortuorum.* Ideo etiam dicit Christus: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt;* quia scilicet varij sunt ordines hominum, sicut & Angelorum, & hæc hominum beatorum varietas à varietate procedit operum. *Reddet enim unicuique secundum opera sua.* Reddet unicuique secundum laborem, sed labor ille non solum attenditur secundum temporis extensionem, sed maximè secundum diligentiam & fervorem, sive secundum charitatis ardorem & intensionem. Unde sicut hic Patersamilias æqualem poterat solvere mercedem illis qui longo tempore, & illis qui breviori tempore laborarant, quia potest fieri ut quis tantum operis præstet fervidè laborans pauco tempore, quantum alter longiori tempore tepide operans: Sic est apud Deum, quod una hora quis tantum possit mereri ex fervore charitatis, quantum alius tota die, minore se gerens cum fervore. Ideo de similibus dicitur. *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Hoc est, cum brevi tempore vixerit, tantum fecit boni, quantum alij qui longo vixere tempore. Sic fiunt primi novissimi, & novissimi primi, dum

1. Cor. 15.

Ioan. 14.

Sap. 4.

dum remunerãtur æquali mercede illi qui breviori tempore operam ferventem virtuti impenderunt, dum etiam quandoque præferuntur his qui longiorem moram, sed cum tempore, in vinea Domini protraxerunt.

Murmur in cælo esse, qualiter intelligendum sit.

Neque verò existimandum est murmur aliquod incœlo esse inter electos, cum alter alteri in gloria præfertur, qui & in gratia præcessit, ac meritis: nam licet id videatur indicare hæc parabola, dum de primis dicit: *Murmurabant adversus Patrem familias, dicentes; Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos fecisti nobis, qui portavimus pondus diei & æstus.* Hoc enim S. Chrysost. explicans, dicit multa in parabolis addi, quæ non ad essentiã spectent ipsius parabolæ, sed quæ serviant ad ornatum & quandam decentiam; ut narratio probabilis humanæ consuetudini accommodata indicetur, quam per singula non est necesse urgere, sed solùm attendi debet scopus principalis parabolæ. Attamen poterit quis principaliter interpretari hanc ipsam parabolam cum quibusdam ex S. PP. ut illius præcipuus scopus sit, ostendere Apostolos sine illa justitia præferendos Pharisæis, & Gentiles Judæis, qui primi à Deo vocati sub umbris servierant laboriosissimè; quia scilicet hi operibus legis præsidentes facti sunt novissimi, & gratiam fidemque Christi repellentes, etiam & ipsi repulsi sunt; Gentiles verò humillimè se gratiæ Christi subjicientes, præ Iudæis electi sunt. Postrà verò hac interpretatione (quæ colligi potest ex *Luc. 13.* ubi primos fore novissimos, & è contra novissimos primos sic explicat, quia Gentiles cœlum ingredientur Iudæis exclusis) hoc murmur, & murmurantium increpatio, vere & aptissimè scopo parabolæ congruit, indicans quomodo Pharisæi contra Apostolos & discipulos murmurarint, quomodo etiam Iudæi contra publicanos & peccatores, ac contra recenter conversos Christianos
Matt. 21. à Gentilibus sese exerint. Ideò eis quondam a Christo dictum. *publicani & mereirices precedent vos in regno Dei.* Et ipsi alibi murmurabant:
Matt. 9 *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat*
Act. 10. *Magister vester?* Ac ex Actis Apostolor. & ex epistola S. Pauli ad Romanos notum est, quot contentiones fuerint inter Iudæos etiã conversos ob vocationem Gentium: quã necesse fuit S. Petro apertissimè demonstrari, linteo cœlitus demisso, in quo omnis generis animalia immunda continebãtur in escam ei proposita, dum ad convertendum *Cornelium* Gentilem vocatus fuit.

In cœlo invidia nulla.

Interim, ut non discedamus à priori interpretatione parabolæ; de electione ad gloriam & remuneratione mercedis æternæ, quæ novissimis æquè ac primis redditur; dicimus nullam ibi reperiri invidiam, quia in cœlo illa locum non habet, ubi perfecta est charitas: immò ubi duplex est gaudium beatis, de sua scilicet & de proximorum et iam gloria. In terris locum habet, ubi homines sibi existimant subtrahi, quod alii pro illis accipiunt.

Et tunc illis dicitur à Domino: *An oculus tuus nequam est, quia bonus ego sum?* Oculus bonus est, qui bene aspicit & proximi bonis inspectis congratulatur, ejus verò mala cum compassione & misericordia intuetur. Hic oculus à Deo benedicitur. Oculus verò malus & nequam torvè aspicit proximum, bonisque ejus invidet, hoc est non lubens videt; mala verò lætus aspicit, & in illis jacentem despicit. *Nequam oculus lividi, & avertens faciem.* Quare nequam? Nonne quia nullam rem intuetur æquam? Omnia intuetur curve, quia per lineam curvam, per lineam passione obliquatam. Ideò de Saule dicitur. *Non poterat aspicere David* *1. Reg. 18.* *oculis rectis.* Ipsius heroica facta non intuebatur, nisi mentis acie turbida & incurva: oculus ejus exterior & interior nequam erat, inique intuens rem plane æquam. Habet maximè locum vitium istud in inferno, quia diabolicum est. Ibi etiam dæmones & damnati maximè invident beatis gloriam, & degentibus adhuc in hac mortali vita gratiam & salutem. In cœlo verò gloriam quam quisin se nõ habet, tantum abest ut alteri invideat, quinimò ob charitatis perfectissimam conjunctionem in altero quodam speciali gaudio possidet & participat. Et cum verum sit illud. *Apparebo conspectui tuo, sa-* *Psal. 16.* *tiabor cum apparuerit gloria tua*, omnes beati perfectissimè gloria sua sunt contenti, nec alteriorem appetunt. Sicut cum in eãdem mensa & convivio plu- *Simile.* res assident, alii quidem plus, alii minus comedũt, omnes tamen secundum capacitatem suam, cum satietate & jucunditate sunt.

Oculus nequam quis.

Ecclef. 14.

Figura quædam hujus rei præcessisse videtur in convivio Ioseph ubi de ejus fratribus dicitur? *Se-* *Figura.* *derunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua.* *Gen. 43.* *& minimus iuxta ætatem suam. Et mirabantur ni-* *mis simptus paribus quas ab eo acceperant: majorque* *pars venit Beniamin. 5. aut quinque partibus excederet. Biberuntque & inebriati sunt cum eo.* Admirationis occasio fuit hic triplex: 1. quod jussisset ab œconomo suo unicuique evocari, & ordinem ætati correspondentem, mirabantur ergò quomodo sciret ætatem & ordinem singulorum 2. mirabantur ejus benevolentiam & humanitatem quia ex sua paropside, sive ex cibis coram se appositis unicuique mittebat portionem. 3 quia Beniamino portio quintuplo major honoris & benevolentiæ causa mittebatur, vel ut alii dicunt, quinque missus & fercula ultra alios ei deferebantur Et quidem fratres hic omnes mirati sunt, nemo tamen invidit, sed comederunt & biberunt cum satietate, & hilaritate magna; contentus fuit ergo unusquisque sua portione. Et hoc est quod dicit Scriptura; *Inebriati sunt*, hoc est satiati sunt & exhilarati. Nam teste S. Hier. *Idioma linguæ Hebraicæ* *Psal. 64.* *est ut ebrietatem pro satietate ponat, sicut tibi; stil-* *licidia eius inebriabitur germinans. Visitasti terram,* *& inebriasti eam* Sic ergo erit & in convivio æterno fratribus suis à Christo præparato, unicuique dividet ipse portionem, sed abundantem, sed satian-

satiantem; & nemo invidebit, quamvis fortè alicui partiatur majorem, quam aliis, sed admirabuntur ejus benevolentiam, & collaudabunt bonitatem & sapientiam.

Sicut autem in illo convivio *Ioseph*, novissimus factus est primus; hoc est *Beniamin*, qui ultimo loco recumbebat, quasi minimus & contemptibilior, cæteris fuit præpositus, & insigniori ferculo prænoratus; ita & hic dicitur: *Erunt novissimi primi, & primi novissimi*, ut nemo desperet qui serò ad vineam venit, nemo præsumat qui diu in ea laboravit. Novissimus erat *Paulus* de Beniamin ort⁹, serò vocatus, qui & de se dicit: *Ego sum minimus Apostolorum*, cæteros nihilominus præcessisse videtur gratia, zelo, gloria, ipsum quoque Stephanum, cujus meritis vocatus fuit. Novissima erat *Magdalena*, ac postmodum fervore Martha sororem, aliasque pias mulieres Christo adhærentes antecessit.

Exempla eorum, qui ex novissimis facti sunt primi.

Novissimus erat *latro*, sed primus factus est, & non solum Judæ discipulo, sed & nonnullis aliis qui diu laboraverunt, est prælatus. Novissimus erat *Publicanus*, sed Pharisæo prior est factus. Novissimus erat *filius prodigus* fratre junior, sed potentiæ fervor nō tantum illum fratri seniori æquare potuit, sed & præferre. Novissimus erat *Lazarus* secundum seculum despectus, sed divitem honoratum se despicientem modò despicit. Ideò nemo desponeat animum, nemo etiam sibi arroget nimium; quia qui erant peccatores, fiunt pœnitentes & probi: qui justi erant, peccatores fiunt & reprobi. Item Quia qui frigidi erant in opere, postea marcescunt, & inchoatum opus perficiunt & cum fervore, & qui prius fervidi erant, postea torpescunt, & opus suum prosequuntur eũ tædio & pusillanimitate. Sic sunt novissimi primi, & primi novissimi. Denique nemo despiciendus est, quia multi in hoc sæculo, despecti, in futuro sunt sæculo glorificandi: alii verò in hoc sæculo glorificati, in futuro sæculo sunt condemnandi, & in æterno dedecore afficiendi. Sic sunt novissimi primi, & primi novissimi. *Postremo*, nemo facilè judicet, quia frequenter illi qui in pietate & gratia primi judicio hominum sunt, novissimi & posteriores sunt in judicio Dei; & qui novissimi ab hominibus censeri possent, primi apud Deũ censentur: quia homines intuentur quæ parent, Deus autem eor introspicit. Hinc fit, ut quandoque apud Deũ sæculares potiores sint Religiosis, laici Sacerdotibus, simplices & illiterati, literatis & sapientibus.

1. Cor. 15.

Iudicium Dei & hominũ diversum

Cum S. Antonius in cellâ oraret, vox ad eum venit *Antoni necdũ ad perfectionem Coriarii Alexandrini pertigisti*. Hoc audito manè consurgit, & Alexandrinam pergit festinus. Cumque ad cælitus sibi designatum virum pertigisset, ille viso Antonio tãti nominis Anachoreta obstupuit: Cui Antonius. *Refer mihi opera tua, ideò veni de deserto.* At ille: *Nescio me unquam aliquid boni perpetrasse. Vnde mox ex cubili ubi surgo, antequam in opere resideam, dico apud hæc civitas à minore usque ad maiorem regnũ Dei ingrediatur propter iustitias suas, ego autem solus ob peccata mea pœnam ingrediar sempiternam; & idem verbum antequam quiescam ex cordi mei recenseo veritate.* Hoc audiens Antonius dixit ei: *In veritate fili sicut bonus artifex sedens in domo tua cum requie regnum Dei adeptus es, ego autem in solitudine omne tempus sine discretione conversatus, necdum verbi tui assumpsi mensuram.* Ita habetur lib. sententt. Patrum parag. 121.

Simile quid accidisse S. Macario in SS Patrum vitis legimus. Hanc enim & ipse in deserto vocem audivit: *Nondum, ô Macari, attigisti perfectionẽ duarum mulierum conjugio iunctarum in vicina civitate.* Mox verò desiderio inquirendæ hujusce perfectionis adit Macarius civitatem, & spiritus divini ductu ad illam tandem domum pertigit, quam inquirebat. Ibi porrò invenit duas mulieres fratribus duobus conjugatas, à quibus importunè efflagitat, ut enarrent quem teneant vitæ modum. Tandem ejus acquiescentes precibus, dicunt se annis undecim cohabitasse viris suis summa pace, & sæpius enixè postulasse ut vitã vellent cœlibem agere. Id autem cum impetrare non possent, se Deo puritatem cordis obtulisse: insuper summo semper studio invigilasse, ne verbo vel opere Deũ offenderẽt. Hoc audiens Macarius exclamat: *Verè in quocũque statu paritas cordis Deo placet; ita ut quandoq; puritas conjugatorũ, Virginum & Monachorũ puritatem excedat.* Hæc nimirũ sanctissimis Patribus divinitus insinuata fuere, at neminem despicerent, & ut non facilè judicarent; quia cùm Deus ex omni sexu, statu conditione quotidiè sibi eligat, sit ut qui ex professione sua videbantur apud Deum primi, sint posteriores & novissimi. Ideò *B. Bernardus de Quinta valle* socius *S. Francisci*, si quem vili veste tectum intueretur, solitus erat sibi dicere: *Hic patientius paupertatẽ tolerat, quàm tu Bernarde.* Sic alteri pretiosis induto occurreret dicebat: *Hic sub veste delicata melior est, quàm tu sub rudi tunica, Bernarde.* Sic quia novissimus erat in oculis suis, primus fiebat in oculis Dei, sicut & de Davide dicit Dominus: *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput factus es in Israel.* E contra qui primi sibi videntur in oculis suis in Dei sunt oculis novissimi. Unde l. 6. Revel S. Brigit. c. 30. legimus, quendam fratrem laicum & simplicem (qui per spatium triennii gravissimis fuerat afflictatus doloribus, putrescente pede, & nihil aliud in ore habuerat quam istud. *Iesu miserere mei.*) tandem feliciter & cum exultatione, mediâ nocte, in manibus fratrum defunctum fuisse. Sequente autem Dominica cum S. Brigitta oraret, & id ruminaret, rapta fuit in spiritu, & audivit: *O filia, quia Domini & Magistri ad me nolunt venire humiles, ideò pauperes & idiotas colligo in regnum cælorum.* Nemo ergo præsumat, nemo alterum despiciat, nemo judicet, omnes sint in oculis suis parvi, si magni esse cupiunt in oculis Dei. Ibi servus Dominum, ibi ancilla heram, ibi discipulus Magistrum, ibi proles parentem, ibi ignobilis nobilem,

Humiles sibi. Deo magni.

1. Reg. 15.

ibi

ibi ignorans sapientem, ibi pauper divitem & honoratum præcederet. Imò, ut hæc concludi parabola: *Multi sunt vocati: pauci verò electi.*

PARS III. Stimulus timoris pro omni hominũ statu.

MVlti vocati ad fidem & gratiam, *pauci electi* ad regnum & gloriam; quod quidem de omni statu & conditione hominum verum est. Formidabilis ergo sententia Evangelium hoc concludens. Terrorem illa omnibus incutit, ut errorem omnibus excutiat.

Matth.7 1. Timere debent Sacerdotes, quia multi reprobantur Sacerdotes. Unde Christus dicit: *Multi dicent in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos: discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Non novit improbos Sacerdotes notitia approbationis & electionis; licet ejus virtute mirà multa operentur, cõsecrando, absolvendo exorcizando, benedicendo.

2. Timere debent Concionatores, quia multi reprobantur Concionatores; dum dicunt & non faciunt. Timebat, alios timorem docebat dicens: 1.Cor.9. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Nempe & inter hos multi sunt vocati, non omnes electi, licet prophetent, & Scripturas interpretentur in nomine Christi.

3. Timere debent qui in sublimitate sunt constituti, quia electi ad dignitates, sive in Ecclesia, sive in Republica; quandoque gravius corruunt, & filiorum Dei dignitatem amittunt: ita ut sero conqueri cogantur: *Quoniam elevans allisisti me.* Psal.11. *Exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus.* Psal.7. Quod idem apud Job repetitur, *Elevasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valide.* Job.3. Unde B. Gaufredus Prior Claræ vallis noluit acceptare Episcopatum Tornacensem, urgente licet Eugenio Pontifice, & B. Bernardo Abbate. Cumque post mortem apparuisset cuidam Religioso, dicit: *Ecce salvus sum, si autem fuissem de numero Episcoporum, de numero fuissem damnatorum, ita mihi SS. Trinitas revelavit.* Ideò etiam solebat dicere Pius V. *Cum essem Religiosus sperabam bene de salute, Cardinalatus factus extimui, Pontifex creatus pene despero.*

4. Timere debent Reges, Principes, Judices terræ, quia multi ex illis reprobantur. Dicit illis Dominus; Psal.81. *Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes: Vos autẽ sicut homines moriemini, & sicut unus de Principibus cadetis.* Sicut è Principibus illis Angelicis, & è Thronis cœlestibus multi ceciderunt irreparabiliter in abyssum; sic etiam multi è tribunalibus & cathedris, è thronis & soliis in profundum inferni prolabuntur. Ideo monet eos Rex & Propheta; Psal.2. *Et nunc Reges intelligite, erudiemini qui judicatis terram: Servite Domino in timore.*

5. Timere debent viri bellicosi & fortes, quia multi ex ipsis æternum damnantur, colluctaturi cum tormentis, & bellum sine fine habituri cum illis. Ideo dicitur apud Prophetam Isaiam cap.5. *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino, & descenderunt fortes eius, & populus eius, & sublimes gloriosique eius.*

6. Timere debent conjugio adstricti, quia multi in conjugio reprobantur. Ideò de illis dicitur: *Tunc erunt duo in lecto, unus assumetur, alter relinquetur.* Quasi dicat: Dum Iudex venerit Dominus, Matt.24. vir & uxor qui in eodem thoro agebant, separabuntur, unus eorum eligetur, & assumetur ad gloriam, alter relinquetur ad pœnam; ideò nemo sit securus. Sed etiam timere debent in cælibatu vel Matt.25. virginitate agentes, quia Virgines quinque ex decem à nuptiis æternis excluſæ leguntur.

7. Timere debent Filii familias, licet è probis orti parentib⁹, quia in una eademq; familia fratres à fratribus separantur, illorumq; unus eligitur, alter reprobatur. E familia Adæ *Cain*, è familia Noë *Cham*, è familia Abrahæ *Ismaël*, è familia Isaac *Esau*, è familia David *Absalon*, reprobationis fuere filii; licet parentes fuerint sancti & electi.

8 Timere debent famuli & ancillæ, quia licet in Matt.24. statu agant humili, ex illis tamen etiam multi damnantur. Unde iterum de famulis dicitur: *Erunt duo in agro unus assumetur, alter relinquetur.* Ex duobus præcepto Domini & Heri sui agrum colentibus, arantibus, occantibus, serentibus, unus salvabitur, alter damnabitur; quia unus probæ, alter improbæ vitæ fuerit. Similiter & de ancillis adjungitur: *Erunt duæ molentes in mola, una assumetur, altera relinquetur.* Ex duabus scil. ejusdem ministerit præcepto heræ suæ molam in pistrino vertentibus, una salvabitur, altera reprobabitur, quia una pietati addicta fuerit, altera id neglexerit.

9 Timere debent negotiatores, quia multi ex illis regnum æternum non lucrantur, licet dictum sit à Domino: *Negotiamini: dum venio.* Timere debent divites dicente Christo: *Quam difficilè dives intrabit in regnum cœlorum? Contendite intrare per angustam portam, pauci inveniunt eam.* Timere de- Matt.19. bent pauperes, quia non infrequenter prætextu paupertatis inhiant alienis, vel impatienter suam tolerant inopiã. Ideò dicebat Sapiens: *Duo rogavi te antequam moriar. Divitias & mẽdicitatem ne dederis mihi. Sed tantum victus mei tribue necessaria; ne forte satiatus illiciar ad negãdum & dicam: Quis est Dominus? Aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.* Audite ergo hanc vocem omnes gentes, auribus percipite qui habitatis orbem, quique terrigenæ & filii hominum, simul in unum dives & pauper, *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Matt.7. Prov.30.

10. Audite etiam id Religiosi, & religiosæ timete, quia nõ pauci in religione pereunt. Multi ex Ægypto educti sunt, mari transierunt, biberũt de cõsequente eos petra, eandem spiritualem escam mãducarũt: *Sed non in pluribus eorũ bene placitum est Deo,* 1.Cor.10 ut dicit Apost. Figurabi fuere illorum qui sæculũ, deserunt, qui in solitudinẽ Religionis se conferunt; qui spiritualibus cibis doctrinæ sacræ ibi pascũtur & tamen postmodũ vocationem negligentes, escã

porum spiritualem fastidientes ; laboris quoque pertæsi, rejiciuntur à Domino, ita ut & ibi verum sit: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Denique timere debent omnes Christiani, quia si in hac parabola Christus de universo orbe loqueretur, cum maxima pars incredula sit (veluti Turcæ, Gentiles, Judæi, Hæretici) non mirum si multos diceret reprobandos. Sed cùm loquatur de operariis de facto jam in vinea, id est in Ecclesia agentibus, quis non terreatur? Dicamus ergo cum
2. Pet. 2. Apostolo Petro : *Satagite fratres, ut per bona opera certam vestram electionem & vocationem faciatis. Sic enim non peccabitis aliquando, & abundè vobis ministrabitur introitus in regnum Domini Iesu Christi.* Et iterum
1. Pet. 1. *Si Patrem invocatis Deum, qui sine acceptione personarum judicat secundum unius cujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini* Exempla verò nõ pauca sunt eorum, qui ex hoc dicto evangelico timoris stimulum persenserunt; ad meliora perurgentem.

Exempla pio timore perculsorum.

Refert *S. Teresa* primas ad religionem excitantes scintillas se suscepisse ex verbis ex hortatoriis, & conversatione familiari piæ cujusdã Religiosæ. Hæc narrabat ei quomodò audiens illud Evangelii; *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, sacro fuisset timore correpta ; Et quomodo ex eo tempore in cor ingressa, religionis institutum tanquam securius, Deo intus instigante, suscepisset Eodem ergo timore ex iisdem Domini verbis animum Teresæ adhuc adolescentis afficere conabatur, & ad idem institutum traducere, ut saluti certius consuleret.

S. Arsenius etiam frequenter hanc sententiam ruminabat; *Multi vocati, pauci electi*: & ruminans istud continuis lachrymis conficiebatur. Unde quodam die interrogatus, cur à lacrymis sibi non temperaret? Respondit: *Quando memini Esau fuisse reprobum de ventre matris: & Iudam à Christi discipulatu exidisse & periisse: Et quod Salvator dixerit; Arctam esse ad Cœlum viam quodque pauci reperiant eam. Denique dum considero me ignorare quod animæ meæ miseræ contingat, quis sinus & exitus vitæ meæ, non possum in me gaudio locum dare, nec à lacrymis cessare.*

In libro de ortu Carthusianorum legimus Innocentium sextum adhuc Cardinalem solitum visitare quendam magni nominis & pietatis Eremitam. Quodam autem die cùm accessisset, & familiares ejus fores fortiter pulsarent, nemo respondebat Irrumpentes porro in cellam, virum sanctum quasi somno sepultum reperiunt. Ille verò derepente
Vernerus Rolunvinck Carth. ad ann. 1343 suscitatus, inclamat: *Heu me! Heu me! Heu, quàm vidi mirabilia!* Scisciatur Cardinalis, quidnam à deo insolitum ei contigisset? Tandem respondet. *In spiritu ad infernum ductus, vidi animas illuc cadere instar nivis rarissimæ: Ad Purgatorium verò instar densissimi imbris: Ad Paradisum vidi tantùm tres conscendere, unicus Episcopi; unius Prioris Carthusiani, & unius viduæ Romanæ*; singulos autem nominabat. Cardinalis nuntiis hinc inde missis rei veritatem comperit; & exinde Carthusianorum amicus factus est, quorum rigorem nimium improbabat.

Refertur quoque, eodem die, quo S Bernardus, 10. animarum millia decessisse: inter quos Decanus Lincolniensis (*quidam legunt Lingonensis*) & hic viginti quinque annos in Eremo exegerat, honores fugiens: Apparuit autem ipse Episcopo Lincolniensi, & dixit: *Age pœnitentiam, corrige vitam, dimitte superbiam & avaritiam, non enim est, ita facile salvari, ut credunt: Dum judicio præsentarer, triginta millia adfuere; Bernardus & ego salvatis sumus, tres in Purgatorium, alii in infernum detrusi sunt* Ita Jacobus de Paradiso Charthusl. de peccatis mortalibus, S. Vincentius Ord. Præd. ser. 6 de 70. & alii. Sed de paucitate salvandorum iterũ alibi super iisdem verbis; *Multi sunt vocati*, &c disserendi occurret occasio. Concludò igitur, & pro more hoc votum ad Deum erigo.

Tu Domine, qui dignatus es nobis, licet servis inutilibus, mercedem promittere, & in vineam tuam nos conducere, fac ut usque ad vesperam vitæ laboremus, & decem præcepta tua adimplentes denarium gloriæ percipiamus. Quod si non mereamur esse de primis, fac saltem ut sine murmure simus de novissimis, non de ejectis, sed de electis. Sic post laborem temporaneum, imò momentaneum, misericordias tuas in æternitatis requie decantabimus, & in sæcula sæculorum te collaudabimus.

DOMINICA SEXAGESIMA.

LECT. 13. Tripartita.

Exiit qui seminat seminare semen suum. Luc. 8.

DIstinguunt Theologi in Deo duplices actiones: quasdam vocant immanentes, sive actio nes ad intra; quasdam emanentes, sive actiones ad extra. Sic Pater ab æterno per actionem immanentem, per contemplationem divinæ suæ essentiæ, generat Filium, ejusdem secum substantiæ & potentiæ. Et quia non extra se generat, sed intra, & quem generat, utero quodam æterno portat. Patris & Matris fungens officio; ideo hæc generatio dicitur actio ad intra : & Filius a Patre procedens, illi tamen semper inexistens, vocatur. *Unigenitus qui est in sinu Patris*; vocatur quoque Verbum Æternum, quod semper est in mente concipientis & generantis : *In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum* In principio, hoc est in Patre, inquit S. Augustinus, Verbum istud erat, & est, & erit quia ab æterno & usque in æternum producit Deus Verbum suum, & productio illa non transit, aut præterit, semper in Deo manet. Similiter Pater & Filius per voluntatem & per amorem quo sese mutuo ab æterno diligunt, producunt, & spirant Spiritum S. Et hæc spiratio etiam actio immanens est, actio ad intra, quia,

PARS I. *Quomodo Christus sit seminans semen suum.* Joan. 1.

qua Spiritus S. à Patre procedens & Filio, in Patre manet & Filio, ejusdem cum illis substantiæ, & in omnibus coæqualis. Non ergo exijt Pater, ut in & ab æternitate seminaret semen suum; incorruptibile semen sapientiæ & veritatis æternæ: *Deus Pater Sator.* sive ut gigneret Filium suum. Non exijt Pater, nec Filius, ut producerent Spiritum S. quia omnia ibi sunt ad intra, nihil ad extra. Sed existe primum censetur in rerum creatione, dum sapientiam & spiritum suum effudit super omnia opera sua, dum per Verbum fecit omnia, & Spiritus replevit Orbem terrarum. Tunc ergo verum fuit. *Exiit qui seminat seminare semen suum:* quia omnes res naturales quoddam semen sunt divinitatis, semen bonitatis, potentiæ sapientiæ æternæ: & si à nobis ut decet considerentur, potentes sunt instar seminis divini in corde nostro producere fructum agnitionis amoris, & timoris Dei. Hunc fructum producebant *Aug. in l. Confess.* in corde S. Augustini, dum dicit. *Omnia mihi Domine clamant ut amem te, & omnibus clamant, ita ut sint inexcusabiles.* Hunc fructum etiam pariebant *Daniel. 3.* in corde trium puerorum, qui ideo in medijs flammis omnes creaturas ad laudem secum invitant, quia agnoscebant eas esse semina divinæ laudis & benedictionis.

Potissimum verò existe censetur, *qui seminat semen suum,* quando Filius Dei mortalitatis nostræ veste assumpta venit in hunc mundum, redemptionis opus perfecturus. Unde hoc prævidens Prophe- *Ier. 14.* ta de eo dicit: *Quare futurus es quasi colonus in terra?* Itaque quod de hominibus singulis dictum est, *Ps. 103.* hoc maximè verum est de Homine Deo: *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam.* Hucalludit eleganter S. Thomas:

Verbum supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitæ vesperam.

II. *Filius Dei venit in hunc mundum ut divinum semen sparget. Simile* Dicamus ergo *primo,* Filium Dei esse satorem, de quo hic mentio fit, quia in hoc sæculum ideo venit, torque annis conversatus est, ut spargeret sacrum doctrinæ, & divini amoris semen in cordibus audientium: nec destitit usque ad ultimum vitæ momentum facere & docere, cœlestisque gratiæ & veritatis triticum distribuere. Ac sicut seminator, vel saccum, vel cophinum secum sumit granis plenum, ut semen terræ capaci impendat: Sic & ob eam causam humanam naturam gratia & veritate plenam assumpserat, ut de plenitudine ejus omnes acciperemus, ipso dispergente propria manu, propria opera, divinum hoc semen. Hinc nostro in Evangelio titulus hic gloriosus ei appingitur, *Qui seminat semen suum.* Habent verò, ut notant sacri Doctores, emphasin & pondus hæc verba, diligenterque sunt considerandæ; quia non dicitur simpliciter de Filio Dei incarnato, exiit *Seminator,* & dixit *qui seminat,* ac per hoc significatur, non solum ejus esse officium seminare, sed etiam numquam ab hoc actu, vel opere seminationis cessare; ita ut optime interpretemur de hoc opere. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Exivit à sinu patris ad hoc opus, nec ullum otium sibi indulsit, ab eo tempore quo à Patre sibi opus istud commissum suscepit: unde per castella, urbes, agros, sylvas pergit continuo seminans semen suũ *Ioann. 5.* Et dum hanc Evangelicam parabolam pronuntiavit, dicitur de domo quadam privata, ubi docebat populum exivisse ad mare, sive ad stagnum *Genezareth,* ubi locus spatiosior & major hominum frequentia erat; & ibidem è navicula docuisse, dum importuno concursu premerent turbæ. Ubi etiam significatum fuit, ipsum postquam docuisset Judæos, suos velut domesticos, ad mare debere transire ad populum scil. gentium, qui velut mare fluctibus amaris agitabatur, ut omnibus evangelizaret Regnum Dei, cœlestesque semen quaquaversum dispertiret. *Matt. 12.*

Semen Christi efficax Quam efficax autem fuerit semen ab eo dispersum, ex Evangelica Historia satis colligi potest. *Unum* granum cadit in cor *Petri & Andreæ,* quasi in terram incultam & sterilem maris salsedine aspersam; erant enim rudes & illiterati, & circa aquas salsas maris conversantes sæculi curis amaris involuti: Attamen hoc unicum granum, *Venite post me,* in corda eorum ore divino sparsum, tantæ fuit efficaciæ, ut mox perfectissimæ obedientiæ, perfectissimiq; amoris fructum protulerit, dum relictis omnibus, Patre, Navicula, Retibus, secuti sunt eum, & indivisibiliter ei adhæserunt.

Alterum ejusdem seminis granum cadit in cor *Matthæi* sedentis in telonio, dum ei dicit: *Sequere me;* & licet terra videretur planè spinosa, vepribus & sentibus obsita, avaritia enim telonij rapinis & injustitijs commixta animum ejus obsidebat: Attamen confestim semen istud perfectæ conversionis frugem peperit, quæ omnium animos admiratione affecit.

Tertium itidem granum consimilis seminis cadit in cor *Nathanaelis,* & videbatur sapientia, sæculi tumidum, nec ita aptum semini: erat enim peritus legis, & audiens Jesum ortum esse à Nazareth, despexit: *An,* inquit, *à Nazareth aliquid boni potest esse?* Attamen ubi audit; *Antequam Philippus vocaret te, cum esset sub ficu, vidite;* Hoc divini oris semen mox in eo perfectæ fidei & confessionis produxit maturam frugem: *Rabbi,* inquit, *tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.* *Ioan. 1.*

Quartum cœlestis hujus seminis granum cadit in cor *Magdalenæ,* & licet terra ista infrugifera foret, per luxuriam nimis cænosa, ac per prævas cupiditates, & impuras vanitates mire conculcata, planeq; sterilis effecta; statim tamen admirabilis pœnitentiæ & pietatis fructum tulit. O quantam fortitum est efficaciam & fœcunditatem semen istud uberrimis lacrymis rigatum!

Quintum granum paris virtutis cecidit in cor *Samaritanæ,* cor etiam adulterum & corruptum, semini ut apparebat plane ineptũ: sed ubi aquaviva

fuit irrigatum, quam admirabilem perfecit in ea conversionem? Hic nimirum eluxit subitò potentia seminantis & rigantis.

Sextum granum cadit in cor durum & petrosum latronis in cruce, & irrigatum sanguine ipsius Christi, usque ad vitæ suæ vesperam seminantis, quàm raræ contritionis & compunctionis fructum profert? Imò mox in gloriæ frugem maturescit, & seminatio ac messis illicò sese consequuntur: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Septimum granum cadit in corda sanguinolenta eorum qui ipsum crucifigebant. Quid enim erat aliud pro inimicis orare in Cruce, quàm in corda eorum gratiæ semen spargere? Nec fuit oratio, nec seminatio inefficax, aut infœcunda: quia mox multi reversi sunt, percutientes pectora sua, non sine pœnitentia. Sic is qui exivit seminare semen suum, non destitit seminare usque in finem diei, usque ad vitæ suæ consummationem.

2. *Christus modo adhuc semi nat.*

Dicamus *secundò*, quod neque etiam tunc destitit, quia usque in hodiernum diem seminat merito humanitatis suæ in Apostolis, & Apostolicis viris zelum & sapientiam, in Martyribus charitatem & constantiam, in Confessoribus sanctitatem & sobrietatem, in Sacerdotibus pietatem, in Religiosis obedientiam, & sæculi contemptum, in virginibus puritatem, in viduis continentiam, in pœnitentibus compunctionem, in conjugatis amorem & pacem, in pueris innocentiam, in omni statu & ætate congruentem gratiam. Licet ergo de se pronunciet: *Exivi à Patre meo, & veni in mundum* (tamquam scilicet in agrum, quem colendum & serendum suscepi.) *Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*: non tamen agrum suum sine semine & satoribus relinquit, dum ad Patrem redit. Sed mittit quoquo versum suos Apostolos, satores utique & colonos, quibus agrum & semen cœleste commisit, & dum illi seminant, ipse in illis seminare censetur. Nec semen proprium seminant, sed semen illius qui exiit seminare semen suum; hoc est cœlestem doctrinam Christi Filii Dei. Huic totus fructus, & tota messis ex hoc exurgens sacro semine attribuenda est; nec enim tantum frugis referrent, nisi ipso cooperante, ipso serente, ipso rigante, ipso incrementum dante. Ioan. 16.

Quando *S. Petrus* exivit ad plebem in Pentecoste, & sparso verbi semine, tria animarum millia convertit uno die, & altero etiam die quinque millia priori numero adjecit, non tam Petrus exivisse censendus est, quàm Christus in illo seminans semen suum, & fructum è vestigio producens copiosissimum. Unde hoc admirans longè antèa Prophetа Isaias dicebat: *Quis audivit tale? quis vidit huic simile? Numquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul, quia parturivit, & peperit Sion filios suos? Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem alis tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Sic postmodum Apostoli vices Christi primarii Seminatoris agentes, agrum ejus, hoc est totum orbem, inter se partiuntur, ut quisque tamquàm colonus partem suam speciatim cœlesti semine fœcundet. *Ioannes* Asiam, *Andreas* Achaiam, *Matthæus* Æthiopiam, *Simon* Persiam, *Philippus* Scythiam, *Thomas* Indiam, *Bartholomæus* Armeniam seminaturus exit semen veritatis & gratiæ, extirpato semine erroris & ignorantiæ. Et unusquisque amplam adducet messem Domino qui illos misit, & suum eis semen commisit. Unde de illis scriptum est: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* O felices pedes euntium! ô felices manus seminantium! ô felices lachrymæ flentium, ut semen suum rigarent, & fœcundum redderent! De matre suâ dicit Augustinus: *Præcepta vitæ quæ in animo meo plantaverat verbo, rigabat lachrymis, vovebat exemplis*: de Apostolis in orbem missis idipsum maxime verum est, & propterea de illis dicitur. *Euntes ibant & flebant.* Ideo etiam fructus fuit copiosus, in manipulis ex seminibus collectis, quos cum exultatione redeuntes portant, hosque illi referunt acceptos, qui semen eis credidit. Hi manipuli, myriades sunt animarum quas converterunt, & ad fidem ac gratiam Christi adduxerunt, postmodum etiam secum in gloriam introducturi. Adeo vero perseveranter semini huic dispertiendo exemplo Christi instituerunt, ut ad finem usque vitæ etiam ipsi non destiterint. Sed non solum lacrymis immò & sanguine semen rigare voluerunt, ut fœcundius foret. *S. Paulus* in carcere & vinculis agens, dicit *Verbum Dei non esse alligatum*; nemineque sibi posse manus illas alligare, quæ ad divinum illud semen spargendum in corda fidelium à Deo erant ordinatæ. Unde S. Chrys. de illo vincto sic loquitur: *Agricolam si quis vinciat, sementem non impedit. Doctorem si vinxeris, doctrinam vincere non vales. Lingua non manu seritur verbum quod nullis subjacet vinculis.* Psal. 25. Aug. li. 2. confess.

S. Stephanus ad extremum usque spiritum seminabat verbum Dei, etiam inter saxa: & sanguine suo illud primus rigavit, & sanxit.

S. Andreas è cruce seminat extensis manibus, idque per biduum; nec exiguum refert fructum, S. Petrus in ergastulis Mamertini carceris morti propinquus, adhuc cœleste semen serit in corda SS. Processi & Martiniani & quadraginta quinque aliorum, quos convertit & baptizavit ibidem, & per Martyrium Domino consecravit. V. Breviar.

Dicamus 3. post Apostolos usque in finem mundi semper fore aliquos hujus seminis cælici dispensatores, qui nomine Christi illud fideliter & efficaciter administrent: *Nisi Dominus reliquisset nobis hoc salutis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* Hinc adhuc hodie satores strenuos & peritos colonos in barbaras terras destinatos cernimus, ut ibi fides & justitia germinet, ubi nonnisi urticæ, spinæque errorum & peccatorum ex oriebantur. Exeunt ergo hi, quin potius Concionatores usque ad finem mundi nomine Christi seminabunt. Isai. 66. Apostoli colonis Christi

in illis exit is *qui seminat semen suum*, semen veritatis & vitæ, semen gratiæ & salutis, Christus scilic. Verbum & Sapientia Patris, Salus & Vita totius humani generis. Quisquis recte administrat Verbum Dei (sive ex officio, ut qui constituti sunt in Ecclesia Pastores; sive ex commissione, ut Concionatores qui vocati sunt in partem sollicitudinis Pastoralis) pro Christo legatione fungitur, illius gratiam, spiritum merita partitur: ejus semen cœleste spargit, ejus sanguinem efficacem reddit, ejus munus exercet, quod in terris ipse exercuit. Quapropter debet sibi illum proponere tamquam principium influens, nihil optando dicere, nisi quod ipse seminarit in corde, posuerit in ore. Debet illum obsecrare, ut in spiret spiritum suum, ut quicquid sacri seminis spargitur, amorem, timoremque ejus in excipientium cordibus valeat germinare. Denique puram debet gerere intentionem, non auram popularem, aut suam propriam gloriam respiciendo, sed gloriam Christi cujus virtute agit, cui fructum omnem debet referre, seque potius confusione quam laude dignum reputare. Male seminat qui in vento vanæ gloriæ seminat ille enim totam spem frugis dissipat. Audi S. Xaverium graviter hac de re monentem. *Xaverius epist. ad P. Gasparem.* *Cave mortem quis quid in concione pirrectis, expresseris, nequam esse tuum, sed ore tuo loquentis Dei. Nec quicquam tibi tribuas præter delictæ socordiam, elationem, ingratumque animum in Deum, in socios; quorum deprecatione non tuo merito talentum communicatum tibi à Deo est. Illud etiam memineris, multos Cœlionatores apud inferos cruciari, qui plus habuerint vel copiæ, vel leporis in dicendo, quam tu plurimique à scelerata vitâ ad piam traduxerint; eumque plurimis saltem fuerint, ipsi miserrime periere. Ob eam scilicet causam, quod arrogantia elati divina bona non Deo retulerunt accepta, sed sibi vendicarunt, quocirca humana avidos laudis, vanæque sui opinione inflatos, insanæ gloriæ cupido præcipitem in locum provexit unde in exitium ruerent sempiternum.* Hæc Xaverius:

PARS II. *Verbum Dei cur semini comparetur.*

EX dictis satis constat quis sit seminator; satis etiam colligitur quod sit ejus semen; nam & hoc Christus expressit: *Semen est Verbum Dei.* Aliquot vero rationes hic adjungendæ sunt, cur Verbum Dei semini comparetur.

¶. 1. *Primò*, apta est similitudo & congruentia inter semen & Verbum Dei, quia sicut in semine, licet exiguum sit & minutum, continetur virtus producendi radicem, deinde germinandi herbam & fruticem, postmodum producendi florem & fructum: Sic in verbo Dei virtus est producendi radicem fidei, germen spei, fruticem boni operis, florem charitatis & gratiæ, fructum denique maturum æternæ gloriæ.

¶. 2. *Secundò*, sicut semen non fructificat nisi recondatur in terra, & ibi quodammodo moriatur: Sic Verbum Dei non fructificat, nisi in corde suscipiatur, & ibi recondatur ac recogitetur, radicemque figat. Auribus suscipere non sufficit, cordi inserendum est, & abscondendum: *In corde meo abscondi eloquia tua.* Et quidem verbum istud in quorumdam corde diu latet, sicut semen in terra commoriens at postmodum aperte boni operis germen producere cernitur. Ps. 118.

Tertiò, Terra ex se sterilis est, & nonnisi tribulos, urticas, spinas, vepresque germinat post Adæ peccatum & Dei maledictionem; propterea eget ut bono semine conseratur, a quo fœcunditatem accipiat. Sic terra cordis nostri sterilis est & arida, nonnisi vana & noxia profert, in malum prona, nisi verbi Dei sacro semine conseratur, ut fœcundetur, & pietatem germinet. Per illud autem semen, omni bono, omni fructui redditur idonea. ¶. 3.

Quartò, sicut semen in agro projectum eget calore solis, & favore cœli, ut germen proferat: ita verbum Dei in corde receptum eget vivifico calore solis gratiæ, & irriguo imbre cœlitus descendente, ut fructum perfectum proferat, & in messem maturescat. Neque diuturno ad hoc eget tempore, nec copiosa quantitate, sed minimum seminis granum illico frugem perfectam potest proferre, si adsit influentia cœlestis gratiæ. Cernere id licet plurimis exemplis ex Sanctorum historiis depromptis. ¶. 4. *Verbum Dei sine mora fructificat.*

S. Antonius adhuc adolescens ingreditur Ecclesiam & audit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus & veni, & sequere me.* Hoc sibi dictum existimans, obtemperare sine mora resolvit; unde omnibus suis renuncians, pauperibusque ea impertiens, cœlestis vitæ genus colere cœpit in terris. O semen ex guum! o fructum eximium! Idem semen in cor cujusdam ex antiquis Patribus, cui nomen *Theonas*, cum ceciderit per ejusdem verbi Evangelici lectionem, mox se tunica spoliat, pauperi eam tradidit, perfecta abrenunciatione Christum pauperem secuturus. Cum vero quidam ei seminudo occurrens interrogaret: *Quis te prædo tunicâ tuâ spoliavit?* Respondit *iste fur me spoliavit*; demonstrabat autem digito codicem suum Evangelicum, in quo verba ista Domini legerat. *Si vis perfectus esse, &c.* Matt. 19.

Sic S. *Franciscus*, audita Missa, & oratione præmissa, rogavit ut Sacerdos Missale aperiret, in quo Christus viam sibi placitam dignaretur ostendere. Aderat vero cum ipso primus ejus socius *Bernardus*. Illorum itaque rogatu aperit Sacerdos librum, & primo occurrit illud: *Si vis perfectus esse, vade, & vende, &c.* Eumdem librum dum eorum precè secundo aperit, occurrit illud: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* In nomine SS. Trinitatis ut tertio aperiat, obsecrat, & tunc occurrit: *Nihil tuleritis in via, neque peram, neque calceamenta.* Tunc Franciscus socio suo Bernardo, qui sapiens & dives Assisii agebat, sic ait: *Ecce signum Dominî habemus, perficere quæ audivisti.* Ille vero sine mora omnia pauperibus distraxit, & cum Francisco pauperem Christum pauperem pauper secutus est. O semen divinum triplicis verbi Evangelici quantæ Matt. 19. Bona l. 1. vitæ ejus Luc. 9.

fuit!

fuisti efficaciæ, reconditum in corde Francisci & Bernardi! Sed & illud ipsum semen Claustra replet & Religiones, in hunc usque diem, imò usque in sæculi finem.

S. *Nicolaus* Tolentinas cùm quodam die audisset illud ex ore Concionatoris zelo animarum ardentis: *Nolite diligere mundum. Omne enim quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*; mox sæculi rebus omnibus contemptis, religioni S. Augustini nomen dedit, in quo admirabilem fructum peperit: qui quidem fructus huic exiguo semini est ascribendus.

Sanctus Augustinus seminabat in carne sua corruptionem, & semen spiritus ignorabat: At ubi librum epistolarum Sancti Pauli aperuit, divina providentia incidit in illud: *Non in cubilibus & impudicitiis, sed induimini Iesum Christum.* Mox verò agnovit semen spiritus, & abundante lachrymarum imbre illud rigavit, atque illico fructum in eo peperit perfectæ conversionis. Suscepit nimirum *cum mansuetudine insitum verbum, quod potest salvare animas nostras.*

Sanctus Columbanus adhuc sæculi illecebris detentus legebat vitam admirabilem Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ, interius autem miram in se sentiebat commotionem; & hoc fuit ei semen efficax, vitæ novæ & pœnitentiæ austeræ germen proferens. Exinde enim animum adjecit ad perfectionem, quę secuta sunt multa Religiosorum millia, tamquam fructus uberrimus è minuto isto semine exortus. Non absimile conversionis suæ, & Societatis instituendæ initium sortitus est *Sanctus Ignatius*. Legens enim vitas Sanctorum, semen invenit optimum, quod in eo primum quidem fructum fecit trigesimum timoris Dei, fructum deinde sexagesimum amoris, fructum denique centesimum perfectissimæ unionis.

Alius quidem dum audisset illud Christi ex Evangelio; *Oves meæ vocem meam audiunt*; & verbum istud cordi suo condidisset, frequensque recogitaret, statim sæculi relictâ cogitatione, se Societati Jesu adjunxit, ibi inter oves Christi vocem ejus auditurus perfectius. Unde & ibidem scientiâ & pietate cum auctoritate excelluit, Præpositus Generalis electus.

Alius item cum deliciis mollem vitam ageret, nullam sibi de conversione aut religione mentionem fieri volebat. Attamen cum quodam die Religiosus quidam S. *Dominici* cum invisisset, in digressu hoc ei solum verbum ex Propheta insinuavit: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Et semen istud in ejus corde tantæ fuit efficaciæ, ut illud suffocare numquam valuerit: sed vermes illos semper animo volvens, tandē Religioni S. *Dominici* se vovit maximo cum fructu.

Ex his igitur liquet quam verum sit. *Semen est Verbum Dei.* Possumus autem distinguere, secundum Theologos, triplex verbum Dei. Est enim verbum Dei *æternum*, est Verbum *externum*, est Verbum *internum*. Verbum *æternum*, quod scilicet loquitur Pater ab æterno, Filius ejus est, nam dicendo illum producit, unde & vocatur Æterna Sapientia, & Veritas Patris. Verbum *externum* Dei est, illud quò nos alloquitur & docet exterius, per se, vel per Prophetas, Apostolos, Pastores, & Doctores suos. Verbum *internum* Dei est inspiratio sancta, qua intus alloquitur, movet, docet, illuminat. De triplici isto Verbo verum est illud. *Semen est Verbum Dei.*

Primo quidem Verbum Dei æternum, licet magis videatur habere rationem Satoris, habet tamen etiam quandam rationem seminis. Unde de Verbo incarnato rectè intelligitur illud: *Suscipite insitum Verbum, quod potest salvare animas vestras, Etenim* Verbum illud inseritur nobis, & suscipitur à nobis per fidem, ut gratiā, salutem, gloriam germinet in nobis. Quid aliud est Verbum æternum, nisi quoddam seminis granum de manu Patris æterni satum in electa, & fœcunda terra Virginea, & rore Spiritus sancti fomentum? Crevit verò illud, quasi in spica, triginta tribus annis, per varias pruinas, ventos, tempestates. Ac deinde secatum est acutâ passionis falce, & triturarum in cruce, Et nunc quotidie cordibus nostris infertur electissimum hoc semen, & pretiosissimum granum non solum per fidem, sed etiam omnino realiter per veritatem in Eucharistico mysterio. Ibi susceptum per admirabilem nobiscum unionem germinat in nobis sanctissima germina, fructus vitæ; castas scilicet cogitationes, anhelantia salutis desideria, puras affectiones, pacem cordis, gaudium in Spiritu sancto, charitatem & amorem perfectum. O vere ibi efficax semen Verbum Dei æternum, Verbum Deiincarnatum, divinitatis suæ speciali participatione nos consortes efficiens, & sacratissima germina producens, si terram cordis nostri dispositam reperierit! Sic maxime in Eucharistia verum est: *Semen est Verbum Dei.* Rectè de ea interpretatus fueris illud. *Commixtum migma comedent, sicut in area ventilatum est.* Quasi dicat Propheta: Fideles in novissima ætate mundi frumenti varii semina commixta comedent in Eucharistia. Illa dicitur migma, quia commixta ex Deitate, anima, carne, Sanguine Christi, cum specie panis: & quia efficit mirabilem commistionem animæ cum Christo & Deo. Continet autem purum granum sine paleis, sicut in area & tritura crucis ventilatum est. Hoc est ergo migma, sive smigma, varii frumenti miscellam continens, tum ad comedendum, tum ad seminandum in corde nostro.

Secundò, semen est verbum Dei externum, sive illud quo per se nos exterius alloquitur, sive quod per Scripturas nobis insinuavit, sive quod per Ecclesiam, & Ecclesiæ ministros nobis proponitur ut Dei Verbum. Qualem autem fructum proferat hoc semen, jam ex dictis patet. Quali vero attentione? dispo-

Surius in vit.

Luc. 8. Confess.

Rom. 13.

Platus id refert de Claudio Aquaviva.

Isa. 14.

Verbum Dei triplex.

1. *Verbum Dei æternum est semen. Iacob. 1.*

Isa. 30.

2. *Semen, Verbum Dei externum.*

dispositione, reverentia sit suscipiendum docet Sanctus Augustin. hom. 36. & refertur in decretis, causa 1. quæst. 1. cap. *Interroge*. Vbi sic habetur: *Interrogo vos, Fratres, dicite mihi quid prius videtur vobis, Corpus Christi an Verbum Christi? Si vultis vero respondere, debetis dicere, quod non sit minus Dei Verbum, quàm Corpus Christi. Et ideo quanta sollicitudine observamus, dum nobis ministratur Corpus Christi, ut nihil ex ipso in terram cadat: tanta sollicitudine observemus, ne Verbum Domini, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de corde puro pereat. Quia non minus reus erit, qui Dei Verbum negligenter audierit, quam ille qui Corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit.* Hæc ille. Vbi adverte quod dicit, Verbum Christi non minus est quam Corpus Christi, intelligi posse quo ad efficaciam & effectum: quia sæpe majorem fructum parit Verbum Dei declaratum, quã Corpus Christi receptum. Nam peccator illud recipiendo non justificatur; Verbum autem Dei audiendo sæpe convertitur & convertitur. Et quia Dei & Christi Verbum est, magna illud sollicitudine vult Sanctus Augustinus à nobis suscipi ut tale, nec sine gravi reatu posse neglectu quodam contemni, aut repudiari asserit.

Verbum Dei internum semen.

Tertio, Semen est Verbum Dei internum, quo intus animam alloquitur, docet admonet. Immo parum prodest verbum externum, nisi adjungatur ei & internum. Frustra laborat exterius resonans lingua Doctoris, nisi intus moveat & doceat vox veritatis. Vbi verò Deus Magister est, quàm cito discitur, quod docetur! Audi Augustinum tractat. 7. in epist. 1. Ioann. *Ministeria foris secus adjutoria sũt & admonitiones: cathedram tamen in cœlo habet, qui corda docet. Sic sunt hæc verba quæ foris dicimus, quomodo est agricola ad arborem. Foris enim agricola operatur, quia adhibet aquam diligentiamq; agriculturæ; sed tamen poma non format.* Quæ ergo de sermone Dei dixit Apostolus. *Vivus est sermo* Hebr. 4. *Dei efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoque ad medullarum*; Hæc inquam, vera sunt de Verbo Dei interno, immò maximè de Verbo Dei æterno, sive de Filio, qui *Sermo Dei* dicitur; nam nulli verbo vel sermoni perfectè competit, nisi illi, quod subdit Apostolus, *Quod sit discretor cogitationum, & quod omnia nuda sint & aperta oculis ejus.* Verbum igitur æternum quandoque adhibet verbum externum, ut nos moveat & moneat. quãdoque solo interno utitur, penetrans usque ad cor, inspirans sanctas cogitationes, affectiones, admonitiones, consilia proposita, resolutiones.

Legimus de sancta Cæcilia, quomodo in ejus corde Deus seminârat semen castitatis, semen perfectæ fidei, semen martyrii, sive semen ardentissimæ charitatis ad necem pro Christo obeundam: ideoque fructus inde orituri Valerianum sponsum conabatur reddere participem, eadem semina in corde ejus serens. Verbum æternum Dei alloquebatur eam per Verbum internum efficacissimè, de omnibus quæ ei peragenda erant, ipsa verò per verbum externum instruebat sponsum suum. Quapropter de ea sic Deum alloquitur Beatus Vrbanus Pontifex omnia hæc agnoscens ex relatu Valeriani ad se missi ad Baptismum suscipiendum: *Domine* IESU *Christe, Pastor bone Seminator casti consilii, suscipe seminum fructus quos in Cæcilia seminasti: Cæcilia famula tua quasi apis tibi argumentosa* (sive ingeniosa & artificiosa) *deservit. Nam sponsum, quem quasi ferocem Leonem accepit, adte quasi agnum mansuetissimum destinavit.* Merebatur ipsa interiori verbo doceri, & illuminari in corde, quæ semper externum Evangelii verbum gerebat in pectore; & neque diebus, neque noctib⁹ vocabat à colloquiis divinis & oratione. Noverat sacrata semina de Verbo Dei deprimere, & cordi suo inferere: Vnde cantantibus organis, ad festivitatem nuptialem, & thalamum voluptatis conjugalis eam invitantibus, ipsa ex Verbo Dei in corde suo decantabat: *Fiat Domine cor & corpus meum* Psal. 118 *immaculatum, ut non confundar.* Et cum convertisset non solum Valerianum sponsum, & Tiburtium ejus fratrem, sed etiam quadringentos infideles ab Vrbano Pontifice postea baptizatos; post divinum sermonem quem in nocte eis fecerat, dum aurora finem daret, iterum ipsa tota cœlesti igne & luce accensa de Verbo Dei illud cum Apostolo eis exclamavit: *Eia milites Christi, abiicite opera tenebra-* Rom. 13. *rum, & induimini arma lucis.* Sciebat ergo Cæcilia, quod semen est Verbum Dei: ideoque illius non imperita, & nocte & die serebat, non solum in corde suo, sed & in cordibus audientium. Adimplebat illud Sapientis; *Mane semina semen tuum, &* Eccl. 11. *vespere nesset manus; quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud; & si utrumque simul, melius erit.* Propterea Deo cooperante, tantum in se Cæcilia, tantum & aliis produxit fructum: & suo omnes docuit exemplo, quantæ sit efficaciæ divini Verbi semen, de quo in hoc agitur Evangelio.

EADEM DOMINICA.

LECT. 14. tri parta.

Aliud cecidit secus viam &, conculcatum est. & Luc. 8.

NOn debent animum despondere verbi Dei annunciatores, licet paucos reperiant audithores: quia licet ad Christum frequens turba properaret, etiam tamen paucos quandoque docebat. Vnicam ad puteum nactus est *Samaritanam*, nec eam est dedignatus: sed instruxit, catechisavit, convertit, & per illam Samaritanos ad fidem adduxit. Vnica ad ejus pedes sedebat *Magdalena*, audiret verbum ejus, & copiosè illud ei ministrabat. Venit ad eum *Nathanael* cum *Philippo*, propter S. Chrysost. dicebat de seipso: *Ego meo ipsius* Lazare.

PARS I. *De grandi Conciatorio.* *Vnicam* nec *merite.* *Ioann. 4.* ut *Luc. 10.* *Ioan. 3.* *Conc. 1. de*

anim. o per ſuaſi. quo ad ſpiravero hoc implere miniſterium ſive quis attendat, ſive non attendat. Aquarũ venæ etiamſi nemo veniat ad quantum, manant tamen: & fontes quamvis nemo hauriat, ſcatebras emittunt. Non etiam debent tædio affici, ſi rudes tãtum habeant auditores & populares; nõ ſapientes, nõ nobiles, aut primarios civitatis. Nam qui Chriſtum ſequebantur, è plebe erant: *Turba properabat ad eum*; non magni proceres, non ſapientes multi. Si Caiphas eius audiſſet conciones, non erat neceſſe ut eum de doctrina ſua interrogaret. Nec de Herode dicereꝛtur, quod cupiebat videre Ieſum à multo tempore, ſi ejus concionibus interfuiſſet. Vnde dicitur, quod nemo Principum credidit in eum; nẽpè aſpernabantur eius doctrinã; vel eam nolentes audire, vel auditam proculcantes: *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis? Sed turba hæc quæ non novit legem, maledicti ſunt.* Sic loquebantur Phariſæi miniſtris, qui poſtquam eum audiſſent, dicebant: *Numquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.* Exemplo igitur Chriſti Domini zeloſi Concionatores & Paſtores exire debent ad turbam (ad ruſticos in agris agẽtes ad illiteratos & rudes) & operam dare ut in his quæ ad ſalutẽ neceſſaria ſunt, inſtituantur. Nullam animam negligere debet eorum pia cura, quandoquidem omnium animarum æqualis ſit nobilitas ex Chriſti ſanguine. Hic fuſus eſt in pretium, tam pro ruſtico & ignobili, quàm pro illuſtri & primario. Eadem utrumque manet æternitas eadem pœna ſi pereant eadem gloria ſi ad ſalutem pertingant. Idem jus habent ad gratiam, & ad fontes gratiæ; idem quoque jus ad hæreditatem filiorũ Dei, eandem Patrẽ habentes in cœlis, eandem Matrem in terris, eandem eſcam ſpiritualem in verbo Dei & Sacramentis. Quinimo ſpecialius videtur ad inopes & humiles Chriſtus miſſus, qui de ſe dicit: *Spiritus Domini ſuper me, evangelizare pauperibus miſit me.* Et Apoſtolus poſtmodum dicebat. *Videte fratres vocationem veſtram, non multi potentes, multi nobiles, non multi ſapientes, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes, & quæ infirma ſunt, ut confundat fortia.* Exempla ergo Chriſti, Apoſtoli & Apoſtolici viri tranſierunt per vicos, caſas, mapalia agreſtia, & deſerta loca; ut doctrinæ veritatem gratiæ lucem, pacis benedictionem omnibus impertirent.

Sancti gaudebãt pauois & ruditus prædicare

S. Carolus Borromæus totam ſuam diœceſim viſitans, plebem rudem in Helueticanis oris per colles & loca pene inacceſſa diſperſam ore proprio chatechiſabat, propriis monitis ſtimulabat ad virtutem

Surius in vitacorũ.

S. Norbertus Concionator eximius, neglectis urbibus, malebat concionari in vicis & pagis. Nec minus paucis, quam multis operam ſuam impendebat.

S. Cuthbertus ſanctitate & miraculis celebris ad villas ſolitarias in montanis locis properabat, ubi nulli erant concionatores; ibi autem diebus multis hærebat verbum Dei annũcians.

S. Franciſcus etiam lubentius ſe ad villa loca & agreſtia conferat, quam ad populoſas civitates; & ſummopere gaudebat à paucis rudibus audiri.

Quanti autem ſit meriti pro his animabus rudibus ſudorẽ impendere, exeundo ad illas pro inſtructione, docet exemplum quod refert *Thomas de Cantiprato Epiſcopus libr. 2. Apum c. 35.* Frater quidam Ord. Prædicatorum per plures annos non potuerat dormire, ſed jacebat infirmus, ſpiritu vix hærente; erat tamen devotiſſimus Virgini Matri. Quadam nocte cum fratres poſt Matutinum laudes inchoarent, apparuit ei Beata Virgo ingenti cincta lumine, & dixit: *Ego ſum Patrona Ordinis, & veni ad te, ut præmuniam te contra dæmonum, qui in ſpecie & habitu fratru Religioſo te vult tẽtare, & decipere; ſed contra illum te ſignabo hu verbu: Benedicat me Deus Pater, qui cuncta creavit ex nihilo: Benedicat me Deus Filius, qui hominem perditum reparavit ſanguine proprio. Benedicat me Deus Spiritus Sanctus cujus me ſalvet pia conſolatione infuſio. Nec vero diu ſenties agritudinis incommodum, ſed fratribus in unum convenientibus facies quod inſpirabo.* His dictis diſparuit. Ipſe autem mox obdormivit toto ſpatio Laudum. Excitatus vero ad Canticum *Benedicite*, vidit dæmonem in ſpecie & habitu fratris advenientem, qui patulatim creſcens domus faſtigium attingebat. Sed memor verborũ quæ dederat à Matre Dei, ſignavit ſe; & mox dehiſcente terrã, antiquo hoſti magna patuit ruina. Paucis poſt diebus, de prædicatione fratres redeuntes convenerunt. Quibus cum de more abluerentur pulveres & ſudores; hic infirmus ſecundum verba Patronæ Ord. inſpiratus dixit: *O Deus omnipotens, piorum laborum miſericors retributor, ſi vorum tuorum ſudores quem gratu oculis intuetu! Reſpice nunc me indignum famulum, & partici em digneris efficere eorum quæ iſtis ſudoribus & laboribus ſervis tui meruerunt.* Hæc dicens, ſordes lotionis fratrum ſuo capiti ſuperfudit, & ſanitatem integrã, tum capitis, tum totius corporis illicò recepit. Hæc Cantiprato ex ore infirmi percepit. Et hunc poſtea, inquit, vidimus laborum patientiſſimum, & in prædicationibus expeditum.

Contionator non deſpõdeat licet parũ fructiſ. ſit

Non etiam animum deiicere debent divini verbi ſatores, ſi parum fructus ſibi referre videantur: nam etiam ipſo Filio Dei ſeminante, tantũ 4. pars ſeminis dicitur fructum produxiſſe, ceteris tribus pereuntibus ſine utilitate. Si ergo ex doctrinæ ſalutaris ſemine pauci ad correctionem vitæ proficiant, id Deo ſator committat: ſed curet ne ſua culpa hoc contingat, & ne ipſum illa comminatio in lege ſcripta comprehendat. *Serentem multum ja cies in terram, & parum inde congregabis* Et iterum *3o. modii ſeminis facient modios tres* Quòd ſi culpa ejus non intervenit, ipſi ſemen non perit. Vnde S. Bern. ſic ait: *Fac tu quod tuũ eſt, vã Deus quod ſuũ eſt, curabit. Plãta, riga, & tud. imple viſti partes, ſanctæ*

Deut. 28.

Iſa. 5.

Li. 4. Coſſ

ſuccurrem-

instrumentum ubi voluerit, dabit Deus; ubi fortè noluerit, tibi deperit nihil Audi & S. Augustinum in eandem sententiam l. 1. contra Cresconium c. 8. *Sicut malignus suasor peccati, etiamsi non persuaserit, merito pœnam deceptionis incurrit: ita fidelis justitiæ Prædicator, etiamsi ab omnibus respuatur, absit ut apud Deum sui officii mercede fraudetur.* Nempe Deus non secundum proventum, sed secundum laborem & charitatem suos remunerare solet, nec tam attendit quantum, quam ex quanto faciamus: quanta sc. humilitate, quo zelo & amore, inde enim valor & meritum operis pensatur. Seminet ergo is, cui id committitur magno zelo, & magna charitate: sive pauci, sive multi confluant; sive parvus, sive copiosus fructus exurgat, non cessat; tempore suo non parum metet. Imò etiamsi de præsenti fructu agatur, semper aliquis sequitur non parum æstimandus; nam vix contingit quin aliquis ex auditoribus fructum faciat; unū autem lucrari etiam magni faciendum. Deinde si non prodest sermo malis, bonos confirmat in bonis; imò & ipsi mali si ad peccatum redeant, cum timore, & non cum tanta id agunt libertate. Ab illis fructus expectandus est in patientia, & longanimitate, nam tandem solet semen prodesse.

S. Iacobus in tota Hispania solum septem convertit.

S. Iacobus Apostolus in Hispanias profectus, ut divini Verbi semen in vastam illam & incultam terram spargeret, fecit id maximo zelo; attamen solum septem, vel ut alii dicunt, novem ad fidem cōvertit. Interim non minus meriti habuit, quam cæteri Apostoli, nec minus ejus opus Deo gratum fuit, quia divinum beneplācitum magna charitate adimplevit. Sed & sensim per illos à se conversos sparsa est fides tota Hispania, ac deinde in alias Provincias. Immò & in Indias postmodum propagata fides ab Hispanis, tamquam fructus prædicationis S. Jacobi rectè censetur. Nam cum ageret Cæsar augustæ, & ob ambularet subtristis ob exiguum fructum, & ob rebellem animum audientium, apparuit ei B. Virgo in columna quādam, quæ adhuc ibi extat, & non fore inanem ejus sationem, sed uberem postmodùm frugem secutaram ei prædixit.

Itaque Dei Filio seminante, quarta seminis fructum non retulit, non defectu seminatoris, nec defectu pluviæ aut roris, nec defectu seminis, sed defectu terræ in quam semen cecidit; quæ vel conculcata fuit à transeuntibus, & male tecto in ea semine à volucribus non fuit libera; vel petrosa nimium fuit, & sine humore sufficienti; vel spinosa, & vepribus semen suffocantibus obsita nihil produxit. Videamus in particulari, ipsomet Christo explicante, quid triplex illa pars terræ infructuosæ designet.

PARS II. *De triplici terra infrugifera,*

PRimò itaque de priori parte terræ hujus sic loquitur textus Evangelicus: *Dum seminat aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud.* Sic autem Christus à discipulis interrogatus explicat: *Qui secus viā, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbū de corde eorum, ne credentes salvi fiant.* Hic advertunt sacri interpretes cum *S. Chrysost. 45. in Matth.* quod nullus prudens agricola semen jaciat suum, sciens & volens, vel in viam, vel in petram, vel in spinas; hoc enim stolidum existimaretur: attamen cœlestis agricola *qui facit oriri solem suum super bonos & malos, pluitque mittit super justos & injustos*, ut omnibus benefaciat, etiam verbi sui semen nulli negat; quia *omnes vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et quidem stultitiæ argueretur is qui materiale semen in spinas, aut petram, aut viā spargeret; quia petra non potest esse terra bona, & via non potest non esse via, & spinæ non possunt non esse spinæ. At in semine & terra spirituali aliud est: *Possibile enim est ut lapis in terram fertilem convertatur, & ut via non conculcetur; sed in uberes agros traducta, nec vepres emittat, sed semina foveat,* inquit S. Chrysost. Nempè rationales mentes quæ hic per viam, petram, spinas, designantur, libero sunt arbitrio præditæ; & sic adminiculante ipso semine Verbi Dei & roræ divinæ gratiæ, fertilis terra fieri possunt. Quod suprà ostendi exemplo Magdalenæ & Samaritanæ, quorum corda nonnisi viæ tritæ & conculcatæ erant; exemplo etiam Matthæi: cujus cor avarum planè instar terræ spinosæ erat; exemplo Latronis, qui instar petræ obdurerat: attamen ex semine verbi & imbre supernæ gratiæ ubertim fructificarunt. Sed licet certò noverit sator cœlestis nihil fructus secuturum è terra petrosa, vel spinosa, vel conculcata; nihilominus vult semen suum in illam cadere, ut universalem pietatis suæ clementiam ostendat, dum omnibus semina sua communicat, nec discernit inter inopē & pauperem, inter idiotam & sapientem, inter ignavum & diligentem, licet exitum diversum non ignoret. Atque etiam per hoc omnes vult fieri inexcusabiles.

Matth. 5.

1. Tim. 2.

His ergo ex S. Chrysost generaliter præmissis, dicamus in speciali: *Terram secus viam* esse cor, quod assiduo transitu malarum cogitationum cōculcatur, atteritur, arcsit; ita ut Verbi semen sufficienter integere nequeat, aut in germen fovere. An non pleraque corda hominum hujus sæculi sunt velut via publica, omni vanæ cogitationi, omni impuro desiderio, omni cupiditati per via? Quantumlibet in illa cadat Verbum Dei, non custodiūt illud, nec fovent; non meditantur illud, aut ruminant: quasi nec intellectu perciperent, nec fide apprehenderent, sic se circa illud gerunt. Quod si aliquantum commoretur in mente, mox cogitationes vanæ, & cupiditates pravæ, quæ solitæ sunt illæ pertransire, totum conculcant & perdunt. Sed & illicò adsunt maligni spiritus, qui illud tollunt, & à corde; & à mente, & à memoria audientis, ne ullam radicem figat. Rapiunt illud ab intellectu, ne illuminetur; rapiunt à voluntate, ne ad bonum per illud inclinetur; rapiunt à memoria, ne ibi foveatur, & suo germinet tempore.

I. *Quæ sit terra secus viam.*

Vostra *secus viam* estis, O luxuriosæ animæ! quia per vos liberè pertranseunt tot suggestiones, à carne, à mundo, à dæmone immissæ, vosque reddunt, semini suscipiendo, aut fovendo inidoneas:

Eccl. 21. *Audivit verbum luxuriosus, & displicebit illi, & projiciet illud post dorsum suũ*, inquit, *Sapiens*. Quid est post tergum projicere? Hoc est negligere, conculcare, contemnere. Noluit verbum admonitionis ante se ponere, in quo tamquam in speculo intueri posset fœditatem suam. Noluit memoria sua illud recolere & ruminare, ne remorsum pareret conscientiæ; Noluit in corde fovere, ne si germinaret, cogeretur voluptates concupitas deserere, & correctiorem vitam instituere. Maluit ergo ad tergum, & pedes illud projicere, & obterere; ut quasi in via conculcatum nihil posset frugis afferre. Hæc est calcanei iniquitas, quæ in die mala, in die mortis & judicii, circumdabit & angustiabit eos qui calcarint semen bonum, & aspernati fuerint ver-

Psal. 48. bum Dei, de qua, *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Quænam melius dici potest iniquitas calcanei, quàm illa quam pedibus terimus, & nihili facimus? Quænam est iniquitas illa, nisi peccata quæ levia existimamus, & voluntariæ oblivioni tradimus: & cum Verbum Dei illa nobis ut gravia repræsentat, etiam ipsum Verbum ad calcaneum & tergum projicimus? Quàm multis in luxuriæ occasione detetis, à Concionatoribus, Pastoribus, Confessariis, dicitur peccatum istud animæ mortem conscire, inferoque portam esse, quâ plurimi descendentes æternum pereunt? Quàm multis inculcatur; Nonne vis animam tuam salvam facere? Nonne scis pretioso sanguine illam à Christo Domino emptam esse? Cur ergo per carnales fœditates sanguinem Christi pretiosum conculcas, & animam tuam perdis? Cur propter momentum voluptatis, aleam jactas æternitatis? Certè hoc est semen bonum, sed in viam jacitur, ideò mox proteritur à pravis suggestionibus, & tentationibus supervenientibus, & à dæmone tollitur de corde, ne fructificet.

Vagus terra secus viam

Vos quoque terra estis *secus viam*, O animæ vagæ, & vanitati deditæ! Cum ad conciones accedi-tis, non tam ad audiendum estis paratæ quàm ad spectandum. Atque dum huc illuc oculum, & animum circumferentes exploratis quis intret, quis exeat, quo ornatu, quo gestu: variis cogitationibus, & distractionibus aditum datis; sicque vel à vobis non excipitur semen verbi Dei, vel leviter exceptum proteritur à cogitationibus illis gyrovagis, & à distractionibus viam cordis vestri calcantibus. Aperite igitur oculos mentis, & claudite oculos vagos corporis, dum Verbum Dei auditis: aut certè illos pio intuitu in concionantem inten-

Levit. 19. dite, quasi Christi pendentes ab ore; *Nolite serere agrum vestrum diverso semine*; semine vanitatis, & semine veritatis; semine mundi, & semine Verbi Dei: hoc peragitis, dum in sacro loco existentes alienis cogitationibus locum datis quæ sunt semen sæculi, & nihilominus simul excipere etiam velle videmini semen cœli. Quàm multi inter juveniculos & juvonculas loca sacra frequentant, prætextu quidem Verbi Dei, sed magis ut spectentur, vel spectent? Cumque ore ibi colloquia misere non detur, oculis & nutibus loquuntur. An non hi terra secus viam, inepta planè semini verbi Dei, exposita volucribus & conculcationi!

Curiosus terra secus viam

Vos etiam terra estis *secus viam*, O animæ nimis curiosæ! Non tam ex devotione acceditis, ut Verbum Dei adimpleatis; quam ut concionantis eloquentiâ, si illa vobis arrideat, aures oblectetis, si verò non placeat, irrideatis. Similes multi Athenien-sibus, de quibus dicitur, quod ad Areopagum frequentes confluebant; parati semper aliquid novi audire. Cùm autem hâc curiositate ducti audis-set *Paulum* Jesum evangelizantem, & novam eis doctrinam resurrectionis mortuorum proponen-

Act. 17. tem, quidam quidem irridebant: *Quid sibi vult semini verbius hic?* Alii dicebãt; *Audiemus te de super iterum*. Sic inter Christianos multis curiosis templum & verbum Dei diversorium est otii: nec illuc accedunt ut mores corrigant, sed ut aurium oblectamento perfruantur. Ideoque hi Verbum Dei nõ apprehendunt ut Verbum Dei, nec inserunt cordi; sed manet in superficie, & mox conculcatus vel à diabolo tollitur. De his est illud Prophetæ. *Et tu*

Ezech. 33. *fili hominu, filii populi tui qui loquuntur in ostiis domorum, & dicunt unus ad alterum; Venite & audiamus quis sit sermo egrediens à Domino, & audiunt sermones tuos, & non faciunt eos, avaritiam sequitur cor eorum; & ecu es quasi carmẽ musicum, quod suavis dulcique sono canitur.* Nempè sicut musicæ sonus aures delinens mox deperit, & pertransit sine alio fructu; sic & Verbum Dei aures quorundam prurientes oblectat, sed mox dissipatur sine emendationis effectu. His possunt dicere Concionatores

Matt. 11. quod dicit Dominus: *Cantavimus vobis, & non saltastis: lamentavimus, & non planxistis.* Nec enim suavi voce Verbi Domini ad lætitiam bonæ conscientiæ invitati, illam sectantur per vitæ puritatẽ, ut postea exultare possint per totam æternitatem; nec voce terrificâ judicium proponente & mortem, ad pœnitentiæ lamenta inducuntur, ut lamẽtum æternum evadant; sic frustra eis sunt sermones Domini, dum audiunt, & non faciunt. Sed eis similiter continget quod piscibus, de quibus in apologo proposito Jonibus à Cyro Rege, dum pacis conditiones reposcerent, quas prius repudiarant. Tybicen quidam ad alliciendos pisces tibiã

Herodo. lib. 2. canebat, sed cùm nihil proficeret, sagenam misit in mare, & multos attraxit; quos cum palpitantes intueretur: *Temperate*, inquit, *à saltationibus quia me canente noluistis saltare.* Ita Deus suavem suam vocem negligentibus tandem rete judicii immittet, quo eos involuet, & ad se pertrahet igne cremandos. Atnonhoc ipsum est, quod per Sapien-

Prov. 8. pientem pronuntiat : *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non erat qui aspiceret : ego quoque in interitu vestro ridebo.*

2. Quæ sit terra petrosa.

Secundo, de altera parte terræ seminare sic loquitur textus : *Aliud cecidit super petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.* Sic autem Christus exponit. *Hi sunt qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum; & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Hic auditores notantur qui agnoscunt vera, & salutaria esse quæ sibi in concione proponûtur, unde fit ut aliquantum moveantur, & propositum melioris vitæ eliciant : tamen quia ex consuetudine quadã in aliquo peccato obfirmati sunt, propositũ illud radicem non figit, sed duritiem intus reperit obsistentem, ne fructificet Verbum Dei. Petrosa loca quæ tenui sunt contecta cespite suspectum semẽ cito germinare queunt, sed vim radicis figendæ nõ habent, Sic his contingit. Numquid pluviâ decidente lapides foris madescunt, intus tamen siccitatem & duritiem servant ? Ita & hi extrinsecus videntur quâdam devotione rigari in auditu Verbi Dei : sed intus durities mentis non tollitur, & mox ad siccitatem redeunt sine affectu. Hanc autem ariditatem & duritiem mali consuetudo in ipsis efficit, quæ sanè difficillimè tollitur ideoque lapidi comparantur. Sic de inveterato peccatore verum est illud. Iob. 41. *Cor ejus quasi lapidu indurabitur.* Sed inter eos qui duri cordis dicuntur, duplicis sunt generis. *Aliqui* sunt velut rupes & petra purissima, nullo contecta cespite, nihil supra se habens terræ : & hi ne quidem suscipiunt semen nec germinat in illis quippiam, resilit planè inane, nihil omninò humoris repetiens, sed duritiem solum & siccitatem penitus adversam. Hi porrò sunt perfectè duri cordis, nullum habentes affectum pietatis, sed inspirationi internæ, & admonitioni externæ planè rebelles, Unde & de talibus verum est, quod de Pharaone & Ægyptiis obduratis dicit Scriptura : Exod. 15. *Descenderunt in profundum quasi lapis.* Hæc est enim natura lapidis, deorsum tendere, sic animæ instar lapidis obduratæ non possunt nisi in infernum descendere. Tales describit S. Bernar. lib. 1. de consid. c. 2. *Cor durum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, non movetur precibus, non cedit minis, indurator flagellis, ingratum ad beneficia, ad consilium infidum, ad judicia velox, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum oblivisens præsentium negligens, futura non providens. Alii* sunt qui etiam duri cordis dicuntur quia perfectè ad Deum illud non convertunt ; sed tamen retinent aliquid affectus ad pietatem aliquid adhuc bonæ terræ & boni humoris habent, & aliquid bonæ indolis : ita ut afficiantur Verbo Dei, & cum gaudio illud suscipiant, sed tamen mox aresçit, nec fructificat in eis. De his potissimum loquitur Christus, non de prioribus : quia illis loquebatur qui aviditate & gaudio quodam ad cum properabant, sed non perfecta dispositione cordis, qua possent fructum maturum è verbo illis producere, illos igitur ibi tunc præsentes, illosque qui postmodum inter Christianos futuri erant similes, Christus suis verbis taxat & præmonet. Et certè his non prodest Verbum Dei, licet cum gaudio illud suscipiant quin potiùs obest. Quia & hoc coram justo Judice eis erit in confusionem majorem, quod cum cordis aliqua commotione illud audierint, nec radicem figere permiserint, aut fructum ex eo carpere studuerint ; quod auditores fuerint, sed auditores oblivios, & non factores, sicque fallentes semetipsos, sed non Deum Judicem & vindicem. Immò à quocunque veritatem audierint, etiamsi ab ipso veritatis hoste, si illam agnitam secuti non fuerint, obnoxii erunt veritatis auctori. Habemus hujus rei exemplum, quod initio Ordinis S. Dominici contigisse refert S. *Antonius Archiepiscopus* Florentinus. Quidem celebris Concionator in morbum incidit, ea ipsa hora qua pulsu campanæ ad concionem dato, auditorium frequentissimum convenicbat. Angebatur Prior Conventus ; quod neminem haberet qui vices suppleret : dumque tristis claustrum obambularet, ecce nuntiatur à Janitore Religiosum extraneum advenisse, qui se dicebat Ordinis Doctorem. Suscipitur is benignè à Priore, cui & aperit confusionem quam verebatur, ob defectum Concionatoris. Ille se mox exhibet paratum cathedram conscendere, certoque certius se auditorio satisfacturum asserit. Conscendit igitur, & mira facundia ac zelo de enormitate peccati, de pœnis inferni, de gaudiis paradisi disserens, etiam ad lacrymas auditores commovit. Mirabantur omnes insolitum dicendi genus. Quidam verò vir sanctus eum attentius intuens, agnovit esse Satanam in veste Religiosi. Unde de cathedra descendentem his verbis adorsus est. *Quid tibi cum verbo veritatis, ô inimice veritatis ? Quomodo audes officium Christi & Apostolorum usurpare, eorum juratus hostis ?* Cui ille : *Quid in me habes quod arguas ? An non veritatis præco sui sine ulla commixtione falsitatis ? An non officio illo efficaciter me functum testantur lacrymæ audientium ?* Scio, inquit vir sanctus, scio equidem. *At non nisi pessima intentione id potuisti facere, sine qua non soles in Angelũ lucis te transfigurare ideoque adjuro per Deum vivum & verum, ut veritatem palam edicas.* Coactus igitur Satan fateri, se id fecisse ad majorem audientium confusionem & condemnationem. *Ecce*, inquit, *omnes hi ad horam credentes sunt, ad horam compuncti & lacrymantes, mox vero ad veniente tempore tentationis, recedẽt iisdemque peccatis remergentur. Erit ergo verbum veritatis, à me etiam pronunciatum, ipsis in opprobrium, & lacrymæ quas fuderunt, contra eos erunt in testimonium.* Hæc Satan dixit, & statim disparuit. Luc. 8.

Antonin. in sum. Diabolus concionatur.

Sicut igitur *terra seminata venientem super se hibes imbrem, nec tamen fructum proferens sed vel aridas tantùm germina, vel tribulos & lolia, reprobæ & ma-*

maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem. Sic terra cordis nostri bono consita semine Verbi, & imbre rigata gratiæ supernæ, si ob duritiē internam germen non proferat oportunum, & benè radicatum, super se attrahit maledictionem & ignem. An non *Iudas* Apostolus frequenter ex ore Christi doctrinæ sacræ semine optimo, & imbre cœlesti perfusus fuerat? Quid vero ei id profuit, quandoquidem per cupiditatem obduratum cor gerens, & petrosum tandem super se attraxit maledictionem? Sic & *Herodes* lubenter audiebat Joannem, & audito eo multa faciebat, sed intus concupiscentia alienæ uxoris cor ejus induraverat: Quid ergo ei profuit audivisse Joannē animo perlubenti, cujus tandem cruore se commaculans æternæ se reum damnationis constituit? Sic nonnulli lubenter intersunt verbo Dei & illi afficiuntur, sed quia odium, vel vindictam, aut vitium aliquod aliud in animo gerunt, non fructificant, quia non ejiciunt hunc durum lapillum conscientiæ, qui terram cordis tandem sterilem reddit, & implet maledictione. Sicut ergo qui agrum suum vult esse frugiferum, lapides hinc inde sparsos colligit & ejicit: sic agendum est illi, qui agrum interiorem vult frugem ferre ex cœlesti semine: vitia scilicet & passiones præduræ ejiciendæ sunt, & cor veræ contritioni est molliendum, & præparandum.

Cor durū subjectū maledictioni.

Tertio est & altera pars seminis cadens inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. *Hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus, & à divitiis, & à voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & nō referunt fructum, inquit Dominus.* Quæ mundus magnificit & rosas existimat, hic Christus fugienda docet & spinas vocat; honores, voluptates, divitias. Nihil nisi spinosum & aculeo pungens mundus continet, quamvis multi id non agnoscant, nisi sero nimis: instar leprosorum insensibiles quodammodò sunt, & ideo punctionem spinarū, inter quas agunt, non sentiunt. Conscientia eorū hæratur, & inflicto vulnere cruentatur, ipsi verò aliorsum mētis oculos vertunt, nec videre volunt. Ac in *primis* si spectemus eos qui in sublimitate sunt constituti quantæ inter honores reperiuntur inquietudines conscientiam lacerantes, & pacem animi perturbantes! Hoc agnoscebat Rex ille qui Regium diadema gemmis contextum contrectans, & attentius considerans exclamavit. *O splendens corona, quot, ebeu, sub rutilantibus gemmis spinas tegis! Qui has probè nosset, nescio an te vel de humo dignaretur tollere, ut vertici suo apponeret.* Agnoverunt etiam id nonnulli Reges, Duces, Principes, qui ob spinas & inquietudines animi sceptra & diademata deferentes, omnesque honores proculcantes, Religiosæ vitæ nomen dederunt, ut ibi tranquillitatem & securitatem reperirent. Unus illorum jurejurando asseverabat se plus oblectationis percepisse unica hora sub veste pœnitentiæ in obsequio Christi, quàm omnibus annis quos exegerat sub purpura in regno sæculi. Neque solum hæ spinæ reperiuntur inter honores mundanos, sed etiam inter dignitates & honores Ecclesiasticos. Unde Pedo Episcopali & Abbatiali jacenti rectè inscribitur illud: *Qui non novit me, tollat me.* Propterea Vrbanus VII. dū Pontificali veste linea primum indueretur, dixisse fertur cum singultu: *Quu credat tam subtilis indumento tantum ponderu involui?* B. Petrus Damiani anno 1057. à Stephano Papa, invitus ad Cardinalatum & Episcopatum Ostiensem (qui Episcopus primus esse solet inter Cardinales & Decanos) fuerat evectus: sed mox spinas persensit molestiarum, quæ sub honorum rosis latent; ideoque timens inter illas lædi, summâ instantiâ egit apud Nicolaum. 2. ut dimitteretur. Cumque ei proposita esset centenaria pœnitentia, ut centum sc. diebus legeret Psal. *Miserere*, centum ictus corpori suo nudo infligendo, libentissimè eam pœnitentiam acceptavit, ut ab illis spinis liber evaderet. Similiter S. Petrus Cælestinus invitus ad Pontificatum electus 1294. annum dimidium in ea peregit dignitate, non sine miris spinis. Unde convocato Consistorio Cardinalium, inter manus ipsorum Pontificatum reposuit; & ad solitudinem rediit, multa in itinere patrans miracula, quibus Deus eam resignationem contra calumnias defendebat. Hæc pauca sufficiant quoad honores, qui spinas generant, quas per nomen sollicitudinis exprimit hic Christus.

Hier. Ravennas l. 5. hist. Surius 19 Maii.

Honores spina.

3. Terra spinas ferens.

Quoad divitias, quæ hic secundo loco exprimūtur, notæ sunt illis annexæ spinæ, hoc est inquietæ cogitationes, quæ non parum affligunt divites, aut divitiis inhiantes. Hinc fit ut verbo Dei ruminando ob animum distractum inidonei sint, quia & vix eis vacat exiguum tempus rebus divinis impendere. Multæ eis sollicitudines in acquirendo, multæ in conservando, multæ circa merces divendendas, vel emendas, circa agros colendos, circa lites quibus recuperentur deperdita, circa debitores non solvētes, circa pericula mercium, vel aliarum rerum ad eos spectantium. An non spinæ in corde divitis Evangelici, dum nocturnæ cogitationes cū dormire non sinunt? An non spinæ, dum secum meditatur nova horrea, & destructionem antiquorū? An non spinæ, dum ei dicitur: *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te:* An non spinæ in corde Achab volentis acquirere vineam Naboth? dum ille nollet divendere hæreditatem Patrum suorum, frendet Achab, *& se projiciens super lectulum, avertit faciem ad parietem, & noluit comedere panem.* Meritò ergo Aquila volans per medium Cælum inclamat? *Va, va, va, habitantibus in terra.* Qui sunt, qui habitant in terra, nisi, qua terrenis nimium addicti sunt divitiis, quasi terræ affectum figentes? His triplex væ nuntiatur. Væ laboris in acquirendo, væ timoris in conservando, væ doloris in amittendo. His & alibi inclamatur: *Terra, Terra, Terra audi Verbum Domini;* & forsitan triplex illa terra insinuatur apud Prophetam, quæ hic describitur apud Evangelistam, Terra secus viā, Terra Petrosa, Terra spinosa. Quæ quidem terra triplex non excipit ut decet semen

Divitiæ spinæ.

Luc. 12.

3. Reg. 21.

Apoc. 8.

Glossa.

Hier. 22.

Verbi

Verbi Dei, O fallaces & spinosæ divitiæ, quàm multis adducitis æternum væ! Fallaces, quia illos decipitis quasi perennaturæ, cum non valeatis cum illis diu permanere mox evolaturæ. Fallaces, quia mentis inopiam non potestis expellere, sed sitim & famem quò magis crescitis, eò magis accenditis, Fallaces, quia promittitis securitatem, cùm nonnisi turbationem natæ sitis inducere, & spinas germinare. Spinæ pungunt in extremitate, sic & divitiæ maximè pungent & angent in fine: *O mors, quam amara est memoria tua homini habenti pacem in substantia sua!* Divitiæ non liberabunt à morte, sed tunc validiùs aculeum suum figent in mente, & nisi affectus ab eis avellatur, torà figent æternitate. De hac re latiùs egi Horti Pastoralis Tom 2, Tract. 3. Sect. 3. Prop. 2. *Eccl. 41.*

Voluptates vitæ, spinæ.

Quantum ad voluptates vitæ, quæ tertio loco hic experimuntur, illis etiam suæ non desunt spinæ. Sive enim consideres voluptates gulæ, sive luxuriæ non sunt sine subsequente amaritudine. Crapula cor gravat, corpus & animum habetat, morbos corporis generat, pecuniam familiæ necessariam exhaurit; multaque alia aculeata mala solet parere: *Ne intuearis vinum quando splendescit, ingreditur blande, in novissimo mordebit ut coluber.* Luxuria verò ultra turpitudinem & infamiam quam habet annexam, specialissimè generat cõscientiæ remorsum tanquam spinam acri sua punctione cor transfigentem. Statim elapsa delectatione, tristitia interior consequitur, longè amarior, quàm fuerit præcedens delectatio dulcis. An non hanc spinæ acerbitatem persensit Ammon post concubitum cum sorore sua Thamar, quam antea deperibat? Cum per dolum & vim illa abusus fuisset, magna tristitia postmodum stimulatus eam ita odio habuit, ut à se abjiceret, & odium illud longè amorem præcedentem superaret. An non eandem amaritudinem expertus est Salomon, quando quidem inclamet: *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laquei venatorũ est, & sagena cor illius, vincula sunt, manus illius. Qui placet Deo effugiet illam.* An non & has spinas transfigentes agnovit S. Aug. ante conversionem suam illicitis voluptatibus deditus: *Effer bui miser sequens impetum fluxus mei relicto te, nec tamen evasi flagella tua. Tu enim semper ad eras misericorditer sæviens, & amarissimè aspergens omnes illicitas jucunditates meas.* Hæc ipse l. 2. Confessionum. Hæ sunt igitur spinæ, quibus Dominus sepit viam luxuriosæ animæ ut revertatur ad se. Unde dicit: *Sepiam viam tuam spinis, &c.* Sciat ergo unusquisque libidinosus, se non absimilem esse stolidis pueris, qui ut colligant fructus amaros, & vermè corrosos, spinisque acerbis circumseptos, manus cruentare non verentur. Utique luxuriosus per spinas acerbas manus immittit, ut fructum libidinis amarum & fœtidum colligat: & hoc insipientissimè: *Quem fructum habuistis in his in quibus nunc erubescitis,* inquit Apostolus: Denique voluptates carnales, sive gulæ, sive luxuriæ, perversis inclinationes generant in anima; quæ instar spinarum densarum suffocant germen boni desiderii, & radicem seminis cœlestis intricant ne se exserat. Immò & arcent splendorem caloremque Solis superne illuminantis, & fœcundantis: sucumque ac pinguedinem terræ exsugunt, quæ bono semini nutrimento esse deberet, omnem scilicet devotionem, & unctionem interiorem mentis arefaciunt. Ergo non mirum si nullus ex semine ibi fato fructus sequatur, quandoquidem illud requirat *cor bonum & optimum, ut fructum afferat in patientia, vel trigesimum, vel centesimum.* *Osea 2.* *Rom. 6.* *Matt. 13.*

Cordis bonis descriptio.

Cor bonum est, quod molle est, & apertum ad excipiendum semen Verbi Dei, & luaem gratiæ cœlestis, non solum lubenter audiens, sed & sedulò recogitans, & sibi applicans quæ proponuntur. *Cor optimum* est, quod cum pinguedine devotionis, & divinæ charitatis dispositione audit verbum, & mox adimplet illud. *Cor bonum* est, quo lad compunctionem est dispositum, ut deserat peccata priora. *Cor optimum* est, quod peccatis jam relictis audit Verbum Dei, adspirans ad perfectiora. *Cor bonum* est, quod profert fructum trigesimum initialis timoris, & sexagesimum efficacis contritionis. *Cor optimum* est, quod profert fructum centesimum perfecti amoris. Fructum autem illum profert in patientia: quia per frigus & tempestates, per æstum & calores, per varias adversitates & tribulationes fructus ille ad maturitatem perducitur; eo quod quia semen radicem firmam & inconcussam adversis in corde bono vel optimo fixerit.

De clamore Christi in hoc Evangelio.

PARS III.

COncludamus parabolæ hujus explicationem iisdem verbis quibus Christus coactusit ejusdem propositionem. Cum enim hanc parabolam turbis proposuisset clamabat: *Qui habet aures audiendi audiat.* Ubi non sine mysterio est ejus clamor, quandoquidem cum producat charitas & amor. Ille qui miserat olim Prophetas ad clamandũ, jam & ipse ad nos descendens vult clamare. Miserat Jeremiam & dixerat ei; *Clama in auribus Ierusalem sermones istos contra Aquilonem, & dices: Revertere aversatrix Israel.* Miserat Isaiam, & præceperat ei: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta voce tuã, &c.* Miserat tandem & Joannem, *Vocem clamantis.* Jam adest & ipse clamans, verbis & factis, vitâ & morte, ore & corde. Clamat surdis ut audiãt, clamat dormientibus ut evigilent, clamat trãseuntibus ut attendant, clamat ignorantibus ut intelligant, clamat errantibus ut redeant clamat peccatoribus ut pœniteant. Clamat prædicando, patiendo, orando, moriendo, suscitãdo. Quoties enim clamasse scriptura expressit, ardens desiderii ejus pro nostra salute designavit; Nam de eõ dictũ erat: *Non clamabit nec audietur vox ejus foris,* quia scilicet nõ erat clamaturus ex stultitia, ut quidam vani, nec ex petulantia, ut pueri, nec ex ira & indignatione, ut iracũdi & superbi, nec ex dolore & impatientia; ut quidam affecti: *Cor am tondente se non aperiet os suum:* *Ier. 2. & 3.* *Isa. 58.* *Isa 42.* *Isa 53.*

6 Tuis

erat tamen clamaturus ex charitate ardentissima, aliquid speciale, & auditu dignum tunc insinuaturus.

Ioan. 11. Luc. 8. 1. Sic clamat suscitans *Lazarum* & filiam *Iairi*, significans nobis quam difficile sit à morte peccati animas suscitare.

Ioan. 7. 2. Sic clamat Judæos corripiens. *Et me scitis, & unde sim scitis.* Ac postmodum addit. *Si quis sitit, veniat ad me.* Clamore isto duplici significabat fortiter corripiendos peccatores, fortique voce vocandos.

Ioan. 12. 3. Sic clamat iterum. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*, significans doctrinam fidei non leviter suscipiendam, cùm ad vitam æternam sit necessaria.

Heb. 5. Matt. 27. 4. Sic clamat in cruce cum lachrymis orans pro nobis, ut tradit Apostolus. Item cum à Patre derelictum se conqueritur. Item cum moriendo tradit spiritum. Et frequenti isto in cruce clamore summas angustias testari voluit, summam erga Patrem obedientiam, summam erga mortem & infernum potestatem, summam erga nos charitatem & amorem.

Sic denique in hoc Evangelio clamans describitur, quia audiendi verbi divini necessitatem contenta voce voluit indicare, & attentionem sibi conciliare. Clamabat igitur: *Qui habet aures audiendi, audiat*, Hoc quinquies in Evangelio à Christo repetitum legimus, *Matthæi* 11. & 13. *Marci* 4. & 7. *atque hic Luc.* 8. Nempè notatu aliquid dignũ, nec leviter audiendum pronunciat, cum his verbis utitur; nullibi tamen cum clamore eis usus est nisi hic. Sic in Apocal. 7. repetitur: *Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesiis*, post notabile quodlibet monitum quod ibi Christus voluit inculcatum, id repetitur.

Apoc. 2. & 3.

Sed quid est habere *aures audiendi*? Utique est non solum aures corporis habere apertas, sed & aures mentis & cordis, ut sic possit quis attente audire & obedire. Qui ibi aderant, habebant aures corporis, unde properabant ad eum audiendum: sed non omnes ibant cum ea quâ decebat dispositione, & ideo non habebant aures audiendi. Cordis aures quidam gerebant occlusas, ideoque ad illos clamat quasi surdastros. Aures habebant filii Loth cùm monerentur egredi è Sodomis; sed non habebant aures audiendi, ideo *Angelus visus est eis quasi ludens loqui.* Multi his non sunt absimiles, cum eis judicium Dei proponitur, aut pœnæ inferni, dum & manus porrigitur ut evadant salvi. Sic & aliqui sunt, qui videntes non vident, quia apertis oculis ad perditionem currunt: & audientes non audiunt, quia rectæ monitioni non obediunt.

Gen. 19.

Auris aperta & perforata olim erat signum perpetuæ servitutis & obedientiæ. Sic signum servi Dei est, & signum electionis; habere aures apertas ad Verbum Dei, sicut est signum servi Satanæ & Mundi illas habere ad illud clausas. Ideo fidelibus aures aperiuntur in baptismo, cùm Sacerdos digitis immissis, clamat: *Effeta, quod est, adaperire*; quia antiquus serpens conatus eas est obstruere Adæ & Evæ & filiis eorum, ne divinum mandatum audirent. Sed Dominus iterum vult eas aperiri omnibus Adæ filiis, dum filii Dei renascuntur; ut aures audiendi habeant, dum divinas inspirationes, mandata, consilia excipiunt. Multi habent aures ad audiendum fabulas, vanitates, detractiones, vitia & imperfectiones aliorum; clausas habent Verbo Dei interno, Verbo externo, Verbo æterno. Hi non censentur habere aures audiendi; quia *Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam, & sapiet qui sapiens est, aures suas spernit, ne audiat linguam nequam.* Eccl. 28.

Exod. 21.

Eccles. 3.

Tu, Domine, solus potes nobis dare aures ad audiendum: fac igitur ut non simus instar aspidis surdæ cauda & terra aures obturantis, ne audiat vocem incantantis sapienter; sed habeamus illas apertas ad audiendum cum concupiscentia sapientiam tuam, te digitos in eas immittente. Aperi nobis aures cordis, ut possimus dicere cum Propheta: *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: Aures perfecisti mihi, non solum ad audiendum, sed etiam ad obediendum.* Et ut corde bono & optimo suscipiamus semen, & non censeamur terra secus viam, aut saxosa, aut spinosa; sed semen tuum cœleste in nobis radicem figat perseverantiæ, tandemque fructum perfectum proferat supernæ gloriæ, & æternæ vitæ.

Cœcisio. Psal. 57.

Esa. 50. Psal. 38.

DOMINICA QUINQUAGESIMA. LECT. X.

Ecce ascendimus Ierosolymam, &c. Luc. 18.

CHristus Dominus, qui discipulos duodecim elegerat præ cæteris erudiendos, habuit varios cum illis sermones de omnibus quæ ipsum ac illos concernebant: & id quidem nonnunquam secreto, quia turbæ necdum erant satis aptæ ad percipienda quædam mysteria illis propalanda. Apostolos autem ut fideiPatres elegerat, & tanquam speciales amicos à secretis, quibus testamentum adhuc obsignatum committeret, quod post ipsius mortem reserarent, & orbi evulgarent. Unde dicit: *Iam non dicam vos servos, sed amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Quasi dicat: Quæcunque audivi ab eo ut legatus ad vos destinatus, & ut Præceptor vobis datus, jam vos edocui: jam vobis ut amicis communicavi cordis mei secreta omnia. Sed cùm de multis per triennium docens disseruerit, de nulla re frequentius sermonem fecit, quàm de sua, passione & morte. Triplicem autem hujus rei causam possumus assignare.

Cur frequenter de fine passione Christus locutus.

Ioan. 15.

1. *De sumitur ex parte Christi,*
2. *Ex parte discipulorum.*
3. *Ex parte nostra.*

Prima

Prima ergo ratio frequentis de passione sua sermonis fuit, quia magno desiderio illam desiderabat, & vehementer ad illam anhelabat: *Baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor donec perficiatur*, inquit Luc. 12. Baptismum vocat profusionem sanguinis sui, & dicit se præ desiderio illius coarctari & angi, optans quantocyus illam perfici. Quis est qui magnoperè aliquid cordi habet, & de eo lubenter non loquitur? Nunquid de abundantia cordis sermo procedit? An non ambitiosus de honore, luxuriosus de voluptate & impuritate, cupidus divitiarum de lucro & quæstu, gulosus de vino & mensa opipara frequentem miscet sermonem? Non potest exterius os eructare aliud, quàm id quo cor intus pascitur. Quid mirum igitur, si passionem suam Christus crebrò commemorat, qui ab initio eam cordi fixerat? Hæc est enim exaltatio, ad quam tota ejus contendit ambitio. Hæ sunt opes, hoc lucrum unicum, cui eius affectus potest inhærere. Hic est calix quem debet bibere; hic cibus eius & deliciæ. Quod si sponsus appropinquante nuptiarum tempore, de nuptiis suis lubenter loquitur ob ardentem amorem sponsæ: equidem hic est Sponsus; qui in thalamo crucis nuptias debet consummare cum Ecclesia Sponsa sua ardentissimè adamata; non ergo mirum si de cruce sua lubenter, frequenterque loquitur, urgente amore. Et certè inter brachia cordis eam gessit jam à nativitate, ex tunc io ea Patri offerens seipsum; eodemque tempore vita & mors in eo ortum suum habuere, quia ab instanti incarnationis subiit eum cogitatio & affectus mortis ac passionis. Quod si fidelium quidam toto penè vitæ suæ tempore affectuosissimè ruminarunt Filii Dei passionem: quantò magis ipse, qui ad hoc solum carnem mortalem assumpturus venerat, ut à primo momento pati incipiens, ad ultimum usque suspirium pati non desineret?

Itaque, ut ostenderet se non invitum mortem adire, sed perlubenti animo, frequenter de ea loquitur, maxinè appropinquante illus tempore. Unde dicit: *Ego pono animam meam, nemo tollit eam à me? sed ego pono eam à meipso.* Et iterū: *Pro eis ego sanctifico meipsum*; hoc est, Patri me in sacrificium offero in ara crucis ex propria voluntate mea, nec coactᵉ, aut invitus morior. Ideo Christus Dominus comparatur Soli & de ipso interpretatur S. Aug. illud, *Sol cognovit occasū suū.* Audi Aug. in illa verba: *Et hic quo Sol, nisi Sol ille justitiæ, quem sibi non ortum impij plangent. Ergo erravimus à via veritatis, & Sol non ortus est nobis? Quid est autem, Sol agnovit occasum suum: Christus agnovit passionem suam. Occasum Christi, passio Christi. Quid est agnovit? Approbavit, placuit ei. Si enim ei displiceret, quomodo pateretur? Nisi agnosceret occasum suum, nō occideret? quia dixit: Potestatem habeo ponendi animam.* Hæc S. augustin. Quomodo verò rectè Soli comparetur Christus in hoc occasu, sive in hac morte sive voluntaria, elegàter explicat Divus Zeno serm. de resurrectione, ubi sic ait: *Sol eādē die qua nascitur, emoritur, nec tamen instantis finis sorte terretur, ut suos retardet cursus, ut horas & momenta producat, ut saltem paulò diutius diei sui demoretur in vita; sed semper intrepidus ad sepulchrum noctis contendit, scīēs se in ipso habere quod vivat.* Quia scilicet è sepulchro noctis novà nativitate renascitur, novamque vitam quodammodo haurit mane renascens ideo non noctem timet aut occasum. Sic nimium Christus intrepidus ibat ad sepulchrum, sciens se ex ipso sepulchro mox oriturum nova magisque gloriosa vita. Quod ipsum hic discipulis prædicit, *Filius hominis tradetur, & occident eum, & tertia die resurget*: Quapropter S. Cyrillus Hier. notat differentiam inter Christum, & Ezechiam Regem, qui morti vicinus terretur, flet, vitam deprecatur. *Propter Ezechiam*, inquit, *Sol reversus est propter Christum Sol obscuratus est, non retrocedens, sed declinans; & propter hoc utriusque differentiam Ezechiæ, & Iesu demonstravit.* Nempè Ezechias mortis aspectū pavet, in cuius signum Sol retrocedit: at Christus non pavet, sed cum morte confligit, hoc cernens Sol obscuratur, & velut lugubrem noctis vestem induit ad tempus, in resurrectione eius solito clarior exsurrecturus.

Christum imitatus est eius discipulus Paulus, animo perlubenti & læto ad mortem properans. Nā & ipse instar Solis, ut totum penè lustravit orbem lumen fidei quocumque inferens, tandum agnovit occasum suum, & cursus consummationem. Unde frequenter & lubenter ea de re loquebatur; & sicut Christus in hoc Evangelio mortis suæ conscius pronunciat: *Ecce ascendimus Ierosolymam & filius hominis tradetur*, sic & ipse. *Ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sint mihi ignorans, nisi quod Spiritus S. per omnes civitates mihi protestatur dicens, quoniam vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodo consummem cursum meum.*

Cum verò audissent hoc fideles ab eo conversi, cum lachrymis deprecabantur, ne Ierosolymam peteret, ut sic vincula effugeret. Quibus ipse: *Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Sciebat quid Petro se à morte subeunda revocare conanti, eamque dissuadenti Christus responderat: *Vade post me satana, scandalum es mihi, quia non sapis quæ Dei sunt; sed quæ hominum.* Dixerat Christus Discipulis idem quod in Evangelio. *Quia oportet eum ire Ierosolymā & multa pati à Senioribus & Scribis, & Principibus Sacerdotum & occidi.* Petrus autem increpans eum, respondeat: *Absit à te Domine, non erit hoc tibi.* Christus verò Petrum familiariter se increpantem gravibus reprehendit verbis: *Vade post me satana*: hoc est, Adversarie abi hinc. Vel ut alii interpretantur; *Vade post me*, id est, sequere me. Quasi diceret? Potius debueres me sequi, & imitari passionem meam, quam ab ea me avertere, & mihi scandalo,

Luc. 12.

Joan. 10.
Joan. 17.

Psal. 103.

Catech. 5. 12.

Christū imitati sunt Apostoli & plures alij.

Act. 20.

Matt. 16.

dalo, sive impedimento esse. Etenim *non sapis quæ Dei sunt*, non intelligis Dei consilium, solum humana sapis: Quia judicant homines molesta esse fugienda, sic & tu judicas; ideo te satanam voco, quia Dei consilio de redemptione hominum, licet inscius, adversaris. Sic & Apostolus Paulus, Jesu Christi Imitator eximius dicit; affligi cor suum ab illis qui flebant, & impedire conabantur eius in Jerosolymam profectionem, quia adversari videbantur Dei consilio, & Spiritus sancti inspirationi ad vincula & tribulationes eum ducenti. Postmodum autem specialius à Spiritu sancto edoctus de morte imminente sibi per martyrium, non potest lætum istud nuntium continere in animi sui intimis, sed ad Timotheum scribens, lætabundus illi indicat idipsum his verbis, *Ego jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi.* Ecce sol cognoscens occasum suum, & in illo exultãs è sepulchri occiduis tenebris breviciens se emersurum; & æternum horizontem perennante luce se illustraturum.

2. Tim. 4

Christum Dominum & Paulum eius discipulũ eximium imitati sunt & alii sancti, ad mortem properantes cum gaudio, quasi ad festivum epulum invitati. Notum est de *S Ignatio* Martyre ad Magnesianos scribente de instante sibi martyrio; & quomodo obviis ulnis animoque lætissimo Leonibus quibus ad escam erat paratus, occurrere desiderabat, eosque urgere ut devoraretur & eorum dentibus tanquam Christi frumentum commolaretur. O quanta cum amoris flamma hac de re loquebatur, sicut & Christus Dominus de instante jam morte sua!.

Secunda causa, quia Apostolos præmonere volebat.

SEcunda ratio frequentis sermonis de passione fuit ex parte discipulorum. Hi enim à Christo crebro instruendi erant de hoc mysterio, quod omnium primarium erat; & paulatim disponi debebant ad ejus captum. ipsius mentione frequenter facta. Simul etiam prævidebat Dominus eorum animos ex passione sua conturbandos; ideo præmuniebat & præmonebat eos sæpè repetito sermone de eadem passione, ac subsequẽte post triduum resurrectione, ut tunc animo non concíderent, nec nimiùm percellerentur, memores sermonis quem dixit eis prædicens toties & passionis suæ pœnam & resurrectionis gloriam. Nam & mala prævisa minus feriunt, & certa expectatione surrectionis temperare poterat tristitiam passionis. Hanc causam affert S. Hieronymus in his verbis: *Iturus Terosolymam, & duciurus Apostolos, ad tentationem eos parat, ne cum venerit persecutio & crucis ignominia, scandalizentur.* Unde post quam Petrus divinitatem ejus in medio discipulorum confessus fuisset:

Matt. 16. *Tues Christus Filius Dei vivi; Exinde cœpit Iesus ostendere Discipulis suis*, inquit Matthæus, *quia oportet eum ire Terosolymam, & multa pati à senioribus, & occidi & tertia die resurgere.* Quare exinde cœpit eis id ostendere? Ut scilicet non vacillarent de confessæ divinitatis fide, cum viderent tam acerba & ignominiosa eum pati in humanitate. Item, ut eum morientem cernerent, resurrecturum non dubitarent, quandoquidem utrumque frequenter prædixisset.

Cum *Samuel* unxisset *Saul* in Regem, vix credebat Saul sermoni Samuelis sibi inopinato & inexpectato, ut ergo fidem de regno in ejus corde confirmaret, prædicit quæ mox eventura ei erant in via. *Cum abieris*, inquit *hodie à me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel, & dicent: Inventæ sunt asinæ ad quas ieras perquirendas.* Addit ulterius. *Cũ abieris inde, & veneris ad quercum Thabor, invenient te tres viri ascendentes ad Deum in Bethel: unus portans tres hædos, alius tres tortas panu, & alius portans lagenam vini; & dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.* Addit Postremò. *Post hæc venies in collem Dei, & cum ingressus fueris ibi urbem, obviam habebis gregem prophetarum. Et insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alterum.* Ecce quot circumstantias ei prædicit, quas ubi adimpleri vidit Saul de regno suo non potuit ambigere. Non absimiliter Christus fidem passionis & resurrectionis in cordibus discipulorum volens confirmare, non solum in genere sermonem hac de re eis repetit, sed & singulas circumstantias prædicit 1. Tradetur Gentibus. 2. Illudetur. 3. Flagellabitur. 4. Conspuetur. 5. Occident eum. Denique, tertia die resurget; ubi ergo hæc priora sigillatim adimpleri viderint in Christi Passione, quomodo diffidere possunt de ejus regno, aut resurrectione.

Samuel figura Christi.

1. Reg. 16.

Verumtamen subdit Evangelista: *Et ipsi horum nihil intellexerunt, & erat Verbum istud absconditũ ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* Jam tertio apertissimis verbis fuerat de Passione sua & resurrectione locutus, post Petri confessionem, ut supra dixi. Item: *Conversantibus illis in Galilæa dixit Iesus, Filius hominis tradendus est in manus hominũ, & occident eum, & tertia die resurget.* Et ideo forsan hic ter repetit Evangelista non fuisse hæc ab Apostolis intellecta 1. Et ipsi horum nihil intellexerunt. 2. Et erat verbum istud ab eis absconditum. 5. Et non intelligebant quæ dicebantur. Hæc etiam repetitione magna eorum tarditas ad percipienda & credenda hæc mysteria indicatur. Et certe mirũ videtur, quod hæc adeo perspicuis verbis expressa non intelligant, quæ etiam obscuris verbis ab eo insinuata Judæis, mox fuere intellecta. Dum enim dicit. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum* mox ipsi de cruce & morte ejus intelligũt. Unde respondent: *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis; Oportet exaltari Filiũ hominis?* Unde igitur fit, quod toties disserto sermone repetitum mysterium Passionis non percipiunt, & Judæi ad unum verbum satis obscurum illud intelligunt? Excusales videntur dum parabolicè vel tropicè de ea re loquitur, si non perceperant; sicut quando dicit: *Solvite templum.*

Matt. 16.

Matt. 17.

Luc. 18.

Joan. 12.

Ioan. 2. *plum hoc, & in triduo readificabo illud*, intelligens de templo corporis sui: aut quando dicit; *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur*, aut iterum dicens; *Potestis bibere calicem, quem* Matt. 20 *ego bibiturus sum*: aut denique cum Jonæ signū & figurā proponit, qui tribus diebus & noctibus fuit in corde terræ, vel serpentis exaltati in deserto. At hic nulla apparet excusatio. Quid enim clarius exprimi potest: *Filius hominu tradetur flagellabitur, conspuetur, occidetur, & tertia die resurget.* An non intelligitis, ô discipuli tardi corde ad credendum, quid sit Filius hominis? An non intelligitis, quid sit tradi, quid illudi, quid flagellari, quid conspui, quid occidi, quid resurgere? Singula hæc quidem per se discipuli satis intelligere poterant: verum omnia eis simul parabolicè dicta videntur, quia non satis assequuntur, quomodo is qui vere filius Dei erat & vere Deus, & qui tanta opera exhibebat, crucifigeretur & ignominiosè moreretur. Unde dum mortuum vident, quasi de homine puro & infirmo vacillant, non satis firmè apprehendentes, quod qui mortuus esset ex infirmitate, resurgere posset ex virtute. Ergo ipsi quidem speculative (si ita loqui licet) intelligebant à Christo hic sibi dicta: sed practicè hærent & vacillant, nec satis ea intelligunt, dū Similc. quæ infirmitatis sunt, cum potestate divinitatis cōjungunt. Similes sunt pueris legere discentibus, qui characteres singulos agnoscunt, sed dum conjungendi sunt, hærent, Exempli gratia. Noverunt quid sit D, quid E, quid V, quid S, & tamen nesciunt indè constitui vocem, DEus, ideoque hærent, dum hos characteres recolligere debent. Sic discipuli hærebant, nescientes conjungere sublimia divinitatis in Christo opera cum humilitate mortis, nec satis percipientes quomodo is qui à peccato immunis erat, dimitteretur à Deo ad tam immania tormenta. Adde quod licet verba Christi in cortice intelligerēt, mysterium tamen passionis non percipiebant secūdum medullam: hoc est ejus causam, finē, fructum non intelligebant. Ideo dicuntur nihil horū intellexisse, & verbum istud absconditum fuisse ab eis. Nam & verbum istud eis quodammodò abscondebat & obvelabat amor erga Christum Dominum & Magistrum suum, cujus cū vitam maximè desiderarent & illi tenerrimo affectu inhærerent, cumque Beda in c. 18. Lu. eum ut Messiam cum gloria regnaturū sperarent, vix poterant ejus sibi mortem persuadere, aut ad illam seriò cogitationem suam vertere. Si quid ipse de morte sua & passione loqueretur, contristabantur quidem, sed mox amore dictante, non ut sonabat id intelligendum putabant: sed ad aliud quid allegoricè referendum esse credebant, inquit *Beda*.

Certè affectus nostri, præsertim amoris vel odii, non infrequenter nos obnubilant, & veritatem nobis abscondunt, ita ut eam vel nō percipiamus, vel credere non velimus. Quam frequenter negotiatoribus dicitur (vel à suis Pastoribus, vel à suis Confessariis) consulendum esse saluti, contractus ab eis initos periculosos esse, sapere usuram ob nimium lucrum, vel nimium interesse prætensum, vel ob pretium excessivum ratione crediti, & similia quæ eorum conscientiam concernunt, & ad salutis securitatem spectant. At quia amore lucri & nummi impediuntur veritatem agnoscere, aut agnitam sequi, de illis verum esse agnoscitur, quod hic de discipulis dicitur: *Ipsi nihil horum intellexerunt, estque verbum istud absconditum ab eis.*

Similiter luxuriæ deditis quam frequenter inculcatur, discindenda esse vincula, fugiendas occasiones & pericula, consortia prava eliminanda, aliter confessiones esse nullas, & agi de discrimine æternitatis pro momēto voluptatis. Interim quia intellectum & cor obscuratum habent caliginoso affectu libidinis: *Ipsi nihil horum intellexerunt, & verbum istud absconditum est ab eis.*

Sic etiam his qui odium, vel vindictam animo gerunt sub prætextu magnanimitatis, vel tuendi honoris, sæpè veritatis verbum insinuatur, Deo vindictam reservandam esse, vel Judici proprio arbitrio infligi non posse, pro puncto honoris mundani, æterni apud Deum honoris jacturam fieri, parcendum esse inimicis, & remittendam esse offensam, sicut & eam nobis à Deo remitti volumus, juxta Domini institutionem & mandatum. At quia affectum gerunt caligine odii obnubilatum; *ipsi nihil horum intellexerunt, & verbum istud absconditum est ab eis.*

Si gulosis & ventri deditis gulæ mala repræsentantur, tam temporalia, quàm æterna, & quomodo timendum sit ne de istis verum sit; *Duxunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*; ideoque fugiendas popinas, societates pravas, & ebrietatis occasiones omnes, nisi tandem confusionem æternam velint incurrere. At quia amore calicis & ventris obtenebrati sunt, & velut hebetes effecti; *Ipsi nihil horum intellexerunt, & verbum istud absconditum est ab eis.*

Denique, quibuslibet in statu peccati mortalis agentibus & in malo inveteratis proponitur gravitas peccati, periculum quod eis imminet, incertitudo mortis, severitas judicii, pœna inferni. At sæpè etiam de illis verum est: *Ipsi nihil horum intellexerunt, & verbum istud absconditum est ab eis.* Speculativè loquendo hæc quadantenus intelligunt & credunt practicè quasi non intelligentes, aut credētes se exhibent. Et de illis iterum est illud Psal. 35. *Noluit intelligere, ut benè ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.* Quid ergo dicemus de similitudinibus? Audientes non audiunt, videntes non vident, intelligentes non intelligunt, apertisque oculis ad ignem vadunt: & quia Verbum Dei & verbum salutis ab eis fuit absconditum, Æternum Verbum ab eis postmodum faciem abscondet in æternum.

Porrò non existimamus gravi culpæ adscribendum, quod Apostoli hoc mysterium passionis sæpè repetitum non intellexerint: quia necdum Spiritus sapientiæ & intellectus in eos descenderat,

sed tempus adhuc ignorantiæ perdurab at tempus caliginis & velaminis super cor, quod discisso velo templi postea fiuiri debebat. Quadam permissione & dispositione divinæ providentiæ adhuc oculi eorum tenebantur nec perfectè mysteria agnoscebant, quia *ille qui dixit de tenebris lumen splendescere, necdum illuxerat in cordibus eorum ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Iesu Christi*, ut loquitur Apost. Nec tamen sermo & prædictio Christi de sua Passione & Resurrectione inutilis eis fuit, quia postmodum illo resurgente maximè profuit. Dum enim vident omnia adimpleta quæ prædixerat, fides in cordibus eorum firmior erat: illaque firmius in audientium corde radicari poterat, ipsis hæc quæ audierant & perspexerant annunciantibus.

Christus passionis memoriã nobis commendare voluit.

TErtia ratio frequentis de Passione sermonis, fuit ex parte nostra. Sic enim voluit non solùm discipulis tunc præsentibus, sed & omnibus Fidelibus in finem sæculi futuris frequentem Passionis suæ memoriam commendare; ita ut quod discipulis dixit, etiam nobis dictum censere debeamus. *Luc. 9.* *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos, Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum.* Neque de nobis jam dici potest, quod de discipulis ibi subjungitur: *At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos ut non sentirent illud, & timebant eum interrogare de hoc verbo*: jam enim velum discissum est, & ante oculos nostros Jesus Christus crucifixus ubique proponitur, in templis & aris, in calicibus & libris, in cubiculis & tectis in Publicis & privatis locis; cum etiam ponamus in cordibus, & sentiamus in intimis viscoribus. Unde his qui exerrantes mentibus flagitiosam vitam, & viam ineunt, possumus dicere illud: *Quis vos fascinavit non obedire veritati, atque quorum oculis Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus?* Hoc est, Quomodo à veritate fidei vel morum, nisi fascinante vos satana recedere potestis, qui quotidie ante oculos vestros Christum crucifixum conspicitis, cujus vibices, plagæ leviores, nihil aliud clamant, quam peccatum omne detestandum, illumque unicè amandum qui dilexit vos, & semetipsum tradidit pro vobis, ut pretio sanguinis sui ab omni vos iniquitate erueret? Quapropter dũ Jesu Christi Crucifixi passio vel in imagine & typo, vel sermone & verbo nobis repræsentatur, illud Sapientis in memoriam revocari debet: *Gratiam fideiussoris tui ne obliviscaris, ipse enim animam posuit pro te.* Et illud Apostoli: *Recogitate eum qui talem sustinuit in peccatoribus contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim ad sanguinem usque restitistis, adversus peccatum repugnantes.* Certè ubi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum. *Est enim tãta vis cruci Christi, ut si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla possit superare invidia, sed continuò ad illius præsentiam totus ille peccati & carnis fugatur exercitus.* Est illa omnis peccati frænum, omnisque virtutis incitamentum.

Christi passio peccati fræ num virtutis incitamentum.

Gal. 3.

Eccl. 39.

Heb. 12.

Orig. in c. 6. ad Rom.

Propter hanc causam provida mater Ecclesia filiis suis hodie Evangelium istud passionis Christi memoriam renovans proponit, ut illos à peccatis & peccati occasionibus revocet, quæ jam multiplices occurunt. Solet enim mundus his diebus helluari, & sic se præposterè, & insipienter ad quadragesimam disponere: *Non est enim per temulentiam aditus ad jejunium, nec ad sobrietatem per lasciviã, nec per malitiam ad virtutem.* Non sũt Plutoni, aut Veneri, aut Baccho sacra facienda, ut postmodum melius fiant Christo. Honesta recreatio & hilaritas secundum faciem sanctorum non prohibetur, illa scilicet quæ decet Christianos à Deo sanctificatos: *Ecce populus jucundus secundum faciem sanctorum.* At debacchationes & dissolutiones, ebrietates & salaces comessationes Christo sunt contumeliosæ, & eius Spõsæ Ecclesiæ probrosæ. Propterea quoad potest, ab his filios illa suos dehortatur, proposita Sponsi sui passione.

Basil. hom. 3. de jejun.

Iudit. 16.

Plutarc. & alij.

Non ab simili is est illi Matrifamilias, de qua apud antiquos historicos. Homicidæ quidam Maritum eius multis confixerant vulneribus, tandemq; nece crudeli affecerant. Non ita diu post contigit filios iniuriæ & neeis paternæ oblitos amicam societatem inire cum istis homicidis. Non potuit illa æquo id animo tolerare, quæ nec dum acerbum funus viri & horũ flagitiosissimum facinus oblivioni tradiderat. Quid igitur faceret? quo efficaci medio animos filiorum ab hac probrosa societate avelleret? Cum mariti exuvias funestas penes se reservasset, filios se orsum in conclave advocat, indusium multis ictibus transfossum, & sanguine pridem ab homicidis illis tinctum, in medium profert, & fortiti animo ac voce sic eos alloquitur: *Agnoscitene, ô chari filij, Parentis vestri vestem hanc lineam eius cruore conspersam? Clamat cruor ille contra impios qui eum effuderũt. Clamat & contra vos qui fœdus cum illo pangitis fœdus vobis fœdum, parenti contumeliosum. Discindite igitur omnem cum eis initam societatem, nisi velitis paterno sanguini ingrati esse, & viscera materna transfodere novo quodam vulnere.* Hæc dixit, & animos eorum à parricidis illis, & ab omni eorum consortio, penitus divulsit. Simili modo Ecclesia, pia mater, repræsentat hoc tempore fanguinolentam Christi Sponsi vestem omnibus filiis suis, ut animet eos ad fugiendum omne consortium, omneque fœdus cum his qui eũ nece cruenta affecerunt. Utique peccata eum crucifixerunt, totque vulneribus cõfecerunt; ergo penitus à nobis detestanda sunt & fugienda, nisi & Matri monenti & sanguini Patris clamanti ingrati esse volumus, & impietatis conscii.

Interim, non obstantibus tot monitis, de multis *Bacchanalia cele-* qui se filios gloriantur Crucifixi, verum est modò illud: *Multi ambulant quos sæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi quorum Christus Deus*

Deus venter est, & gloria in confusione His Crucifixi sanguinolenta vestis est in signum, sed in signum cui ab ipsis contradicitur: quia luxuriis, ebrietatibus, debacchationibus, & aliis peccatis suis rursum sibi crucifigunt Filium Dei & ostentui habet, sanguinemque testamenti pollutum ducunt & conculcant. Hodie enim Filius Dei dicit se ascendere Jero solymã, ut inchoet mysteria crucis & passionis suæ; ipsi verò obliti omnium beneficiorum, ejus se adjungunt crucifixoribus, eique illudunt, dum sine fræno in peccata præcipites eunt. Quum ascenderet *David* montem *Olivveti* fugiens à facie Absalonis flens operto capite, & nudis pedibus incedẽs, pauci eum secuti sunt: sed, ut nuntius retulit Davidi: *Toto corde universus Israel sequebatur Absalon.* Sic & modò Christum ascendentem Jerosolymam pauci cum compassione comitantur, sed potius Mundum, Carnem, Satanam, Christi juratos hostes, toto corde sequuntur, illisque obsequuntur. Ac sicut tũc ascendentem Davidem persecutus est Semei, maledicens, & lapides in eum mittens: Sic plerique his diebus ebrietatis furore impellente rixãtur, jurant, blasphemant, maledicũt; & ita Christum Dominum velut quibusdam lapidibus impetunt, ejusque dolores & vulnera renovant. Sed non sine manifesta Dei vindicta hæc quandoque hoc tempore contingunt. Scimus enim in variis orbis partibus, his Bacchanalibus mistos ebrietate & vino sepultos, mox etiam sepulchrum in inferno inveniisse. Quidam namque post temulentiam in rixa interfecti fuere: alii vomentes cibum & potum, etjam sanguinem evomuerunt & vitam: alii somnũ cum morte in ebrietate conjunxerunt, catarrho eos obruente & interimente.

denuò crucifigunt. Phil. 3.

2. Reg. 16.

Refert Michael Ysseli, & alij.

Audi quid anno 1595 in oppido Baccharach (quod sic à Bacchi ara nominatum autumant) contigerit nostra ætate. Quidam ebriosus hac Dominica Quinquagesimæ abiit in cauponam, adcomparationes, & aleas & impietates alias more suo exercendas. Uxor partui vicina secuta est eum, ut moneret & domum reduceret. Ille monentem non solum contemnit, sed & percutit, hisq; verbis abigit: *Abi cũ vivo tuo dæmone quem utero geris, alioquin te transfodiam.* Illa verò respondit: *Itane ego vivum gero dæmonem?* Non plura locuta, domum est reversa, doloresq; partus statim sensit, & monstrum terribile, anteriore & superiore parte serpenti simile, caudam habens tribus ulnis longam, peperit. Ille cum jam potando & ludendo libidinem explesset, revertitur. Ingressus ubi fuit locum in quo partus jacebat, monstrum in eum involat, & candæ suæ implicatum ita venenosis ictibus transfigit, ut illicò infelicem animam exhalarit. Marito mortuo, puerpera quoque mortua est, sed & monstrum vivere desiit. Sic ille Deo & Christo injurius, factus est Baccho & Plutoni victima, in infernum descendens.

Ex his igitur omnibus satis patet, quàm justam habeat occasionem Ecclesia mater sancta proponendi omnibus Spẽsi sui vincula, flagella, crucem, clavos, sputa, vulnera ut his qui modò tamquam equi & muli ventri & libidini sunt dediti, serviant tamquam fræno & chamus ad maxillas eorum constringendas, eosque à præcipitio revocandos. Etenim hæc bene considerata vim habent efficacem ad coercendum animum à peccato, dantq; intellectum ad Deo approximandum. Sic B. Helena pia Mater Constantini Imp. unum ex Christi clavis apponi voluit fræno equi imperialis, prout prophetatum quidam putant his verbis: *In illa die erit quod supra frænum equi est, sanctum Domino.* Rationem verò reddit S. Ambr. *Quare sanctum super frænum; nisi ut Imperatorum insolentiam refrenaret, qui quasi equi in libidines adhinnirent, quod liceret illa adulteria impunè committere? Quid ergo aliud egit Helenæ operatio ut fræna dirigeret, nisi ut imperatoribus sancto dicere spiritu videretur: Nolite fieri sicut equus & mulus? In chamo & fræno maxillas eorum comprimi optavit: Prona enim potestas in vitium ferebatur, & more pecudum, vagâ se libidine polluebant; restrinxit eos Crux Domini. & revocavit à lapsu impietatis.*

Zach. 14.

Ambr. de obitu Theodosii in fine.

Felices itaque dicimus, quos modò proposita passio Christi à dissolutionibus Christiano nomine indignis tanquam fræno coercet. Benedicti à Deo sunt illi, qui Tobiæ pietatem imitantur. Hic templũ Domini magna adibat pietate, & in solitudinem cordis se recipiebat zelosa oratione, cum omnes irent ad vitulos aureos adorãdos. Sic Christianus verus deberet facere, dum plerique non sine divina injuria sequuntur ludos, dissolutiones, insanias fassas. Jam pii meritò possunt usurpare illud: *Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum, & derelinquam populum meum. & recedam ab eis? Quia omnes adulteri sunt cœtus prævaricatorum.* Quasi dicas: Quis dabit me posse reperire in solitudine locum ad divertendum ab hominibus, & conversandum cum Deo solo & Angelis, ut fugiam cœtus prævaricatorum, & eorum qui per peccatũ fidem Deo frangunt? Hi ab animarum sponso quasi adulterantes reputantur, dum satanæ locum suo dant in corde sacro sponsi cubili. Magnum meritũ apud Deum habent modo nonnulli, qui exercitia subeunt pietatis in cella & solitudine, dum mundi sine sollicitudine currit ad voluptates & insanias, laxis penitus habenis. Atque hi in cordis secreto sua & aliena peccata deplorantes, comitantur Dominum ascendentem Jerosolymam, ut tradatur, conspuatur, flagellatur, crucifigatur. Sicut verò socii sunt doloris ejus & passionis, ita absque dubio consortes postmodum erunt gaudii & consolationis.

Tob. 1.

Ierem. 9.

In Bacchanalibus pietati vacantes mirè à Deo remunerantur.

Audi quod refertur de *S. Catharina* Senensi à *Raymundo* ejus Confessario. Hæc ut sponso cælesti posset inviolabili fidelitate esse subjecta, valde adspirabat ad perfectum fidei gradum, & frequenter orabat: *Domine, adauge mihi fidem. eamque in me ita perfice, ut nulla vi unquam possit deficere.* Sæpè

spondebat ei Dominus: *Desponsabo te mihi in fide.* Tandem in Bacchanalibus, ventris festa aliis celebrantibus, inclusit se in cellula, nō respiciens ad vanitates & insanias falsas, sed ardentissimè petens hanc fidei perfectionem. Apparuit igitur ei tunc Christus cum Matre, & mirabili modo eā desponsit. Exinde verò secuta est mira ejus cum Christo unio, ita ut licet familiæ & ægris serviret, nihil ab æterni sponsi amplexibus recederet, sed summa ei promptitudo inierat mentem suam quovis tempore conjungendi eum Christo, nullo actu externo eam impediente. Causam autem desponsationis illius, hanc Christus tunc subjunxit. *Quia sprevisti vanitates mundi, amplexans crucem & pœnitentiā, quærens summum & æternum bonum his diebus quibus mundani vacant gulæ & luxuriæ, ideo ego te desponsabo.* Ritus autem fuit iste. Accipiens Maria dexteram Catharinæ, digitumque annularem, petebat à Filio hanc desponsationem. Matri annuens Christus, annulum sponsalitium digito ejus imposuit, dicens: *Ego Creator & Salvator tuus te mihi desponso in fide, quæ perdurabit ex hac hora immutabili, donec nuptiæ æternæ, & me facie ad faciem perfruaris. Superest ut viriliter decertes, & in robore fidei, quam tuo infixi cordi, superes omnes illecebras & angustias mundi, omnes stimulos carnis, & insidias inimici.* Hæc Raymundus ejus Confessarius. Adhuc hodie Romæ servatur hic annulus, in Magnanapoli, in Monasterio Virginum Dominicanorum. *Apud Sur. 29. April.*

Similiter S. *Gertrudis* Ordin S. Benedicti, in nocte Dominicæ hujus in Quinquagesima apparuit D. Jesus sedens in throno gloriæ, sedebatque S. Joannes Evangelista secus pedes ejus scribens. Interrogat illa, quid scriberet? Respondit Dominus. Ego singula obsequia congregationis hujus heri impensa, & per duos sequentes dies impendenda, curo annotari, ut cum ego, *cui Pater omne judicium dedit*, unicuique post mortem fideliter reddidero *mercedem bonam* pro laboribus operum bonorum, & superadd idero *mensuram confertam* ex fructu mortis & passionis meæ, ducam eos cum hac charta ad Patrem, ut ex omnipotentia paternæ benignitatis superaddat eis *mensuram coagitatam & superefluentem* pro beneficiis mihi exhibitis in hac persecutione, qua à mundanis infestor. Si enim Rex David, qui omni tempore non prætermisit benefacientibus sibi correspondere, die mortis appropinquante, cum regnum deposuisset in manu Salomonis, dixit ei: *Filius Berzellai Galaaditæ faciet gratiam, eruntque comedentes in mensa tua, quia occurrerunt mihi cum fugerem à facie Absalonis:* Quantò magis ego omnium fidelissimus non obliviscar compensæ his qui mihi fideles fuerint in adversitate hac abundanter reddendæ? Nempè sicut à quolibet magis acceptatur beneficium exhibitum in adversis, quam in prosperis: sic magis accepto fidelitatem quæ mihi modò exhibetur, dum mundus plus peccando me infestat. Hæc Christus Gertrudi; ut refert ipse l. 4. Insinuationum, c. 6. 3. Reg. 2.

EADEM DOMINICA.

Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Luc. 18.

LECTIO tripart.

NObilissimæ partis in corpore nostro oculus rationem sortitur, Propterea S. Chrysost. dicit, quod *Oculus Sol sit corporis*, quia scilicet hoc præstat Oculus corpori, quod sol mundo. Sic & S. Ambrosius. Solem vocat *Oculum cœli & mundi*, Immò & oculum corpore Rectoris vices obeunt, & velut gemini Reges in alta locati Regia cætera membra regunt. Ideo enim in celsiori corporis parte sedem sortiuntur, ut omnia velut excelsa specula explorent, pervigiles pro regimine & salute corporis. Eamdem ob causam ipse Deus oculo comparatur; nam Ægyptii ut Deum omnia videntem omnibusque providentem repræsentarent, Sceptrum pingebant, cui Oculus insculptus erat. Itaque cum adeo nobile sit oculorum munus, in quibus sensus pretiosissimus homini viget, quam calamitosum est his per cæcitatem privari? Cum Angelus in specie juvenis splendidi ingressus fuisset Tobiæ senioris domum Ducem se itineris filio daturus; salutavit eum, & dixit: *Gaudium tibi sit semper.* Cui Tobias: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Attamen multis Sanctorum hanc cæcitatis plagam evenire voluit Deus; ut in illis per id glorificaretur amplius, & eorum saluti hac via consuleret certius. Habes sacris in litteris exempla nonnulla. Nam Tobias ideo cæcitatis plagam cælitus accepit, ut in exemplum patientiæ futuris sæculis proponeretur, & à Deo probaretur: *Quia acceptus eras Deo; necesse fuit ut tentatio probaret te*, dicit ei Angelus Raphael & de eodem dicitur. *Cum ab infantia sem- per timuerit Deum, non est contristatus contra eum, quod plaga cæcitatis evenerit, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* Sic *Isaac, Jacob, Heli*, in senectute oculorū lumine orbati fuere. Similiter etiam quibusdam decrepitis contingit, ut jam temporalium rerum curam deponant, & internos oculos sepulchro figant, & cœlo. Si sanctorum revolvere voluerimus historias; multos ex illis utriusque sexus in cæcitate Deum glorificasse reperiemus. Recenseamus aliquot illustria horum exempla. Tob. 12. Tob. 2.

PARS II. *Quomodo per cæcitatem glorificetur Deus in sanctis.*

S. *Remigius* Rhemensis Archiepiscopus oculorum corporalium lumine aliquamdiu privatus est, *quo superna ad qua toto anhelabat desiderio, mentis oculo contemplari valeret attentius*, inquit Flodoardus, Rhemensis historiæ l. 1. c. 17. De quo & illud notabile est Monachus quidā solitarius, Montanus nomine, matri Remigii sanctæ hujus prolis conceptum & partum prædicebat, ea de re cælicus edoctus ægrè fidem ejus verbis illa cōmodare poterat, quia senex erat, & sterilis hactenus in conjugio fuerat. Tum Montanus, qui utroque lumine orbatus erat, dixit ei: *Ut vera me nunciare scias, tu ablactato infante*

fante oculos meos tuo lacte perunges, & ego ejusdem infantiæ meritu, priſtinam videndi facultatem recipiam Quæ quidem omnia contingerunt, Teſtis eſt Hincmarus in vita S. Remigii apud Surium.

S. Andomarus Tervanenſis Epiſcop. in ſenectute viſum perdidit; cumque in Translatione corporis *S. Vedaſti* illum recepiſſet (intercedentibus Epiſcopis qui ibi aderant apud Deum pro ipſo) nihilominus iterum pro cæcitate Deum rogavit ſibi ſalutarem magis eam exiſtimans quam viſum, quia lumen externum diſtrahit mentem, cæcitas colligit internum lumen. Eam igitur rurſus à Deo impetravit.

S. Pigmenius, Presbyter & Mart. Rom. *Iulianum* Apoſtatam graviter arguit, quod Chriſto vero Deo contra Baptiſmi ſui Sacramentum renuncians, idolis victimas immolaret, & ad id Chriſtianos adigeret. Irridebat eũ Julianus quod oculorum lumine privatus foret, eique contumelioſè dicebat: *Quid tibi & mihi cum Galilæo tuo? Ecce cæcus es. & Galilæus tuus Ieſus te ſanare non poteſt.* Cui ille: *Eo quidem nomine gratias ago Deo meo, qui me orbavit luminibus, ne vultum tuum ad omnẽ impietatem proiectum unquam reſpiciam.* Tandem juſſu Juliani propter cõſtantem fidei profeſſionem, in Tiberim præcipitatus eſt, & enecatus Romæ an. 361. nono Kalendas April. Idem reſponſum accepiſſe Julianũ à quodam Epiſcopo Caleedonenſi cui nomen Maris, refert Socrates, l. 3. hiſt. c. 10. Erat enim & ipſe oculis captus, & nihilominus cum Julianus Conſtãtinopoli Fortunæ ſacra faceret, eo voluit deduci, ut impium Imperatorem increparet.

Leguntur & multi alii, vel Epiſcopi, vel Sacerdotes ſancti, cæcitatis plaga affecti. *S. Guërricus* Epiſcopus Metenſis, de quo apud Surium 19. Sept. *S. Aquilinus*, de quo apud eũdem 19. Oct. fuitque hic Ebroicenſis Epiſc. *S. Anfridus* Epiſcopus Ultrajectenſis. *S. Silubaldus* Epiſcopus Eiſtenſis. Item Venerabilis *Beda*, de quo Baronius. Itẽ *Didymus* Præceptor S. Hieronymi qui quotidie rogare ſolitus erat Dominum, non ut viſum reciperet, ſed ut lumẽ interius Deus augeret. Denique præcidenti ſæculo celebris fuit *Robertus* Wacopius, Scotus, Pariſiis Doctor Theologus, poſtea Hiberniæ Primas, qui legationes multas juſſu ſummi Pontificis obiit, & conceſſum Tridentinorum Patrum, cæcus licet illuſtravit; à nativitate autem talis erat.

Addo ex ſanctis fœminis nonnullas illuſtriores, quarum aliquas voluit Deus cæcitate affligi in exemplum virtutis & patiẽtiæ, aut ne per oculos cõcupiſcentiæ virus in eas acceſſum haberet, quaſi perfeneſtras, ſicut apud Prophetam dicitur: *Mors aſcendit per feneſtras noſtras.* Et iterum: *Oculus meus deprædatus eſt animam.*

S. Lucia Virgo (de qua in Chronicis Prædicatorum) dicitur ob eam cauſa utrumque oculum ſibi expunxiſſe, quod ob pulchritudinem oculorum nobilis quidam adoleſcẽs eam adamaret, & ad fœda & libidinoſa ſollicitaret. Expunctos ergo Spiritus Sancti inſtinctu oculos miſit amatori in diſco, ut ultra ei non forent libidinis illices; ſicque eum ad pœnitentiam convertit, & divina gratia poſtea oculos iterum, & viſum recepit.

S. Daria, Virgo à S. Brigida Virgine, Hyberniæ Patrona, viſum recuperaſſe ſcribitur; ſimul adjicitur per eamdem iterum fuiſſe cæcitate affectam, ipſamet id ipſum precante, *ut quanto mundo abſentior foret, tanto Deo præſentior eſſet?* Ita habet ejus vita.

S. Euſebia Matrona Romana in Galliam per Angelum eſt deſtinata, ut S. Quintini corpus, quod per annos 55. in alveo fluminis occultatum fuerat, inquireret. Factumque eſt, ut poſt multas preces corpus mirabili modo è fluctibus ſeſe attolleret, caputque ſimiliter ex altero loco. Sic hujus ſacri pignoris attactu lumen oculorum recepit, quæ cæca erat; quod etiam Angelus ei prædixerat.

S. Oda Virgo filia Regis Scotiæ, cum cæcitate eſſet correpta, fama ſignorum & prodigiorum evocata eſt Leodium ad reliquias, & ſepulchrum S. *Lamberti*; ubi lumen oculorum recepit, & caſtitatẽ ſuam Chriſto ſubarravit. Cumque Pater eam vellet matrimonium contrahere, ipſa divino uſa conſilio peregrina in Taxandriam venit, & ſua ſanctitate Rhodenſe territorium ſublimavit, obiitque circa an. 718. Ipſa igitur inſtar Evangelici noſtri cæci viſu recepto jugiter ſequi voluit Dominum, & ei ad hærere.

Sic in cæcis utriusque ſexus voluit glorificari Deus; quos dam in cæcitate relinquendo, quosdam ſanando, & ab illa liberando, ad majorem ſuam gloriam. Atque in carne hoc in ſæculo converſatus, cæcos plurimos ſanavit; nam non ſine cauſa renunciari curat Joanni, *Cæci vident*: attamen in ſpeciali aliquot in Evangelio memorantur. Unus cæcus erat à nativitate, cujus oculos luto linivit, & miſit ad Natatoriũ Siloe. De illo dicitur: *Natus eſt cæcus, ut opera Dei manifeſtentur in illo.* De aliis duobus fit mentio & ſanati ſunt à Chriſto, ut ibi dicitur, dum Chriſtus egrederetur è civitate Jericho. Unus ex his vocabatur Bartimæus, ut indicat Marcus c. 10. qui illius tantum facit mentionem, cũ duo fuiſſent ſanati, quia illuſtrior erat & notior, de quo dicit S. Aug. *Procul dubio iſte Bartimæus ex aliqua magna felicitate dignitatis notiſſimus & fameſiſſimus miſeriæ fuit: quod non ſolum cæcus, ſed etiam mendicus ſedebat. Hunc ipſum ſolum voluit commemorare Marcus, cujus illuminatio tam claræ famæ hujus miraculo cõparavit, quàm erat illius nota calamitas.* Ita ille de conſenſu Evangeliſt. l. 2. c. 65. *Ioan. 9. Matt. 20*

De quarto fit hic mentio ex Lucæ 18. & eſt alius à prioribus, qui ante illos fuit ſanatus in ingreſſu civitatis Jericho ut exprimit Lucas. Et verisimile eſt, quod alii duo intelligentes quomodo hic ſanatus fuiſſet clamando perſeveranter: *Ieſu Fili David miſerere mei*; eum etiam imitati ſunt clamore & oratione, dum egrederetur Dominus de Jericho:

Idem

Idem clamaverũt & alii duo à Christo sanati Matt. 9. Unde notat Tertull. lib. 4. in Marcionem, non sine mysterio cæcos, quos Jesus sanat solitos inclamare: *Jesu Fili David miserere mei.* Nempe jã Davidis filio laudes canunt, jam ejus misericordiam implorant, jam subjectionem ei offerunt cæci, qui
2. Reg. 5. Davidi expugnaturo arcem Sion exprobrarant & contradixerant. Unde illi irrisorie dictum fuerat: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos.* Quasi diceretur ei. Soli cæci & claudi potentes sunt contra te bellare, ô David, & civitatem propugnare. Quapropter postmodũ subditur. *Proposuit præmium David illi qui cæcos & claudos abstulisset, qui odiebant animam David.* Jam ergo hi filio David prosternuntur incompensam, jam agnoscunt se alius solius egere auxilio, qui Patrem oderant. Inde quoque Davide major & superior agnoscitur Christus, qui sic cæcos sibi humiles potuit reddere. Ipse cæcos & claudos aufert, non necando, sed sanando. Adde, quod ideo etiam meminerint David,
2. Reg. 16 dum misericordiam implorant, quia David benig-
1. Reg. 24. nissimus fuit etiam in hostes. Patuit id erga *Semei,*
2. Reg. 18. cui maledicenti noluit vindictam infligi à suis. Patuit etiam erga *Saulem* se persequentem, quem in spelunca potuisset interimere; noluit vero vel attingere. Patuit denique erga *Absalonem*, quẽ mortuum amare luget; licet ipse insidiaretur vitæ paternæ, ejusque sceptro. Idem igitur est, ac si diceret hi cæci. Quia David insigni excelluit misericordia, tu qui filius ejus es, à paterna clementia non dege-

PARS II. neras, ergo miserere nostri.

De circũstantiis & illuminatione cæci.

SUnt porro aliquot circumstantiæ in cæci nostri curatione ponderandæ, tum ex parte cæci, tum ex parte Christi. In primis ex parte cæci, quod non solum cæcus, sed & mendicans erat, inopiaq; pressus; & ideo magis commiseratione dignus. Nec Christus legitur diviti ulli visum restituisse: omnes erant pauperes & mendici, quibus cæcitatis, defectus gravissimus erat, ob ei adjunctam inopiam. Divitibus vero nec famuli, nec parentes desunt qui solentur, quique ministerio suo suppleant, quod ob cæcitatem per se ipsi præstare nequeunt. Neque tibi mirũ videatur quod cæcus hic describitur secus
Deut. 15. viam mendicans: licet enim in lege dictum fuerit Judæis: *Ec omnino indigens, & mendicus non erit inter vos*; hoc tamen intelligendum est, non tanquam sit præceptum, sed tanquam sit observatæ legis præmium, vel si præceptum est, non prohibet pauperes mendicare, sed divitibus datum fuit, ut non negligerent pauperes, ita ut sensus sit: Curate pro posse, vestro, ut inter vos nulli mendicent ex pura indigentia: sed illis mutuare, maxime infirmis & in valiidis, sicque benedictionem à Domino possidebitis: quod si non possint anno 7. reddere, lubenter remittite, & donate. Semper interim voluit Deus inter Hebræos aliquos inveniri pauperes, ut divites misericordiæ exercendæ occasionem haberent. Unde ibidem dicitur: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tua*, immò non defuere publici mendici; & quamvis hoc divitum adscribi debeat tenacitati, non erant tamen lege prohibiti. Unde Lazarus mendicus describitur. Et Claudus ad speciosam portam templi sedens. Et cæcus à nativitate juxta templum etiam mendicans, & hic cæcus secus viam mendicans. Recte ergo etiam nunc pauperes secus viam sedent, aut juxta fores templorum in quibusdam civitatibus, ut transeuntibus exercendæ misericordiæ & eleemosynæ occasionem exhibeant. Item ut per eleemosynam, dum templa ingrediuntur, ad orationem se disponant, & se Dei mendicos agnoscant, cui instar pauperum miseriam suam magno affectu debent exponere, & gratiam quasi stipem emendicare. Denique, ut transeuntes admoneantur miseriæ, & fragilitatis humanæ; memoresque sint idem sibi posse contingere, quod in mendicis intuentur; quia omnes eadem lege nati sumus, eidem fortunæ subditi, eademque sorte paupertatis possumus involvi. Sic Belizarius in aula Justiniani Imperatoris summus Præfectus fuit, militari fortitudine & triumphis celebris contra Persas, Vandalos, Gothos; sed propter affectati regni suspicionem ab æmulis suscitatam, erutis oculis eò miseriæ redactus est, ut è vili tugurioio stipem sibi mendicare coactus sit, seviam sedens instar nostri hujus cæci. Ejus autem hæc erat supplicatio: *Date eleemosynam Belizario, quem virtus extulit, invidia excæcavit*, ut refert Procopius, l. 1. belli Persarum, Cedrenus & alii.

Luc. 16. Act. 3.

Cur pauperes secus viã, & templi sedeant.

Cæcus nõ aurũ sed lumen petit.

Ulterius & hoc ponderandum, quod cæcus audiens Jesum Nazarenum transire, non nummum, aut obolum petit, ut ab aliis transeuntibus solitus fuit: sed lumen & visum postulat; idque tanto desiderio, tanto clamore, tanta perseverantia, ut turbæ increpantes non valuerint eum impedire. Utique scivit non aurum & argentum sibi postulandum à Jesu, sed eleemosynam talẽ quæ digna foret Messia, quæ & nomini Salvatoris congrueret. Nempe aurum & argentum possunt elargiri divites terræ, oculorum lucem nequeunt, nec Principes quidem, *Iob. 36.* aut Reges. Hæc eleemosyna reservata erat Filio David. Filio Dei, de quo verum est illud: *Abscondit in manibus suis lucem, & præcipit ei ut rursus adveniat.* Quicumque hanc lucem cæcis reddiderint, nonnisi virtute nomine ejus reddere potuerunt. Quæcunque verò à se postulantur; magna voce, hoc est magno desiderio vult postulari, magnaque confidentia & perseverantia, ut nostra supplicatio suum sortiatur effectum. Sic Josue sua voce & oratione Solis lucem stare facit, ad occasum jam tendentem. Non absimiliter, dum Jesus Sol noster in Jerusalem pergit celeri gressu, ut occumbat. (*Ecce*, inquit ipse, *ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur, & occidetur* cæcus iste sua eũ voce sistit & oratione, ut ante ejus occasum lucem recipiat ex optatam. Nec attendit turbæ increpanti, docens nos non debere cedere tentationi. Qui ad Christum volunt accedere, turbam debent contemnere, nec propter irrisiones hominum,

nec

nec propter infestationes dæmonum, nec propter difficultates impedimentorum in via occurrentiũ debent desistere; sed fortes in fide insistere debent clamori ad Deum per orationem, & solido ejus amori per operationem. Hujus perseverantiæ multa sacris in litteris occurrunt exempla.

Accedens ad Deum tentationibus fortiter resistat.

1. Laban conatur impedire iter Jacob revertentis in patriam. Ille verò non acquiescit, sed prosequitur fortiter, feliciterque tandem pertingit. *Gen. 31.*

2. *Michol* irridet maritum suum David, & tacite increpat, quod coram Arca Dei luderet: ille sciens se id fecisse ex sancto Dei amore, non desistit à saltatione & lusu ob insultationem & illusionem. *Ludam*, inquit *& ero humilis in oculis meis.* *2. Reg. 6.*

3. *Abraham* non desistit à sacrificio ob aves descendentes & impedientes; sed ad vesperam usque abigit, & in sancto opere perseverat donec Sol occumbat. *Gen. 15.*

4. Filios Israël impedire conatur *Pharao*, ne egrediantur Ægypto ad sacrificandum Deo suo: postmodum etiam aqua eos deficit, aqua sese objicit, hostis eis incumbit, & alia multa occurrant impedimenta; nihilominus progrediuntur constanter.

5. Hebræi ex Babylone reversi conantur reædificare templum Dei, populus terræ conatur impedire. An propterea desistunt? Imò una manu faciũt opus, altera gladium tenent; aiunt in animo fortitudinem, in opere tenent perseverantiam

6. *David* relictis ovibus descendit in castra pugnaturus contra impium *Goliath*; Fratres exprobrant ei superbiam & nequitiam cordis; ille propterea non desistit à proposito. *1. Reg. 17.*

Si quis mundi obloquia & exprobrationes velit attendere, numquam quicquam aget perfectè. Non est declinandum à via recta ob canículos allatrantes. Conculcandus est colubet & cerastes in semita, qui mordere conatur ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. Noluit cæcus credere turbæ; infelix si credidisset, quia sanitatem non recepisset. Unde Augustinus ser. 18. de verbis Domini: *Turba ipsa quæ cũ Domino est, compescebat clamorem: clament cæci nec desistant, nec ducantur quasi auctoritate turbarum. Nõ dicant, quomodo isti vivunt tam multi, ita vivamus. Quare vult vivere secundum increpationẽ turbæ prohibentis; & non secundum vestigia Domini transeuntis?* Vorago est perditionis exemplum multitudinis: ideo qui accedere vult ad divinam lucem, relinquat turbam errantem. Imò omnia abjiciat impedimenta, instar cæci cui cum dictum fuisset: *Aut time aut esto: vocat te; proiecto vestimento exiliit*, & accurrit ad Christum. Sic ad divinum obsequium vocati, læti relictis omnibus, debent sequi: *Petrus* & *Andreas* retia relinquunt & naviculã, *Matthæus* Thelonium. *Iacobus* & *Ioannes* suos parentes, *Samaritana* hydriam & funem, Pastores in nativitate suum gregem, Cæcus suum vestimentũ. *Gen. 19.* *Christũ sequens omnia relinquat.* *Mar. 10.*

Ex parte porrò Christi Domini hoc primo considerandum est quanta fuerit ejus benignitas & beneficia misericordia erga omnes. Ecce enim civitatem Jericho latrociniis nõ parum infamem visitare dignatur. *Multi latrones erant in Iericho*, inquit Sanctus Hieronymus, *qui egredientes & descendentes de Ierusalem vulnerare & interficere consueverunt.* Interim illuc venit Dominus, ut salutis verbũ eis nunciet; & maxime ut Zachæum publicanum Pastor bonus quasi ovem deperditam requirat, & cum illo multos ad se reducat. Ideo enim dicitur: *Ingressus Iesus perambulat Iericho*; ubi magna diligentia & charitas designatur in quærendis illis quibus benefaceret. Sed ne forte incessus ejus &, ad urbem accessus, vel egressus, beneficio carere videretur, ecce cæcum unum in via illuminat civitati dum appropinquat, & duos alios dum egressus fuit è civitate. Sic nimirum nunquam ejus charitas cessavit benefacere etiã transeundo: nullusque ejus passus inutilis fuit. Sicut enim Sol ab Oriente in Occidentem pergens nullum facit gressum qui inferioribus his non prosit; est enim illuminans, calefaciẽs, fœcundans tenebrosam, algidam, sterilem tellurem nostram: ita Christus Sol grãtiæ, ubi radios suos cœpit spargere perambulans terram, non cessavit benefacere afflictis & ægris, surdis & cæcis, paralyticis & dæmoniacis deniq; & mortuis. Nõ cessavit etiam proficuus esse peccatoribus à Deo aversis, eos ad gratiam & lumen revocans: sic nullus ejus passus inutilis fuit, sed semper felix ejus occursus, ut manifestum est in his cæcis & infinitis aliis. *Christi benignitas erga omnes.*

Ulterius Christi Domini benignitas declaratur, dum dicitur: *Stans Iesus iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset interrogavit illum: Quid tibi vis faciam?* Voluit ut qui ad se appropinquaret fide, jam appropinquaret, & corpore: idcò gradum sistere dignatur, & eum ad se vocare. Immo & Apostolis ut cæcum hunc ad se adducant, mandat, quia ipsorum erat ad fidei lumen mente cæcos adducere. Voluit verò interrogare, nõ quasi ignorans quid vellet, cui omnia intima desideria patescunt: sed ut scirent adstantes fidem illius; quodq; non solùm à Christo ut homine pecuniam exposceret, sed virtutem divinam agnosceret, eamque sibi propitiam fieri postularet in visus redditione. Imò & idcò interrogat Dominus ut rogetur ipse, quia illud ipsum à nobis vult peti, quod nobis priùs disposuit elargiri. Sic quid opus sit nobis antequã petam⁹, admonet tamẽ ut petamus, & cor ad orationẽ excitemus. Ult nos agnoscere defectũ propriæ indigentiæ; ut tantò magis æstimem⁹ benignitatẽ divinæ gratiæ.

Denique Christi Domini potentia in hoc elucescit, quòd verbo sanat, dicens: *Respice.* Nempè sicut uno verbo in mũdi primordio dixit: *Fiat lux*, & facta est lux: ita & cæcus iste lumen recipit oculorum verbo Verbi unico, *Respice.* Sic operatorius est sermo Dei, sive creans omnia jam ab initio, sive creata immutans toto rerum sæculo. Sed vide quod priùs eum debuit respicere Christus quam Christũ ipse respiceret: oculos priùs in ægrũ hunc conjecit medicus, quã suos æger posset conjicere in medicum. Oculi cœlesti splendore clarissimi in *Christi potentia.*

oculos caligine plenos conjecti sunt, oculi plenissimi misericordia in oculos plenissimos miseriâ, statimque fugatis tenebris calamitosis potuit ei dici, *Respice*, ab eo cui prius dictum à cæco erat: *Aspice in me, & miserere mei*. Sic oculi Christi, sunt lucis, Verbum Christi, Verbum lucis, tactus Christi, tact⁹ efficax veræ lucis. Unde sequitur, *Confestim vidit, & sequebatur illam magnificans Deum*. Nec solum ipse vidit, sed & plebs mente illuminata est, agnoscens Christi divinitatem: Propter ea additur: *Et omnis plebs, ut vidit dedit laudem Deo*. Vidit plebs lucem potenter restitutam roganti; agnovit & fidei lucem ab eo allatam qui descendit in Jericho; à Christo scil. *qui erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundū*. Mundus enim nomine Jericho designatur, quia Jericho Luna interpretatur: Luna autem numquam eodem statu permanet, sed modò plena est, modo semiplena; modò parva cernitur, modò magna; modo apparet, modò obcuratur. Sic mundi vanitas rectè per eam repræsentatur, ubi omnis creatura mutabilitati est subjecta, nihilque permanet in ea, nisi ipsi innata defectibilitas & vanitas, nihil in ea cōstans est nisi incōstantia. Sed ad hunc effectū venit Domin⁹: ut vanitate agnitâ & calcatâ, ad lucem veritatis mundus oculos erigeret; & illū sequeretur qui lucem hanc donat, auget, conservat. Propter hanc causam de cæco dicitur, quod confestim ubi vidit, sequebatur eū: nec enim posset sequi sine luce: *Qui sequitur me non ambulat in tenebris*: nec luce jā acceptâ fieri posset, ut nō sequeretur, quia de illuminatione oculorū non potest gloriari qui Christū nō sequitur. Indivisibiliter nimirū conjuncta sūt, illuminatio & sequela Christi; hoc enim nos illuminat ut sequamur, & cæcus censeri debet quisquis eum non sequitur.

Mundus Jericho dicitur.

PARS III. *Quis Cæcus spiritualis.*

ITaque cæcus hic corpore, illorum figuram gerabat qui cæci sunt & mente; qui rebus caducis adhærent, & in tenebris interioribus versantur, sine æternorum considerātione, quasi homines sine lūce: sed tandem per Christū detersâ caligine, eū alacri gressu sequūtur eū animi gratitudine. Vis videre particularius in quib⁹ homines mundani & peccatis obscuratū cor gerētes, huic cæco sint similes.

Peccator.

Primò describitur hic cæus sedere *secus viam*: sic sedent cæci peccatores, otiosi, desidiosi, operibus bonis vacui; imò in statu peccati sedent, statum & periculum suum non considerantes, tardi ad surgēdum. Interim nox obscura mortis & judicii divini eis quandoque incumbit, nec eam agnoscunt; nec surgere volunt; sicq; à tenebris interioribus ad æternas pertingunt. Secus viam autem sedere dicuntur peccatores, quia juxta viam mandatorum Dei & Ecclesiæ agunt, nec eam percurrunt. Hæc mandata viæ sunt in cælum, quas celeri gressu ambulant, qui clarè vident, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*, dicebat Rex & Propheta. Hæc via non longè distat, sed propinqua est omnibus hominibus. Unde: *Mandatum quod præcipio tibi non supra te est, neq; procul positum nec in cœlo situm, nec trans mare: sed juxta te est sermo valde in ore tuo, in corde tuo, ut facias illum*. Infelix igitur & verè cæcus est, qui viam illam non ambulat, sed sedet male securus, civitatem cælestem ad quam hæc via ducit non ingressurus.

Ps.118.

Deut 30.

Secundò, describitur hic cæcus mendicans secus viam. Quid aliud faciunt homines mundani? Sedent & jacent mendicantes à mundo subsidium vitæ, & cupiunt saturari de micis. Nec enim aliud potest eis mundus elargiri, quam micas, quia honores, divitiæ, voluptates, nonnisi micæ sunt. Unde sicut paucæ micæ satiare nequeunt famelicum, sic nec caduca bona hominem mundanum. Sed id eis adhuc infelicius est, quod micas quas tanto studio emendicant, plerumque non assequuntur, sed manent planè vacui & inanes. Ac sicut mendico cæco quādoque nulludunt quidam, nullius valoris obolos ei dantes, & persuadentes optimam esse monetam: priùs vero finito die dū curat computari quæ toto collegit die, illusum se reperit cæcus quia non potuit discernere quid acciperet: sic in fine vitæ mors aperiet cæcus mundanis quid stipis collegerint à mundo, ab honoribus, divitiis, voluptatibus; quamque exigui sit valoris, quod congregarunt: ludibrii potiùs quam subsidii rationem obtinens: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis*.

Homo mundanus.

Ps. 75.

Curiosi.

Tertiò, describitur curiosè investigans de turba prætereunte; sic mundani multa curiosè interrogant, ut audiant quæ non vident; multa volunt cognoscere quæ tum ultum eis ingerunt exteriùs, & distractionem animo ingenerant interius. Multa eis de rebus vanis inquisitio, & sermo multus de iis quæ eos non concernunt, quia aliena etiam in præjudicium proximi investigant. Satius eis foret prætereuntem turbam sinere abire, sine multa & sæpè noxia curiositate. Felices tamen hi sunt, & approximant illuminationi, qui non vanæ scientiæ studio, sed salutis & lucis desiderio, inquirunt quid rerum agatur in via hujus sæculi, de mundi strepitu; de viventium transitu; quomodo scil. in hoc mūdo nihil reperiatur præter tumultum; quomodo omnia pereunt quæ in illo sunt, instar turbæ prætereuntis, nec revertentis: quomodò nemo sit qui ad mortem non properet. Felices qui in hac via inquirunt, sicut hic cæcus, de Christo & Jesu Nazareno, & audientes eum transire, magna voce cordis & oris ad eum clamant, ut lucem & visum recipiant. Nempe arripienda est occasio salutis, dum Jesus transit benefaciens & lucem ac salutem offerens. Pòstquam transiverit, serò nimis invocatur: facilè autem pertransit, dum negligentes nos cernit, & salutis incurios. Certè illi cæcitatem suam vel nō sentire, vel amare censentur, qui magna voce non clamant ad illum qui potest sanare, dum tempus est, dum adhuc in via agunt per quam Jesus transit, dū divinis ejus Sacramētis cæcitatis remedium facilè obtinere possunt. Sed eheu! de multis verum est.

Excu-

Sap. 2. Isai. 44. *Excusavit eos malitia eorum*, & venundati sunt ut faciant malum. *Qui cæcus, nisi qui venundatus est, ut faciat mala.* Tales sunt qui odio fraterno, vel luxuriæ luto inveterato obcæcatos gerunt oculos: ideoque de Jesu transeunte nihil curant, & oblata salutis remedia planè negligunt, vel contemnunt. Væ tenebris, quibus oppleti sunt! Væ cæcitati, in qua jacent! Væ abysso cui approximant!

Conclusio. TU interim, ô Jesu Nazarene, qui in hunc mundum quasi in Jericho descendisti de superna Jerusalem, ut cæcos illuminares, & redditâ luce ad sequelam tuam vocares, atque in viam vitæ & veritatis reduceres, quia tu Via es, Veritas, & Vita: Respice multitudinem cæcorum secus viam sedentium, secus viam mendicantium bona vita hujus sæculi, æternis neglectis. Inspira eis desiderium lucis, faeque ut clament post te, non obstante turba eos impediente. Et tandem miserere eorum, adducens eos ad te, & visum perfectè restituens; ut peccati & sæculi detersâ caligine, tua sequi possint vestigia, te amare hic & benedicere, teque tecum magnificare æternitate, ubi tota merces erit visio faciei tuæ, quando scilicet dabitur illis te videre lumen de lumine.

TRACTATUS VI.

DE QVADRAGESIMA.

PRO DIE CINERUM.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Gen. cap. 3.

LECT. I. tripartita. PARS. I. Quid cineres significent. Ezech. 9. EZechiëli Prophetæ in visione ostensus fuit vir quidam *vestitus lineis*, vel ut Septuaginta Interpretes legunt, *Stola Sancta indutus*, & atramentarium habens scriptoris. Jussu autem divino transibat per mediam civitatem Jerusalem, & signabat *signum Thau*, sive signum crucis, super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. Quo quidem signo, tamquam signo vitæ, liberati sunt à morte. Quam aptè hic repræsentatur. Sacerdos in exordio jejunii & Quadragesimæ sacræ? Nonne vestitus est lineis? Nonne stola sancta indutus? Nonne atramento, sive atris cineribus, signum crucis inscribit frontibus Fidelium in Ecclesia? Et cur hoc, nisi ut sit eis signum vitæ, & per mortis propriæ, simulque per mortis ac Passionis Christi memoriam ad pœnitentiam & gemitum incitentur, sicque Deo reconcilientur, & vindictam evadant?

Cineres benedicti qualiter suscipiendi. Non ergo sine mysterio sunt hi atri cineres fronti crucem inscribentes: ideoque non leviter & perfunctoriè exterius suscipiendi sunt, sed cum magnâ interius fide, humilitate, reverentia & compunctione. Hac dispositione, eos suscipere edocta fuit olim à Tutelari suo Angelo S. *Lyduina*, quæ cum infirmitate detenta, non posset ad locum sacrum accedere pro excipiendis more Christiano cineribus, supplebat Angelus vices Sacerdotis, & frontem ejus cinere sanctificato signabat. Hoc ipsa fassa fuit Confessario, quodam die Cinerum advenienti, ut eam cineribus in Ecclesia ante benedictis signaret. Dixit enim id officii jam sibi præstitum per Angelum suum. Ac reliquiæ in fronte remanentes de hoc ipso fidem fecerunt; quibus & suammet frontem maxima cum reverentia signavit Confessarius, cineres Angelica manu allatos humillimè veneratus. Hanc etiam dispositionem, & venerationem, tam interiorem, quam exteriorem, docet sancta Mater Ecclesia in benedictione horum cinerum, dum ait: *Omnipotens, sempiterne Deus, parce pœnitentibus, propitiare supplicantibus, & mittere dignetur sanctum Angelum tuum de cœlis, qui benedicat & sanctificet hos cineres, ut sint remedium salubre omnibus nomen sanctum tuum invocantibus, ac semetipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, & pietatem tuam suppliciter flagitantibus; & præsta per invocationem sanctissimi nominis tui, ut quicumque eos super se asperserint, pro redemptione peccatorum suorum, corporis sanitatem & animæ tutelam percipiant.* Surius ad 15. vitæ ejus.

Cineres symbolum pœnitentiæ, mœroris & humilitatis. Certè Cineres semper fuere symbolum pœnitentiæ, mœroris & humilitatis, non solùm apud Christianos, sed & apud Prophetas olim, & Judæos. Unde illud *Filia populi accingere cilicio, conspergere pul vere, luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* Quasi dicat, ô populi mi dilecte instar filiæ, jam tê pus est pœnitentiæ & humiliationis, luctus & mœroris. Item Job. in persona pœnitentium sic ait: Job 16. *Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam.* Saccus scil. sive cilicium, & cineris aspersio, arma sunt pœnitentium, signaque lugentium. Audi ibi S. Greg. *Quid in sacco & cinere nisi pœnitentia, quid in cute & carne, nisi peccatum carnis debet intelligi? Cum ergo quidam post lapsum carnis ad pœnitentiam redeant, quasi saccus super cutem consuitur, & cinere caro operitur; quia*

culpa per pœnitentiam tegitur, ne indistricti iudicis examine ad ultionem videatur. Sic & David pericitante filio post adulterium in cinere & jejunio pœnitentiam facit. Idemque dicit; *Cinerem meum tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Quasi dicat: Hoc mihi contigit, quod iis qui præ mœrore & luctu in pulvere jacent, quorum panis & cibus pulvere aspergitur & inficitur. Vel spiritualiter cum quibusdam intelligendo, idem est ac si dicat: Memoria peccati mei mihi erat insuavis instar panis cinerulenti, & cum amaritudine illud ruminabam: *Sic etiam Moyses descendens de monte Sina, portans secum duas tabulas testimonii, cum appropinquasset castris, vidit vitulum & choros, iratusque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montu: arripiensque vitulum quem fecerant, combussit & contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel.* Per hoc nimirum voluit, ut amaritudinem peccati sui persentiscerent, & ad contritionem & detestationem illius adducerentur.

1. Reg. 12. Psal. 101

Exod. 32.

Sancti cinere cibos suos conspergentes.

Sicut igitur apud Hebræos olim, sic & apud Christianos modo conspersio cineris luctum indicat & pœnitentiam. Certè multi sancti veri leguntur in symbolum pœnitentiæ non solum capiti, sed & cibo suo cinerem insperssse. Ita traditur

Sur. in vita S. &c.

S. Germanus Antissiodorensis, quoties cibus erat sumendus, semper prægustasse cinerem, ac de inde hordeaceo usus fuisse pane. Sic & *Franciscus* frequenter cinerem & fletum cum potu miscebat. Noluerunt vero antiquitus viri pii sine cineris aspersione ex hac vita emigrare. Nam teste Sulpitio, dicebat *S. Martinus* moriens: *Non decet Christianum nisi in cinere mori.* Quem imitatus *S. Carolus Borromæus*, fini proximus dum foret, voluit sibi indui cilicium sacco cinere consperssum. Ac non solum in Quadragesimæ initio solitus fuit totum populum hoc cinere signare: sed etiam cum publicas preces indiceret, ingruente aliqua publica calamitate. Et certè cinis recte indicat effectus pœnitentiæ, quia valet ad tria, ad lavanda scilicet sordida, ad conservandum ignem, & ad faciendum ex obscuris lucida. Ex cinere fit lixivium sordida purgans; sic ex cinere pœnitentiæ efficacissimum lixivium animæ nostræ paratur ad eluenda peccata. Cinere obtegitur ignis, & si frigidus sit cinis, extinguitur; valet etiam pœnitentia ad extinguendum ignem & fomitem concupiscentiæ, ne erumpat in flammam, quæ totam animæ nostræ interiorem domum depascat: Denique, ex cinere fit vitrum, quo nihil lucidius; sic ex cinere pœnitentiæ prodit gratia mirè conscientiam clarificans, & totam obscuritatem animæ tollens. Postremò quando lubrica est via, cinere est conspergenda; sic mortis cinere conspergе viam tuam, lubricam alias & glaciatam, nec cades.

Cinis ad tria serviens, indicat effectus pœnitentiæ.

Cinerum usum irridens morte punitur.

Ex his satis patet, quam impiè sacrorum cinerum usum nonnulli irrideant, vel contemnant. Atque idipsum docet exemplum divinæ vindictæ relatum apud Cæsarium ex *Theodorico* Monacho, quondam in *Veida Comite.* Fuit Confluentiæ quidam, qui cum feria tertia ante cineres totam pene noctem in comessationibus expendisset, manè quasi ad abluendas carnes cum quodam collega sub tabernam intravit. Cumque ad Officium Missæ pulsaretur, fideles conflluerent ad Ecclesiam, soli hi duo remanserût potitâtes. Dicit vero collega alteri: Nimis tardamus; adeamus Ecclesiam ob sacros cineres. Ille irridens mysterium cinerum, respondet: Sede ego tibi dabo cineres, & tu mihi; sicque tollens domesticos pulveres vel cineres, in ejus caput jactavit. Mox vero divina vindicta subsecuta est. Nam circa faciem suam turbo tantus cinerum exortus est, ut cum territus exclamaret, ore cineres illos hauriens pene suffocaretur. Accurrerunt multi, ut plagam hanc mirabilem intuerentur. Denique nec in horto, nec in Rheno, nec in solario, potuit se à turbine cinerum tueri; sed tandem suffocatus pœnam contemptus sui persolvit.

Cæsarius l. 10. memorabilium. c. 53.

Specialiter etiam serviunt hi benedicti cineres ad renovandum nobis originis nostræ mortisque memoriam, ideo dum imponuntur capiti nostro, illud pronuntiatur: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Hæc porro verba instar spiritualis speculi nobis servire debent, in quo nos ipsos intueamur & agnoscamus: etenim nobis repræsentabant efficacius vultum nativitatis nostræ, quam speculum materiale & corporeum, si paululum hærere voluerimus oculo mentis illa contemplando, nec festinantes transiverimus, statim obliviscendo quales fuerimus, vel simus. Et quidem usum speculi materialis non reprobamus, sed hunc finem ad quem inventa fuere primitus specula, illis homines uti antur. Non enim ad vanitatem, aut cultum inanem corporis, sed ut homo se nosceret inventa esse testatur, *Seneca l. 1. quæstion. natural. cap. 17. Inde consecuta, inquit, multa bona. Primò notitia sui, & ad multa consilium. Formosus, ut vitaret infamam: deformis, ut sciret redimendum esse virtutibus, quod corpori deesset. Iuvenis, ut in flore ætatis moneretur tempus esse discendi, & fortia audiendi. Senex ut inde cora canu deponeret, & de morte cogitaret. At hoc natura facultatem dedit nosmet videndi: fens lucidus, aut leve saxum, cuique imaginē reddit. Ætas antiqua simplicior nondum in vitium beneficium detorquebat; nec inventum natura in libidinem luxumque rapiebat.* Hæc Seneca.

Cineres benedicti speculum spirituale.

Speculæ ad quid sint inventa.

Sed multis modo speculis inest dolus, dum vel augent formam, vel extenuant; vel quadam alia ratione immutant: suntque multi instar Narcissi, qui ex speculis se intuentes nimis se amant, & inde exitium trahunt. De quo Nazianzenus:

Nam q; olim formæ ipse suæ correptus amore
In fontem insiliit pulcri q; ex ore inani
Exitium traxit speculo, mortemq; pudendam.

Fabula hæc perstringit homines vanos, qui inani ima-

imagine deluduntur. Sunt & quædam specula cava, quæ inversum formam repræsentant. Sic si te inspexeris in cochleari argēteo, benè mitido & pellucido, videbis frontem inferius, mentum & barbam superius. Duplex etiam in homine status considerationi nostræ potest objici; status scilicet vitæ, & status mortis. Status vitæ instar speculi fallacis persuadet homini, quod robustus sit & sanus, dives & illustris, permittitque ei longævitatem annorum, divitiarum, honorum; cum tamen vita hominis; totaque spes ejus nō sit nisi vapor ad modicum parens, umbra, fumus, somnium, vanitas, nihil. *Substantia mea tamquam nihilum ante te*, ait Psaltes: *Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei* dicit Job. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis. Velut somnium surgentium imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens. In imagine pertransit homo, sed & frustra cōturbatur.* Sic frequentissimè loquitur, & hæc multoties repetit & inculcat Psalmista, ut homo dolosō vitæ suæ speculo haud fidat. Speculum autem verum & plenum est status mortis, quod homini qualis quantusque sit in veritate repræsentat; docetque quam parvifacienda sint, quæ circa illum sunt: *Homo cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* In morte videt quam verè dixerit Job: *In tenebris stravi lectulum meum. Putredini dixi, Pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus.* Hoc ipsum dicere coguntur Itaque speculum istud hodie mentis nostræ oculis objicitur ab Ecclesia matre nostra, dum unicuique nostrum dicit: *Memento homo, quia pulvis es, &c.*

Vita hominis, nihil. Psal. 38. Iob. 7. Psal. 75. Psal. 72. Psal. 83. Ps. 48. Iob. 17.

PARS II. Cur admoniti, Memento, cum de morte agitur.

HOc verò considerationē dignum existimō; Scripturam sacram ubi de novissimis, & de morte sermonem instituit consuevisse uti hac voce, *Memento*, aut simili voce sÿnonimā. Primō sic. Sapiens inertes & salutis incurios de morte admonet: *Memento ira in die consummationis*, hoc est in die extremo, quandō vita præsens consummationem accipiet, & judicium aderit: *Et tempus retributionis in conversione faciei*, vel ut Græcè est: *in aversione vultus*, cum scil. Deus ab impiis vultum avertet, & ad æternos cruciatus eos vultu torvo amandabit. Et iterum ibid. *Memento pauperiatu in die divitiarum: à manè usque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei.* Quasi dicat: Dum vivis & benè agendi oportunitas non deest, reconde tibi thesaurum bonorum operū, qui tempore futuro in die mortis sublevet paupertatē & inopiam. Citius autem quam putas illa dies aderit, quam jam oculi Dei prævident, qui citato cursu facit præervolare tempora: Matutino tempore fisis felix & sanus, vesperi poteris esse æger & mortuus: *Sapiens autem in omnibus metuet: & in diebus delictorum attendet ab inertia*: Semper metuens illum diem, cum sibi peccati alicujus conscius fuerit, excutiet inertiam per pœnitentiam & alia opera virtutum.

Lv. 11. Eccles. 30. Eccl. 18.

Secundo idem Ecclesiasticus, admonens eos qui inimicitias fovent, vindictas, lites, sic loquitur: *Memento novissimorum, & desine inimicari; tabitudo enim & mors imminent*, hoc est corruptio corporis post mortem putrescentis. *Memorare timorem Dei, & ne irascaru proximo. Memorare testamentum Altissimi, & despice ignorantiam proximi*; hoc est memor legis divinæ, parvipende & dissimula, ac remitte quæ deliquit proximus in te, adscribe id ejus fragilitati & ignorantiæ. In præcedentibus dixerat: *Homo cum caro sit, reservat iram, & propitiationem petit à Deo*? Quasi dicat: Cum sit vilis, fragilis, mortalis, brevi in pulverem & corruptionem reducendus, an convenit eum iram reservare, & iræ Dei se obnoxium reddere? Sic multis sententiis memoriam mortis inculcat, ut ab ira & inimicitia homines avertat, qui semper & maximè in die mortis egent Dei misericordia & propitiatione, cito ergo & illam proximo impendere debent, ne præoccupentur die mortis.

Lv. 2. Memento, concernens vindicativos. Eccl. 28.

Tertio idem Ecclesiasticus avaris aures vellicans, ut bonis suis utantur, & illa in pia opera impendant, sic loquitur: *Fili si habes, bene fac tecum, & digna Deo oblationes offer.* Rationem subjicit: *Memor esto quoniam mors non tardat, & testamentum inferorum quod demonstratum est tibi. Testamentum enim hujus mundi, morte morietur.* Vult memores illos esse mortem certo & cito imminere, ne nimis ament hæc terrena, & longinquam vitam sibi promittentes, vix audeant bonis sibi à Deo conceptis uti, tum ad sustentationem, tum ad eleēmosÿnam, & honorem Dei. Vocat autem *testamentum inferorum*, dispositionem de morte ab omnibus subeunda: quæ mors in veteris testamenti libris sæpè nomine inferni comprehenditur, quod omnibus illo tempore deorsum descendendum esset, necdum cœlo aperto mortem Christi aperto. Hoc inferorum testamentum omnibus demonstratum est in exordio mundi sacris in scripturis. Unde subdit: *Testamentum hujus mundi, morte morietur.* Quasi dicat: Dispositio quæ pertinet ad inferiorem hunc mundum, & ad omnia quæ in eo sub sole vivunt est hæc: *Morte morietur*, scilicet omnis homo, vel omnis caro. Alludit ad id quod initio dictū est, Adæ pro se & posteris suis: *Quacunque die comederis ex eo morte morieris.* Memoria ergo mortis facit ut quis liberè de suis disponat, benefaciens pauperi, benefaciens Ecclesiæ in honorem Dei; & sollicitudinem nimiam tollit dolorum, & laborum, quos quidam sustinent ut hæredes divites relinquant. Quæ omnia amplificantur variis sententiis apud eundem Ecclesiasticum ibidem. Idem quoque sic ait: *Memento quæ ante te fuerunt, & quæ superventura sunt tibi. Hoc judicium à Domino omni carni*: quasi dicat. Memento quod in sæculis quæ ante te fuerunt omnes fuerint mortui, & quod post te per omnia ventura sæcula omnes viventes morituri sunt, ut merito te non possis ab hac lege exemptum existimare. Vide sequentia ibi.

Lv. 3. Memento, concernens avaros. Eccl. 14. Gen. 2. Eccl. 14.

Pt. 4. *Memento, concernens curiales.*

Quartò. Idem superbos & carnales homines ad humilitatem & pœnitentiam exhortans sic loquitur: *Memento iræ, quoniam non tardabit. Humilia valdè spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii ignis & vermis.* Quasi dicat: Noli esse de numero illiorum qui mala non prævident post mortem secutura: sed memento vindictæ quam Deus in improbos exercebit, quæ citius advenit quam putatur. Vindex autem ira Dei post mortem in carnem peccatoris sæviet per ignem & vermes, animum ergo ad superbiam pronum humilia, & valde humilia sub potenti manu Dei, sub timore severæ ejus justitiæ, quæ tuæ incumbit cervici. Atque idem Ecclesiasticus omnes exhortans, & caput istud septimum concludens, remedium proponit contra omne peccatum: *Memorare novissima tua in omnibus operibus tuis, & in æternum non peccabis.* Novissima autem sunt, mors, judicium, infernus, gloria. Sic vere de morte vel novissimis agens repetit illud: *Memento*, vel *Memorare*, aut quid simile.

Ecclí. 7.

Pt. 5. *Memento, concernens Adolescentes.*

Quintò, Ecclesiastes sermonem ad Juvenes dirigens, qui mortis immemores, ac futuri temporis in dissolutiones eunt præcipites, hos sic alloquitur: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas, Non mihi placent.* Et cum incommoda senectutis specialiter describisset, tandem subdit de morte: *Ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentes.* Domum æternitatis vocat sepulchrum, in quo jacendum est ad finem usque mundi. Postmodum dicit: *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Ergo vult memoriæ juvenum inculcatam serio mortis memoriam, tamquam stimulum ad omne bonum, & frænum ab omni malo. *Lætare ergo juvenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum; & scito quòd pro his omnibus adducet te Deus in judicium* inquit idem c. 11.

Eccles. 11.

Pt. 6. *Memento, concernens Senes.*

Sextò, senibus qui sepulchro vicini, illius quandoque nihilominus obliviscí videntur, idem *Memento* proponi censetur ab eodem Ecclesiaste, dum dicit ibidem: *Si multis annis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* Hoc tenebrosum tempus mortis, tempus est, & dies multi tempus est æternitatis mortem subsequentis: tunc scilicet arguetur vanitas præterita, quia apparebit quàm stultè egerint, quia æterna bona brevissimæ voluptati perfranseuntis temporis post-habuerunt. Vide quomodo vanitatis arguant præterita, quia apud Sapientem inclamant: *Ergo erravimus à via veritatis. Quid nobis profuit superbia aut divitiarum jactantia? Transierunt tamquam umbra, tamquam nuntius præcurrens, tamquam navis cujus nō est vestigium reperire, tamquam avis quæ transvolat in aëre, cujus nullum invenitur itineris argumentū, tamquam sagitta emissa cujus ignoratur transitus; sic & nos nati continuò desivimus esse.* Sic rebus velocissimè transeuntibus hæc vita brevis & volatilis comparatur, quæ si divino obsequio non impenditur, plane vanitatis arguitur. Unde & postea subditur: *Spes impii tamquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tamquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tamquam fumus qui à vento dissipatus est, & tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis*, Dicitur ergo homini; Memento horum omnium, dum tempus est; sero enim illi dixerunt hæc omnia in inferno, præ angustia spiritus gemētes. Vide quid in morte fecisse velles, idipsum perage modo fortiter & constanter. Vide in quo agas statu: noli in illo vivere statu in quo mori non auderes. Vide quam rationem Judici sis redditurus in morte. Dirige vitā tuam sicut nauta navem in fine sedens. Descende in sepulchrum, descende in infernum vivens, ut illuc non descendas moriens.

Sap. 5.

Propter hæc igitur omnia, cum de morte & novissimis agitur adeo frequenter in scriptura repetitur; *Memento, Memorare, Memor esto*; & hodie idipsum propterea unicuique inculcatur; *Memento homo, quia pulvis es.* Nempe eget homo ut ei continuo mors rememoretur, qui licet nihil frequentius videat quam mortem, nihil tamen facilius obliviscitur quam mortem. Unde unum ex nominibus ejus est *Enos*, id est, miser & oblivious, quia facile obliviscitur sui, suæ miseriæ, suæ conditionis, suæ salutis. Ideo eum comparat S. Jacobus considerati vultum nativitatis suæ in speculo: *Consideravit se, & abiit, & statim oblitus fuit qualis fuerit* inquit ipse. Obliviscitur etiam Dei sui, & rationis ei reddendæ. Unde dicit ei Deus apud Psalmistam: *Existimasti quod ero tui similis*; obliviosus scilicet, peccati tui obliviscens. Immo vero *arguam te, & statuam contra faciem tuam*, ut teipsum inspicias, & agnoscas, & mei etiam ut Judicis & Vindicis recorderis. Addit: *intelligite hæc qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* Habitat certe homo in terra obvionis, ipsamque terram ex qua constat obvium videtur, ac nomen ipsam suum; est enim ejus nomen *Adam*, quia ex adama, id est ex terra factus est; sed hoc facile obliviscitur, dum superbit qui terra est & cinis, dum mortem non cogitat, qui quotidie moritur. Quod si mortis meminit, id ut plurimum fit in ordine ad res temporales, non in ordine ad æternas. Si quis opibus abundat, secum recogitat, Testamentum tempestive ordinandum mihi est, ne forte improvise mors obrepat, sicque hæredes litigiosos relinquam, domumque perturbatam. Prudenter equidē id facit, sed prudentius sibi mortem oculis objiceret, ut certius disponeret de domo interioti, de anima & salute. Verum hęc postrema est cogitatio in filiis hujus sæculi, quorum unī dicitur: *Simile huic nocte repetent animam tuam à te.* Luc. 12.]

Memento, continens omnem hominem Morti, homo facile oblivisci viscitur.

Jacobi.

Psal. 49.

De

De illa ergo disponendum foret, propter illam mortis cogitatio & memoria assumenda. Sæpè vir dum uxorem ducere vult, mortis meminit in desponsatione, inquit Chrysost. & scribit in dote: *Si mortuus fuerit vir ante mulierem, aut mulier ante virum hoc & hoc disponatur.* Nondum introducta est, & mors statim describitur; nondum convixerunt, neque nuptiæ habitæ sunt, & mortem statim definiunt. Immò verò non solùm de his qui sunt & vivunt, mortis fertur sententia, sed & de illis qui nondum nati sunt. Adoitur enim ultra: *Quod si natus fuerit filius & moriturus, sic & sic disponatur.* Ecce necdum natus est, & sententia mortis lata est. Utinam pro dispositione rerum æternarum, ita sint memores mortis homines, sicut pro dispo-
Deut. 32. sitione temporalium! Verùm, *Gens absque consilio est, & sine prudentia: Vtinam saperent, & intelligerent ac novissima providerent. Vtinam saperent quæ Dei sunt, intelligerent quæ mundi sunt, providerent quæ inferni sunt. Profectò inferna horrerent, superna appeterent, quæ sunt ad malum contemnerent*, inquit S. Bernardus epist. 292. Ut ergo prævideant & provideant tempestivè, ideo eis inculcatur hodie: *Memento homo, quia pulvis es.* Quia se non agnoscunt, speculum istud eis objicitur, in quo se in veritate contemplentur.

EODEM DIE.

Memento homo quia pulvis es, &c.

LECT. 16. tripart. PARS I. *Omnem statum monitio cinerum concernit.* Ps. 48.

IUvat in particulari omnium auribus istud inclamare, omnium oculis speculum istud proponere, cujuslibet sint sortis & professionis, cujuslibet sublimitatis vel vilitatis, cujuslibet sexus & ordinis ita ut hic iisdem liceat exordiri verbis, quibus olim Psaltes spiritu divino impulsus: *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite qui habitatis orbem. Quia, terrigenæ & filii hominum simul in unũ dives & pauper.* De morte, de judicio, de statu futuræ vitæ, de generali naturæ corruptione locuturus erat Propheta, ideo exigit perfectam omnium attentionem: invitatque ad audiendum omnes, sive summi sint, sive infimi, sive divites, sive pauperes, sive nobiles, sive obscuri, sive fideles sint, sive infideles, sive occidentem incolant, sive oriẽtem, sive agnitam terræplagam habitent, sive ignotam. Optaretque speculam se posse ascendere, ex qua oculis universus orbis lustrari posset: Optaret adeo exertam ac præpotentem vocem, quæ omnium aures cordaque penetraret toto orbe. Optaret locum adeo capacem, quo velut ad concionẽ totius orbis homines possent adventare, & aures cordis ad os loquentis in se spiritus applicare. Non absimili modo optat Ecclesia, optatque debent qui præcones sunt in Ecclesia constituti, ut omnes gentes, omnes terrigenæ & filii hominum, simul in unum dives & pauper, vocem hanc cordis auribus excipiant & foveant; *Memento quia pulvis es, & in pulverem reverteris*; ut sciant originem, extractionem, finem suum, & sibi consulant, nec glorientur inaniter.

1. Accedite igitur, ô Reges & Principes, qui sceptra globumque mundi manu tenetis. In quo gloriamini? Unde estis vos? Quid estis? Quid eritis? Pulvis in pulverem reversurus. Vos estis caput aureum, sed pedes habetis terreos, mortisque lapillus eos percutiens & dissolvens, in cinerem vos rediget. Etiamsi ascenderit superbia & gloria vestra usque in cœlum, in fine perdetur tamquam sterquilinium. Inspice Antiochum cum fœtore intolerabili morientem, Herodem à vermibus consumptum, Julium Cæsarem in medio Senatus cõfossum, Pompeium capite plexum, Alexandrum veneno interemptum; hi vobis sint speculum. Reversi sunt in pulverem & terram suam cum angustia & dolore, formati è terra & pulvere. Ubi eorum equitatus? Ubi exercituum Duces? Ubi satrapæ tyrannici? Nunc omnia pulvis, nunc omnia favillæ.

1. Reges & Principes.

2. Mac. 9. Act. 12.

2. Accedite & vos qui clavum Ecclesiæ tenetis, Infulis, Pedo, Pileo, Pallio illustres. In quo gloriamini? Unde estis vos? Quid estis? Quid eritis? Pulvis in pulverem reversurus. *Omnia potentatus brevis vita.* Hoc non solum de potentatu sæculari verum est, sed de potentatu Ecclesiastico. Sic in ipso supremo Pontificatu multi sederunt tribus tantum annis, alii uno, alii paucis mensibus, alii paucis diebus. Uno eodemque anno 1590, successive tres fuere Pontifices; Sixtus V. Urbanus VII. Gregorius XIV. anno sequente Innocentius IX. & post 30. dies Clemens VIII. Sed & nemo annos Petri attingit. Interrogatus B. Petrus Damiani ab Alexandro II. cur tam paucis annis Pontifices viverent, cum nonnulli florentes fuerint ætate. Respondit l. 1. ep. 17. *Hoc judicis cœlestis ordo disposuit, ut humano generi mortis metum incuteret, & quam despicienda sit vita temporalis gloria, in ipso gloriæ principatu, ac velut sole deliquium patientiæ videntes ostenderet.* Præsertim cum unus omni mundo præsideat Papa, Reges sint simul plures: nec soleant sic Pontifices violenta morte occumbere ut Reges. Meminerint ergo qui in sublimitate sunt se pulverem esse, & brevi in pulverem se reversuros. Propterea enim acclamatur Pontifici noviter inaugurato, dum in S. Joanne Lateranensi in lapidea sede stercorea collocatur: *Suscitans de pulvere egenum & de stercore erigens pauperem.* Hoc non solum illum, sed quotquot ad dignitates evehuntur concernit, quorum plerosque videmus paucis vel annis vel mensibus perdurare:

2. Capitum & Prælatos Ecclesiæ. Eccl. 10.

Pontifices cur paucis annis vivant.

Ps. 112.

HINC ET ILLUD EPITAPHIUM cujusdam Archiepiscopi Cameracensis:

Sum Cameracena gessi qui pondera mitræ:
Aprilis posuit, Majus & illa tulit.
Iham natali lætus benedicere Monti:
Mors Valencenu obvia facta fuit.

Secundus

Securus toto ne sis peregrinus in orbe,
Crede tuæ mortem semper inesse viæ.

Sint ergo hi qui è fastigio dignitatis mox subtrahuntur, & nonnunquam quidem subita morte, vobis speculum, ô Prælati: & rememorent vobis illud; *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Illud quoque memoriæ vestræ repræsentent quod in Apoc. dicit Dominus Angelo, sive Prælato Ephesi: *Age pœnitentiam, sin autem veniam & movebo candelabrum tuum de loco suo.* Apoc. 2.

2. Magistratus & consiliarii.

3. Accedite & vos, qui sapientia, consilio, ingenio Rempublicam regitis, & corda Principum quo volueritis, inclinatis, auctoritate, potentes, purpura illustres, toga graves. Accedite etiam quicunque primas Cathedras consenditis, doctrina & fama celebres. In quo gloriamini? Unde estis? Quid estis? Quid eritis; *Pulvis in pulverem reversurus?* quid vos? quid doctrina? quid fama? Vos cinis: illa opinio: ista Ventus. Transeunt hæc in quibus fidere possetis, in morte dum transitis. Ipsum quoque nomen perit; nam multorum calcamus sepulchra, qui doctrina, consilio, auctoritate eminentissimi fuere, & nomina eorum ignoramus. Hoc in Academiis, hoc in Civitatibus famosissimis satis manifestum est. Ubi tot eximii Magistri nostri? Ubi tot Consiliarii clarissimi? Ubi tot Optimates, toga vel armis potentes? Transierunt in pulverem, & alii eorum locum stipendiaque tenent, nec de eis ultra fit mentio, vel subit cogitatio. Hi ergo sint vobis speculum quicumque in Republica ad honores contenditis. Multi ipsorum pauco vixerunt tempore, & tota lugent æternitate; eorumque forte nomina celebrantur in terris, sed animæ torquentur in inferis.

4. Divites & optimates.

4. Accedite & vos divites, auro argentoque copiosi & fulgidi, equis, curribus, famulitio, & terrena possessione fortunati. In quo gloriamini? Unde estis? Quid estis? Quid eritis? *Pulvis in pulverem reversurus.* Quid aurum, quid argentum, quid possessiones? Terra sunt & omnia quidem hæc in morte vos deserent. Sic moriuntur divites omnes, & nulli moriuntur divites. Nudos & inopes tellus in lucem editos excipit: nudos & inopes rursus illos in fine recipit. Immò nullum hic divitem dico, quia nulla sunt hic hæreditaria bona, omnia sunt mobilia, & quasi commodato & precario accepta, quorum ratio est reddenda. Hæreditaria nostra bona solæ sunt virtutes & bona opera, quæ hinc efferuntur & perennant. Hæc in morte juvant, & post mortem. Felix qui cæcera ut pulverem æstimat, & hæc perennatura sibi provident, ne nudus abeat & egenus. Sit vobis speculum, ô divites, dives ille Evangelicus, cui dicitur: *Hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ parasti cujus erunt?* Sit vobis quoque speculum alter dives Epulo, sepultus in inferno, guttam aquæ tota poscens æternitate. Luc. 12.

5. Flores & robora ætatis.

5. Accedite etiam quicunque in flore & robore ætatis fiditis, qui in pulchritudine gloriâ colloca-

tis, in luxu & vanitate, viri & mulieres, juvenculi & juvenculæ lascivientes. In quo gloriamini? Unde estis? Quid estis? Quid eritis? *pulvis in pulverem reversurus.* Flos ætatis, species decoris, fulgor vanitatis, mox decident, & in pulverem redigentur. Nam de homine, & de omni cum circumstante vanitate, verum est: *Quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* De humo quasi flos egreditur in ætatis oriente, & conteritur percussus infirmitatis uredine, & fugit velut umbra in mortis occidente, ipsi jam deficiente vitæ lucido sole. *Væ flori decidenti, corona superbiæ! Erit flos decidens gloria exultationis ejus, quasi temporaneum ante maturitatem autumni,* hoc est, quasi præcox fructus. Attendat hæc uterque sexus vanitati deditus. Et quia speculis solent delectari juvenes, sicut & mulieres: intueantur se illi in Absalone pulcherrimo & florentissimo juvene, in pulverem jam redacto cum omni flore & decore: intueantur se illæ in Jezabel quæ sibi oculos pingebat, & sollicite pulchritudini studens faciem ornabat. Sed in illa impletum est illud Eliæ: *In agro Jezabel eorum carnes Jezabel, sicut stercus super faciem terræ, ita ut prætereuntes dicât: hæccine est illa Jezabel?* quasi dicerent: Itane tanta gloria tam subito ad tantam est miseriam redacta? ætatis gloriosæ. Job. 14. Isai. 28. 4. Reg. 9.

Audi de Francisco Borgia Gandiæ Duce. Cum Isabellæ Caroli V. uxoris corpus Granatæ sepeliendum honoris gratia comitaretur contigit ut aperta capsa cadaver inspiceretur; erat autem scaturientibus vermibus putridum. Unde ipse intus commotus secum pensitare cœpit: Eheu, ubi nunc tantæ fœminæ potentia & gloria, cujus vel nutus viventes terrori erant? Eheu, verè nulla inter Principem & pauperem in morte differentia. Hæc cogitatio humanæ corruptionis tantū in illo valuit, ut principatum deponens, se Societati Jesu addixerit, ibidemque sanctitate floruerit. Franciscum Borgiam cadaveris aspectus religiosum effecit.

Respice ergo, ô homo, quisquis es, sepulchra mortuorum, & vide quis servus, quis Dominus, quis pauper, quis dives. Discerne si potes vinctum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi, memorque naturæ, non extollaris aliquando. Ibi respice teipsum, quia mortalis es; ibi memento, quia pulvis es, & in pulverem ibis. Hoc te monet cinis hodie capiti aspersus, hoc te monet Ecclesia, hoc monet Deus, tibi tories repetens: *Memento, Memorare, Memor esto* originis & vilitatis tuæ, finisque & mortis imminentis, ac novissimorum omnium.

PARS II.

Sicut homini dicit Deus, Memento quia pulvis es: ita & merito dicit homo Deo, frequenterque ei repetit, *Memento Domine, quia pulvis sum;* ut hac ratione cum ad compassionem moveat super figmento suo, sicque iram ejus mitiget, & severitatem justitiæ cõvertat in benignitatem misericordiæ. Non enim convenire videtur ejus potentiæ & bonitati, ut adeò severè se gerat erga cinerem & pulverem vertibilem, infirmitatis vento quoquoversum jactatum: *Quem persequeris Rex Israël* 1. Reg. 24.

Deo debet mus diversi, Memento quod pulvis sum.

Israel, quem persequeris? Canem mortuum, pulicem unum? Sic dicebat David, ut iram Saulis mitigaret; Nec absimiliter nos dicere possumus Deo nostro; hoc enim nos docuerunt sancti Prophetæ, ut sacræ testantur litteræ. Vis testimonia?

Primo audiendus est Iob in persona omnium hominum loquens: *Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverē reduces me. Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu & sic repentè præcipitas me?* Quasi dicat: Memento infirmitatis meæ, & vilitatis; & non ita severè me judices, nec scruteris peccata mea. Ego sum lutum, quid mirum si aliquid immunditiæ mihi adhærere reperias? Ego sum pulvis, quid mirum si sim instabilis? Si in Angelus tuis reperisti pravitatem, & qui tibi serviunt, non fuere stabiles: *quanto magis qui domos habitant luteas, quæ terreum habent fundamentum?* Memento quod sim opus manuū tuarum; & licet vile opus sim, illud tamen te despicere non decet, & in damnationem præcipitare; sed potius decet compati, tu scis enim figmentum nostrum, fragilitatem nostram. Hoc ipsum est quod repetit: *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet. Et dignum duxi super hujusmodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium.* Itane summe & potentissime Domine, potentiam tuam emittis & demittis contra hominem adeo fragilem, adeo ærumnosum, adeo instabilem: Itane de minimis dignaris eum judicare, & urgere eū, qui *non poterit respondere unū pro mille?*

Iob. 10.

Iob. 4.

Iob. 14.

Secundo audiendus est in eandem sententiam Isaiæ: *Pater noster es tu, nos verò lutum; figulus noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine satis & ne ultra memineris iniquitatis nostræ*, quasi dicat: Memento, quod Adamum Patrem nostrum formaveris ex luto, & nos etiam omnes, quasi Pater & Figulus. Originis ergo nostræ ac miseriæ quam ex origine trahimus memor, ne memineris iniquitatum nostrarum; nec nimium irascaris nobis, sed respice nos, & miseriæ comparere, ac prius dixerat: *Cecidimus quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Quod conforme est ei: *Memento quia ventus est vita mea.* Et: *Contra foliū quod vento rapitur ostende potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris.* In quem locum sic ait, ac simili utitur sermone S. Gregor. *Quid est homo nisi solum, qui tentationis vēto rapitur, & desideriorum flatibus levatur? Mens quippe humana quot tentationes patitur, quasi totidem flatibus movetur. Hanc plerumque ira perturbat, cùm accedit, succedit inepta lætitia. Aliquando hanc superbia elevat, aliquando inordinatus timor in infimis deponit.* Ergo ventus est vita hominis, ventus est tentatio hominis, ventus est ira Dei, & homo tanquam folium & pulvis quem projicit ventus à facie terræ. Miserere ei Domine, & contra folium ac pulverem potentiam ne exprome; instabilique vento expositum in loco tentationis respice & commisserere.

Isai. 64.

Tertio audiēdus Psaltes: *Memorare quæ mea substantia. Numquid enim vanè constituisti omnes filios hominum? Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?* S. Hieronymus legit: *Memento mei de profundo;* Alii legūt ex Hebræo: *Memento ego quid sim, quod tempus*, sive cujus substantiæ, cujus ævi & temporis ego sim. Psalterium etiam vetus apud Augustinum & Ambrosium habet: *Memento Domine.* Sensus ergo est, Recordare quam exiguo victurus sim tempore, quam brevis ac fragilis sit vita & substantia mea in hoc mundo, quamque ex fragili & vili constem materia, cùm creatus sim de pulvere, de limo profundo, de adama, hoc est terra; ideoque mortem & corruptionem non possum evadere, nec ulli id possunt hominum, ex luto eodem eademque substantia formati. Ergo videtur minùs congruum, ut pro adeo brevi vitæ tempore, & pro tanta humanæ conditionis inconstantia & fragilitate, nobis indigneris, & in nos desævias; Quin potius convenit nos potiri tua clementia & benignitate ne frustra conditi videamur omnes, vel etiam ad solas nati miserias, qui mox mori cogimur, nec ab inferno animam liberare valemus, nisi tua propitiante clementia.

Psal. 88.

Quarto audiendus est idem; *Memento Domine, quoniam pulvis sumus.* Sic enim ex antiquis Psalteriis legunt, Augustinus, Prosper, Cassiodorus, Hieronymus, Isidorus, Gregorius, Apollinarius; pro eo quod nos habemus: *Recordatus est quoniam pulvis sumus.* Convertit ergo Propheta sermonem ad Deū; non quod obliviscatur Deus originis nostræ, sed optat hoc modo loquendi ut semper perseveret ejus in nobis misericordia; & rogat ut respicere dignetur, quomodo ex nobis minimè ingratia & divino nobis dato munere persistere possimus, quomodo etiam in pulverem ariditate peccati quodammodo redigamur, ab eo exsufflandi nisi adjuvet nos Peccatori enim quadrant pulveris qualitates, ob levitatem, mobilitatem, ariditatem, sterilitatem, atque sicut pulveri humor accedens lutum efficit, sic & humor illecebræ accedens, nos qui pulvis sumus in cœnum vertit, & immundos reddit. Atque ideo forsitan Dominus adulteræ commiseratus, eamque volens liberare, & superbos ejus accusatores expellere, scribit in pulvere; indicans nihil mirum esse si deprehensa sit in adulterio, quandoquidem ipsa & omnes mulieres, ac viri ex pulvere primam ducentes originem faciles ad malum evaserunt, & proni ad libidinem post peccatum, humori illecebroso obnoxii.

Psal. 102.

Peccator pulvis.

Postremo audienda Ecclesia hocce tempore docens nos idem Domino cum humilitate inclamare quod Iob, quod Isaias, quod Rex David, ac alii Prophetæ: *Memēto quod sumus tui, licet eaduci plasmatu. Nec des honorem nominis tui, precamur, alteri.*

Laxa malum quod fecimus, auge bonum quod poscimus, placere quo tandē tibi pessimus hic & perpetim.

Sicut ergo Deus memoriam nobis inculcat originis nostræ & mortis, ut humiliemur; sic & illi eandem nos memoriam repræsentemus, ut misereatur nostri, & gratiam ejus attrahamus. Itaque concludo verbis hodiernis Ecclesiæ. *Deus qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benignissime respice, & hos cineres quos causa proferendæ humilitatis, & veniæ promerendæ capitibus nostris imponi decernimus benedicere pro tua pietate digneris, ut qui nos cinerem esse agnoscimus, & in cineres reversuros, peccatorum veniam misericorditer consequi mereamur.*

Exempl. Philippus III. Hisp. Rex mortis memoriâ induit regnum resignavit.

PHilippus III. Hispaniarum Rex, lethali morbo decumbens, illum qui sibi à concionibus erat advocans his verbis fertur allocutus: *Pater mi, ab eo tempore quo ipso Cinerum die publicam in cōcione edixisti aliquem ex tibi adstantibus in pulverē propediem reversurum, id tamquam mihi dictum adsumpsi, & exinde mortis memoria profundè cordi hæsit meo. Ecce brevi, ut video, terminaturus est dies meos, is qui vitam Regum in manu tenet: At non sine anxio sum timore, judiciorum ejus pondere me premēte. Annis jam viginti regnum administravi, ad utinam sæculum deserens, & solitudinem ingrediens viginti illos annos divino consecrassem obsequio; securior hinc abscederem.* Hanc porro anxietatem animo regio ut eximeret Concionator, respondet hunc in modum Regi. *Quod tunc effectu & præstitisses, ô Rex, si nunc imò ex affectu præstiteris, coram Deo acceptum erit, animaque tua jam è sæculo egressum expectanti non exiguum afferet id solatium. Depone itaque ad pedes* IESU *Regis Crucifixi regnum, coronam, vitam salutem, perfectā cordis resignatione. Non aliud ipsum retrò annis facere potuerat.* His dictis exhibuit ei imaginem Christi Iesu Crucifixi, cujus pedibus Rex osculum figens, dixit: *Verè, & ex totis animi præcordiis hic regnum & principatum, vitam animamq; depono, & quæcumq; Deus sedis.* Exinde vocavit filium Septri hæredem, cui hoc postremū dedit monituri Parentis non morituri monitum: *Ecce ingredior viam universæ carnis, viam Patrum meorum; tu ætate licet vegetus, memento mortis quæ me modo angit, & sic vive, ut non pœniteat te regnasse. Tibi sceptrum regnumque relinquo, amabile in hac vita, amarum in altera. Cæterum justitiæ tibi rectitudinem commendo, & ut Pater sis pauperum, viduarum, que tutor, peropto. Gloria autem divina inprimis ita zelator esto, ut nihil tibi placeat, quod Deo, Regum Regi, Optimo, Maximo, displicere possit. In cujus rei monimentum, hanc Crucifixi imaginem accipe, quam Carolus Proavus tuus Parenti meo, ipse mihi, ego autem Tibi filio meo eorumque Nepoti sacrum legatum transmitto: ut memor sis in omnibus Crucifixi gloriam tueri, & nominiam intueri.* Tandem Concionatori valedicens, magna animi compunctione & zelo dixisse fertur. *Gratias tibi ago, Pater mi, pro sacris monitis; interim tibi licentiam facio publicæ annunciandi Regem Hispaniæ in tot regni annis decursis, nonnisi vanitatem reperisse, ac in fine anxietatem; ipsumque ex animo pronunciare: Suave esse regnare dum hæc durat vita, amarum dum instat altera.*

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

LECT. 3. tripartita.

Ductus est IESUS *in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo.* Matth. 4.

PARS I. Quæ sint rationes itineris Christi in desertum Christus desertum ingressus 6. Ianua

ÆTatis trigesimum attingens annum antequā prædicationis munus obiret, venit Christus speciali Spiritus S. impulsu in desertum, quadraginta ibi diebus perseveraturus in jejunio, oratione, aliisque pietatis exercitiis. Accessit verò illuc nox à suo baptismo die sexta Ianuarii, & permansit usque ad decimam quintam Februarii. Estque desertum illud inter Iericho & Ierusalem, & modo *Quarantana* dicitur ob jejunium illud 40. dierum. Ostenditur in eo mons altus & aspero difficilis, in quo primum tentatus est Dominus: Et in hujus montis cacumine sacellum est ruinosum, jejunio & oratione Christi venerabile, teste Adrichomio in descriptione terræ sanctæ. Propè etiam est fons ille cujus aquas Elisæus sale injecto dicitur sanasse, ut exploratores terræ sanctæ attestantur. Multiplex autem ratio affertur potest hujus in desertum ingressus, cujus Spiritus S. postquam in specie columbæ sacro ejus vertici insederat, cœlestis motor fuisse asseritur. Diserte enim verbis dicit S. Lucas: IESUS *plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, & agebatur à Spiritu in desertum.* Et fortius loquitur: *Spiritus expulit eum statim in desertum.* Spiritus igitur non malignus, sed spiritus ille quo aguntur filii Dei, ut loquitur Paulus: *Spiritum illum qui nescit tarda mollimina rebus in divinis, ut ait Ambrosius:* Spiritus ille qui habet imperum (ut dicit Propheta) quo currus divinus propellitur: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. Spiritus vita erat in rotis:* Spiritus ille qui toties insiluit in Sampsonem, ut insiliret in hostem. Spiritus scil. ardoris & fortitudinis, quo plenus erat IESUS, quo in hostem humanis generis erat pugnaturus & eum debellaturus, eum propellebat ad campum certaminis. Eodem spiritu nos impelli oportet, quoties aliquid aggredimur divinam concernens gloriam, non spiritu vanitatis, aut ambitionis. Audi S. Gregor. *In electis & reprobis diversi sunt impetus, in electis impetus spiritus, in reprobis impetus carnis. Impetus carnis ad delationem, ad exteriorem gloriam, ad iram ad odium, ad perfidiam, ad voluptates animum impellit. Impetus spiritus ad charitatem, ad humilitatem, ad continentiam, ad interiorem profectum, ad pietatis opera, ad æternorū fidē, ad spem, ad pœnitentiam, ad considerādā vitam*

Luc. 4. Marc. 1.

Rom. 8.

Ezech. 1.

homil. 5. in Ezech.

vitam immortalem, ad lacrymas mentem pertrahit. Semper ergo magna cura considerare debemus, quo nos impetus ducat in omne quod agimus, an impetus carnu an spiritus.

1 Christus desertum ingressus nobis in exemplū pœnitentiæ.

Prima porro ratio itineris in desertum fuit, ut omnibus nobis pœnitentiæ exemplum daret, in solitudine orando, jejunando, vigilando, patiendo, & sese affligendo. Accede, ô Christiane, & intuere Christum Ducem tuum tibi modo inclamantem, quod olim Abimelech militibus suis: *Quod me vidistis facere, citò facite.* Cur enim Christus in desertum secedit, nisi ut doceat te tempus seligere quo in cordis solitudinem ingrediaris, ut ibi audias quid loquatur in te Deus tuus, Vult enim loqui ad cor tuum, ut & tu cor de illum alloquaris: *Loquetur pacem super eos qui convertuntur ad cor.* Nemo verè pœnitet, nisi qui strepitu excluso sæculi, ad cordis solitudinem ingreditur vacans sibi. Et qui sinceræ intus compungitur pœnitentiæ spinis, reperit in deserto, & in rubo Deum suum instar Moysis. Ibi de spinis contritionis flammam excitat amoris, & monet egredi ex Ægypto tenebrosa, ex servitute peccati, & tendere ad terram promissionis. Cur jejunat, carnemque affligit, cum in eo nec concupiscentia carnalis, nec inordinatus quispiam appetitus reperiri possit, qui jejunio ut fræno egeat? Cum tam duram agit super nuda humo pœnitentiam, cum nullum sit peccatum in eo piandum? Exemplo nimirum sui vult te, O Christiane, excitare & animare ad jejunium, ad carnis macerationem, ad austeram pro peccatis satisfactionem. Omnia hæc patitur propter electos: & propter te, ut salveris. Venit exemplum daturus, & præostensurus, qua via, quo labore, quibus mediis ad regnum & salutem perringatur. Exhibet tibi formam quam imiteris, tempus præsignat oportunum quo gratiam gloriamque consequaris. Accede ergo in spiritu, & serio considera quid in deserto agat, quomodo ibi se Patri, quomodo se tibi exhibeat. Ubi domuncula? ubi spelunca protegens ab inclementia aëris? ubi lectulus substratus? *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Et quænam illi ibidem societas? Nulla nisi ferarum est: *Et erat ibi cum bestiis*, inquit Marcus: Tu ne patere cum esse solùm? junge te socium. Bonum est in solitudine cum JESU solo esse. Bonum est cum illo sedere, stare, genua ad Patrem flectere. Bonum est cum ipso in humilitatis pulvere, in patientia abstinentiæ, in corporis mortificatione perseverare, & sibi vacare, maximè hoc sacro tempore in honorem & imitationem JESU CHRISTI instituto. Ergo pro regno Dei & amore Christi leve tibi debet videri jejunium quod præcipitur; oratio quæ præscribitur, aliaque pietatis exercitia quæ consuluntur. Longè plura quam à te exiguntur, pro te præstitit Christus: longè graviora promererentur peccata tua; longè plus valet regnum Dei, quod tibi repromittitur. Jam te alloqui videtur Redemptor tuus hisce verbis: Si pro tua salute tot labores exantlavi, si adeò austeram, cùm sine peccato essem, abstinentiam à me exegi, si esuriem passus sum, & nocte dieque orationem fudi: quid te oporteat pro te facere, qui totus in peccatis natus es? Quidni hilariter superflua reseces, carnem macetes, qui peccati fomitem circumfers? Vide ut hoc sacratum tempus quadragesimale spiritus impulsu & ductu inchoes & perficias. Effice ut illud tibi compunctionem pariat, devotionem acuat, torporem excutiat, fervorem accendat, ad omne bonum exstimulet. Forsitan postrema hæc est quadragesima quam peragas; cum pietate autem si eam peregeris, magnum lucrum, magnumque tibi paries gaudium. Quam multi anno præterito jejunarunt & nunc emigrarunt? Noli esse ingratus & torpidus, sequere exemplum tui Ducis, tui Redemptoris. Noli vocibus jam resonantibus matris tuæ ad pœnitentiam te excitantis rebellis esse, noli aurem animumque surdum exhibere, ne fortè præoccupatus die mortis, inquiras tempus pœnitentiæ, & non inveniens, æternùm infelix hinc excedere cogaris, à Christi gloria & consortio jugiter separandus, quia laboris, jejunii, & passionis hic consors esse noluisti. *Hæredes enim sumus Dei, cohæredes enim Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Existimo autem quod non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Sic loquitur Apostolus; idque hocce tempore jejunio, & passioni Domini consecrato cordatè rememorandum est.

Ludic. 9.

Psal. 84.

Exhortatio ad jejunium & pœnitentiam.

Luc 9.

Marc. 1.

Rom. 8.

Secunda ratio itineris Christi in desertum fuit ut illud consecraret, & inde Satanam expelleret, quasi, è possessione sua. Ibi enim erat locus possessionis ejus ante Christum. Unde Raphaël: *Apprehendit dæmonium & relegavit illud in deserto Ægypti superiorus*; hoc est virtute ac imperio suo vincula ei spiritualia injecit, quibus in deserto manere cogeretur. Christus autem qui ad hoc venerat ut dæmonis vires attereret, & omni cum possessione exturbaret, cum non solum urbibus expulit, sed etiam è desertis emigrare coegit, sua primùm præsentia, oratione, jejunio desertum consecrans, ac deinde sanctorum agminibus illud quaquaversùm sanctificans. Quocirca quodam die apparens Satan S. Antonio, fateri coactus est imbecillitatem suam, quod ab eo tempore quo Deus factus est homo, ei & vires & arma direpta fuissent, quodque è deserto expelleretur propter Monachos ibi habitantes, ut testatur S. Athanasius in vita S. Antonii. Hoc nimirum per Isaiam prædictum erat: *Lætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium; germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans.* Quamvis enim, ut Ruffinus ait lib. 2. de Vitis Patrum, cap. 7. & Palladius in Lausiara. cap. 52. hæc de Ecclesia dicta sint, tamen in Ægypti desertis, & aliis pleriisque historica re-

2. Ut è deserto dæmonem expelleret. Tob. 8.

Isai. 35.

latione cumpleta sunt. *Vbinam*, inquiunt illi, *tanta per urbes multitudines veniunt ad salutem, quantus Ægypti deserta protulerunt? Quanti populi habentur in urbibus, tanta penè habentur in deserto multitudines Monachorum, ut ubi super abundavit peccatum*, idololatriæ scilicet, *ibi abundet & gratia.* Hæc illi.

Monachorum in deserto magnus numerus.

1. Sic de S. Antonii tempore scribens S. Athanasius ait: Erant in monte Monasteria, tamquam tabernacula plena divinis choris psallentium, legentium, orantium, qui infinitam regionem quandam, & oppidum à mundana conversatione sejunctum videbantur incolere. Quis tum monachorum agmen aspiciens, & concordiæ cœtum, ubi multitudo abstinentium & certamen erat officiorum, non statim in hanc vocem erumperet: *Quam bona domus tua Iacob, quam dilecta tabernacula tua Israel, quasi nemora obumbrantia, tamquam paradisus super fluvios; tamquam tabernacula quæ fixa sunt à Domino, tamquam cedri Libani circa aquas!*

2. Sic B. Apollonius plusquam quinque millibus Monachorum præfuisse scribitur in eodem Monasterio.

3. B. Pacomius septem millia discipulorum in domibus intervallo modico disjunctis instruxit, & in ea qua degebat domo, ultra mille cohabitabant, quos ut commodius gubernaret, in quatuor & viginti classes secundum numerum græcarum litterarum distribuerat.

4. B. Serapion decem millia Manachorum divisis tamen domiciliis gubernabat.

5. B. Ammon prope Thebas, Pater erat trium millium Monachorum, ut testatur Palladius. Qui etiam in sua peregrinatione addit se vidisse civitatem, in qua plura essent Monasteria quam profanæ domus; ita cum omnes vici & anguli pleni essent famulis Dei divinas laudes resonantibus, videbatur quasi una ex civitate facta Ecclesia.

6. In monte Naitræ, qui ab urbe Alexandrina unus ferè diei distabat itinere, visebantur quingenta Monasteria penè contigua, quæ omnia ab uno Præside regebantur. Sic in Oriente, in Palæstina, in Ægypto, in Asia, in Syria, in Europa, innumera fuere deserta in locis exædificata Cœnobia, ubi flores vernantes, rosæ rubicundæ, lilia candida, humiles violæ (hoc est animæ piæ, castæ,
Isai. 35. charitate & gratia exornatæ) germinantes germinabant, & odorem suum diffundebant: *In cubilibus in quibus prius habitabant dracones*, onocentauri, paliurus, eriicius, ululæ & lamiæ, *ortus est viror calami junci*, lausque divina resonuit, feris eliminatis, dæmonibus fugatis; illam pleno corde, plena voce, decantantibus Sanctorum agminibus. Hæc deserti fœcunditas merito adscribenda est ingressui sacro Christi in desertum, nam jejunio, oratione, benedictione sua promeruit, ut spinæ in rosas, cardui & tribuli inde licias, austeritates in
Psal. 64. gaudia, locaque deserta in paradisum verterentur. Tunc illud adimpletum est: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & pinguescent speciosa deserti; & exultatione colles accingentur.*

Tertiæ ratio ingressus Christi in desertum fuit ut tentaretur à diabolo, & tentationes nostras tentatione sua superaret, sicut & morte sua mortem nostram superaturus advenerat. Hanc rationem exprimit Evangelium nostrum: *Ductus est Iesus in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo.* Dedit ergo nobis exemplum fortiter resistendi, dedit & fiduciam superandi: *Mediator noster est ad superandas tentationes per adjutorium; Mediator est per exemplum*, ut loquitur S. Aug. lib. 4. de Trinitate: *Pugnavit tunc Christus, ut & nos postea pugnaremus: vicit ille; ut & nos similiter vinceremus*, inquit S. Leo ser. 1. de quadrages. Voluit eundem hostem vincere secundus Adam in deserto, à quo primus Adam victus fuerat in paradiso. Reportatam de natura humana in paradiso victoriam per gulam voluit homo Deus adversario extorquere in deserto per abstinentiam. 3. *Desertum ingressus ut tentaretur à diabolo.*

Adeste igitur, ô Christiani & oculis mentis spectate hoc ducilum Principis vestri cum Principe tenebrarum, à quo tota vestra pendet salus & victoria Iesus & diabolus in arenam descendunt. Campus certaminis desertum eligitur. Arma quibus consligitur Scripturæ sunt sacræ, hinc inde vibratæ. Spectatores adsunt ex utraque parte; dæmones adsunt ex una, Angelici spiritus Christi ministri adstant ex altera. Pro vobis sit pugna; *Ad hoc enim pugnat Imperator, ut milites sui pugnare discant, & vincere*, inquit S. Aug. serm. 41. de verb. Domini. Non ex proprio motu hanc pugnam aggreditur, sed ductus & impulsus à Spiritu, ut doceat non ultro quempiam se pugnæ & tentationi debere offerre: sed simul etiam docet, ubi quis impeditur, in fortitudine spiritus tentationes ferendas esse, virilitérque impellente eodem spiritu congredi oportere.

HOc exemplo Ducis sui informati fortissimi Parsi. militres, spiritu vocante & ducente, in campum eundem certaminis descenderunt, animis infracti, in hac Ducis victoria consisi, armis sibi ab eo commendatis, oratione, jejunio, Scripturis sacris præmuniti & cataphracti. *De sanctis à spiritu in desertum ductis.*

Sic Antonius ductus est à spiritu in desertum, ut tentaretur à diabolo. Tota enim ejus vita nonnisi continuus fuit cum hoste conflictus. Necdum vigesimum ætatis annum egressus, sorore in sæculo relicta, possessionibus suis divenditis, & in pauperum sublevandam inopiam erogatis, solitudinem est ingressus, locum certaminis. Hic mox aggressus est eum Satan his armis. *Quid hic solus miser agis, in specu paupere super nuda humo decumbens, sanitatem & vitam certo periculo exponens? Quid tibi cum sportu in sudore vultus tui conficiendo, qui in sæculo nobilitate florebas & opibus? Parcere debuisses adolescentiæ tuæ, & flori ætatis: immo vitæ tuæ parcere tu oportuit, quam sine di-* *Atha. de vita Antonii.*

Vina offensa in temeritudine sua interimere austerius tanta haud licet. Sed num te recte egisse existimas, sororem pupillam in sæculo deserendo? Novit Deus quibus periculu exposita tam deserueru. Exiget ipse à te strictam rationem omnium, in quæ ipsa incidere potest peccatorum. Vtique divino tenebaru præcepto ipsius curam agere fletus ejus & lacryma cælum penetrant, & clamant contra te, qui deducu eas. Ergo revertere, & noli illi, noli tibi ultra crudelu esse, cum dispendio animæ & conscientiæ. Hic fuit primus assultus initio conversionis ejus, quem valido fidei & orationis scuto propulsavit. Postmodum spiritus fornicationis in forma speciosæ puellæ eū aggressus est, ad lascivia illectans, turpitudinis imagines in memoria ejus continuò depingens, ad lubricum juventutis iter eum revocans. Sed prævaluit ipse, memoria ignis tartarei se præmuniens, ut igne ignem sopiret. Prævaluit ignita arma è sacræ Scripturæ propugnaculo desumens, & inclamans:

Psal. 117. *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi caro.* Deinde cum hac via Satan nihil contra eum obtineret, vana gloria insidians frequenter supplantare nisus est; sed inaniter, quia hic fortis luctator, & sæpissimè victor, non sibi fidebat, non præsumebat quippiam de virtute propria, nec sibi victoriam adscribebat; sed illam totam Christo, Victori Satanæ in deserto, acceptam ferebat. Un-

3. Reg. 17 *Psal. 26.* de sæpè repetebat illud Eliæ: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.* Et illud Psalmistæ: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: Si exurgat adversum me prælium, Dominus illuminatio mea, & salus mea, in illo ego sperabo.* O fortem militem, Christum Ducem suum in deserto ad ultimum usque vitæ spiritum imitantem!

S. Hilar. Sic & S. Hilarion Antonii discipulus à spiritu ductus est in desertum, ut tentaretur à diabolo. Hic cum decimum quintum ætatis annum ageret, in solitudinem abiit: ibique extructa exigua casa quæ vix ipsum caperet, humi cubabat; nec saccum quo semel amictus est unquam lavit, aut mutavit. Jejunio verò admirabili, paucas ficus & succum herbarum post solis occasum ad victum adhibebat. Hac ratione varias horribilesque tentationes superavit, & innumerabiles dæmones è hominum corporibus ex variis orbis partibus ad se concurrentibus ejecit, magna illorum confusione. Sic fortis ille bellator per virtutem Christi in deserto confligentis victoriam de hoste reportavit, etiam integro dæmonum exercitu frequenter in eum incurrente, ut testatur S. Hieronymus in ejus vita.

S. Macarius.

Sic & S. Macarius à spiritu ductus est in desertū, ut tentaretur à diabolo. Nec solum quadraginta diebus, sed totis quadraginta annis, in solitudine mirabiles dæmonis assultus sustinuit, & eos patientia ab humilitate evicit, illo adjuvante qui dicit: *confidite, ego vici mundū.* Sic & innumeri alii milites fortissimi, Christo Duce, spiritu impelente, adierunt solitudinem, fortiter pugnarunt, glorioſe triumpharunt de humani generis hoste. De his passim in vitis Patrum.

S. Maria Ægyptiaca.

Quod si in fæmineo etiam sexu exemplum petis fortitudinis consimilis? habes cæterarum velut Coriphæam S. Mariam Ægyptiacam, quæ postquam Jerosolymæ adorata sancta Cruce resolvit se à sæculi illecebris subtrahere, & pœnitentiæ austeritate prioris vitæ maculas extergere, audivit vocem cælitus sibi insonantem: *Transi Jordanem, & invenies requiem.* Transivit in vastissimam eremi solitudinem, inventura requiem, sed post longam & asperrimam pugnam. Ducebatur à spiritu in desertum, ut tentaretur à diabolo; unde & ibidem annos quadraginta septem peregit, sed septemdecim ex illis in acerrimis carnis & Satanæ tentationibus, quia totidem annos contriverat in impudicitiis & lasciviis. Sic voluit divina providentia, ut prioris temporis voluptates ad usuram persolveret tribulatione carnis indicibili; ac tandem victrix requiem securam & pacem reperiret. Unde Spiritum reddens, dicebat: *Nunc dimitte ancillam tuam Domine, secundum Verbum tuum in pace.*

PARS III.

Nemo hic sine tentatione vivit.

HOc etiam voluit Christus nobis indicare, se credens in desertum, ut tentationi locum daret, neminem posse sine tentatione in hoc sæculo vitam transigere. Permittit Deus ad nasus bonum, ut omni hominum conditioni insidias & dolos nectat diabolus; quia novit è tentatione proventum exsuscitare: novit de veneficio beneficium elicere, mel de petra sugere, oleumque de saxo durissimo. Unde à malignitate tentantis Satanæ neminem vult esse securum, quantumlibet ad perfectionem adspiret in loco & statu sacro. Sic nec conjugati in matrimonio, nec cælibes cum continentiæ voto, nec Ecclesiastici in templo, nec Virgines in claustro, nec Religiosi in choro, nec Anachoretæ in eremo, nec Sacerdotes in altari & sacrificio, nec pœnitentes in sacco & cilicio, ab ejus sunt exempti insidiis & dolo. Quia nec ab illis exemptus fuit Petrus in Apostolico collegio, nec Paulus veniens de tertio cælo, nec filius Dei orans & jejunans in deserto. Non potest servus major esse Domino suo, nec discipulus Magistro; nec miles Duce, nec membrum capite: non potest filius hominis exemptior esse Dei filio. Ac propterea non despondeat quispiam animum cum tentatur: si enim viriliter resistat, non minus est filius Dei, non minus acceptus Patri, non minus plenus Spiritus sancti, non minus hæres cœli. Tunc enim tentatus fuit Christus, quando fuit baptizatus, quando à Patre fuit filius appellatus, quando super eum in specie columbæ mansit Spiritus sanctus, quando post baptismum à Joanne datum cœlos apertos vidit, quando quadraginta diebus jejunavit. Immo non pauci sunt tentationis fructus, digni consideratio-

ratione. Tentatione magis eluceſcit virtus ? augetque illa meritum, auget coronam. Caſtitatem *Ioſeph* pudicitiam *Suſannæ*, obedientiam *Abrahæ*, patientiam *Iob* & *Tobiæ*, tentationibus notam fecit. Aquæ odoriferæ tunc maximè fragrantiam ſuam notam faciunt, cum agitantur; thus & aromata odorem, cum incenduntur; granum ſinapis vim ſuam igneam, cum conteritur; ita Sanctorum virtus & fervor tunc maximè innoteſcit, cum tentatione & tribulatione exagitatur, inquit S. Gregor. in Job, *Similiter loquitur & S. Cyprianus lib. de mortalitate. Gubernator in tempeſtate dignoſcitur, in acie miles probatur. Conflictatio in adverſis, probatio eſt veritatis.* Arbor alta radice fundata ventos contemnit, & navis ſolida fluctus, & grana fortia flatum, quo inanes paleæ exportantur. Itaque tentatio Sanctos probat, Sanctos coronat. Sine tentatione ubi certamen : Sine certamine ubi victoria ? Sine victoria ubi corona? Quo asperior tentatio, eo fortius certamen, eo major victoria, eo amplior remuneratio & corona. Ideo in Apocalypſi illi qui vicerit promittitur eſus ligni vitæ in paradiſo Dei : promittitur illæſio & immunitas à morte ſecunda: promittitur Manna abſconditum, per animæ refectionem internam in hac vita, per divinitatis fruitionem in altera : promittitur poteſtas ſuper gentes & ſtella matutina, hoc eſt lumen gloriæ, & conſortium poteſtatis judiciariæ : promittitur veſtis candida gratiæ & gloriæ, & ſcriptio in libro vitæ : promittitur ſeſſio in throno in beata æternitate : promittitur ſtabilitas in templo Dei inſtar columnæ, cum novo nomine. His omnibus præmium idem ſignificatur, quod viriliter pugnanti & tentationibus reſiſtenti à Domino ſpondetur ſub diverſis nominibus, idque ſepties. *Beatus igitur qui ſuffert tentationem* ; id eſt, Hugone interprete ; qui ſub Deo eam fert, & ſurſum fert, patienterque tolerat, & cum in ejus non ſit poteſtate eam non ſentire, in ſua oſtendit eſſe poteſtate illi non conſentire. Beatus utique, quia cum adverſis probatus fuerit, virtuſque ac conſtantia ejus eluxerit, accipiet coronam quæ datur certantibus ; accipiet vitæ coronam, quæ datur contra tela mortis dimicantibus ; accipiet coronam promiſſam his qui diligunt Deum, tam in adverſis, quam in proſperis. Vide latius de hac re. Hortum Paſtor, tom. 2. tract. 3. lect. 9.

Tentatione virtus eluceſcit.

Simile.

Apoc. 2.

Iacob. 1.

LECT. 4. tripartita.

EADEM DOMINICA.

Cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. Matth 4.

PARS. I. *De myſtico quadragenario numero.*

QUadragenarius numerus myſticus eſt in ſacris ſcripturis, tam veteris, quam novi fœderis. Ac in primis afflictionis, ſimulque pœnitentiæ ſolet tempus deſignare. Sic cum Deus orbi cataclyſmum voluit immittere, quadraginta diebus cecidit pluvia ſuper terram. O verè tempus afflictionis, dum ſenſim creſcentibus aquis, pavor undique & tremor omnia occupat ! Sponſus & Sponſa è cubili exſiliunt, & hinc inde diffugiunt, ut inſultantes undas effugiant. Matres cum parvulis domos tremulæ circumcurſant, ſi forſitan quaquaqua via evadant, clamore & lacrymis omnia complentes compita. Alii è conclavi, alii è menſa ſeſe proripiunt in ſuperiora, imò in tectorum faſtigia, effugium quærentes. Denique alii in arborum ramos, in collium montiumque juga conſcendunt, ut ab aquarum impetu ſe tutos ſecuroſque reddant. Sed nulla ſecuritas ; ubique clamor & ululatus. O vere etiam tunc tempus pœnitentiæ ! Dolent & deflent quod Noe Arcam fabricantem ; hæcque comminantem non audierint. Arcam modo ingredi peroptarent, imò totis ſæculis in ea includi : Dementiam ſuam accuſant, & temporis præterlapſi culpam ? Undè multos vera pœnitentia duce per naufragium ad ſalutem tunc emerſiſſe, cred bile eſt. Hoc indicare videtur, S. Petrus ubi dicit Chriſtum in carcere, ſive in limbo, prædicaſſe *ſpiritibus illis qui increduli fuerant in diebus Noe, quando expectabat eos Dei patientia.* Hos credidiſſe tandem, dum ſenſim creſcebat diluvium, & contritionem elicuiſſe in periculo naufragii docet S. Hier. Rupertus, & alii in cap. 6. Geneſis : atque his Chriſtus evangelizavit redemptionem & ſalutem in limbum adveniens. Sic 40. illi dies ſenſim accreſcentis pluviæ fuere ſalutares, ad pœnitentiam eos & mentem reducentes.

1. *Totus mundus habuit 40. dies pluviam pro tempore pœnitentiæ.*

Gen. 7.

1. Pet. 3.

Sic etiam Ezechiel Propheta jubetur à Domino per dies 40. decumbere continuò in latere dextro, ut ſic portet peccata domus Juda, ſive pœnas peccatis eorum debitas ; ſimulque ad ſupplicandum tali ſitu pro venia. Nam quia per 40. annos perdurarant ſcelera Manaſſis Regis Juda, ideo 40. dies ei Dominus indulget ad ſatisfaciendum, ut annis dies correſpondeant : *Diem pro anno dedi tibi*, inquit Dominus. Verè dies afflictionis, dieſque pœnitentiæ hi 40. dies deſignant, dum jubetur Propheta concatenatus totidem diebus in uno latere jacere, nec ſe ullatenus in alterum vertere : dū etiam tot diebus jubetur comedere panem vilem, ex hordeo, faba, lente, milio confectum, illumque ſtercore boum vel aſpergere, vel coquere. Denique, non ad plenam ſaturitatem permittitur comedere aut bibere, ſed viginti ſtateres, hoc eſt decem unciæ pānis, ei præſcribuntur, & aquæ ſexta pars : Hinc in potum dictum tribuitur, hoc eſt unciæ 40.

2. *Domus Iuda.*

Ezech. 4.

Similiter Ninivitis 40. dies dantur ad pœnitentiam, per civitatem & vicos ſingulos inclamante Jona : *Adhuc 40. dies & Ninive ſubvertetur.* Comminatio erat hanc involvens conditionem, Ninive ſubvertetur poſt 40. dierum tempus, niſi pœnitentiam egerit, niſi mores commutarit, & excidii ſententiam ad Deum converſa ſuſtule-

3. *Ninive.*

ſtulerit. Sic voluit Deus ſceleſtam civitatem 40. dierum termino præſcripto terrere, terrendo convertere, convertendo emendare, & penitus commutare. Verè etiam tunc tempus afflictionis & pœnitentiæ apparuit, dum Rex ſurgit è ſolio, veſtitur ſacco, ſedet in cinere & cilicio, dum tota civitas cum Principibus commutatur, & clamatur ex ore Regis & Principum: *Homines, jumenta, boves, pecora nihil guſtent & bibant. operiantur ſaccis, & clament ad Deum in fortitudine.* Quantus fuit tunc pavor, quantus mœror, quam miſeranda tantæ urbis imago? Hinc mugitus boum, balatus pecorum; rugitus jumentorum eſurientium; inde eodem tempore clamor & planctus parvulorum ac mulierum omnia complent æra, & confuſis undique perſonant vocibus ac lacrymis. Sed verè ſalutares ipſis hi 40. dies quibus Deum jejunio, oratione, pœnitentia placarunt: & excidii comminati ſententiam præverterunt.

4. *Filii Iſrael.* Addamus & de filiis Iſrael, quorum peregrinatio in deſerto quadraginta annis perduravit; quo quidem quadragenario annorum numero peracto, in terram promiſſam per varias afflictiones pertigerunt. Symbolum porro hic fuit peregrinationis noſtræ in hoc ſæculo, in quo per varias tribulationes ad terram contendimus viventium; ita ut quadrageſima hic per acta cœleſte Paſcha ibi celebratum ſimus, & quinquageſimum æterni jubilæi. Denique pernotum eſt quomodo *Moyſes & Elias* hoc quadragenario numero jejunium conſecrarint; ille in monte, iſte in itinere; ille ſultus Dei colloquio & non contemplatione, iſte confortatus Angelico pane; ille ut meretur accipere legem, iſte ut vires acciperet contra Jezabelem, & non timeret perſecutionem. Sic tempore legis, ſic tempore Prophetarum, ſic ante legem & Prophetas, in honore fuit quadragenarius hic numerus.

Moyſes & Elias quadragenario jejunio noti.

2. *Num. 40. myſticus in novo teſt.* Secundo myſticus fuit & hic numerus in novo teſtamento. 1. Nec enim ſine myſterio Chriſtus Dominus voluit infans quadraginta diebus permanere in Bethleem, in electo à ſeſtabulo, antequam offerretur à matre in templo: quia hunc numerum apte purificationi mentis noſtræ deſtinatum voluit indicare. 2. Nec ſine myſterio quadraginta diebus & noctibus voluit jejunare, non ſolum quia Elias & Moyſes eundem numerum jejunio conſecrarant, ſed etiam quia Goliath 40. diebus ſteterat exprobrans Iſraeli: hic autem typum gerebat dæmonis, quem ſuo jejunio quadragenario Chriſtus volebat profligare. 3. Nec ſine myſterio 40. menſibus (poſt jejunium quadraginta dierum) voluit prædicare & evangelizare. 4. Nec ſine myſterio poſt quadraginta horas à morte è ſepulchro voluit reſurgere. 5. Nec ſine myſterio per quadraginta dies à reſurrectione voluit in terris permanere, ut diſcipulos confirmaret, & erudiret de regno Dei frequenti ſermone. Sic ubique numerus iſte quadragenarius ſacer eſt, & myſticus. 6. Nec ſine myſterio quadraginta annis expectavit Chriſtus Judæos ad pœnitentiam, antequam per Titum afferret civitati ruinam.

1. 2. 3. 4. 5. 6.

Tertio, Poſt Chriſtum Eccleſia & Apoſtoli mox etiam in honore hunc numerum habuerunt, illum jejunio conſecrantes & orationi, exemplum Chriſti, exemplum Moyſis, exemplum Eliæ imitantes. Iſti enim duo ſicut jejunio Chriſti, ſic & noſtro viam initiarunt, & quadrageſimam noſtram ab Apoſtolis & Eccleſia inſtituend. m adumbrarunt. Unde de *Elia* legimus, quod cum iceret in torrente Corith, corvi deferebant ei panem & carnes manè & veſperi. At dum jacet ſub umbra Juniperi, Angelus ei ſolum panem & aquam miniſtrat. Non defecerant corvi, qui eum ut ante poterant paſcere. Nec difficile erat Angelo de convivio Regis Achab eiferculum providere. Nec illiberalior, vel impotentior erat Angelus, quam corvus. Sed voluit eum Dominus jejunare, voluit & exemplum in illo tunc dare quod jejunandum ſit in perſecutionibus, inquit *Tertullianus lib. de jejunio.* Voluit & ibi quadrageſimam noſtram adumbrare, in qua perſecutionem & paſſionem Chriſti Domini rememorantes jejunamus. Unde ſicut ille per ſubcinericium panem, ſic & nos per cineres inchoamus quadrageſimam, & per panem pœnitentiæ. Ac ſicut *Elias* per virtutem cibi illius ſcandit in montem Dei; ſic & præ animæ per jejunium ad montem orationis poſſunt pertingere. Denique ſignificabatur, per panem Euchariſtiæ (qui in ſubcinericio illo pane deſignabatur) quadrageſimam inchoandam, ut in virtute illius etiam feliciter conſummetur. Immò virtute panis iſtius (qui ſubcinericius ideò dicitur, quia ſub cinere noſtræ mortalitatis ibi latet virtus divinitatis) quandoque quibuſdam electis ſuis conceſſit Deus, ut integras quadrageſimas ſine alio materiali cibo poſſent jejunare, inſtar *Eliæ*. Sic aliquot quadrageſimas peregiſſe *S. Catharinam Senenſem*, teſtatur *Raymundus* in vita ejus. Nihil enim præter panem Euchariſtiam ſumebat, quo percepto miris afficiebatur modis. Similiter virgo quædam, *Felix* nomine, præcedenti ſæculo Romæ vixit, quæ quinque totas quadrageſimas ſola Euchariſtia traduxit ut teſtatur *Boſius tom. 2. libr. 15. cap. 2.* de ſignis Eccleſiæ. In territorio *Tullenſi*, ut teſtatur idem, quædam puella imperante *Ludovico Pio* triennio toto abſtinuit omni cibo & potu, poſt Euchariſtiam ſumptam. Similia referuntur de Sorore *Ludovica* de Aſcenſione, Ordin. *Sanctæ Claræ*, in Hiſpaniis adhuc modo vivente. Jam à 28. annis nonniſi Euchariſtia veſci traditur.

3. *Poſt Chriſtum in Eccleſia.*

3. Reg. 17.

Exempla Sanctorum ſola Euchariſtia viventium quadrageſimas.

Sed hæc extraordinaria ſunt, & divini favoris ſpecialiſſima judicia, ſicut & illa quæ in vitis antiquorum Patrum eremi legimus. Sic *Simeon Sty-*

Theodoretus in Philoteo.

Stylites perdius & pernox octoginta annos in columna 36. cubitorum stetit, & viginti octo quadragesimas sine ullo cibo aut potu transegit, ut merito portentum orbis, nec tam homo quàm Angelus esse visus sit. *S. Macarius* Alexandrinus totos 40. dies transegit; nihil comedens præter pauca cruda crambes folia die Dominico. Semper verò erectus stabat totis illis 40. diebus, numquam nec accubans, nec genu flectens, nec sedens, ut testatur

Pallad. in Lausiaca.

Palladius. *Simeon* Salus etiam 40. dies sine cibo ullo peregit, ut testatur *Leontius*, quod & à *S. Gerasimo Cyrillus* Monachus attestatur factum, virtute Eucharistiæ. Hæc verè cùm inimitabilia sint, solùm præcipit Ecclesia ex Apostolica traditione, ut quadragenarium hunc numerum jejunii Dominici veneremur, & pro posse imitemur unâ refectione in die contenti: simulque ut sacro isto tempore orationi, & piis vacemus operibus admonemur.

S. Franciscus plures sibi Quadragesimas constituit.

S. Franciscus tanto in honore hunc numerum quadragenarium habebat, ut quotannis plures sibi quadragesimas constitueret. Nam in primis ab Epiphania per 40. dies jejunabat in magno silentio magnaque abstinentia, solo pane & aqua contentus: sic venerabatur jejunium Christi Domini, quia eodem tempore jejunarat mox à baptismo suo, qui fuerat 6. *januarii*. Fratres autem suos benedictos dixit à Domino, qui futuris sæculis idem jejunium observaturi forent ad honorem & exemplum JESU CHRISTI. Deinde succedebat quadragesima, quam universalis Ecclesia observat in honorem passionis Domini usque ad festum Resurrectionis. Ultesiùs mox à Resurrectione &

Gallica Chronica Min. lib. 1. c. 21.

Paschate sibi constituebat quadragesimam, quâ se præpararet ad festum & adventum Spiritus sancti. Postmodum in honorem omnium Apostolorum, & præsertim Petri & Pauli, alios 40. dies abstinentiæ consecrabat. Rursus à festo illorum usque ad festum Assumptionis in honorem Beatissimæ Virginis sibi jejunium præscribebat 40. dierum. Denique, post festum Virginis quadragesimam alteram jejunabat in honorem Sancti Michaelis & Angelorum omnium. Undè & pro præmio in fine hujus jejunii sacra accepit stigmata, sibi per Seraphim impressa in festo Exaltationis sanctæ Crucis, dum in montem Alvernum orationis & abstinentiæ gratia secessisset. Sic anni maximam partem in quadragesimas partiebatur, in honorem Christi, in honorem Matris, ejus, in honorem Apostolorum, in honorem Angelorum, numerum hunc mysticum veneratus. Ac postremò in honorem omnium Sanctorum jejunium à festo illorum usque ad Natalem Domini continuabat.

Quadraginta illi Martyres, de quibus Romanum Martyrol. etiam hunc numerum maximè honorabant, dum unanimi fortitudine, unanimique consensu hanc orationem faciebant in tormentis: *Quadraginta in stadium ingressi sumus,*

Breviar. Martii.

quadraginta item; Domine corona donemur, ne una quidem huic numero desit. Est in honore hic numerus, quem 40. dierum jejunio decorasti, per quem divina lex ingressa est in orbem terrarum. Elias 40. dierum jejunio Deum quærens, ejus visionem consecutus est. Honoravit ergo & hunc numerum Dominus, quia cùm unus ex illis defecisset, Janitorem ad fidei confessionem subitâ animi mutatione perduxit, ut quadragesimam coronam consequerentur, & numerum sacrum adimpleret. Cumque Meliton natu minimus relictus foret, si forte tormentis victus deficeret, eum mater humeris tollens, & hortatu forti ad perseverantiam animans, in rogum cum cæteris Martyribus injecit: ut loco non separaretur, qui fide & animo non fuerat separatus, ut & numerum hunc mysticum adimpleret.

PARS II. *Christus quando esurierit. & quid*

Sicut *Moyses* divino alloquio & *Elias* pane Angelico sustentatus, non esurit totis 40. diebus, sic nec Christus; virtute scilicet divina humanam naturam absque fama conservante. Fuit enim ei facile caloris nativi vim cohibere, ne ageret in humidum radicale? Unde ob cibi potusque indigentiam eo tempore non fuit afflictus, debilis, macilentus, aut pallidus redditus; quamvis ob humi cubationem, ob pernoctationem, & ob alias assumptas austeritates in solitudine, corpori ejus afflictio non defuerit. Noluit autem famem pati eo tempore, ut notant SS. Patres, quia Deum sic se volebat ostendere: & ita consequenter debilitatem, maciem, pallorem ex jejunio oriri solitam voluit prohibere. Post 40. autem dies esuriem pati voluit, ut se hominem verum doceret, potu ciboque naturaliter egentem, & ut diabolo autam tentationis exhiberet. Unde S. Hilarius Matth. 4. sic ait: *Christus post 40. dies, non in 40. diebus esurit, & Moyse & Elia in eodem jejunii tempore non esurientibus.* Existimavit ergo diabolus Christum esurientem inferiorem esse *Moyse* & *Elia* & ideo audacius accedit ad tentandum de gula, sicut & primum parentem aggressus fuerat. In eadem sententiam sic loquitur D. Maximus hom. 5. de Jejunio Quadr. *Moyses non esurivit, ut in homine fragili operata divinitas probaretur. Esurivit Dei Filius, ut assumptionem carnis nostræ fragilem suscepisse hominem revelaret.* Addit Chrysol. ser. 11. *Esurivit Christus, ut tentandi materiam diabolus inveniret, tunc enim putavit posse tentari, quando eum esurire callidus explorator inspexit.*

Interim licet verè esurierit Christus post 40. dies, notant tamen Sancti Patres non tam cibū esuriisse materialem, quā hominum salutem. Sic enim expressit S. Hilarius: *Non cibum hominum esuriit sed salutem.* Cui consonat illud Ambrosii Luc. 4. *Christus qui 40. diebus esurire non potuit, ostendit non cibum esurisse sese corporis, sed salutem.* Nempè sicut in cruce dum inclamat, *Sitio*, licet sitim vere cor-

Hilar. Matth. 4.

oris, magis tamen sitim expressit amoris erga

erga hominum salutem, quorum maximè jam desiderabat consummare redemptionem: sic dicendo & hic de esurie, quod vere esuriebat cibum corporis, major tamen esuries erat respectu nostræ salutis, quia & hanc assumpti corporis esuriem, ad hominum referebat salute. Unde adverte, aliquoties in scriptura indicari Christum esuriem vel sitim passum fuisse, simul indicari in mysterio esuriē sitimque spiritualem eius.

1. *Esurijt Christus in deserto*

Primò, hic esuriisse indicatur; sed nonnisi lapides ei in cibum apponuntur. Lapis durus est, frigidus, & siccus, & ideo alimento est ineptus & nequit digeri, aut incorporari. Sic multi hoc tempore, dum eorum Christus esurit, salutem & cōversionem, nonnisi ei cor rebelle & durum, cor siccum & lapideū apponunt. Toti aridi & sicci permanent, sine ullo humore pietatis, sine rore devotionis: toti frigidi sunt, ita ut nihil in eis efficiat ignis divini amoris, flamma supernæ charitatis. Hi cibus aptus sunt dæmonibus: lapides enim sibi incorporat ipse, de quo *Cor eius indurabitur quasi lapis.* Descendunt ergo hi tandem in profundum stomachi ejus, nec eos evomit unquam; hoc est in profundum inferni, Hic est vēter ejus; imò & os ejus. Unde dicitur: *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque termino.* Infernus quasi os & venter dæmonis dilatat suam capacitatem in immensum, ut innumeros absorbeat; habet aviditatem & ingluviem ad vorandum. Est ipse instar hominis famelici & guloſi, qui dilatat gulam & rictum oris insatiabilem. Vide ergo hic in deserto duos esurientes, Christum & diabolum. Christus nostram esuriebat salutem, diabolus vero Christi & nostram esuriebat perditionem. Peccata nostra & culpæ ei sunt cibus delicatus, quo pascitur jam à sex annorum millibus. *Quando cibum nostrum deduxit in crapulam, & potum nostrum in ebrietatem diffundit, ut mentem faciat amentem, carnem reddat luteam, corpus animi domicilium, & Dei templum in scenam vertat criminum, tunc voluptatem percipit, tunc quibusdā quasi expletur epulis,* inquit S. Chrysost serm. 12. Delectatur ipse tamquam esca sibi propria luto nostræ libidinis, avaritiæ arena, veneno invidiæ, sulphurea flamma iracundiæ & impatientiæ: *Inundationem maru quasi lac sugit,* hoc est, hujus sæculi flagitiosi peccata amarissima & falsissima ei lactis instar sunt suavia. Hæc verò abhorret Christus esuriens, qui nec luto pascitur, nec terra, nec veneno: & tamen homines hujus sæculi vix aliud ei in cibum proponunt, ideoque cogitur eos evomere, & à se abjicere, ac reprobare.

Cibus Dæmoniū lapu & peccata. Iob 41. Isai. 5.

Deut. 33.

2. *Christus esurit ad fontē Iacob. Ioann. 4.*

Secundò esuriebat & sitiebat Christus *Ioan. 4.* ideo miserat Discipulos in civitatem, ut panes sibi compararent; & Samaritanam alloquitur, aquam ab ea expetens. Verum satis tunc manifestavit se esurie sitique spirituali magis affectum fuisse, quam corporali. Unde cum Discipuli redeuntes dicerent, *Rabbi manduca;* respondet: *Ego alium cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Cumque illi admirantes dicerent ad invicem: *Numquid aliquis ei attulit manducare?* Respondit denuò: *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, & perficiā opus ejus.* Esuriebat ergo & sitiebat conversionem & salutem hujus peccatricis; hanc sibi optat incorporare, quasi escam delicatissimam, sed condimento vult aquæ vivæ prius præparatam, & contritionis igne benè coctam. Nempè cor contritū & humiliatum ferculum ei gratissimum est, quod non potest despicere. De cinere pœnitentiæ nostræ, cum aqua lacrymarum, frumētum & panem sibi efficit deliciosum. Non ergo reficit Christus esuriens peccatores, si non sint instar lapidum duri, obstinati, & rebelles. Sed gratia divina illos per gratiam divinam sic condire novit, sic coquere, ut fiant dapes deliciosæ. Vis hujus rei quandam figuram? Attende quid Rebecca fecerit, ut benedictionem à Patre filio suo conciliaret. *Affer mihi,* inquit *duos hædos primos, ut faciam ex eu escas Patri tuo, quibus libēter vescitur.* Sic Ecclesia bona mater, ex hædis, id est ex peccatoribus, escam parat Deo, qua lubenter vescitur, dum cōdimentum ad dit eis efficacis pœnitentiæ. De hac re sic loquitur Franconius Abbas tom. 3. de gratia. *Vere sapiens mulier, quæ sic novit hædos coquere, sic condire, ut etiam gratiam cervorū coquent, aut superent: gaudium enim est Angelu super peccatore, magis quam super nonaginta novem justis.* Hoc Ecclesia, hoc divina efficit gratia, utraque vere sapiens *Rebecca.* Sic *B. Petro* esurienti linteum demittitur quatuor initiis è cœlo, serpentibus & animalibus, immundis quadrupedibus & volatilibus plenum, diciturque ei: *Occide & manduca.* At ipse. *Absit Domine, quia numquam manducavi commune aut immundum.* Cui vox divina *Quod Deus purificavit, commune ne dixeris.* Vasque receptum est in cœlum, quasi Dei cibum continens. Hic Gentiles peccatores immundi designabantur: volatilia designabant superbos, serpentes designabant invidos & iracundos, quadrupedes designabant avaros & lubricos, & hi converti debebant ad fidem, & in cibum Dei cedere, Christoque ac Petro incorporari: sed prius occidi debebant, & mori peccato, & divina condiri gratia, antequam cibus fierent electus, & in Christi, & Ecclesia membra transirent.

Figura.

Gen. 27.

Act. 10.

Tertiò, esuriit Christus altera die ab illa qua in triumpho exceptus fuerat cum palmis: unde mane revertens è Bethania in civitatem, videns fici arborem secus viam, venit ad eam, & nihil invenit nisi folia, atque: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Utique nihil commeruerat ficulnea, quia nec ficuum tempus erat, sed designabantur steriles animæ & infructuosæ, quibus semper est tempus fructificandi, ut esuriem Domini pascant, quia cœlesti rore & influxu numquam carent. Et quia cum ab eis Dominus fructum requirit, nonnisi folia reperit; eas arefacit & maledicit. Non pascitur Dominus solis foliis, fructum maturum requirit interim multi sola ei folia apponūt in escam. Quid

3. *Christus veniens è Bethania esuriit. Matt. 21.*

sūt folia? Proposita inefficacia quæ minimo tentationis vel occasionis statu evolant; nec emendationis voluntates sunt efficaces, sed vellcitates volaciles. O quàm multi ad pœnitentiam Domino interius exteriusque hortante invitati, semper proponunt meliora, & deteriora sequuntur? Esurit Dominus eorum salutem, eum verò solis pascunt foliis, hoc est verbis & inanibus propositis, Hi tandem maledictionem & arefactionem merentur, ut sint esca ignis.

4. *Christus esurijt in cruce.* *Psal. 68. Deut. 32.*

Quarto, Esurijt Dominus & sitivit in cruce, sed conqueritur. *Dederunt in escam meam fel, & potaverunt me aceto.* Hoc agunt in peccatis permanentes, qui amaritudine mira os divinum afficiunt, conversionem eorum dum esurit & sitit: Fel draconum, uvam Sodomæ & Gomorrhæ, botrum amarissimum ei proponunt ut dicitur.

5. *Quotidie adhuc esurit, Apoc. 3.*

Postrèmò, dicamus quotidie esurire Dominum salutem nostram, & velut ostiatim mendicare apud nos, quandoquidem dicat. *Ego sto ad ostium, & pulso.* Nec tamen tam mendicatio est indigentis, quàm amica deprecatio nobiscum edere optantis. Unde addit, *si quis aperuerit, cenabo cum eo, & ipse mecum.* Sum vult ipse afferre ferculum, si & nos aperiamus, & conferamus nostrum. Si nos contritionem confessionem, satisfactionem offeramus, si voluntatis pias affectiones, intellectus sanctas cogitationes; ipse cœlestium gratiarum copiosa collatione nos deliciosè pascet & reficiet.

LECT. 5. tripart.

EADEM DOMINICA.

Accedens tentator dixit, si filius Dei es, &c.

Matth 4.

PARS I. *Cur Diabolus Tentator dicatur.*

INter varia nomina, Tentatoris nomen sortitur diabolus, quia hoc ei proprium est munus, in quo assiduus est jam ab initio sæculi, & in finem usque perseverabit. Unde de illo sic loquitur S. Chrysol. ser. 15. *Diabolus malus auctor, nequitiæ origo, hominum semper hostis, laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, errores serit, discordias nutrit pacem turbat, affectus dissipat, dat virtutes odio, vitia dat amori, violat divina, humana tentat.* Ab illo igitur prima hominis culpa & mortis naufragiū prodierat, dum tentatione supplantat Adā primū in paradiso: nunc quoque sperat non absimiliter vincere. Adam secundum esurientem in deserto. Sic numquam odio stimulante desperat de certamine. Præclarè S. Leo ser. 3. de Quadrag. *Viderat suam superbiam baptizati Domini Iesu humilitate calcatam, intellexerat quadraginta dierum jejunio omnem cupiditatem carnis exclusam. An tamen desperat? Non desperavit de arte sua malitia, tantumq; sibi de natura nostra mutabilitate promisit, ut quem verum experiebatur hominem, præsumeret fieri posse peccatorem.* Adamum se videre putavit, ubi famis passionem agnovit; inde ergo accedendi & aggrediendi ansam arripuit.

Sic nempè incentor ille, auctorque peccati, cum nos tentare disponit, semper occasionem, vel patentem, vel latentem arripit, explorans qua parte infirmior sit animæ nostræ murus & munitio, ut inde adoriatur & expugnet. Vide id in particulari. Pauper forsitan es & multis indigens? Tunc te tentat de impatientia, de diffidentia, de juramentis, de familiæ turbatione: quia egrè fers inopiam, & illā modò in uxorem, modò in liberos, modò in ipsum Deum iniquè refers & turbide. In conjugio multa es prole oneratus? Tentat de avaritia, de coacervatione per fas & nefas, de negotiatione periculosa tibi & conscientiæ tuæ, de fraudibus, & injustitiis palliatis. Nihil enim aliud animo tuo repræsentat, quam pretiosum illum prætextū; *Oportet commode vivere & honoratè, oportet proles & conjugē juxta statum suum alere, oportet illu providere.* An fortè in prosperitate agis, & opibus abundas? Tentat de superbia, vanitate, ambitione, luxu, suggeritq; tibi: *Tu potes lautè agere, & in delicijs vivere, honoresque prehensare, opes tibi paratæ sunt, quibus & delicias & honores consequaris.* Es tu tua sorte cōtentus, mediocri gaudens possessione? Suscirat potentiorem te, vel æqualem; qui tuis inhiet, qui lites moveat, qui ad impatientiam & turbat onē maximam te concitet. Est ne aliquod verbum onerosū, vel injuriosum in te leviori lingua cujuspiam profusum? Tentat de vindicta, de maledictione, de juramentis, aliisque vitiis iræ & vindictæ affinibus. Sitim aut esuriem pateris; Tentat de gula & crapula. Tu forsitan es ætate juvenis & vegetus? Tentat de luxuria, vanitate, & otiositate, conversationi periculosæ te implicat & occasionibus, ut tandem in peccatum corruas. Hoc tibi proponit: *Oportet latā transigere juventutem, more aliorum consimilis aleatu & sortu; choreas, ludos, alea detractare tibi foret: oppr. brio.* Est ne puella aliqua ad conjugium adspirans? Si illi blanditias exhibeat fallax juvenculus quispiam, tentat hanc dæmon de ambienda libertate, ipsem proponit conjugii, etsi inæqualis sit qui proeatur. Et ut sibi viam sternat certiorem ad conjugium, persuadet tandem satan se illi prostituere. Est ne aliquis conjugatus? Persuadet illi se qualibet ratione cōjugio uti posse. Sic omni conditioni hominum insidiatur, captans occasionem illi conditioni affinem, scrutans unius cujusque inclinationem, escamque proponens & laqueum mendacio obumbratum. Ideo dixit S. Leo, *Incentor ille auctorque peccati, primum superbus ut caderet, deinde invidus ut noceret, quia in veritate non stetit, totam vim suam in mendacio collocavit; omniaque deceptionum genera de hoc venenatissimo artu sua fonte produxit: ut ab illo bono, quod ipse propria elatione perdiderat, spem humanæ devotionis excluderet.* Quilibet igitur vigilāre debet, & sibi prospicere: nam & Sapiens ut nos cautos efficiat, sic monet. *Agnosce, quòd in medio laqueorū transis.* Sic legit S. Chrysost. & aliisancti Patres, ubi nostra lectio habet: *in medio laqueorū ingrederis.* Rectè autē dicit. *agnosce*, non dicit *aspice*: etenim obumbratus est laqueus, & ideo opus est multa- Eccl. 9.

multa cõsideratione, quia sicut pueri laqueos quibus aves irretire optant, terra, vel herbis, vel alia ratione contegunt, sic & dæmon vitæ voluptatibus peccata circumtegit, & dissimulat, inquit S. Chrysost. Audi ejus monitum hom. 15. ad pop. Antioch. *Si lucrum tibi occurrerit, ne lucrum adspicias solũ, sed & diligenter scrutare, ne forte mors & peccatum intra lucrum sit absconditum. Rursus si delectatio occurrerit, ne illam solùm respicias, sed vide ne iniquitas aliqua in voluptatis profundo sit obumbrata. Si unus aut duo tantum laquei forent, facilè esset custodia; nunc autem multitudinem ipsorum Salomon ostendere volens, dicit: Agnosce, quòd in medio laqueorum pertransis; non dicit juxta laqueos, sed in medio laqueorum: utrinq; nobis voragines, utrinque doli.* Hæc ille. Sæpè laqueus est uxor; sæpè filii, sæpè amici sæpè tuipse tibi: *Laqueos posuit satan in divitiis, in paupertate, in cibo, potu, somno, vigilia, in verbo, in opere, in omni via nostra; sed tu Domine, libera nos de laqueo venantium ut confiteamur tibi: Benedictus Dominus, quia anima nostra sicut passer erepta est.* Ita loquitur Augustin. Soliloq. c. 16. & 17. Plura hac de re dixi horto Pastorum, tom. 2. tract. 3, lect. 9. ubi de tentationibus fusè tractavi; poteruntque ad hoc Evangelium pleraque referri.

Si Filius Dei es, dic ut lapides panes fiant.

PARS II. *De 1. tentatione qua Christum Satan tentavit.*

HActenus dubitasse videtur Sathan de Christi divinitate, ideoque eã certius voluisse hic ex plorare censent SS. Patres. Licet enim ex Prophetarum vaticiniis, ex Angeli sermone cũ Deipara Virgine, ex nativitate ab Angelis honorata à Pastoribus & Magis adorata, à justis in templo prædicata, ex voce cœlesti Patris in baptismo filium suũ proclamante, ex verbis Joannis sese corã illo humiliantis, & testimonium ei dantis, potuerit agnoscere hunc esse verum filium Dei; intellectus tamen ejus quodammodo ligabatur, & impediebatur in pœnã peccati, ne cũ perfectè agnosceret. Sicut enim vim illius ad nocendum, sic & vim ejus ad intelligendũ Deus pro sua frænat providentia. Unde August. li. 9. de Civit. c. 21. *Tantum Christus dæmonibus innotuit, quantum voluit: tantùm autem voluit, quantũ oportuit.* Adde quòd non obstantibus his testimoniis, è cœlo & terra, ab Angelis & hominibus, semper aliquid ejus intellectui propositum fuerit dubietatem afferens. Nam vilia quædam & indigna Deo perspiciebat, quæ obcæcante superbia cũ divinitate posse conjungi vix opinari poterat. Unde S. Ignatius ep. 8. ad Philip. sic eum alloquitur: *Te, ô dæmon, Angelorum laudatio obstupefaciebat. Magorum adoratio exortus stella. Adignorantiam denuò redis, ob ea quæ cernis vilia. Nam exilia tibi videtur cunabula, arumna, circumcisio, lactatio, fuga in Ægyptum indigna tibi hac Deo videntur.* Sic declaratus quidẽ fuit à Patre publica voce filius dilectus, & id ei suspicionem ingerit divinitatis: sed nescit certo an filius naturalis sit, an adoptivus. Sic jejunium 40. dierum priorem opinionem firmare videtur: sed dum esurire cernit, jam suspicatur purum hominem. Nempè ideò voluit esurire, voluit & vilia ac infirma subire, ut divina celaret, ne fortè impediretur passionis ejus fructus. Nam licet inclamarint postmodum dæmones se scire ipsum esse filium Dei; hoc tamen non cum certitudine, sed cum opinione (ob potestatem quam in ipsos exerebat) asserebant: *Namquam eum crucifixissent, si Dominum gloriæ agnovissent.* 1. Cor. 2.

Itaque cùm certus non foret Satan de ejus divinitate exploraturus accessit specie quadam visibili & humana (hoc enim indicat verbum, *accessit*, quod motum progressivum significat, & sermo exterior quo Christum alloquitur, & aliæ pleræque circumstantiæ narrationis Evangelicæ id postulant) & dixit ei: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Quasi dicat: Auditum est cœlesti voce, accedente etiam Joannis testimonio, te denunciatum esse filium Dei. Id si verum est, cur sic fame discruciaris, qui vel solo verbo tuæ fami potes succurrere? Fac potius tuo jussu & verbo, ut lapides isti in panes cõvertantur, ut esurientem pascas ventrem. Id si recusas, frustrà vel tibi persuades id te esse quod diceris, vel alios id de te credituros expectas. His verbis & adulatur, & pungit, ut si esset verè filius Dei. id modo necessario demonstraret, tanquam rubore suffundendus, si non crederetur esse Dei Filius. Sic ẽnim S. Chrysost interpretatur hæc verba, tamquã adulantis dæmonis, & dolosa Christum adulatione palpantis; quia per blandimenta laudum aliquid se suffuraturum existimabat Cæterum ponderanda sunt hæc verba: *Dic ut lapides isti panes fiant.* *Chrysost. ho. 13. Theophil. Matt. 4.*

Primo quidem, solos lapides proponit Christo, quia aliud ei ad tentandum non suppetebat in deserto, nulla ibi Eva sicut in paradiso, nulli fructus visu delectabiles & gustu, quibus secundum Adam supplantaret, & deciperet, sicut decepit primum. Hoc advertit S. Amb. ser. 35. de jejunio Domini, ubi sic ait: *O misera Satane & extrema congressio! Diabolus in deserto solida tentationis arma non invenit. Deest illi de paradiso amœnitas arborum, deest consiliatrix Eva, deest species pomorum decerptrix: & quia non invenit cibum quem offerret esurienti, & postulat in cibum saxa mutari. Vadit, exclusus ad pavimenta se confert.* Addit postmodum idem S. Amb. Versutus & callidus scit quid petat, novit factum esse quod dicit, meminit aquam de lapide sitientibus profluxisse, velit etiam hic esurienti panem de lapide ministrare, & asperitatem saxi in panis dulcedinem transformari. Rectè hic notant quidam, fideliorem esse dæmonem incredulis hæreticis, qui transubstantiationem fieri posse negãt in Eucharistico Sacramento; cùm ipse crediderit dæmon filium Dei lapidẽ in panem posse vertere. Utique & hoc potest, & istud alterũ in Eucharistia potest, qui uxorem Loth in statuam salis, virgam in serpentem, undas in sanguinem, aquã in vinum potuit transmutare: & si isti incredduli hanc ejus potentiam & gloriam denegarint vel tacuerint, lapides clamabunt, & testimonium contra eos dabunt. *Nota 1. Satan cur Christo proponat lapides.*

Quos licet ad petitionem Satanæ noluerit Christus in panes transmutare; id tamen potuit, qui etiam potens est de lapidibus istis filios Abrahæ suscitare. Hoc interim etiam hic ad morum institutionem animadversione dignum est, quidquid nobis dæmon præsentat dum nos tentat, lapides esse si benè inspiciamus; quamvis panem quo vescamur, escamque delitiosam esse fingat & coloret.

Opes & voluptates lapidu.

Quid enim opes? quid honores? quid voluptates quibus nos inescat? Lapides sunt digestionis duræ, & grave pondus advehunt nostræ conscientiæ. Unde de avaris & injustis dicit Sapiens. *Suavis est homini panis mendacij, sed implebitur os ejus calculo.* Hoc est; tanta erit postea ei molestia conscientiæ, quasi lapillos comedere cogeretur pro pane. Sic & de voluptatibus suis adulterinis pronuntiat David: *Sicut onus gravè gravata sunt super me.* Quasi dicat: Instat lapidis molaris aut importabilis aggravant me, & in profundum nituntur me mergere. Sic de Nabal dicitur, quòd cum genio & ebrietati indulsisset, sequenti die *cor eius induratum est quasi lapis.*

Prov.20.

Psal.37

1.Reg.25.

Secundò, non sine emphasi dicit Satan: *Dic ut lapides isti panes fiant.* Dic, inquid, quia filius Dei solo Verbo condidit universa, ipse enim dixit, & facta sunt. Hoc advertit Beda; sic ajens: *Dic, non fac, dicebat dæmon quia scriptum noverat; Dixit Deus fiat lux, & facta est lux.* Sic & Haymo: *Quare non dixit diabolus, fac de lapidibus panem, sed dic ut fiat? Quia in hoc experiri volebat, utrum ipse esset filius Dei, qui in exordio mundi cuncta creavit de nihilo dicens, fiat hoc vel illud, & factum est.* Hæc verò lapidum in panes transmutatio dæmoni fuisset argumentum certum Christum esse verum filium Dei; tum quia nemo præter Deũ creaturas immutat suo arbitrio & imperio; tum quia Deus miraculorum signis nũquam mendacio suffragatur; sed indubitanter verum est, quod miraculo à Deo probatur. Si itaque Christus miraculum hoc edidisset, ut se filium Dei demonstraret, non amplius ea de re dæmon ambigeret; & tunc quo ad in se foret, redemptionis fructum impedire conaretur.

Nota 2. Cur Satan lapides voluerit in panes transubstantiari.

Tertiò, ita dæmõ explorate conatus est, an Christus esset filius Dei; ut etiam simul in aliquod peccatum pelliceret: nam partim ad gulæ vitium, partim & magis ad inanem gloriam & vanam sui ostẽtationem pertrahere eum conatus est. Ad gulæ quidem vitium, quia licet non esset gulositatis Christum esurientem comedere panes ex lapidibus factos, tamen occasione famis obedire aliqua in re diabolo, gulæ adscribendum foret. Unde S. Thomas sic ait: *Vti necessariis ad sustentationem non est peccatum gulæ; sed quod ex desiderio huius sustentationis homo aliquid inordinatum faciat, ad vitium gulæ pertinere potest. Est autem inordinatum, quod aliquis ubi potest haberi recursus ad humana subsidia, miraculosè sibi cibum quærere velit pro solo corpore sustentando, & ideo putabat diabolus, quod Christus peccaret, si ad subveniendum famis miraculum attentaret.* Ad inanem verò ostentationem hic etiam Christum inescabat: quia non est proferendum miraculum, nisi cum Dei id poscit gloria, aut charitas fraterna, non petentis libido, vel curiositas vana. Unde nec Herodem dignatus est Dominus aliquo miraculo. Quocirca respõdet hæc tentatio illi, qua primos parentes aggressus est. Tunc enim occasione prohibiti & cibi & arboris scientiæ, eos ad gulam & excellẽtiæ vanam appetentiam provocavit: ita nunc per cibi occasionem, ad gulæ vitium, & inanem excellentiæ declarationem, conatur adducere Christum. Sed nihil proficit hic diabolus. Audij S. Ambr. *Noverat eius versutiã Salvator, ideoque eam mira responsione confutat: nec facit quod dicit diabolus, ne videatur pro arbitrio adversarij virtutis suæ gloriam declarare. Nec tamen respondit, non posse id fieri, qui negare non poterat, quod sæpè fecerat; Agitur nec acquiescit petenti, nec denegat exploranti, ac per hoc potentiam virtutis suæ suo reservat arbitrio, & versutiam adversarij divino confutat eloquio.*

Notatur Satan Christũ tentat gula & inani gloria.

S.Tho.3.p.q.41.ar.4.

Ambr.in c.4.Luc.

Nempe ipsum initium potestatis suæ & miraculorum suorum non ad petitionem dæmonis erat facturus, lapidem in panem transmittendo: sed ad petitionem suæ matris primum signum erat editurus, vinum in aquam convertendo. Hoc debebatur matris dilectione & gloriæ suæ apud discipulos manifestationi. Istud denegandum erat insidiosæ dæmonis, tentationi; quia nec ipse sicut discipuli credidisset. Imò gloriari potuisset ad instantiam suã primum miraculum editum fuisse, & quasi sibi signorum primitias dedicatas esse: cum tamen Patri in cælis, Matri in terris, discipulisque novellis ad propagandam Dei gloriam dedicandæ reservarentur. Unde Aug. 41. de verbis Domini: sic loquitur: *Non fecit Dominus de lapidibus panes, quod potuit facere sicut de aqua vinum. Sed non fecit, ut voluntatem contemneret tentatoris. Aliter enim tentator non vincitur, nisi contemnatur. Vinum fecit ex aqua. Et crediderunt in eum discipuli eius ait, Evangelista. Numquid diabolus erat crediturus?* Sic etiam dicit eleganter S. Chrysolog. *Potest de lapidibus panes facere qui aquas convertit in vinum: sed signa fidei sunt præstanda, non sunt danda tentanti.* Diabole, *tibi ut quid signa cui nihil subvenit ad salutem?* Notat quoque S. Epiph. hærel. 66. *Christum nõ voluisse dæmoni suggestioni morem gerere, ne in aliquo videretur ab illo doctus; ut nec nos quicquam ab illo acceptemus oblatum, vel cum illo ullũ habeamus commercium, cuius intentio non est alia, quam ut fallat, & à Deo nos abstrahat.* Ubi igitur sunt qui Christianos se profitentur, nihilominus non verentur per dæmonem, Christiani nominis hostem, vel per ejus ministros, sanitatem propriam, vel sanitatem peccorũ suorum procurare, res perditas recuperare, opes & honores ambire, matrimonia sibi conciliare? Hoc agunt quicumque superstitionibus & aliis illicitis mediis ad hæc contendunt. Longè consultius ei foret, sic se cum Satana & impiis ejus ministris gerere, sicut Abraham cum Rege Sodomorum,

Christus cur tentatori Satanæ non consenserit.

morum, cui dixit. *Levo manum meam ad Dominum meum excelsum, Regem cœli & terræ, quod à filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.* Longe satius foret eos Christum imitari, qui fame etiam urgente noluit impii vel consilium in speciem bonum audire. Quapropter respondet ei:

Gen. 14.

Christus panem vertit in lapidem.

Non in solo pane vivit homo, &c.

Sic nimirum non lapidem in panem, sed panem vertit in lapidem: id est, scripturam de pane loquentem vertit in lapidem talem, quo supplantet dæmonem. Nonne Goliath supplantavit David lapide electo de flumine? Fluenta electa sunt sacra eloquia Dei, è quibus aliquot elegit Christus lapides, quibus Satanam in deserto profligavit. Et hic est primus lapis: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Id vero desumptum est ex illo,

1. Reg. 17.

Deut. 8.

Affixit te Deus penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu, & Patres tui. Ut ostenderet tibi quòd non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Cui conforme est, quod Sapiens dicit: *Ut scirent filii tui quos dilexisti Domine, quoniam non nativitate fructus pascunt homines: sed sermo tuus hos qui in te credidérunt, conservat.* Sensus ergo est: Homo potest vivere non tantùm solo pane, sed ex omni re quam jusserit Dominus, & ordinarie ad vitæ sustentationem, sicut ex Manna Israeliticus populus multis annis vixit. Sic ergo rectè Christus eludebat, & elidebat tentationem dæmonis. Quasi diceret: Non opus mihi miraculo licet esuriam, quia quocumque voluerit modo potest me Deus alere, etiam sine pane; nam & herbis, & Manna, & alia qualibet re, imò & solo me verbo, imperioque suo sustentare, valet. Denique quid opus lapidem in panem convertere? Mox imperio oris sui per suos ministros mihi de cibo providebit, & esurientem pascet. Hoc licet non expresserit Christus, prævidebat tamen & præsciebat quod Angeli cibum erant ministraturi.

Sap. 16.

Quomodo autem Deus possit qualibet re alere, patet tum in Elia & Moyse, tum in his quos diximus supra per menses & annos, oratione, & sacra communione corporaliter; & spiritualiter sustentatos. Potest etiam hic intelligi, quòd Christus à carnali alimento ad spirituale sermonem vertere voluerit, ut eluderet tentationem. Unde S. Ambr. sic interpretatur. *Vivit homo omni Verbo Dei, id est, alimento Verbi cœlestis quo alitur anima, & pro illo fames corporis est negligenda.* Sic Christus voluit significare, se potius appetere cibum animi, quàm corporis, & ad idipsum voluit exemplum nobis dare. Quod est autem verbum Dei? Christus Dominus, qui apponitur nobis cibus in Sacramento. Quòd est Verbum Dei? Sacra eloquia, quæ ex ore ejus procedunt. Quod est Verbum Dei? Lectio, oratio, contemplatio rerum divinarum. Quod est Verbum Dei? Inspiratio & pia omnis cogitatio à Deo procedens, & animam pascens ac reficiens. De his homo vivit ut homo, quia illis mens, primaria in homine pars, vescitur perjucundè & saporosè; arescit verò dum oblivisciturhunc panem comedere, De quo plura alibi.

V. latius. Hort. Pastor. tom. 2. tract. 3. cap. 17.

Esca in lapides conversa.

Quidam nobilis Hildesii in terra Brunsvicensi, cum non obstante multorum dissuasione, die Veneris sancto coctum ovum comedere vellet, mox illud in lapidem conversum invenit. Quem lapidem in Sancti Godardi Monasterio se vidisse testatur P. Franciscus Costerus in Concione Dominicæ 4. Quadragesimæ. Audi & aliud.

Quidam pauper decrepitus accedens portum, à Nauclero eleemosynam petebat, & urgebat satis importunè. Ille commotus: *Abi*, inquit, *senex, nihil hic aliud habemus prater lapides.* Tunc pauper: *Si lapides dicis qua tua navis continet, omnia in lapides vertantur.* Mox quicquid navis comestibile continebat, in lapides versum fuit. Testis est Gregorius Turonensis, de glor. Confessorum c. 107. qui testatur se vidisse dactylos & olivas instar lapidum. Nam cum omnia in lapides versa forent, non tamen colorem, aut formam priorem amiserunt. Nauclerus autem inquisitum senem numquam potuit reperire, & pœnitentia motus lapides istos in varias civitates direxit in exemplum. Non absimile quid Gandavi contigit, ubi ostenduntur panes in lapides conversi, ob similem causam, dum sorori suæ panem mutuum petenti, altera negaret se ullum panem habere.

EADEM DOMINICA.

Si Filius Dei es, mitte te deorsum, &c.
Matth. 4.

LECT. 6. De 2. *Christi tentatione.*

HÆc est secunda tentatio, hoc novum prælium Satanæ cum Duce nostro; quo significatur nos non esse securos, licet Satanam contigerit quàdoque repulisse: quia nova certamina novit instaurare, nova ejaculari tela, Unde cum uno in loco victus est, alium certaminis locum quærit, numquàm quietos nos sinens, ut cum nequit prælio, vincat vel tædio. Hinc etiam dicitur insidiari calcaneo nostro, quia usque ad extremum vitæ nos persequitur. Propterea apparens Sancto Martino initio conversionis (cum in Pannoniam pergeret, lucem fidei parentibus infidelibus annuntiaturus) interrogabat: *Quò pergis?* Respondet Martinus: *Illuc pergo quò me Deus ducit.* Tunc ille: *Scias quo cumque perrexeris, me tibi fore infestum; nec umquam te deseram.* Hoc patuit successu temporis, quia multiplices ei tentationes continuò ingessit, & in fine vitæ ei conatus est adversari. Itaque dæmon qui primum certamen inierat in cælo, ubi victus fuit & præcipitatus: mox secundum instauravit in Paradiso, ubi vicit, & ex eo hominem præcipitavit: jam adhuc sperans, tertium inchoat in deserto, & quia ibi nihil obtinet, quartum restaurat in mundo, in medio civitatis, in pinnaculo & templo.

Assumpsit ergo eum diabolus. Non quòd è potentia

tentia diaboli id penderet, immò potiùs è patientia Christi. Permisit igitur vel se duci per viam, vel se deferri per aërem; & tamquam athleta ad tentationem sponte profectus est, quocumque voluit inimicus, ut illum ubique vincens, undequaque infirmiorem ostenderet. Sic & duellantes nostri quandoque eandem conscendunt rhedam, & civitatem eodem vectore egrediuntur ad locum duello destinatum. Unde Origenes hom. 31. in Lucam sic de hac re loquitur: *Non formidabat Christus tentantem, nec insidias pertimescebat inimici. Et quodammodo loquebatur; Duc quò vis, tenta ut placet ad tentationem me sponte tribuo, invenies fortiorem.* Aliqui ex sacris interpretibus putant Christum non per aërem ductum; sed per viam. Nam & Matth. 17. dicitur: *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem*: Non tamen hinc sequitur eos per aëra duxisse. Alii delatum pinnaculum per aërem affirmant cum S. Gregorio, hoc enim indicant illa verba; *Statuit eum super pinnaculum templi.* Forsitan dixerit hic quispiam admirabundus; Itane Domine Jesu, potestatem das in te hosti tuo? Itane decet Filium Dei à Principe tenebrarum per aëra portrahi? Quis crederet, nisi sacra Scriptura indicaret? Respondet verò S. Gregorius. *Quid mirum, si se permisit à diabolo in montem duci, qui se pertulit à membris illius crucifigi?* Potestate ergo illius spirituali deferri se passus est, sicut olim poteſtate spirituali Angeli *Abacuc* de Judæa in Chaldæam, *Philippus* de Azoto in occursum Eunuchi ductus est. Nec congruebat tunc eum diabolo ducenti obsistere, ne divina in ipso potentia agnosceretur, quam hactenus voluit celare. Forsitan etiam Christus se invisibilem in raptu illo fecit, etiam id non advertente diabolo, ut indicat S. Thomas ex Chrysostomo.

Christũ assumpsit.

Simile.

S. Tho. in Matt. c. 4

Dan. 14. Act. 8.

S. Tho. 3. p. q. 41. a. 4.

Per hanc translationem etiam significavit, se certis quandoque de causis velle permittere potestatem aliquam corporalem dæmoni in electos suos, quæ tamen animæ nocumentum nullum afferat. id verò permittit, tum ut humilientur, tum ut Dei opera manifestentur.

Deus dæmoni sanctos vexare corporaliter permittit.

Sic *S. Iob* à Satana toto percussus est corpore, à capite ad calcem usque pessimo ulcere omnia depascente; quam potestatem ei Deus tribuerat ad tanti viri probationem.

Iob 2.

Sic S. Antonius incursantibus dæmonibus sæpè corporaliter læsus fuit; ita ut quodam die prostratus in terram inclamare cogeretur. *Vbi eras bone Iesu, ubi eras? Cur à principio non adfuisti mihi, ut vulnera mea præ venires, vel sanares?* Respondit Dominus: *Antoni hic eram, spectabam, certamen tuum; nunc quia viriliter dimicasti, semper tibi auxilio ero, totoque orbe te faciam nominari.*

Athan. in vita S. Antonii.

Sic quoque refert S. *Sulpitius* in vita S. Martini, sanctum quemdam Eremitam petiisse & impetrasse à Domino, ut per aliquot menses à dæmone quoad corpus agitaretur, ob superbiæ periculum.

Sulpit. dial. 1.

Sic Stagyrites Monachus, ad quem libros scripsit de providentia S. *Chrysost.* arreptus fuit à dæmone, non cùm in sæculi deliciis vir nobilis versaretur, sed cùm vitam monasticam sanctissimè duceret. Ergò à dæmone vexari, aut transferri non semper malum est.

Quidam verò servi Dei è contrario dæmoni imperarunt, ut ad certa loca ipso vehente & obediente transferretur. Admirabile est hac in re quod de S. *Antidio* Bisontionensi referunt graves auctores. Hic cùm quadam feria 3. post Dominicam Palmarum transiret pontem Duvii fluminis; vidit agmen dæmonum gesta Principi referentium. Inter cæteros vidit Æthyopem cum sandalio, quo tamquã judicio, Romanum Pontificem (cujus erat sandalium) per septennium impugnatum ad fornicationem se pertraxisse asserebat. Tunc vir sanctus ad se hunc evocans Æthyopem, in virtute Dei & sanctæ obedientiæ, ejus dorsum conscendit: & eo vectante *Romam* venit feria quinta hora celebrandi officii. Cumque præcepisset dæmoni præforibus expectare, quod gestum erat, insinuavit Pontifici, eumque negantem per sandalium ad pœnitentiam movit. Sic Missa vice ejus à se celebrata, & parte Chrismatis à se consecrati assumpta, revectante Æthyope ad Ecclesiam suam rediit *Sabbato sancto* hora celebrandi officii; Ita *Sigebertus* in Chronico ad annum Domini quadringentesimum undecimum, & *Io. Raulinus Doctor Theologus* fer. quintæ post Dominicam 3. Quadragesimæ. Ex his igitur non incredibilis fit Christi per diabolum de loco in locum translatio, in ejus confusionem permissa.

Porrò in hac tentatione secunda sic secum videtur dæmon argumentatus: Hic si filius Dei est, sciet quis sim ego, neque patietur se à me tolli: sin verò, Angelum Dei me putabit, mihique credet. Ideo voluit eum super privatam aliquam domum, aut super Principis alicujus arcem constituere; sed super domum Dei. Scripturæ verò auctoritate utitur, ut confirmet & persuadeat suam propositionem. *Mitte*, inquit, *te deorsum: Angelis suis mandavit ut custodiant te, &c.* Quasi dicat: Misit me Deus, ut te manibus excipiam. Hæc est fraus dæmonis, hæc est vox ei ordinaria, *Mitte te deorsum*, quam insusurrat multiplici hominum conditioni. Declaremus id specialius.

Mitte te deorsum vox dæmonis multis inclamatur.

Primò hic significatur, dum aliquos evehit in altum, ordinarie id facere ut præcipitet. Sic aliquibus opes, honores, prosperaque omnia procurat, ut fortunæ secundis elati ventis, per ambitionem & superbiam in præcipitium irreparabile ruant. De his verum est illud Job 30. *Elevasti me, & quasi super ventum sonens allisisti me.* Quod sic interpretatur S. Greg. *Quia præsentis vitæ gloria quasi in alto cernitur, sed nulla stabilitate solidatur, veluti elevatus super ventum ponitur, qui de prosperitate transitoria lætatur. Solum hunc fugitivæ felicitatis aura sublevat, ut repentè deterius in imum sternat.* Sic & Psaltes

Psalm. 10. Psaltes loquitur: *Elevans allisisti me.* Qui vult confringere vas quod in manu tenet, in altum prius elevat: Qui colluctatorem vult sternere, etiam aliquantulum conatur elevare: Torquéque in sublime reum ducit, ut impetu dejiciat & strangulet. Hæc eadem est ars dæmonis; multos tollit in altum, ut Apoc. 14. lapsu graviore ruant. *Cecidit Babylon illa magna.* Cecidit illa quidem, sed in sublime priùs elata. Amanda ergo sunt humilia, non alta, quæ à Dæmone ob præcipitium suggeruntur

2. *Secundò*, etiam hos quos elevat Deus, satan præcipitare contendit. Draco qui semel tertiam partem stellarum è cœlo traxit, adhuc modò eos qui ut stellæ fulgent in abyssum conatur detrahere; Ideo maximè insidiatur electis, & his qui sanctitate eminent. Quia vero præcipitare in sua non est potestate, saltem conatur præcipitium suadere, illud insusurrans, *Mitte te deorsum.* At ipsi aurem avertunt, & noverunt illud Sapientis; Eccl. 10. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, ne dimittas locum tuum* Sic Francisco dicebat: *Mitte te deorsum*: Relinque adeo austeram pœnitentiam, ne divinæ tis injurius misericordiæ, & necis tuæ arguaris reus. Sic *S. Antonio* suadebat relinquere solitudinem, & sororis in sæculo relictæ curam suscipere. Sic *S. Thomæ* Aquinati suadebat ad sæculum redire, & ordinem deserere. Sic plerisque aliis sublimiorem statum ingredientibus multiplici suggestione suadet inchoata dimittere, & deorsum se mittere; conaturque persuadere, quòd æquè salvari possint in sæculo, ac religione, cum ibidem Angelorum custodia non possit eis deesse.

3. *Tertiò*, his qui in Ecclesia sunt, quasi in templo, imò his qui sunt in pinnaculo templi, hoc est, in Ecclesiastico statu & ordine, suadere conatur, ut mittant se deorsum hæreses amplectendo. Nonnulli huic ejus voci obediverunt; vanæ ostentationis gratia è fidei & Ecclesiæ fastigio se præcipitantes, & æterno præcipitio se collidentes. Sic Lutherus, Calvinus, Beza, & similes, qui Scripturæ sacræ testimonio etiam alios secum detrahere, & miserabilis ruinæ suæ consortes conantur efficere.

4. *Quartò* omnibus qui in gratiæ statu agunt persuadere nititur ut mittant se deorsum, à spiritu ad carnem, à Deo ad mundi vanitates, a virtute ad vitia descendendo. Proponit eis spem veniæ, divinæ misericordiæ exemplar Magdalenam, Latronem, & alios qui in fine vitæ indulgentiam nacti sunt omnium peccatorum suorum. Sic multos divinæ bonitatis præsumptione decipit, & dejicit. *Vox diaboli est*, inquit Sanctus Hieronymus *mitte te deorsum, qui semper omnes deorsum cadere desiderat; sed suadere potest, præcipitare non potest.* Unde qui firmo pede stant, ei respondent: Tu teipsum mitte deorsum, in profundum tartari, qui proprius est locus tuus; tu viam illuc nosti, quam primus calcasti. Ego illam nec scire cupio, nec inire volo; non poteris in vitium vel deducere, vel pertrahere. Damnabilis itaque & ab auribus cordis procul ableganda vox illius, qui omnes optat cadere, Luc. 10. quia scit præ omnibus se cecidisse: *Videbam satanam tamquam fulgur de Cœlo cadentem* Damnabile satanæ velle obedire. Damnabile velle volare superbiæ & præsumptionis pennis. Damnabile velle deserere stationem, & sublimem filiorum Dei sortem. Damnabile bonum inchoatum ad persuasionem dæmonis relinquere; Damnabilis Ecclesiam Dei & fidem; Damnabilissimum in abyssum desperationis sese postmodum præcipitare instar Achitophelis aut Judæ. Si ergo Filius Dei es, cave te mittere deorsum, quin potius ascende in Cœlum corde & mente. Hæc est enim vox Psal. 83. divina: *Beatus qui disposuit ascensiones in corde suo*: Hæc est sors filiorum Dei, quæ sursum sunt, quærere. Psal. 90.

Interim damnandam vocem suam dæmon colorat, per scripturam addens: *Angelis suis mandavit de te.* Error hic est multiplex; illius error qui primùm hominem fefellit falsa interpretatione Præcepti, ideoque sperat Adam secundum fallere modo penè simili. In primis falsò utitur hac Scriptura, quia non de Christo, cui Angelorum custodia non fuit necessaria, sed de hominibus justis, qui indigent Angelico præsidio, intelligenda venit. Sic communiter interpretantur sancti Patres Unde S. Bernardus sermone 13. in Psalm. 90. *Frustrà, ô dæmon, ad tentationem capitis intorsisti, quod scriptum est ad corporis consolationem. Huic necesse est custodiri, cui timendum est, ne offendat ad lapidem pedem suum. Non est quod custodiatur Christus, cui non est quod timeatur* Propterea etiam S. Thomas docet Christum non habuisse Angelum custodem; Angeli enim fuerunt ejus ministri & servi, custodes autem non fuere. Satan falsò scripturæ utitur. 1.

Deinde detruncat satan verba scripturæ illius; nec enim addit illud: *In omnibus viis tuis.* Capi hic & detegi potuisset fallax vulpes: Licet enim Christo Psalmi verba convenirent, impiè tamen ad suadendum præcipitium illis utebatur. Audi iterum S. Bernardum: *Quid, ô maligne, Angelis mandavit? Nempè, ut custodiant in omnibus viis. Numquid in præcipitiis. Qualis via hæc de pinnaculo templi mittere se deorsum? Non est via hæc, sed ruina; & si via est, tua est, non illius.* Nempè viæ Dei sunt ad Orientem, illuc ducunt nos Angeli: si quis contra eorum voluntatem Occidentem eligat & præcipitium cur custodirent? Satan scripturæ detruncat. 2.

Denique, tacet quod sequitur in confusionem suam: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, &c.* Unde S. Ignatius ep. 8. ad Philip. *Falsò ô Satan, obtendu scripturam do Christo dicere, Angelis suis mandavit de te ut cætera simulas te ignorare, furtim subtrahens ea. An non de te tuaque ministris dictum est justo. Super aspidem & basiliscum ambulabis?* De sua ergo conculcatione tergiversator tacet; ipse est aspis & basiliscus venenosus, ipse leo & draco ipsum tangit illa prophetia, monstruosaque maligni as- Satan quod in confusionem suam vergit, tacet. 3.

mon-

monstruosis appellationibus conculcanda signatur, inquit S. Bernardus.

Satanam imitatur hæreticus.

Non abs similiter hæreticos docet in patrocinium erroris sui sacram scripturam allegare, vel pessimè interpretatam, vel detruncatam, vel corruptam. De hac re vide quæ dixi Horti Pastor. tom. 1. tract. 1. lect. 5. & tom. 3. tract. 3. lect. 1. circa medium.

Cæterùm Christus Dominus falsas de Scriptura diaboli sagittas, veris Scripturæ frangi clypeis ostendit: inquit Hieronymus; ideoque respondet: *Scriptum est; Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tentare is dicitur, cui cùm humana supperunt auxilia, divina expectat sine necessitate miracula. An non tentat qui in manifestum sese præcipitat periculum, prætendens fiduciam in Deum? Vult ergo Dominus dicere: Nolo Deum tentare, & ad miraculum confugere, cùm mihi remedia adsint humana; possum enim per gradus ex hoc tecto descendere, nec opus est volare. Mira quidem egerunt Sancti, sed vel necessitate, vel Dei inspirationi adacti. Per mare transeunt Hebræi; sed *Pharao* premit, & ducit Deus. Aquam *Petrus* solido premit vestigio, sed vocatus à Christo. Sic *Franciscus* de Paula, sic B. *Raymundus* Pennafortius fecere, sed eodem Domino inspirante. Sic *S. Christina* mirabilis volabat super arbores, super alas molendinorum, in ipsas involabat fornaces ardentes. Sed ad id sancto impellebatur spiritu, quia destinarat eam Dominus ad pœnitentiam peragendam pro animabus purgatorii, & ideò Deum non tentabat. *Simon magus* voluit volare dæmone suadente & juvante, sed factum est ut *Petro* orante fieret sine plantis, qui præsumebat in alis. Sic & Antichristum spiritu oris sui dejiciet Christus, cùm in cœlum cõscendere se finget tamquam Dei filius. Attende Icari alas, Phaëtontis lapsum, quisquis præsumis. Sed etiam vide tu quicunque in spe peccas, & in peccato perseveras, divinæ fidens misericordiæ, quòd in fine tandem pœnitebis, an non Deum tentes An non miraculum quoddam est, ut qui malè vixit bene moriatur? An non miraculum, quòd postquam tota vita dæmonis fuisti mancipium, in fine ascribaris in filiorum Dei numerum? An non miraculum, quod post longam & inveteratam peccati consuetudinem subitò expectas conversionẽ? Noli ergo te mittere deorsum sub hac præsumptione, ne invenjaris Deum tentare. Nam de similibus scriptum est. *Tentaverunt & exacerbaverunt Deum excelsum, & testimonia ejus non custodierunt.* Iterum ad te & similes tui illud dirigitur: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto.* Si Angelis suis mandavit Deus ut custodiãt te in omnibus viis tuis; noli præcipitia, sed cautè vias tuas respice cum timore, & te Angelo semper committe. viam quo ad poteris securam inire, resolvens. Quid est autem in omnibus viis tuis, nisi in adolescentia, juventute, virilitate, senectute: Ibi lapides & laquei; sed non offendes, si in timore ambules, ductoribus tuis fidens. Quid est iterum in omnibus viis tuis, nisi in vita, in morte, post mortẽ? Eripient te de periculis in morte, si illa in vita non adamaveris. Denique quid est in omnibus viis tuis, nisi in omni statu & conditione, quam Deo vocante sortitus fueris? Si vocationem tuam sequaris, multa quidem adversa reperies, sed Angelo custode transilire poteris, si in pericula præceps sponte non fueris. Sic Angelus eruit *Isaac* de omnibus malis. Sic eduxit *Loth* de Sodoma. Sic deduxit *Iacob* in omnibus viis suis dum peregrinaretur. Sic pueros in fornace custodivit. Sic *Raphaël* Tobiam à pisce & dæmonio eripuit, in omnibusque viis protexit. Sic *Petrum* è carcere disruptis vinculis eduxit.

Quis Deum tentare dicatur.

Pſal. 94.

Angeli in via custodiunt.

EADEM DOMINICA.

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me, &c.
Matth. 4.

HOc est tertium certamen, in quo divitiarum & bonorũ cupiditate vincire & vincere Christũ connititur; quia opibus & gloria sæculi maximam hominum partem irretiri, & in perditionem pertrahi, longa noverat experientia. Quis verò mõs ille fuerit, incertum est. Quidam illum mõtem volunt esse ex quo Deus Moysi terram promissionis ostendit qui est in deserto à latere montis Nebo eminentissimus. *Alii alium montem designant, distãtem duabus leucis à monte ubi Christus jejunavit.* Quomodo etiam omnia regna mundi ostenderit, duobus modis explicant interpretes. Vel scil. confusè ex monte ei cujusque regni plagam ostendit, quasi extenta manu diceret: Hic vides regnum Ægypti, illic Persiæ, isthic Italiæ, ibi Hispaniæ, &c. Vel, ut probabilius est, instar Pictoris omnium regnorum imagines in aere novo quodammodo repræsentavit; nec solum regnorum, sed etiam auri, argenti, mundanæque gloriæ species effinxit, quod brevissimo tempore facere potuit. Hinc porrò moralia aliquot deduci possunt documenta.

LECT. 7. *De 3. tentatione Christi.*

Deut. 33. Borchardus.

Primo quidem, non sine causa exposuit Scriptura ostensa fuisse hæc regna & gloriam eorum in momento, quod advertens S. Bo. sic dicit: *Benè in momento ostendit illi omnia regna mundi. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quàm caduca fragilitas potestatis. In momento omnia illa pertransiunt, & sæpe honor sæculi abiit, antequam venerit. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint sæcula?* Sic etiam dixit Sapiens Seneca: *Quid miratis mundi divitias? Pompa est. Ostendantur illæ, non possident, & dum placent, transeunt. Videstine quam intra paucas horas ille ornatus pompæque transierit?* Dicamus & nos amplius. Quid sunt omnia regna mundi? Quid gloria eorum? Bene intpice. Nonnisi picta, fictaque somniantis imago sunt: *Præterit enim figura hujus mundi.* At quomodo præterit? Nonne velut rerum præterierunt species in somno depictæ?

Regna & gloria mundi.

Ambr. in c. 4. Luc.

1. Cor. 7.

depictæ? Ideò & Plato Principatus & Regna dicebat vigilantium esse somnia. Ideò etiam apud Danielem Regi repræsentantur tot regna in statua illa nocturna. Sed ubi fugit somnus, fugerunt & regna, periitque à Rege illorum memoria. Sic & voluptates & deliciæ orbis, somniantium epulæ sunt & convivia: *Somniat esuriens & comedit, cum autem expergefactus fuerit, vacua est anima eius.* Sic & divitiæ, & pomposa opulentia, somnium est surgentium, & imago aërea in momento ad nihilum redigenda. Vade ad sepulchra Alexandri, Pompeii, Absalonis, & aliorum potentissimorum Regum, vide an cum eis descenderit gloria eorum: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt in manibus suis.* Non ergo tibi mirum sit, quod dæmon ostendit omnia regna orbis terræ in momẽto temporis; sic enim Deus permisit, sic voluit. Et si verũ est, quod in monte Nebõ ea ostendit, Nebo erat cacumen, Mons autem vocabatur Abarim, id est Mons transituum, sive Mons transeuntium: sic enim loquitur scriptura, *Ascende, ô Moyses, in montem Abarim, id est transituum.* Hoc vero apte huic nostro congruit proposito, quia omnia regna, omnisque gloria citò transiens ostentatur à dæmone è Monte transituum & transeuntium; & hoc voluit Dominus, ut nos trãsituros, & omnia nobiscum transitura meminerimus, & ut ex illo eodem mõte cum Moyse jam morti appropinquante, & cum Christo hæc omnia contemnente speculemur, nec illis inhæreamus affectu & cupiditate, quod optat diabolus.

Dan. 2.

Isaiæ 29.

Psal. 75.

Deut. 33.

Gloria mundi miseria annexa.

Secundò, dicitur quod ostenderit regna orbis terræ *& gloriam eorum.* Hæc enim proponere solet his quos cupit irretire & inescare & ambitione & cupiditate; difficultates vero & spinas, curas & miserias in his latentes non ostendit, sed quo ad in se est, tegit. O sceptrum & diadema, si quis nosset quomodo sub gemmis rubentibus pungentes rubos cõtegis, nec de humo te tollere dignaretur, ajebat Rex quidam ingemiscens inter anxietates, & puncturas cor fodicantes! O voluptas, si quis adverteret quos cõscientiæ vermes post illecebras cordi ingenerare solita sis, quasi à facie serpentis & colubri â te è vestigio fugitaret! O ambitio sitibunda, si quis nosset amaritudinem & fæces quas relinquis gustantibus honores injustè concupitos, ab his penitus quasi à veneno, & toxico abhorreret! Hoc illi persentiscunt & deplorant sed serò, qui regiam assequi, vel adeptam amplificare dignitatem dum cœperunt, mox infelici fato occubuerunt. Habes *Absalonem & Antiochum* sacris in litteris. Habes *Pompeium, Iulium Cæsarem, & Alexandrum*, & similes in antiquis historiis, Habes nostro ævo *Fredericum* Palatinum, *Ichemia regem, Adolphum Gustavum*, Suecorum Regem, imperii globum ambientem, vel è manibus illius qui juste illum tenet exturbare conantem; sed citò transierunt, & in illis cernere est quam verum sit illud *Omne potentatus breuis vita.* Ac postremus quidem hic militari gloria clarus & violentus, instar fulminis devastantis per varias Germaniæ Provincias pertransiit: sed quid illi brevis temporis gloria profuit, si deplorare cogitur sortem infelicem æternitatis? Huic succedere visus est Albertus Walstenius, proditor Imperii sub obsequio imperiali, dolosè ambiens Bohemiæ sceptrum.

Ecclesi. 10

Imperium sitiens gustat VValsteinius: ecce
Mox vomit; & subiti fulminis instar abit.
Ac velut horrisonus celso de vertice torrens,
Sic ruit; & subiti flumnu instar abit.
Fulmen abit: fœtor remanet, post flumen arena
Cellavues rastat, fex quoque post vomitum.
Imperii faces modò persensi, sed amaras:
Nonne sitim Stygiu tollere posset aquis?

Tertiò, dæmon ostendit, regna, gloriam, opes, illaque promittit, dicens in sua esse potestate; sed mentitur, & in se confidentes decipit: quia nec illa possidet, nec dare potest. Unde rectè dicit Regi Nabuchodonosori: *Septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Permittit tamen Deus quandoque in regna evehi. Et opes possidere quosdam impios, procurante etiam dæmone; & id propter justas causas providentiæ suæ, in peccatorum vindictam. Hostium nemo fidit donis, quia non carent dolis: quicquid procurat dæmõ muneris, in perniciem vertit accipientis. Sic porrigit *Evæ* pomum, ut surripiat Paradisum. Sic *Iudæ* procurat triginta argenteos, ut inde fabricet ei laqueos. Sic suggerit *Absalonis* regnum, ut spoliet vita è quercu suspensum. O miseros, & miserandos qui illi credunt, & obtemperant! Faciunt ejus voluntatem aliqui propter lucrum, aliqui propter voluptatem, alii propter honorem concupitum: quod si alia consequantur, fiunt eis vincula, quibus in perditionem pertrahuntur. Sed solet multa dæmon illis promittere, & vix quippiam præstare. Dat folia pro auro: dat lippentem *Liam* per *Rachel*: dat spinas pro floribus: dat fel sub melle. Præfert aureum poculum, sed intus latet venenum. Quidquid agit, quidquid offert, pessimo agit offertque fine. Quidquid promittit, ideo promittit ut adoretur. Dum avarus pecuniam, gulosus ventrem, luxurio, uslibidinem perditè adamat, nonne in his omnibus dæmonem adorare censetur, vitiis illis præsidentem? Rectè advertit S. Irenæus cum hic dicit diabolus: *Si cadens adora verum me*, ex ejus verbis etiam colligi, quod nemo adoret diabolum, quia ante corruat. Audi verba Irenæi: *Ipse confitetur quod adorare eum cadere est à gloria Dei. Et quid aut suave aut boni participare potest qui cecidit? Aut quid expectare potest qui talis est, nisi mortem? Es enim qui cecidit, proxima mors est.* Hæc Irenæus. Itaque incompatibilia proponit adoratoribus suis, & quod cadant, & quod bonis omnibus fruantur. Verum ergo dicit, quod quia adorant se, cadant; sed falsum quod

Dæmon in se confidentes decipit. Dan. 4.

Dæmonis munera perniciè accipientibus afferunt.

eadentes potiantur rerum, vel cœlestium, vel mundanarum: jactutam enim faciunt irreparabilem, & in mortem cadunt. Sic fascinat eorum oculos, tam mentis quã corporis, dum hujus sæculi res pingit & singit ut pretiosas, ut ad eas consequendas adoretur.

Dæmon cœlestis gloriæ specimen ausus effingere.

Sed non mirum, quod res hujus sæculi ostentans & effingens, eas audeat suis cultoribus promittere, qui etiam quandoque fallax cœlestis gloriæ specimen effingere ausus fuit, ut ad se quosdam alliceret, vel ut eos in suo obsequio perseverantes redderet. Sic non solum regna & gloriam sæculi ad se spectare mentitur, sed etiam regnum & gloriam Cœli. Audi hujus rei nonnulla exempla.

Cum *Radbodus Princeps Frisonum* prædicante *S. Vlfranno* ad Baptismum invitaretur, & ægritudine afflictus ea de re deliberaret, obtulit se ei diabolus nocturno tempore, dum sopori se dedisset. Erat autem aureo diademate, & fulgentibus gemmis, aureaque veste textili circumamictus. Cum vero attonitus Princeps hanc speciem intueretur, sic dæmon eum allocutus est: *Dic quaso, quis te ita seduxit, ut à cultu Deorum & Prædecessorum tuorum religione velis discedere? Noli obsecro ita agere, sed in hu que hactenus tenuisti permane, ibique ad domos aureas æternaliter mansuras. quas tibi in proximo jam daturus. Quapropter eras accersens Vlfrannum Christianorum Doctorem, inquire ab eo, ubinam sit mansio illa æterna claritatis, quam pollicetur tibi in cœlestibus, si Christianus fias. Hanc cum demonstrare nequiverit, mittantur utrinsque partis legati, eroque dux itineris, & demonstrabo illi mansionem extremæ pulchritudinis, & fulgoris immensi, quam tibi post modicum jam daturus.* Princeps mox ubi evigilavit, Vlfranno cuncta per ordinem enarravit. Ingemiscens ille respondit. *Hæc illusio diaboli est, qui neminem salvari, omnes vult perire: quapropter salva temet ipsum, & festina ad Baptismum credendo in Christum, ibi percipies remissionem peccatorum, noli verbis mendacibus fidem accommodare.* Cui ait Princeps, omnia se facturum quæ jubebat si illa non demonstraretur mansio à suo Deo promissa. Videns Ulfrannus ejus animum obstinatũ, timensque ne à Gentilibus multa falsò effingerentur, misit Diaconum cum quodam Frisone qui à Rege mittebatur. Cum itaque paululum ab Oppido processissent, obviam repererunt humanã effigie quemdam itineris comitem, qui dixit eis: *Properate mecum, ostensurus jam vobis mansionem eximiæ pulchritudinis, quæ præparata est à Deo suo Principi Radbodo.* Hunc secuti, loca diu peragrans incognita, & tandem viam ingrediuntur latissimam, omni genere marmoris politissimam; videntque à longè domum auream, ac post pertingunt ad plateam auro gemmisque stratam, per quam ingrediuntur in domum istam aurei splendoris, & incredibilis pulchritudinis, in qua erat thronus miræ magnitudinis. Tunc itineris ductor: *Hæc est*, inquit, *domus, & sedes post mortem præparata Radbodo Principi.* Diaconus vero his stupefactus, subjecit: *Si à Deo facta sunt ista, perpetuò maneant. si à diabolo, citò dispereant.* Cumque signo crucis se muniret, evanuit ductor, & domus transiit in lutum. Friso tunc & Diaconus se in locis palustribus invenerunt, & nonnisi post triduum itineris maximo cum labore reversi sunt ad oppidum; ubi invenerunt Principem sine Baptismo mortuum: *Vlfranno* autem cum illusionẽ enarrassent, Friso conversus est, & multi illius Gentis cum eo. Ita refertur in vita sancti *Vlfranni* 20. *Martii*. *Surius & alii Baron. an.* 719.

Non absimile est, quod refert *Cantipratanus* accidisse *anno* 1231. Hæreticus quidam omni arte conabatur in suam hæresim pellicere quemdam Religiosum Dominicanum, Cum frustrà id sæpius tentasset, tandem ait illi. *Cur ita pertinaces? Si fidem meam adhibere volueris, ostendam tibi Christum & matrem ejus cum Sanctis.* Ille illusionem suspicatus, ut tamen eam probaret, asserit se crediturum si hoc ostendat. Hæreticus gaudens diem statuit. Religiosus autem condicto die secum tulit Eucharistiam pixidi inclusam adversus præstigias valituram. Venerunt ambo in specum montis altissimi, & mox ingressi sunt palatium mirisplendoris, ubi Rex solio insidebat, & juxta eum Regina, & utraque parte sedilia, in quibus seniores, quasi Patriarchæ vel Apostoli, innumerabilesque Angeli circumassistebant. Hæreticus ingressus cadens in faciem adorat. Religiosus ex parte attonitus stat, nullum tamen adorationis signum exhibet. Cui hæreticus. *Quare filium Dei, Matremque ejus non venerarie?* Tunc Religiosus accedens propius extraxit pixidem, & Reginæ offerẽs dixit: *Si mater Dei es ecce filius tuus, ipsũ agnosce & adora, & te ego agnoscã, & venerabor.* Mox vero totus fulgor, totumque evanuit spectaculum. & illi tenebris circumfusi vix è spelunca ad montis fastigium evaserũt. Quibus spectris agnitis, hæreticus ad veram fidem est conversus. *Cantipratanus lib. 2. Apum, cap. 53. Antoninus in hist. tit. 23.*

Hæc est ergo promissio fallax diaboli *Gloriam tibi dabo, & temporalem, & æternam, si cadens adoraveris me.* O quam multos hac promissione seduxit? Sed qui verè Christi sunt, respondent ei cum Christo: *Vade Satana, scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Dejecisti enim profundum inferni, vel à meo proculabisce de conspectu cum exercranda adoratione & suasione tua.* Hic ergo adverte differẽtiam inter increpationem, qua Petrum sibi mortem dissuadentem repulit Christus & qua hic satanam propulsat blasphemantem. Petro enim dixit: *Vade post me satana, scandalum tu mihi es.* Diabolo autem dixit: *Vade satana*, non dixit *post me, vel retro me* (qui sic legunt, male legunt ut exeditione correcta patet. Unde S. Hieron. sic dixit. *Non, ut plerique putant, satanas & Apostolus Petrus eadem sententia condemnantur. Petro enim dicitur: Vade retro me satana, id est, sequere me, qui cõtrarius voluntati meæ. Hic vero audis: Vade* *Matt. 16.*

Vade satana, & non ei dicitur retrorsum, ut subaudiatur, Vade in ignem æternum qui præparatus est tibi & Angelis tuis. Asperius verò Christus nunc loquitur diabolum repellendo, quam in prioribus tentationibus; quia sibi honorem divinum arrogabat, Deo debitam exposcens adorationem. Ac per hoc etiam significavit, nos illius exemplo nostras quidem injurias magnanimiter debere sustinere; Dei autem contemptum ne quidem auditu oportere patienter ferre.

Diabolus à minimis ad maxima tentando procedit.

Hic etiam adverte, quomodò solitus sit diabolus à levioribus tentationibus ad graviores procedere. Nam *primò* quidem Christum tentat de sustentatione corporalis naturæ per cibum. *Secundò* de ostentatione & inani gloria. *Tertiò* tandem de concupiscentia divitiarum & gloriæ, quæ sit conjuncta cum contemptu Dei & adoratione execrabili. Vide quid simile in tentatione Adami. In primis sollicitat mentem ejus de esu ligni vetiti: *Cur præcepit vobis Deus?* Deinde de gloria inani: *Aperientur oculi vestri.* Denique tentationem ad extremam usque superbiam perducit: *Eritis sicut Dii.* Sic & in *Cain* primò perducit fratris displicentiam cum amaritudine conjunctam; exinde odiū & rancorem perfectum, quo concidit vultus ejus; denique persuadet crudele fratricidium, postmodum perducit usque ad desperationem. Sic & in luxuriæ peccatis, primò suadet familiaritates & risus; deinde blanditias & oscula, persuadens esse amicitiæ solum symbola, nilque illis mali inesse; ulterius tentat de attactibus uberum, imò & de impudicis, postmodum ad consummationem peccati perducit; denique ad inextricabilem servitutem redigit hominem luxuriosum, qui inutia malignæ suggestionis non reticidit, & malitiam dæmonis in semine non elisit.

1. Gen. 3. Gen. 4.

Judic. 16. Hujus rei figuram habes in *Sampsone*, qui dum blanditias negligit *Dalilæ*, mox in ejus sinu infeliciter obdormit. Ac primò quidem funibus nerviceis colligatur, postmodum etiam novis funibus gravioribus, tandem dum in *Dalilæ* consuetudine persistit, crines ei abscinduntur, & colligatus hostibus traditur, illuditur, oculis privatur, ad molam circumducendam infelix pertrahitur. O nimis plangende vir, flos sortium, quam miserabiliter mulierculæ pulchritudine attractus in extremam venisti sortem, cunctorum quos legimus hac in sorte infelicissimus! Sic tu quisquis luxuriæ illecebras negligis, à minimis ad maxima procedis, ab aspectu ad oscula, ab osculis ad impuros contactus, à contactibus, ad peccati consummati turpitudinem & servitutem. Tandem crines verecundiæ tibi abscinduntur, ocul. cœlum respicientes eruuntur, fortissima vincula injiciuntur, sicque ad æterni doloris molam circumducendam perduceris.

Sampson figura peccatorum.

Luc. 4. Consummatis his tribus tentationibus, voce Christi expulsus dæmon, *reliquit eum ad tempus*, in morte scilicet redituus, ut quem prius voluptatibus, inanis gloriæ, opum & honorum, titillare connisus fuerat, tristitia, cruciatu, desperatione tunc absorberet & vinceret. Ad id enim in ipso crucis stipite exhalaturo animam adfuisse, traduntur nonnulli ex sanctis Patribus. Sed etiam tunc dicere potuit Christus: *Venit Princeps hujus mundi, & in me non habet quicquam.* Venit instar furis, sed nihil reperit quod furari posset: nihil culpæ reperire potuit, per quam jus aliquod in Christo nancisci posset; immò per ipsum tunc prædam quam injustè possidebat, amisit. Unde de eo propheticè dictum erat, *Ad prædam ascendisti fili mi*; quod *Jacob* dixit de filio suo *Juda*, ex quo Christus natus est. Ad hunc Jacob oculum propheticum dirigebat, & in crucem ascendentem respiciebat, ex qua infernum prædaturus erat.

Joan. 14.

Gen. 49.

Porrò abscedente diabolo cum confusione, accesserе Angeli, magno utique numero, ut victoris dignitas comprobaretur. Accesserunt autem ad congratulandum de victoria, & simul etiam ad ministrandum. Nam cibos ministrasse ei, communis est sententia: & S. *Bonaventura* piè meditatur è domo Virginis Mariæ, Christi jussu; ab Angelis cibum hunc allatum, sicut olim prandium *Abacuc* Prophetæ ad *Danielem* deportatum fuit. Cùm enim non videatur Christus miraculo speciali sibi cibum parasse, ab Angelis ergo aliquo ex loco allatus fuit. At ex quo loco congruentiùs, quam ex domo Matris? Per hunc quoque Angelorum accessum indicatur, quomodo post tentationem evictam consolatio subsequi solita sit à Deo & Angelis ejus. Clarum id fuit non solùm in Christo, sed & in plurimis Sanctorum, in S. *Thoma* Aquinate, in S. *Catharina Senensi*, in S. *Antonio* in *Elia* in deserto cœlesti pane refecto, in pueris in fornace roris cœlestis refrigerio ab Angelis subministrato.

Angeli Christo cibum adferunt.

Bonav. cap. 27.

Concludamus, & ad Christum Victorem vota convertamus. Tu Domine, qui pro nobis voluisti in deserto jejunare, contra satanam confligere, tentationes admittere, panem è manibus Angelorum accipere: da nobis cœlestis gratiæ tuæ auxilium, ut tecum valeamus jejunare, tecum pugnare, tecum tentationes evincere, tecum gulam, ostentationem, opes, honores, & mundana quæque contemnere, sicque omnibus contemptis te solùm Deum cum Patre & Spiritu S. adorare tibi soli toto corde servire. Facut tandem Angelico pane refecti, Angelica ope adjuti, Angelicis manibus sublati, calcato Aspide & Basilisco, Leone & dracone, ad victoriæ locum & laureatorum campum pertingamus, ubi glorificati tota videamus æternitate salutare tuum. Sic enim justo promisisti. *Eripiam eum & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.*

Conclusio.

Psal. 90.

***

DOMINICA, II.

Transfiguratus est ante eos. Matth. 17

LECT. 8. tripartita.

HOc Evangelium de Transfigurationis agens mysterio in quadragesimæ initio, aptè proponit nobis Ecclesia: quia in eo agitur de tribus illis electissimis viris qui jejunium quadragesimale perfectissimè observarunt, & suo exemplo nobis illud commendarunt. Cùm verò ipsi oratione & jejunio specialem meruerint claritatem & familiaritatem divinam (*Moyses* in monte Sinai totus radians in vultu, *Elias* alloquio divino in Horeb dignus, tectus, cooperiens pallio faciem ne luce nimia excæcaretur, Christus hic instar Solis promicantes fundens quoversum radios) per illam futuræ gloriæ speciem adumbrabatur. Hæc modò proponitur cunctis Christianis sacro hoc tempore orationi & jejunio vacantibus, ut animentur ad perseverandum, & spem concipiant firmam adipiscendæ æternæ gloriæ, in consortio *Christi*, *Moysis*, & *Eliæ*.

PARS. I. *mysteria in transfiguratione Christi contenta explicat.*

Transfiguratio mysteria fidei in se continet.

Hoc porrò mysterium Transfigurationis diligenter est nobis ruminandum; quia in se quodam compendio continet mysteria omnia primaria fidei nostræ.

Primò quidem continet mysterium SS. Trinitatis, quandoquidem hic adsit *Pater* in cœlesti voce, *Filius* in sublimi monte in veste gloriæ, *Spiritus Sanctus* in lucida nube.

Secundò, continet mysterium Incarnationis, nã filius adest in carne unita cum divinitate; & ideo adsunt ibi *Moyses* & *Elias*, ut filium Dei adorent incarnatum, & illi testimonium perhibeant, quem prædixerât venturum Lex & Prophetæ. Ideo adest & Petrus, ut veritatem suæ confessionis agnoscat: *Tu es Christus Filius Dei vivi.*

Matt. 16.

Tertiò, continet mysterium Passionis, & Redemptionis, quia loquebatur de excessu, quem complecturus erat in Ierusalem, consumando nostram redemptionem; de excessu scilicet ex hac vita, de excessu ignominioso è Ierusalem cum cruce, de excessu doloris, de excessu amoris & charitatis, quam toto cursu Passionis palam exhibuit.

Quartò, continet mysterium Resurrectionis Christi; nam disertè dixit Dominus tribus suis discipulis; *Nemini dixeritis visionem donec Filius hominis à mortuis resurgat*: & ad hoc Transfiguratio ista ordinabatur, *ut de cordibus discipulorum crucis scandalum tolleretur, nec conturbaretur eorum fides voluntaria humilitas passionis, quibus revelata esset abscondita excellentia dignitatis*, inquit Sanctus Leo serm. de Transfigur. Ideo etiam ibi effulsit Christi corpus instar Solis, quia in Sole repræsentatur quatuor dotes corporis ejus gloriosi post resurrectionem. Repræsentatur enim in ejus splendore claritas, in ejus velocitate agilitas, in eo quod sine alteratione permanet impossibilitas, in eo quod loca omnia pervadit, & vitrum ipsum penetrat subtilitas.

Quintò, continet mysterium Resurrectionis nostræ, & gloriæ nobis promissæ æternitate, cujus initium Petrus dum gustat in monte, mox quodam excessu absorbetur in mente. Unde iterum S. Leo sic hæc de re loquitur: *Non minore providentia spes Ecclesiæ sanctæ fundabatur, ut totum Christi corpus agnosceret, qualis esset commutatione donandum; ut ejus sibi honoris consortium membra promitterent, qui in capite præfulsisset.*

Sextò, insinuat mysterium Prædestinationis & electionis divinæ in hoc quod paucos elegit, quibus gloriam suam manifestavit: per id enim salvandorum paucitas indicatur, quibus gloriam suã est communicaturus. Ideo in monte excelso illa exhibetur, ad quem non fit ascensus, nisi grandi cum labore & fatigatione. Acquiritur nimirum illa gloria, passione, tribulatione persecutione, Martyrio, morte. Unde quicumque hic adfuerunt, per varias persecutiones & passiones tandem ad eam pertigerunt; sive Moyses & Elias, sive Petrus, Iacobus, & Ioannes: & quia multi refugiunt tribulationem, ideo multi non ascendunt in montem. Sed videamus particularius: De his sic loquitur Evangelicus Textus: *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, duxit eos in montem excelsum seorsum.*

Cur Christus præ cæteris transfiguraverit, Apost. interesse volu.

MUltiplices rationes afferunt sancti Patres, cur hos præ cæteris elegerit, & assumpserit Christus.

Primam dat S. Chrysost. hom. 57. in Matt. quia dilectione cæteris hi excellentiores erant. *Petrus* nimirum plus cæteris diligebat, *Ioannes* tenerius cæteris diligebatur; *Iacobus* ante omnes dilectionem effectu erat manifestaturus, quia primus sanguinem fudurus. Sic hi maximè erant idonei, qui divinorum mysteriorum, & cœlestis visionis fierêt participes, quandoquidem *Petro* Ecclesiam, *Ioanni* Matrem, *Iacobo* fui ad mortem sequelam, tanquam primo post se Duci, & cæterorum Coriphæo, erat commendaturus. Ideo etiam eos in hortum ducit, & ad resuscitationem filiæ Principis Synagogæ, modo ad tristia, modo ad adversa eos secum assumens; tanquam præ cæteris sibi familiares esse & dilectos ostendit. Itaque adimplet in Transfiguratione, quod de his antea prædixerat: *Sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Ipsi enim tamquam tres Aquilæ nobiles electi sunt, ut solem illum radiantem in monte intuerentur: & regiam suam claritatem illis demonstrare voluit, qui primi in regno ei assidere peroptabant, ut animarentur ad bibendum pro eo calicem passionis, si consortes fieri volebant tantæ glorificationis.

Matt. 16.

Secundam rationẽ dat Sanctus Anselmus explicans hoc Evangelium. *Petrus*, inquit, propter primatus-

matum suum Prælatos Ecclesiæ designat: *Ioannes*, qui permansisse virgo perhibetur, cælibes ac mũdi contemptores præmonstrat; *Iacobus* verò qui supplantator dicitur, cõjugatos, & mundo licitè utentes: quibus universi electi, qui in montem salutis conscendunt, significantur. Addi potest, per id etiam indicari quales esse debeant, qui ad gloriæ participationem assumi optant. Cum enim assumatur *Petrus* Ecclesiæ petra, *Ioannes* castitatis & munditiæ exemplar, gratiâ fulgidus, *Iacobus* supplantator, qui assumi optat, sit firmus & constans in fide & charitate, sit purus castitate & gratia, sit vitiorum supplantator & victor.

Bz. 3. *Tertiam* alii afferunt, & dicunt designari tria hominum genera, qui in cœlis singularem obtinebunt gloriam & claritatem, quam *Aureolam* vocamus. In *Petro* designantur Pastores & Ecclesiæ Doctores, qui fulgebunt specialiter in perpetuas æternitates. In *Ioanne* Virgines sequentes agnum quocumque ierit, & ejus canticum decantantes. In *Iacobo* Martyres, quia primus fuit inter Apostolos Martyr Specialem hi gloriam consequentur, quia specialem obtinuerunt victoriam: Doctores contra diabolum, Virgines contra carnem, Martyres contra mundum.

Bz. 4. *Quartam* affert Sanctus Hilarius can. 17. Tres nimirum Apostolos ideò assumptos, ut ostenderetur homines ex tribus filiis Noë progenitos, ad gloriam assumendos; id est, non solos Judæos, sed ex omnibus Gentibus aliquos. Adde cum Damasceno, Trinitatis mysterium hic subindicatum, & ad ejus venerationem voluisse Dominum ut in ore trium testium staret Transfigurationis hujus Verbum. Similiter ad Nativitatis ejus mysterium propalandum tres Reges electos novimus ex Gentilibus, & tres Pastores ex Judæis, ut tradit Bernardus. Item ad Resurrectionis veritatem testificandam, tres ex mulieribus, leguntur specialiter in Evangelio designatæ & electæ. Denique, *Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis.* 1 *Ioan.* 5.

Cur in montem, ascendit Christus. Assumpsit porrò tres suos Apostolos, & duxit seorsum in montem excelsum. Mysterium Transfigurationis excelsum erat, excelso in monte fieri conveniebat: *in monte suggesto conscriptum vetus Testamentum fuerat, in monte suggesto consignari & novum decebat*, inquit Tertull. lib. 4. contra Marcionem, cap. 22. Excelsi & à turbis ac strepitu seiuncti montes, ad cœlum attollunt mentes, ideò mysteriis sunt aptissimi. Sic sermonem primum in quo culmen Christianæ perfectionis Christus edocebat, in monte habuit. In monte pernoctavit. In monte Sion Eucharistiam instituit. In monte Calvariæ crucifixus est. In monte discipulis post resurrectionem apparet. Ascendit ex monte Oliveti. Spiritum S. misit in cœnaculum montis Sion. Sic & antiquitus multa in montibus mysteria, divinasque visiones in illis ordinarie peractas reperies. Attende Abrahæ sacrificium, scalam Jacob, rubum Moysis, Eliæ visionem, Eliseum & filios Prophetarum in montibus laudem Deo decantantes.

In montibus mysteria divina olim peragebantur.

Matt. 5. *Luc.* 6. *Matt.* 28.

Quis autem fuerit mons iste Transfigurationis Scriptura non exprimit. Communis tamen sententia est fuisse montem Thabor. Sic autem illum describunt visitatores Terræ sanctæ. Thabor mons est pulcherrimus in medio Galilææ campo, mira æqualitate ex omni parte rotundus, in altum consurgens triginta stadiis, duabus leucis à Nazareth distans, in vertice viginti sex stadiorum campestris planicies patet, cœli temperie est saluberrimus, vineis, olivis, & aliis fructiferis arboribus undique consitus, rore perpetuo vividus, arborum frondibus & herbis semper viridis, omnigenum florum odore fragrantissimus. Aptissimus ergo erat orationi, aptissimus qui theatrum cœlestis cujusdam gloriæ fieret, & empyrei cœli simulachrum. Imò quodammodo cœlum ipsum tunc superavit, dum in ipso non solum divinitatis & Trinitatis gloria apparuit, sed & humanitatis Christi claritas effulsit, quam cœlum necdum habebat. Mons ergo ille quodammodo à splendenti facie Christi gaudio exiluit, tamquam à facie Domini, à facie Dei Jacob. Propterea de illo scriptum est: *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Hermon exultasse dicit S. Damascenus, oratione de transfiguratione, cum audivit in baptismo Christum appellari filium Dei voce delapsa de cœlo, dum etiam vidit Spiritum sanctum in specie columbæ, & cœlos apertos; erat enim mons propinquus Jordani. Thabor autem exultavit, quando similem vocem percepit, & Christi gloriæ ut theatrum servivit. In hoc eodem monte *Barac* & *Debora* olim cœlestem consecuti fuerant victoriam contra Sisaram & hostes, dum de cœlo dimicatum est contra eos: *Et stellæ manentes in ordine suo adversus Sisaram pugnaverunt*, quia scilicet Angeli è cœlo jaculati sunt ignem, fulmina, grandinem, & sic exercitum Israelitis adversum prostraverunt. Atque ibidem figura erat victoriæ, quam Christus fulgore cœlesti erat reportaturus de diabolo: tum per se, tum per Apostolos orbem illuminans, & dæmonem infernumque percellens.

Mons transfigurationis quis fuerit. Adricomius & alii. *Psal.* 88. *Iud.* 4.

Hic mons à S. Petro meritò vocatur *Mons sanctus*, in quo adeò sublime, adeò Sanctum mysterium peractum fuit. Sed etiam ipsius nominis Etymologia sanctitatem quandam indicat; nam *Thabor* idem est quod, *lumen venit vel puritas.* Utique ibi refulsit ille qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ibi puritatis & luminis auctor apparuit lucidissimus, utrumque populum luce legis novæ, luce veritatis, luce gratiæ perfusurus, omnemque immundiriem, omnes peccati & erroris tenebras fugaturus. O vere mons cœlestis, mons luminosus, mons sanctus, in quo bene placitum est Deo sese manifestare in eo! Olim S. *Francisco*, cum erà nobili quodam datus esset mons Alverni, cumque ibidem cellulæ ædificasset ex arborum ramis apparuit Dominus, voluntatem suam ei manifestavit, & 2 *Pet.* 1. *Mons Thabor sanctitatem significat.* *Chron. Minorum*

manifestans, & multa futura prædicens. Paulò post *Franciscus* totus in spiritu exhilaratus fratrem *Leonem* socium suum indivisum advocat, & præcipit ei ut saxum in quo sederat, aquâ lavaret. Ulterius ei præcipit, ut vino abluat. Deinde jubet, ut oleo perfundat. Denique his omnibus per F. Leonem peractis, mandat ut balsamo locum perungat. Cumque F Leo diceret sibi balsamum deesse, nec ullibi qualibet diligentia reperiendum, explicuit ei quid hæ unctiones designarent, quodque cœlestibus favoribus & gratiis hic locus & ordo ab ipso initiatus perfundendus foret. Nempè in hoc loco sacra stigmata à Christo erat percepturus, ideoque toties diversis liquoribus perfundi & ungi peroptabat, quadamque ratione consecrari. Sed quantò magis mons hic Thabor omnigenâ unctione perfundi & sacrari dignus est, in quo *Christus*, (id est is qui à Patre cœlesti unctus est, quique ungit Prophetas, qui ungit Apostolos, qui ungit Sacerdotes, qui ungit omnes Christianos) apparere dignatus est, & transfigurari medius inter Prophetas & Apostolos? Et certè ibi non tantum particulatè, ut *Franciscus*, sed totius orbis religionem instituebat & sanciebat, stigmatibus & sanguine suo rigandam, de qua re erat sermo cum *Moyse & Elia*.

Beda c. 7. de loci sancti.

Propterea postmodum Christiani in eo monte tres Ecclesias exstruxerunt, ac ingens Monasterium, ut sic secundum S. Petri votum tria forent tabernacula sanctissima & sacratissima, in quibus per sacrificium de die in diem admirabilis illa altera transfiguratio perficeretur, quâ panis & vinum in Christi divinitatem & corpus gloriosum transsubstantiantur, figura specierum remanente.

Florimund de ortu hæres. l. 4. c. 3. & 4.

Maledictus è contra mons ille ejusdem nominis, Thabor scil. etiam dictus huic sancto monti Thabor planè adversus, sicut tenebræ luci, sicut Belial Christo, sicut idolum templo Dei. Mons inquam ille in Bohemia, super quem Ziscka Tyrannus urbem ædificavit, & Thabor nominavit, aquisque, & triplici muro cinxit. Ibi ipse hæreticorum Princeps, Hussitarumque Protector, fidem suam fixit; & nox tanto numero Hussitæ, illi qui communionem sub utraque specie necessariam volebant, concurrerunt, ut trecentæ mensæ erectæ ibidem fuerint, & vasa maxima magno numero præparata ut eis communio sub utraque specie daretur; quam ultra triginta millia hominum tunc percepisse referunt historiæ. Hinc & illi Thaboritæ sunt nominati. O maledictum montem! ô Thabor minimè Thabor, quia minimè mons luminis, sed mons caliginis! ô Thabor minimè Thabor, quia minime mons puritatis, sed mons impietatis omnis! ô Thabor minimè Thabor, quia nequaquam mons ille mons Apostolicæ confessionis, sed mons Apostaticæ confusionis! Mons in quo nequaquam erecta tabernacula Petri, sed tabernacula diaboli; tabernacula Cedar, eorum qui oderunt pacem, non tabernacula Salomonis nostri Christi, Regis Pacifici.

PARS III. *De modo transfiguratonis Christi. Luc. 8*

IAm vidimus electum Transfiguracioni locum vidimus & testes; modus nunc Transfigurationis illius est explicandus. Exprimit illum Lucas, *Facta est, dum oraret, species vultus ejus altera, & resplenduit facies ejus sicut Sol, &c.* Itaq; in oratione transfigurationis est, non mutando faciem aut figuram, sed detegendo splendorem & pulchritudinem: *Ubi splendor faciei ostenditur, & candor deprehenditur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur*, inquit Hieronymus. Neque solum facies, sed & pedes & manus totumque corpus splendorem fudit; quamvis Evangelistæ tantum faciei meminerint, quia illa præcipuè apparebat, reliquumque corpus veste velatum erat. Erat verò hic fulgor corporis à claritate animæ redundans, quæ ab incarnationis exordio continuit Christus ne promicaret & corpus afficeret, ut illud scilicet simile nostris corporibus redderet, passibile, mortale inglorium. Quod vero tunc effulsit, fuit per modum meranseuntis, non per modum dotis aut qualitatis permanentis. Unde fulgorem illum miraculosum vocat S. Thomas. Si verò permanente dote claritatis corpus fuisset donatum, non id fuisset miraculum, quia animæ gloria illam ex se postulabat, & miraculo cuidam adscribendum est quod eam dotem corpus non habuerit: sed hoc miraculum pertinet ad illud miraculum quod initialiter & fundamentaliter in ipsa incarnatione factum est, & postea continuatum: *Alba autem facta sunt vestimenta ut nix* Meritò hæc Christi vestis magno in pretio habenda est, tum quia B. Virgine texta fuerit, tum quia à sanctissimo Christi corpore sanctimoniam hauserit, tum quia sanguinis fluxum in muliere stiterit, tum etiam quia divina hac claritate fulserit. Illa nunc *Treviri* asservatur aureo panno attexta, quem Maximilianus primus Imperat. ad hunc usum donavit, & quolibet septennio peregrinis exhibetur per tres dies magna cum veneratione. Si *Elia* pallium honoravit *Elisæum*, per illud aquâ Jordanis dividens; si Antonius Pauli Eremitæ tunicam, utens solis diebus Paschæ & Pentecostes; si sudaria & semicinctia *Pauli* primi fideles venerati sunt ægris salutem afferentia; quanto magis honore digna est hæc vestis, tanta claritate, torque fulgens miraculis? Erat autem ipsa in castaneum declinans colorem: sed in hodierna transfiguratione, ut nix facta est alba. Græca legunt, *ut lux*. Color candidus lætis servit rebus, quid autem lætius hac transfiguratione? Sic & in albis Angeli apparent in resurrectione & ascensione, & beati describuntur amicti stolis albis tota æternitate. In ea autem Christus apparuit gloria; in qua judicii tempore apparebit. Unde S. Basilius Episcopus Seleuciæ, sic ait: *O beata Apostolorum lumina, quæ terribilem diem judicii in mari cernunt specie?* Ibi ergo etiam verificatum fuit illud. *Dilectus meus candidus & rubicundus*, candidus ob vestem niveam, rubicundus ob igneum splendorem. In die judicii candidus

3. p. q. 45. a. 2.

Vestis Christi veneranda.

4. Reg. 2.

Act. 19.

Cant. 5.

didus erit ob misericordiam erga electos, rubicundus ob justitiam erga reprobos. In incarnatione candidus est ob innocentiam & carnem virgineam, rubicundus ob charitatem & circumcisionem. In passione rubicundus ob vestem purpuream, candidus ob vestem album. In sepulchro candidus ob sindonem mundissimam, rubicundus ob cruorem è vulneribus stillantem. Ubique ergo dilectus candidus est & rubicundus; quos etiam colores amat Sponsa Ecclesia, in suis Virginibus candida, in suis martyribus rubicunda.

Oratio hominem transformat.

Sed neque sine mysterio est, quod orans transfiguratur. Per hoc voluit nos docere, quòd oratio, si fiat ut decet, hominem transformat & illustrat. An non & consortio sermonis & orationis cum Deo Moysis facies illuminata refulget? Sic & interior animæ facies sæpè cū Deo conferens transformatur, reformatur. Tum quia intellectus illuminatur: *Accedite, & illuminamini, & facies vestra non confundentur.* Tum quia voluntas inflammatur, & charitate accenditur: *In meditatione mea exardescit ignis.* Tum quia discit animæ passiones suas superare, & mutationem in se efficere, ut perfectiorem Dei similitudinem interius efformet, & Christo se configuret: *Elegit nos conformes fieri imaginis filii sui.* In horum omnium significationem, viris sanctis non infrequenter mira in oratione mutatio & transformatio etiam exterior contigit, ita ut luce quadam & flamma cœlesti cernerentur amicti. Sic globus igneus visus est ambire caput S. *Martini* divina celebrantis. Sic lux cœlestis Agnerem in prostibulo orantem circumfulsit, & contra castitatis suæ hostes protexit. Sic circa 40. Martyres in stagno orantes vidit Janitor lucem admirabilem, quâ interius illuminatus est. Similia multa reperies de S. Francisco, & plerisque aliis, qui miram commutationem & transfigurationem in oratione visi sunt exhibere, in symbolum lucis & fervoris interioris. *Sicut verò per revelatam faciem gloriam Domini contemplantes, in eandem imaginē transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu.* Sic è contra impii à Domino per peccatum recedentes, à claritate & candore gratiæ ad tenebras horribiles transeunt, & transformantur in diaboli simulacrum. O miserandam commutationem! Admirabilis fuit Transfiguratio Nabuchodonosoris, dum inter feras relegatur ut fœnū comedat instar bovis, capillos gerens instar Aquilæ, ungues instar avium rapacium: additque Epiphanius in vita Danielis, anteriori parte & capite bovem, posteriori verò parte & pedibus Leonem præ se tulisse. Quibus omnibus designabatur carnalis voluptas, superbia, rapacitas, tyrannis, quæ omnia ejus animam bovi, aquilæ, leoni similem efficiebant. Sic nimirum impii similes fiunt belluis illis, quarum per peccatum brutales passiones imitantur. Et hæc quoque detestanda est transfiguratio, de qua Psaltes: *Homo cum in honore esset, non intellexit comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Fugiamus ergo & detestemur talem transfigurationem, quâ belluis dæmonique similes efficimur. Illam ademamus, quâ in consortium divinæ naturæ divinæque claritatis participationem transeuntes possimus dicere cum Apostolo: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.*

2. Cor. 3.

Psal. 38.

Rom. 8.

Psal. 48.

Gal. 2.

EADEM DOMINICA.

LECT. 9. tripartita.

Apparuerunt Moyses & Elias loquentes cum Iesu. Matth. 17.

PARS I. *Cur Iesus præcæteris Moysen & Eliam transfigurationi suæ interesse voluerit.*

Præter tres Apostolos, suæ transfigurationi ut testes voluit adesse ex antiquis Moysen & Eliam. Sed cur hos præcæteris?

Primò, ut ea populi opinio penitus tolleretur, quâ quidam dicebant Christum esse Eliam, aut unum ex Prophetis: Ecce enim Principes Prophetarum *Moyses* & *Elias* Christum venerantur, ei testificantur, & Dominum Prophetarum agnoscunt, ejusque gloriam participant. Nam quod dicit Lucas eos visos in majestate, id est, in gloria; non proveniebat illa ex beatitudine animæ Moysis, aut Eliæ, sed ex splendore redundante a Christi corpore.

Pr. 1.

Secundò, ut haberet testimonium Christus & lex ejus à lege & Prophetis, apparet promulgator legis *Moyses*, & inter Prophetas primarius *Elias*, calumniam Judæorum evertentes, quâ Christum legi & Prophetis adversari inclamabant. Unde verum *Eliam*, verumque *Moysen* & anima & corpore proprio apparuisse, & rectè asseritur, sicut & verum undique debuit esse eorum testimonium.

Pr. 2.

Tertiò, *Moyses* & *Elias*, apparent, ut Christus ostendatur Salvator priorum & posteriorum: quia omnes in fide Christi salvantur, sive qui eum præcesserunt, ut Moyses, sive qui eum moriendo sequentur, ut Elias. Propterea etiam in ingressu triumphali in Jerusalem, *& qui præibant, & qui sequebantur, inclamabant: Benedictus qui venit in nomine Domini*: in his qui præibant, Patres antiqui designabantur; in his autem qui sequebantur, illi qui sæculis futuris Christum erant veneraturi.

Pr. 3.

Matt. 21.

Quartò, dum apparent *Moyses* & *Elias*, Christus insinuatur Judex vivorum & mortuorum, Dominusque vitæ & mortis. An nō mortui ei vivunt, quandoquidem *Moysen* mortuum potest suscitare? An non *Elias* vivus mox ei se sistit, & Dominum suum agnoscit? Ubi sunt qui dicūt neminem exaltera vita rediisse; Condemnat eos hic *Moyses*, aliique multi à Domino suscitati, de quo re alibi fusè tractavi. Si itaque Judæi petunt signa, sive de excelso, sive de profundo: Ecce vocatur Elias à Paradiso, Moyses è limbo. Existimat Tertull. & nonnulli alii Patres Moysi promissam fuisse hanc visionem, dum ei dicit Dominus, *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.* Nam humanitas

Pr. 4.

Exod. 33.

nitas inferior & posterior Christi pars est, facies ejus est divinitas: divinitatem videre ei non est datum, fulgorem tamen in tergo transeuntis coram se Domini vidit, & inclamavit: *Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, & verax, qui custodis misericordiam in millia.* In hoc fulgore designari potuit humanitas postremo tempore à Deo assumenda, & Moysi tandem in quadã gloria postmodum manifestanda. Certè in hoc mõte potuit Moyses idè inclamare quod olim: *Domi-*
Exod. 24. *nator, Domine Deus misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, &c.* Etenim loquebatur Moyses & Elias de Christi morte & passione ubi patuit ejus misericordia, clementia, patientia, justitia & veritas: ubi effulserunt miserationes ejus summo amore & charitate in millia profundendæ. Hoc expres-

Passio & mors Christi excessus.

sit S. Lucas his verbis: *Dicebant excessum quem completurus erat in Jerusalem.* Excessum vocat acerbã mortem, acerbamque passionem, quæ omnem cerrè mensuram excessit. An non excessus bonitatis, quòd Dominus omnium pro mancipio, Deus pro homine sibi inimico, tanta majestas pro vili vermiculo tanta pati dignata sit? An non excessus amoris, quod cum sola gutta sanguinis sufficere potuisset; totum voluerit exhaurire excessivum, ut persolveret pretium: & redemptionem copiosam? An non excessus doloris, quod sine ulla vel interna consolatione, vel externa ab horto usque ad crucem derelictus permanserit? An non excessus obedientiæ & humilitatis, quod exinaniverit semetipsum obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis? An non excessus paupertatis, quod non habeat ubi caput reclinet, quod trabe lignea nudus uti debeat pro lecto, spinea corona pro pulvillo, clavis diris simis pro calceis & chirotecis? An non excessus in patientia & perferendis contumeliis, dum denudantur, dum sputis fædatur, dum maledictis opprobriisque continuò oneratur, dum adeo ignominiosè illuditur, dum ejicitur è civitate ut latro pessimus, dum elevatur, ut serpens venenatus, dum ad extremum usque halitum ignominiosissimè, tractatur ut sceleratissimus? Si non fuisset excessus in his omnibus, sola horum memoria ei in horto sanguineum sudorem non excussisset. Hunc bonitatis, charitatis, humilitatis, obedientiæ, paupertatis, patientiæ excessum sæpius cum amore & compassione considerare nos oportet: quia hujus causa fuit excessus noster per superbiam, per ebrietates, per invidias & impatientias, per carnales voluptates, & infames vanitates. Certè quantum ipse excessit Christus in amore, tantum nos excedimus in ingratitudine, si hunc amoris excessum frequenter oculis nostris non abjiciamus, si & ea quæ ei causa fuere tantæ acerbitatis non emendemus. Quandoquidem hac de re in monte isto gloriæ loquitur, vult alta mente idipsum nobis esse repositum, nec unquam memoria excidere.

Sed forsan importunus est Christo hic *Moyses & Elias* sermo de morte, quandoquidem mons iste designatus sit ad gloriam & lætitiam? Absit. Etenim mors ei erat in desiderio, nullusque sermo ei gratior & suavior esse poterat, quam de passione sibi desideratissima, de qua dixerat: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur.* Voluit etiam per hoc docere omnem mundi lætitiam mixtam esse dolore, & nullam esse tantam prosperitatem aut gloriam, quin in illa cogitandum sit de morte & fine: *Si annis multis vixerit* Eccl. 11. *homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum*, hoc est æternitatis. Voluit quoque significare, neminem ad gloriam posse pertingere, nisi per tribulationẽ, spinas, crucem. Offert ergo illam venalem hic sed jungit & illius pretium. Quasi dicat Gloria hæc tibi ostenditur planè desiderabilis, speciem adumbrans gloriosæ æternitatis; sed vide quomodò ad eam pertingas quomodò eam emas, si eam amas. Ego pretio sanguinis & mortis meæ eam coemi, tibi pariter emenda est. Pater meus meliori pretio non vendidit mihi; tibi etiam pretium, aliquod simile persolvendum est laboris & patientiæ.

PARS II.

Interim dum Moyses & Elias loquuntur de Christi passione, Petrus respondens ait: *Domine De verbonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula, bis S. Pe-*
tibi unum, Moysi unum, Eliæ unum. Sed non satis *tri.*
pertinenter respondit *Petrus*; Unde subditur. *Nesciebat quid diceret.* Erat ergo multipliciter Petrus, ut notant SS. PP.

Primò. Nesciebat quid diceret, hoc erat enim impedire Christi iter in Jerusalem, inquit S. Chrysost. impedire ne mortem subiret, & consequenter fructum passionis. Certè Moyses rogabat ibidẽ Christum, ut se & Patres in limbo agentes quantocius dignetur liberare è carcere. Elias verò ut mundum pereuntem redimat, hic videtur supplicare, & ideo sermo est de ejus morte. An non importuna ergo tunc fuit Petri petitio, dum gloriæ dulcedine allectus suum solum cogitat solatium, & redemptionis pretium à Christo persolvendum obliviscitur? Totum mundum undique caligine & tenebris videt repletum, cur in hoc monte vult reunere Solem orbis, ejusque lucem? Ubi est charitas tua? o Petre tot populis in orbe, tot animabus in limbi carcere ad redemptionem adspirantibus, illi remoram velle injicere? An forsan quinque solum convenit hujus contortes esse gloriæ, quandoquidem cum Christo quinque solum sint in monte.

Quomodo nesciebat Petrus quid diceret. Lc. 1.

Secundo *Nesciebat quid diceret*, sicut Jacobo & Joanni dicit Christus, *Nescitis quid petatis.* Quare autem nesciebat? Quia existimat Christum gloriosum; Moysenque & Eliam tabernaculis indigere: erant utique gloriæ amictu circumdati, quid illis commune cum casis aut tabernaculis? Elias certè rem commorandi locum habebat in Paradiso terrestri, Moyses in quiete agebat in sinu Abrahæ; tabernacula, quæ peregrinantium sunt habitacula, hi merito respuerent, multo minus Christo convenirent glorioso, qui tabernacula parat suis, *non ma-* Heb. 9.

Lc. 2. Matt. 20.

nufacta,

facta, nec hujus creationis, non in terra, sed in Cœlis. Ultrius beatitudinē Petrus non in visione lucidi collocat divinitatis, sed in visione lucidi corporis, ideoque errat.

¶ 3. Tertiò. *Nesciebat quid diceret*, non solùm quia vult habitationem facere in terra peregrinationis, sed etiam quia censetur quodammodò Christum velle dividere à Moyse & Prophetis; dum tria optat fieri tabernacula. Absit, ô Petre, non tria tabernacula quæras, una est Ecclesia, unum tabernaculum, una habitatio Christi, Moysis Eliæ; numquam Prophetæ à Christo dividentur, numquam Christus à Prophetis. Sed cur de tabernaculis tibi, & *Iacobo* & *Ioanni* ædificandis sîles? Forsitan tui & sociorum oblitus es, præposterè de Christo, *Moyse*, & *Elia* sollicitus. Aut si socios tuos cum *Moyse* & *Elia* futuros existimas, te autem cum Christo, etiam erras. Quod si tres Discipulos cum Magistro in eodem tabernaculo collocas, certe & aliorum collegarum non immemor esse debueras.

¶ 4. *Quarè Nesciebat quid diceret*, quia multa subeunda certamina ante gloriam & coronam. Ipsa crux toleranda, per illam pertingitur ad gloriæ fruitionē. Nescit quid dicat, quiin terra vult quiete perfrui. hic locus est pugnæ & certaminis, locus tolerantiæ & patientiæ; in cœlo locus triumphi & gloriæ; sursùm est palma & corona ad quam currendum est per labores & adversa. Unde Christus postmodum etiam dixit Petro: *Cùm eras iunior cingebas te, & ambulabas quò volebas. Cùm autem senueris, alius cinget te, & ducet quò tu non vis, & tu extendes manus tuas*, significans qua morte clarificaturus esset DEUM, clarificandus ab ipso. Et cum hoc dixisset, dicit ei: *Sequere me* non amplius ad *Thabor*, sed ad Calvariam; ad crucem utique sequere, postmodum secuturus ad gloriam. Multi vero non absimiles sunt *Petro*, qui ambiunt coronam sine certamine, victoriam sine prælio, præmium sine obsequio, gloriam sine merito; quibus respondemus, quod & ipsi nesciant quid dicant, aut quid ambiant.

Ioan. 21.

Beatorū voluptatis dulcedo summa.

Cæterum ex hac voce *Petri* in monte ita extra se rapti colligimus quantæ voluptatis dulcedinem Beati percipiant in monte Æternitatis. Si tanta est vis radij micantis, quid erit dum sol erit in virtute sua? Quid erit quando amoris ardebit ignis, si scintilla inflammat *Petrum*, si gutrula ita illum inebriat, si stilla ita perfundit, ut rerum omnium oblivionem in ipso pariat: Quid erit quando hau-

Psal. 35. rient. Beati de fontis plenitudine, de voluptatis inundantis torrente? *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

1. 1. Ibi nunc clamat, & clamabit in æternum, *Petrus*; *Domine, bonum est nos hic esse.* Omne utique ibi bonum, nullum prorsus malum, vel culpæ, vel pœ-

2. næ ibi esse potest.

2. Ibi Moyses, non in foramine Petræ posterio-

ra videns, sed in facie divinæ contemplatione jubilans, inclamabit æternum; *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, & verax, qui custodis misericordiæ in millia.* *Exod.* 33.

3. Ibi Elias cum exultatione reperit, quod olim solebat dicere, *Vivit Dominus, in cuius conspectu stetit.* 3. Quia ab hoc conspectu non recedet in æternum, & 3. *Reg.* 17. in illo qui vivit in sæcula, vivet & ipse immortali & beata vita.

4. Ibi Joannes meritò resonat illud *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus, & absterget omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit neque luctus, neque dolor.* 4. *Apoc.* 21.

5. Ibi Jacobus resonare potest illud Prophetæ; *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea. Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Non amplius Jacob, sed Israel ibi nomen ejus. 5. *Psal.* 83.

6. Ibi in omnibus electis (quorum hi qui in mōtem Thabor ducti sunt typum gessere) patebit quā verum sit, *Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum*; in tabernaculis scilicet cœlestibus, ubi perenniter resonabit vox laudis & amoris, in lumine æternitatis. Verùm, quis habitabit in tabernaculo isto Domini, aut quis requiescet in monte sancto ejus? *Qui ingreditur sine macula & operatur justitiam.* Iterū: Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Vis scire? *Innocēs manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.* Inspice ergo manus, hoc est opera; inspice cor, hoc est cogitationes & affectus: inspice animam, & vide cui eam acceperis: inspice linguam, & vide an non lateat in ea dolus. Sic manus, cor, animam, & linguam expurga, ut in illis refulgeat innocentia: ita benedictionem & misericordiam consequeris à Deo salutari tuo, & eris in generatione, quærētium eum, videntiumque faciem ejus in æternum in habitaculo cœlesti, in monte sancto Dei. 6. *Psal.* 117. *Psal.* 14. *Psal.* 23.

PARS III.

De voce nubem: Et ecce vox de nube dicens; Hic est filius meus Patrus dilectus, &c. Hæc est vox Domini in virtute, vox *æterni.*

ADhuc loquente Petro, ecce nubes lucida obumbravit eis, & timuerunt intrantibus illis in nubem. *Et ecce vox de nube dicens; Hic est filius meus Patrus dilectus, &c.* Hæc est vox Domini in virtute, vox *æterni.* Domini in magnificentia; vox Patris æterni testimonium irrefragabile dans filio suo, cui vult tamquam novo Legislatori & Principi omnes obedire. Unde hæc fuit vox clara, augusta, sonora instar tonitrui, è cœlo delata ad Apostolos, eos sacro percellens horrore; sicut & nubes illa perlucida, majestatis plena, & subitò coorta; eos perterruit, nubem illam repræsentans qua cū magna majestate *terni* Pa- ad judicium venturus est. Continet porrò vox ista *tru va-* cœlestis multa in sua significatione mysteria; unde *ria.* singula ejus verba ponderanda sunt.

Mysteria vocu a-

Primò. *Hic est filius meus*, de mea substantia genitus, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero; Quem promisi mittere, illum nunc 1.

exhibeo, illum, inquam, cujus nomen est, *Qui est, & Hic est*; qui licet homo factus sit in tempore, sæculis tamen omnibus antiquior est unigenitus sine tempore, qui ex me, & in me, & mecum semper est. Hic est filius meus, quem à me non separat Deitas, non dividit potestas, non discernit æternitas, inquit *S. Leo* ser. de Transfiguratione. *Hic erit filius meus; origine, veritate, nativitate; non adoptione, nũcupatione, creatione* inquit *S. Hilarius* lib. 3. de Trinitate. *Hic est filius meus, ille, inquam, gloria mea splendor, ille substantiæ meæ character, per quem feci Angelos, per quem cœlum fundatum est, stabilita terra. Hic est non servus, non legatus, non Angelus, sed filius meus dilectus*, inquit *S. Damascenus*, serm. de Transfig.

2 *Secundò. Dilectus.* Græca habent, diligibilis, sive amore dignus, *agapitus*, & dilectissimus: Quid ita? Hic est filius nimirum non adoptivus, sed proprius, non aliunde creatus, sed ex me genitus; non de aliena natura factus mihi comparabilis, sed de mea essentia mihi natus æqualis, inquit *S. Leo*. Dilectissimus ergò & summè diligibilis, quia naturalis filius, quia homousios & consubstantialis, quia unicus & unigenitus, quia ejus dilectione producitur Spiritus S. qui est infinitus amor, & dilectio Patris & Filii.

3 Tertiò, *In quo mihi complacui* In quo requiesco & oblector eximiè, in quem omnem meam benevolentiam, omneque beneplacitum meum & voluntatem propensam effudi; quem complacentem & gratissimam hostiam & victimam mihi constitui, ut homines reconsiliem mihi; in quam cum intueor, omnem iram & offensionem depono. Deus ergo in Christo sibi complacuit. Tum quia ut filium infinito amore diligit, & in eo totus complacendo requiescit. Tum quia per illum solum placuit illi hominem redimere, & sibi reconciliare. Tum quia in ejus obedientia humilitate, sanctitate eximiè oblectatus est. Tum denique, quia omnes qui Deo placent, per Christum placent: & qui Christo placent, placent & ipsi. Et nulla est virtus, nulla sanctitas, nulla merita, quæ Patri placeant nisi per Christum; & ejus merita. In ipso prædestinati, dilecti, sanctificati glorificati sunt fideles electi, Patriarchæ & Prophetæ, Apostoli & Martyres, Confessores & Virgines.

4 Quartò, *Ipsum audite.* Quasi dicat: Ipsum auscultate, ipsi credite, ipsi obedite. Ipsum vobis ut Præceptorem adsigno, ut loquentem audiatis, audientes fidem adhibeatis, credentes obedatis. Ipse est Vita, ipsum audite; quia non potest promere nisi verba vitæ. Ipse est, Veritas, ergo oportet vos ei firmissimè credere. Ipse est, Via, sequimini eum & obedite; non enim aliud est iter vitæ, nec potest usquam per aliam viam ad me pertingere. Ipsum audite, non Moysen umbras legis docentem, non Eliam cœlum claudentem, & ignem de cœlo evocantem, quo peccatores plectat & perdat. Ecce Moyses, ecce Elias jam recesserunt in nube postquam ei testimonium dederunt, ipse manet solus Legislator, solus Finis legis & Prophetarum, solus hominum Redemptor, solus Ecclesiæ fundator, Doctor Evangelii, Dux cœli, voluntatis meæ internuntius, Majestatis meæ legatus, ipsum ergo audite; qui ipsum audit, me audit; qui ipsum spernit, me spernit. Ipsum audite, cujus prædicatione manifestor cujus humilitate clarificor, quem legis mysteria prænunciarũt, quem Prophetarum ora cecinerunt. Ipsum audite, qui si minetur pœnas æternas; potest infligere; si gloriam proponat, potest tribuere; si ad gratiam vos vocet, potest peccata remittere. Ipsum audite, non mundum ad vana & fallacia, non carnem ad turpia, non diabolum ad illicita vos illectantem verbis suis & blanditiis. Illius doctrinæ quæ de cœlo est, sincera, casta, humilis, perfecta, luminosa, *Isaiæ 30.* aurem accomodate. Hic est enim de quo scriptum est: *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum, &c.*

Tu æterne Pater, qui filium tuum dilectissimum in monte nobis exhibuisti Transfiguratum, solis instar fulgidum; illumque inter Moysen & Eliam apparere voluisti, & toto Orbi Doctorem audiendum proposuisti, testimonium ei nube & voce cælesti exhibendo. Da ut respiremus ad illam gloriam, cujus specimen in Thabor exhibuit, ad illam cœlestem voluptatem, cujus stillam Petrus gustavit. Excita in nobis fervens desiderium tibi serviendi, & illumina corda nostra, ut quæramus quæ sursum sunt, & terrenis affectibus depositis, illum audiamus, illi credamus, illi obediamus, illum sequamur qui est veritas, via, & vita, qui in montem nos vult secum ducere, & nobis notas facere vias vitæ. Ita fac ut audiamus illum in hoc tempore, ut audire & videre mereamur tota æternitate, quando audient electi tui ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, & videbunt discussa omni caligine lumen de lumine illuminans mirabiliter à montibus æternis, dum turbabuntur insipientes corde in tartarea valle.

DOMINICA III. QUADRAG.

LECT. 16 Tripart. PABSÆ. *Christi munus Dæmonẽ ejicere.*

Erat Iesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Luc. 13.

FRequenter sacræ nobis scripturæ insinuant Christum Dominum ad hoc in hunc mundum venisse, ut bellum iniret contra dæmonem, qui hominem primum per peccatum supplantaverat, & genus humanum multis vinculis irretitum exinde tenebat, læva quæ tyrannide opprimebat. Expressit id aper-

id apertè S. Joann. *Qui facit peccatum, ex diabolo*
1. Joan. 3. *est, quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Quasi dicat: Sicut qui justus est, & vivit justè, ex Deo natus est, & de familia ejus censetur, ob semen divinæ gratiæ in eo manens: ita è contra, qui facit peccatum, ex diabolo natus censetur, & de ejus familia ac prosapia reputatur, ob semen pessimum suggestionis pravæ, quod ab eo suscipit, per quod peccatum in ipso generatur. Omne enim peccatum à diabolo est, quoniam *ab initio peccat.* Ab initio scilicet creationis suæ mox se Deo rebellem fecit, & peccandi initium & exemplum statim Adæ & ejus posteritati dedit: exinde etiam in suo peccato ac rebellione perseverat, colligatque quibusdam velut vinculis omnes quos ad peccatum potest pertrahere, ut secum perseverent, Deo rebelles. Sed ad hoc apparuit in carne filius Dei, ut dissolvat & vincula & opera diaboli, prædamque ei eripiat, suos sibi vendicans. Propterea Prophetæ Isaiæ
Isai. 8. prædicitur nomen ejus futurum: *Accelera spolia detrahere, festina prædari*; jubeturque sumere librum grandem, in quo hoc nomen scribat. Sed quare ad hoc liber grandis requiritur? Quia nimirum licet hoc nomen paucis verbis exprimeretur, tamen multa mysteria continebat, omnes scilicet victorias, quas contra diabolum reportaturus erat. Quapropter ut ostenderet hoc nomen non esse inane, mox voluit ab infantia peragere officii sui partes nomine isto indicatas. Jamque ex eo tempore verum fuit: *Erat Iesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Sic obmutescere fecit nascens oracula dæmonum in suis idolis respondentium, & homines deinceps tantum, ac decipientium. Cùm Augustus oblato sacrificio interrogasset Pythium Apollinem, quis post se imperium administraturus foret; obticuit oraculum. Cùm verò urgeret causam, in hunc modum responsum accepit:

Nicephor lib. 1. c. 17
Me puer Hebræus Divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemq; remittit ad Orcum.
Ara ergo dehinc tacitus abscedito nostra.

Isa. 11. Ideò etiam de Christo verum est illud. *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in cavernam reguli qui ablactatus fuerit, mittet manum suam.* An non Christus infans, cùm jam Virginis adhuc ubera sugeret, in cavernas serpentis infernalis manum mittebat, ut serpentem extraheret, & locum sibi vendicaret? Quid sunt corda Reguli & Basilisci, sive serpentis tartarei, nisi corda iniquorum? Christus illuc manum suam misit adhuc puer, ut aspidem & serpentem ejiceret, dum Reges & Pastores ad fidem adduxit, & ad sua cunabula: dum in Ægypto vim dæmonis elisit, & idola confregit jam prædam inchoans, quam nomen prophetice sibi indirum præcrebat. Ergo Jesus dæmonium ejiciens, sive dum ageret in Virginis adhuc utero, sive dum jaceret in præsepio, sive dum offerretur in templo, sive dum exul ageret in Ægypto, sive dum postea docet & conversatur in mundo, sive dum moritur & pendet in patibulo. Unde morti appropinquans pronuntiat, Joan. 12. 4
Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras, ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hæc fuit potestas pueri nascentis, & Crucifixi morientis, alligare posse fortem, vasa ejus diripere, superbiam ipsius conterere, elidere fortitudinem, & fugare contremiscentem: *Egredietur diabolus ante pedes ejus*, dicebat Abacuc Propheta de Christo, *ante faciem ejus ibit mors.* Necdum ipse brachia poterat movere in præsepio, confixa postea erant illa in patibulo, & tamen dissolvit opera diaboli. Quænam opera illius, nisi peccatum & mors? Mox ergo fuit ipse ante pedes ejus, præsentiens illum qui poterat facere potentiam in brachio suo; quia in cornibus præsepii & Crucis abscondita erat fortitudo ejus. In cruce *stetit, & mensus est terram*, brachiis extensis, tamquam hæreditatem scilicet ad se pertinentem, è qua dæmon ejiciendus erat iniquus possessor & usurpator.

Abac. 3.

Abac. 3.

Porrò is qui in nativitate, in matura ætate, in vita & morte erat ejiciens dæmonium, imò qui statim à prima creatione è cœlo illud ejecerat. *Videbam Satanam tamquam fulgur de cœlo cadentem*: ipse inquam; etiam post mortem usque hodie ejiciens est dæmonium, dum ex animis & corporibus hominum illud expellit per sui nominis invocationem, per Sanctorum intercessionem, per auctoritatem Apostolis & eorum successoribus, Sacerdotibus & exorcistis concessam. Immò adhuc nostro sæculo verificatum illud fuit: *In cavernam reguli, qui ablactatus fuerit, mittet manum suam*; nam teste Tursellino in vita S. Xaverii, lib. 2. cap. 6. mittebat ille pueros in India agens, qui fidem Christi docerent parentes & vicinos: idolaque eorum pueri hi demoliebantur, atque per crucem & pias preces infirmos curabant, & dæmones ab energumenis expellebant.

Luc. 10.

Advertendum autem dæmonium tribus modis hominem dici posse occupare, vel possidere. *Primus* est, cùm solam animam possidet dæmon, potestatem quandam in eam habens per peccatum. Sic de Juda dicitur: *Post buccellam introivit in eum Satanas*: quadam speciali ratione in eum tunc introisse dicitur, & potestatem accepisse; quia totum cor suum dæmoni præbuit, cum adverteret se indicio buccellæ declaratum. Exacerbatus enim fuit, & animum prorsus obfirmavit, ad perficiendum quod statuerat. Sic omnis qui per peccatum Spiritum Sanctum deserit, dæmoni jus quoddam dat in animam suam, quia *qui facit peccatum, servus est peccati*, servusque diaboli,

Dæmon tribus modis hominem occupat. Joan. 13. 2.

qui per peccatum tyrannidem in eo exercet. *Secundus* modus est, cùm corpus solùmodò occupatur, & non animam: nam quandoque etiam pios à dæmone corporaliter exagitari, & obsideri permittit Deus ad probationem, & exercitium virtutis, vel etiam ad peccati alicujus venialis expiationem, ut suprà ostendimus. Sic refert Cæsarius lib. 5. cap. 26. quinquennem adhuc puellulam, & innocentem omnis criminis, quia ei pultem comedenti pater ira exagitatus dixerat; *Diabolum comedis*, sensisse illico ingressum diaboli, & ad maturam usque ætatem vexatam fuisse, donec anno 1222. Romam ad Beatorum Apostolorum limina veniens, ibidem pristinæ reddita est sanitati. In egressu autem dæmon exclamare auditus est. *Nullum post hanc vitam sentiet purgatorium, præter illud quod à me perpessa est.* 2. 3. *Tertius* modus est, cùm & anima per peccatum mortale obsessa est, & corpus etiam possidetur à dæmonio, & à quo & anima per consensum in varia peccata præcipitatur, & corpus miserè exagitatur. Sic de Saule multi sentiunt de quo dicitur. *Spiritus Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino*, hoc est Domini speciali permissione eum invadens, jam incipiente Domino pœnas de Saul sumere inobediente & reprobo. De hac re sic loquitur Eucherius in c. 16. 1. Reg. *David in cythara suaviter, imò fortiter canens, malignum spiritum qui operabatur in Saule compescuit: nō quòd cythara tanta virtus foret, sed figura: Crucis Christi, qua de ligno & extensione nervorum mystica gerebantur, ipsaque passio cantabatur, quâ jam tunc dæmonis spiritus opprimebatur.* 1. Reg. 16.

Deus cur hominem à dæmone vexari permittat.

Quæres, cur Deus hominem, quem ad suam imaginem creavit imaginem, sic à dæmone possideri, sicque vexari permittat, ut quandoque ligari & vinciri debeant ab eo possessi. horribileque sit eos conspicere? R. 1. Id permittit, ut intueamur, in illis crudelitatem dæmonis eos quos possidet, intolerabiliter cruciantis, & torquentis, & in furorem agentis: & ita odium & detestationem ejus concipiamus, ut nulla nobis sit unquam cum illo communicatio vel fœdus, imò ipsum ejus nomen nobis sit detestabile & horrendum. R. 2. Id permittit à Deo, ut hoc quasi symbolo externo exagitationis, dilaniationis, horridi clamoris, ostendat qualem stragem & crudelitatem exerceat peccatum interius in anima, & quam horridas passiones excitet dæmon intus in ea, dum illius possessionem habet. De energumeno & possesso in Evangelio legimus, quòd fremebat, spumabat, discerpebat se, quodque dæmonium modò in aquam, modò in ignem eum mittebat. An non id symbolum est alterationis & passionis animæ per peccatum dæmoni obsequentis? O quam exagitatur superbiæ furore, invidiæ fremitu & livore, iræ & impatientiæ turbine, fluctibus concupiscentiæ, aliisque horridis passionibus! R. 3. Id permitti quoque à Deo, ut jam in dæmoniacis ostendat inferni & tormentorum ejus quandam speciem, quæ nobis horrorem incutiat, ut penitus averta- *Marc. 9.*

mur ab his, quæ illuc nos ducere possunt. Dum enim ignem illi spirant, dum toto concutiuntur & excruciantur corpore, dum horrisonas edunt voces, dum contorti huc illuc nullam capiunt quietem, nonne nobis inferni & pœnarum ejus quandam exprimunt similitudinem?

PARS II.

Qui habeant dæmonium.

SEd videamus quem effectum produxerit dæmonium quod ejecit Jesus. Audi Evangelistam; *Erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum*, vox græca teste Chrysostomo & Theophylacto, etiam significat surdum. Addit Matthæus etiam, fuisse cæcum. Unde S. Hieronymus ait. *Tria signa simul in uno homine perpetrata sunt: Cæcus videt, mutus loquitur, possessus à dæmone liberatur.* Hæc autem omnia dæmonium in hoc homine effecisse, surdum, mutum, cæcum eum reddendo quem possidebat, asserit S. Chrysost. his verbis: *O pestiferam dæmonis astutiam, utramque viam occæcavit, atque obstruxit, quibus ille erat vecturus, visum atque auditum quin etiam & linguam ne consideatur, quas tamen vias Christus reseravit.* Sic privavit illum sensibus, quibus poterat ad salutem pervenire, audiendo divinos sermones, Deum voce precando, exempla bona videndo, & sequendo. Nimirum solet salutis consequendæ præsidia & media illi dæmon eripere, quem turius vult possidere? Si consideres, quid in hominibus hujus sæculi agatur, reperies impediri aliquos à salute, quia habent dæmonium quoddam cæcum & surdum, alios verò qui habent dæmonium mutum; sed & quosdam etiam è contra, quia habent dæmonium nimis loquax. Vis particularius edisseram?

Dæmonium cæcum.

Cæcum. Sophon. 1.

Primò illi habent *Dæmonium cæcum*, qui non vident in quo periculo versentur, cum proximi sint inferno propter peccata, de quibus Sophonias: *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Ostium pœnitentiæ & januam salutis non reperiunt; sunt que instar Sodomitarum ab Angelo cæcitate percussorum, qui non poterant ostium domus reperire. Impingunt ad saxa & lapides; lutum non vident, cui ita infiguntur, ut progredi non valeant, offendunt pedes ad *Montes caliginosos*, inquit Propheta. Vis scire quodnam sit lutum, cui inhærent plerique cæco dæmonio occupati? Libido est & luxuria delimosa cordis concupiscentia procedens, quam à se non valent excutere. Vis nosse quænam sint saxa & lapides quibus læduntur? Injustitia est lapis, avaritia bona usurpans aliena est saxum quod impedit eis viam ad salutem. Quid sunt verò montes caliginosi? Simultates sunt invidiæ, vindictæ, quas non possunt nec volunt deponere. Sic ambulant à dæmonio cæco ducti, & seducti, nec finem viæ suæ vident per varia præcipitia ad abyssum perducentem. Sed & ipsi surdum habent dæmonium aures ei occludens, ne audiant vocem Dei post tergum monentis & inclamantis, *Hæc est via, ambulate in ea.* Ne audiant etiam admoniciones, & consilia eorum qui ad salutem ipsos reducere conantur; ne: *Jerem. 13. Isai. 30.*

& ipso-

& ipsorum Angelorum vocem cordi insonantem percipiant. O cæcitatem; ô surditatem deplorandam!

Dæmonium mutum habent.

Secundò multi sunt qui censentur tegi à dæmonio muto. In primis illi qui Dei laudes cum opus est, non decantant, nec gratias illi agunt de perceptis beneficiis innumeris. Mutus est dæmon in laude Dei Creatoris sui, & alios quantum in se est, mutos reddere conatur. Cùm Deum *laudarent astra matutina & jubilarent omnes filii Dei*, ipse per invidiam à Dei laude obmutuit ingratissimus. Eandem ingratitudinem in primorum parentum corda mos immisit, ut oblivisceretur Dei Creatoris sui; quos ideo in peccatum cecidisse existimat *Rupertus* in gen. l. 2. c. 39. quia muti fuere in laude benefactoris & gratiarum actione. Inspiraverat Deus in faciem Adæ spiraculum vitæ, viditque se interius exteriusque donis omnibus adornatum, nec tamen gratias egit. Ductus est in paradisum, in locum illum omnibus deliciis circumfluum, adductaque ad eum fuere omnia animalia, ut illis dominaretur; nec tamen in laudes erumpit Domini sui, totius orbis dominium ei deferentis. Datur ei adjutorium simile sibi, mulier speciosissima admirabili modo ex ipso ædificata; adhuc mutus est, nec gratiæ verbum ejus ex ore resonat. Sic qui Deum non sicut Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt, evanuerunt in cogitationibus suis, ut etiam se Deos esse posse existimarent, inquit *Rupertus*. Fuge, ergo ô homo ingratitudinem, fuge dæmonium mutum; si enim cœli enarrant gloriam Dei, si omnis creatura quadam lingua prædita censetur, quia ejus laudes resonat, (propterea tres pueri omnes creaturas ad laudandum invitant) multo magis is debet laudes intonare creatoris sui, qui ad hoc factus est, ad hoc os linguamque accepit. *Hoc quod continet omnia scientiam habet vocis*, inquit Sapiens, hoc est ipse homo, qui Microcosmus est, Mundum in se abbreviatum gerens, factorem suum voce sonora sapienter debet collaudare vice omnis creaturæ. O felix lingua quæ Deum novit glorificare.

1. *Ingrati. Iob. 38.*

Sap. 1.

Lingua S. Anton. De Padua & S. Bonavent. post multos annos recens reperta.

S. Antonii Paduani lingua anno à morte ejus 32. incorrupta & recens est inventa. Unde S. Bonaventura eam cum lacrymis exosculans, in hæc verba prorupit. *O benedicta lingua, quæ Dominum semper benedixisti & alios benedicere docuisti, nunc liquet quàm grata ei fuerit, quantique apud Deum meriti!* Similiter & postea ipsius Bonaventuræ lingua 160. annis post mortem 1434. integra & recens est reperta, cor quoque & caput, in translatione ejusdem.

2. *Odium in corde foventes. Gen. 4.*

Ulterius dæmonium mutum illi censentur habere, qui fovent occultum in corde odium, & illud obtegunt, silentque quoadusque sese offerat opportuna vindictæ occasio. Sic Cain se gessit aliquadiu erga Abel. *Egrediamur*, inquit, *in agrum*, quasi animi gratia & quadam fraterna societate gaudere se simulans hoc petit. Nihil de invidia concepta eloquitur, tacet dæmonio obsessus muto, donec lupinâ rabie agnellum à patre & matre separatum interimat. Sic se gerit Absalon erga fratrem suum Ammon, *Nec bonum, nec malum et loquebatur*, donec invitatum ad convivium adortus est, temulentumque enecari jubet insidiosè: scilicet malignus spiritus mutus hactenus eum possederat. Sic etiam aliquanto tempore se gessit Saul erga *Davidem*; quem licet æquis non adspiceret oculis, ex eo tempore quo victor regressus fuerat, applaudentibus & cantantibus choris, tamen dissimulabat, possidebaturque à dæmonio muto, qui quandoque recedebat, dum psalleret David cythara coram ipso. Aliquoties tamen eum psallentem lancea transfigere conatus est, nihil dicendo. O pessimum dæmonium latentis invidiæ & vindictæ mirè torquens eum quem possidet, captansque silenter occasionem, qua in necem innocentis se effundat!

2. Reg. 13.

1. Reg. 16.

3. *Peccantes, non corripientes.*

Deinde, illi quoque dici possunt occupari à dæmonio muto, qui peccantes non arguunt, cum vel ex officio, vel ex charitate obligantur. Sic parentes qui silent filiis peccantibus, nec eos monitis & increpatione à vita impura vel flagitiosa revocant, ne contristent, censentur à maligno illo spiritu muto obsideri: sibi enim & filiis noxi sunt, dum nec fatæ, nec illorum consulunt saluti. Sic *Heli* dum scandalum filiorum suorum taciturnitate quadam dissimulat, gravissimè à Deo punitur. Similiter Pastores, Confessarii, Prædicatores verbi Dei, & quilibet Superiores, debent cavere dæmonium, illud mutum, quod eos timidos & elingues reddit in vitiis privatim vel publicè reprehendendis; ne ignominiosè audiant illud. *Canes muti non valentes latrare.* Maximè verò Judices hoc caveant, quibus oris obstructio non solùm ignominiosa est, sed & maximè damnosa; *Xenia & dona excæcant oculos judicum, & quasi mutus in ore averit correptiones eorum.* Per Xenia scilicet & dona intrat in eos dæmonium mutum, obturans eis os quasi fræno, ut delinquentes non corripiant, nec castigent.

1. Reg. 2.

Isai. 56.

Eccl. 20.

4. *Peccata in confessione tacentes, Confessionem quatuor impediunt, 1. Pudor.*

Denique, dæmonium mutum maximè habent illi, qui voluntariè tacent aliquod peccatum in confessione. Quatuor verò impedimentis solet dæmon à peccatorum confessione deterrere pudore, timore, spe, desperatione. *Primum* impedimentum est pudor. Multos enim peccare non pudet, confiteri autem maximè eos pudet, ita ut præ confusione suas dimittant confessiones. Absque dubio id a dæmonis fallacia provenit, qui omnia invertit quæ à Deo sunt instituta, quia teste S. Chrysost. hom. 3. de pœnit. *Pudorem & verecundiam Deus dedit peccato, confessioni fiduciam: invertit rem diabolus, & peccato fiduciam præbet, confessioni pudorem & verecundiam.* Refert Cassianus quemdam exantiquis Patribus quodam die vidisse satanam circa confessionalia obambulantem. Interrogat eum vir sanctus, quid ibi faceret? Respondit: *Reddo*

pœnitentibus, quod antea eis abstuli Urgetur dicere quid illud foret? Dixit: *Abstuli eis verecundiam dum peccarent, reddo eu, ut nunc à confessione deterreantur.* Dicimus verò his idem quod Sapiens: *Ne confundaris pro anima tua dicere verum, est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam.* Confusio quæ impedit peccati confessionem, æternam adducit confusionem. Confusio ex peccatorum confessione enascens, peccatum præteritum tegit, & à futuris protegit. Secundum impedimentum est timor. Timent enim quidam ne gravis eis pœnitentia imponatur, aut ne restitutio præcipiatur, aut ne reconciliatio cum inimicis jubeatur; ideoque tacent peccata odii, aut injustitiæ, & tenet eos dæmonium mutum. Sed his dicimus. *Qui timet pruinam, irruet super ipsum nix.* Volentes vitare minus incommodum, incidunt in incommodum inextricabile malæ peractæ confessionis, & in periculum æternæ salutis. Habent hi Leviathan, *serpentem vectem, serpentem tortuosum.* Ideo vero voco dæmonem qui eos possidet, *serpentem vectem*, sive serpentem concludentem, quia instar ferrei vectis concludit & obstruit eis cor ne contritionem eliciant, os ne confessionem reddant, bursam ne restitutionem faciant. Voco etiam *tortuosum serpentem*, quia mire eos suis spiris involvit, nec obstetricante licet manu periti Confessarii educi potest. O quam multis hoc contingit! *Tertium* impedimentum est spes. Quia aliqui dum sperant quædam in hoc sæculo, nec putant se adepturos, si quales sint innotescat, etiam in confessione pravitatem suam abscondunt, ut pie viventes habeantur. Sed *væ peccatori terram ingredienti duobus viis.* Væ illi, *qui nequiter se humiliat & interiora ejus plena sunt dolo.* Væ illis qui ut opinionem sibi bonam concilient apud suos Pastores, vel Confessarios, à quibus commendari sperant, animæ statum silent, à dæmonio muto occupati. *Quartum* impedimentum est desperatio melioris vitæ. Quidam enim negligunt confessionem, quia nolunt à peccatis abstinere, & quodammodo desperant se id posse. Hi injurii sunt gratiæ Dei, dum huic pessimæ spiritus maligni succumbunt tentationi. Sed de his quatuor impedimentis, quæ à dæmonio muto provenire censentur, fusè dixi in Candelabro mystico, Tract. 5 Lect 8. Poterit ex ibidem dictis Pastor hic opportuna proferre, ut excitet plebem ad integram peccatorum confessionem. Cum verò multa possint exempla de dæmone impediente confessionem in æternam perniciem impœnitentium hic afferri; pertranseo, quia passim occurrunt. Unicum tamen subjicio.

Exemplum horrendum.

In Italiæ quadam civitate nobilis erat fœmina quæ exterius sancta reputabatur, eleemosynis & orationi dedita. Moriens reliquit filiam valde piam, quæ quotidie particularem pro matre fundebat orationem. Post aliquot hebdomadas domi sola existens, circa ostium vidit monstrum horribile, habens speciem porci excoriati, ignem & fœtorem spirantis. Territa admodum hac visione, ad fenestram currit, ut se ex illa præcipitet vel demittat; sed hanc vocem audit. *Siste gradum, ô filia! sum infelix mater tua: heu! non obstante vita, qua irreprehensibilu videbatur, æterna sum obnoxia damnationi, ob peccata enormia cum Patre tuo commissa, & quia numquam ausa fui confiteri, frustra preces pro me fundu.* Hæc audiens filia, consternata est; animum tamen tandem resumens, & sibi à Deo hanc visionem permissam considerans ad instructionem suam, interrogat cum fletu matrem, qualia sint inferni supplicia. Cui illa respondet: Privationem visionis divinæ inter omnia maximum esse supplicium; deinde inter maxima esse apprehensionem illam qua considerant damnati se numquam liberandos. Addit denique exercitium damnatorum consistere in blasphemiis continuis & maledictione divinæ justitiæ. His dictis aliquos saltus faciens per scamna, arcas, cubilia, impressit ibidem instar ferri candentis vestigia cum fœtore grandi, & illico in infernum à dæmonibus transferri visa est. Filia tota conterrita, tota afflicta, obserat fores domus, Ecclesiamque adit, ut consulat super hac re Civitatis Concionatorem, qui tota ibi quadragesima conciones tunc habebat. Cui cum rem totam pandisset, transfert se ipse in locum; vestigia videt, persentiscit fœtorem, nova benedictione locum sacrat. Exinde dedit ei filia licentiam publice hæc enunciandi: quod sæpe magno fecit cum fructu. Hic Concionator nominatur P. Damianus Cremonensis.

PARS III.

Postremò dicamus. Sicut in aliquibus est dæmonium mutum, ita è contra in aliis reperitur Dæmodæmonium loquax, Unde quod cuidam dæmonio *nium lo-* dicit Christus, Marc. 1. & Luc. 4. *Obmutesce, & exi, quax* idem his dici convenit. Qui autem sunt hi dæmo- *qninam* nium nimis loquax habentes? In primis illi qui *habeant.* multiloquio vacant, sicque peccatum peccato cumulant. De quibus. *Homo sapiens tacebit usque ad* *Multilo-* *tempus, lascivus autem & imprudens non servabunt qui.* *tempus.* Viri sancti scientes quia sermo hominis *Eccl. 20,* plerumque peccato adjunctus est, vel vana & otiosa, vel etiam nociva effutiens, silentium adamarunt; initium enim humani erroris sermo fuit hominis. Unde S. Ambros. monet: *Alliga sermonem tuũ ne luxuriet, ne lasciviat, & multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, & ripas suas coërceatur, Cito lutum colligit amnis exundans.* Antiqui Patres conformiter docent multiloquium à dæmone instigante ortum habere, & cordis devotionem extinguere. Unde S. Antiochus hom. 102. de silentio, sic ait: *Immoderata & effrænis prolatio, qua periclitatur mentis tranquillitas, non solum operationem spiritualem lentescere facit & desidere, sed & molestissimo dæmoni accedit manicipat illam.*

1. 3. *Offic. c.* 3.

z. Dæmo-

2. 2. Dæmonium loquax habent qui detractionibus assuescunt & susurrationibus; in talium enim dæmon ludit ore, sicut & in audientium aure. Hinc seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax extinguitur cordium. Quapropter inter ea quæ maxime odit Dominus, enumerat Sapiens: *Linguam proferentem mendacia, & eum qui inter fratres seminat discordias.* Utique detractores & susurrones dæmonis sunt membra & instrumenta; per illos agit & loquitur ille qui primus fuit author discordiæ, qui primus pacem turbavit in cœlo inter Angelos & DEUM, in paradiso inter DEUM & hominem, in mundo inter fratrem & fratrem, inter Cain & Abelem. Merito ergo ab illo possideri dicuntur; Meritoque: *Susurro & bilinguis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes.* Qui susurro est, etiam bilinguis dicitur tum quia modo verum, modo falsum eloquitur, tum quia aliud in occulto, aliud in manifesto pronunciat, tum quia modo lingua ungit, modo eam commutans pungit. Propterea maledictus est, maledictione proximi dignus; maledictioneque Dei in præsenti & futuro; cum pacem turbet quæ à Deo est, & tamquam tu bulentus dæmon omnia pervertat. Ut vero agnoscamus quomodo hi detractores, susurrones, calumniatores, à dæmonio in anima possideantur, voluit, quandoque Deus exterius eos post calumnias etiam corporaliter à dæmone possideri. Audi aliquot hujus rei exempla hic opportuna.

Detractores & susurrones. *Prov. 6.* *Eccl. 28.*

S. Gregorius Agrigentinus Episcopus à Sabino & Crescentio calumniatoribus coram Synodo Romano 150. Patrum accusatus fuit de stupro cū Eudocia puella, adductis 110. testibus. Ille sublimi voce illud Psalmi ingeminat: *Insurrexerunt in me testes iniqui, quæ ignorabam objecerunt mihi, reddiderunt mala pro bonu.* Statim vero puella à dæmone correpta est, & ad pedes ejus concidit. Gregori⁹ Satanam è puella egredi jubet, & verum fateri, manuque apprehensam erigit. Illa mox fassa est se à Sabino & Crescentio muneribus inductam, ut falso Gregorium accusaret. Gregorius coram Synodo pro testibus & actoribus intercessit, & pacem illis impetravit. Qua concessa, statim tenebræ magnæ obortæ sunt, & testium alii utraque genâ, alii alterâ nigri apparuerunt. Sabino autem & Crescentio labia atro colore infecta sunt, qui nunquam postea eluí potuit. Surius 23. Novem. c. 50. vitæ ejus.

Psal. 26.

S. Maurus Abbas oratione & signo crucis clericum qui cæmentariæ arti præerat collisum sanitati reddiderat: quidam vero illius artis operarii detrahere ei cœperunt, & dicere, cum prava cupiditate ductum, non religionis gratia, relicto priore Monasterio, ad illas oras venisse, & præstigiis non divina virtute res admirandas gerere. Cùm hæc inter se fermocinarentur, ut in odium viri sancti concitarent sese mutuò; tres ex illis à maligno dæmone è vestigio fuere correpti, & tanta crudelitate discerpti, ut unus animam cum lugubri ejulatu exhalaret. Hoc audiens Beatus Maurus, mox cum lachrymis ad Sancti Martini oratorium contendit; ubi tribus horis in oratione peractis, ad miseros illos accessit, & edito signo crucis, ait: *Filius Dei qui discipulis suis calcandi super serpentes potestatem dedit, ab hac dæmoniaca vexatione vos absolvat.* Cumque illi dentibus & oculis furorem spirarent, digitos utriusque manus in illorum ora misit, & statim dæmones fœtore relicto ventris egestione fugati sunt. Tertium verò vita functum, sacrificio oblato, & aliis orationibus etiam vitæ restituit. Surius Januar. 15. Audi & aliud.

Detractores. *Isai. 26.*

Paphnutio invidens quidam ex fratribus, cum juvenis foret sanctissimus, dolosè Isidoro Monasterii Præfecto conquestus est Codicem sibi ereptum, rogans ut in cellis singulis quæratur. Tres semores ad id designati, reperiunt tandem in cella Paphnutii sub palmarum plectis ubi invidus illum abdiderat. Palam ergo id proditur in Ecclesia, ubi omnes convenerunt. Paphnutius licet innocens non se purgat, sed satisfactioni sese subjicit, ad ima Ecclesiæ duabus hebdomadis noxam deprecans. His elapsis, à sævo dæmone invidus ille immaniter divexatur; nec ab ullo seniorum ejici potuit, quia Paphnutio Deus id reservarat, cui calumnia structa erat. Oratione ergo Paphnutius dæmonem exturbavit, & invidiam fratris opem suam deprecantis sic sanavit Cassianus Collat. 18. cap. 15.

Patet ergo in his viris sanctis, quomodo per eos Jesus erat ejiciens dæmonium, quod non erat mutum, sed loquax nimis in illis detractoribus, susurronibus, calumniatoribus. Et quidem dæmonium primo eorum animas occuparat, mox vero in pœnam etiam corpora divexavit justo Dei judicio.

3. 3. Dæmonium loquax habent jurantes, pejerantes, lingua sua blasphemias ejaculantes, quales erant hic Pharisæi dicentes: *In Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Tales etiam sunt qui præ iracundia se aliosque diris devovent, & nonnisi diabolum in ore habent, qui eorum & linguam & animam in convitia, in maledictiones: in execrationes commovet. Hos etiam quandoque dæmon corporaliter in pœnam criminis & execrandæ consuetudinis divexare à Deo permittitur, ut ex variis historiis constat.

Jurantes blasphemias &c.

4. Dæmonium loquax habent, qui sermonibus turpibus & obscœnis delectantur cantionesque impudicas modulantur, ut ad turpia illectent audientium animos. O quam multos reperire est ab hoc dæmonio possessos inter juvenes dissolutos! Linguam utique habent serpentis, linguam dæmoniacam ad decipiendum & illectandū castas puellas, & ad pereundum eas ad naufragium calbitatis: *Corrumpunt enim mores bonos colloquia prava.* Sicut Satan get linguam serpentis Evam fefellit, &

4. *Turpi loqui.* *1. Cor. 15.*

& venenum ei infudit; sic & ipsi operante dæmone loquace Evæ filias decipiunt, & illas, secum perdunt. O dæmonium pessimum! Exi ab eis, & obmutesce, jubente Christo castitatis auctore.

Hi porro omnes dæmonium loquax habentes, dum ad pœnitentiæ tribunal accedunt, obmutescunt; dæmonium tunc mutum eos possidet, quia nesciunt se accusare de detractionibus & susurrationibus, de juramentis & calumniis, de maledictionibus & injuriis prolatis in proximum, de blasphemiis in Deum, de impuris & scandalosis verbis; imo conantur hæc omnia extenuare, & levirati ascribere, sicque nullas crebro faciunt confessiones.

5. Dæmonium loquax habent hæretici, qui impia doctrina veritati obnituntur, simplicesque fideles verbosa facundia decipere pertentant. Immò adeò à loquaci dæmonio possidentur, ut linguam suam venenatam exserant contra Deum, cœlumque. Ipsi enim participant de illo dæmonio bestiæ. *Datum est ei os loquens magna, & aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui in cœlo habitant.* Aperiunt enim os contra Deum, facientes cum auctorem peccati; contra ejus tabernaculum, id est contra Eucharistiam, contra Virginem Mariam, contra Ecclesiam, denique contra ipsos cœlites.

Cum Lutherus adhuc Erfordiæ in Conventu Augustinianorum ageret, & hac Dominica Quadragesimæ Evangelium istud decantaretur in templo: *Erat Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum*; illicò instar amentis & à dæmone possessi se in terra volutans, contenta voce exclamare cœpit: *Non sum ego, Non sum ego.* Utique dæmonium in ipso erat, sed non mutum, quia vox ejus impia cum doctrina venenata varias Orbis Provincias erat pervasura, & defectionem à vera Christi fide multis persuasura. Unde illi possumus dicere idem quod S. Paulus Elimæ Mago Proconsulem Sergium Paulum à veritate avertere conanti. *O plene omni dolo & omni fallacia fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas: & nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus.* Ad tempus cæcus efficitus est corpore Elimas, ita pronunciante Paulo: in æternum autem cæcus effectus est mente Lutherus, qui noluit esse mutus, ita decernente Domino. Et jugiter manus Domini percutiens super illum erit, quia hic digitum Dei ejicientem dæmonia attendere noluit.

Existimant quoque nonnulli ipsum designatum fuisse, ubi dicitur: *Et vidi prodire de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore Pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum.* Tres enim ranæ recte indicant tres sectas quæ à Luthero & Lutheranis promanarunt. Prima est Anabaptistarum, quorum parens fuit Rotmannus antea Lutheranus. Secunda est Sacramentariorum, quorum auctor fuit Carolostadius, à quo Zvinglius & Calvinus orti sunt. Tertia est Protestantium, quorum Dux fuit Melanchton. Ranæ autem comparatur hæresis, ob immunditiam, ob loquacitatem, ob contumaciam & importunitatem. Ranæ enim obscœnæ, loquaces, obstrepetæ, continuum edunt clamorem, raucum sane, asperum & importunum, ac molestum. Quibus apte designatur spiritus immundus & loquax hæresiarcharum & Pseudoprophetarum, qui multos convocat ad obsistendum, & obstrependum Christo: sed inefficaci id fit consilio, quia tandem eos qui ad prælium & conspirationem convocati sunt, disperdere solet Deus & excindere. Quapropter ibidem etiam subditur: *Sunt spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedunt congregare Reges in prælium, ad diem magnum omnipotentis Dei.*

Coelaus in vita Luth. & alij. Exemplum.

Actor. 13.

Hæresis comparatur ranis.

Apoc. 16.

Staphilus in concord. Lutherana.

Prateolus in Catalogo hæreticorum.

EADEM DOMINICA.

LECT. II. tripartita.

In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia, &c. Luc. 13.

TUrbæ ex pietate sequentes Dominum admiratæ sunt, ejecto dæmonio muto, surdo, cæco, virtutis divinæ opus hic agnoscentes, dum cæcus videt, dum surdus audit, dum mutus loquitur & Deum glorificat, dum possessus à dæmone liberatur, & Christi Liberatoris sui se subjicit servituti. Utique *Digitus Dei hic, & mutato dextera excelsi.* Interim Scribæ & Pharisæi, qui tantum miraculum negare ob evidentiam non poterant, perversissima & perfidissima interpretatione conantur illud evertere & contaminare, dicentes: *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Judicium istud temerarium & execrabilis interpretatio de radice procedit odii & invidiæ. Solet enim cor invidia infectum omne alterius bonum opus vituperare. Si humilitati vacat, vilem & abjectum reputat: si pius est, dicit hypocritam; si abstinens, vocat avarum; si patiens, pusillanimem: æstimat & ignavum. *Vide fusè de judicio temerario quæ tradidi in Horto Past. tom. 3. tract. 4. lect. 15. omnia ibi dicta huc referri possunt.* Itaque hoc invidiæ innatum est, pessime de aliis judicare. Sic ab initio sæculi invidus Cain male judicat de Abel, Esau de Jacob, fratres de Joseph, Saul de Davide. Pharisæis similiter quicquid in Christo divinum erat & sublime displicet, nam frequenter de Christo dixerunt, dæmonium habet, cum divinam deberent in ipso agnoscere potestatem. Qui ægritudine male affectus est, etiam cibum optimum in venenum convertit: sic illi passione invidiæ ægri & indispositi mortem inde eliciunt, unde alii eliciunt sanitatem. Ex eodem flore fugit araneus, fugit & apis; araneus in virus convertit, & apis in mel & favum. Sic ex iisdem Salvatoris dictis & factis, boni in melius proficiebant, sicut illa mulier quæ exclamabat: *Beatus venter qui te portavit, &c.* Alii vero reprobi in pejus ibant, sicut hi blasphemantes. Similiter cum

PARS I. *De blasphemia Pharisæorum & dæmonum principatu.*

Similia.

Luc. 11.

Christus

Ioan. 6. Christus de Eucharistia dissereret, aliqui abeunt murmurantes. Discipuli verò ei adhærentes dicunt: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Isai. 5. Væ vobis, ô Pharisæi, & omnibus qui vos imitantur: quia *Væ qui dicitis bonum malum, ponentes lucē tenebras.* Væ vobis, qui instar Saulis reprobi filium David cythara dulcisona divinorum verborum suorum psallentem ut dæmonium ejiciat, lancea linguæ configere nitimini, distortis per invidiam oculis eum inspicientes. Attamen nec oculorum vestrorum invidia, nec linguæ vestræ maledicentia illi poterit nocere, qui ut rectè B. Ennodius epist. 4. *Nec bonorum facem meritorum maledicentis extinguere potest flatus. Et si dente tangatur invidi splendor vitæ pię, umbram venenata obloquutionis extinguit: actorem repetunt tenebræ quæ ad involvendum iubar aptantur: nitorem siderum nox infusa non obruit, ad genium claritatis proficit cum obscuritate conflictus.*

Beelzebub quasdam. 4. Reg. 1. Sed quid sibi volunt Pharisæi, dum dicunt eum in Beelzebub Principe dæmoniorum ejicere dæmonia? Adverte, quia Beelzebub nobile erat & famosum idolum Philistinorum in Accarō, ad quod Ochosias miserat nuntios qui consulerent de sua infirmitate: ideo Pharisæi Beelzebub dæmonum Principem nominabant, non quod omnium foret Princeps, sed quod tamquam nobiliori dæmoni aliqui alii dæmones ei subjicerentur. Est enim adhuc quidam ordo inter dæmonia, sive inter spiritus malignos, sicut ante peccatum. Alii enim aliis natura præminent, & tanto præeminentiores sunt, quanto in altioris Hierarchiæ choro fuerunt; nam casus naturam eorum non mutavit. Ex omni autem choro aliquos cecidisse, Sanctorum Patrum est sententia; & ita qui ex altiori gradu ceciderunt, naturaliter imperio quodam inferioribus præsunt, & ideo eorum aliqui adhuc dicuntur Principatus & Potestates. Sic enim loquitur Apostolus. Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principatus & Potestates mundi rectores tenebrarum harum.* Fit vero per hanc subordinationem, ut valentiores sint ad nocendum hominibus: sicut rebelles & tumultuarii milites suum etiam Ducem creant, & suos Tribunos, ut firmiorem faciat suam rebellionem. Dux ergo eorum est Lucifer (modo Noctifer Dux noctis & tenebrarum) qui in sacris literis, diabolus, draco, satanas, serpens antiquus nominatur; sub illo deinde subordinati sunt alii, secundum nobilitatem naturæ etiam nequitia prævalentes. Atque sicut inter Angelos bonos certa quædam sunt officia, ad quæ specialiter quidam destinantur ex illis à Deo, peculiaria illorum etiam sunt nomina: *Raphael* enim qui interpretatur *Medicina Dei*, imperit sanitatem *Gabriel*, qui interpretatur *Fortitudo Dei*, mittitur ad sublimia mysteria nuncianda, *Michael*, qui interpretatur, *Quis ut Deus?* Princeps est super Ecclesiam. Sic & inter dæmones destinantur quidam à suo Rege ad certas functiones & tentationes, præsuntque certis sceleribus. Hanc dixere aliqui Luciferum & Leviathan præesse superbiæ, de quo *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ. Mammon avaritia, Asmodæum luxuria, Tob. 3. Belphegor gula, Psal. 105* Satanam iræ & impatientiæ, Iob. 1. Behemot acediæ, Iob. 40. Beelzebub invidiæ, hic Luc. 13 Hæresi ille præest, qui Hebraice *Abaddon* Græce *Apollion*, Latine *Exterminator* dicitur, omnia sacra destruere & abolere connitens, sacramenta, sacrificium, imagines, vota, purgatorium, Pontificatum, festa, jejunia, traditiones. Iob. 40. Matth. 6. Apoc. 9.

Dæmones diversis diversis præsunt provinciis. Ulterius, sicut diversis Regionibus & Civitatibus diversi præsunt Angeli, meminit enim Daniel cap. 10 Principis Græcorum & Persarum, quos fuisse Angelos S. Greg. docet 17. Mor. c. 7. *Sic etiam illu diversi dæmones quasi Dii præesse contendunt, in id olim quandoque adorati ab cecatiu populu.* Hinc scriptura sacra mentionem facit de *Moloch* Deo Ammonitarum, 4. Reg. 23. de *Dagon* Deo Philistinorum, Iud 16 & 1 Reg. 5. de *Belphegor* Deo Moabitarum, Num. 25. de *Baalberith* Deo Sichemitarum, Iud. 9. de *Beelzebub* Deo Accaronitarum. Omnes autem hi *Dii Gentium Dæmonia*, ut ait Psaltes. Plurimi vero dæmonum sub nomine *Baal* coli voluere, sive sub nomine *Beel*; idem autem significat quod *Dominus*, aut *Possessor*. Unde minatur Dominus, Osee. 2. *Auferam nomē Baal de ore vestro.* Hinc illa omina dæmonum, sive idolorum, in sacris literis *Baal* quidem simpliciter positum, pro supremo idolo usurpatum fuit inter Palæstinos, cum adjecto autem loci vel officii, inferiora idola designabat. Sic mentio fit de *Baal Cad.* Iosue 11 *Baal Parasim*, 2. Reg. 5 *Baal Meon*, Num. 32. *Baal Hermon*, Iud 3. *Itē Beel Sephon*, Exod. 14 *Belphegor* Ps. 105 & hic *Beelzebub*, quod interpretatur ut idem sit quod *Deus & Dominus muscarum.* Si autem dictum putant, quod muscæ in ejus delubro abundarent ob copiosum sanguinē hostiarum ibi immolatarum. Vel, ut alii dicunt, quia colebatur ut Deus amoliens lethales & pernicios as muscas, quæ incolas agri Accaron infestabant. Hæc quātum ad nomen Beelzebub quem Principem dæmoniorum vocāt Pharisæi, & in ejus nomine Christum dæmonia ejicere blasphemant.

Blasphemia hæreticorum. Horum imitatores sunt nostri hæretici qui divina miracula, quæ in Ecclesia Catholica quotidie pene contingunt, præstigiis magicis & potestati dæmoris ascribunt. Ideo nimirum fremunt, & ad calumnias & blasphemias convertuntur, quia ipsi nulla possunt edere miracula, quibus falsam suam doctrinam confirment, quamvis id frequenter conati sunt. Similes sunt Prophetis Baal, qui ad meridiem usque irrito conatu auxilium Dei sui poscebant ut miraculum ederet, & ignem è cœlo emitteret. Quoties verò falsa miracula ostentarūt, cum ignominia detecta illa fuerunt. *Vide quæ dixi Domin. 2. Adventus.* Itaque per ipsos videmus adimpleri, quod Christus dixit: *Si Patrem-familias* Matt. 10 3. Reg. 18.

Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos eius? Sacrosanctam Eucharistiam idololatriam appellant, Sanctos miracula operantes, Magos vocitant, imagines eorum idoli nomine dehonorant; sic in Spiritum S. blasphemi inveniuntur, propter quam sit ut in peccato suo moriantur, nec eis remittatur, vel in hoc sæculo, vel in futuro. Veritati enim obstinatâ & impœnitente mente bellum indicunt. Interim Deus Ecclesiæ suæ non deest, per Eucharistiam sacrosanctam, per Sanctos suos, per reliquias & imagines sacras, de anno in annum nova suscitans miracula, tamquam per pallium Eliæ Elisæo relictum, inquo operatur Deus Eliæ. Obstruatur ergo omne os loquentium iniqua, & tandem oppilet iniquitas os suum, considerans tot canonizationes Sanctorum, in quibus vere & severe examinantur miracula, considerans quoque tot imagines B. Virginis in variis orbis Regionibus, miraculis divinis honoratas tot Reliquias & pignora sacra, ad quorum præsentiam torquentur dæmones. Vere digitus Dei est hic; & ubi hæc peraguntur, illuc *pervenit Regnum Dei*, illic agnoscenda est vera Ecclesia Christi, ut ex hoc etiam Evangelio colligitur.

PARS II. *De responso Christi ad blasphemias Pharisæorum.*

CÆterum, Christus Dominus huic Judæorum propudiosæ calumniæ leniter respondet, nec verbis verba reddit, ut doceat nos contumelias contemnere, nec calumniatorum verba æstimare, quæ per se evanescunt, aut in auctorum capita, ut lapis in altum emissus, reincidere solent. Non solemus irasci sterquilinio quod fœtorem emittat, aut cloacæ quod sordes reddat, aut sepulchro quod graveolentes vapores exhalet. Sepulchrum patens est guttur improborum, nil nisi mortuum & fœtidum abillis exsilire potest, tu pertransiens nares occlude. Sed & hoc considera quando injustè calumniis; premeris *Non est discipulus super Magistrum*. Vocarunt illum seductorē, ad solatium servorum suorum, quando falso hujus criminis insimulantur, inquit S. August. in Psal. 62. Audi S. Nazianz. orat. 1. in Julianum. Cum Julianus per sarcasmum vocaret Christianos Galilæos, sic respondet: *Quid prohiberet nos etiam adversus eum simili ludere cavillo? Et quia à dæmonibus deceptus est, Idoli nomē appellare, seu Adonium, seu Taurocremum? Magna sese offert copia multa nomina confingendi. Verum cum salvator & Dominus omnium in parcendo contumeliosis admodum mansuetus foret, & pro crucifigentibus etiam lacrymas profuderit, planè inconveniens foret nos tali appellatione indoluisse, aut pudefactos esse sive à boni decertatione desitisse, pluresque fecisse sermonem calumniatorum, quam salutem animarum.* Certe qui maledictus maledicta reddere solent, Christum non imitantur, nec ejus discipuli dici possunt, sed à dæmone loquace uterque agitari censetur, sive qui prius maledicit, sive qui posterius maledicta regerit in maledicentem. Unde de Christo dicitur: *Qui cum maledicerētur, non maledicebat;* dum vocatur Samaritanus, potator vini, seditiosus, possessus à dæmone, maledictum non repensat maledicto. Dicitur olim fuisse nobilis porticus Olympiæ dicta Heptaphonon, quia Echo suum septies replicaret. Profectò quidam non absimiles sunt; quia ad unum verbum injuriosum septem reddunt, ad unum maledictum plurima revomunt. Melius illis foret audire illud August. *Bene agere, & male audire regium est*; nam duplicis id meriti est, tum ex operis præstantia, tum ex linguæ maledicæ patientia. Recte Titus Tacitus Metello sibi obtrectanti respondit: *Facile est in me dicere, cum non sim responsurus. Si tu lingua tua Dominus es ut quicquid lubet effutias; ego aurium mearum Dominus sum, ut quæcunque advenerint, audiant inoffense.* Hinc imitentur Christiani Gentilem, si Christum imitari detrectent.

1. Pet. 2.

Quia vero quandoque veritas opprimitur injuste, in aliorum præiudicium & scandalum prudenter tunc respondo liberanda venit. Ideo Christus hic non tacet omnino, sed triplici ratione convincit. Prima ratio continetur in his verbis: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur: Si ergo Satanas in se divisus est, quomodo stabit regnum eius?* Quasi dicat. Regna privatis discordiis evertuntur, & familiæ etiā per eas excinduntur. Cum autē diabolus natur regnum suum stabilire, quomodo fiet ut dæmones sibi mutuo adversentur & sese ejiciant? Immò è contra feruntur magno consensu in malum regnum suum promoventes: sunt; instar vulpium Sampsonis, caudis suis colligati, consilijs scilicet pessimis ut conspirent in excidium hominum, & frugem Dei penitus incendant. Sed ego ad hoc veni, ut dissolvam opera eorum & consilia, eosque è possessione mea exturbem, & è regno meo ejecta ad tartareas flammas tandem relegandos, & ibi relegandos. Vere dixit Dominus, omne regnum divisum non stare: quia origo omnis desolationis discordia est & divisio, sicut & conservationis causa est unio & concordia. Unio lapidem facit domum, unio lignorum facit navem, unio tritici & farinæ facit panem, unio ovium facit gregem, unio militum facit exercitum, unio populi facit civitatem; unio fratrum facit familiam felicem, unio subditorum facit constans regnum, unio & concordia humorum facit corpus sanum, unio fideliū facit Ecclesiam militantem, unio Angelorum & beatorum facit Ecclesiam triumphantem. Sic ergo in rebus naturalibus, artificialibus, politicis, supernaturalibus, unio necessaria est, unio commēdatur; si divisio interveniat, mox subsequitur & desolatio. Sectemur ergo Christiani toto corde unionem, concordiam, charitatem, eliminata omni simultate, odio, contentione, quandoquidem lapides sumus ejusdem domus, ligna ejusdem navis, grana ejusdem panis, oves ejusdem gregis, milites ejusdem exercitus, incolæ ejusdem civitatis, subditi ejusdem regni, fratres ejusdem familiæ, membra ejusdem corporis, filii ejusdem Ecclesiæ militantis, adspirantes ad unionem indissolubilem & indesolubi-

Christus quare Pharisæis respondeat.

Mt. 12. Regna divisa perdunt, unio servantur.

solabilem Ecclesiæ triumphantis. Si unitatem sectemur; nec animis dividamur in obsequio ejusdem Regis nostri Christi, fortes erimus contra exercitum omnem diaboli, & contra vires inferni, nec nobis poterunt prævalere omnes potestates adversariæ: sed regnum Dei in nobis permanebit firmum & inelu&tabile, regnum scilicet gratiæ & fidei perfectæ, perducens tandem ad regnum gloriæ consummatæ.

Resp. 2. Secunda ratio continetur in illis verbis: *Si in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo judices vestri erunt.* Quasi dicat: Vos fatemini quod filii vestri, qui inter vos sunt Exorcistæ, noverunt invocatione virtutis diuinæ dæmonia ejicere; immo idem fatemini de Apostolis meis, quia de illis non dicitis, quòd in virtute dæmonis ejiciant dæmonia, cum tamen non infrequenter dæmonia per ipsos ejici videritis. Quare ergo aliter judicatis de me? Cum idem opus videatis in me, & in illis, cur non idem est iudicium vestrum de me & de illis? Utique invidia in vobis judicium perturbat: ubicumque illa fuerit judex, quæ recta sunt, distorta esse pronunciat, pravâ lance omnia ponderans. Sed filii illi vestri, sive Exorcistæ, sive Apostoli, in æquissimo illo judicii die judices vestri erunt, volque accusabunt & condemnabunt, manifestè contestantes nonnisi ex malitia me ignominiâ tantâ à vobis affectum esse. *Si autem in digito Dei ejicio dæmonia*, cùm id longè majori potestate præstem, quam filii vestri; me agnoscere deberetis tamquam Messiam, qui ad vos veni annuneians regnum Dei, & destruens regnum diaboli. Ego enim sum fortior ille, qui fortem armatum custodientem atrium & palatium suum veni alligare, & diripere arma in quibus confidit, & spolia ejus distribuere; peccatum scilicet superando, in quo vires ejus fitæ sunt; chyrographum decreti in quo confidit dissringendo, & affigendo illud cruci victoriæ meæ trophæo; mundum ab infidelitate, & idolorum superstitioso cultu, quo per illum detinetur eripiendo; animas tamquam spolia ejus mihi vendicando, & distribuendo militibus meis Angelis, ut eas conservent & custodiant. Hæc autem omnia ago in digito Dei, hoc est in virtute Spiritus sancti. Hæc est summaria interpretatio sermonis & ratiocinationis Christi. Digitum autem Dei vocat Spiritum sanctum. Unde dicit: *Si ego in spiritu Dei ejicio dæmones.* Multis autem rationibus vocatur *Digitus Dei*. 1. Quia sicut brachium, & manus oritur ex corpore, digitus autem ex brachio & corpore, simul existens ejusdem cum illis naturæ: Sic Spiritus S. procedit à filio, qui *Brachium Dei* in scripturis nominatur; procedit etiã à Patre ejusdem existens cum illis substantiæ. 2. Quia sicut in digitis qui sunt in una eademque manu, maximè apparet partitio: ita hic diversa Spiritus S. dona designantur, manente eodem spiritu, qui omnia operatur in nobis. 3. Quia digito quippiam indicamus. Sic Spiritus S. (dextræ Dei tu digitus) index, est, indicans nobis quæcumque sancta & salutaria sunt per inspirationes suas. Hic est index qui viam nobis indicat in cœlum, ut per eam pergamus, indicat etiam nobis viam ad infernum, ut ab ea recedamus, indicat nobis hostis insidias & tentationes, ut caveamus; indicat quoque consilia & arma quibus contra eas communiamur. Indicat nobis vitiorum turpitudinem, luxuriæ, gulæ, invidiæ; indicat & virtutum pulchritudinem, castitatis, temperantiæ, patientiæ. 4. quia digitus subtilia omnia opera peragit cum perfectione, scribit, sarcit, acu pingit: ita Spiritus S. est qui in corde nostro legem Dei exarat, discissam animæ vestem reparat & exornat, colores cœlestes virtutum depingit, & amorem insculpit divinum animis nostris. Verè ergo de illo canimus: *dextræ Dei tu digitus*,

Tertia ratio insinuatur his verbis: *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.* Quasi dicat: Satanas cujus virtute me dicitis ejicere dæmonia, non solùm mecum non est, sed est contra me, ideoque nihil mihi cum illo cõmercii. Ipse non colligit mecum homines in vitam, sed dispergit in mortem: non congregat in horreum Dei grana electa, sed illa conatur dispergere, & disperdere. Ego sum Pastor oves convocans: ille est lupus illas à me avocãs. Ego illas volo Deo offerre, ipse rapere studet & auferre. Ego in fidei unitate omnes coadunare opto; ipse discindit illos per sectas & schismata, per hæreses & idola. Ego charitatem & concordiam, pacemque ubique prædico & commendo: ipse odia, jurgia, lites, bella ubique seminat. Quid ergo mihi cum illo, aut ipsi mecum, cum opera ejus planè mihi adversentur? Equidem hoc Christus de dæmone pronunciat; sed etiam generaliter verum est: *Qui cum Christo non est, adversus illum est; qui non colligit cum ipso, dispergit.* Unusquisque ergo ad cor suum ingressus, videat an cum Christo sit, an cum Christo colligat. Si vitam quis instituit, & opera sua agit quasi in præsentia Dei & Judicis Christi, cum ipso est. Si ejus quærat honorem & gloriam, cum ipso colligit. Si charitatem & unitatem amet, cum ipso colligit & in ipso est: *Deus charitas est, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in ipso.* Si puritatem conscientiæ sectetur, & in veritate ambulet, societatem habet cum Patre & cum filio ejus Iesu Christo, & ambulat cum ipso. Si voluptates opes, honores contemnit, cum Christo est, cum, Christo colligit, animum à variis seculi distractionibus segregans, & ad sanctam unionem aspirans. Sic e contra, si quis in gratia Dei non est, adversus Christum est, eique inimicus est. Nulla hic neutralitas reperiri potest qui Christo non adhæret, hoc ipso conjungitur diabolo: In Principibus hujus sæculi verum est, quòd aliqui ei possint non adhærere, nec tamen ideò contrarii debent esse, quia cum non sint illis subditi, nec pro eis, nec contra eos tenentur stare. Sed cùm omnes Christo sint subditi, si ei non adhæreant, si pro illo non

Luc. 10.

Resp. 3. *Christus & Satan sibi contrarii.*

1. Ioan. 4.

Spiritus S. cur dicatur digitus Dei Matt. 12. Bz. 1.

Bz. 2.

Bz. 4.

non stent, contra eum stare censentur, quia cùm neutralitatem non possint fovere, tenentur illi favere. Si quis sibi complaceat in aliquo peccato, impossibile est, ut sicum Christo; non enim potest superbia cum humilitatis duce, nec luxuriâ cum castitatis auctore, nec mendacium cum Veritate societatem habere. Qui ad opes, voluptates, honores animo dispersus totus est, non potest cum Christo colligere. Colligit mundus peccata urgête dæmone, sicut dispersus per Ægyptum colligebat populus Israël paleas, urgente Pharaone) sed hæc sunt fomenta ignis, ut possint in ejus societate æternum ardere. Colligunt filii Dei bona opera, virtutes, & merita, urgente Christo, ut possint æternum frui gloriâ cum ipso; quicumque enim fuerit cum ipso in hac vita, indivisim ei adhærebit & in altera. Concludamus & dicamus.

Conclusio. Ejice à nobis, ô Domine Iesu, dæmonium mutum, ut peccata nostra valeamus confiteri, divinas laudes decantare, proximumque lingua benedicta ædificare. Ejice ipsum Beelzebub, Deum muscarum, qui impias & impuras cogitationes ac suggestiones nobis immittit, tamquam muscas mordentes & aculeatas, quæ aculeum peccati nostræ figant conscientiæ. Fuga etiam dæmonium loquax, ad detractiones, cõtumelias, juramenta, turpiloquia nos impellens. Alliga fortem, ne ultra possit nobis nocere, diripe vasa ejus & spolia, animas quas peccati vinculis tenebat irretitas, vendica illas tibi in brachio tuo, quia tuæ sunt. Et quia in digito Dei potens es omne dæmonium fugare, ipsum fortem alligare, etiam illo digito indica nobis quæ salutaria sunt. Illo digito scribe in cordibus nostris quæ tibi placita sunt, illo digito insculpe animi nostri tabulis zelum gloriæ tuæ, zelum salutis nostræ; ut omnia nostra opera agamus in conspectu præsentiæ tuæ; ut simus semper tecum, & stemus pro te. Ut colligamus tecum, donec colligamur à te tamquam oves in æternitatis pascua introducendæ, tamquam segetes maturæ in fasciculo viventium in horreo tuo collocandæ.

DOMINICA IV. QUADRAG.

LECT. 12. tripartita. *Cùm sublevasset oculos Iesus, & vidisset multitudinem dixit ad Philippum, unde ememus panes?* Joan. 6.

PARS I. *De secessu Christi in desertũ, & plebis sequela.*

SEcessit Christus in locum desertum transfretãdo mare Galileæ, siue lacum magnum Genesareth, qui marc nominatur more Hebræo; congregationes enim aquarum vocant maria. Dicitur quoque *mare Tyberiadis*, quia adjacet urbi quæ ab Herode in gratiam Tyberii Cæsaris exstructa Tyberias vocata fuit ex nomine ipsius, sicut ex nomine Philippi, Caroli, Mariæ, Philippopolim, Caropolim, Mariopolim nostra habet vicinia, quia jussu Philippi Regis, Caroli Ducis, Mariæ Reginæ exædificatæ sunt. Causam autem hujus secessus Christi in locum desertum indicat Matth. cap. 14. fuisse nuntium acceptum de nece Baptistæ: sic enim habet: *Venientes discipuli Ioannis nunciaverunt Iesu. Quod cùm audisset, secessit inde in navicula in locum desertum seorsum, & cùm audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus.* Explicans hunc locum S. Hieronym. triplicem insinuat rationem hujus recessus Christi.

Primam his verbis exprimit: *Secessit Christus parcens inimicis, ut homicidium homicidio iungerent.* Homicidio scilicet Joannis homicidium Christi jungere potuisset Herodes instigante Herodiade, quæ illorum sanguinem sitiebat, qui se incestis ejus nuptijs opponebant & aulæ Herodianæ scelera arguebant. Christus autem cum libertate arguebat vitia, non solum Pharisæorum, sed & Principum. Unde dicunt ei quidam ex Pharisæis: *Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere.* Respondet autem illis Christus: *Ite & dicite vulpi illi: Ecce hodie ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor.* Ostendit his verbis se ob Herodis terrorem non minus liberè locuturum. Vulpem appellat propter dolositatem &c. malitiam per quã putatur simulasse se invitum occidere Baptistam. Vulpem etiam vocat; quia tortuosè incedens erat & fœtidus, pecuniæque rapax cum versutia. 1. Causa. Se esse Christi. Luc. 13.

Secundam rationem exprimit S. Hieron. his verbis: *Secessit, in diem Paschæ futurum differens interitum.* Nimirum necdum venerat hora ejus. Propterea etiam dixit Pharisæis, qui metum ei Herodis incuterevolebant: *Oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare, quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem.* Quasi dicat: ne a vos, ô Pharisæi, nec Herodes, nec quispiam alius brevius potest efficere tempus meum, quàm ego velim: in mea est potestate, non illius, vita mea. Unde miracula perficiam quo usque mihi placuerit, *& hodie, & cras*, id est, &c. hoc præsenti tempore & mox futuro, *& tertia die*, hoc est post aliquod temporis spatium consummabor per mortem & passionem, omnibus officii mei partibus expletis. Habeo ergo adhuc aliquod tempus ad ambulandum & perficiendum iniunctum mihi munus, & postea in Jerusalem oportet me Prophetam interfici: nec alio loco interficiar, nec alio tempore, quàm illo quod decrevit Pater. Sciens ergo Christus quod in Jerusalem, & in die Paschæ mori debebat audiens necem Joannis, secessit in desertum locum, suam differens ipse necem usque ad tempus decretum. Et ut advertit S. Hieron. rectè Evangelista Matthæus dixit: *Secessit*; non verò, *fugit*, ut persecutores magis vitasse significetur, quàm timuisse. 2. Causa.

Tertiam rationem exprimit Hieronym. his verbis: *Recessit, ut nobis præberet exemplum ultrò irrudentium se temeritatis. Quia non omnes eadem constantia perseverant in tormentis, quæ se torquendos offerunt.* Exemplum hoc imitati sunt Sancti, qui ut adversus persecutores legitimè certarent, cum ab ipsis quærerentur, declinabant, & sese abscondebant. 3. Causa. *Persecutiones declinans.*

Cùm

Cùm enim (inquit S. Athanasius) prætituri sibi à divina providentia temporis finem ignorarent, nolebant insidiantibus se temere tradere: sed contrà, cùm scirent quod scriptum est in manibus Dei esse hominum sortes, & Dominum mortificare & vivificare, potiùs in finem usque perseverabant: Circumeuntes, Hebr. 11. *ut ait Apostolus, in melotu, & pellibus caprinis, egentes, angustiati, in solitudinibus errantes, in speluncis & cavernis terræ latentes, quo ad vel definitum mortis tempus veniret, vel qui tempus ipsum definierat Deus cum eo loqueretur, & insidiantes cohiberet, aut certè persecutoribus nos traderet, ut cumque illi placuisset.* Hæc S. Athanas. qui declinans persecutionem, ob Arianos sibi infestissimos, in sicca cisterna quinque annis sese abdidit, conscio tantùm ejus amico quodam, qui clam eum sustentabat: & in alia quadam tempestate persecutionis, per quatuor menses in paterno sepulchro delituit. Ostendit autem ipse licitum esse declinare persecutionem, non solum ex verbis & factis Christi, sed etiam ex Sanctorum antiquis & novis exemplis:

1. Sic *Iacob* à fratre suo fugit in Mesopotamiam. *Gen.* 28.
2. *Moyses* metu Pharaonis ad Madianitas transiit; *Exod.* 2.
3. *David* sæpè Saulis iram fuga vitavit. *l.* 1. *Reg.*
4. *Elias* du furit, Jezabel fugit in Oreb. 3. *Reg.* 19.
5. Prophetæ alii se abiconderunt in speluncis, quos *Abdias* pavid. *ibid.*
6. *Paulus* ut Arethæ Regis Præfectum fugeret, in sporta demissus est. *Actor.* 19.

Vide etiam Breviar. 14. Januarij de S. Felice.

4. Causa. Interim; quacumque ex causa Christus secesserit (nam Marcus c. 6. etiam significat id ab eo factum ut discipuli qui rediverant à docendi labore, pusillum requiescerent, qui nec spatium manducandi habebant ob multitudinem concurrentem.) non deservit eum turbæ, quæ tum verborum ejus gratia, tum conversationis sanctissimæ, operumq; admirabilium efficacia, tum miraculorum coruscante gloria allicitur, ut etiam deserta petat. Hic est funiculus triplex, quo turba attrahitur & colligatur Christo. Hæc est triplex virtus cœlestis Magnetis, ferrea etiam corda trahentis, & sibi connectentis. Hoc est triplex unguentum odoriferum, cujus odore attractæ currunt post ipsum fidelès animæ. Hæc est triplex chorda dulcisonæ citharæ, qua Amphion & Orpheus noster lapides & arbores, hoc est duros & sylvestres homines, sibi devincit, & in sui sequelam pellicit. Hoc est triplex vexillum, triplexque tuba qua suos supremus Dux milites convocat, & tibi astringit. Hic est triplex sibilus Pastoris, quo dispersas oves congregat: ut ad salu-

Matt. 6. tis pascua eas deducat. Unde S. Marcus de hac turba ait: *Erat sicut oves non habentes Pastorem; & cæpit*

Luc. 9. *illos docere multa.* S. Lucas autem de illa turba sic loquitur: *Excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos qui cura indigebant, sanabat.* S. Joannes subjicit: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.* Fervor

Igitur patet, ipsis attestantibus Evangelistis, quòd *hujus populi* ignitum & suave eloquium Christi de regno Dei, *pulì patet* operumque ejus efficacia, & signorum gloria, hos *in multitu.* populos illiceret, accenderet, detineret. Dignus sanè consideratione est fervor eorum in audiendo Christo, nostram condemnans rebus in divinis ignaviam. Explicemus id particularius.

Primò quidem eorum in hoc fervorem ostendit S. Chrysost. hom. 50. in Matthæum: quòd Joannis audita morte non terrentur, quin promptis animis Christum sequantur. Per hoc igitur docemur, nihil nos à Christo & verbo ejus audiendo revocare debere, nec furorem quidem sævientium hominum, & impedire id conantium: *Domine verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?* Aut quis non prohibebit te sequi, tibi obsequi? *Quis nos separabit à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu?* Sic loquitur Apostolus. Additque quòd nec persecutio, nec gladius, nec mors, nec vita, nos debeat ab eo separare, utique nec ab eis qui ejus vice & nomine veritatem nobis annunciant, & verba vitæ. Sic in primitiva Ecclesia, non obstantibus Tyrannorum decretis, Christiani (in quorum cordibus adhuc Christi sanguis quasi recens fusus ebulliebat) ad Ecclesias libero animo concurrebant, ad audiendum Verbum Christi illuc properabant, & ad divinas laudes decadandas. Notum est de muliere illa Edessena, sub Valente Imperatore Ariano, quæ cum intelligeret Præfectum Imperatoris missum ut interimeret omnes Christianos in Ecclesia S. Thomæ congregatos ad concionem & divinas laudes, quia id eis decreto Imperatorio prohibitum erat: ipsa gradu festino puerum suum secum trahens ad Ecclesiam currebat, militum Præfecti ob præcipitem gressum ordinem prevertens. Cumque interrogaretur à Præfecto: *Quo tam inconsulte curris mulier?* Respondit *Ad Ecclesiam Christianorum.* Cui iterum Præfectus: *An* *Niceph. l.* *non audivisti omnes interimendos quos ibi reperti fue-* *11. cap. 21.* *rimus?* Iterum respondet: *Audivi, & ideò curro ut ibi inveniar, neque ut beneficii ego & puer expertes simus.* Adhuc modò Hæresis ornata diademate quorumdam Regum aut Principum, petulans procaxq; gestit, & sicut saltatrix Herodias non est contenta capite unius Joannis, sed omnium Sacerdotum veritatem annunciantium sanguinem temulenta sitit. Sed non propterea desinunt ipsi veritatis doctrinâ in Regnis vel Provinciis Hæreticis cum discrimine capitis annunciare, non desinunt, & veri fideles (quos in medio pravæ nationis reliquit Deus, & sibi elegit ut semen sacrum) ad verba vitæ accurrere, cum fortunarum suarum periculo. Hoc & in Anglia, & in Hollandia, aliisque hæreticis pestè infectissimis Provinciis fieri scimus, ad quas quidam e Sacerdotibus Catholicis emittuntur, tamquam *Angelis* *veloces ad gentem convulsam, expectantem & concu-* *Isa.* 18. *catam.* In his ergo qui eos audiunt perdurat adhuc primitivus fervor Christianorum, & horum populorum. Christum per deserta sequentium in illis quodammodo renovatur zelus.

Sed-

2. Non terrentur difficultate, itineris. Matt. 14.

Secundò eorum fervor in hoc elucet, quod nulla itineris difficultate terrentur ; immò secutæ sunt Christum pedestres ipso naviculam ingrediente. Sic enim exprimit S. Matthæus : *Secessit inde in navicula in locum desertum seorsum, & cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus.* Idem notat & S. Marcus, cap. 6. *Et ascendentes in navim* (Apostoli cum Jesu) *abierunt in desertum locum seorsum. Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi, & pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, & prævenerunt eos.* Non ergo in jumentis & equis, non in rhedis & vehiculis secuti sunt, sed pedibus, insinuantes cum Christo & pro Christo susceptum laborem suavem esse, & fructuosum. Nec tamen condemnamus eos qui in equis & quadrigis, in lecticis & carucis, Christum sequuntur, Christum adeunt ; si non minori devotione ob id veniant, si non ex ambitione & superbia his utantur. Nam & hoc prædictum fuit per Prophetam Isaiam, postquam pedites & pauperes ad Christum venerint, etiam nobiles & magnates rhedis vectos ad eum ventutos ; non est eis clausa janua Ecclesiæ. Isai. 66. nec porta cœli. *Adducent fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis & quadrigis & in lecticis, & in mulis, & in carucis ad montem Sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus.* Itaque etiam magnates qui rheda utuntur, in Jerusalem cœlestem, in montem sanctum Domino possunt conscendere Christo duce ; non est angusta nimis pro illis cœli via, non est ardua nimis montis sancti semita, non est arcta nimis paradisi porta. Unde S. Amb. in Psal. 40. sic de illis loquitur : *Nec te moveat quod legisti : Hi in curribus, hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur ; ipsi obligati sunt & ceciderunt : sed Elias non cecidit, qui curru introivit ; & legis in Jerusalem illam, & equites multos, & plurimos cum quadrigis introire.* Hæc S. Ambrosius. Certè Candacis Reginæ Eunuchus curru vehebatur, opibus & famulis erat circumfluus, dum legebat Isaiam Prophetam, dum illi adjungitur Philippus, dum ab illo edocetur quis sit ille Agnus qui ad occisionem pro nobis est ductus, pro nobis immolatus. E curru descendit, baptizatus est, & conversus ; nec rhedam postea deserere est coactus, sed ibat gaudens per viam quadriga vectus ; gaudens utique se reperisse veram viam, & illum de Abac 3. quo dicitur : *Quadriga tua salvatio.* Sic Christus Iob. 36. pauperes non dedignatur, cùm sit pauper ; *nec potentes despicit, cum sit ipse potens.* Qui pedestres primo suscepit, & de regno Dei allocutus est : equites postmodum non remisit nec ab illo regno excluset.

3. Nulla cura aut etiam penuria retrahuntur.

Tertiò in hoc fervor horum assectarum Christi agnoscitur, quod nulla rei domesticæ cura, nec ulla ciborum penuria eos remoratur, quo minus perseverent cum illo, & ab ejus ore pendeant in solitudine permanentes. Profectò hoc erat evidens indicium eos nulla alia de re, quàm de Christo cogitare, quandoquidem omnis corporalis necessitatis videantur immemores esse. Multi in re domestica ita sunt occupati, ut vix vel rarò audiant Verbum Dei. Hos tamen Christus non excusat, cùm illos nō excusarit qui ob villam emptam, vel quinque juga boum, vel ductam uxorem, ad cœnam paratam venire neglexerant : Grandis autem cœna & non negligendum pabulum Verbum Domini, &c. Sic cum Martha occupata foret circa frequens ministerium, reprehenditur à Domino quod nimis sollicita sit, & turbetur erga plurima. Maria vero ab eo commendatur, quod optimam partem elegisset, sedens secus pedes Domini, & audiens verbum ejus, dulcedinique verbi inhærens neglectâ re familiari, & curâ cibi corporalis. Sic & horum zelum approbat Dominus, providens ipsis copiosè de pane terreno, postquam satiavit pane cœlico ; ostenditque verū esse illud : *Quærite primum regnū Dei, & cætera adjicientur vobis* ? item & illud Prophetæ : *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Matt. 6. Psal. 17.

CHristus Dominus in oculorum modestia singularis fuit, non hinc inde oculis vagari solitus exemploque suo verecundiam nobis commēdavit, & oculorum custodiam. Multam certè infelicitatem aspectus præceps, curiosus, incautus mūdo intulit. Sic *Eva* in mortem ruit aspectu fructus vetiti. Sic *filii Dei*, filii Seth, *videntes filias hominum*, filias Cain, variis peccatis occasionem dederunt, ob quæ diluvium immissum est. Sic uxor *Loth* curiosè retro adspiciens, in statuam salis est conversa. Sic *David* in adulterium cecidit, quia oculos non custodivit. Unde S. Greg. lib. 21. moral. *Est recte retributionis examine, ut qui exteriori negligenter utitur oculo, interiori non injustè cæcetur.* Dæmon nimirum per oculorum fenestras nonnūquam ad cor ingreditur, cum peccati caligine. Quia verò Christus in oculorum modestia singularis erat, ideo quoties oculos elevavit, toties Evangelistæ id notant quasi rem insolitam & admiratione dignam. 1. In monte dum prædicat beatitudines. *Elevatis oculis in discipulos docebat ; Beati pauperes spiritu.* 2. In resuscitatione Lazari, *Elevatis oculis dixit : Pater, gratias ago, quia audisti me.* 3. In ultima cœna cum panem consecravit, oculos in cœlum elevasse, certa est traditio Ecclesiæ. 4. Vicinus morti *sublevatis oculis dixit. Pater clarifica filium tuum.* 5. Hic oculos elevasse dicitur, ut videret multitudinem. Quando elevat oculos in Cœlum, vel ad Patrē, docet nos piæ intentionis oculum elevare ad Deum, sive in oratione, sive in quolibet bono opere, ut ipsū agnoscamus omnis boni authorem, & omnia in ejus referamus gloriā. Quando verò elevat oculos in discipulos, docet nos debere oculos habere intentos in illos qui nobis subditi sunt, quorū invigilare debemus saluti. Quando denique attentè oculos convertit in multitudinem illius cōmiserescens, docet ne oculos avertamus à paupere, & ne despiciamus inopem. Oculi Jesu fenestræ sunt salutis, & patentes januæ misericordiæ ipsius, per illas gratia & misericordia emittitur in miseros ; unde

PARS II. De compassione Christi super plebe, & infirma fide discipulorum. Damna curiosi visus. Ioan. 11. Ioan. 17. Oculi Jesu fenestræ salutis.

passio miserorum. Nam etiam more scripturæ hos maximè respicere dicitur, quorum misereri dignatur. Hinc illud. *Aspice in me & miserere mei.* Quasi dicat: Numquam aspicis in nos, quin compatiaris & subvenias miseriæ nostræ, vel corporali, vel spirituali. Unde S. Amb. explicans illud: *Conversus Iesus respexit Petrum*, ait. *Quos Iesus respicit plorant delictum. Negavit primò Petrus, & non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus: negavit secundò, & non flevit, quia adhuc non respexit Dominus: negavit tertio & amarissimè flevit; quia respexit Iesus. Si ergò ita necessarii sunt oculi tui Deus; Respice in me, & miserere mei.*

Psal. 118.

Luc. 22.

Itaque, Dominus primò vidit spiritualem miseriam multitudinis hujus, & miserius est illius, inspiciens tamquam gregem absque Pastore, & multa docens, loquensque de regno Dei: deinde corporalem miseriam respexit, ejus esuriem sublevando & inopiam. Corporali refectioni spiritualem præmisit, quia *anima plus est quàm esca.* Licet verò sciret quid faciendum esset, quidve facturus ipse foret, tamen consilium quodammodò captat à suis discipulis, dicens: *Unde ememus panes?* Hoc scilicet facit, ut nos instruat frequenter consilium capere in rebus agendis, etiam ab illis qui nobis inferiores sunt. Qui enim vult omnia suo loco nutu regere, & nullius uti consilio, facilè potest errare. Unde S. Bernardus ser. 3. de resurrect. *Lepra proprii consilii eo perniciosior est; quo magis occulta; & quanto plus abundat, tanto quasi sanior sibi videtur. Hæc illorum est, qui zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam, sequentes errorem suum obstinati in eo, ut nullis velint acquiescere consiliis. Hi sunt unitatis divisores, inimici pacis, charitatis exhertes.* Hæc ille. Cur tanta quorumdam miseria in statu conjugali? Quia absque consilio statum illum capessiverunt. Cur hic item perdidisse, iste in pauperiem cecidisse cernitur? Pœna sæpè est præsumptionis, & negligentiæ consilii. Imò multi in quolibet statu damnationi æternæ fiunt obnoxii, quia in rebus salutis probos & peritos non consulunt, vel eorum consiliis non acquiescunt. Unde monet Scriptura.

Our Christus quasi consilium ab Apostolis petit.

Ps. 2.

Eccl. 32. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Certè in his quæ subsunt prudentiæ, nullus sibi quantum ad omnia sufficit: & probitas consilium dantis, multum quandoque potest supra sapientiam nimium præsumentis. Parva candela benè emuncta sæpè plus fundit luminis, quam fax fumo turbida. Ideo etiam monet Sapiens; *Ne innitaris prudentiæ tuæ, & ne sis apud te sapiens.* Sapientissimus erat Moyses, attamen secutus est consilium Ietro. Naaman vir erat magnus, & magni consilii, secutus est tamen consilium puellæ ex Israël captivæ, & servorum suorum. Elisæo obtemperans. Dives ille Evangelicus, petebat à seipso cōsilium quid faceret de fructibus uberrimis agri sui

Prov. 3.

Eccl. 37.

Exod. 18.

4. Reg. 5.

Luc. 12. *Cogitabat intra se dicens; Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* Dedit sibi consilium. *Hoc faciam, destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, & dicam animæ meæ: Habes bona posita in annos plurimos, requiesce, bibe, epulare.* Sed hoc consilium insipiens fuit; quocirca dixit illi Deus. *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ parasti cujus erunt?* Unde etiam illùm sic eleganter alloquitur Divus Zeno: *Stulto consiliario usus es, temetipso. Oportuisset te potius dicere; Aperiam horrea mea, & replebo esurientes inopum animas: sed tu nihil tale non solum proloqueris, sed ne cogitas quidem; quin immò communia omnibus hominibus in vadu beneficia divina tuam verò animam malignis consiliis excrucias.*

Ulteriùs dicamus, quod ideò Dominus Philippum interrogat, & in illo cæteros Apostolos, *Unde ememus panes?* ut illorum fidem exploret. Hoc exprimit Evangelista, dum dicit: *Hoc autem dicebat tentans eum.* Non enim Deus tentat sicut diabolus, qui insidiando circumvolat, promittendo decipit, blandiendo opprimit, minis terret, desperatione frangit. Ille tentat, ut perdat: Deus autem ut probet, & ut in bonum nostrum quid in nobis sit; innotescat. Sic tentavit *Abraham*, ut ejus obedientia & fides innotesceret. Sic tentavit & afflixit Israelitas, ut manifestum fieret quid in corde haberetur, an verè Deum diligerent. Voluit ergo ut Apostoli agnoscerent tarditatem fidei suæ, & eam emendarent. Et sine dubio tardi in fide fuere Apostoli, ut patet ex responso Philippi: *Ducentorum denariorum panes non sufficerent, &c.* Item ex responso Andreæ. *Est puer hic habens quinque panes, & duos pisces, sed quid hæc inter tantos?* Meminisse debuissent potentiæ Christi, qui in eorum præsentia, vino deficiente in nuptiis, aquam in vinum convertit, & multa alia admiranda coram ipsis perfecit; sicque scirent ipsum pecuniâ ad emendos panes non egere, qui toti Orbi cibum potest suppeditare, & de nihilo creare. Meminisse debuissent mirabilium, quæ per *Moysen* olim fecerat, aquam de saxo, manna educens de cœlo. Meminisse debuissent *Eliseï* Prophetæ, qui centum viros panibus viginti paverat in Samaria, & *Eliæ*, qui efficerat ut sechytus olei & hydria farinæ non deficeret viduæ Sareptanæ. Meminisse iterum debuissent *Eliæ*, quem in solitudine non deserit Dominus, qui potius & per corvum pascit, & per Angelum: Si horum memini issent, non ita diffiderent, & diffidentiam suam haud tali responso manifestam facerent: nec ita solliciti essent, ut à Domino dimitterentur turbæ, ne fame crucientur in solitudine. Nam ut habent Lucas, Marcus, & Matthæus. *Accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in castella villasque quæ circa sunt, inveniant escas, quia hic in loco deserto sumus.* Verùm tamen nō adeò mirum si adhuc rudes Apostoli hic vacillant, cum ipsemet Moyses per quem tot signa in Ægypto Deus ediderat, Domino carnes in deserto pollicenti vix fidem adhibet, ut observat S. Cyrillus Alexandrinus. Ait enim. *Sexcenta millia peditum sunt, & tu dicis: dabo eis esum carnium mensis.*

Deut. 8.

Exod. 16. Num. 20.

Luc. 9.

Moysis diffidentia.

mense integro. Numquid multitudo ovium aut boum
Cyrill. in Ioan. 1. *cædetur, ut eis possit sufficere, aut pisces maris in unū congregabuntur?* Similiter. Cùm pro aqua jurgaretur populus; Numquid tunc etiam hæsitavit Moyses? Voluit itaque Dominus Apostolorum suorū
Num. 11. *Num. 20* tarditatem & ruditatem hic & alibi patescere, ut postmodum illustrior foret ejus virtus, dum talibus instrumentis idola evertit, totumque orbem sibi subjugat & convertit : in cujus rei figuram
Iud. 15. Sampson maxilla asini mille Philistæos prostravit, & vicit.

Hi porrò qui de turba sequebantur, majorem fiduciam videntur habuisse quam Apostoli, quia nec provisionem secum tulere, nec vespere incumbente discedunt, aut dimitti rogant : & promptissima obedientia obtemperant, nox ubi jubentur discumbere super herbam viridem centeni & quinquageni per contubernia; nec scisciantur causam hujus rei, nec diffidere videntur ulla
Marc. c. 6 de re, cùm sit numerus quinque millium virorum,
Matt. 14. *exceptu mulieribus & parvulis.* Ubi notat S. Cyrilus in Joa. c. 16. *non numerari mulieres neque pueros, qui viris permixti erant, quia Evangelista secutus est scripturæ consuetudinem in qua cum à Deo*
Num. 1. *dictum sit Moysi, ut synagogam filiorum Israël secundum cognationes ex nomine numeraret, nec fœmina, nec puer aliquis numeratur.* Adfuerunt ergo pueri etiam magno numero hic per quod significatur, quod & illi ad Christum pervenire possunt in maturitate, & in solitudinem post ipsum abire. Hoc notavit S. Ambr. l. 3. de Virginibus, ubi dicit. *Quasi incredibile putamus, si puella nubiles Christum sequantur ad regnum, quem etiam pueri sequebantur in desertum. Non licet ergo à Christo arcere infantes, quia & ipsi pro Christi nomine subiere martyrium, talium est enim regnum cœlorum. Nulla ergò ætas fructibus gratiæ immatura est, quia & Ninivitæ voluerunt etiam pueros jejunare.* Sic & antiquitus pueri admittebantur ad convivium Eucharisticum, cujus præludium quoddam fuit hoc Christi convivium in deserto. Unde apud Evagrium mirabile
Exemplum mirabile. hac de re refertur exemplum *l. 4. c. 35. historiæ Ecclesiast. Vetus*, inquit, *fuit consuetudo Constantinopoli, ut quando, particula corporis Domini superesset, pueri scholas frequentantes accerserentur eas manducaturi. Contigit autem filium cujusdam Judæi, artis Vitrarii, cum aliis advenisse. Cumque ultra solitum tempus moratus fuisset, scisciantibus parentibus causam moræ; Respondit se cum aliis pueris ad sacrū panem accessisse. Incensus furore Pater, filium in fornacem vitrariam conjicit. Mater rei insciа requirebat puerum per urbem cum lamentu. Post triduum ad ostium officinæ viri consistens & lamentans, puerum suo nomine compellabat. At puer matris vocem agnoscens, è clivabo das responsum. Illa effractis foribus irrumpens, videt illum in medio flammis illæsum. Interrogat quo pacto sic illæsus manserit? Mulier quædam, inquit ipse, amictu purpureo crebrò ad me venit, porrexitque aquam, qua flammam me ambientem extinguerem, & cibum mihi providit. Hæc re ad Iustinianum Imperatorem delatâ, puerum cum Matre bapti/mo tingi decrevit : Patrem autem, quia recusavit Christianus asciri, cruci jussit figendum curavit.* Hæc ibi. Posterioribus temporibus judicavit Ecclesia congruum, ob majorem Sacramenti reverentiam, illud non dare pueris, eo quod necdum dijudicarent Corpus Domini.

PARS III. *De panū benedictione & multiplicatione.*

Accepit Iesus panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus. Poterat Christus panes è nihilo creare, sed noluit, quia ei propositum erat multis modis potentiam suam ostendere. Habet enim varios modos nobis subveniendi. Ordinariè per fructum terræ subvenit necessitati nostræ. Potest etiam sine cibo nos conservare, sicut ostendit diebus 40. in Elia & Moyse. Potest è cœlo panem novum suppeditare, sicut 40. annis per mannā fecit in solitudine. Potest quod modicum est multiplicare, sicut hic ostendit, & in farina ac oleo viduæ Sareptanæ. Quare homines Deo diffidunt, cum possit sperantes in se tot modis juvare? Fœcundæ sunt & fertiles manus Christi : si ad eas respiciamus : si in illis spem collocemus, non deerunt. Nōnumquam Patres familias ad angustias rei familiaris redacti cum diffidentia hanc quæstionem proponunt. *Undè ememus panes?* Et quia abundè non reperiunt quo alant familiam, non ad Dei recurrunt providentiam, sed ad fraudes & furta, ad injustitiam & media illicita se convertunt. Panem sibi comparant qui nimis acerbus est, quo dentes obstupescunt; arenamque comedere censentur ob conscientiæ remorsum, vel etiam sanguinem & sudorem aliorum exsugere per injustam acceptionem & retentionem. O si respicerent fideiter ad manus Domini, quam felicius eis contingeret! O si pauculum quod habent panis inter manus illas benedictas & fœcundas committerent fide perfecta, quam facile multiplicaret modicum quod eis est, & adderet quod deest! Non ergo defectus est Dei, sed defectus est fidei. Itaque non abs re panes hic accepit in manus Christus, quia ab illis vim acceperunt hic pauci panes, ut tot millia hominum possent reficere.

Cibus ēt benedictione & gratiarū actione sumendus.

Non etiam sine mysterio dicit S. Joannes, quod gratias egerit panes accipiens; & alii Evangelistæ, quod in cœlum suspexerit, benedixerit que panes istos. Voluit enim exemplo suo nos prædocere, quod de perceptis & de percipiendis Dei donis semper gratiæ sint agendæ; quodque oculi nostri, tam corporis, quam animi, sursum crebro sint elevandi, agnoscendo omnia nobis defluere bona de sursum à Patre luminum, à quo etiam dependebat potestas illa qua miraculum operabatur Christus. Quibus autem verbis benedictio illa peracta sit, Evangelistæ non exprimunt; fuisse tamen efficacem, quia & panis ille sanctificatus fuit, & cœlesti virtute imbutus, non potest esse ambiguum, cum hoc effectus declararit. Fuit igitur benedictio illa quædam invocatio gratiæ & potestatis paternæ,

panibus

panibus multiplicationem imprecando, deinde eamdem imperando. Sic potest quæcumque voluerit sanctificare Christus, contactu suo, verbo suo, imperio suo, per potestatem sibi à Patre communicatam. Unde hic panis non solum fuit panis communis, sicut à paganis & infidelibus manducatur, nec solum generali quadam ratione benedictus, sicut panes propositionis apud Judæos: sed majori virtute imbutus fuit, ut tot millia hominum sua posset multiplicatione pascere. Exinde didicit Ecclesia cibum & panem nonnisi cum benedictione dexteræ Christi sumere, & cum gratiarum actione. Didicit etiam specialiter quandoque panem benedicere per ministros consecratos vicem Christi gerentes, ad particularem significationem & sanctificationem, ad tutelam & medelam.

Panis benedictus valet ad medelam tutelam & sanctificationē.

Sic cum S. Bernardus apud Tholosates verbum Dei nuntiaret contra hæreticos, multi ad eum panes afferebant, ut eos benediceret. Ille elevata manu & signo crucis edito in nomine Christi, eos benedicebat. *In hoc scietis vera esse quæ à nobis: falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sospitatem.* Adeo vero ingens multitudo languentium gustato eo pane convaluit, ut per totam provinciam verbum istud divulgaretur, & vir sanctus per vicina loca regrediens ob concursum intolerabilem declinaverit & timuerit illo ire. Sed & hoc mirabile, quod ipsum quoque substantiam panis ab omni corruptionis injuria eadem benedictio vendicabat: adeo ut plures per septennium & ultra eosdem servaverint panes, nec colore, nec sapore mutato. Ita habetur in vita ejus, lib. 3. c. 5. & lib. 4. c. 4.

Sic etiam refert S. Hieronymus in vita S. Hilarionis, quod cujuslibet status personæ, etiam Magnates & Principes, ab Hilarione benedictum panem & oleum in tutelam acciperent.

In vita Romual. c. 65. In vita Pachomii 14. Maii.

Similiter S. Romualdus virtute panis benedicti legitur sanasse mulierem furibundam. S. Pachomius Abbas hominem à dæmone obsessum. Notum est & de pane benedicto S. Nicolai Tolentini virtutē habente contra morbos & malesitia, contra ignem & alia hominibus nociva. Ejus invocatione etiam hodie Patres Augustiniani panem benedicunt contra hæc omnia efficacem, ut multis comprobatum est miraculis, de quibus speciales extant libelli.

Testantur quoque antiqui Patres panem benedictum porrectum fuisse catechumenis, eo quod Eucharisticum sumere necdum possent. Unde in Concilio Afticano 3. cap. 3. sic dicitur: *Placuit ut per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nisi solum sal & panis benedictus.* Item tradit S. Augustinus lib. de catechisandis rudibus. Et libro 2. de Bapt. parvulorum, cap. 6. illum panem à communi distinguit, dicens: *Quod accipiūt catechumeni, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius, quam cibus quibus alimur.* Similiter, sicut catechumeris olim panis benedictus distribuebatur, in significationem unionis Christianæ, ad quam suspirabant, & quod in dispositi & indigni essent pane Eucharistico. Sic modo adhuc in Gallicana Ecclesia, & aliis nonnullis; eo quod populus non communicet diebus Dominicis, ut olim solitum, cuilibet audienti Missam alicui panis benedicti datur, ut meminerit Eucharistici panis, & nostræ cum Christo unionis. Quapropter S. Pius Pontifex & Martyr. qui vixit anno 147. in decretis suis sic ait: *Ut de oblationibus quæ offeruntur à populo, vel de panibus, quos deferunt Fideles ad Ecclesiam, Presbyter partes concisas habeat ut post Missarum solemnia qui communicare non fuerint parati Eulogias omni die Dominico exinde accipiant.*

Porro licet hæc Christi benedictio alia longe fuerit ab illa, quæ Christus in ultima cœna panem sumens in manus, *benedixit, fregit, dedit que discipulis suis*, sacramentum efficiens corporis & sanguinis sui; fuit tamen in hoc miraculo, panis Eucharistici quoddam præludiū & prævia figura. 1. Quia utrobique dicitur, *benedixit, fregit, deditque discipulis suis.* Quapropter notatu dignum est, quod S. Joannes Evangelista, cui solum propositum fuit quæ ab aliis Evangelistis scripta non erant, scribere, nec historias ab aliis scriptas repetere, hoc tamen miraculum repetierit & enarrarit; quod alii diligenter omnino descripserant. Causam autem hujus rei afferunt sacri interpretes: quia scilicet Joannes hoc eodem capite disserere volebat de Sacramento corporis & sanguinis Domini, & de pane illo vitæ, quē qui manducat, vivet in æternum: ideo ergo præmisit hoc miraculum in pane, quo credibiliora forent quæ de pane Eucharistico scripturus erat. Illud enim miraculum multiplicationis panis, fidem sternebat miraculo transsubstantiationis & conversionis panis materialis in corpus & sanguinem suum. Unde qui attenderit ad præsens miraculum; cum de corpore & sanguine Domini sub specie panis sumendo agitur, non potest dicere: *Durus est hic sermo*, autiō possibilis. Sicut nempe paucis panibus à se benedictis multa hominum millia satiavit, & tamen nihil imminutum fuit, sed superabundavit, ipso mirabili sua potentia panes multiplicante: ita à mille sexcentis annis corpus Christi unicum toti sufficit multitudini, quæ in Ecclesia est. Multiplicatur sine multiplicatione, comeditur sine consumptione: millia hominum simul sumunt, nec consumunt, quia in æternum integrum permanebit. Qui dixit viduæ in Satepta per os Eliæ: *Farina hydria non deficiet, nec leeythus olei minuetur, usque in diem qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ*; ipse quoque dicere potuit simul & efficere, ut panis vivificus ex pugillo frumenti confectus, non deficiat usque in finem sæculi; & ut semper oleum gratiæ ab hoc pingui & oleato pane in animas credentium defluat, nec stet oleum nisi vasa deficiant.

Quomodo Panis benedictus & multiplicatus sit figura Eucharistiæ. Pr. 1.

3. Reg. 17.

Pr. 2.

2. In hoc quoque administrationis hujus Sacramenti quædam adumbratio fuit, quod acceptos

panes & benedictos dedit discipulis, discipuli autem turbis, ut Matthæus dicit; hunc enim ordinem servat Christus, ut per discipulos, hoc est Sacerdotes, Sacramentum istud Christianis administret. Et qui in manibus prius suis, deinde in manibus Apostolorum miraculum hoc operatus est multiplicationis panis, sublimius longe hodie miraculum operatur in manibus Sacerdotum, qui Apostolis in officio succedunt, dum panem in corpus, & vinum convertit in sanguinem, ut divinum sit alimentum populorum.

¶. 3. 3. Deinde cum Christus prius ægros sanasse perhibeatur, quam panem hunc præbuisse; & cum solis illis qui in solitudinem cum ipso secesserant, dederit illum, & quidem discumbentibus humi super fænum viride; in his omnibus adumbrata quoque fuit dispositio ad panem Eucharisticum necessaria. Ægritudo enim peccati prius deponenda est, & à Christo petenda sanitas: in solitudinem quoque mentis eundem relictis sollicitudinibus distrahentibus: denique calcata sæculi vanitate, quasi fœni viriditate, in humilitate cordis sedendum est. Hæc est vera præparatio ad hoc divinum epulum, quod animum exposcit sanum, liberum, humilem, cœlestem.

¶. 4. 4. Denique, in eo etiam adumbratur effectus Sacramenti, quod additur: *Manducaverunt omnes, & saturati sunt.* Luc. 6. Marc. 6. Matth. 4. In illo apponitur cibus, qui solus potest animum satiare, Psal. 102. quia ille hic nobis datur, de quo Propheta: *Qui replet in bonis desiderium tuum.* In convivio Dei omnes satiantur; in convivio mundi omnes post esum fame torquentur; cibo crescente crescit ipsa fames. Crescit fames avaritiæ, crescit amor nummi, dum ipsa pecunia crescit. Crescit fames & sitis, voluptatis ac honoris cum ipsa voluptate & honore. Hi sunt cibi quos dat mundus; nec cibi sunt, sed irritamenta; micæ sunt vel guttulæ emendicatæ; quinimmo non plus satiat vanitas, quam venti inanitas. Ipsa veritas satiat, & veritatis cibus: panis est qui permanet in æternum, aqua saliens in vitam æternam. Satiabit autem perfectissime, cum in altera vita in Æternitatis epulo videbitur & gustabitur veritas in se, quando veritatis Deus apparebit, remota omni caligine & imagine. Tunc undequaque verum erit: Psal. 16. *Comederunt, & saturati sunt: Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Cōclusio. Facnos, Domine, imitari fervorem populi tibi indivisim adhærentis, te quocunque sequentis: da ut calcatis fluctibus tumultuantibus hujus procellosi sæculi, te sequamur in solitudine; ut ibi sanes languores & ægritudines nostras, ut ibi inhæreamus dulcedini. Verbi & gratiæ de labiis tuis mellifluis procedentis: ut ibi loquaris nobis de Regno Dei. Et quia facile deficimus & elanguescimus, reficе nos pane intellectus quo confirmemur in fide, pane spiritus & vitæ quo confirmemur in spe, pane divini amoris quo confirmemur in charitate. Donec tandē pleneæ satiemur adipe frumenti sine cortice, in divinitatis tuæ visione, in æternitatis tuæ fruitione. Ibi agnoscemus te Regem nostrum, sine tua contradictione. Ibi inclamabimus sublimi & perenni voce: Vivat Rex hominum & Angelorum, qui pascit & regit eos in sæcula sæculorum: *Benedictus es in throno regni tui, & super laudabilis, & super gloriosus in sæcula.* Dan. 3.

Eandem potestatem panes multiplicandi, quam Christus à Patre se accepisse hic ostendit, Sanctis suis etiam communicavit. Unde B. Apollonius, celebris inter Eremi Patres, tanta miraculorum potestate effulsit, ut cum semel tres solum sportæ panum pro victu Monachorum uni diei necessariæ adessent, & tamen concurreret multitudo populi terræ illius, cibum deposcens fame convulsa, haud diffisus fuerit. Quid ergo? Productis in medium sportis, audiente & vidente populo, elevatis in cœlum oculis & manibus dixit: *Nunquid valet manus Domini multiplicare hæc? Hæc dicit Spiritus S. Non deficiet panis in sportis his, donec satiemur omnes de frugibus novis.* Hæc ubi dixisset, exinde quatuor mensibus continuis non cessarunt panes erogare ex sportis illis. Hoc intuens diabolus, invidia commotus dixit ei: *Nunquid Elias es tu, aut aliquis Prophetarum, aut Apostolorum quia hæc facere ausus es?* Cui ille respondit. *Nonne Prophetæ & Apostoli homines erant, qui nobis fidem suam & gratiam tradiderunt? Aut Deus tunc præsens erat, nunc vero absens? Deus qui omnia potest semper potest quod semel potest. Si ergo Deus bonus est, cur tu malus & invidus es?* His dictis, confusus abscessit Sathan.

Exemplū Panes multiplicandi vis sanctis communicata. Plura ad hoc Evangelium pertantia vide in Dom 6. post Pent. Paul. VVand. l. de invidia ex Hieron. idem refert. Histor.

Refert Nicephorus, Constantinum Imperatorem Constantinopoli insignem erexisse columnam, eique duodecim illos cophinos inservisse, de quibus in hoc Evangelio agitur, cum reliquis panum, & alias simul septem sportas, de quibus Marcus c. 8. Quapropter patet hoc Christi miraculū celebre fuisse posteris, in cujus memoriam columna illa à Christiano Imperatore erecta fuit. Unde & verisimile est comedentium nonnullos de pane illo secum asportasse in memoriam dicti miraculi. Id saltem Apostolos fecisse, colligitur ex eo quod singulis singuli cophini non sine mysterio deputati fuerint: quia scilicet singulæ prædicationis munus credebatur, per quod fragmenta doctrinæ Domini gregi Christiano debebant distribuere. Et omnibus æqualis portio tribuitur, quia æqualem in verbi prædicatione potestatem erant sortituri. Est autem etiam probabile, hos cophinos acceptos fuisse à mulieribus & puellis, quæ solent brachiis suis cophinos inferere cum aliquo profecturæ: hi autē postmodum sacri habiti sunt, qui digni facti in quibus reliquiæ istæ miraculosi panis asservarentur. De hoc igitur adeo insigni prodigio olim Sibylla, teste Lactantio, l. 4. c. 15. cecinerat:

Placabit fluctus, in deserta locorum
Largè panibus ex quinis, & pisce marino,
Millia quinque virûm satiabit. Reliquias q;
Bis, cenos cophinos implebunt Virginis almæ.

DOMI-

mistra, specula; deinde puerorum conferta turba me saxis & fustibus impetierunt. 6. Accesserunt denique ex omni genere artifices, & artis suæ instrumenta magno furore in me miserunt; Fabri ferrarij malleos incudes, folles: Fabri lignarii, secures, circinos, ascias, dolabra: Fabri murarii, trullas, perpendicula, amusses: Laniones cultros, mensas, trutinas, pondera: Caupones autem amphoras, lagenas, crateres, viceolos: Sutores & sartores, acus, formas, forfices: Pictores quoque penicillos, colores, spongias, conchas: Coci verò sartagines, craticulas, ollas. Ab his omnibus penitus exagitata, in forum publicum domumque civicam perveni, ubi intuens mira cum gravitate Præsides & Prætores, multamque togatorum turbam, qui vel Advocati, vel causarum judices erant, nonnihil cœpi respirare, quia & sapientiam & vitæ ingratitudinem habitu & vultu ostentabant. Putavi ergò hic me portum reperisse, sed propiùs accedens vidi me in scyllam latrantibus canibus circumseptam incidisse. 7. Nam quas ibi non audivi horrendas latrantium, causidicorum voces? quas non judicantium iniquas interlocutiones atque diffinitiones? quas non tabellionum scribarumque falsitates? Hi igitur omnia ista mihi displicere ubi agnoverunt, statim calamis & calamariis, armamentariisque vasis, regestris, scapellis mihi insultaverunt, & canino quodam latratu me prosecuti sunt. 8. Maturavi igitur fugam, & ad unicum qui restabat locum, ad curiam Principum me contuli. Sed quæ non ibi vidi turbulentissima? Loquantur pro se conculcati pupilli, flentes viduæ egentes prostrati, boni accusati, innocentes damnati. Ibi vidi regnantem hypocrisim, ambitionem, fictionem, impudicitiam, invidiam, ita ut hæc vulnera mea adaugerent, & miserabilis quam ibi conspexi rerum facies ad mortem penè usque me transfigeret & exanimaret.

6. *Ab artificibus.*

7. *In judicijs.*

8. *In aulis Principũ.*

Hæc omnia poetico more descripta indicant varia crimina in omni hominum conditione regnantia, quæ Veritatem Cœli & Dei filiam proculcant & exterminant; ita ut Cœlo se recipere, & ad parentem suum cum lachrymis redire cogatur afflictissima, & vulneribus undique confecta. Non ergo solis Judæis, sed & omnibus his exprobrare possumus illud Domini: *Si veritatem vobis dico, quare non creditis?* Quare illam vobis propositam, & de Cœlo ad vos descendentem insectamini, & conculcatis? An non in hoc videmus Evangelio, quomodò Judæi post maledictiones multas, eum qui est veritas æterna ejiciunt è templo suo & synagoga, è plateis & locis publicis, ita ut cogatur sese occultare? *Tulerunt lapides Iudæi, ut jacerent in eum, Iesus vero abscondit se.* Sic censentur facere & omnes impii: quia omne peccatum Veritati adversatur, & omne cor durum permanens in peccatis, in lapidem convertitur, quo Christus qui est Sapientia & Veritas effugatur. *Sed væ illis,* inquit Sanctus Augustinus, *à quorum lapideis cordibus fugit.* Væ illis quos deserit; eos enim de peccatis in peccata cadere permittit. Nihil boni potest esse, ubi Jesus se absconditi; nihil non mali potest adesse ubi Jesus aliquem deseruit. Unde & tunc evenit, quod per Moysen comminatus est. *Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorũ.* Item: *Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* Hoc denique est quod alibi eis dixit: *Quaretis me, & non invenietis, in peccato vestro moriemini.* Quando Sol se abscondit, nonnisi tenebræ & nebulæ relinquuntur: ubi Solgratiæ Jesus discedit, omnis caligo & infelicitas succedit. Quid est enim quod Judæi usque nunc crassissimis tenebris involuti squalent, & lõgè sunt à salute, nisi quia Iesus se abscondit ab eis? Quid est quod corruit civitas & templum, festa & sacrificia eorum cessarunt, nisi quod Christus eorum sit desertor? Quid est quod multæ provinciæ, populique multi gemunt sub caligine errorum & hæreseon, nisi quia Dominum sceleribus suis irritarunt, & quodammodò à se fugarunt? Dimisit ergo eos tandem *secundum desideria cordis eorum ibunt in adinventionibus suis,* novos semper adinvenientes & sectantes errores. Quid ita? Quia *non audivit populus meus vocem meam,* inquit Dominus, *& non intendit mihi.*

Deut. 32. Ier. 18. *Ioan. 7. Simile.* *Psal. 80.*

S. Hildegardis spiritu Prophetiæ prævidens fidei jacturam deplorandam in populis Germaniæ, sic eam ejusque rationem prædixit circa annum 1180. *In tantam homines fluctuationem atque errorem precipites ibunt, ut cuinam credere tuto possint, sint ignoraturi. Et hoc ideo divina permittet justitia, quod nos multo jam tempore negligenter & otiosè vivendo ipsam fidem moribus & vita impugnamus, & ipsum Domini corpus irreverenter & indigne tractamus. Id-eo Dei verba pervertentur, & cultus divinus in obliuionem ibit; & in multa vexatione erunt, quæ pace modo gaudere videntur.*

Da nobis, ô Domine, semper agnoscere & sequi vitam tuam immaculatam, quam nemo potest arguere de peccato, aut de minima labe: Doctrinamque tuam purissimam quam nemo potest arguere de errore. Fac ut apertis auribus cordis audiamus Te Veritatem, nec unquam simus tuæ rebelles voci, tuo rebelles lumini. Fuga à nobis omne peccatum omnẽ contumaciam, aut contemptum; nec in peccatorum pœnam unquam contingat te fugere à nobis. *Ostende faciem tuam, & salvi erimus;* ne abscondas te, & nos apprehendant mala, ne nos involvat infelicitas æterna. Ne deseras unquam templa, aut loca nostra sacra, errores introduci permittens, & alió te conferens ob indignitatem nostram, sicut in multis regnis & templis juste fecisti, sed gratia tua effice, ut in illis tibi credamus, digne te colamus, te adoremus, te glorificemus, donec tandem in domo tua & templo gloriæ tuæ te Deum Veritatis perfectè videre, amare, laudare valeamus in sæcula sæculorum.

Cõclusio.

Aug. tr. 42. in Io.

Qui

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Joan. 8.

LECT. 14 *De signis prædestinationis, nõ certis sed probabilibus.*

Quamdiu homo in hoc agit exilio, inter spem & metum debet ambulare, cùm nesciat certò an felicem sit sortiturus exitum cum electis, an verò exitium infelix cum reprobis. Et quamvis spes excludere debeat auxiam nimis fluctuationẽ, non tamen omnino excludere debet timorem. Spes enim & timor junctim à dextris & sinistris hominem in via vitæ ejus comitantur, ut in viam salutis eum ducant, & ad terminum optatum tandem perducant. Equidem & ipsis Sanctis hæc est causa metuendi, ne ipsis pietatis operibus elati deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.

Simile. Ac sicut mercatores inter navigandum licet mare tranquillum sit, quamdiu tamen nondum ad portum pertigerunt, metuunt ne ventus contrarius exurgat, & navem in naufragium ducat: Sic Christiani licet prosperum habeant ventum Spiritus sancti, formidant ne ventus contrariæ potestatis exurgat, qui eos tandem demergat, cumque in omni statu multi deficiant, & pereant, verentur & hoc de seipsis. Cadit Angelus è Cœlo, *Adam* è Paradiso: reprobatur *Saul* qui ad regnum evectus erat à Deo: reprobatur *Iudas* in Apostolico Collegio. Sic cum omnia hic instabilitati sint obnoxia,

Eccl. 9. meritò timor spei jungitur: *Sunt justi & sapientes & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo an amore vel odio sit dignus, sed omnia in futurum servantur incerta*, inquit. Quod quidem interpretatur S. Bernardus, & alii Sancti Patres, de amore per prædestinationem, aut odio per reprobationem. Cujus rei incertos nos voluit Deus, inquit S. Thomas: *Ne electi hac spe securi negligentius in vita agerent, & ne reprobi salutis suæ desperatione concepta, sese præcipites agerent in omnia flagitia.* Abscondita ergo hæc sunt ab oculis nostris. *Novit enim Dominus qui sunt ejus, & solus novit quos elegerit à principio: quis verò hominum scit, si dignus est amore vel odio*, inquit Bern. serm. de Octav. Paschæ. Nam & hoc nec Apostolus quidẽ raptus in tertium cœlum, & ibi multa edoctus mysteria, certò de se

2. Cor. 9. sciebat, quando dicebat: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.*

Cæterum, licet certitudo nobis electionis illius æternæ justè à Deo denegetur, tamen probabilia ejus testimonia & signa haud denegantur. Quamenum requiem habere poss. spiritus noster, si nullum prædestinationis suæ testimonium reciperet? Datur ergo in terra, teste S. Bernardo, *testimonium quo discernuntur cives Cœli à civibus Babylonis. Quomodo enim sine testimonio electis deserat Deus? aut qua illis consolatio inter spem & metum anxiæ solli citudine fluctuantibus, si nullum omnino electionis suæ haberent testimonium mererentur?* Deducuntur autem hæc testimonia ex sacris literis. Unde ita

Bern. ser. de oct. Pasch. *sermo, & omni acceptione dignus, quo salutis testimonia commendantur. Hoc sanè verbo & electis consolatio ministratur, & reprobis subtrahitur excusatio. Cognitis siquidem signis vitæ, quisquis hæc negligit, manifestè convincitur in vano accipere animam suam, & pro nihilo habere terram desiderabilem.* Ex hoc autem Evangelio aliquot de dictis signis colligere possumus.

Primum signum est audire & obedire verbo Dei: *Primum signũ est libenter audire verbum Dei.* Hoc colligitur manifestè ex illis hujus Evangelii verbis: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Idem insinuatum est. Dum dicit iterum Dominus: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Denique in altero Evangelio explicatius: *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* An non & hoc aliis verbis repetitur *Ioan. 10.* hic, dum dicitur; *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum?* Itaque quisquis asserere potest se perlubenti & prompto animo audire verbum Dei; audite vocem Pastoris supremi, audire & servare sermonem ejus; testimonium habet quod de electis sit, quod de ovibus sit, quod beatus sit jam in spe, postmodum in re: jam inchoatè, postea consummatè; quodque mortem non sit visurus æternam in gehenna, sed vitam perennantem gloria, quod ex Deo sit prædestinatione, fide, gratia.

Talis fuit in antiquo testamento *Ieremias* qui di- *Exempla Vet. Test. Ierem. 15.* cit: *Inventi sunt sermones tui, & comedi eos, & factum est mihi verbum tuum in gaudium & in lætitiam cordis mei.* Talis & *Ezechiel* qui dicit missum ad se à Deo è cœlo librum scriptum intus & foris, quem jussus est comedere. Utique liber sermonum Domini erat, de quo subdit: *Et comedi, & factum est in ore meo sicut mel dulce.* Talis & Rex David, qui de se dicit. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Talis denique Rex Josias, qui legis Domini librum coram se legi perlubens audivit, & ex cordis magna contritione amare flevit, scidit-

4. Reg. 22 que vestem suam, scidit & cor, verbis Domini commotus. Propterea ei dictum est à Domino: *Pro eo quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es, & scidisti vestimenta tua & flevisti coram me, & ego audivi, ait Dominus: idcirco colligam te ad Patres tuos, & colligêris ad sepulchrum tuum in pace.* Huic planè absimilis fuit ejus filius Joachim, de quo dicitur, quòd cùm coram eo legeretur liber Jeremiæ Prophetæ divinas continens minas, nec territus est, nec flevit, nec cor aut vestem scidit: sed *Rex sedebat in domo sua hyemali, & posita erat ante eum plena prunis, cumque lecta forent tres pagellæ, scidit volumen scalpello scribæ, & projecit in ignem qui erat super aulam, donec consumeretur omne volumen.* Propterea de eo dictum fuit. *Sepultura asini sepelietur.* Hac *Ier. 36.* *Ier. 22.* sepultura dignus fuit, qui verbum Dei ut asinus audivit; dignus & æternoigne, qui verbum Dei scriptum igni tradere & combutere ausus fuit. Sed de novo lectan cat. exem pla nonnulla prepo-

nemus.

ipsum, quod scriptum est veminiscens: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear. Timeo eum ut custodientem vias meas, & quotidie ascendentem ad Deum & insinuantem actus meos & verba. Timendus ergo Angelus, qui deducit nos, & audiendus dum arguit nos in tempore opportuno, immittens sana consilia ad emendationem. Timendus & Angelus malus, qui nobis insidiatur, qui oculatissimè omnia nostra circumspicit, ut possit invenire quod arguat & accuset: Ipse enim *est accusator fratrum nostrorum, qui accusat illos ante conspectum Dei die ac nocte.*

Apoc. 12.

4. Aliorum curam habentes.

Denique, debemus esse parati moneri & argui ab his, qui nostri curam gerunt; quia ad id tenentur, alioqui ipsimet arguendi coram Deo veniunt. Talem habent obligationem Parentes erga filios, Superiores erga subditos. Pastores erga gregem fidei suæ concreditum. Unde Apostolus admonet Timotheum: *Testificor coram Deo & Iesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, per adventum & regnum ejus, insta opportune, importune argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Nemo itaque præsumat, nemo dicat: *Quis arguet me de peccato?* ne audiat illud Apoc. *Tu dicis, dives ego sum, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser, & miserabilis & pauper, & cæcus, & nudus. Collyrci iunge oculos tuos, ut videas.* Collyrio humilitatis & veritatis inuncti oculi confusionem & nuditatem internam clarius intuentur, & occulta dedecoris agnoscunt, quæ etiam Dei patent lynceis oculis. Hi oculi semper nobis sunt formidandi.

2. ad Timoth. 4.

Apoc. 3.

Flecti qui à peccatis immunes.

Dedit tamen Deus quibusdam electis suis tantam fiduciam, ut vel pœnitentia purgati, vel gratia superna adjuti possent dicere; *Quis arguet me de peccato?* An non videtur id dicere Ezechias, dum ait: *Memento Domine, quomodo ambulaverim coram te in corde perfecto, & quod bonum est coram te fecerim?* An non similiter & Job? *Hæc passus sum absque iniquitate manus mea, cum haberem mundas ad Deum preces. Ecce in Cœlo testis meus & conscius meus in excelsis.* An non & illis qui fini suo appropinquantes, solido conscientiæ suæ testimonio confisi, nihil veriti sunt, nec mortem instantem, nec Satanam accusatorem, nec Judicis severitatem?

Ezech. 38

Iob. 16.

Sic *S. Martinus* viso humani generis hoste, instante jam sibi morte, fortiter & intrepide his cum verbis aggressus est: *Quid hic adstas cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies.* In hac voce unum & octoginta annos natus animam Deo reddidit à peccato immunem.

Sic *S. Hilarion* extrema conflictans cum ægritudine dicebat animæ suæ: *Egredere anima mea quid times? quid dubitas? Septuaginta prope annis servisti Christo & mortem times?* Qua etiam in voce spiritum exhalavit. An non hoc quodammodo erat dicere: Quis arguet me de peccato?

Sic *S. Ambrosius* circumcinctus Sacerdotibus discessum suum lugentibus, & rogantibus, ut peterent à Deo vitæ suæ prolongationem? Respondit: *Non sic vixi quasi me pudeat inter vos vivere; sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Hæc erat vox bonæ conscientiæ testantis ipsum sine offendiculo vixisse, & liberum à peccato exire; ita ut posset dicere cum Christo, *Venit Princeps hujus mundi, & in me non habet quicquam*; & illud hodierni Evangelii: *Quis me arguet de peccato.*

P. Isidor. c. 27 vita Aug.

PARS II.

CHristus D. non solum vitam suam esse irreprehensibilem, sed etiam doctrinam ostendit; ideoque inexcusabiles esse Judæos, qui eum ut Messiam non recipiunt, nec vocem ejus audiunt, vocem veritatis. Exprobrat eis cæcitatem, quod diabolo potius adhærere eligât, quam sibi cum tamen nonnisi mendacitet eos decipiat, qui *in veritate non stetit*, & nonnisi perdere eos intendat: ipse autem nonnisi gratia salutis eorum venerit, viam ostendens vitæ & veritatis. Quid enim inexcusabilius, quam eum non recipere, in cujus moribus integritas, in cujus doctrina maxime eluceſcat veritas? Sed verum fuit de ipsis quod Job dicit de quibusdam: *Ipsi sunt rebelles lumini & nesciverunt vias ejus, & noluerunt reverti per semitas ejus.* Similes fuerunt populis illis Athlanticis, & quibusdam Æthiopiæ habitatoribus, de quibus testantur historici, quod inimici sint Solis, quodque tempore ortus & occasus maledictionibus ipsum impetant, quasi lapidibus: nigris enim istis populis nigra nox perplacet. Sic Christus tanquam *lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Ecce Judæi maledictionibus & lapidibus Christum Solem veritatis appetunt, ut testatur hoc Evangelium: *Tulerunt lapides &c.*

Christi plane reprehensibilem, ab omnibus merito fugiendum Ioan 8.

Iob 24. Æthiopes maledicunt Soli Plin. Pompon. Herodot. Ioan 3.

Non absimiles sunt his multi inter Christianos, quibus veritas est odiosa sicut lux ægris oculis, sicut medicina pungens, vel ferrum cadens putrido admotum ulceri vel vulneri. Si enim vel in publica prædicatione, vel in peccatorum confessione, vel in privata admonitione veritas eis insinuetur aperte, si vitia eorum arguantur sine dissimulatione, recalcitrant & succensent. Quibus dicere possumus idem quod hic Dominus. *Si veritatem vobis dico, quare non creditis?* Quare illam non sequimini & obeditis? Si homini avaro & injusto periculosa vel illicita negotiatione implicato dicimus, quod periculum salutis illi imminet, quod per hæc rum injustum ditescat, quod ad restitutionem obligetur, quod ipsius & hæredum conscientia involvatur pœ talem bonorum acquisitionem, quodque propter terrena bona, cœlestia perdat, quod pauperum sudorem exsugat, ex eo quod operariis mercedem nonnisi tarde, & cum difficultate persolvat: veritatem dicimus, non enim pauci sunt, de quibus id verum est: sed nō credunt, quia sucrit ea o: & terrena rum rerum affectus eis fascinat oculos. Hæc est fascinatio nugacitatis, quæ eis obscurat bona æterna. eis: nugacia enim hæc & fallacia bona ita eos illectant, ut vera bona non videant, qui *latuerunt*

Veritas odiosa.

Sap. 2.

oculos suos declarare in terram. Quærunt interim perizomata instar terteni *Adam*; prætextus & excusationes consuunt ad tegendam nuditatem, ad palliandam avaritiam suam & injustitiam. Simili rei si juveni dissoluto & luxurioso dicimus, necessarium esse societates pernicioſas fugere, quæ eum pertrahunt in peccata, familiaritates quoque cum mulieribus dissolvendas quantocius esse, loca in quibus peccati est occasio non ultra ab eo frequentanda, alioqui æternæ perditionis laqueis, animam ejus irretiri: veritatem dicimus, sed non credit, & ignorare vult, *quod tamquam agnus lasciviens ad* Prov. 7. *vinculum trahatur, & ducatur ad victimam, donec transfigat sagitta jecur ejus: velut si avis festinet ad laqueum; & nescit quod de periculo animæ ejus agitur*, ut dicit Sapiens. Sic propter cordis inopiam perdit animam suam; & frustra illi clamamus. *Si veritatem dixi vobis, quare non creditis?* Ulterius, si ebriosum, & gulæ, ac venti deditum monemus serio, ut se emendet, & ab occasionibus se subtrahat, alioqui futurum tandem, ut male vitam finiat; veritatem Philip. 3. dicimus, quia & Apostolus similes luget: *Quorum Deus venter, quorum gloria in confusione, qui terrena sapiunt*, & potu ciboque ita se reddunt hebetes mente & corpore, ut non possint capere cœlestia. Interim non credunt, non sequuntur veritatem sibi Psal 10. insinuatam. Sed sero postea ululabunt, dum *ignis, sulphur, & spiritus procellarum erit pars calicis eorum.* Sic iracundo & invido dicimus, quod scintillam ignis infernalis in corde foveat, dum odium, iram, invidiam cito non excutit. Interim non credit, sed sibi suum honorem tuendum proponens, etiam vindictam haud sibi illicitam putat: quam corde concipit, alit, parturit, tandemque per oblatam occasionem patit, & in effectum deducit, proximo scilicet suo nocumentum inferens; sed magis sibi: quia si alterius lædit, vel corpus, vel fortunas animam suam lædit magis, & postmodum infero cogitur pœnitere. In hunc ergo & similes quadrat illud: *Si veritatem dixi vobis, quare non creditis?*

Denique ita plerisque veritas est odiosa, ut passim eam à se expellant, mercator ex officina, caupo ex caupona, Artifex ex opificij sui loco, Judex, Procurator, Testis, Advocatus è Tribunali, Aulici è palatio: quia eorum multi per mendacium ditescunt, vel ad altiora tendunt. Unde Oseas inclamat: Osea 4. *Audite verbum Domini filii Israel, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, non est scientia Dei in terra: maledictum, furtum, mendacium inundaverunt.* Hoc ipsum eleganter poëtico sub symbolo nobis repræsentavit quidam ex antiquis. Depingit ipse Veritatem tamquam cœli & Dei filiam, sed divino ex semine prognatam ad mortales jussu Patentis sui Dei descendentem; sed ab illis ita inhumaniter tractatam, ut tota vulneribus conspersa fugere, & solitudinem petere coacta sit, tandemque redire gravi cum querimonia ad illum à quo missa fuit. Sic autem conqueritur ipsa de variis hominum statibus exponens auctores vulnerum suorum.

Primo, inquit, invasi vastum pelagus, vixque illuc attigeram, & naves conscenderam, cum tantam scelerum turpitudinem conspexi, quantam vix persuaderi posset: cumque hæc reprehenderem, illico omnes in me impetu facto flagellare cœperunt tudentibus, ferire gubernaculis, clavis, antennis; remis, contis, anchoris, jacere in me trocleas, scalas, transtra, cæterisque navis instrumentis me ejicere. Atque ego his primis pulsata malis, cruoreque non modico conspersa propiui me inde ocyus petitque terras, vidensque patentes campos, vineas, prata, hortos, & in iis insudantes agricolas, statui eos convenire, sperans ob simplicitatem morum eos in me fore humaniores & obsequentiores. 2. Verum contemplata eorum mores, vidi & ibidem regnare furta, rapinas, insultus, audaciam: unde vix eos salutaram, & statim stivas, vomeres, aratra, juga, rastra, falces messorias, ventilabra, ligones, bidentes, furcas, corbes, in caput meum intorserunt. Discessi ergo ab eis immaniter vulnerata, & in urbes quasi in tutum diversorium confugi; & quia omnium modestiores & sanctiores in urbe mihi visi sunt sacerdotes, ad templa & aras me contuli; ibidemque contemplans mores habitumque sacerdotalem, primo eorum congressu sum delectata, invocabant enim precibus Dei auxilium, pro viventibus pacem, pro defunctis requiem implorantes, divinasque resonabant laudes, & in publicis declamationibus virtutē laudabant, vitia condemnabant, & ad virtutem omnes invitabant, à vitiis deterrebant. Placuit mihi hæc exterior vitæ eorum facies, sed veniens in eorum strictiorem familiaritatem, & ingrediens secretos eorum thalamos, vidi interiora non correspondere exterioribus, vidique multos privatim divinas laudes, dum persolverent concitato & prærupto oris motu ferri, biblientisque instar amphoræ multa magis è bmurmurare, quam proferre. 3. Cùm verò vitia mihi ista displicere ostenderem, mox ipsi breviaria & libros precum in caput meum conjecerunt, tum etiam acerris, aruis, candelabris, cereis, emunctoriis, lichnis lampadibus, sacrisque vasis me insectati sunt. Egressa ergo fores templorum, non videns quò me conferrem, evolavi in plateas, viasque publicas. 4. Vecrùm, ebeu! quanta ibi vendentium ementiumque mendacia occurrerunt? quanta mercatorum perjuria, proxenetarum involucra, institorum fraudata negotia nummulariorum prostitura lucra, publicanorum audacissima scelera, artificum deceptiones & depravationes. Quanta non virorum modò, sed & fœminarum ac puerorum mendacia verba & facta: Immò eorum magis indoles probatur, & magnum aliquid de se polliceri creditur, quo mentiri ac magis fallere assuescunt. Quid igitur? Cum hæc arguerem. 5 Mulieres primum in me jecerunt fusos, colos, verticulos, glomera, acus, calathos, techas, inaures, armillas, dextraliola, calamistra,

Ab agricolis. 2.

A clero. 3.

In viis publicis. 4.

A mulieribus. 5.

DOMINICA DE PASSIONE.

Quis ex vobis arguet me de peccato?
Joan. 8.

Lect. 15. tripart. Pars I. *Christũ fuisse impeccabilem.*

MAgna est illius conscientiæ securitas, quæ adversarios audet judices facere, quæ ita opera sua omnibus manifestat, ut etiam malevolis pateant, nec timet quampiam in illis reperiri maculam. *Joan. 3.* *Qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus.* Nimirum distinctio malæ & bonæ conscientiæ ista est, quod hæc nullorum oculos timet, illa omniũ timet. *Iob 31.* S. Job suæ ꝛõfidens conscientiæ dicit: *Non contempsi subire judicium cum servo meo, & cum ancilla mea, cum disceptarent adversum me.* Hæc erat ejus æquitas, hæc humilitas, hæc conscientiæ securitas. Christus Dominus non solum servorum suorum judicio se audet committere, sed etiam adversariorum & infidelium servorum, qui & oculatissimi erant, & malevolentissimi in hoc incumbebant, ut labeculã vel minimam in eo possent reperire, illumque exinde traducere. Ecce enim judicio contendit cum Judæis sibi infensissimis: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quasi dicat. Vos non potestis quicquam incredulitati vestræ præterire. Nam & vita mea omni ex parte inculpabilis est, immunis ab omni labe, ita ut quamvis multa in vulgus sparseritis, de violatione sabbathi, de amicitia cum publicanis, de vini potatione, tamen manifestum fuit has esse calumnias hominum pessime affectorum: & vestra conscientia testis esse potest, quod nec de culpa ulla convincere umquam me potueritis. Etiam doctrina mea semper fuit irreprehensibilis, nec falsitatis argui à vobis potuit. Docco ergo veraciter, vivo sancte; quod verbis docco, factis præsto; audeo igitur judicio contendere vobiscum. Ecce adhuc præsto sum reddere rationem, si quid in moribus, si quid in doctrina mea improbandum quispiam habeat. *Similc.* *Quis igitur ex vobis arguet me de peccato?* Sicut Solem nemo potest arguere de tenebris, cũ ut fons omnis luminis & claritatis, faxque orbis nebulas omnes facile dissipans, quæ extrinsecus ejus radios & lucem obscurare, vel impedire videntur: sic nemo Christum de peccato arguere poterat, cum sit fons puritatis & superni luminis. Ideo calumnias quib⁹ Judæi ejus radiantur lucem conati sunt involvere, facile potuit fugare, & inanes ostendere cum eorum confusione.

Christus quomodo impeccabilis.

Multis porro titulis Christus à peccato immunis fuit & impeccabilis, etiam secundum humanam naturam.

Pr. 1. 1. *Ob unionem hypostaticam.* Cum enim humana in Christo natura unita fuerit divinitati, ab ipsa dei ficata fuit proxime & immediate per gratiam unionis, ut loquuntur Theologi; ita ut huic sanctificationi & deificationi nihil magis repugnet, quam peccatum, quia est participatio quædam ineffabilis, divinæ, & infinitæ sanctitatis.

Pr. 2. 2. *Ob plenitudinem gratiæ habitualis.* Hæc ab initio conceptionis infusa fuit animæ ejus, eam confirmans contra omne peccatum, non solum originale, sed etiam veniale.

Pr. 3. 3. *Ob gratiam illam quam Theologi vocant gratiam capitis.* Per hanc factum est, ut Christus non solum sanctus esset, sed etiam Sanctificator, causa & principium omnis gratiæ & sanctitatis, quæ in electis reperitur, tamquam Caput omnium electorum & sanctorum in illos influens. Unde sicut Sol habet plenitudinem lucis, quia continet lucem, qua ipse lucidus est, & quia cætera illuminat, & quia fidera quæ illuminantia sunt, ab eo vim illuminandi habent. Ita Christus habet plenitudinem gratiæ & sanctitatis, quia sanctus est in summo gradu, & quia alios sanctificat, & quia aliis virtutem dat sanctificandi, & quia omnis sanctitas, ab eo est. Propterea de eo dicitur: *Vngetur Sanctus Sanctorum*, hoc est *Dan. 9.* tali unctione quæ cum non solum sanctum efficiat, sed etiam Sanctum sanctorum, hoc est alios sanctificantem. *De plenitudine* enim *ejus omnes accepimus*; Nec ad mensuram ei datus est spiritus, quia spiritum & gratiam potest infinitis communicare: propterea quodammodo infinita dicitur, estque efficacissima contra omne peccatum, jam ab initio propellens ab ipso non solum actum peccati, sed etiam potestatem peccandi. *Christus sol.* *Ioan. 1.* *Ioan. 3.*

Pr. 4. 4. *Ob visionem beatificam*, qua à primo instanti ejus anima perfruebatur; per hanc enim reddebatur impeccabilis, cum involvat visio unionem intimã & perfectissimum Dei amorem, qui nullum peccatum etiam veniale compatitur.

Pr. 5. 5. *Ob rationem perfecti sacerdotii, & perfectæ victimæ.* Ex ratione quidem sacerdotii, quia *Talis decebat ut esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.* Segregatus ergo fuit Christus supremus Sacerdos, & perfectissimus Propitiator à peccatoribus, hoc est à morib⁹ & vita peccatorum, ab omnique sorde peccati remotissimus, non solum actu, sed & potestate. Nam enim fuit potens peccare, ut tanto efficacius posset se pro nobis peccatoribus interponere, accedẽs per se ipsum ad interpellandum apud Patrem. Ex ratione etiam victimæ puritas ab omni peccato ei congruebat, quia ipse debebat esse victima pro totius mundi peccatis. Propterea de ipso dixit S. Joannes; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Agnus est quia innocens est. Agnus est quia victima esse debebat. Sed qualis victima? Talis qualis præsignificatum erat in figura. *Exod. 12.* *Erit Agnus sine macula.* Unde & S. Petrus: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti sumus Sanguine Christi, quasi Agni immaculati & incontaminati.* De qua victima etiam dicitur. *Si sanguis vitulorum & hircorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum S. se obtulit* *Christus victima.* *1. Pet. 1.* *Hebr. 9.*

Christus sacerdos. *Hebr. 7.*

2. Ab agricolis.

3. A cleris.

4. In via publica.

5. A multitudine.

immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis? Certe de vitula illa Moyses agens, sic exprimit præceptum Domini: *Præcipe filiis Israël, ut adducant ad te vaccam rufam, ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum.* Hoc in figura Christi, qui nec maculam, nec jugum peccati unquam subiit, perfectissima utique victima. Unde S. Leo: *Offerenda erat pro reconciliandis hostia quæ esset nostri generis socia, & nostræ contaminationis aliena.* Igitur tot titulis Christus ab omni peccato immunis, merito potuit in medio Judæorum inclamare: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Num. 19.

Ser. 3. de Pass. vit.

Christi innocentiam ejus inimici attestantur.

Quapropter, ne quis postmodum attenta ejus cum sceleratis crucifixione, eum alicui noxæ obnoxium, alicujusque peccati reum argueret, voluit Deus ante passionem, in ipsa passione, post passionem, innocentiæ ejus testimonia plurima pronuntiari etiam ab inimicis, in confusionem Judæorum. An non ipsa dæmonia ei dant testimonium, ante passionem inclamantia. *Scimus quod sis sanctus Dei?* An non & Caiphas prophetans, non à se, sed à Spiritu Sancto dicit; *Expedit unum hominem mori pro populo?* An non Judas in passione pronuntiat; *Peccavi tradens sanguinem justum?* An non ipse Pilatus diserte verbis dixit: *Innocens ego sum à sanguine justi hujus?* An non latro de cruce clamat. *Hic nihil mali gessit?* An non post passionem Centurio & alii percutiunt pectora sua, dicentes: *Vere filius Dei erat iste?* An non inanimes creaturæ Christi innocentiæ testimonium perhibent in ejus morte? Solis obscuritas, veli fractio, terræ tremor, sepulchrorum apertio, petrarum fissio, quid aliud sunt, quam testimonia ejus innocentiæ? Ergo in cruce etiã posset inter sceleratos deputatus Christus inclamare: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nemo utique poterat, nisi Pater ejus æternus, qui percussit eum, & attrivit propter scelera populi, quæ in se susceperat expianda. Sine peccato est victima, pro peccatis tamen est victima: & ideo Christus agnus sine macula in sanguine suo luit & abluit ea. Audi: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Non noverat peccatum in seipso, noverat autem in nobis: & ideo ut illud aboleret factus est peccatum, id est hostia pro peccato, suscipiens in se peccata nostra: & factus est peccatum, id est peccator quo ad pœnam, ut nos efficeremur per ipsum justitia Dei quo ad gratiam; id est justi apud Deum & in gratiam ejus recepti.

Luc. 4.

Joan. 11.

Matt. 27

Luc. 23.

Joan. 8.

2. Cor. 5.

PARS II.
Peccatis obnoxii quid habeant timere.

SOlus Christus potest pronunciare: Quis me arguet de peccato? Cæteri homines etiam sancti dicunt: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Quis gloriabitur se castum habere cor, nisi testimonium ei det scrutator cordis: Si in Angelis suis reperit pravitatem, & qui serviunt ei non sunt stabiles, quanto magis hi qui habitant domos luteas? *Si fuerint tamquam mundissima manus mea, tamen sordibus intinges me,* dicebat Job, cum Dominus sibi præsentata adultera scriberet in terra, & diceret: *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat,* revocans unumquemque ad suam conscientiam; tunc exiverunt Scribæ & Pharisæi unus post alterum cum confusione. Nemo ergò dicat: *Quis arguet me de peccato?* Etenim à multis potest argui & confundi, qui hoc præsumit dicere.

Joan. 8.

Primus quidem, qui potest quemlibet arguere, Deus est, qui dicit peccatori per Psalmistam: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam,* ut teipsum agnoscas & humilieris in peccatis, defectibus, imperfectionibus tuis. Dicat ergo cum humilitate quilibet Deo: *Domine ne in furore tuo arguas me, miserere quoniam infirmus sum.* Immo providus futurorum dicat unusquisque sibi cum firma resolutione: *Stabo super custodiam meam, figam gradum super muntionem meam, & videbo quid respondeam ad arguentem me.* Arguet enim non solum peccata externi operis, sed etiam peccata occulta cordis & internæ cogitationis: arguet non solum peccata commissionis, sed etiam omissionis; arguet non solum peccata propria, sed & aliena, quibus participare censemur, dum ea non arguimus.

1. *Peccatum arguere potest Deus*

Psal. 6.

Abac. 2.

Secundus judex & testis qui nos arguet de peccato, est ipsamet conscientia nostra. Peccatum suum *Cain* excusare conatur & tegere, dum interrogatur à Domino de fratre; sed immittitur ei tantus conscientiæ tremor, ut nulla ei ullibi quies foret. Semper ei circumferebat testem continuo arguentem se, quia Dominum prius arguentem audire noluerat, dum ei diceretur jam concepta invidia: *Cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies?* Conscientia igitur testis est irrefragabilis, & testis durus post peccatũ, valens plusquã mille testes, nec quisquam ejus increpationem declinare valet. Unde *Malitia tua arguet te, & aversio tua increpabit te. Scito & vide quia malum est, & amarum, reliquisse te Dominum Deum tuum.* In aula Balthasaris nemo erat, qui argueret eum de peccato; at ubi manus apparuit scribens in pariete regio juxta candelabrum pauca verba incognita; mox conscientia arguens Regem tremorem ei intolerabilem incussit, testis durus & irrefragabilis ad arguendum nos nobis incognitus.

2. *Conscientia.*

Gen. 4.

Conscientia testis irrefragabilis.

Jer. 2.

Dan. 5.

Tertius testis & accusator qui nos arguet coram Judice, Satan est; immo & Angelus bonus, cui commissi à Deo sumus. Unicuique enim nostrum dictũ censetur illud. *Ecce ego mitto Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum quem præparavi: observa eum, & audi vocem ejus. Nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, & est nomen meum in illo.* Quapropter quidam ex Sanctis Patribus de quo in vitis Patrum, libr. 7. cap. 44. interrogatus quænam esset quotidie ejus exercitatio, respondit: *Ego Angelum meum assistentem mihi juxta me expecto, & custodio memetipsum.*

3. *Satan. & Angelus custos*

Exod. 23.

Exemp. N. Test.

1. In novo testamento talis fuit Maria Mater Domini, de qua dicitur: *Maria autem conservat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Unde & à filio suo pronunciatur Beata, non solùm quia utero suo cum portaverat, & uberibus lactarat, sed maximè quia verbum Dei audiebat, & custodiebat illud.

Luc. 2.

2. Talis fuit & *Magdalena*, quæ sedebat ad pedes Domini audiens verbum Domini, & cum suavitate tãta excipiebat illud, ut nec ob domesticum ministerium, nec ob sororis murmur posset à Domino avelli, cuius pendebat ab ore. Unde & suæ prædestinationis tunc accepit testimonium, dicente Domino: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

Joan. 8.

I. Peccatorem arguere potest Deus Psal. 6.

Luc. 10.

Abac. 2.

3. Talis fuit & *Eunuchus* ille potens Candacis Reginæ Æthiopum super gazas illius constitutus, qui cum venisset adorare in Ierusalem, revertebatur in curru legens Isaiam Prophetam: cumque instructus fuisset à Philippo, & audisset verbum Dei ex ore eius, gaudens revertebatur per viam suam.

Act. 8.

4. Tales fuerunt & multi, de quibus in Actis, qui cum gaudio excipiebant Verbum Dei, de quibus etiam dicitur: *Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam*; nempe quia ex Deo erant, & de ovibus erant vocem illius cum fide & gaudio excipiebant. Quod si ex Sanctorum historiis etiam exempla optas: Talis erat *S. Ephrem* qui de se ipso dicit: *Amo & exosculor Domine Evangelium tuum, quia me esurientem nutris per illud & desiderio sermones tuos, quia dum sitio, fontis instar mihi fluunt. Nam quoscumque volo, ad tua fercula convoco, pluraque relinquimus quam invenimus; cum multis comedo, & solus invenior; bibo cum multitudine, & soli mihi tuam propinas gratiam.* Talis quoque erat *S. Teresa* quæ de se sic fatetur c. 8. vitæ suæ. *Plurimum afficiebar verbo Dei, ita ut cum audirem quempiam cum spiritu concionantem, particulari affectu in eum ferrer. Sed nec ullus adeo mediocris fuit Concionator, quin lubenter audirem, licet alii fastidirent, & dicerent eum non bene concionari. Erat mihi particularis delectatio de Deo loqui, vel audire, ita ut id peragerem sine satigatione & tædio. Licet verò ex ea parte magnũ solatium perciperem in concionibus: ex altera tamen etiam affligebar, quod per eas intelligerem me longe ab esse ab ea, quam assequi debuissem perfectione, nec talem me esse, qualem oporteret me coram Deo reperiri.* Hæc B. Teresa. Talis quoque fuit S. *Catharina* Senensis, quæ ita divino verbo erat affecta, ut vestigia illorum maxima devotione exoscularetur qui illud annunciant, & per illud animas convertunt. Hæc itaque erant testimonia prædestinationis divinæ in istis piis animabus; quod scilicet ex Deo essent, & ex ovibus eius, quandoquidem avidè sitiebant verbum ipsius, audiebant, custodiebant. *Quærit anima verbum*, inquit Bernard. sermon 85. in cant. *cui consentias ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitar ad virtutem: quo refermetur ad sapientiam, cui conformetur ad decorem, quo fruatur ad jucunditatem.*

B. Ephrẽ in Margarita pretiosa.

Conscientia testis irrefragabilis.

Ier. 2. Dan. 5.

Gen. 4.

Cõscientia testis irrefragabilis.

2.

3. Satan. & Angelus custos Exod. 23.

Non ergo sufficit audire verbum, aut custodire memoria, sed etiam illi obedire oportet, & illud custodire pia vita. Non enim pauci sunt qui audiunt, sed pauci sunt qui audiendo proficiunt, aut emendatiores fiunt. Verbo Dei multi præbent aures corporis, non ita multi aures cordis. Sunt qui audiunt ex curiositate; sunt qui ex consuetudine; sunt etiam alii qui audiunt, ut doctiores fiant, non ut meliores evadant. Hi omnes cum parum affectus afferant monitis excipiendis & exequendis, licet lubenter audiant, non tamen ex Deo esse dicuntur, quia verbum Dei non ut Dei audiunt: & licet aures videantur habere, manibus censentur carere dum audiunt, & non faciunt. Sicut surite signum est valetudinis in corpore, sic divina amare eloquia signũ est sanitatis in mente, inquit S. Chrysost. hom. 14. in Gen. Sed sicut non juvat comedere, si digestio cibi non fiat; ita Dei verbum audire parum proficit, si mens in ordine ad operationem illud non masticat & digerit. Sunt denique nonnulli qui pravitate sua Dei verbum convertunt in venenum, instar aranearum qui ex floribus virus sũ trahunt, cum tamen apes inde dulcissima sugant mella, & ex illis medicamenta confici possint variis morbis profutura. Tales sunt illi qui frendent in verbis Prædicatores, quia vitia eorum tangunt, & errores redarguunt. De horum numero sunt Pharisæi in hoc Evangelio, qui ex monitis Christi haud fructum fecerunt, sed calumniis & injuriis eum affecerunt: *Nonne bene dicimus, quia Samaritanus es, & dæmonium habes?* Postmodum etiam lapides tulerunt ut jacerent in eum. Signum utique apertum reprobi animi est contemptus divini verbi. Quid dico contemptus? Imò gravis negligentia & fastidium, huius rei est signum. Hoc illi advertant, qui dum verbi divini cibus in Ecclesia proponitur, malunt hærere inter fercula & pocula in cauponis, aut alea, & tesseras movere, aut tempus ambulando fallere, aut somno indulgere, aut vel natu agros peregrinare. Sic parvipenduntur sermones Dei, & tædio sunt his qui ex Deo non sunt, nec de ovibus eius sunt.

Diversitas audientium verbum Dei.

Similes.

2. Tim. 2.

SEcundum electionis signum, est odisse peccatum, & si per fragilitatem in illud quis incident, mox refugere. Nempe sicut Christus ab omni peccato remotissimus fuit, ita ut posset dicere: *Quis arguet me de peccato?* sic & hi sunt Iesu Christi, qui peccatum oderunt, & quo ad possunt, à peccato se segregant. Cum enim divinæ adversetur bonitati & majestati tamquam hostis capitalis, nullum sibi cum illo commercium, nullum fœdus admittunt qui ex Deo sunt. Quo circa Apost: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc; Cognovit Dominus qui sunt eius: Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Firmum Dei fundamentum est Dei decretum, & prædestinatio, qua statuit suos vocare, justificare, glorificare.

Hoc autem decretum prædestinationis, immò ipsos prædestinatos, duobus sigillis notavit & munivit Deus. Primum sigillum est divinæ præscientiæ, quo notantur antequam in hanc lucem mundi edantur, quod istis verbis significatur: *Cognovit Dominus qui sunt eius.* Alterum sigillum est fuga peccati, quod illis verbis significatur: *Discedat ab iniquitate qui nominat nomen Domini:* Nam à peccato abhorrere, & illius occasiones declinare est magnum prædestinationis argumentum. Timor itaque filialis signaculum quoddam est & nota filiorum Dei abæterno electorum, quo detestantur offensam Patris amantissimi, & promptos se exhibent ad executionem voluntatis eius. Unde dicere possunt cum Propheta: *Iniquitatem odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.* Et iterum: *Deus meus volui legem tuam in medio cordis mei.* Quasi dicat. In corde meo abscondi eam, in eius meditatione reposui, ut non peccem tibi; quia nihil ita vereor, ac gratiam & benevolentiam tanti Patris perdere, quæ omni mihi pretiosior est thesauro: nihil mihi magis cordi, quam eius adimplere voluntatem obedientia filiali. Hoc qui dicere potest, testimonium habet electionis suæ. Ps. 118. Psal. 39.

Certè viri pii divinæ electionis signaculum istud sic in se inviolatum custodire conati sunt, ut nihil ita horruerint ac peccatum, sciens inter omnia incommoda, omniaque mala pœnalia quæ à mundi creatione fuerunt usque nunc, etiam coniuncta omnibus pœnis alterius vitæ quas damnati perferunt, si in bilance ex una parte ponerentur, & ex altera parte peccatum collocaretur, non esse comparationem: quia peccatum longè maius malum sit, dignisque fuga & detestatione. Ideo tot Martyres tam horribilia passi sunt tormenta, excoriati, exusti, in frusta cæsi, aliisque modis indignissimis torti: quæ quidem tormenta evitare poterant, si vel dissimulare voluissent fidem suam, cuius rei poterant postmodum pœnitere: sed ita horruerunt peccatum, ut ne momento extra gratiam Dei esse voluerint.

Sancti nihil præter peccatum timuerunt.

Cum *Eudoxia* Imperatrix per suos legatos minas & terrores S. Chrysostomo intentaret, eo quod eius iniquis cupiditatibus se opponeret, responsum est ei à suis, quos miserat, legatis: *Frustrà illum hominem terres. Nihil nisi peccatum timet.* Quod ipse apertè ostendit, cum è Constantinopolitana urbe ejiceretur ab Eudoxia. Unde ad Cyriacum sic scribit. *Equidem eum urbe exigerer, nihil horum curavi sed ita mecum locutus sum. Si me vult Imperatrix proscribere, proscribat. Domini est terra & plenitudo eius. Si serræ discindere volet, discindat. Isaiam habeo exemplum. Si me in mare vult proicere. Ionæ reminiscar. Si in caminum ignis vult conjicere, tres iuvenes habeo qui id pertulerunt. Si me bestiis vult obiicere, Danielis meminero. Si me vult lapidare Stephanum habeo Protomartyrem. Si caput vult auferre, Ioannem habeo Baptistam. Si substantiam vult* Psal. 23

adimere: Nudus egressus sum de ventre matris meæ, nudus revertar illuc. Exhortatur me Apostolus, Personam hominis Deus non recipit. Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Et me David arguit dicens: Loquebar in conspectu Regum, & non confundebar. Hæc S. Chrysostomus ostendens se nihil aliud timere præter peccatum, seque testimonium electorum Dei in se habere. Iob. 1.

S. Edmundus solitus fuit dicere. *Malo insilire in regum ardentissimum, quàm peccatum ullum sciens in Deum meum admittere.* Sic & S. Ludovicus Rex Gallorum ab ineunte ætate ex Blanchæ matris institutione persuasum habebat, *potius mori quam peccare.* Nã & mater frequenter ei illud repetebat: se malle ipsius videre mortem, i. cer amantissimi filii, quam peccatum ab ipso grave in Dei iniuriam unquam admissum cernere. Surius in vita eius c. 29.

S. Anselmus Cantuar. in Archiep. sic pronunciabat. *Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem cernerem, & necessario eam eorum immergi deberem prius infernum quam peccatum appeterem.* Quod ab ipso dicebat *S. Edmundus.* Sic & in eius quodam opusculo legimus. *Mallem puras & innocens gehennam intrare, quam peccati sordes pollutus cœlorum regna tenere.* An non his & similibus viri illi insti fiat apertum prædestinationis suæ dedere testimonium? Surius in eius vita. Li de beatitudine c 140.

Hoc ipsum in quibusdam non obscurum fuit, qui non solum peccatum mortale exhorruerunt, sed etiam exigua venialia multis lacrymis deplorarunt. Sic de *S. Maria* Ogniaca testatur Cardinalis à Vitriaco in vita eius. Sic *S. Catharina* Sen. per totos tres dies fletum duxit, non ob aliam causam, nisi quod per imprudentiam mendacium nulli noxium dixisset, ut testatur Bozius l. 7. c. 16 & de quodam Zachæo Monacho refertur in vitis Patrum, quod per annum integrum propter unum peccatum venale pœnitentiam duram egerit.

Quod si electi quandoque etiam graviter cadunt statim sine cunctatione solent resurgere, & exinde ferventius, humilius, cautius, se gerere: quod ipsum divinæ electionis est testimonium. Unde S. Bernardus interpretatur illud: *Qui ex Deo natus est, non peccat:* hoc est, *non permanet in peccato, ut perire non possit ea quæ falli non potest cælestis generatio.* Sicut fax nova ter extincta, quæ adhuc odorem retinet ignis misso in altum attacta altetius luminis, vel flatu lo stat. Vix Christus Petrum respexit, radicitus in cor eius iacens, & mor. Illuminatur, inflammatur, liquefit. Illico ubi *Thomas* tetigit vulnera Salvatoris fides & amor revaluit cum hac voce, *Dominus meus & Deus meus.* Mox ubi *Nathan* Davidi peccatum repræsentavit, erupit in validam vocem cõtritionis: *Peccavi Domino.* E contra signum reprobationis est faciliter in peccatum eadere, difficulter resurgere, & cum corvo semper eras, eras 1. Ioan. 3. Ser in o Stava Pascha. Simile. Exempla Ioan. 20. 2. Reg. 12.

inso-

insonare. Deinde inspirationem negligere. Vnde de diabolo sub figura Leviathan scribitur: *Corpus eius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus, una uni coniungitur, & ne spiraculum quidē incedit per eas.* Reprobi sunt de corpore mystico diaboli, hoc est electi de corpore mystico Christi. Vult ergo significare Propheta, quod dæmō & eius impia membra ita in malo sint obfirmata undequaque, ut spiraculo gratiæ divinæ, sive inspirationi sanctæ nullum det locum. Quod ſū quādoque timore concussi emendationis propositum concipere videantur, semper procrastinant, & ad effectum nō deducunt. Sunt verò similes reprobi multi Hæretici in partu crepanti. Solet partus tempore, spinosâ pelle & aculeis prolium vehementer pungi & ideo quantum potest, partum differt, sed fœtu crescente dū patere cogitur, acrius dilania tur & sæpè in partu crepat. Sic dū reprobi cōversionem differunt, augentur aculei peccatorum, & tandem infelici morte mulctantur, quasi præ peccatorum multitudine crepantes.

Iob. 41.

Tertium probab. prædest signum.

TErtium prædestinationis *signum est patienter ferre iniurias, calumnias, persecutiones, & tribulationes.* Hoc Christus Dominus suo exemplo docet in hoc Evangelio, dum provocatus & lacessitus atroci iniuriâ à Iudæis cum Dæmoniacum & Samaritanum ex contemptu vocantibus, mānsuetè respondet ad prius, *Ego dæmonium non habeo.* Cum enim hoc derogaret gloriæ Patris, simplici negatione à se avertit, id nēpe postulabat honor divinus. Ad alterum nō respondet, tolerans patienter contumeliā & contemptū. Nec detrectat Samaritanus vocari, qui ob amorem hominū se Samaritano vulneratum curanti comparavit, & cùm Samaritanus idem sonet quod custos; verè ipse est hominum custos, Ecclesiæ custos, gregis sui custos. *Custodit Dominus animas Sanctorum suorum. Et custodit omnes diligentes se.* Sed & Samaritanos adamabat, quod jā verbū eius excepissent, & primi Evangelio crediturі forent. Interim Judæi eū Samaritanum vocant, ut in odium vocent, quia abominabantur Iudæi Samaritanos. Hic quoque instructio datur à Christo, tacendum quandoque esse, quādo vita nostra taxatur, vel despicitur persona; nō autem tacendum, quando taxatur doctrina. Quando Christus Samaritanus dicitur, videtur taxari vita, vel contemni persona; quando dæmoniacus, videtur tangi doctrina. Sic refert de *B. Agathone* Evagrius, tātæ fuisse humilitatis, ut multi ad eum sola fama excīti venerint; visuri num ita vesē esset, eiusque humilitatem tentatione explo raturi. Hos ille cum humilitate susce pit. Cumque illi narrarēt de ipso multa spargi pessima, quod scelerum plenus foret superbiæ & hypocrisis, iræ, impudicitiæ gulæ, ipse patienter tolerans addebat se mortalium pessimū esse. Cum verò subderent; *Intelleximus etiam quod hæreticus sis*: Mox ipse rupto silentio sunxit. *Hoc absit à me, ut unquam hæreticus sim.* Dū autem inquirerent, cur negaret hæresim, potius quam alia crimina quæ sciebant cum non commisisse; respondit. *Alia peccata infirmitatis sunt, & hominem adhuc Deo per fidem unitū relinquunt. Hæresis verò est mala malitia & pertinacia, omniquē modo nos à Deo divellit, tollens fidem primo vinculo nos Deo ligantem & unientem.*

Luc. 10.

Psal. 90.
Psa. 144.

Itaque, qui Dei sunt & Christi, illum imitātur in mansuetudine & patientia inter injurias & persecutiones & hoc signum est electionis eorū. Vnde S. Greg. hom. 18 in Evang. dicit: *Nemo convitio convitium reddat. Imitatio enim Dei gloriosius est iniuriam tacendo fugere, quam respondendo superare.* Ecce injuriam inquit ibidem. *S. Greg. suscipiens Dominus, non irascitur, non contumeliosa verba respondet; qui si respondere voluisset, Vos dæmonium ipsimet habetis, verum diceret, quia nisi simplici essent dæmonio, tam per versa de Deo loqui non possent. Sed accepta iniuria etiam quod verum erat dicere Veritas noluit, ne non diuisse veritatem, sed provocatus contumeliam reddidisse videretur.* Neque quispiam sibi dedecori ducat, si non respondet convitio; quinimmō hoc prudentiæ adscribendum est, & gloriæ. Nam pusillanimi est animi cauis allatru moveri; illum contemnere & pertranſire prudentis est. Sic dicit S. Amb. Offic. l. 1. cap. 6 *Qui citò movetur iniuria, facit se dignum videri contumelia, dum vult indignus videri.* Cui consonat illud Sapientis, *Doctrina viri per patientiam nescitur, & gloria est iniqua pertransire.* Quasi dicat. Is hoc cognoscitur vir prudens & intelligens, quia patienter fert & silet; eiq; iniurias iniquas leviter pertranſire, nec velle advertere, gloria est, non dedecus. Quapropter dicebat Psaltes: *Posui ori meo custodiam, cum insisteret peccator adversum me.* Quibus verbis indicat tunc maximè opus esse custodia oris nostri, cùm quispiam adversum nos insurgens eiaculatur convitia: si enim patientia clave suâ nobis os obfirmet, sit ut nos parum meritis accumulemus vincendo in bono malum. Quod si impatienter respōdeamus, tunc à malo vincimur, & similes convitianti efficimur; ita ut duo iā mali fiant, cùm prius unus solus foret. Immō & malum convitiantis augetur, quia responso acerbo maioris iræ & maledicentiæ ei materia præbetur, quasi ligna in ignem eius jaciendo, vel oleum flammæ adjiciendo; cùm per patientiam extingui posset flamma, & frangi vel sanari maledicentia.

Convitiū convitio non reddendum.

Prov. 19.

Psal. 38.

Omnis igitur Christianus, qui verè Christianus est, maledicta per patientiam debet vel contemnere, vel tolerare. Tum ut per hoc ædificet proximum, & quantumsin se est, corrigat maledicum, qui magis commiseratione dignus est, quam talione. Tum ne lædat seipsum, rependendo convitium, & perturbando per impatientiam tranquillum antea animum. Tum ut augeat virtutis & charitatis meritum, occasione tunc sibi exhibita per convivitum. Tunc denique ut Christo Redemptori sese conformet: *Qui cum male-*

Maledicta per patientiā vel contemnenda, vel tolerāda.
1.
2.
3.

4. 1.Pet.2. *dicebatur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur,* Hæc omnia explicans S.Aug. & huic rei applicans tẽpestatẽ & fluctus, qui Christo dormiente in navicula exsurrexerunt, sic Christianum omnem admonet: Audisti convitium? Ventus est. tratus es? Fluctus est. Vento igitur flante, fluctu surgente, periclitatur navis, periclitatur cor tuũ. Audito cõvitio vindicari vis? Ecce vindicando te, fecisti naufragium. Et quare hoc? Quia dormit in te Christus, & oblitus es Christũ. Excita Christũ, & recordare quod crucifigendus dixit, Pater ignosce illis. Si vigilat in te Christus, dices apud te: Qualis ego sũ, qui vindicari volo? Forsan moriar ego qui comminor, antequã vindicer, & nõ me susciperit qui noluit vindicari. Ergo compescã iram, & redibo ad quietem cordis. Imperavit Christus mari, & facta est tranquillitas. Hæc S.Augu Conformitas ergo cũ Christo in ferendis injuriis magnũ est testimonium divinæ electionis, quando-

Matt.5. quidem dixerit: *Beati estis cum maledixerint vobis homines, mentientes propter me.* Et iterum: *Nõ est discipulus super magistrum. Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos eius?* De-

Matt.10. nique ab eodem dictum est: *Orate pro calumniantibus & persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri.* An non ex istis omnibus Salvatoris dictis, satis apertè colligitur istud divinæ prædestinationis sigillum? Nemo torque aureâ collo inserâ tã certò se nobilem probat, quàm certò quis se Dei Filium esse demonstrat verâ & invictâ patientiâ injuriis & tribulationibus. Certe omnes electi hanc inde demonstrarunt, & per illam se verè Dei Filios comprobarunt. Vis ut exemplis id declarem? Nõ

Exempla maledicta patienter ferentiũ. desunt magno numero, tum in antiquo, tum in novo testamento, tum etiam in Ecclesiasticis Historiis. Sed pauca tibi rememoro.

1. 2.Reg.16. *Primò* inspice David. Quem cum Semei convitiis insectaretur, & Abisai hanc injuriam ulcisci pararet, noluit Rex, sed respondit: *Dimitte eum ut maledicat, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna.* Si oculos in Deum conjiciens David generosa cum patientia, expectat à Deo benedictionem pro maledictione ista.

2. 1.Cor.4. *Secundò* audi S.Paulum. *Maledicimur & benedicimus: persecutionẽ patimur & sustinemus. blasphemamur & obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc.* Quasi dicat & opprobriis & conviciis afficimur, magi & malefici vocamur; aliisque maledictis oneramur? & tamen è contrà nos illis benè precamur, & homiliter, & demissè loquimur more obsecrantium. Tamquam exercmenta, fæces & sordes evertimur & ejicimur; quia habemur tamquã contemptissimi, abjectissimi, indigni hominum consortio, & tamquam peripsema, id est, tamquã abjectæ scrobes; tamenta, resque vilissimæ, pedibus hominum conculcamur; & in his omnibus Deum benedicimus, à quo & benedictionem expectamus; sicque per hoc ejus discipuli, ejus filii comprobamur.

Tertiò audi de *S.Lyduina.* Venit ad eam mulier fremens furensque, imò inauneris eam injuriis & cõtumeliis lacessens, ut ejus posset animum commovere. Sed cum hac ratione nihil efficerer, in faciem ejus expuit fædissimè. At nec sic eã sentiens permoveri, clamoribus & maledictis tamquã vim passa vicinos incitare cæpit. At sancta Virgo in patientia animã possidens, adeo immota permansit, ut omnes miratentur. Maleficiũ verò compensare volens beneficio, clam ei manusculum transmisit, dicebatque suis: *Illis ego debere me fateor, qui viam mandatorum Dei, quorum plenitudo est dilectio, me currere compellunt.* Hæc ex vita ejus apud Surium tom.2. parte 2. cap.1. Non absimili modo

4. respondit S.Bernardinus, qui cùm adhuc juvenis à Superiore Conventus ad eleemosynas per urbẽ Senensem colligendas mitteretur, à pueris dissolutis verbis injuriosis, & quandoque etiam lapidibus impetebatur: cumque socius eius multum commovetur, ipse è contrà facie hilari & lætã omnia excipiebat, & socio dicebat: *Sine Frater eos quod voluerint in nos agere, ipsi enim adiuvant nos ad Regnum Cœlorum consequendum per viam patientiæ.*

Postremò audi de quodam ex antiquis Patribus. 5. Hic cum Christi fidẽ annuncians exagitaretur injuriis ab infidelibus Alexandrinis, & interrogaretur ab illis quæ Christus miracula fecisset? Non aliud respondit: *Hoc miraculum fecit, quod ego cõvitiis & injuriis vestris lacessitus, ad indignationem nihil commovear.* Concludamus igitur cum S. Basilio in admonitione ad filium spiritualem sic nos exhortante. *Fili patientiam arripe, quia maxima virtus animæ, ut velociter ad sublimitatem perfectionis possis ascendere. Retributionem patientiæ tuæ ne quæras ab homine, ut in futuro possis accipere à Domino æternam retributionem.*

QVarum prædestinationis signũ est quærere gloriam Dei & suam vera humilitate contemnere. Hoc indicat hic Christus dicens: *Ego non quæro gloriam meam, sed honorifico Patrem meum.* Sicut ergo naturalis filius Dei ad hoc venit in mũdum ut Patris gloriam promoveret, ut ejus majestatem, potentiam, sapientiam, bonitatẽ hominibus manifestaret: ita qui electi sunt, tãquam adoptivi filii Dei illum conantur imitari, in hoc unice incumbunt ut ab omnibus cognoscatur, colatur, glorificetur Deus & Pater D.N.J.Christi Patris omnium. Hinc non solum sanctis operibus, pietatis, humilitatis, charitatis, aliarumque virtutum eum glorificare nituntur; sed etiam quoscumque possunt ad Deũ adducunt, vel reducunt, piis monitis, instructione, correctione, exhortatione & aliis modis juxta statum suum sibi congrui. Hæc vero omnia peragunt zelo divinæ gloriæ non propriæ: Æmulatores[que] adeo sunt honoris [illegible] ni, ut cum ille offenditur, ipsi crucientur, ita

[illegible]

proborum vita cordibus eorum dolore incentiat, & oculis lacrymas excutiat. Sic dicere possunt cũ
Psal. 118. Propheta: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*; impii scilicet & peccatores, de quibus iterum dicit: *Vidi prævaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Sicut ergo non potest divinæ amicitiæ esse particeps, cui ea placent quæ Deo displicent, & iis appetit delectari, quibus eum novit offendi, ut loquitur S. Leo: sic nõ potest divini amoris, divinæque electionis exors esse, cui divinus honor maxime cordi est & curæ: qui in se & aliis odit iniquitatem, quia divinam in hominibus adamat bonitatẽ: qui omnes quantũ in se est, à peccatis evocare nititur, & ad divini amoris secum transferre
Apoc. 21. consortiũ, ut Deus in omnibus glorificetur. Vnde S. Greg. hom. 6. in Evãgelia (explicans illud Apoc. *Spiritus & Sponsa dicunt; Veni: Et qui audit, dicat. Veni: Et qui sitit, veniat: Et qui vult accipiat aquam vitæ gratis*) sic loquitur, sicque omnes monet. *In quantum vos profeciſſe putatis, vobiſcum alios trahite, in via Domini ſocios habere deſiderate. Si ad Deũ tenditis, curate ne ſoli veniatis. In Apocalypſi dicitur: Qui audit, dicat, Veniat: qui iam in corde vocem ſuperni amoris acceperit, foris etiam proximis vocem exhortationis reddat.* Et fortè panem ut indigenti porrigat, non habet, sed magis est quod tribuere valeat, qui linguã habet. Plus enim est verbi pabulo victuram in æternum animam reficere, quã ventrẽ morituræ carnis terreno pane satiare. Hæc S. Gregorius. Sic practicabat ipse, sic & faciunt omnes electi, juxta mensuram spiritus, & talenti sibi à Deo concrediti, promoventes amorem & gloriam Dei, indolentes ubi eam vident contemni, vel negligi, exultantes ubi eam cernunt feliciter propagari.

In vita Domini ſocii deſiderandi.

Exempla Sic de se dicebat S. Aug. *In illius divinæ bonitatis & pulchritudinis amore non ſolum non in video cæteros, ſed etiam quæro qui mecum appetant, mecum inhiant, mecum teneant, mecũ perfruantur: tanto mihi amatitiores futuri, quanto erit nobis amata communior.* Prorsus *tales quærit illa cuius vere caſta eſt, & ſine ulla contaminatione coniunctio.* Sic S. Franciscus, cum SS. Fratrũ suorum per orbẽ distantium odorifera fama multos audiret ad viam veritatis induci, ex taliũ auditu exultabat in spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis. Fratres illos accumulans, qui verbo & opere ad Christi amorem peccatores inducerent, ut scribit S. Bonavent. cap. 8. vitæ eius. Non quærebat gloriam suã, aut Ordinis sui, sed gloriam Patris æterni, in qua exultabat in spiritu, imitans Iesum Filium Dei, ad quem cum rediret discipuli exhilaratus spiri
Matt. 11. tu dixit: *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à Sapientibus, & revelaſti ea parvulis*; id est, gratias tibi ago, quia mysteria Regni cœlestis abscõdens superbis, humilibus & simplicibus ea communicas, & gloriam tuam secundum beneplacitum tuum propagas feliciter.

Sic S. Jacoponus Ordinis S. Francisci laicus, tãto divinæ gloriæ amore erat incensus, ut cor eius liquesceret, & in lacrymas solveretur. Cum verò jugiter fleret, & causam interrogaretur, hanc dedit: *Quia amor non amatur.*

Sic S. Ignatius divinam gloriam procurabat, sua neglecta, ut ipsi pro symbolo facto, & pro elogio nobilitatis adscriptũ fuerit; *Ad maiorem Dei gloriam.* Quodam die hanc proponebat quæstionẽ P. Jacobo Laynes: *Si Deus daret tibi optionem, vel ſtatim eundi ad cœlum, vel manendi in hac vita cũ dubio ſalutis, eſtenderetque tamẽ te in hac vita obſequiũ aliquod egregium ipſi poſſe præſtare, quid eligeres.* Respondit Laynes: *Eligerem ire ad cœlum, & meam aſſecurare ſalutem.* At verò Ignatius respondit: *Ego eligerem manere in hac vita, ut poſſem Dei explere deſiderium. & obſequium cupitum ei præſtare: non enim dubito quin curam ſalutis meæ foret habiturus, nec permiſſurus, ut electio illa facta ad eius gloriam, mihi fraudi foret.* Poterat ergo Ignatius dicere: *Ego honorificio Patrem meum: non quæro gloriam meam, eſt qui quærat & iudicet.*

Sic denique etiã in sexu muliebri multæ Virgines electionis suæ & prædestinationis testimonium exhibuerunt, pure quærentes gloriam Dei magno fervore, suamque contemnentes. Admirabilia sunt, quæ hac de re legũtur in vita S. Teresæ, S. Catharinæ Senensis, S. Catharinæ Genuensis, & aliis. Audi pro conclusione quæ de Sancta Gertrude legimus, *lib. 1. Inſinuationum divinæ pietatis cap. 8.* Zelus gloriæ divinæ & salutis animarũ, ita cor eius accenderat, ut ubicumq; in proximo advertisset defectum, quẽ corrigi desideraret, si desiderio suo frustraretur (eo quod forte is qui monebatur; conatum non adhiberet ad emendationem) hòc adeo eius cor gravabat, ut consolari nõ posset, nisi oratione ad Deũ fusa pro talibus; vel si sciret alium huic negotio idoneum, nisi per illum rem ad effectum perduxisset. S. quando, ut hominũ est consuetudo, eam quis consolari volens, diceret: *Noli curare adeo anxie ſi quis ſeipſũ nolit corrigere, quia ſuam laturus eſt damnationem; tu autẽ nihil detrimenti ſubitura.* Hæc verba tanto audiebat, rettractabatq; dolore, ut non secus ac gladium penetrantẽ sentire videretur. Aiebat enim se mortem suavius ferre, quam hoc modo super cuiuspiã consolari infelicitate, quam ille tunc primum misera experientia disceret, quando post mortem irremediabiliter in supplicium æternum incidisset. Sed tanto desiderio pietatis & gratiã sapientiæ cõveniebat, illũ qui arguendus erat, ut vix tam duri cordis quispiã repertiretur, qui per eius verba non moveretur ad statum correctiorem, vel saltẽ ad emendandi desiderium & voluntatẽ; quia & linguam ante in sanguine dilecti sui tinxerat, quam in corde scriberet alieno. Hæc ibi c. 7. & 8.

Sic S. *Christina* Mirabilis defuncta & deducta ad Purgatorium videns horrendas pœnas animarũ, optionem hanc accepit à Deo: *Optionem tibi ſer-*

vel nunc permanere mecum in gloria, vel redire ad terras, & harum animarum pœnas luere exemplisq; pœnitentiæ tuæ facere, ut homines ad me convertantur, & postmodum ad me reverti. Eligit ante ille reverti ad corpus, & admirabiles subiit pro animabus pœnitentias. Ita Surius vitæ eius c. 23. Iunii. Sic non quærebat ipsa gloriam suam, sed honorem Patris.

ex parte animalium, quibus insedit. Zach. 9.

Conclusio.

HÆc itaque sunt quatuor potissima prædestinationis signa, quæ ex hoc Evangelio colliguntur; & unusquisque ea tamquam quotidianũ speculum potest ante oculos ponere, diligenterque considerare, an in se omnia illa vel aliqua reperiat, ut probabiliter possit conijcere, an nomen suum scriptũ sit in libro Mortis, an in libro Vitæ. Hoc enim solum gaudium parit? imò solũ gaudium nostrum in hoc esse debet, quod nomina nostra scripta sunt in cœlis, inquit Dominus discipulis suis. Id ergo maxime debet nobis esse curæ? quia qui non fuerit inventus in libro vitæ, mittetur in stagnum ignis ardentis: nec inter oves numerabitur à dextris, sed inter hircos à sinistris: nec inter benedictos Patris recensebitur, sed inter maledictos cum diabolo & Angelis eius à facie Dei in æternum projicetur.

Fac Domine, hanc semper nobiscum misericordiam, hanc nobis impertire gratiam, ut verba tua auribus cordis excipiamus, & illis prompte obediamus, vocemque tuam tamquam oves audiamus, sequamur, obsequamur. Fac ut peccatorum odiamus & execremur, tamquam bonitati tuæ adversum, & si per fragilitatem peccaverimus, da gratiam ut non inhæreamus, sed mox exurgamus, & ferventer culpas deflemus. Da nobis in tribulationibus & adversis, in injuriis & contumeliis patientiam & constantiam, ut vincamus in bono malum, nec superemur à malis. Da zelum gloriæ tuæ, & contemptum gloriæ nostræ, ut nonnisi te quæramus; & nos ipsos tamquam fervos inutiles semper humiliemus. Sic sperabimus inter electos tuos tandem recenseri; quos ab æterno in libro tuo conscripsisti; & his electionis & prædestinationis signis animati, ferventius tibi serviemus; exultantes in te qui es gloria nostra nunc fide & spe, postmodum in re & specie.

Lect. 15. In 4. partes divisa. De celebritate triumphi Christi.

DOMINICA PALMARUM.

Turbæ quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant. Matth. 21.

CHristi Domini triumphus in Ierusalem sub Evangelista descriptus vilis apparebit & contemptibilis, si spectetur solum oculis corporis: illustris porro est & sublimis, si cõtemplemur & introspiciamus illum oculis cordis. Nempe Christus qui ab initio solitus est cõjungere summa infimis, cœlum terræ, divinitatem humanitati, majestatẽ vilitati, gaudium lacrymis, gloriam ignominiæ, vitam morti: etiam in hoc triumpho humilitatem sublimitati sociavit, dolorem gaudio commisit, inopiam gloriæ confœderavit: *Ecce Rex tuus venit tibi ipse pauper & ascendens super asinam, & pullum filium asinæ.* In hoc triumpho vehitur asina & asello, quid vilius? Pueri & turbæ occurrũt ei, non Primores, non Optimates, qualis ergo triumphus? Potius popularis est tumultus. Non aulæa, aut tapetes pretiosi ei apparantur, non alia triumphatorum insignia; sed viles in via vestes prosternuntur, quid contemptibilius? Ad hoc ram forsan unam acclamatio populatis perdurat; Theatralis Rex videtur & scenicus. Rex unius horæ: quid magis irrisione dignum? In medio acclamantis turbæ amare flere cœpit, quid triumpho cum lacrymis? Non ei vel modium cibi potusve esurienti & sitienti proponitur, ita ut cogatur ejus vitate egredi impransus? quid pauperius? Nihil ergo hic magnificum, nihil illustre; omnia sunt popularia & vilia, ludibrio potius quã triumpho similiora, si extrinsecus solum consideretur, & juxta hujus sæculi fastum examinentur. Verum si in veritatis lance singula expendantur, si inspiciãtur oculo fidei, quæ in ipsis latent mysteria, omnia invenientur magnifica, omnia sublimia, omnia illustria.

Christus insedit asinæ & pullo.

Primo quidem solemnis fuit hic Christi ingressus, etiam ex parte animalis quo vehitur, quia in illo multa mysteria indicantur. Nec enim Prophetæ Zacharias specialiter illius mentionem longe antea fecisset, nisi hic mysterium latuisset: Ecce, inquit, *Rex tuus, ascendens super asinam & pullum asinæ.* Ipse super utrumque sedit, sed successive, ut hic Propheta significat cum Evangelista. Et turbæ utrique vestimenta imposuerunt, & eum super eos sedere fecerunt, ut legunt Biblia Romana. Aliqui existimant tantum sedisse super pullum asinæ, ut habent alii Evangelistæ: & ideo cum dicitur sedisse super asinum & super pullum asinæ, dicunt illud & idem significare quod *id est*: Quasi dicas; sedit super asinum, id est super pullum filium asinæ. Sed verisimilius est successive Christum utrique insedisse ob mysterium. Asina enim subjugalis significabat populum Iudæorum, qui tolerabat iugum legis veteris: Pullus autem Gentiles indomitos qui nullius legis jugũ culerant, nulli colla submiserant, cum 30 Deorum millia colerent, & pro libito vivebant. Utrumque autem populum sibi per Evangelium subjicere debebat Christus, utrumque ad se adducere, & in cœlestem Ierusalem introducere, ut explicat S. *Cyrillus in c.* 12. Ioann. Multis autem vinculis populus uterque alligatus erat, vinculis scilicet ignorantiæ, vinculisque peccati; & ideo iterum non sine mysterio mittuntur discipuli ad dissoluendum hæc animalia, quia hi mittendi erant postmodum ad instructionem ignorantiũ, & ad crimina dissoluendum auctoritate Christi.

Cur asina & pullo Christus usus.

Vnde

Orig. hō. 14. in 21. c. Matth. Triūphus Christi, Cæsarum triūphos excellit.

Vnde & cum hic dicitur misisse duos ex discipulis suis, ut dissolverent Asinam & pullum, *agnosce in mysterio Petrum & Paulum, qui dextras sibi mutuo dederunt sanctitatis, ut Petrus quidem ad inbugalam iret, praedecturus populo Iudaeorum subiugo legis degenti Paulus vero ad Gentes, ad novellum & indomitum pullum*, ut explicat inter antiquos Patres Origenes.

Itaque hoc utrumque animal à Christo electum in isto suo triumpho, celebrius est omnibus aliis ab Imperatoribus ad triumphandum electis. Cæsar triumphans ingressus legitur Romam curru triumphali tracto à quadrigis aut elephantis lichnos ardentes gestantibus. Non absimiliter fecit & Pompeius, cum rediret Africa devictâ, Marci Antonii currum trahebant Leones: Aurelianí autem Imperatoris ducebant cervi, Immò adeo superbia elatus fuit Sesostris Rex Ægypti, ut à quatuor subactis Regibus triumphi sui currum trahi voluerit ambitiosissime. Sed mysteria dictasi attendimus, sublimius est quod in animalibus his à Christo gestum legimus. Audi Cyrillum Hierosolymitanum explicantem illud Prophetæ: *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi. Vbi* sic loquitur. *Multi sunt Reges: de quo ergo hic dicit Propheta; Da nobis signum quod aliis Regibus non habeant; Si dixeris purpuratum Regem, praeoccupata est eiusmodi dignitas. Si dixeris à militibus stipatum, vel in curru bus auratis sedentem; hoc etiam praeoccupatum est. Da nobis signum Regis quem enuntias: Ecce Rex tuus venit tibi, iustus & salvator, ipse pauper, sedens super asinum, Solus Regum Iesus sic sedit, solus sic cum benedictione in Ierusalem est ingressus.* Ita Cyrillus. Nempe sublimior est cæteris Regibus in hac vectura, quæ specie externa contemptibilis videtur, quia per illam debebat superare omnes quadrigas aliorum Regum, & regnum suum stabilire. Vnde mox subditur: *Disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem, dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & potestas eius à mari usque ad mare, & à fluminibus usque ad fines terra.* Promittit Deus Israelitis his verbis: quod Christus Rex eorum asino insidens pauper & mansuetus regnum suum stabilens auferet ab Israele & à Gentibus quadrigas, arcus, bella; pacem asserens, pacem annuntians, per quam tandem dominabitur rota terra & toto mari, Reges sibi subjiciens & regna per Evangelii sui propagationem. Vnde etiam Zach. 6. describuntur quatuor quadrigæ, sive quatuor monarchiæ, quas Christus sibi subiget, quia in Christi regnum omnia alia regna desinunt & Reges omnes prout etiam indicatum est apud Prophetam Dan. 1. Ideo autem per quadrigas designantur monarchiæ & Monarchæ cum suis ducibus & militibus, quia quadrigis solebant uti ad bellandum, ad triumphandum, ad gloriam suam ostentandam. Itaque Prima quadriga habens equos rufos designabat monarchiam Assyriorum & Chaldæorum, quia sanguinarii & cruenti erant, ac vestibus rufis ut solíti, hoc est purpureis & coccineis. *Clypeus eius ignitus, viri exercitus eius in coccineis.* Secunda designabat Parthorum monarchiam, in qua equi nigri, quia ipsi veste pulla usi, & quia multum horroris & mœroris attulerunt Iudæis. Tertia, in qua equi albi, designabat Græcorum Monarchiam, quia veste candida usi soliti, & clementes satis fuere in Iudæos, cum Alexander eorum Rex Iudæorum Pontificem honorarit. Quarta, in qua equi varii, Romanorum Monarchiam designabat, quæ varia fuit in regimine, quod initio fuit monarchicum in Regibus, postea aristocraticum in Consulibus, ulterius in Tribunis plebis democraticum, rursus in Imperatoribus monarchicum. Idem constabat ex variis ingeniis, variaque genera nam alii fuere Itali, alii Hispani, alii Galli, alii Græci. Has interim omnes quadrigas cum suis sessoribus Christus superaturus venerat, & sibi subacturus, humilitate, mansuetudine, pauper-

Nach. 2.

tate, patientia: ideo insidet animali contemptibili, rudi, & patienti. Quod iterum præsignatum fuit in facto Sampsonis, qui mandibula asini mille hostes stravit in agro, & ex illa fontem manare fecit de molari dente, sitimque suam explevit. Dicit enim B. Prosper, *per id significari victoriam Christi de mundo per simplicitatem & ignorantiam discipulorum reportatam, de qua quidem iam triumphus praecedit discipulus ipsius inclamantibus cum caeteris de turba, Osanna filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Iud. 15.

Addamus ultra, hic etiam mystice significari, dum Christus insidet asinæ, ipsum insidere tamquam rectorem & sessorem animæ humili miti, obedienti, patienti, quæ se totam sessori suo relinquat. Felix qui talis est, quia non potest non esse consors regni eius. Ideo dicebat David, non solum in persona sua, sed etiam in persona omnium justorum: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Nempe iusti humiles divinis alligati præceptis, jumenti instar & asini, norunt jugum & onus portare cum patientia & obedientia, vitæque præsentis itinera ad nutum Dei ducentis & præsidentis pergunt, ut explicat Sanctus Gregorius 10. mor. cap. 15. Propterea etiam quidam ex antiquis illis Eremi Patribus solebat dicere: *Ego & Asinus unum sumus.* B. Drogo Hostiensis Episcopus, Tractatu de Sacramento Dominicæ Passionis, per asinam carnem intelligit, per pullum filium subiuga is spiritum, dicitque Christum super utrumque sedere, quando carnem spiritui subiugat & concordat. Audi eius verba. *Nolí timere filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Qualis est ipse, talem te vult esse: mansuesce iugum eius portare, & ipse sedeat super te asinam tuam, & pullum filium subiugalis. Et quae est haec asina? Ipsa quae caro vocatur.* Et quis est pullus eius? Spiritus & mens. *Quia non prius quod spirituale est, sed quod animale: deinde quod spirituale. Sed & prius Rex mansuetus,*

Asina anima fidelis.

Psal. 72.

In vita Patrum.

Tom. 1. fol. 88. Patrum.

suetus super asinam: postea super pullum. Prius caro domatur, ut iugo fit habilis: deinde nascitur pullus, nutritur, roboratur, ut sessorem suum portare possit. Sedeat super utrumque Rex mansuetus, faciens pacem, ne hac sibi adversentur.

PARS II. *Concurrens turba triumphum Christi auget.*

SEcundò, triumphus hic celebris est ex parte turbæ concurrentis, si attente consideretur. Nec enim sine mysterio quidam præcedebant, quidam comitabantur, quidam sequebantur. Neque etiam sine mysterio quidam sternunt vestimenta super asinum, alii in via, alii palmas & olivas manibus deferunt. In primis, hi qui de turba præcedunt Christum ingredientem in Ierusalem, designant Patriarchas & Prophetas qui Christum præcesserunt. In his qui comitantur, Apostoli & discipuli, illique omnes designantur, qui Christum in carne viderunt, fuerunt que auditores laborum eius, socii laborum eius. In his qui sequuntur, cæteri sancti usque in finem sæculi secuturi indicantur. Omnes hi sive præcedentes, sive comitantes, sive sequentes, respiciunt in Christum ut Regem, ut gratiæ & gloriæ Auctorem, Mediatorem & Salvatorem priorum & posteriorum, ut principium, medium, finem, ut centrum & objectum omnium desideriorum, sive, ut loquitur Propheta, ut *Desiderium collium æternorum*; denique ut Triumphatorem mortis & inferni. Sine fide in Christum, vel explicitâ, vel implicitâ nemo salutem assequitur ab initio sæculi in finem usque.

Vestimenta Regibus substernuntur.

Ulterius, fides ista & devotio erga Christum à quibusdam demonstratur sternendo vestes super asinum, ut sedeat desuper, ab aliis sternendo illas in via, à quibusdam quoque cædendo ramos de arboribus, palmasque & olivas deferendo. Etenim vestimenta sternere, honorem erat quasi Regi suo exhibere. Sic cum Elizæus misisset quendam ex filiis Prophetarum ad Iehu, ut ungeret eum Regem secretò, sicque domus Achab deleretur, mox ut socii eius id intellexerunt, illicò *unusquisque tollens pallium suum, posuit sub pedibus eius in modum tribunalis, & cecinerunt tuba inclamantes: Vivat Iehu.* Olivarum vero ramos dum deferunt (eum oliva sit misericordiæ & pacis symbolum) illam misericordiam, pacemque se à Christo pacis Principe expectare indicant. Ac ulterius dum exprimit S. Ioannes eos accepisse ramos Palmarum, in manibus eos detulisse significat, non sine mysterio. Palma enim victoriæ symbolum est, tum ex natura arboris, quæ dum premitur, contra onus surgere dicitur, tum quia olim victoribus palma dabatur. Unde visi sunt sancti *amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum*, quo significabatur eos perfectam victoriâ de diabolo & mundo reportasse. Quocirca notant Sancti Patres, quod Christo qui vix dum cæperat bellare, immo qui iam primum se parabat ad bellum, victoria & triumphus decernitur, cum aliis Regibus & Principibus id prius decernatur post bellum. Hoc scilicet ipse sua ordinavit providentia, quia certus erat de victoria, non sic alii ad bellum procedentes, quibus dicitur: *Non glorietur accinctus, sicut discinctus.* Potuit ergo ipse ante victoriam triumphare, hostes infensissimos certò devicturus, peccatum, diabolum infernum. Immò & his ramis voluit non solum Triumphator, sed etiam Deus agnosci. Nam obviam ei procedere cum ramis, erat cæremoniam illam exhibere, quæ soli Deo in festo Tabernaculorum exhibebatur, *Sumetis vobis de primo fructu arboris pulcherrimæ, spathalasque Palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro.* Quinimò & antiqui Dei suis sacrificantes gestabant ramos arborum eis dicatarum. Sic dum sacrificabant Iovi, gestabant æsculum vel quercum, dum Minervæ oleam, dum Veneri myrtum, dum Herculi populum, dum Baccho hederam vel pampinos, dum Sylvano & Diti Cupressum, dum Apollini laurum. Sic & Iosephus lib. 30. cap. 3. docet Iudæos pro gratiarum actione sacrificare solitos manibus gestantes ramos myrti & palmæ, ex quibus mala Persica dependebant, ut significarent cor & linguam Deo esse dicanda. Persicum enim malum frondes habet in linguæ speciem acuminatas, fructus verò in cordis effigiem efformatos. Hebræi ergo impulsu divino Christum quasi Triumphatorum, quasi Messiam & Regem, quasi Deum suum agnoscentes, ramos & palmæ & olivæ deferunt.

Palma victoriæ symbolum.

Apoc. 7.

3. Reg. 10.

Cani Deo præferuntur.

Levit. 23.

Quod ipsum adhuc hodie practicat Ecclesia ad eorum imitationem, sed plenissima fide post Christi & Apostolorum institutionem. Quapropter singuli fideles palmas manibus gestant, tum ut Christum mortis Triumphatorem celebrent, tum ut sub illo tamquam Duce suo immortalitatem & victoriam se adepturos significent. Sperant enim se de turba illa magna censendos, quæ ex omni tribu & lingua & natione redempta stolis candidis vestita est, palmasque manibus deferens, laudem dat Deo sedenti super thronum & Agno, idque in sæcula sæculorum. Palma itaque, symbolum æternitatis & victoriæ, *Sanctis suavis est ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper vestita foliis, semper parata victoriæ: atque ideo non marcescit palma, quia Sanctorum victoria non marcescet*, ut loquitur sanctus Ambrosius Serm. 24. Sed hoc quoque hic animadversione dignum est, quod sicut ingressum Christi in Ierusalem honoraturi quidam imponendo vestimenta super asinam & pullum, ut desuper Iesus sederet, alii straverunt vestimenta in via, ut desuper transiret, aliique ramos de arboribus excidêrunt: sic tres Sanctorum Ordines Christi triumphum exornant. Primi Apostoli, qui prædicatione Evangeli Asinam & Pullum, id est Gentiles & Iudæos præparaverunt, ut super eos sederet Christus, & ut potestati eius essent subditi. Secundi sunt Martyres, qui propria corpora exerunt perlubentissimè, quasi vestimenta quibus anima tegitur, ut Christo & fidei Christianæ viam præpararent. Tertii sunt varii Con-

Palma æternitatis symbolum.

Tres sanctorum ordines triumphum Christi ornant.

1.

2.

3.

Confessores, qui cum paupertate, humilitate, pietate, misericordia, charitate, quasi floridissimis ramis, Christum secuti divinas eius laudes decantarunt. Sed etiam nos omnes possumus illos imitari, si voluerimus expoliare veterem hominem, vestesque nostras sternere in via (hoc est inclinationes, habitudinesque pravas) & illas ad Christi pedes proiicere; si voluerimus ramos palmarum & olivarum gestare, pios affectus in Christum, viridantiaque emendationis proposita eliciendo, amorisque, & aliarum virtutum actus ei offerendo.

S. Gertrudis Christo qualiter occurrerit.

S *Gertrudis* dum Palmarum die sancto in divinæ fruitionis iucunditate suavius delectaretur, dixit ad Dominum: *Dote me amantissime Domine, qualiter tibi amatori meo digne valeã obviare.* Respondit Dominus: *Exhibe mihi iumentum cui insideam, turbam gaudendo obviantem, turbam laudando sequentem, turbam ministrando consequentem.*

Exemplii

Primo, exhibebis mihi jumentum, in contritione cordis confitendo quod sæpius neglexeris rationem sequi, & quod velut jumentum non intendisti singulis quæ pietas mea circa te ad salutem tuam operabatur. Secundo, exhibebis mihi turbam cum gaudio obviantem, suscipiendo me ex affectu totius universitatis in unione amoris illius, quo ego Dominus omnium pro salute totius mundi hodie Ierosolymam adveni, in suppletionem pro omnibus, qui unquam neglexerunt mihi propter hoc dignã laude & gratiarum actione, sive obsequio & amore correspondere. Tertio, exhibe mihi turbam laudando cõsequentem, confitendo quod numquam debito modo exempla perfectissimæ conversationis meæ studuisti imitari, & offerendo mihi tam ferventis affectus voluntatem, quod si posses omnes homines permovere ad imitandum exempla perfectissimæ conversationis meæ perfectissimo modo, in hoc ad laudem meam libentissime elaborares. Orabisque ut detur tibi per veram humilitatem, patientiam, charitatem, quo ad homini possibile est, ardenti me desiderio imitari. Quarto, exhibe mihi turbam ministrando sequentem, confitendo quod numquam debita fidelitate pro defensione veritatis & iustitiæ mihi adstitisti, proponendo & desiderando in omnibus, quæ mihi placuerint, studeas causas justitiæ & veritatis, tam verbis, quam factis promovere? & eandem etiam voluntatem desideres omnibus horis ad laudem meam obtinere. Adjecitque Dominus: Si quis mihi his quatuor modis se exhibuerit, ad ipsum dignanter veniam, & fructum percipiet æternæ salutis. Ita lib. 4. Insinuationum divinæ pietatis, cap. 23.

PARS III.

Vox resonans triumphũ.

TErtio: Celebris est iste ingressus Christi ex parte vocis resonantis in illo, *Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis*, quas voces etiã pueri divino spiritu impulsi norunt re-

Rational. Evang.

sonare per vicos Ierusalem magna cum exultatione. Unde ipsemet Christus frendentibus Pharisæis huius laudis æmulis, respondet adimpleri per eos quod scriptum est. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos.* Inimici enim Christi per istam laudem confusi sunt in illo tunc ingressu; immo & confundentur in perpetuum, quia laus illa resonabit in Ecclesia Dei in æternum contra infideles, & quoslibet Christi persecutores. Ab Angelis itaque laus inchoata in eius nativitate inclamantibus: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, à iustis continuata in templo in eius oblatione, à multis eum sequentibus approbata in decursu prædicationis & vitæ, à pueris perfici censetur appropinquante iam passione. Et quia obscurari & ad nihilum redigi videbitur in eius morte, illis omnibus tacentibus quibus dedit spiritum vitæ, tunc consummabitur & perficietur muto quodam eloquio à creatura insensibili, & non vivente. Hoc est quod dicit Pharisæis comminantibus, nisi silentium indiceret his pueris: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* An non lapides clamasse censentur in eius passione & morte, dum Iudæis blasphemantibus terræ motus fiunt, saxa finduntur, monumenta aperiuntur? An non & Sol ipse, ac Cœlum, templique velum ei testimonium perhibuisse dicenda sunt, & gloriam in excelsis cecinisse, dum impiorum se ausui quodammodo denegant, & Filii Dei morientis potestatem agnoscunt.

Christi adauget.

Psal. 8.

Infantes O anna clamare abstinuerunt pueri sanctiores.

Quod si quæras, an vere infantes lac sugentes illud O Sanna inclamarint? Respondeo, ita quidam Sanctos Patres interpretari simplicissime de vere infantibus & lactentibus: Unde Euthymius in hunc locum sic scribit: *Stupore plenissimum est hoc miraculum; tunc enim Chorus puerorum lactentium clarè locutus est.* Consonat Sanctus Chrysostomus sic dicens: *Potentiam tuam, Deus, & hic maxime ostendisti, quod vires imbelles moveris, & linguam balbutientem & illam gloriosi cationem clavam & expeditam feceris.* Eodem modo Sanctus Basilius eum locum interpretatur. *Nec insolitum omnino Deo per puerorum lactentium linguam oracula quædam proferre.* Sic cum defuncto Auxentio Arianorum Episcopo plebs Mediolanensis consultaret de eligendo altero cuiusdam infantis vox inclamavit, *Ambrosius, Ambrosium Episcopus*; & continuo omnes acquieverunt, & vox erupit populi *Ambrosium Episcopum* deposcentis. Similiter cum ageretur de Episcopo Fesulano eligendo, puer quidam adstans clara voce proclamavit: *Andream Presbyterum elegit Deus, itote ad Carthusiam, & illic orantem invenietis.* Quo quidem oracolo infantes illico omnes commoti sunt, & *Beatum Andream* Fesulanum etiam obnitentem ad sedem Episcopalem rapuerunt. Qui asinam *Baal* ad loquelam impulit in condemnationem ipsius *Balaam* contra popu-

Pueroꝝ linguæ oracula proferuntur.

Ribad. 6. Ian.

lum Dei proloqui volentis, numquid potuit infantium linguam ad laudes suas decantandas expedire, ut virumperium iniquum Phariſæorum propulſaret? Hoc erat perficere in laudem ex ore infantium, ad deſtruendum inimicum & ultorem. Aliqui tamen exiſtimant lactentes hos pueros fuiſſe trium circiter annorum, quâ ætate iam ambulant & loqui incipiunt. Hæbræis quoque fœminas ad tertium uſque annum infantes lactaſſe, colligi poteſt ex illo: *Te* 2.Mac.7 *in utero novem menſibus portavi, & lac triennio dedi.* Divina tamen operatione, & non humano ingenio edita hæc laus fuit, ideo perfecta dicitur tamquam divina, & à Spiritu ſancto, fuitque perfectior illa, quam alii pueri Nato Chriſto dederunt per mortem, quam tulerunt ab Herode pro ipſo, quia hæc expreſſius & ſignificantius reſonabat ex eorum ore & lingua à Spiritu S. erudita.

Cæterum vox iſta reſonans puerorum, & aliorum Chriſto acclamantium: *O Sanna Filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini. O* Pſal.117 *Sanna in altiſſimis*, ut legit Matthæus deſumpta eſt ex Pſalmo: *O Domine ſalvum me fac. O Domine benè proſperare. Benedictus qui venit in nomine Domini.* Itaque vox, *O ſanna*, idem ſignificat ac *Salva obſecro*: Eratque acclamatio Hebræis ſolita, quâ omnem felicitatem, proſperitatemque apprecabantur. Adhuc Iudæi dicuntur uti hac voce in feſto tabernaculorum cum Palmis, & in ſua Litania inclamare: *Propter te Deum Deorum O ſanna: Propter te Dominum Dominorum O ſanna Propter teſtamentum tuum O ſanna.* Quod ergo pueri inclamant, *O ſanna*, idem eſt ac ſi dicerent: *Vivat Rex, vivat Rex Meſſias, vivat filius David Chriſtus.* Sit illi omnis felicitas, ſit proſper in omnibus ejus adventus, eiuſque regnum. Salva eum obſecro, tu qui habitas in altiſſimis, ſive de altiſſimis cœlitus & divinitus ſalva nos per eum. Salvum fac Regem noſtrum jam ad prælium fortiſſimum prodeuntem contra dæmones, peccatum, infernum, ut & nos in ipſo vincamus, per ipſum ſalvemur, cum ipſo regnemus. Patet igitur, quam congrua fuerit hæc acclamatio Chriſto jam quaſi regnum auſpicanti, ſed ſimul etiam ad prælium ſe accingenti contra hoſtes noſtros. Nam de 2.Reg.11. eo verum eſt: *Omnis impetus belli contra Regem Iſrael verſus eſt in prælio.* In prælio enim Paſſionis & crucis omnis dæmonum potentia, omnium hominum virtus, omnis ira Patris in eum verti viſa eſt, & ſic tanto glorioſius *exivit vincens ut vinceret*, (ſic loquitur Ioannes Apoc. 5.) vincens proſe; ut vinceret pro nobis. Nihil porrò Chriſto accedit, dum ei benè precamur, ſed nobis; quia dum eius regnum feliciter procedit, proſpere nobis cedit. Ideo Prophetæ, ideo, pueri & turbæ ei proſperitatem omnem apprecati ſunt; ideo & nos bene ei precari debemus, & in ſæculum ſæculi cum Eccleſia inclamare: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Vtique, *benedictus*, proprium maxime Chriſti nomen eſt, quia veniebat ipſe omni benedictione à Patre cumulatus, ut benedictionem in cæteros fontis inſtar pleniſſimi, effunderet, quia ab ipſo benedicendæ erant omnes gentes, ſicut promiſſum erat Abrahæ, & *de plenitudine eius omnes accepimus*, ut aſſerit Evangeliſta. Cui conſonat Paulus dicens: *Benedictus Deus,* Epheſ. 1. *& Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto; Sicut elegit nos in ipſo ut eſſemus ſancti & immaculati.*

Benedictus itaque qui venit in nomine Domini, Chriſtus qui iam ab initio ſæculi à Patriarchis & in Patriarchis fuit benedictus. *Benedictus* ab Iſaac in perſona Iacob, dum ei dicit: *Det tibi Deus de rore benedictionem: Eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ. Qui tibi benedixerit ſit benedictus, qui tibi maledixerit ſit maledictus.* Hæc enim illi dicebantur propter Chriſtum ex ſemine eius oriundum, in quo tos cœli cum pinguedine tertæ debebat coniungi, hoc eſt divinitas cum humanitate; quique à fratribus, à fidelibus omnibus, debebat adorari & benedici, eis omnem benedictionem afferens *Benedictus* à Moyſe ſub nomine *Ioſeph*, dum moriens dicit: *Benedi-* Deut.33. *ctio illius qui apparuit in rubo veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazarei inter fratres ſuos.* Hæc benedictio non conveniebat Ioſeph filio Iacob; quia jam defunctus erat; ergo de Chriſto intelligi debet qui eſt Nazaræus inter fratres, hoc eſt floridus, ornatus, coronatus, ſuper quem efloruit ſanctificatio omnis & benedictio. *Benedictus* à Iudæis & Gentibus, quia ipſe erat expecta- Gen.49. tio Iſrael, expectatioque Gentium, *deſiderium collium æternorum. Benedictus* ab Angelis & hominibus in tempore & in æternitate. *Benedictus* à Regibus, à Paſtoribus, à viduis, à maritatis, à virginibus, à ſenioribus, à Simeone, à Zacharia, à Ioanne infante, & ideo benedictus, quia venit ſicut in- Luc.1. clamat Zacharias, *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit & fecit redemptionem plebi ſuæ.* Hæ igitur benedictiones omnes quodammodò reiterantur & recapitulantur in hac voce plebis & puerorum: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Nam & hoc eſt quod antea diximus, non ſine myſterio expreſſum fuiſſe, quod aliqui ex acclamantibus præibant, alii ſequebantur; quia ſcilicet tam illi qui in lege veteri eum præceſſerunt, quàm illi qui in nova lege ſecuturi erant, eum benedicturi erant. Illi ſcilicet, *quorum Deus tetigit corda*, nam 1.Reg.10. ſicut de Saul in Regem electo dicitur, quod quidam *filii Belial dixerunt: Num ſalvare nos poterit eſt?* *Et deſpexerunt eum.* Sic & de Chriſto Rege noſtro verum eſt, quod Phariſæi, filii Belial, in eius ingreſſu eum non benedixerunt, ſed quoad in ipſis fuit, eius laudes & benedictiones impedire conati

Benedictus nomen proprium Chriſti.

Ioan.1.

O Sanna vox acclamationis.

nati sunt, ut patet ex textu Evangelico.

PARS 4. *Non sine mysterio lacrymas huic triumpho fuisse mixtas.* *Io. Baptista Sigonius in Reliquario c. 1.*

POstremò, dicamus, non sine mysterio lacrymas Christi mixtas fuisse huic triumpho. Et harum quidem lacrymarum quædam extant reliquiæ & monumenta, quæ in hodiernum usque diem cum pietate adservantur. Vnde inter sacras reliquias celebris Monasterii S. Laurentii iuxta Leodium sic legimus: *Lacryma Christi Salvatoris, quam Honorius tertius de Petraponte Episcopo Leodiensi Judario exceptam dedit anno 1216. Hugo autem Ottoni ad Divum Laurentium Abbati, individuo suo comiti servandam reliquit.* Sic & in Vendocinensi Cœnobio asseritur asservari quædam Christi lacryma: item in Arteſia in Vico Vagnensi inter Bethuniam & Lilerium ostenditur una ex Christi lacrymis, ad quam venerationis causa multi è longinquis partibus, confluunt, ut vel solo tanti pignoris intuitu & sacrosancto attactu oculorum firmitatem, & contra eorundem actes dolores, levamen à Christo consequantur. Vnde & Vicus in tanti pignoris honorem nunc *Sancta Lacryma* nuncupatur. Harum autem lacrymarum Christi causæ fuerunt variæ. Prævidebat scilicet futurum destructionem civitatis, pervidebat flagitia & cæcitatem præsentem. Considerabat populi sui reprobationem, cui in vanum sanguinem suum erat profusurus; ideoque non minus ab eo deposcebat lacrymas eorum calamitas extrema, quàm à Davide Absalonis paricidiæ exitium, *cui sciebat perpetuo obstructum exitium de ventre mortis, mole criminu.* An non lacrymas meritò exigebat illa, quam in populo suo cernebat post dies quinque futura mutatio adeo prodigiosa;

Bern. ser. 26. in Cât.

1. Cum faustis acclamationibus, cum gloria & honore excipitur in Ierusalem: paucis exinde diebus summa cum ignominia ejicitur ab iisdem Ierusalem. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?*

Thren. 4.

2. Nunc inclamant Salvatorem, O sanna, Obsecro salva nos Fili David: tunc irridentes, quod salvum facere non posit seipsum. Nũc benedictum intonant, illic maledictum & crucifigendum exclamant: Nunc confitentur; tunc blasphemant. *Sic honorem mutant in horrorem: Qui nutriebantur in croceis, amplexantur stercora.*

3. Nunc sedet super asinam, & ut commodius sedeat, straverunt vestimenta super eam, straverunt & illa in via, ut ei exhiberent honorẽ. Tunc crucem portat, & vestibus propriis spoliatur indecorè & ignominiosè. *Quam gloriosus Rex Israel, nudatus quasi unus de scurris.*

2. Reg. 6.

4. Nunc ramos cædunt de arboribus, palmasque & olivas deferunt Triumphatori: tunc plectunt in capite ejus coronam de spinis, & arundinem dexteræ ejus inserunt. *Coronans coronabit te tribulatione*, qui coronaverat palmis & benedictione.

Isa 22.

5. Nunc ut Regem verum Israelis excèperunt & ut Messiam deduxerunt in templum: tunc ut Regem fictitium ludibrio afficiunt, & in montem Calvariæ configendum trahunt. *Ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ.*

O mutationem lacrymis dignam! Sed eam ideo voluit Deus permittere, ut ostenderet quàm vana sit mundi hujus gloria, quàm instabilis, quàm inconstans hominum affectus, quantaque rerum humanarum vicissitudo, cui nemo debet fidere. Simul etiam docere voluit, regnum suum & gloriam regnum quoque & gloriam electorum suorum in hac vita consistere in passione & cruce, ideoque eam non esse aversandam, sed læto animo adeundam. Quod si prospera quandoque accidant electis in hac vita, ærumnis postmodum illa solet Deus compensare. Vnde Guerricus Abbas ser. 3. in ramis sic introducit Christum loquentem: *Iustum est, O Pater, ut qui se exaltat, humilietur, sed numquid similiter iustum, ut quem exaltaveras, ita humiliaretur consubsibiliter, & gloriam quam humilitas meruerat, tanta sequeretur contumelia? Numquid mihi irrattus fuisti, quod sic vel ad horam me passus sum honorari? Illud etiam exiguum quod susceperam de bonis hujus mundi exoluendum erat ante mortem in pœnis & contumeliis, ne mihi postea obiiti possetti sili recepisti bona in vita tua.* Hæc ille. Addamus denique, hic adimpletam fuisse in Christo Agni Paschalis figuram. Quia sicut ille Agnus decimo die mensis primi solemni pompa inducebatur in urbem immolandus die decimo quarto: ita Christus in die Palmarum ingressus est cum solemnitate & lætitia, paulò post immolandus tamquam Agnus, qui tollit peccata mundi.

Isa. 22.

Conclusio

O Domine Iesu Christe, O Rex Israel, multi Christiani, veri Israelitæ non secundum carnem, sed secundum spiritum, te hodie per sacratissimam corporis & sanguinis tui participationem in cor suum suscipiunt. Fac ut cum laude & benedictione, cum exultatione & lætitia interiori id faciant. Fac ut pravas suas habitudines & inclinationes, quasi vestes, tuis pedibus prosternant. Effice denique per gratiam tuam, ut in hac laude & benedictione constanter perseverent, nec umquam in posterum per peccatum te expellant, aut crucifigant: sed tandem palmas gerentes in manibus, & stolis candidis amicti, electis tuis socientur, cum quibus in æternum cantare valeant illud: *Benedictio, & claritas, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorũ.* Et iterum: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.*

Apoc. 5.

Exemplũ

S. Teresa in die Palmarum solita fuit magna cum devotione quotannis ad sacram commu-

nionem accedere. Considerabat autem eo die specialiter, quanta fuisset Iudæorum ingratitudo, dum Iesum impransum in Bethaniam redire permisserunt, & tanto licet honore exceptum nemo ausus fuit invitare ad convivium. Loquebatur ergo cum corde suo, & dicebat sibi: *Eia anima mea, ne ingrata sis Domino & Salvatori tuo invita eum ad prandium tecum, obsecra obnixissime & humillime, ut dignetur apud te manere.* Sic qua poterat pietate & fervore animum extimulabat & præparabat, ad Dominum dignè & humiliter excipiendum: illa eodem die (postquam triginta annis hanc devotionem excitasset & fovisset in corde) dum Eucharisticum Sacramentum reciperet, contigit eam taliter animo rapi & suspendi, ut illud deglutire non valeret. Cum vero ad se rediisset; & adhuc Eucharistiam ore gereret, visa est sibi habere totum os plenum cruore imò totam faciem quasi recente & calente conspersam sanguine. Sed maximam inde suavitatem percepit, Dominusque sic eam allocutus est. *O filia, volo ut sanguis meus tibi proficiat, volo ut misericordia mea numquam tibi deficiat. Noli timere. Effudi illum magno cum dolore, tu autem illo frueris magna cum suavitate. An non vides, quàm ego tibi cumulate rependo, & persolvo convivium, quod mihi solita es in illo die apparare?* Hæc Christus Dominus.

Ribera in vita Teresæ.

DIE IOVIS S.

LECT. 16 tripartita. *De lotione pedum* PARS I. *Quanto amore Christus pedes suorum lauerit. Christus in fine vitæ maximè nos amavit. Ioan. 17.*

Si non lavero te, non habebis partem mecum
Ioan. 13.

DE Christo Domino meritò hic dicit Evangelista, quod *cum dilexisset suos in finem dilexit eos*, non solùm quia ad finem usque vitæ ipsos amavit, sed quia etiam licet omni tempore dilexerit, tamen in fine maximè amorem hunc demonstrarit, tum verbis amantissimis, tum factis efficacissimè amorem illorum probantibus, & ad redamandum illectantibus. An cupis verba significantissima amoris eius percipere? Attende postremum eius sermonem cum discipulis: plenissimus est scintillis ignitæ charitatis de corde eius amantissimo exsilientibus. Quàm cordatè eos Patri tunc commendat, ut tamquam suos agnoscat, ut servet eos ab omni malo; ut sanctificet in veritate, ut faciat eos unitos in charitate, sicut ipse & pater unum sunt, ut der ipsis videre claritatem suam æternâ dilectione? Quam frequenter *Ioan. 15.* etiam ipsis suam inculcat dilectionem? *Sicut dilexit me Pater & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Iam non dicam vos servos, sed amicos, quia cuncta, enim audivi à Patre, nota feci vobis, Diligite invicem sicut dilexi vos.* Multoties his similia repetuntur, & fusus est sermo de charitate, procedens à diffusa in eius corde charitate, quæ mirum in modum dilatatur in fine. Vnde dixit B. Guerricus Abbas:

Tunc propemodum omnem vim amoris effudit amicis, antequam sicut aqua effunderetur pro inimicis. Ad ultimam ergo lineam & extremum terminum progredi tunc visus est amor, ideo in finem suos dilexisse dicitur. Operi ac doctrinæ eius amor coronidem nobilem & augustam apposuit, cui inscribi potuit *Non plus ultra.* *Guerricus ser. de Ascen.*

Neque solum sermone & verbo, sed etiam duplici facto ulteriùs amorem progredi non posse ostendit in fine. Nimirum in corporis ac sanguinis sui distributione; ubi ultimum vale continebatur cum Memoriali ardentissimæ charitatis: & in hac mystica pedum ablutione, quæ amoris lachrymis commixta, in suorum corde æternum erat manitura tamquam morituri parentis non morituram monimentum. *Sciens ergo Iesus, quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Hora ista adeo desiderata fuit, ut propter illam dixerit se coarctari donec adveniat, quia in illa mystico Baptismo debebat baptizari propter nos, debebat & optabat miro ardore in profluvio sanguinis & amoris sui ablui, ut nos ablueret ab omni sorde. Nec sine mysterio Evangelistæ horam vocant tempus passionis eius tot doloribus & cruciatibus prolixum, transitumque ex hoc mundo vocat mortem eius acerbissimam. Nempe salutis nostræ amore tempus illud nocturnis diurnisque tormentis pro te latum Christus Dominus nonnisi horam unam existimat, quomodò & de Iacob dicitur, quod septem annis quibus servivit pro Rachel, pauci ei videbantur præ amoris magnitudine: Mortem quoque existimat quasi transitum levem per quem ad paternæ transibat gloriæ sedem, per quem etiam secum nos ducebat, ad eiusdem gloriæ fruitionem. Sciebat quia *à Deo exivit, & ad Deum vadit.* Exivit à Deo per æternam generationem, & per carnis assumptionem, nec Deum reliquit. Ad Deum vadit per passionem, Resurrectionem, Ascensionem, nec nos reliquit. Vtigitur dilectionis suæ, antequam ad Patrem vadat, symbolum perenne relinqueret, *surgit à cœna, & ponit vestimenta sua & cum accepisset linteum præcinxit se: deinde mittit aquam in pelvim, & cepit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.* Omnia ista iudicant amorem, & resonant humilitatem. Deposuit se exteriorem amictum, ut magis accinctus & paratus sit ad poc dilectionis & humilitatis opus. Accepit linteum, nec expectato alterius ministerio præcingit se illo. Meque iubet afferri aquam, vel allatam infundi, sed ipsemet eam mittit in pelvim, & lavat non manus (quod honestius foret) sed pedes discipulorum, hauteoque quo cinctus erat, eos extergit. Sic solus omnia exequitur, solus aquam fundit, solus lavat, solus extergit. Feteres pedes his attacti manibus hac aqua abluti, hoc linteo exterfi, qui secuti sunt abluentem.

Linteum istud, amoris Christi memoriale. Bapt. anno 31. à Chr. 1034. ad-

adhuc hodie reservatur in Ecclesia, magnoque honore colitur miraculis fulgidum in Cassinensi Monasterio, de quo sic scribit Cardinalis Baronius *Anno Domini millesimo decimoquarto, Monachi quidam ab Hierosolymis venientes partem lintei cum quo pedes discipulorum Christus extersit, secum detulerunt, & ob reverentiam loci Monasterio Cassinensi obtulerunt. Verum cum plurimi fidem derogarent, illi fide praditi, partem illam ardentibus imponunt pruris. quæ mox in colorem ignis versa est: amotis tamen carbonibus, ad pristinam speciem mirabiliter redit. Cumque cogitarent quomodo vel ubi pignora tanta locarent, dispositione Dei contigit, ut eodem die mitteretur huc loculus ille mirificus, ubi nunc condita est lintei ipsius particula, argento & auro, gemmisque opere Angelico subtiliter & pulcherrimè decoratus. Ibi ergo amoto crystallo, cum omni veneratione locata est moriusque est annis singulis, ipso die cœnæ Dominicæ, ad mandatum Fratrum à mansionariis eam deferri, & in medium deponi, duoque ante illam accendi candelabra, & iugiter donec impleatur mandatum, ab acolyto incensari. Demum iuxta finem mandati à singulis per ordinem Fratribus flexis genibus devotissimè adorari, & reverenter exosculari.* Hæc Baronius.

Sed quæstio est, à quonam Christus inchoarit pedum lotionem? De hac re tres opiniones apud antiquos patres repetuntur, *Prima* est Origenis, qui existimat Christum omnes alios abluisse, & tunc demum ad Petrum venisse, eumque pro singulari suo fervore recusasse, quod alii admiserant. Sic enim loquitur: *Sicut Medicus plurium agrotorum intentus curæ ab his qui magis indigent, incepit: Sic & Christus, qui sados abluit pedes discipulorum, exorditur ab his qui magis erant sadi, & sic ultimo venit ad Petrum quasi minus aliis indigentem lotura pedum.* Secunda est Chrysostomi & Theophilacti qui putant solum Iudam fuisse ante Petrum ablutum, ac Dominum ab illo cæpisse, ut ipsum revocaret à concepto perpetrandoque scelere; sed prosua improbitate facilè admisisse, quod nullus alius permisisset, sed prohibuisset, sicut & Petrus: Verba Chrysostomi hæc sunt: *Quæret aliquis, quare nullus eorum aliorum prohibuit, sed solus Petrus, quod non parvi amoris, & verecundiæ erat? Ex hoc igitur mihi videtur prius lavisse solum proditorem, deinde ad Petrum venisse, & alios discipulos per eum de reliquo castigatos. Si enim quemquam ex cæteris lavare cepisset, prohibuisset Dominum & dixisset idem quod Petrus.* Tertia est S. Augustini tract. 56. Christum inchoasse à Petro, quia Petrus erat Princeps Apostolorum, & illum supra cæteros semper honorare solitus est Dominus: atque ipsi ut Capiti decebat primum commendari exemplum istud dilectionis, humilitatis, mundities. Denique cum Petrus semper fervens fuerit, non est verisimile quod etiam ipse permissurus fuisset in aliis, quod parum dignum iudicabat fieri à Domino. Quod ergò Evangelista dicit; *Cæpit lavare pedes discipulorum*, ac postmodum subdit, *Venit ergo ad Simonem Petrum*, non vult significare quod Dominus postquam cepisset lavare, tandem venit ad Petrum; sed generatim dicit quid Christus fecerit, & postea ordinem ponit quo fecit, docetque cùm cæpit lavare, à quo inceperit, à Simone Petro scilicet. Hæc est verior opinio.

Christus lotionem pedum à quo inchoarit.

Resp. 1.

Resp. 2.

Resp. 3.

Non est tamen dubium, quin laverit Christus etiam Iudæ proditoris pedes, idque cum lacrymis ex compassione profluentibus, ut insinuat S Augustinus, & cum osculo pedum, indicio sinceri amoris. Sed nec humilitas sibi adgeniculantis, nec dignatio pedes impuros exosculantis, nec dilectio compatientis, & velut veniam ab eo deprecantis, ei quicquam profuit. Non potuit aqua tanto amore pedibus eius profusa, non potuerunt lacrymæ Christi benedictæ, non potuit sudor sanguineus & cruor copiosissimè postmodum effusus abluere & obliterare peccatum proditoris; quia non valuerunt hæc omnia eius cor mollire, & ad veram pœnitentiam adducere. Vndè de ipso verum fuit illud Ieremiæ. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis.* Quasi diceremus: Peccatum eius non pertransiit leviter, sed scriptum remansit, idque non calamo in charta, sed stylo ferreo incisum indelebiliter velut in adamante, in corde scilicet durissimo & obstinatissimo, nec solum in parte cordis, sed super totam latitudinem scriptum est, quia toto corde amplexatus est iniquitatem, nec locum reliquit bonæ inspirationi, aut bono affectui. Tale cor vix ulla arte molliri potest, peccatum eius eradi. Nempe quando aniмa semel se tradidit in reprobum sensum, nec mors nec judicium, nec inspirationes divinæ, nec monitiones hominum, nec lachrymæ Sanctorum ei proficiunt. Tale fuit cor Iudæ, quod iam possidebat dæmon, cuius latitudini peccatum proditionis indelebiliter inscriptserat; sicut dicit Evangelista: *Et cœna facta, cum diabolus iam misisset in cor ut traderet eum Iudas.* Ideo igitur inutilis ei fuit humilitas Domini ad pedes suos prostrati, nutilis monitio, inutilis aqua, inutiles & lachrymæ. Væ, væ, animæ reprobæ, quæ ex malitia Deum deseritis, in cuius cor Satan se immittit: fit enim ut tamquã mancipium à dæmone agatur, & de peccato in peccatum ruat, ac tandem in profundum veniens humana omnia & divina contemnat. Sic Iudas de avaritia in furtum, de furto in proditionem, de proditione, in desperationem, de desperatione in laqueum, de laqueo in abyssum cecidit: Et cum iam ei Christus lavaret pedes, & corpus suum postmodum traderet iam illum diabolus possidebat, iam absorbuerat, & in corpus suum trajecerat; ideo nonnisi quod ipse volebat, agere poterat: Iam quasi inter mortuos computatus erat, ideoque vitam quam iuxta se habebat, cognoscere

Iudas in peccato obduratus, lotione non resipiscit.

Ier. 17.

non poterat. Sed nunquid dæmon triumphum agere videbatur, è Christi schola avellens & perdēs discipulum ab ipso electum? Audi S. Ambrosium respondentem in Ps. 39. *Tripudiabus drace, quod Apostolum subtraxeras Christo: Plus amisisti quam suffulisti, qui latronē in paradisum vides postea translatum. Nemo est qui possit excludi, si voluerit, quando quidem receptus est latro. Minister tuus eo pervenit, unde ipse dejus fuerat.* Quid ita? Quia nimirum ipse Christum in suo agnovit supplicio, quem Iudas non agnovit in beneficio. Peccatum suum confessus est illi quem sciebat posse ignoscere, & regnū Dei mente conspexit in infami patibulo, quod Iudas videre non potuit in sacro convivio.

PARS II. *De mysteriis lotionis huius.*

SEd videamus, quid Petrus Apostolorum Coryphæus, ad quem lavandum primò accessit Christus, responderit: *Domine*, inquit, *tu mihi lavas pedes?* Hinc suam considerans indignitatem, illinc Domini dignationem, & inauditum humilitatis exemplum in adeo vili ministerio, expavit Petrus. Nempe pii cordis indicium est, ad opera Dei obstupescere, & illa admirari. Sic Moyses obstupefecit ad visionem rubi, nec audet appropinquare audiens Dominum de rubo loquentem. Sic Iacob experrectus obstupefecit ad visionem scalæ, & inclamat: *Quam terribilis est locus iste!* Sic Abacuc: *Domine consideravi opera tua, & expavi, &c.* Sic Baptista totus attonitus est ex reverentia, Domino ad suum baptismum accedente; & detrectat eum lavare ac baptizare, dicens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me.* Eodem ergo spiritu, eadem reverentia renuit à Magistro Petrus lavari, & dicit: *Tu mihi lavas pedes?* Quasi iterum repetit, quod alias: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Est porrò magna emphasis in his duobus verbis, *Tu Mihi*, ita ut dicat S. Augustinus; *Quid est, Tu? Quid est, Mihi! Cogitanda potius sunt quam dicenda, ne fortè quod ex his verbis aliquatenus quidem digne concepit anima, non explicet lingua.* Similia verba totis noctibus ruminare solitus fuit S. Franciscus: *Quis tu, Domine? Quis ego?* Debent ergo & Petri verba pie ponderari in statera intellectus nostri. Etenim vult dicere Petrus: Tu-ne summæ majestatis Dominus, mihi vilissimo servo, vilissimæque creaturæ pedes lavare para? *Tu cui flectitur omne genu, & sub quo curvantur qui portant orbem*, incurvaberis & flectes corā te tantissimo peccatore? Tu, cujus Seraphim præreverentia & stupore velant caput & pedes, ad sordes pedum meorum eluendas te dedicies? Tu-ne manibus illis quibus cæcos illuminasti, leprosos curasti, mortuos suscitasti, pedes, vilissimam partem vilis hominis tanges & ablues? An ignoro ego gloriam tuam, quam coram omnibus confessus sum, quam in monte Tabor conspexi, ut permittam te sic coram me abire? Potius mihi convenit, quamquam nec dignus sum, tuos lavare pedes. Si Abraham hoc Angelis præstitit, id multò magis tibi debeo, Angelorum Domino. Si Baptista ex utero sanctus, pusillum aquæ tuo non audet infundere capiti: ego-ne tē meis patiar incurvari pedibus? Agam potius tuis pedibus idem quod Magdalena; quam, unctionem, lachrymas, oscula impendam, capillisque tergam, & veniā deposcam: *Adorabo in loco ubi steterunt pedes tui.* Idē eadem devotione dicere possunt communicātes, in mystica illa & spirituali lotione pedum, hoc est immundorum animæ affectuum, quæ fit in Eucharistico Sacramento à Christo se ibi pro nobis humiliante mirum in modum.

Respondit Iesus, & dicit ei: Quid ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.

Quasi dicat: Cur obsistis, cùm nescias, qua causa, quove fine hoc faciam? Non est otiosum quod facio, sed mysterii plenū: intelliges id plenius postmodum, noli ergo obsistere. Sic Ioanni se baptizare formidanti dixit: *Sine modo, sic enim nos decet implere omnem justitiam.* Verè autem nō intelligebat Petrus ministerium illud, nec mysterium. Scivit ex parte postea, dum aperuit Christus se id facere ad exemplum humilitatis, scivit & plenius post acceptum Spiritum Sanctum, quia tunc agnovit hujus lotionis mysteria, quæ nec exigua erant, nec pauca. Explicemus aliquot:

Primò, hæc lotio significabat munditiam & puritatem prærequisitam ad Eucharisticum mysterium, cujus institutioni prævia fuit hæc lotio. Etenim ante Eucharistiæ sumptionem convenit purificari animum, non solùm à mortalibus culpis, sed etiā à maculis venialibus & ab affectibus immundis, quibus per sordes pedum inficiantur. Ideo etiam Sacerdos extremitates digitorum suorum in sacrificio abluit: commonefaciens se & alios omnem immunditiam abstergendam ante mysterii illius sumptionem. Et quidem extremitates solùm abluit, significans se iam mundum esse, nisi quod fortè pulviculi extremis digitis adhærescant, sive levia aliqua & venialia peccata; quia nimirum est difficile in hac pulverulenta via non aliquid adhærere pulveris, vel digitis, vel pedibus, vel operibus, vel affectibus; sed lavacrum pœnitentiæ, omnem potest prævie labeculam abstergere.

Secundò, hæc lotio significabat, pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona æterna, debere munditia fulgere, quandoquidem procederent ad mundandos alios. Unde ad hanc lotionem videtur allusisse Isaias, de Apostolis spiritu prophetico loquens: *Quam speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* Immò Origenes istud vaticinium hodie impleri cœpisse dicit, pedes Apostolorum dum lavat Dominus. Laudantur igitur Apostoli, quia fuere quidam pedes mystici corporis Christi, per quos totum orbem perambulabat; laudantur, inquam, à munditia, quia in lutosa via hujus mundi agentes, numquā peccati mortalis immunditiam contraxerunt post Spiri-

Matt. 3. *Lotionis pedum mysterium.*

Exod. 3. Gen. 28. Abac. 3. Matt. 3. Luc. 5. Iob 9. Isa. 52. Orig. in ad Rom. 10.

Spiritum Sanctum acceptum, sed in gratia fuere confirmati. Si quid verò pulveris, si quid peccati venialis eorum pedibus, sive affectibus inhæsit, statim excutiebant & expurgabant, remediis à Christo institutis.

Tertiò, his pedibus osculum figit, ut sit symbolum non solùm affectus, sed etiam missionis in universum orbem; ut sit instar sigilli litteris commissionis eorum appensi, quo approbet hos pedes & benedicat, efficacesque reddat, veloces, indefessos, ad perambulandum orbem, ad transferendũ mentes hominum à vitiorum fœditate ad virtutis pulchritudinem, & ad vestigia imprimendum, quæ sequantur illi qui in cœlum pergunt. Et quoniam hi pedes futuri erant fugitivi in Passione, ut statim redeant, præoccupativè eos munit hoc osculo, & hac lotione. Immò quia noverat pedes Judæ ad malum currentes, fortiùs eos stringit amplexu & lachrymis, quasi protestans sibi nõ imputandum, si non abducantur à via inferi, si ad viam justitiæ non revertantur.

Quartò: Quicquid hic Christus egit, ponens vestimenta; præcingens se linteo, aquam in pelvim fundens, pedes lavans, mysterium continet & symbolum eorum, quæ Christus egit veniens in hunc mundum, quæque acturus est nobiscum in finem usque sæculi. Nonne vestimenta gloriæ quodammodo posuit, dum in forma Dei existens, semetipsum exinanivit? Nonne velut linteo se præcinxit, dum formam servi accepit, & humanitate candida se præcinxit? Nonne velut aquam misit in pelvim, dum in sacramenta sanguinem suum & aquam gratiæ profudit, ut sint lavacrum quo immunditia abluatur nostrorum peccatorum? Nonne linteo quo præcinctus erat, pedes tersit, dum merito humanitatis suæ pœnis peccatis debitas quasi sordium reliquias absterfit, & vestigia fidelium confortavit? Adhuc hodie Christus aquam fundit, lavat pedes, extergit sordes. Vtique aquam in pelvim cordis nostri mittit infundens contritionem, infundens lachrymas, infundens gratiam. Solus hæc ipse cordi infundere potest, qui dicit: *Cũ sanctificatus fuero in vobis, effundam super vos aquam mundam.* Et rursus: *Aqua quam ego dabo, fiet fons saliens in vitam æternã.* O quam suaviter, quamque fœliciter, hæ aquæ de manibus Domini fluunt? Vtique fœlicius quam stillarent olim de manu Elisæi ad lavandas Eliæ manus. O utinam cor nostrum sit pelvis capax illius aquæ, quæ à manibus Iesu fluit, & ab eius potestate! Neque solùm fundit aquam, sed etiam lavat manus nostras, lavatque pedes. Aqua quam rangit, vim habet purificandi nõ purificatas aquæ Iordanis, nisi has ipsi tactu suo sanctificasset. Frustra ergo nitimur nos lavare, nisi ipse met lavet. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbã Borith, maculata es in iniquitate tua coram me*, dicit Dominus. Ipse solus potest pedes nostros lavare, & sordes abluere; cui dicebat Propheta amplius: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, &c.* Videat ergo quisquis accedit, an mundæ sint manus, à rapina, ab injustitia, ab impuris tactibus: an munda sit lingua, à detractionibus, à juramentis, à calumniis & mendaciis: an mundum sit cor, à luxuriæ luto, ab invidiæ & odii veneno: an puri sint pedes, à pulvere terreno, à conversatione impura, quæ facilè contrahitur in hoc lutoso sæculo. Si impuritatem agnoscat, vel in manibus, vel in corde, vel in lingua, vel in pedibus, paratum est lavacrum à Christo; scilicet lavacrum pœnitentiæ, ex quo funditur aqua gratiæ ad impuritatem omnem abstergendam, ut quis possit in loco sancto stare, & mensæ ejus participare.

Quod autem Christus respondet: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*, alludit ad eos qui se lavant in balneis. Quasi dicat: Sicut qui in balneo est lotus, egressus balneo, non habet necesse nisi pedes lavare, quos terrã calcans inquinavit, reliquo autem corpore mundus existit; ita & vos per Baptismum & pœnitentiam abluti, & mundi estis, quia vos etiam à gravioribus culpis conservastis? sed quantum ad affectus non possunt nimis lavari; quia facilè inquinantur occupando se terrenis hujus sæculi rebus. Nempe sicut pedes corporis, dum terram calcant, facilè pulverem contrahunt; ita & affectus, qui sunt pedes animæ, subinde aliquid sordium contrahunt, dum circa terrena versantur. Mundus ergo erat Petrus, mundi & alii Apostoli, sed non omnes. Omnes erant baptizati, & amore eiadhærebant, excepto Juda, qui conversabatur inter Apostolos corpore, sed non perfecta fide & charitate, baptismalemque munditiam sordidarat impiis consiliis impia proditione. Et quia indignus accessit ad Eucharistiam, partem per hypocrisim volens habere cum Christo, tandem velut excommunicatus excessit ab Apostolico Collegio, ut partem haberet cum diabolo. Et vide eius pœnam & supplicium criminibus undequaque correspondens. Nonne fur erat? Ideo meruit suspendium. Nonne proditor erat? Ideo meruit partiri medius & crepare. Nonne Simoniacus erat & excommunicatus? Ideo non meruit tradi sacræ sepulturæ. Nonne desperavit? Ideo æternùm damnationi est addictus. Nonne corde venenum gestans, ut hypocrita & adulator verbis mellifluis putavit Dominum fallere? Ideo funis & laqueus ei gurgur maledictum constringit. Nonne Eucharistiam ore sumpsit, & osculo faciem Christi Domini impudenter tetigit? Ideo illac anima eius egredi non meruit. Itaque propter Judam dixit: *Mundi estis, sed non omnes*; cui profuisset lotio pedum, si etiam cor & manus obtulisset ad lavandũ. Sed cor offerre non poterat, cui jã diabolus se immiserat, manusque simul possidebat, quæ tradere Dominum, & pretium accipere resolverant sordi-

Psal. 23.

Ezech. 39

Ierem. 2.

sordidissimè & flagitiosissimè. Et hoc Dominus non ignorabat, dicente Evangelista: *Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum, propterea dixit, non estis mundi omnes.*

Exempla eorũ qui Christũ in lotione imitati sunt.

EXemplo Christi Domini pedes suorum Discipulorum lavantis, Summus Pontifex (qui eius vices gerit in supremo fastigio dignitatis) ad duodecim pauperum pedes solet sese abiicere, & illos lavare ac tergere. Similiter & Cardinales (qui sunt velut *Carũines terræ super quos posuit Dominus orbem*) exemplum eiusdem Domini sequentes Romæ Hospitalia invisunt, & egenis, ægrisque humillimè pedes abluunt, Vnde alibi diximus, hac humilitate commotum quendam Polonum Ministrum Lutheranum post viginti tres annos ministerii sui sathanici Romæ veram fidem amplexum esse, publicè abjurato Lutheri errore, anno Iubilæi, 1575.

V. hist. hã. in tr. de Iubil. lect. 2.

Sic S. Osualdus Vigornienſis Episcopus in Anglia emoritur lavans pedes pauperum, recitatisque in illa lotione quindecim Psalmis gradualibus pro more suo.

S. Ludovicus Rex Galliæ idem peragebat officium magna pietate invisens hospitalia, & manus scepiro decoratas ad pauperum & ægrorum sordes diluendas adiiciens.

Similia reperies de S. Radegunde Regina, de S. Elizabetha filia Regis Hungariæ, & plerisque aliis Sanctis sublimi dignitate, vel Ecclesiastica, vel sæculari præeminentibus, qui sibi honori duxerunt officium à Christo primitus præstitum Discipulis, aliis exhibere, cordi figentes illud postremum eius monitum: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum feci, sic & vos faciatis.* Vnde B. Laurentius Iustinianus sic exclamat: *O humanæ pudor superbiæ! O altitudinis terrenæ confutatio singularis, videre Dei Filium aquam infundere, refundare, pedum pulverem abluere, linteo extergere, atque singulorum pedibus oscula imprimere dulcissimæ charitatis? Et quis post hanc submissionem superbiat & dicat: Maior illo sum, qui suorum substernitur pedibus?* Hæc ille.

Cõclusio

OBsecro, Domine, per misericordiã, per quã in hunc mundum pro nobis descendisti, per humilitatem, quam verbo & exemplo docuisti, per dilectionem, quam maximè in fine declarasti, per candidum linteum, quo præcinctus fuisti, per amorosam illam lotionem, quam pedibus discipulorum impendisti, ut omnibus qui ad mensam tuam prætendunt accedere, puritatem dones, humilitatem, amorem, ut illis laves caput & pedes, cor & manus, purificando intentionem, cogitationes, affectus, opera; sicque dignè corpori & sãguini tuo communicent, & cum electis partem accipiens, hic gratiæ & spiritus in consortio & convivio tuo, ac postmodum partem gloriæ & hæreditatis in regno tuo. Fac ut nullus hic Iudas assistat, nullus impius, nullus immundus, nullus sacra mysteria polluens. Sed sint omnes veri tui Discipuli, sint mundi omnes, sint uniti tibi vera fide, vera charitate, donec uniantur perfectissimè æterno amore,

TRACTATUS VII.

LILIVM INTER SPINAS SIVE DE PASSIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

LECTIO I.

De ingressu Christi in Hortũ, & eius orationis tristitia

Christus in fine vitæ amore plenus.

SEd quùm Dominus ignitam suã charitatem demonstravit, præsertim id fuit in fine vitæ. Tunc enim se maximè prodidit amor eius, & in operibus, & in verbis. In figura huius rei, *Exod. 18.* iussus est olim Moyses ad oram tunicæ summi Sacerdotis appendere mala punica, exhyacintho, & purpura & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis aureis. Et hac veste *vestiẽdus erat Sacerdos in officio ministerii sui, ut audiatur sonitus, quãdo ingreditur & egreditur sanctariũ in conspectu Domini.* Quæ est ora tunicæ Sacerdotalis, nisi extrema tempora vitæ Domini Iesu Christi? Quæ sunt mala punica, nisi ignea & fulgidissima charitatis eius indices? Quæ sunt tintinnabula, nisi resonãtia undiq; de lectionẽ eius postrema verba, quibus discipulos suos instruxit & nos in ipsis? Sive ergo ingreditur cœnaculum illud grande, quasi templum ut se offerat incruẽtè & mysticè post Agni immolationem: sive egreditur, ut in hortũ procedat, tãquam locum electũ, in quo vultur Patris se sistat cruentè, totus est amore circumdatus, quasi malis punicis & tintinnabulis in extremitate vestis suæ Sacerdotalis. Decet autem nos audire hæc tintinnabula attentis mentis auribus, & mala illa punica considerare, & purpuram, & hyacinthum, ac coccum gemina charitate tinctũ. Quapropter & Evangelistarum verba, hac de re ponderanda sunt quia omnia mysterio plena. Sic incipit S. Ioannes: *Ioan. 18.* *Egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit, & discipuli eius.* Attende singula.

Ingressus & egressus Iesus.

1. *Egressus est*: inquit Evangelista. Sed undè egressus? Vtique de civitate illa Ierusalem, quam paucis ante diebus paterno deplorarat affectu, ubertim fluentibus lacrymis ejus miserescens: nũc autem sanguineis eam lacrymis est deploraturus, non solùm ex oculis, sed toto de corpore eius promanantibus. Quando verò *egressus est?*

1. *Egressus de civitate Ierusalem.*

In

In fine diei egressus est, quia terminus lucis aderat miseranda illi populo, ipso egrediente qui est *Lux lucis, & Fons luminis.* Noctem ergo reliquit & tenebras, discedens ab eis, quia *ipsi fuerunt rebelles lumini, & nescierunt vias eius, & non sunt reversi per semitas eius.*

2. *Egressus de cœnaculo.* *Mat. 26.* *Ps. 113.* *Hymnus Iesu quis fuerit.*

2. *Egressus est*, de grandi illo cœnaculo, in quo Agnum comederet, finē imponens veteri Legi, & Sacrificio. Et ante egressum cecinit hymnū, teste Matthæo. Quē vero hymnum? Hymnum. *In exitu Israel de Ægypto*; quem solebant Hebræi canere post esum Agni, ut testantur nonnulli interpretes ut Paulus Burg. & alii. Hæc nempe postrema fuit vox laudis; vox gratiarū actionis, cygnæa vox ad mortem properantis, postquam in epulo illo non solum Agnum legalem, sed etiam seipsum in potum & cibum dederat, arham eis relinquens cōsummatæ dilectionis, testamentum novi fœderis, pignus æternæ hæreditatis. O cātum? ò egressum consideratione dignū? quia abibat ut novum fœdus sanguine suo confirmaret, ut redemptionis opus consummaret, ut voluntatem Patris perficeret; quod quidem sæpè dixerat esse cibum suum, quem in desiderio & deliciis habebat.

3. *Egressus trans torrentem Cedron.* *2 Reg 15* *Ps. 109.*

3 Quoniam porrò *egressus est? Trans Torrentem Cedron*, inquit Evangelista. Hic medius erat inter Hierusalem & Montem Oliveti. Hunc trāsiverat David mœstus, pedibus suis, operto capite egressus è Hierusalē, fugiens Absalonem. Etiam ex tunc præcesserat figura, quæ modò in Christo adimpletur. Debebat adimpleri quoque Prophetia ejusdē dicentis: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Torrentem ergò transit, sed & transitus iste mysterio non caret, quia per torrentem amarissimum & turbidissimum variarum pœnarum & passionum transiturus mox erat in viæ & vitæ suæ termino, & immergendus in aquas angustiæ & mœrotis, ut abundè bibat, & amaritudinem persentiat acerbissimè, humilieturque profundissimè; sed postmodum exaltabit caput sublimissimè, superatis omnibus angustiis, omnibusque hostibus suis in triumphum ductis coronabitur gloria & honore.

4. *Egressus est, & abiit in hortum.* *Luc. 22.*

4 Denique *egressus est*, & abiit in Hortum, tamquā in campum certaminis contra Satanam, Mortem, Infernum. *Egressus est*, & abiit in Hortum, ut satisfaciat pro crimine in horto commisso: ut ubi mors orta est ibi oriatur & vita; & ubi Adam primus est devictus à Diabolo, ibi superetur jā Diabolus ab Adam secundo. Egressus abiit in hortum, in quem solitus fuit nocte recedere ad orandum, postquā diem penè totum doctrinæ impendisset: *Egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum.* Voluit nempè auspicari Passionis & Redemptionis mysterium ab oratione in horto & loco secreto, ut doceat nos in angustiis & mœroribus Patrem accedere cum solicitudine, at non sine cordis solitudine.

5. 5 Cæterum, *Egressus est*, non sine pusillo suo grege Pastor ille bonus, magis illius sollicitus quàm sibi. *Secuti sunt eum discipuli*, ait S. Lucas: *Et introivit in Hortum cum Discipulis*, inquit Joannes. Secuti sunt undecim, omnes scilicet præter filium perditionis, qui iam abierat Satana instigante, & verbo Domini quodammodò eū expellente, dum dixit: *Quod facis, fac citius.* Abierat, inquā, ut scelus suum consummaret, & venditæ mercis pretiū reciperet. Hic solus aberat, cæteros *in finem usque dilexit*, fovit, instruxit, consolatus est, & exhortatus sermone scintillis amoris pleno; præmonuit de instante turbine, ut cautos redderet; ac Patri cōmendavit affectu tenerrimo. Itaque secuti sunt hi, & in Hortū cum eis introivit. Sequamur & nos cum. si de eius esse volumus discipulis. Sequamur milites Ducem, oves Pastorē. Tres tamen specialiter adsumpsit, quos gloriæ suæ conscios in monte Thabor fecerat, quique promiserant se posse bibere calicem quē ipse bibiturus erat. Petrus enim dixerat; *Etiamsi oportuerit me mori tecum, nō te negabo.* Jacobus autem & Joannes pridē interrogati: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Responderunt: *Possumus*: Hos, tamquam fortiores & familiaritate sibi junctos, nunc specialiter assumit, cæteris dicit: *Sedete hic, donec vadam illuc, & orem.* Cupit eos sedere, hoc est, nō moveri; ut nec loco, sic nec animo. Cupit, ut sedeant in tranquillitate, nec turbentur mente, jam instante tentatione. Quasi eis rememoraret, & diceret illud Sapiētis: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, ne dimittas locum tuum.* Hoc ei erat in votis, ut sicut *in omnibus tentationibus secum permanserunt*, Luc. 22. sic & nunc permanerent. Prævidebat tamen mox dispergendos, & in Passione sua scandalum passuros, ac morte perturbandos, sauciandosque. Hoc certè eor eius amantissimum invitus præsauciabat, simul cum naturali mortis immi. nentis horrore.

Egressus est cum grege pastor. *Luc. 22.* *Ioan. 18.* *Ioan. 13.* *Ibidem.* *Mat. 27* *Christus eres discipulos specialiter assumit.* *Matt. 26.* *Matt. 23.*

Idcò cepit *contristari & mœstus esse tædere & pavere*, hoc est, variā eamque intimam afflictionem pati. Quam quidem afflictionem etiam corpore extrinsecus præferebat & facie, totus impallescēs & cōtremiscens: specialibusque verbis his tribus discipulis eam manifestat, quia eos elegerat ut testes humanæ suæ infirmitatis & mœroris iuxta *Montem myrrhæ, & Collem thuris*; sicut antea elegerat testes gloriæ & divinitatis in Mōre Thabor, sive in *Monte Luminis*. Dixit ergo eis: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Quod quidem verum erat, tum quia cum tanta invasit tristitia, ut vel sola mortem inferre valeret: tum quia illa tristitia usq; ad mortem erat permansura, sine ulla immunitione aut solatii admistione. Quapropter Theologi dicunt eam fuisse *summam intensivè & extensive*. Intensivè quidem, quia majorem in hac vita numquā homo habuit. Extensivè verò, quia perduravit usque ad instans mortis, & replevit omnes potentias animæ Christi, intellectum, voluntatem, memoriam; ita ut posset dicere cum Poēta,

Eosdem voluit esse testes humanæ suæ infirmitatis. *Cont. 4.* *Tristitiæ Christi quales fuerit & quanta.*

Quocumque aspicio, nihil est nisi mortis imago.

Ps. 87. Et cum Prophera: *Repleta est malis anima mea*, hoc est, undique possessa ab acerbissimis pœnis, angustiis, doloribus, quoad omnes potentias tristitiæ & doloris capaces.

Christus tristis usque ad mortem, non propter mortem. Ioan.

Notant hic sancti Patres dicere Christum, *tristem se esse usque ad mortem*, non verò dicere, *tristem se esse propter mortem*, quibus verbis indicari volunt, tristitiam eius non tam ab mortem fuisse, quam finem ejus fore mortem, per quam liberabuntur electi, & ipse lætitiam resurrectionis toto orbe diffusurus est. Audi hac de re Sanctum Augustinum: *Non verè Dominus pati, morique timebat, tertia die resurrecturus, cum gauderet dissolvi Paulus, & esse cum Christo. Non enim fortior est miles, quam Imperator. Miles ergò coronandus non timet mori, & Dominus coronaturus timet mortem?* Hæc Augustinus.

Hilar. in Matth.

Audi & S. Hilarium diserte hac de tristitia dicentem: *Evangelista Christum non propter mortem, sed usque ad mortem tristem fuisse dixit. Interrogo, quid sit tristem esse usque ad mortem? Quia ubi propter mortem tristitia est, ibi mors causa tristitiæ est. Vbi verò tristitia usque ad mortem est, ibi mors non tristitiæ causa, sed finis. Non ergò sibi tristis est, sed illis qui in scandalo per infirmitatem erant futuri.* Hæc Hilarius.

Amb in Luc. l. 10. c. 22.

Audi & S. Ambrosium, ut in ore trium testium ster hoc verbum. *Tristis erat, non pro sua passione, sed pro nostra dispersione: Percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis Tristis erat, quia nos parvulos relinquebat. Pro me doluit, quia nihil habebat pro se quod doleret: Suscepit tristitiam meam, ut mihi suam largiretur lætitiam, & vestigiis nostris descendit, usque ad mortis arumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam:* Hæc Sanctus Ambrosius, qui & eodem loco Christum his verbis piè compellat in mœrore suæ agentem. *Dolebas, Domine, non tua, sed mea vulnera, non tuam mortem, sed nostræ infirmitatem. Infirmatus enim es, sed propter peccata nostra. Illa infirmitas erat pro me suscepta, mihi proderat, ut erudito patis nostræ esset in te, & tuo vestro sanares nostra peccata.* Denique & de eadem re addit ibidem S. Ambros. *Quid mirum si pro omnibus doluit, qui pro unc fievit? Si moriturus pro omnibus tedeat, qui Lazarum resuscitaturus lacrymas dat? Et fortè ideo tristis est, quia post Adæ lapsum talis transitu nobis erat ex hoc seculo transeundum, ut mori esset necesse. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum: & ideo fastidit quod ipse non fecit.*

Cui consonat illud S. Augustini de Lazaro dicentis: *Quare flebat mortuum, sed iubente mox vidiurum? Non flebat mortuum, quam suscitabat: sed mortem quam homo peccando sibi comparavrat. Si enim peccatum non præcessisset, mors secuta non foret.*

An Christus secundum affectum.

Hæc S. Augustinus conformiter Ambrosio.

Adveste verò in hac doctrina SS Patrum, eos non negare Christum secundum affectum humanum verè mortem pertimuisse, & ex illa tristitiam ingentem concepisse: Sed significare voluit illam tristitiam & timorem voluntariè assumptisse, atque præponderasse in hoc timore & tristitia multa quæ ex sua passione obventura erant, tum ob discipulos fugientes, tum ob Iudæos pereuntes, tum ob Christianos postea perfidos: ita ut maior fuerit tristitia pro peccatis nostris, quam pro morte sua.

Quum hominem timuerit mortem.

Interim non obstante metu, pavore mœrore, pergit ad locum orationis, *& avulsus est* ab his electis discipulis, *quantum est jactus lapidis.* Non longius, quia eos elegerat ut foret angustiæ & orationis suæ testes: non propius, quia commendabat solitudinem, quoad fieri potest, in oratione, ut in ea libertius profluant lacrymæ. Signanter autem dicit Evangelista, & non sine energia: *Avulsus est.* Quo verbo declarat illius in suos amorem, declarat & mœrorem. Vtorque facit ut homo adhæreat naturaliter amicis a quibus solatium potest elicere, sed quia docere volebat relicto mundi solatio recurrendum esse secreta oratione in augustiis ad Dei auxilium, ideò avulsus dicitur ab eis. Vbi eras, tunc, O Maria! Nunquid & à te avulsus est dilectissimus filius tuus? Certè non poterat esse immemor tui, nec doloris, quo postmodum eras affligenda, & ad intimum usque cordis exciuiãda; sive dum reciveris eum in manus crudeles impiorum traditum; sive dum occurreris sub Cruce fatiscentisive dum adstiteris pendenti. In hac ergo consideratione futuri mœoris & doloris tui atrocissimi, non potuerunt non concuti filij peramãtis viscera, non potuit, non augeri eius tristitia. Et ideò si avulsus dicitur à discipulis progrediès ad auspicandam passionem, multò magis a te avulsus dici potest, quiamore incomparabili tibi erat conjunctissimus.

Cur dicatur Christus à suis avulsus.

Christus lapis mysticus a suis avulsus.

Dicamus & hic, quod Christus lapis est mysticus, qui avulsus à discipulis quantum est jactus lapidis, in hoc campo certaminis percutit Goliam Tartareum in fronte: Lapis est *abscissus sine manibus*, qui in hac oratione mysticam in pedibus peritutit statuam, hoc est, totam Dæmonis potestatem.

Circumstantia orationis Christi.

Sed videamus orationis eius modum & circumstantias.

Procidit in faciem

Primò quidem, non ei satis est genua in terram orando ita flectere, ut dicat Beda vestigia eorum in lapide remansisse, sed etiam divinam voluit faciem in terram prosternere profundissima humiliatione, quasi oblitus se Filium Dei, seque illum esse coram quo *seniores viginti quatuor in facies suas cadunt, & adorant viventem in secula seculorum.* Apoc. 5. Sed quia hic peccatorum omnium personam gerit, & illa expianda in se suscepit, quasi non foret dignus videre altitudinem cœli præmultitudine iniquitatis humeris suis incumbẽtis, in terram cum confusione deprimitur: apertè quoque declarat quàm sit onus grave peccati, cum quo

quo ruit Lucifer è cælo in abyssum; ita ut hoc onus, *cals quasi ære fusi*, secundum Prophetæ dictum, sustinere non voluerint: quod & nunc adeò gravat Filium, ut eum in terram

Iob.37.

Ps.128. prosternat, quia *supra deorsum eius fabricaverunt peccatores*, & iniquitates eorum supergressæ sunt caput eius, ita ut illud incurvare

Thren.8. cogatur, & *ponere in pulvere os suum; si forte sit spes.*

2. *Ter eandem orationem reperit.*

Secundò, hinc fit hæc fit eius oratio: *Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste.* Sed, ut S. Marcus habet: *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt transfer calicem hunc à me.* Nec sine emphasi est, quod apud S. Matthæum dicit. *Pater mi*, cum alias Patrem orans solũ dicat *Pater*, aut *Pater sancte*, vel *Pater iuste*: ad amorẽ enim nunc & fiduciã specialẽ in angustia seſe excitare videtur, ut se in hoc præbeat exemplum angustiatis. Nõ etiam sine emphasi est, quod apud Marcũ dicit: *Abba, Pater*; ubi utrumque nomen conjungitur idem signi

Rom.8. *Gal.4.* ficans. Quapropter & Apostolus utrumque idem nomen conjungit, dicens nos accepisse *spiritum, in quo clamamus, Abba. Pater.* Cujus rationem alibi indicavimus.

Curtertio repetierit.

Neque sine mysterio ter eandem orationem repetit, eandemque vocem. Sic enim voluit nos docere in oratione non solum fiduciam, sed & perseverantiam. Neque enim mox debemus animum despondere, si non exaudimur. Sic & Apostolus ter dicit se Dominum rogasse, ut stimulus carnis auferetur à se; nec animum abjecit, do-

2.Cor.12. nec cœlestis ei vox insonuit: *Sufficit tibi gratia mea, virtus enim in infirmitate perficitur.* Sic Elias

3.Reg.17. ter se expãdit super puerum Sunamitidis clamans ad Dominum, ut reverteretur anima pueri in ejus viscera. Hic ergo numerus ob suam perfectionem convenit absolutæ & perseveranti orationi, ideoque Christus Dominus ter eundem sermonem repetiisse dicitur. Nec tamen solum censendum est jaculatoriam fuisse ejus orationem, ideoque brevissimam. Videtur enim fuisse unius circiter horæ,

Exempla SS. pauci verbu affectuose orantiũ.

ut propterea exprobret suis: *Non potuistis una hora vigilare mecũ?* Sic & Sancti paucis verbis orando, longam moram traxisse leguntur magno & perseveranti affectu ruminando, & instãdo in eo quod orabant. Sic Sanctus Franciscus noctes integras in his verbis conterebat: *Deus meus, & omnia*, Sic Sanctus Augustinus in illis multas horas consumebat: *Domine, noverim te, noverim me. Quis tu? quis ego?* Sic S. Teresa in illis: *Misericordias Domini in aternũ cantabo.* Sic Sanctus Carolus paulo ante mortem in monte Varallo, (ubi passionis Domini in distinctis stationibus imagines repræsentãtur) octo horas cõtinuas insumpsit, ad mortem se præparans, & Calicem Domini labiis cordis rumi-

Oratio Christi.

nans, consors amoris & amatoris illius effectus, quẽ Dominus in Horto & Monte Oliveti persensit. Quapropter in ægritudinis extremæ lectulo decumbens voluit ad pedes suos appendi imagi-

nem agoniæ Christi, quam fixo & pio semper intueretur aspectu. In eam oculos finaliter dirigens, simul & animam & vitam in manus & in cor Iesu angustiati tradidit.

Sed, ut ad Christi orationem revertamur, mirũcerte quod sic oret: *Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste.* An ignoras ô benignissime Redemptor, Patris tui decretum? An fors nescius es tot Prophetiarum & oraculorũ, quæ in tua debent Passione complerì? An non oblatus es quia voluisti, & perfecta quidem voluntate? An non hæc tua vox est ad Patrem: *Holocaustum pro peccato non postulasti: tunc dixi. Ecce venio?* Utique in holocaustum immolandus ad expirationem omnium peccatorum venisti. Cur ergo nunc hæsitare & vacillare videris? Nunquid afferuisti te bibiturum Calicem hunc, quando filiis Zebedæi dixisti: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et certe nisi tu illum bibas, nemo poterit bibere: non poterimus sanitatem consequi, qui sumus membra tua, nisi tu, qui caput es, potionẽ sumas pro membris. Bibe ergo, bibe ad sanitatem totius mundi, & amaritudinem ex parte tolle, ut & in tua membra transeat calix iste per te. Sequentur enim te innumeri Martyres, de Passionis calice bibituri, sed post te, & per te. Bibe Calicem hunc Passionis à Patre tibi præsentatum; longo bibe tractu & haustu. Ne terrearis, licet plenus sit tot lachrymis, tot opprobriis, tot flagellis, tot spinis. Bibe Calicem refertum amaro felle, clavis transfigentibus, doloribus acerbissimis, tormentis horribilibus, morte ignominiosissima & dolorosissima. Sic enim decretum est, ut alii post te bibant, & te imitentur.

Psal.39.

Hæc equidem omnia sciebat Christus, sed volebat exprimere affectum humanum & naturalẽ cum morte, præsertim adeo atroci, repugnantem & luctantem. Caro enim luctabatur adversus spiritum: qua lucta volebat significatum, se verè corporis sensus, & animi suscepisse affectus. Sed ut spiritum vicisse ostendat.

Dei voluntati Christus se subiicit.

Tertiò subjecit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu. Fiat voluntas tua.* De qua voce loquitur Sanct. Leo: *Hæc vox capitis, salus est totius corporis. Hæc vox omnes Fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi valla, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare errores, nisi Christus in omnibus patiens Patri diceret: Fiat voluntas tua?* Addit postmodum S. Leo verba ab omnibus ponderãda, & cordi recondenda: *Discant hanc vocem omnes Ecclesia filii, magno pretio redẽpti, gratis justificati, & eum adversitas violenta alicuius tentationis incubuerit, præsidio potentissimæ orationis vocantur, ut superato tremore formidinis, accipiant tolerantiam passionis.* Quod Sanctus Leo monet, & Christus docuit verbo & exemplo veri Christiani se dicisse, inter tormenta & adversa ostenderunt. Hæc enim facta est exinde vox amantissima Dei

amatoribus: *Pater, nō sicut ego volo, sed sicut tu. Fiat voluntas tua.* Propterea etiam Ecclesiæ suæ hoc nomen novum indidit: VOLUNTAS MEA IN EA. Sic enim habemus apud Isaiam: *Non ultra vocaberis Derelicta, sed vocaberis, Voluntas mea in ea.*

Isa. 62.

Exempla SS. volūtate Dei se tradẽtium.

Sic S. Catharinæ de Genua quondam in spiritu dixit Dominus. *Ex omnibus sacris eloquiis hanc sumes vocem pro fundamento perfectionis. Fiat voluntas tua.*

Vid. Drexel. in Heliotr. l. 1. c. 1.

Sic S. Gertrudis divinitus inspirata legit aliquādo trecentis sexaginta quinque vicibus hæc eadē verba Evangelica: *Non mea, sed tua voluntas fiat, amantissime Iesu* Quod etiam sensit Domino plurimum placere. Tot autem sunt dies in anno. Et hoc in praxim Rosarii resignationis propriæ volūtatis à piis viris jam redactū est. Vide Blosium in Monili spirituali, cap. 11 & ejus Elucidatorem in postrema totius Operis Blosiani editione, mihi fol. 608 ubi multa de hac voce, *Fiat voluntas tua.* Referet enim ibi, quomodo S. Gertrudi Christus apparuerit, qui ferens in dextera sua sanitatem, & in sinistra infirmitatem, monebat eam, ut eligeret quā vellet. Illa vero ab utraque Domini manu se avertens, dixit: *Domine, ego toto corde desidero, ut nō meā voluntatem respicias, sed tuum beneplacitum in omnibus perficias* Hoc laudans Dominus, dixit: *Qui vult ut ad ipsum libere veniam, debet mihi clavum propriæ voluntatis resignare. Quod si ex humana fragilitate eam resumere contigerit, mox pœniteat, ac eam iterato resignet, & suscipiet eam dextera misericordiæ meæ, deducetque ad regnum claritatis æternæ.*

Cur ab angelo confortationem Christus acceperit.

Quarto illud adverte: *Apparuit ei Angelus confortans eum* in oratione. Vide quomodo Deus, qui est beatitudo & consolatio Angelorum, quique omnes habet thesauros sapientiæ & scientiæ, à quo Cherubim & Seraphim illuminantur, quasi sui oblitus, ab Angelo & creatura sua cōsolationem admittit. Non quod egeret, sed ad instructionem nostrā sic voluit fieri, ut veritatem doloris ostenderet. Voluit ergo ipse, qui nō poterat vel nutare, vel vinci à tristitia, nihilominus *per omnia fratribus assimilari*, nec spernere confortationē per Angelū à Patre missam. Quam autem confortationem & consolationē ei Angelus proposuerit, quisve ille fuerit non ita certum est. Quidā Michaelem fuisse putant, Primatem cœlestis exercitus, cujus nomen interpretantur, QUIS UT DEUS? Quasi illi diceret illud Isaiæ: *Consurge, cōsurge, induere fortitudinem brachium Domini. Nunquid non percussisti superbum, & vulnerasti draconem? Nunquid nō siccasti mare, aquam abyssi vehementis? Quis tu, ut transeas sub homine mortali?* Animabat ergo eum ad certamen cum hoste victoriam; quia & ipsemet Michael olim victoriā reportarat, virtute ejus, de Lucifero, Dracone antiquo. Alii putant fuisse Gabrielem, cujus nomen interpretatur, FORTITUDO DEI Ipse annuntiarat ejus adventum Virgini, ac consummationē hebdomadarum in morte Christi nunciarat olim Danieli: & sæpius electus est Nuncius cœlestis in mysteriis Christi incarnationē & mortem concernentibus. Repræsentasse ergo censendus est Christo decretū Patris, fructum Passionis, necessitatem redemptionis, adimpletionem prophetiarum, vocem justorum in limbo, liberationem expectantium, restaurationem in cœlo sedium Angelicarum, & restitutionem filiorum Adæ in Paradisum. Olim apparuit Angelus, qui Cherub dicitur, cum gladio flammeo prohibens hominem à Paradiso; hic autem Angelus animat Christum, ut hunc gladiū ejusque aciem & flammam suo extinguat cruore, & rursus viam paret ad lignum vitæ.

Heb. 2.

Angelus Christo apparens quis fuerit, Isa. 52.

Cæterum, licet Christus admiserit hanc vocem confortantis Angeli, non tamē propterea dolor ei imminutus est, sed potius auctus. Sic & videmus, quod hi qui lugent mortuos, si eis consolationis verbum exhibetur ad tristitiam innoventur. Ideo & de Christo subjicitur, quod post confortationem Angeli *in agonia factus, orabat prolixius, & factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Nō dicit stillantis, sed decurrentis, & quidē non solum vestes, sed & in terram, ut maledictionē ejus expiaret, quam in eam exercerat Dominus propter sanguinem Abelis. De hac re sic S. Anselmus, in sermone de Passione Domini. *Angustias cordis tui dulcissimi, ô amantissime Redemptor, indicabat certissime sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne tua guttatim decurrebat in terram. Naturalem carnis tuæ infirmitatem huiusmodi indiciis expressisti, quibus doceremur, quia vere languores nostros portasti, & non sine sensu doloris passionum nostrarum percurristi. O quanta fuit passionis tuæ acerbitas, cujus adhuc absentis apprehensione ita naturam concussit, ut sudare sanguinem cogeretis?*

An Christi dolor per vocē Angeli sit immi. nutus.

Itaque dicamus, quod Dominus ingrediens hūc Hortum, varios Myrrhæ colligerit ramos, ex quibus Fasciculum confecit & Manipulum Patri suo offerendum in odorem suavitatis. Vocatur autem *Fasciculus*, quia respectu amoris levis videtur & facilis ad sublevandum: respectu tamen infirmæ humanitatis, & humanæ infirmitatis, *Fascis est & onus gravissimum*, sub quo ruit, & in terram non solum genibus & facie prosternitur, sed etiam omnibus suis membris sudat, & quidem sudore sanguineo, & à sæculis non audito.

Varii Myrrhæ Dominicæ rami.

Quod si Ramos particulares hujus Myrrhæ in Fasce isto contentæ vis nosse distinctius, considera causas tristitiæ & doloris ejus; quot enim causæ illius angoris, tot rami sunt myrrhæ.

Primus ergo *Ramus Myrrhæ*, dici potest Tristitia, quam concepit ex vivacissima apprehensione omnium tormentorum, quæ passurus erat toto passionis suæ tempore. Jam enim coniunctim patiebatur viva imaginatione, quicquid erat passurus diversis horis.

Secun-

Secundus *Ramus Myrrhæ*, dici potest Tristitia orta ex apprehensione omnium peccatorum, præteritorum, præsentium, futurorum, quorum ponderabat multitudinem, enormitatem, damnum æternum, injuriam Dei infinitam.

Tertius *Ramus Myrrhæ*, dici potest Tristitia orta ex cõsideratione exigui fructus passionis suæ erga multos, qui propter cæcitatem & ingratitudinem non erant usuri pretio sanguinis diurni pro se fusi, totque exantlatos labores aspernaturi erant.

Quartus *Ramus Myrrhæ*, dici potest Tristitia orta ex populi sui reprobatione, post tot beneficia ei impensa, tam antiquitus, quam illo ipso tempore, quo *in terris visus est, & cum hominibus conversatus*.

Quintus *Ramus Myrrhæ*, dici potest Tristitia orta ex præviso scandalo discipulorum, ex perditione Judæ excidentis è collegio suo & schola: ade de ex Matris suæ prævisus angustiis.

Sextus *Ramus Myrrhæ*, dici potest Tristitia orta ex consideratione omnium tormentorum, dolorum, afflictionum, quas passuri erant omnes electi. Hæc omnia ipse distinctissime noverat, & in his quasi in membris suis patiebatur ex tunc apprehensione vivacissima.

Christus discipulos dormientes invenit.

Porro post orationem regreditur ad discipulos, quorũ haud oblitus fuerat, sed in pectore & corde gestabat. Invenit autem eos dormientes. Hic somnus cor ejus acerbe sauciabat, quia præsignabat somnum infidelitatis quo mox gravandi erant. Adhortatur eos ad vigilandum & orandum, & modicum sustinendum; unde merito cõqueritur, quod vel una hora non potuerint vigilare & orare secum; & maxime Petrus, qui magna promiserat. Verum ipse solus orat, & pro omnibus orat; ipse solus vigilat, & pro omnibus vigilat, quia pati jam incipiebat pro universis, ut & illud nũc adimpleri

Isa.63. inciperet: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.* Torculat agoniæ suæ solus incipit calcare, aut in illo calcari, quasi uva electa. Laboriẽ & agonem nõ possunt cum illo ferre Apostoli, vel solum vigili oculo & mente persuadio in oratione. Ipse se incipit in victimam Patri offerre per obedientissimam voluntatem & resignationem perfectam: illi autem jam se casuros significant per somnolentiam.

Audi quid Sapiens dicat de summo Pontifice; & attende, an nõ apte nostro conveniat Pontifici Jesu Christo, jam in horto sacrificiũ suum exordienti, ut illud consummet in cruce: *Consummatione*

Eccl.50. *fungens in ara, amplificare oblationem excelsi Regis, porrexit manum suam in libatione, & libavit de sanguine uvæ, effudit in fundamẽto altaris odorem divinũ excelso Principi.* Hortus certe ille instar Templi est & Aræ, ubi Christus sacerdos perfecto & cõsummato munere sacrificii fungens reperitur, sive ultimas sacrificii partes exequens, & sacrificium perficiens. Ibi ergo oblationẽ facit & orationem,

Christi in horto oblatio.

ac in oblatione & oratione sua elevat manus ad Regem excelsum, Patrem suum æternum, & libat sive offert sacrificium de sanguine uvæ nobilissimæ, de cruore carnis suæ: *effunditque sanguinem illum uva in fundamento altaris*, cum illum effundit in horto, fũdam. Ero crucis. Cujus oblationis odor suavissimus est *Excelso Principi*, quia gratissima est Deo Patri, illam suscipienti in redemptionem totius mundi. Sæpius autem mentis nostræ oculis Christi Domini in horto oblatio obversari deberet, ut in nobis acueret devotionem. Audi, & vide hujus rei exemplum.

Exempl. S. Lyduina Virgo celebris Hollandiæ, & illustris Sponsa Christi, quodam die in raptu ad hortum Olivarum ducta fuit, ubi Christus Sanguinem suum fudit. Cum ergo diligentissime notasset, qua forma ibi orasset, & sudasset, seq; Patri obtulisset, cumque hæc pientissime secum considerasset, & diu mente revoluisset, Christus, Sponsus Virginũ, osculum ei præbens, amantissimis verbis eã invitavit, ut secum procederet ulterius ad montem Calvariæ. Cui illa: *O benignissime Domine, per lubens illuc pergam, etiamsi oporteret me mori tecum, nõ te deseram, non te negabo.* Illuc ergo etiã in raptu ducta fuit, sed ubi ad se reversa est, corpus ejus quaquaversum signatũ reperiebatur livoribus, & vibicibus; labia ei livida erant & rumida, membra velut quassata & saucia, totum corpus quasi cõsitum spinis & vepribus: at vero de corpore ejus odor suavissimus exhalabatur, cœlestis totus quo & cubiculũ ejus replebatur. Sic & ipsa seipsam efferebat cum Christo in odorem suavitatis, conformata cõfigurata corpori humilitatis ejus, conformanda postmodum corpori claritatis ejus. Hæc triginta sex annis ægritudine asperrima cruciata fuit, nihilque habebat familiarius, quam meditationẽ Passionis Domini, modo in Horto, modo in monte Calvariæ. Illius ergo exemplo animæ pietati deditæ sæpius Hortum illum visitent, & sudoris ejus guttas pretiosas recolligant in spiritu, ac cordi reconcidant; quas nonnulli pii Auctores ex quibusdam revelationibus dicunt fisse in numero nonaginta septem millium cum trecentis & quinque.

In vita S. Lyduinæ.

Per Ca. lent. in via Crucis & alii.

LECTIO II.

De proditione Iudæ, & de ejus ac militum in Horto prostratione.

CONgregati fuerant *Principes Sacerdotũ & Seniores populi præcedenti die*, sive feria quarta, (ut insinuat S. Matthæus cap. 26.) *consilium ineuntes, ut Iesum dolo tenerent & occiderent.* Hic adimplentur figuræ antiquæ. Sic enim olim consilium iniisse leguntur filii Jacob contra fratrem suũ Joseph, æmulatione moti. Sic & Principes Chaldæorum contra Danielem, eadem invidia stimulante. Sic & Principes populi fese aggregarunt contra

Hier. 11. Hieremiam, dicentis: *Eradamus eum de terra viventium.* Sic denique Absalon cum Achitophele moliuntur Davidis necem. In hoc autem consilium impiorum, instigante Satana, advenerat Judas; & in cathedra pestilentiæ sedens, ultro scelestè obtulerat, dicens: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* At illi constituerunt ei triginta argenteos. *Et spopondit, & exinde quærebat opportunitatem, quomodo opportune illum traderet sine turbis.* Quia autem sciebat locum, in quem conveniebat frequenter Jesus nocturno tempore ad orationem; ideo & illuc venit cum cohorte, cum dedisset eis signum: *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* In hac porro pactione, venditione, traditione, relucet gravissima injuria Domino facta, cor ejus transverberans acerbissime.

1. Vilitas pretii factam injuriam Christo auxit.

Primo quidem ex vilitate pretii. Erant enim 30. argentei 30. sicli. Siclum autem multi ut Pererius, Mald. & alii, valere putant idē quod florenus noster ordinarius valet, hoc est, quatuor Regales Hispanicos, ita ut essent triginta floreni. Alii dicunt, Romæ & Parisiis ostendi adhuc nummum unum ex illis quos Judas projecit in Templum, & non valere nisi medium siclum. Ita Budæus, Suarez; Ribera, & alii. Si essent solum quindecim floreni argentei. Sed forte ideo qui Parisiis, ostēduntur, sunt solū medii sicli, quia potuere Judæ fuisse soluti aliqui medii sicli, constituendo duos medios siclos pro uno integro; ita ut summa triginta siclorum constitueretur, partim ex integris, partim ex mediis siclis. Quicquid sit de præciso valore, certum est vile fuisse pretium, ita ut conqueratur Dominus apud Prophetam, ironice dicens: *Dororum pretium, quo æstimatus sum ab eis.* Et certe vilis tur fuisse pretium, quod Judæi olim dabant pro mancipiis. Nam sacer Textus præcipit, ut pro servo, aut ancilla, à bove cornupeta occisis solvantur Domino triginta sicli argentei. Tanti ergo sibi ad mortem tradendum emerunt Judæi Dominum, quanti servum occisum redimere soleut. Tanti emerunt innocentis vitam, quanti vilis servi solent redimere mortem. Sed & hoc erat abominabile facinus, vendere pro argento innocentem. *Super tribus sceleribus Israel & super quarto non convertam eum, pro eo quod vendiderit pro argento justum.* Et scriptum est: *Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, & vendito eo acceperit pretium, interficietur, & auferes malum de medio tui.* Hanc legem considerans Adrianus Cæsar, decem ex Judæis viros præcipuos horribilibus cruciatibus interemit, quia fratrem suum Iesum vendiderant. In captivitate quoque Judæorum & Hierosolymæ dicuntur pro triginta denariis trecenti Judæi divenditi fuisse alienigenis, ut servirent tanquam mancipia. Et hoc rursus in pœnam horum triginta argenteorum seu denariorum, quibus Christum emerant.

Zach. 11.

Exod. 21.

Amos 2.

Deut. 24.

Ita refert Targum Hierosol.

Secundo, aucta est injuria in Christū, eo quod ab electo discipulo venditur, & tam vili pretio æstimatur. Unguentū æstimatat trecentis denariis, & nunc tam parvi æstimat vitam illius, in cujus gratiam unguentum profusum fuerat. Damnum quod ex effusione unguenti accepisse sibi videbatur, Magistri pretio vult compensare, inquit Rupertus. Quia cū leuculos haberet, & fur esset, decimā partem eorum quæ dabantur, solitus erat furari: & quia 300. denariorum decima pars erant triginta argentei, ideo hoc pretio cōtentus fuit. Sed per hos triginta argenteos, triginta maledictiones in caput suum accersivit, quæ describuntur Psalmo 108 ut ibi nonnulli notant Interpretes.

2. Iniuria Christo facta augetur, quod à discipulo ita venditur. v. Rupert. in c. 26. Matth. v. Corn. à Lap. in c. 1 Act. v. 20.

O Mercator infelix, & maledicte? Quoniam pretio vendis eum qui inæstimabilis est valoris? Et ad mortem quidem vendis, & inimicis vendis? O miser, scire debebas, quod vel unica sanguinis ejus gurta sufficientis sit valoris ad redimendum totum Orbem: tu vero ita vili pretio vendis? Ipse non tam parum æstimat animam tuam, quam & sanguinis sui profusione paratus est redimere. Sed si te auri cupiditas vicit, cur non potius amicis vendis? O quantum tibi plus dabat Magdalena, quantum Martha, quantum Mater ejus desolata; quæ si non aliud posset dare, saltem pretio infinitarum lachrymarum desideraret redimere. Sed & filiæ Ierusalem ejus capillos plus ducentis forsan siclis emerent, quandoquidem pulchriores sint capillis Absalonis, quos eo pretio emerunt. 2. Reg. 14

Hanc impietatem Judæ considerans S. Leo sic eum alloquitur: *Tu, ô impiissime homo, semen Chanaam, & non Juda, non iam vas electionis, sed perditionis, ita diabolice instammatus avaritiæ facibus, ut ad triginta argenteorum inardescores lucrum, & quid divitiarum amitteres, non videres. Imperabas Dæmoniis, medebaris infirmis, honorabaris cum Apostolis, & ut famem tuæ cupiditatis expleres; patebant tibi furta de loculis. Sed omnium interdictorum admonitum, quod minus licuit amplius incitavit; nec tam placuit quantitas pretii, quam magnitudo peccati. Unde facinus commercii tui, non ita detestandum est, quia Dominum viliter æstimasti; sed quia Redemptorem tuum, ne tibi parceret, vendidisti.* Hæc S. Leo.

Tertio, etiam ex hoc increscit injuria, quod discipulo eū tradit ingratissimus, hic discipulus pacis & amicitiæ signū vertens in crudelis proditionis argumentum. De hac injuria atroci conqueritur specialiter Dominus per Prophetam: *Homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos: magnificavit super me supplantationem.* Quasi dicat: Homo, qui verbis & factis habere pacem mecum simulavit, dum me prodendo est osculatus, in quo sperare debui quasi servo fideli, quique commensalis meus erat & familiaris, cui non solum corporalem panem, sed etiam sacramentalem communicaveram; magnificam super me fecit de-

3. Augetur iniuria Christo facta, quod discipulo traditur. Ps. 40.

ceptio-

ceptionem, me tradendo hostibus, ut sub plantis eorum conculcaret. Certe de Iuda propheticè mē-
Ioan. 13. tionem hic fieri, satis indicat illud Domini de eo-
dem: *Qui manducat panem meum, levabit calcaneum suum contra me.* Quo spectat & illud:
Ps. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, hoc est, illud magis tolerabile fuisse. Tu vero homo unanimis Dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces cibos capiebas.* Tu maledixisti mihi
Iudam apud Pharisæos multa ea lumine dixisse verissimile est. apud Pharisæos, efferens te ultro, dum consilium iniret adversum me; & calumnias mihi impegisti qui debebas esse eiusdem mecum animi, quem eie geram in officio dispensationis ducem & rectorem, & familiaritate specialī mihi adjunxeram. Hoc certe parum tolerabile videtur post tot bene ficia. Sed hoc etiam plane perfidum & execrandum, quo signo notitiæ & unanimitatis abusus fueris, ut signo latrocinii & perditionis: *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* Hæc verba ponderanda sunt.

Sic ea elegantèr & energicè ponderat S. Ambrosius in Psalm. 39. *Venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur? Osculo, quod sacræ pacis est insigne? Osculo, quo amicitia fida firmatur? Osculo, quo fides sancta firmatur! Hoc ergo osculo tradis periculo, quem ob osculi commercium debueras venerari? Et tradis Filii hominis, qui ex te peccatore fecit Apostolū? Filium hominis tradis, qui venit ut in sanguine suo omnium peccata dilueret? Ego osculum non nego, ipse videris, qui osculi violaveris sanctitatem.* Hæc S. Ambrosius.

Christus itaque non negavit osculum Iudæ, qui illud instituerat symbolum ordinarium charitatis inter se & discipulos, ita ut Magistrum salutare soleret discipuli sanctè osculando. Et hæc fuit
Benignitas Christi non Iudæ osculum. benignitas Salvatoris, labia sua sanctissima & dulcissima ad putidum os, plenum sordibus & malitia, per quod intraverat Diabolus, & accepta buccella, admovere. Ipsum tamen etiam verbo voluit serio admonere, adjungens. *Amice, ad quid venisti.*

Quo sensu Iudas amicus à Christo dicatur. Hæc est vox improperantis simulationem, simulque admonentis eius conscientiam. *Amicum* vocat, non quod diligeretur ab eo, sed quod ipsum diligeret, eique bene vellet, ac de eius perditione doleret: sic his eum verbis ad meliorem vult reducere, ut cogitet amicitiam pristinam, & criminis inde sui immanitatem. Notant autem nonnulli in Evangelio solere Dominum malos hoc nomine compellare. Malus erat is, cui dicebatur: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Ille
Matt. 20 Matt. 22. quoque malus erat, cui improperatur: *Amice, non facio tibi iniuriam, tolle quod tuum est, & vade.* Pravus igitur erat Judas, cui dicitur hic: *Amice, ad quid venisti.*

Idem porro est, ac si dicat: Ita ne de te meritus sum, Iuda? Memineris re amicum. *Num peccavi in te, lavans pedes tuos, curvans genua, reficiens te Corpore & Sanguine meo? Amice, ad quid venisti? Adeo ne triginta me argenteis viliorem habes? Cur à me aversus es, qui Apostolatus te titulo honoravi, in deliciis nutrivi, sollicite quasi proprium filium instituit? Cur me deliquisti, & coniunctus es servis Diaboli? Cur ad avaritiam declinavit cor tuum, & me summum bonum vili pretio vendens reliquisti, qui cœlis & terram dirigo? Amice, ad quid venisti? Ad te ipsum, quæso, intro convertere, redi ad cor vide quo devenieris, adverte quid faceris. Porta gratia & amittitur nec dum tibi clausa est: si voluerit reverti & pœnitere, suscipiam te tuitis amoris & misericordiæ.* Ita Abbas Blosius, in Margarito spirituali, p. 3. c. 3.

Certe Christus, qui non vult mortem peccatoris, omni modo Iudam reducere conatus est. 1. Post
Variis modis Christus Iudæ revocare conatus est. venditionem adhuc toleravit eum in societate Apostolorum & priori familiaritate dignatus est. Sic beneficentia & amore voluit eum devincire, ad mensam recipiens, amanter loquens, pedes lavans cum genuflexione, & humilitate, & lacrymis.

2. Voluit eum per pudorem vincere & reducere, coram discipulis rei ostendens indignitatem: *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.*

3. Idem conatus est facere per minas & metum pœnarum: *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur, melius foret illi, si natus non esset homo ille.* Quid ultra potuit Dominus? Si *immedicabile fuit vulnus, quod nec austeris, nec dulcibus medicamentis voluit obedire*, inquit Sanctus Chrysostomus. *Væ, væ, væ cordi quod locum cœpit dare Diabolo, & se separare à Christo: quia in profundum tandem sese malitiæ immergit, & contemnit.*

Attendamus interim hic Christi erga proditorem benignitatem ineffabilem, ut non desperemus
Morale ex benignitate Christi. unquam de misericordia. O Iesu benignissime, si traditori, si inimico, si infideli servo, ita ex animo bene affectus fuisti, & ita revocare eum tonatus es ut salutares: quid charis facies amicis tuis, quibus toto corde quæruot, sitiunt, & diligunt? O anima, quæcumque impatiens es, & sæva, ac vindictæ appetens, quæque unico verbo ad iram, contumelias ultionem commoveris, attende, quæso, uti Christus non dedignatus sit alloqui vilissimum proditorem suum, amicum dicere, & suaviter, osculari. Tu vero præteris proximos tuos, eis loqui contemnens, talique dedignatione ad odium eos provocas; sicque animas illorum perdis, quos suavi verbo placare, & ad charitatem movere posses.

Attendamus quoque casum, ingratitudinem,
Morale ex lapsu Iudæ. obstinationem Iudæ, & timeamus; quia nullus status exemptus est à periculo & tentatione. Abscindamus autem radicem & occasionem casus cius, malorum scilicet frequentationem & pravam cupiditatem, quæ eum in tantum malitiæ barathrum potuit pertrahere. *Amore pecuniæ vilis est omnis affectio*, inquit S. Leo, *& anima lucri cupida*

Illam

tiam pro exiguo perire non metuit; nullumque est iustitiæ in illa corde vestigium in quo sibi avaritia fecit habitaculum. Ita S. Leo de Juda loquens. Cui & illud convenit poetæ:

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames

Dicebat alter Judas Apostolus in Epistola sua versu 11. *Væ illis qui in viam Cain abierunt & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.* An non Judas *in viam Cain abiit*, tradens & fundens sanguinem fratris sui innocentis; An nõ *errore Balaam mercede effusus est*; pro mercede trigunta argenteorum maledicens Christo, & eum prodens, sicut Balaam mercedem accepit, ut populo Dei malediceret; An non *in contradictione Core periit*, in contradictione scilicet Sacerdotum contra Christum verum Aaron; Si terra corpus nõ absorbuit, sicut contigit Core, infernus certe animã deglutivit. Væ ergo illi, & tertio væ.

Morale ab osculo Iudæ. Psal. 27.

Attendamus denique, ne & nos simus de eius sectatoribus, de illis qui osculo Filum hominis tradunt. Tales autem sunt non solum qui *pacem loquuntur proximo suo, mala autem in cordibus eorum*, qualium magnus est in orbe numerus: sed etiam tales sunt, qui indigne ad Sacramentum Communionis accedunt, non præmissa debita scelerum agnitione & confessione. Hi enim quasi osculum præbent Filio Dei, & eum peccatis suis iterum crucifigendum tradunt. O quam multi de hoc numero Sacerdotes? O quam multi Fideles, qui magna parte vitæ vix semel digne accedunt, eandem quã Judas intulit iniuriam renovantes! O quoties, Domine, à mille sexcentis annis hanc patienter iniuriam tulisti! poteras vel Eliæ ignem, vel Amaziæ sub tam mortem, vel Elymæ cæcitatem eis infligere ad ultionem: sed mavis charitatis ignem in cordibus eorum accendere ad conversionem, si attendere vellent. Hæc est benignitas tua, quam etiam testatus es erga Judam. Sed quoniam non recusasti proditorium & fallax osculum faciei tuæ, quãto magis confidimus te non repudiaturum miserorum peccatorum suam agnoscentium miseriam & culpam, osculum humile, non ad faciem tuam, sed ad pedes, apud quos cum Magdalena semper reperitur misericordia. Hoc eis inspira, & lachrymarum gratiam eis dona, ut tuos possint rigare pedes cum sincera pœnitentia. Sed & osculo & amplexu proditorio benigne susceptо, hoc te apud Patrem promeruisse scimus, ut animas nostras, licet olim peccatrices, brachiis charitatis amplectaris, & osculo veræ pacis & reconciliationis osculeris, infundendo cordibus pœnitentium verba æternæ salutis.

Dato osculo recedit Judas ad suos, Christus autem sciens probe quæ sibi accidere debebant, nihil territus, obviam procedit militibus & hostibus suis, & dicit eis: *Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dixit eis: Ego sum. Vt ergo, dixit eis, Ego sum abierunt retrorsum, & ceciderunt in terrã.*

Nonnulla hic notatu digna sunt ex SS. Patrum doctrina.

Primò quidem docet S. Cyrillus, l. 11. in Ioann. cap 33. Ministros Iudæorum, qui sæpe in templo & in civitate sua Christum viderant, & facie probe agnoscebant. hic divina virtute prohibitos ne eum agnoscerent; sicut olim Sodomitæ excæcari fuere, ne reperirent ostium Loth. Quod ipsum contigit militibus, qui missi fuerant ad comprehendendum Elisæum. Neque solum militibus id contigisse, aut ministris Pharisæorum, sed & ipsi Iudæ, asserit idem Cyrillus cum S. Chrysostomo, hom. 82. & propterea dictum fuisse ab Evangelista: *Stabat autem & Iudas cum illis*: ita ut & ipse ceciderit retrorsum, & cæcitate quadam subita percussus fuerit cum aliis, ut agnoscere nihil se suo osculo profecisse, quia & illo dato iam non agnoscebatur Christus: & facile poterat evadere, qui eos sic poterat excæcare & itẽrnere. Voluit ergo signum divinitatis & omnipotentiæ suæ iam capiendus ostendere, tum ut ad cor redirẽt, aut inexcusabiles redderentur; tum ut ostenderet se libere animam suam ponere. De hac re sic loquitur S. Leo serm. 1. de Pass. *Cum impius Iudas, non iam ovina pelle vestitus sed lupino furore manifestus, vim sceleris per speciem pacis incipiens, signum traditionis saviore omnibus telis osculo præbuisset: factum est, ut multitudo furibunda inter faces & laternas lumen verum tenebris obcæcata suis non cerneret. Dominus autem qui expectare potuit turbas, quam declinare delegerat, quem quærant nec dum invenit interrogat. Cũque dixisset. Ego sum, magnum illam ex ferocissimis congregatam quasi quodam fulmineo ictu stravit atque perculit. Vbi fuit savitia conspirationis ubi ardor iniquitatis? ubi instructis animorum? Dominus dicit. Ego sum, & ad vocem eius turba prosternitur impiorum. Quid poterit majestas iudicatura, cuius hoc potuit humilitas iudicanda.*

Secundo docent SS. patres in hac oculorum detentione ne eum agnoscerent, & prostratione in terram, significati excæcationem & casum gentis Iudæorum, Messiam non agnoscentis: ita ut adimpletum fuerit illud. *Convertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala, Fiant tanquam pulvis ante faciem venti*, Item illud: *Et erit eis verbum Domini: Manda, remanda: exspectа, re exspectа, modicum ibi, modicum ibi: ut vadant, & cadant retrorsum, & illaqueentur & capiantur.* Figuram horum omnium habes in Heli Sacerdote antiquo, cuius caligabant oculi, ita ut non posset videre lucernam templi: qui & postmodum audiens esse captam arcam Dei, cecidit retrorsum, & tali quidem casu, ut exspiraret. Quocirca S. Gregorius notat in Scripturis sacris retrorsum cadere esse impiorum, in faciem cadere esse electorum. Sic enim ait hom. 9. in Ezech. *Quærendum nobis est, cur Ezechiel & Paulus in faciem cadunt, & de ascensore equi, id est, de eo qui in huius mundi gloria elatus est, dicitur. Vt cadat*

Notat.

Gen. 19.

4. Reg. 6.

Nota 2.

Psal. 34.

Isai 28

1. Reg. 3.

Retrorsũ cadere impiorũ est, prorsũ autem in faciẽ.

cadat aſcensor eius retro. Et de perſecutoribus Domini: Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram: Quid eſt hoc, quod electi in faciem, & reprobi retrorsum cadunt, niſi quod omnis qui poſt ſe cadit, ibi procul dubio cadit ubi non videt: qui vero ante ſe cecidit, ibi cadit ubi videt? Iniqui ergo quia in inviſibilibus cadunt, poſt ſe cadere diſuntur; quia ibi corruunt, ubi quid eos tunc ſequatur, modo videre non poſſunt, Iuſti vero, quia in ſtu viſibilibus ſemetipſos ſpõte dejiciunt, ut in inviſibilibus erigantur, quaſi in faciem cadunt, quia timore compuncti videndo humiliantur. Hæc S. Gregorius. In eandem ſententiam dicit l. 31. moral. c. 18. *In faciẽ cadere, eſt in hac vita ſuas culpas agnoſcere, & pœnitendo deflere: Retrò verò, quò non videtur cadere, eſt ex hac vita repentè decedere, & ad qua ſupplicia ducatur, ignorare.*

Nota 3. Tertiò notanda eſt virtus illorum verborum. Ego ſum: Hæc dicere poſſumus illud: *Dedit voci*
Pſal. 67. *ſuæ vocem virtutis.* Et rurſus illud: *Vox Domini cõ-*
Pſal. 28. *fringentis Cedros.* Fuit enim vox iſta Domini inſtar tonitrui & fulguris, è nube humanitatis (in qua latebat fulgor Divinitatis) prodiens, oculos eorum perſtringens, & membra ita perterrefa-
Virtus verborũ: ciens, ut colliſi corruerent. Hæc voce. *Ego ſum*, ſæ-
Ego sũ. pè uſus eſt Dominus ad varios effectus. Hæc eſt vox quæ tot mirabilia operata eſt in Ægypto, Moyſis miniſterio, quia nomen eſt Majeſtatis. Sic enim contra Pharaonem ſuam oſtenſurus Deus potentiam, præcipit Moyſi, ut diceret: *Ego ſum qui*
Exod 3. *ſum.* Hac eadem voce, *Ego ſum*, feliciter proſtravit Paulum; fuit enim tunc inſtar fulguris coruſcantis, & oculos corporis excæcantis, ſed mentis oculos ſublimiori luce illuminantis. Hac voce navigantes diſcipulos confirmat, & timorem eis ex-
Matt. 14 cutit: *Ego ſum, nolite timere.* Quam etiam vocem repetiit poſt reſurrectionem, ut trepidos & vacillantes animaret. Hæc quoque vox profuit Sama-
Ioan. 4. ritanæ, & toti Samariæ: *Ego ſum, qui loquor tecum.* Sed ſi tanta eſt virtus vocis hominis miſeri procedentis ad mortem, quanta erit virtus potentis Judicis & vocis illius, *Diſcedite maledicti?* Illa certè
Matt. 25. vox *armabit omnem creaturam*, & non ad tempus,
Sap. 5. ſed in æternum reprobos dejiciet, & quaſi Vox æterni tonitrui illos in rota conſtituos vertet de
Pſal. 1. tormentis in tormenta. Ideo *non reſurgent impii in iudicio*, hoc turbine proſtrati irreparabiliter & irrevocabiliter.

Nota 4. Quartò notatu dignum eſt, quod is qui eos verbo proſtravit, iterum verbo eis ſurgendi poteſtatem fecit, & quaſi à morte ſuſcitavit, dum dixit eis ſecundò: *Quem quæritis? Illi autẽ dixerunt*: Iesum *Nazarenũ.* Erant ita timore perculſi, & caſu exanimati, ut reſponderi nõ poſſent, niſi ipſo eis vires dante. Reſpondit Iesus: *Dixi vobis quia ego ſum; ſi ergo me quæritis ſinite hos abire. Vt impleretur ſermo quem dixit: Quia quos dediſti mihi non perdidi ex eis quemquam.* Itaque Iudæ & militũ cæcitas & obſtinata malitia hic ſatis pateſcit, qui nihil commoti Divinitatis potentia eos proſternente, inſiſtunt perſecutioni & furori, aſſerentes ſe quærere Ieſum Nazarenum. Sed, ô miſeri & miſerandi, non ſatis intelligitis quid dicitis. Nam ſi Ieſum quæritis, Salvatorem quæritis; ſi Nazarenum, Deo conſecratum, & virtute omni ſordidum quæritis. Vos autem mortis reum & quaſi flagitioſiſſimum virum quæritis & quidem in tenebris. Veniet autẽ tempus in quo quæretis eum ut Ieſum, ſed nõ occurret vobis, quia ab eo dictum eſt: *Dorſum &* *Hier. 28.*
non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum. Ad- *Matt. 25.*
implebitur illud: *Amen dico vobis, neſcio vos.* Si tunc inveniatis, certè terribilem & crudelem inveniatis neceſſe eſt tamquam Iudicem ſeverum, & Dominum ultionum. Vincula quibus eum alligaſtis, plagæ & vulnera quæ inflixiſtis, vindictam in vos ſuo accerſent clamore; reſumetque ejus ſanguis vocem ſanguinis Abel effuſi à fratre. Hoc non ad Iudæos, ſed etiam ad omnes ſpectat Chriſtianos, qui in peccatis perſeverantes Chriſtum æquè ac illi perſequuntur. Quæramus nos Ieſum nunc dum inveniri poteſt, & ut Ieſum quæramus cum affectu & humilitate, ut poſſimus ab eo audire idem quod Apoſtoli: *Nolite timere. Ego ſum.* Ego ſum Pater veſter, ego Salvator, ego Protector, ego ſalus & vita veſtra, cur trepidi eſtis?

Quod autem Dominus dicit: *Si me quæritis, ſi*
nite hos abire, iterum verbum hoc, verbum divinæ
fuit poteſtatis, quo furorem eorum repreſſit, ne in
aliquem diſcipulorum inſurgerent, aut comprehenderent. Quod tamen abſque dubio feciſſent, quia occaſionem dederunt Apoſtoli, ſaltẽ Petrus, gladium vibrans & vulnus infligens uni ex miniſtris Põtificis, ſed hujus divini verbi virtus eos cohibuit. Magnus interim amor Domini in ſuos eruceſcit hic, dum in propria affectione eorum curam haud deponit. Fecit autem id, ut ſignificaret per ſolam ſuam mortem ſalutem hominum efficiendam, juxta prophetiam Caiphæ: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat.* Idem eſt ergo ac ſi dicat Dominus, Dixi vobis me Ieſum eſſe quem quæritis, me ergo comprehendite, & nõ hos meos diſcipulos, ſed illæſos volo abire. Ego ſum paratus implere voluntatem Patris mei, & meipſum offerre pro ſalute hominum. Ego paratus ſum antiquum delere peccati chyrographũ ſanguine meo. Ego, ego ſum ille homo qui debet mori pro populo. Ego, ego ſum ille Agnus innocens pro ſalute populi immolandus. In me facta eſt vobis poteſtas capite, ligate, ad mortẽ ducite. Nulla vobis in Diſcipulos poteſtas, ſinite eos abire. Sic Paſtor bonus opponit ſe pro ovib' luporũ dentibus & adimplet illud quod dixit: *Ex*
eis non perdidi quemquam. Quæ verba ſic intelligẽ-
dã ſunt, quaſi velit dicere ſua culpa & negligentia neminẽ illorum periiſſe. Quod quam vis maximè dictũ ſit de morte & perditione ſpirituali, Evangeliſta tamẽ accommodat hic ad perditionẽ corporis. Et de utraque verum eſt. Noluit enim Do-

Magnus amor Chriſti in diſcipulos nolentes eos ladi.

minus comprehendi discipulos, & occidi, ne perirent in æternum. Nam erant imperfecti, & comprehensi fuissent, facilè à Christo recessissent, & eũ negassent, ut accidit Petro. Vnde ne quoquo modo eorum perditio sibi posset imputari, eorum curam gerit, ne comprehendantur in sua imperfecta fide, & eorum quispiam pereat. Hæc est sententia S. Augustini & Ruperti in hunc locum.

LECTIO III.

De comprehensione Christi, & de his quæ tunc ab Apostolis gesta sunt.

FActa sibi potestate, accesserunt & injecerunt manus in Iesum: & tenuerunt eum. Videntes autem discipuli dixerunt: *Domine, si in gladio percutimus?* Memores erant Dominum paulò ante de gladio emendo eos monuisse, putabant ergo monitum: stud respexisse hoc tempus, & ideo interrogant, si percutere tunc liceat. Habebant autem gladios, quibus fuerant usi ad recentem Agni immolationem, ut multi censent. Interim Petrus, nõ expectato responso, percutit servum Pontificis, qui fortè primus, vel certè cæteris violentius in Christũ insurgebat, & abscidit ei auriculam dexteram. Lethale absque dubio vulnus capiti eius inflixisset, nisi declinasset. Id verò Petrus solito fervore fecit & zelo, sed nõ secundum scientiam; ideo à Christo reprehenditur triplici ratione & auctoritate.

Chrysost. & alii.

Petrus auriculã Malcho amputãs reprehẽditur à Christo triplici ratione.

1. Primò enim ei dicit: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*; hoc est, qui propria auctoritate, & ad vindictã gladio utuntur, digni sunt qui gladio pereant, imò & ipse gladius eis animæ mortem conficit. Petrus autem, licet videatur gladio usus ad defensionem, id tamen fecit sine Domini assensu & auctoritate: & magis vindictã spirare videbatur, quàm defensionem talis percussio, quia vana erat defensio contra talẽ turbam armis instructam; magnis nocitura erat, quàm profutura, occasionem præbens sæviendi in Christum, tamquam qui contra ministros justitiæ armis sese tueretur.

2. Secundò dicit ei: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Quasi reprehendat eum quòd cõtra specialem Patris ordinationem faciat, & redemptionem impediat jam à Christo inchoandam. De quo sic loquitur S. Leo. serm. 1. de Pass. *Hunc zelantis Apostoli pium motum progredi ultrà Dominus nõ patitur, recondique gladium jubet. Contra Sacramentum enim erat redemptionis nostræ, ut qui mori pro omnibus venerat, cæpi nollet, ne dilato gloriosæ Crucis triumpho, & dominatio diabolica feras longior, & captivitas humana diuturnior.*

3. Tertiò dicit ei: *An non possem rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* Quasi dicat; Non egeo auxilio duodecim Apostolorum, qui possum ad manum habere duodecim legiones Angelorũ. Continebat autem legio circiter sex millia militum. Non solùm autem poterat habere duodecim legiones, sed etiam millia millium, & decies centies centena millia: *Nunquid est numerus militum eius?* Sed quid egebat legionibus, qui verbo potuit hostes suos prosternere? quia poterat vel unum Angelum destinare, sicut olim in Ægypto ad primogenita omnia nocte una perimenda, sicut & tempore Zennacherib ad octuaginta quinque millia intemperioni danda, aut tempore Davidis ad septuaginta millia peste percutienda? An non & ipse poterat humum aperire, & omnes absorbere, sicut Core, Dathan, & Abiron? An nõ igne cœlesti eos absumere, sicut ab Elia factum est in quinquagenarium & milites eius asseclas? Interim hic discere legiones esse Angelorum, quæ adversantur legionibus Dæmonum qui homines divexant. Unde quidem sanatus est à Christo, quem multi Dæmones possidebant & torquebant. Nam fatus est, *Legio est mihi nomen, quia multi sumus.*

Iob 25.

Exod 12. 4 Reg. 19 2. Reg. 24

4. Reg. 1.

Marc 5.

Cæterum, Christus Dominus tum ne daret occasionẽ hostibus in se sæviendi, aut justa alicujus occasionis quòd restitueret publicæ potestatis tum ut ostenderet se libere & spontaneè ad mortem procedere; tum ut exhiberet nobis exemplũ benefaciẽdi hostibus, & ab omni specie vindictæ abstinendi, magna benignitate (quasi *congerens carbones ignis super caput inimicorum*) exsectã Malchi auriculam resumens, suo loco restituit, & sanavit. O magnã ad mortẽ euntis Domini mansuetudinẽ & bonitatem! O magnam potentiam hominis captivi, & in manus hostium traditi! De qua re sic eleganter S. Leo serm. 1. de Pass. *Aurem servi in ipsa sectione demortuam, & à compage viventis corporis alienam, in sedem dehonestati capitis revocat manus Christi: reformat quod ipse formaverat, nec tardè caro sequitur eius imperium, cuius erat ipsa figmentum.* Hæc S. Leo, conformiter S. Ambrosio, qui etiam dicit hoc factum esse ut cognoscamus ipsum esse qui è limo terræ corporis membra variis apta formavit officiis, & infuso vigore mentis animavit. *Sic ad dextræ Salvatoris attactum vulnera non medicamento asperia, sed tactu obducta sanantur. Operatorem suum limus agnovit, & operatricem suam Domini manum caro sequitur*, inquit S. Ambros.

Cur auriculã Malcho Christus restituerit.

Rom. 12.

Ambros. in 22. ca. Luc.

Notant quoque Sacri Interpretes ex S. Ambros. & Cyrillo non casu sed Dei providentia factum, quòd servo huic Pontificis auricula dextra amputata fuerit vacare mysterio. Per hoc enim significabatur Judæos cũ suo Pontifice deinceps verum & dextrum audirũ legis perdituros, omniaque sinistrè tantùm interpretaturos. Quod verò à Christo auris restituitur, præsagium fuit conversionis eorum, dum ablato velamine & cæcitate veritati fidei aurem præbebunt, saltem in fine sæculi. Audi S. Ambrosium: *Si Petrus volens percussit aurem dedicit quod aurem habere in specie non deberent, quam in my-*

Nota. Cur servo Pontificis & non alteri cuipiã auris amputata.

in mysterio non habebant. Sed bonus Dominus ipsi refundit auditui, secundum prophetica dicta demõstrans, & ipsos, si convertantur, posse sanari, quam in Passione Domini vulnerati sunt, eo quod omne peccatum Fidei mysteriis abluatur.

Iob 25.

Significari quoque potest quod Petri sit & Apostolorum tol ere aurem male audientis gladio spirituali, aut m interiorem malè intelligẽtis, inquit S. Ambrosius. Ideo cui Deus denegavit gladiũ materialem propria manu eximere, gladium spiritualem verbi concessit, tamquã sibi & illis qui in Sacerdotio succedunt convenientissimum, ad demetendam non solum aurem malè audientem, sed etiam *omnem altitudinem extollentem se contra Deũ.* Gladius itaque est verbum Dei, unde per illum quondam cœlitus Sancti & Episcopatum & Apostolorum officium sunt inaugurati. Audi quod ad hanc rem legimus in vita S. Dunstani,

Exod 22. 4 Reg. 19 2. Reg. 24

4. Reg. 1.

2. Cor. 10

Sancti per gladium cœlitus ad Episcopatum inaugurati

Apparuere ei in somno Sancti Petrus & Paulus & Andreas, singuli singulos gladios auro inscriptos pro munere Apostolicæ benedictiones cõferẽtes. In gladio Petri scriptum erat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* At Gladius Pauli nomen Andreæ continebat. Andreas autem blandè eum intuens modulata voce canebat; *Tollite iugum meum super vos, & discite, quia mitis sum, & humilis corde.* Quid autem hæc significarent, Rex Eltedus, qui Dunstanum tenitentem ad Episcopatum evehere volebat, per Spiritum edu ctus est, & effectus ipse ostendit. Quare Rex Dunstano visionem narranti sic ait: *Cum tibi Apostoli gladios suos contulerunt verbum Dei vice sua dispensandum tradiderunt. Et quia Episcopos, vices Apostolorum per verbum Dei agere scimus, Episcopatus honore te sublimandum scias. Quod ergo in gladio B. Petri scriptum est: In principio erat Verbum scias quod sicut hæc verba Filium Dei innuunt: sic tu in Eccle sia Cantuariensi, dedicata specialiter Salvatori & Filio Dei, Archiepiscopatu sublimaberis. In qua vices Apostoli Petri accipies, atque ipsius potestatem solvendi atque ligandi tu super omnes Anglia Provincias habebis.* Quod vero gladium ei etiam Andreas dedit suo scriptum nomine, designabatur auctoritas in Roffensem Ecclesiam: quam regere solitus erat, qui Cantuariensi præerat, & hæc fuit specialiter sub patrocinio S. Andreæ. Quia autem prius Sanctus Dunstanus regere debebat. Londinẽsem Ecclesiam, ex nomine Pauli celebrem, ideo & à Paulo gladium accepit, Pauli titulo inscriptum. Hæc refero occasione gladiorum, quos habebant Apostoli, non ad ultionem, sed ad mysticam potius significationem, quam tunc adhuc non satis intelligebant. Non enim satis intellexerunt illud Domini: *Qui habet tunicam, vendat & emat gladium.* Quod non sine mysterio dictum fuerat à Domino.

Surius in vita S. Dunstani & alii

Matt. 11.

Luc. 22.

In illa autem hora dixit Iesus turbis, & ad eos qui ad se venerant Principes Sacerdotum, & Magistratus templi, & Seniores: *Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me, quotidie vobiscum erã, & docebam sedens in templo, & non me tenuistis. Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* In his verbis multa continentur ponderatione & speciali consideratione digna.

Ex voluntate Christi Iudæi potestatẽ in ipsum habuerũt

Primò, ostendit quomodo potestatem habeant ex sola sua voluntate, quia spontanee se traderet eis, veniente jam hora qua impleri debebant Scripturæ. Cum enim sæpissimè se palam eis obtulerit, nihil in eum potuerunt, quia noluit, & nec dum venerat hora. Unde prædicta verba S. Hieronymus sic explicat, quasi diceret Dominus: *Stultum est cum gladiis & fustibus quærere eum qui se ultrò vestris tradit manibus; & in nocte quasi latrantem, & à vestris oculis declinantem per proditorẽ investigare, qui quotidie docebat in templo: sed ideo adversum in tenebris congregamini, quia potestas vestra in tenebris est.*

Summa Iudæorũ ingratitudo obiicitur.

Secundò, censetur prædictis verbis exprobrare ingratitudinem eorum. Quasi dicat: Est ne istud quod retribuitis pro doctrina vobis impensa, pro tot beneficiis à me in vos profectis? *Numquid redditur pro bono malum;* Num quid ægros vestros sanitati restitui, cæcos illuminavi, claudis gressum reddidi, mortuos suscitavi? Pro his igitur omnibus hæc retribuitis: Certè ingratitudo eorum plus affligebat Christum, quam quippiam aliud: unde & eam in eius passione cœlum & terra, Sol & astra detestata sunt. Cœlum quidem & Sol lucis subtractione, terra concussione, & petrarum fissione. Neque solum Christus ad memoriam revocabat novissima hæc beneficia, sed & antiqua innumera populo huic immemori & ingratissimo exhibita. Hæc summatim Sanctus Chrysostomus homil. 39 recitat, dicens: *Præ cæteris hominibus magnifica eis vita instituta sunt tradita. In medio mari iter eis apertum est: & in quo ipsis fuit salus, inimicis venit interitus. Annu quadraginta in deserto, non orando nec seminando vixerunt: laborẽ messis & aream nescierunt: onus eis mola & coquendi panis necessitas non fuit. Fœminas quoque eorum, nulla texendi sollicitudo constrinxit, mercandi causa nõ instituit, macellum nemo pro carnibus requisivit. Sed super hæc omnia fuit verbum Dei, & paravit eis mensam in deserto, laboris & sudoris expertem. Hæc enim fuit natura Manna, novus quotidie cibus, & saporem sui pro desiderio vescentium subministrans. Sed indumenta eorum, & calceamenta, & ipsorum etiam corpora natura obsita est infirmitatis sua. Nõ enim attrita sunt vestimenta, aut quis infirmus fuit egẽs medicina. Et quod fuit super omne miraculum ne fortè acrior eos Solis radius adureret, umbra nubis per diem tegebantur, & circumferebantur cũ eis tecta cœlestia. Nec nocte absque solatio relinquũtur: lapas enim eis ignis non solùm illuminandi, sed & viam ostendendi ministerium præbebat. Quid verò dixerim de sequẽte eos petra aquarum fluvios emittente? Quid de multitudine avium terram tegente? Quid repetam miracula in Ægypto facta: Quid virtutes quæ cõsummata*

Iere. 28.

sunt in deserto, bella, ovationes, victorias; Non enim ut pugnantes, sed ut choros agentes manu protectionis triumphabunt. Nam & muros Iericho in voce Psalmorum turbarumque deiecisse. Hæc & plura ibi S. Chrysostomus. Quæ certè mirè ad augent ingratitudinem populi Israel irruentis in suum Ductorẽ, Doctorem, Salvatorẽ, ut meritò Ecclesiahæc exprobrando eis in die Veneris sancto *Improperia* occinat per multos versus.

Christus ut fur & latro apprehendi voluit. Ps. 68.

Tertiò considerandum est quod dicit: *Tanquam ad latronem existis.* Licet hoc improperet & exprobret; attamen voluit tractari & apprehendi ut fur, & latro, quia venerat satisfacturus pro furto primi hominis in Paradiso. Pro illo voluit sui sanguinis pretium solvere, ita ut apud Psalmistã hæc sit vox eius: *Quæ non rapui tunc exsolvebam.* Alia tamen & sublimiori ratione sacris in litteris describitur, tamquam raptor & prædator, quia & nomen eius esse dicitur: *Accelera spolia detrahe, festina prædare.* Venerat spoliaturus Diabolum, & in inferno prædam eruturus! iamque in Cruce prædari incipit, latronis animam è Dæmonis eripiens potestate tanto tempore ab eo possessam. Ideo & de eo in typo scriptum est: *Catulus Leonis Iuda, ad prædam ascendisti Fili mi.* In Crucem enim ascendit Christus de tribu Iuda ortus, ut prædam inde caperet. Sed felix qui eius præda esse meruit: Vtinam nos prædetur, & sibi corda nostra rapiat, ut Mundus & Satan ea ultrà non possideat.

Isai. 8.

Gen. 49.

Potestas Satanæ in Christum, nonnisi à Christo.

Denique illud considerandum quod dicit: *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Ipse qui lux erat sese in potestatem tenebrarum dedit, & ampliorem in se potestatem concessit, quam olim in Iob fecerat Satanæ, ut per mortem suam destrueret mortis imperium. Olim Alexãder Magnus sagitta hamata percussus, rogabatur ut se permitteret ligari donec illa excideretur. Respondit ipse: *Non decet vinciri Regem, cum libera sit Regis & semper, salva potestas.* At Christus Rex Regum se vinciri permittit percussus sagitta amoris, ut per hæc vincula nos sibi devinciat, & hostes devincat. Sic & Sampson permisit se ligari, ut postmodum destructis vinculis suos hostes vinceret, vel in mandibula asini, vel in devotione aulæ eorum & tẽpli. Non absimili igitur modo Christus Dominus post vincula illusiones, disruptis per resurrectionem vinculis mortis, totum imperium Dæmonis evertit, & per simplicitatem Apostolorum, in mandibula asini designata, totum orbem convertit.

Leo Ser. 8. de Pass.

Irruerunt itaque in Iesum, tamquam lupi rapaces in Agnum mansuetissimum, tamquam sceleratissimi latrones in Pastorem verum, tamquam perfidi filii in Patrem pium. *Irruerunt* (inquit S. Leo) *in lumen verum, filii tenebrarum, & ut essent sæculis atque æternis, non evaserunt infidelitatis suæ nodem, quia non intellexerunt lucis Authorem. Occupant paratum tenere, & trahunt volentem trahi,*

Quo furore Iudæi in Christum irruerint.

Ps. 55.

Ezech. 3.

Funibus Christũ Iudæi circumdederunt.

quia si vellet obniti, nihil in eum possent manus impiæ; sed nullum servaret illæsus, qui pro omnium salute erat moriturus. Irruunt in eum tanti pugiles, vituli insolentes, rabidissimi canes, efferati leones nihil præcedentibus miraculis commoti. Quia imò inde eorum auctus est furor, quod ipse in terram prostraverit, quòd capi antea non potuerit: & eoque singuli in eum irruũt, iniuriam suam vindicantes. Circumdãt eum sicut apes, quisque aculeũ figens diræ ultioni: Igitur ipsum ũ impetu & furore in terram prosternũt ventri, faciei, totique corpori cum rabie incumbunt, conculcant, & tero citer colligunt. Ecce qui sedet super Cherubim, subspedibus impiorum jacet, & ad Patrem orare potest! Iis Psalmistæ verbis: *Miserere mei, quoniam conculcavit me homo, conculcaverunt me inimici mei.* Parum ei fuit prosterni ad pedes discipulorum voluit & iacere sub pedibus inimicorum. Ligatur verò tamquam Agnus qui portatur ad victimam, sine ulla querimonia aut voce, sine ullo signo indignationis aut iræ. Adimpletur illud: *Fili hominis data sunt super te vincula, & linguam tuam faciam adhærere palato tuo, & eris mutus.*

Colligatum autem quidam censent catena ferrea, eò quod Iudas dixerat, *Tenete eum, & caute ducite.* Absque dubio multiplici fune fuit ab eis circumdatus, ut securius ducerent, ferociique trahe rent. Sicut Leo rugiens & rapiens trahit prædam suam per terram, ita & illi trahebant Christum percutiendo, & multis iniuriis afficiendo, multis que probris. Traduntnonnulli in torrentem Cedron, quem mox in irruere transire oportuit, præcipitatum fuisse, & vestigia pedum imponte, ex quo præcipitatus fuit, impressa remansisse. *Sic tradit Aranda servatur Terra sancta, & Salmeron, ac alii.*

Hoc hic piè considerandum, illas manus vinculis colligatas fuisse, quæ paulo ante panem Angelorum distribuerant discipulis, & quæ semper extensæ fuerant ad bene faciendum etiam inimicis; quæ cæcis lucem, ægris sanitatem, mortuis vitam, mutis loquelam, surdis auditum tactu suo restituerant, & in ipsa eadem hora coram ipsis Malcho abscissam aurem. His interim vinculis vinciri voluit, ut nostrorum dissumperet vincula peccatorũ. Nec tam his ipse, quam suæ charitatis & amoris vinculis ligatur, quibus & nos colligare sibi peroptat, & corda nostra trahere, indivisibiliterque unire. Dicamus ergo illi, correspondentes eius amori & charitati; Vtinam Domine mi, omnes nervi mei, & arteriæ, omnesque venæ meæ funiculi sint autei, quibus te intimè ligare possim misero meo cord; ut nec mors, nec tribulatio, nec gladius umquam valeant me à te seiungere. Vtinam vincula tua mihi fiat alligatura salutis, & ligent manum iustitiæ tuæ meritò contra peccata mea extentam, manumque misericordiæ laxent, quam peccata mea constrinxerunt.

Quia verò discipuli adhuc erant infirmi, nec satis

satis intelligebant vincula Christi, *Omnes relicto eo fugerunt.* Hic adimpletur illud: *Percute Pastorem* Zach. 13.
& dispergantur oves gregis. Hæc interim fuit infide- Discipulorum Christi ignominiosa fuga.
litas post tot promissa: hæc fuit fuga ignominiosa illis qui tot ab eo monitis, erant præmuniti, tot consiliis præ-
cuditi tot beneficiis affecti, tot miraculis confirma-
ti? quorum & aliqui in transfiguratione testes ad-
fuerant gloriæ eius, & cæteris constantiores esse
debuerant. Sordidarunt ergo per hanc ignomi-
niosam fugam pedes illos, quos ipse paulò ante
laverat, & osculo dignatus fuerat. Sordidarunt
cor & animum, symbolo dilectionis communi-
tum in participatione corporis & sanguinis. Quo
quidem debuerant fortes effici etiam contra mor-
tis pericula, & in fide ita confirmari, ut nulli super-
venientes fluctus eam concutere valerent, aut ex-
cutere. Certè ignominiosa ista fuga non parū cor
Christi pervasisse credenda est, quando quidem de
ea conqueri videatur per Prophetam: *Longe feci-* Ps. 87.
sti notos meos à me. Elongasti à me amicum & proxi- Ps. 37.
mum, & notos meos à miseria. Qui iuxta me erant,
longe steterunt; & vim faciebant, qui quærebant ani-
mam meam.

Ita, Domine Iesu, dereliquerunt te proximi tui, & qui noverunt te, obliti sunt tui, & beneficiorum tuorum, sponsionisque suæ. Vbi sunt illi, quorum tantam gerebas sollicitudinem, ut in cordis medi-
tullio eos inscripsisse testareris! Vbi sunt quos divino Corpore & Sanguine tuo saginaveras, ver-
bis amantissimis consolatus eras. Patri mira affe-
ctu commendaras, ac de eis gloriatus fueras quod
permansissent tecum in tentationibus; Vbi *Petre*
tua constantia & sponsi? Vbi *Iacobe* & *Ioannes* ve-
stra de calice Domini bibendo promissio; Vbi ve-
stra ô *Iacobe* frater Domini, & *Simon* atque *Iuda*,
cum ipso consanguinitas, quæ suadet à consangui-
neo non separari; Vbi *Thoma* animos tuus *Eamus,*
Ioan. 11. *& moriamur cum illo?* Vbi *Bartholomæe* generositas
tua, qui nobilis diceris, sicque ad mortem usque
pro Magistro dimicare te conveniebat; Vbi vos o-
mnes, ô Discipuli, milites generosi, & Duces exer-
citus Christiani; Itane fugitis nemine persequē-
te; Nolebatis ab eo discedere, quia verba vitæ ha-
beret æternæ, ut nunquid defecerunt ei verba vitæ
Nonne & miracula adhuc videtis in hostium pro-
stratione & vestra conservatione? Ita benignissime
Domine, torcular calcas solus: ita pereuteris Pastor
bone, & dispergentur oves. Hoc quidem affligit a-
cerbissimè cor tuum, sed compateris eorum in fir-
mitati & socordiæ emendaturus eam in tua Re-
surrectione & collecturus eos in Matris tuæ mor-
te, ut hanc resarciant infidelitatem, quam osten-
Multi hodie discipulorū Christi fugientium imitatores. deront te ad mortem euntē.

Sed quam multi è nobis similes sunt his discipu-
lis, qui facilè Dominum deserunt humano timore
aut tentatione, quando pro illo quidpiam patien-
dum. Magna sæpe promittimus, multa pro eius a-
more facienda decernimus, occasione verò occur-
rente, dilabimur, & incommodum aliquod pro eo
pati detrectamus. Sequimur eum usque ad fractio-
nem panis, sed non usque ad bibendum calicem
Passionis. Bonum nobis videtur cum illo esse in
monte Thabor, monte gloriæ, sed fugimus mon-
tem Calvariæ montem Passionis & ignominiæ. Sic
meritò de nobis conqueritur: *Etsi amicus meus,* Eccli. 6.
& non permanebit in die necessitatis. Et rursus patet Ps. 77.
hoc illud verum esse: *Filii Ephrem intendentes &*
mittentes arcum, conversi sunt in die belli.

Adolescens autem quidam *sequebatur eum amic-* Adolescens Christū secutus quis fuerit.
tus syndone super nudo, & illi tenuerunt eum. At ille
relicta syndone nudus profugit ab eis. Hunc non fuis-
se ex Apostolis, patet ex eo quod nudus dicatur, si-
ve super nudo corpore subtili linea veste amictus.
Hic autem non erat vestitus congruus Apostolis;
nec verisimile est aliquem cum eo cœnasse super
nudo corpore tantum linteo amictum, aut sic in
horro cum ipso fuisse. Cum ergo hic modus se ve-
stiendi videatur solum accidentarius his qui è le-
cto surgunt, non fuit hic Ioannes aut Iacobus A-
postoli, ut aliqui dixere; quia nec possunt dici ado-
lescentes, vel ut Græca habent *adolescentulus*: Sed
fuit aliquis è Villa Gethseman, aut vicinia, sive ex
iis, qui in horti custodia erant, qui rumore excita-
tus venit, ut agnosceret quid fieret? & secutus est,
ut videret finem huius tragœdiæ, quia forsan benè
affectus erat Christo. Quisquis fuerit, hoc videtur
à S. Marco enarratum, ut ostendat quanta fuerit
circa Dominum trepidatio ita ut nemo apud eum
consistere valeret. Sic implebantur Scripturæ dicē
tes: ipsum neminem invenisse auxiliatorem, aut
consolatorem Mysticè autem hic adolescens fa-
cto suo docet, si dum Christum sequimur, hostes
virtutis nos cum Christo perdere quærant, & de
suo numero facere fugiendum esse ab eis, etiam
cum iactura vestis, hoc est bonorum exteriorum,
& corporis quo anima tegitur. Hæc reliquenda
potius, quam periculum animæ incurramus. Sic
Ioseph relicto pallio fugit ab impudica. Hinc ob-
serva cum Beda, quod hic non dicitur fugisse à
Christo, sed ab eis, scilicet hostibus Christi.

LECTIO IV.

Quomodo Christus primum ductus sit ad Annam, deinde ad Caiphan, & quid ibi circa eum actum:

APrehenderunt itaque Iesum, & ligarunt. At quò duxerunt? Si quæram à Petro, ipse so-
sequitur à longè: Si ab aliis discipulis, omnes re-
licto eo fugerunt. Si ab adolescente syndone amic-
to, coactus est ipse nudus aufugere. Interrogemus Mariam eius Matrem, forsitan ipsa quid eum
filio agatur, probè novit. Dicamus ergo ei quod
animæ devotæ in Canticis: *Quò abiit dilectus* Cant. 5.
tuus: ô pulcherrima mulierum, & quæremus
eum tecum? Verum si huius rei conscia est Maria,

absque dubio plena est dolore & mœrore, plena suspiriis ac singultu; tristis cum Filio usq; ad mortem, gladioque doloris confixa. Non ergo interrogando augeamus mœrorem, quia & vix vocem edere potest singultibus intercisam. Audiamus Evangelistam.

Christus cur ad Annam primò ductus.

Adduxerunt ad Annam primùm. Erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Multi ex Interpretibus docent, ideo ad Annam primò ductũ. tum quia ejus domum præterire oportebat, antequam ad domum Caiphæ pertingeretur, tum quia ei honoris gratia tamquam seniori & Patri seu socero Caiphæ cõgratulari voluerunt, quẽ sciebant maximo odio in Christum ferri. Habebaturq; quasi Pontifex, quia emerant alternis vicibus Pontificium contra legis dispositionem, ut vult Iosephus, & explicant latiùs Interpretes exponentes illud: *Sub Pontificibus Anna & Caipha.* Sed notat & addit Cardinalis Baronius anno Christi 30. & 34. Christum Dominum præsentatum fuisse ignominiosè coram quatuor Tribunalibus aut Consiliis Primatiorum in Ierusalem.

Luc. 4.

Christus coram 4. tribunalibus ignominiosè præsentatus.

1. Annæ.

Primum Tribunal fuit Annæ, qui erat Caput & Princeps Scribarum, & legis Doctorum, è quibus constabat Consilium septuaginta Seniorum pro causis concernentibus doctrinam, quæ publicè prædicabantur; & ibi examinabatur secundùm lydium lapidem legis & Scripturam propheticarum. Quare ibi Christus interrogatus est de doctrina & discipulis.

2. Caiphæ

Secundum Tribunal fuit Caiphæ supremi Pontificis, cui adjuncti erant alii Sacerdotes & Pharisæi; quasi illius temporis viri religiosi; & ibi agebatur de his quæ concernebant Iudaicã religionẽ, examinabanturq; illa quæ punctum religionis tangebant. Erat illud tribunal Ecclesiasticum legitimum illius temporis. Ibi ergo interrogatus est Christus, an templum se destructurum dixisset, an ipse esset Filius Dei & Messias?

3. Pilati.

Tertium Tribunal fuit Pilati, Præsidis Iudeæ auctoritate Cæsaris, ubi multi Satellites, Greffarii, & alij iustitiæ ministri pro causis civilibus & criminalibus, proque externæ politiæ directione. Ibi Christus interrogatus est, an se faceret Regem an seduceret turbas, an prohiberet tributa Cæsaris?

4. Herodis.

Quartũ Tribunal fuit Herodis regis Galileæ, qui tunc erat Ierosolymis, ubi multi cum ipso aulici, & non pauci milites à corporis custodia, multique famuli latus eius cingentes. Ibi & Christus interrogatus est, sed quia siluit, illusus est, & cum contemptu dimissus. Si ignominiosè tractati voluit coram his omnibus Tribunalibus, & à Primatiis cujusc umque ordinis in Ierusalem despici; à litteratis, à religionem profitentibus, à Præside Iudeæ à Rege Galileæ cum suis asseclis: ipse, inquam, ab his omnibus voluit despici, qui Sapientia erat, Religionis exemplar, Sacerdos Summus, Rex Regum, Iudex omnium. Ipse enim est, qui *flat in Synagoga Deorum in medio Deos dijudicans.* Ipse est *terribilis qui auferet spiritum Principum,* quem Principes & Sacerdotes videbunt venientem in nubibus cœli, ut ipse dixit Caiphæ.

Ps. 81. Ps. 75.

Cæterum, interrogatur de doctrina & discipulis, ut aliquam ei struere valerent calumniam, de falsitate, de populi seductione, & seditione. Interrogant itaque qualis foret doctrina ipsius, an non contraria Moysi & Prophetis, legi & oraculis? an de cœlo procederet, vel de proprii ingenii figmẽto? quot qualesve discipulos haberet, & qua auctoritate eos collegisset, quave auctoritate ad docendum eos mitteret, & à quonam ipsemet missus esset? Respondet Christus, doctrinam suã non posse argui falsitatis, quia & eam non in tenebris, sed palã proposuisset in synagogis. *Interroga,* inquit, *eos qui audierunt, quid locutus sum, ecce hi sciunt quid dixerim ego.* In libertate spiritus respondet, nihilque veretur ipsos hostes suos, quos & audet producere testes suæ & doctrinæ & vitæ. Nihil de discipulis dicit, nec accusat eorum infirmitatem, nec excusat infidelitatem. Nonnulli verò putant ibi Iudam tunc adfuisse expectantem proditionis suæ promissam mercedem: qui cum notus foret discipulus, præsentia sua Christi vultum perfundebat rubore, magis autem animum mœrore. Sed quid interrogas eum, ô Anna vel Caipha de doctrina quæ tot miraculis publicis fuit confirmata? Mille habet probationes, à viris ac mulieribus à primatis & plebeis, à peritis & imperitis, à cæcis & mutis, ab ægris & leprosis, denique & à mortuis. Hos omnes interrogare te deceret, audiresque ad ipsusmet hostibus: *Numquam sic locutus est homo.* Interroga Nicodemum, & audies eum dicentem: *Verè à Deo venisti Magister.* Interroga Nathanaelem, etiam in lege peritum, & audies: *Rabbi tues Filius Dei, tues Rex Israel.* Interroga Centurionem, Zachæum, Iairum Principem Synagogæ. Lazarum resuscitatum, & mille alios: audies omnes ei cum Petro dicentes: *Domine, verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?* Numquid & tu vis discipulus eius fieri, qui interrogas de doctrina & discipulis? Sed velamen est super cor tuum; excæcatus est oculus, aggravata auris, ut eius doctrinæ & luci non valeas intendere, & sanari corde.

Curdoctrina & discipulis Christus interrogetur.

Ioan. 6.

Interim dũ Dominus respondisset se *palam locutum fuisse Mundo in templo & Synagogis, & in occulto nihil* (quod scilicet cõtrarium foret illis, quæ publicè docuerat, aut quod postea nollet publicari) *Vnus Ministrorum* pessima ex adulatione, ut placeret Domino suo, quamlibet iniquo modo, *dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici?* Hanc per insignem gravissimamque fuisse injuriam, ex multis collige.

Iniuria alapæ Christo data maxima. 1.

Primò, quia Ioannes Evangelista specialem de ea facit mentionem, tamquam hic patefecat horribilis imprudentia servi, iniquitasque apertissima Pontificis tantum facinus ei in præsentia sua dissimulan-

mulantis, admirabilis quoque Christi in ea percussione patientia.

2. Secundò, quia & Prophetiæ speciales de ea re præcesserant & figuræ. Prophetia quidem. *Dedit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Figura autem in Michæa Propheta, quem veritatem dicentē coram Rege Achab, exsurgens Sedecias, minister Regis & Pseudopropheta, percussit graviter in maxilla. Figura simul & Prophetia in Iob dicente: *Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam.*

Thren. 3. 3. Reg. 22. Iob 16.

3. Tert ò, cò gravior fuit iniuria, si verū est quod Chrysostō. ait hom. 83. hunc servum fuisse Malchū, cui Dominus excisam aurem restituerat. Aut si verum est quod tradit S. Bernardus serm. de Pass. incussam fuisse alapam chyroteca ferrea, ita ut non solùm livorem faciet, sed & vestigia digitorum impresserit, ac cruorem excusserit ab ore & naribus. Aut si verum est, quod B. Vincentius asserit, Christū impetu tanto percussum, ut in terram ceciderit. Qualiscunque fuerit, talis fuit ut exclamet S. Chrysost. hom. 82. *Exhorrescat Terra, de Christi patientia, & servi imprudentia.*

O Angelici Spiritus, divinæ ultionis ministri, quo modò ultrices cōtinetis manus in hac horribili iniuria vultui illius facta, cuius illuminamini luce, & in quem continuò desideratis prospicere? Quomodò non consumitis igne cœlitus missō crudelem hanc & audacem manum, in Deum sese extendentem? *Nonne vos percussistis Oza propter Arca non satis reverentem attactum? Nonne propter unam blasphemiam percussistis Zennacherib, & cum eo octuaginta quinque millia? Nonne ob unam Davidis superbiam percussistis septuaginta millia plebis? Nonne terram aperuistis, ut Core, Datan, & Abiron absorberet propter unam rebellionem?* Quid ergo nunc silētis in Cœlo, dum Filius Dei tantam in terra recipit iniuriam?

Tu verò, Pater æterne, Deus ultionis, Deus justitiæ, qui etiam vilium servorum tuorum injuriam ulciscēris, quomodò protervam hanc manum pateris? quomodò Filii tui faciem sic dedecorari permittis, & furioso ictu signari, obscuriarique vultum illum qui est splendor omnis gloriæ? Sed audiō te per Prophetam respondentem? *Propter scelus populi mei percussi eum.* Agnoscoque quod hæc alapa nonnisi initium injuriarum est sacro eius capiti & faciei infligendarum: mox enim videbimus eam multiplicibus sœdatam ictibus, sputis conspurcatam putidis, vitulis sanguinis plenam, ob spinas eius vertici infixas ferocissimè. Tu interim. *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui*, quandoquidem propter peccata nostra hæc patitur. Respice in hanc faciem, & illa nobis propter illam condonans, simul gratiam largire, ut pro eius nomine lubenter injuriam patiamur, ut postmodum eamdem faciem non percussione attritam, non sputis illitam, non cruore sœdatam, sed Sole fulgidiorem æternum contemplemur.

Isaia 53. *Alapha fuit initium iniuriarū Christo infligendarum.* Ps. 83.

Tu autem, ô Christiane, respice & perpende mansuetudinem & patientiam Christi, Ducis tui. Excepit alapam, nec excanduit ad iram, nec linguam laxavit ad contumeliam, nec manum ad ultionem, nec animum ad indignationem: at tu arrogans & impatiens ad unicum verbum, vindictæ spiritum concipis, fratri maledicis, Deum deseris, animam perdis, sanguinem vis fundere fratris, pro quo Christus suum fudit. Accede huc, & respice in faciem Christi tui, Salvatoris tui, tanquam speculū patientiæ, in quo teipsum contempleris, & discas corde humilis esse & mitis. Imò contemplare totū Passionis eius cursum, & reperies ne semel quidē commotum fuisse contra hostes: sed cum ab inimicis patiatur & pro inimicis, nonnisi amorem & benignitatem in eos spirat, & verbo, aspectu, opere exhibet Osculatur proditorem, sanat aurem sibi invadentis, orat pro crucifigentibus, quorum peccata magis eum cruciabant in corde, quàm tormenta in corpore.

Patientia Christo accepta alapa.

Sed inquirit Sanctus Augustinus, cur Christus respondit percutienti se: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem benè, cur me cædis?* Nonne aliud dixerat. *Si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei & alteram!* Respondet S. Aug. illud præceptum non esse ad literam intelligendum, sed velle ut animo tranquillo injurias feramus, parati potius alteram præbere maxillam, quam iram concipere, aut vindictam desiderare. Quod & ipse Christus fecit, nam & totum corpus præbuit ad alapas & flagella. Hic tamen respondet, non tam ob illatam sibi injuriam, quam ut coram Iudice & Pontifice se rectè locutum esse ostendat doctrinamque suam publicam & mundo notam significet. Si verò tacuisset, ipso silentio malè se locutum esse comprobaret, Non ergo impatientiæ alicuius his verbis specimen ostendit, sed suā defendit doctrinam, & mansuetè admonet percussorem, iniquamque Pontificis dissimulationem insinuat. Nulla itaque hic vindictæ in Christo vel umbra. Quo circa idem S. Augustinus adjungit: *Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percussit, aut cœlesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum damonio volutari, aut pœna graviore puniri? Quid enim horum per potentiam iubere non posset per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere voluisset, qua vincitur mundus?*

Cur Christus percutienti se reposuerit. Aug. tract. 113

Hanc patientiam imitatus est ille Senior, de quo Cassianus, qui cum ab Alexandrinis infidelibus variè exagitaretur, & quadam vice interrogaretur. *Quænam mira super naturam Christus tuus quē prædicas, effecit;* Respondit: *Hoc miraculum fecit, quod vestris convitiis & injuriis toties lacessitus indignatione in vos ulla non commoveor.* Sic & alius quidam Abbas Joannes in Vitis Patrum, lib. [illegible] c. 2. *Porta Cœli est injuriarum perpessio, & qui multas in-*

furias Patres vestri gratulantes, in eam ingressi sunt.

Iesus ab Anna ad Caiphã dicitur.

Ulterius, cùm in transitu Iesum Annæ præsentassent, duxerunt eum ad domum Caiphæ Principis Sacerdotum. *Principes autem Sacerdotum & omne concilium quærebant falsum, testimonium adversus Iesum, ut eum mortis traderent. Et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent, quia non erant convenientia testimonia eorum*, inquit S. Marcus. Sive quia nihil tale proferebãt unde ad mortem posset accusari, sive inter se non consentiebant, sed ipsi sese testimonia refellebant. Hoc egregiè declarat innocentiam Christi, quod non potuerint aliquid de illo comminisci quod veri speciem haberet, aut eum aggravaret. Adimpletumque est illud Psl. 63.

Psl. 63. Psal. 26.

Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio. Et illud: *In, surrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.* Interim quacumq; ratione volebant eum perdere sub specie judicii, sicut

3. Reg. 21 Dan. 13.

Achab Naboth, aut sicut senes Susannam, *qui declinaverunt oculos in terram, ut non recordarentur judiciorum justorum.*

Hæretici Iudaorũ imitatores.

Judæos Christũ injustè falsis testimoniis condemnantes imitantur hæretici, qui eõtra eum veniunt falsi testes jam ab initio Ecclesiæ. Ebion, Cherintus, Arius, in suo testimonio asserũt quod non sit Deus. Nestorius, quod in illo sint duæ personæ. Euthyces, quod unica natura. Manichæus, quod non fuerit in ipso verum corpus. Et hi undique falsa conquirunt testimonia ad id adstruendum; sed nõ sunt convenientia testimonia eorum. Novissimè autem venerunt duo falsi testes, unus è Germania Lutherus nomine, alter è Gallia Calvinus: hic attestatur quod Christus non sit verè & realiter ac substantialiter in Eucharistico Sacramento, sed tantũ figuratè: ille veritatem agnoscit, sed impanationem adjungit, asserens quod sit ibi simul cum pane per unionem nescio quam substantialem, sicut in carnatione divinitas est cum carne. Sic variis testimoniis confictis Augustissimum Sacramentum accusatur, vel falsitatis, vel idololatriæ. Estque Ecclesia velut casta Susanna inter istos duos senes inveteratos dierum malorũ, multas accusationes patiens; sed liberatur suscitante Deo spiritum Danielis, spiritum veritatis, & demonstrante falsitatis & erroris spiritum, à quo agitantur hi malesuadi testes, Scripturas falsificãtes, vel pravè interpretantes, ut alios secum exagitant & perdant.

Utique ipsi nõ absimiles sunt his duobus testibus falsis, qui asserebant Christum dixisse: *Possum destruere Templum Dei, & post triduum reædificare illud. Ego dissolvam Templum hoc manufactum, & post triduum aliud non manufactum ædificabo.* Falsificabant hi verba & mentem Christi. Ipse enim dixerat: *Solvite Templũ hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Sic hæretici modò addunt, modò demunt aliquid ex Scripturis sacris, vel tamquam maligni testes depravant & deforquent mentem illarum, pessimeq; interpretantur.

Ioan. 2.

Interim Pontifex, satis advertens non esse hæc sufficientia testimonia, nec satis convenientia, ex urgens in medium, nec iam modestiam servans Iudicis sedendo, sed è solio suo excussus vesania mentis: *Nihil*, inquit, *respondes adversus ea, quæ isti adversum te testificantur?* Ex eius responso aliquam graviorem occasionem captabat. *At ipse nihil respondit.* Tum quia sciebat hæc testimonia frivola esse, vel falsa: tum quia noverat in calumniam rapiendum quidquid responderet, & irritãdos eorum animos: sicque magis se silentio profuturum quam responso. Denique, illud iam adimpleri debebat: *Qui inquirebant mala, mihi locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur: Ego autem tamquam surdus non audiebam, & tamquam mutus non aperiens os suum &c.* Illud quoq; adimplebatur: *Cùm consisteret peccator adversum me, obmutui, & humiliatus sum & silui à bonis.* Multa eis bona & præclara monita dare poterat, multa proferre pro innocentia sua: sed quia frustrà id nunc fieret, acceptas iniurias Deo committit. In quo etiam docemur ferendas quandoque calumnias responso indignas, dum apertis mendaciis impetimur, cum tales satis refellat propria conscientia, & defensio magis irritet & provocet, quasi oleum igni additum.

Cur Christus Pontifici nihil respõderit.

Psal. 37.

Psal. 38.

Ne autem ob silentium Christi Caiphas frustraretur sua expectatione, adjurat eum (sive ex parte Dei imperat, eius advocans nomen & auctoritatem, tamquam testis & viadicis) ut ad quæstionẽ respondeat sibi propositam categoricè & disertis verbis: *adiuro te per Deum vivum, ut nobis dicas, si tu es Christus, Filius Dei.* Sublimis utique quæstio qua sublimior proposita tõ fuit in orbe. Proponitur autẽ à Supremo Pontifice Hebræorum in cõgregatione pertitissimorũ in lege, qui quidem responsum ad eã quæstionem procè nosse poterant, nisi iã pereussi essent quadam prævia cæcitate. Interim Verbum divinũ & Sapientia æterna respondentis vicẽ subire parata est coram Auditorio celebri hominum & Angelorum (in contrarium argumẽtante & contradicente Synagoga) & divinitatem suam palam asserere & confirmare. Iam ad eã quæstionem anteà responderat Petrus, Christianorũ Pontifex, in medio Collegio Apostolorum pronuncians: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Responderat & vox cælestis Patris ad eandẽ quæstionẽ, tum in Baptismo Christi, tũ in monte trãsfigurationis: *Hic est Filius meus dilectus.* Nunc autẽ periculosa erat responsio quia ab illa pẽdebat mors & condemnatio. Quia tamen propriæ vitæ nostrã salutem prætulit, & divino nomini reverentiam voluit deferre, respondet apertis verbis se illũ esse de quo quæstio erat. *Tu dixisti.* Quod idem est atque si diceret: Ego sum, prout etiam expressit S. Marc. c. 14. Immò & adjecit: *Verumtamẽ dico vobis amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis*

Christus divino nomini reverentiã defe rens respondet Põtifici.

virtutis Dei, & venientem in nubibus Cœli. Quasi dicat: Posthac experturi estis me non injustè hos mihi titulos arrogasse, sed agnoscetis me sedentem à dextris virtutis Dei, & assidentem illi proximè, æqualem ut naturâ ita & potestate, imperio & gloria. Hoc inchoatè factum fuit in resurrectione & ascensione, complerè autem in judicio universali, quando veniet in majestate in nubibus cœli ab omnibus agnoscendus. Appositè autem hoc Divinitatis suæ protulit argumentum, ad incutiendum terrorem se tunc injustè judicantibus, & ad dissolutionem argumentorum & rationum, ob quas despiciebatur, & nihil minus quam Christus credebatur, quia homo plebeius & vilis apparebat exteriùs.

Vestimentorum scissio Iudæis frequentissima. *Reg. 37.* *4. Reg. 19*

Hoc responso accepto, Princeps Sacerdotum scidit vestimenta, sive tunicâ interiùs clausam disrupit superne ad cingulum usque. Hoc solemne erat Judæis, cum animi ingentem dolorem, aut indignationem volebant ostendere. Sic Iacob visâ tunicâ filii sui Ioseph, scidit vestimenta sua. Sic Rex Ezechias auditis blasphemiis Rabsacis, legitur quoque vestimenta sua scidisse. Sic Barnabas & Paulus, cum eis vellent quidam sacrificare Lystris, & ut Deos adorare, conscissis tunicis exilierunt in turbas, clamantes se homines mortales esse. Interim Summo Pontifici id videtur prohibitum, ubi dicitur, *Caput non discooperiet, vestimenta non scindet.* Et ideo SS Patres docent hic mysticè significatũ. iam diu lacerandum sacerdotium legis, & à Iudæis asserendũ. Non absimili typo Samuel designat regnum tollendum à Saule. Dum enim abiret Samuel à Saule, apprehendit Saul summitatem pallii eius, & scissa est. Tunc dixit Samuel: *Scidit Dominus regnũ Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Quapropter summum Sacerdotẽ sic alloquitur S. Leo serm. 6. de Pass. *Caiphas ad exaggerandam auditi sermonis invidiam scidit vestimenta sua, & nescions quid hac significaret insania, sacerdotali se honore privavit. Vbi est Caiphæ rationale, pectoris tui ubi continentia cingulum? ubi superhumerale virtutum? Mystico isto sacratoque amictu ipse te spolias, & propriũ manibus. Pontificalia indumenta discerpis, obtritu præcepti illius quod legeras de Principe Sacerdotum: De capite suo cydarim non deponet, & vestimenta sua non discrumpet. Tu verò, à quo iam alienabatur hæc dignitas, ipse tibi es executor opprobrij, & ad manifestandum finem veteris institutis pertinet eadem diruptio Sacerdotij.* Hæc S. Leo.

Act. 14. *Levit. 21* *Vestis scissio quid hic significarit.* *1. Reg. 15.*

Scissis porrò vestimentis, pronunciavit illum blasphemum & reum mortis, cui inclamant cælestes Spiritus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; imò qui est ipsa sanctitas & vita. O verè pervertum judicium, ubi superbia & ambitio judicabat, ubi invidia & malevolentia testificantur, ubi vis dominabatur, & impietas sedebat in Tribunali, cui Furiæ infernales circum assistebant. Vnde post hanc condemnationem relictus inter manus ministrorum, tota nocte incredibiles injurias tulit.

Isaiæ. 6.

Varia injuria Christo de nocte illata.

1. Eius faciem spuris fœtidissimis obruerunt. Ideo Matthæus dixit: *Expuerunt in faciem eius* turpissima phlegmata scilicet & excrementa fœtidi oris execrando, non unus tantum, sed plurimi. Quid turpius? Erat hoc apud Judæos maximæ ignominiæ, ut patet. *Si Pater eius spuisset in faciem eius, nonne debuisset saltem septem diebus rubore suffundi?* *Num. 12.*

Secundò, oculos eius velarunt, ut liberiùs in eum quælibet auderent, nam & quadam venerabilitate & splendore eius impediti videbantur.

Tertiò, palmis & colaphis eum & in facie & in corpore toto percusserunt. Atque hic adimpleviti illud: *Si quis te percusserit in unam maxillam præbe ei & alteram.*

Quartò, evulserunt ei crines capitis & barbæ, ut propterea dicat apud Prophetam: *Dedi genas meas vellentibus.* *Isaiæ 50.*

Quintò, omni genere injuriarum, opprobriorum, blasphemiarum eum oneraruntt: *Prophetiza nobis, quis te percussit, & alia multa blasphemantes dicebant in eum*, inquit S. Lucas. Et hæc prædicta erant per Prophetas, maximè per Isaiam. *Dedi corpus meum percutientibus, & genas meas vellentibus: & non averti faciem meam ab increpantibus & conspuentibus in me*, vel ut habent Hebræa, ab ignominiis & sputo. *Isaiæ 50.*

Olim Philistæi illuserunt Sampsoni, crines eius abradendo, oculos excæcando, in mola trusatili alligando, ac postmodum in templum Dei sui Dagon adducendo, *ut luderet ante eos*, inquid Scriptura. Quis fuerit hic ludus variè explicant Interpretes. Quidam enim putant Philistæos Sampsonem cæcorum more in parietis impegisse & columnas sicque illusioni fuisse: Imò dicunt Sampsonem lusum fecisse Philistæis, quia variis modis eum percutiendo & divexando, ridebant. Vnde 70. Interpretes habent. *Colaphis cædebant, ἐλαπίζον ἐνέπαιζον.* Typus fuit eorum quæ nunc geruntur. Ecce verus Sampson, Israelis assertor & redemptor, non ab alienigenis, sed à populo suo illuditur, velatur, alligatur, colaphis & palmis cæditur, calcibus percutitur, crinibus spoliatur, & longè pluribus & atrocioribus ignominiis afficitur, quam Sampson à Philistæis. Sed sicut Sampsonis illusio in eorum caput reversa est, dum capillis eius cum fortitudine renascentibus ab eo oppressi sunt ruina templi sui, cujus columnas excusserat; Ita in caput recidet Iudæorum, illusio, velatio, percussio: Obscurabuntur enim oculi eorum ne videant, & velamen erit super cor eorum, ne Domini gloriam contemplantur. Dorsum eorum incurvabitur plagis omnigenis & continuis. Erunt in derisum & illusionem & maledictionem, dicente Domino, *Dabo eos in vexationem, afflictionem, & omnibus terræ regnis, in opprobrium, & in parabolam, & in maledictionem in universis locis ad quæ dejeci eos.* *Samsonis typus Christi.* *Lyranus* *Serrarius* *in hunc* *locum.* *Iere. 24.*

Horrore certè plena sunt omnia quæ hac nocte

erga Christum gesta sunt, ita ut nec mens satis capere, nec lingua aut calamus exprimere valeat. Hoc sufficiat hic dicere. *Fecerunt in eum quæcumque voluerunt.* Quid non autem excogitarunt odio & rabie insatiabili in eum adacti? Vicissim sibi succedentes ministri impii, ut longioris noctis fastidium sublevarent, Satana instigante, in eum quælibet audebant, non solum blasphemando, convitiando, maledicendo, sed etiam corpore toto exagitando. Hinc aliqui asserunt, ex mente S. Hieronymi aliorumque Sanctorum, multitudinem atrocitatemque iniuriarum noctis huius, nonnisi in die judicii revelandam. Certè innumeras per ministros impios tunc depromptas iniurias & blasphemias in se voluit Christus per pios Ecclesiæ suæ ministros quotidie in finem usq; sæculi compensari, idque per Matutinas Horas & Laudes ubi omnes creaturæ invocantur ad ipsius benedictionem & præconium, loco maledictionis tunc perceptæ. Quid ergo dicemus de illa nocte? Nescio quo nomine eam possimus compellare.

Atrocitas iniuriarum Christo de nocte factarum in die iudicii revelanda.

Noxpassionis Christi admirabilis, deplorabilis & crudelis, &c

Ex parte, mysteriis fœcunda est, & ideo admirabilis: ex altera parte ærumnis plena est, & ideo deplorabilis Crudelis Christo est, & luctu digna nobis interim felix est, & fructuosa.

In illa mysteriorum mysterium institutum est à Domino cum aliis nonnullis Sacramentis nobis maximè proficuis: *O noctem felicem:* In illa Christus Arca mystica adeo indignè & atrociter tractata est: *O noctem infelicem & crudelem.*

Ita ea præcipuum redemptionis nostræ opus inchoatum est: *O noctem felicem, & à Deo specialiter decretam.* In ea cum Principe tenebrarum certant viritim Filii tenebrarum, ut extinguant Lucem veram, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: *O noctem ex ea parte infelicem, Satana tenebris respersam, & illi gratam:*

An dicemus cũ Job: *Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.* Verè turbo cum possidebit tenebrosus, qui filios lucis dispersit, & in fugam egit, quorum & unus prodidit Lucem, & alter ter eam negavit in tenebris: *O tenebrosum & infaustum turbinem noctis huius.*

Sed etiam è contrario dicamus: *O nox fausta, nox solitaria & laude digna:* in qua Gallus cantat, lapsis luce novam & auroram nuncians: in qua solus contra Principem tenebrarum decertat Princeps lucis, & iam incipit triumphare? Numeretur ergo prima in diebus anni, numeretur prima in mensibus, in qua tot mirabilia operatus est, *ille super cuius humerum factus est principatus eius, qui vocatur, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.*

Isaiæ. 9.

LECTIO V.

De negatione Petri, & eius Pœnitentia.

SEd examinemus turbinẽ tenebrosum, qui Petram & Columnam antea stabilem potuit deji cere illa nocte, non sine magno Christi mœrore & dolore. Rem sic narrant Evangelistæ. Quod scilicet Petrus secutus fuerit Christum captivũ à longè, amore quodam quo erga Dominum præ aliis ardentius afficiebatur, sperans quod posset latere, & videre eventũ rei. Adjunctus est ei & alius quidã discipulus, ita notus Pontifici, ut potuerit etiam secum introducere Petrum. Hunc multi putant fuisse Ioannem. Sed difficile videtur creditu, quod Ioannes vilis Piscator & Galilæus, familiaritatem haberet cum Caipha Pontifice in Jerusalem, tantæ apud suos auctoritatis, & tantæ ambitionis. Deinde cum Joannes fuerit manifestus Christi discipulus, numquid idem erat objectum fuisset quod Petro, & idem periculum incurrisset? Hinc alii putant non fuisse aliquem ex Apostolis, sed civem aliquem Ierosolymitanum familiarem Pontifici, occultum discipulum Christi, ad cuius domum Petrus fuga dilapsus venerit, & inde cum ipso Dominum sit secutus, qualis potuit esse Ioseph ab Arimathæa, aut quispiam similis. *Ita Cornelius, Iansenius Concord. cap.* 138. Quisquis autem fuerit, certè ob familiaritatem quam in ea domo habuit, potuit introducere Petrum, qui foris partim timore: partim verecundia prohibitus, stabat ad ostium. Introductus Petrus permiscuit se ministris in atrio ad ignem, modò stans, modo sedens, modo accedens, modò paululum recedens, explorans quid ageretur. Hinc factum est, ut variæ interrogationes ei factæ sint. Primum quidem ab ancilla ostiaria. *Nunquid ex discipulis hominis istius es?* Et negavit. Deinde ab alia ancilla simul cum Ministris, voce ancillæ hujus ad hoc motis. Et rursus negavit cum juramento. Denique intervallo facto iterum interrogatus est à quibusdam, cum quibus erat cognatus Malchi, asseverans se illum, vidisse in Horto: & tertiò negavit, etiam cum juramento & detestatione: sive imprecando sibi mala, si ita esset. Et tunc Gallus bis cantavit, nam primum cantum, qui fuit post primam negationem Petri, non vidertur ipse percepisse. Quod ergo aliqui Evangelistæ dicunt: *Antequam Gallus cantet, ter me negabis,* intelligendum est antequam cantum compleat, sive ante illud tempus, quod propriè gallicinium dicitur, cum cantat circa auroram. Nam diserè dicit, *Antequam Gallus bis vocem dederit, ter me negaturus es.* Hæc est summa historiæ negationis Petri, quam videntur variare Evangelistæ. Ex hac porrò negatione & casu Petri nonnulla deducunt SS. Patres & doctores documenta ad nostram instructionem & cautelam, quia

Discipulus Christi notus Pontifici quis fuerit.

Vide Stephan Menochium in c. 26. Matth.

Mar. 14.

Negationis Petri Variæ causæ.

variæ

variæ fuerunt occasiones & causæ huius peccati, quæ à nobis sunt vitandæ, ne similiter cadamus.

1. *Præsumptio.* Prima erga causa fuit ejus præsumptio, & nimia quam in se habuit fiducia. Ut â nocte, Domino eum monente, ter præsumpserat, unde & ter negat. Primò dixerat: *Animam meam pro te ponam.* Secundò, *Etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego.* Tertiò: *Etsi oportuerit me simul commori tibi, non te negabo.* Vide progressum quemdam in asserendo per tres vices cum quodam incremento. Secutus est & trinus progressus in negando, ut sibi innotesceret trina præsumptio. Hic ergo docemur nihil præsumere, sed infirmitatem nostram considerare: *Qui stat, videat ne cadat.* Qui ante pugnam sibi vendicavit victoriam, hic trepidat ante tubam. Non in tormentis & eculeo existens, sed mulierculæ tantùm voce pulsatus Christum negat, quem priùs confessus fuerat Filium Dei vivi. Stricto ensi quomodò jugulum daret, qui mulierculæ vocem pavet? Ita fragilis est natura humana sibi relicta, quam fragilitatem declarari conveniebat in eo qui præsumpserat. Quòd si verò petra fundamentalis ita facilè dejicitur; quid faciet is qui petra non est, sed pulvis, lutum, & cinis? Non absimiles sumus Statuæ Nabuchodonozor, cujus licet caput foret aureum, & brachia argentea, pedes tamen erant fictiles, ideoque veniens lapillus totum redegit in favillam. Sic in nobis caput aureum opera sunt, & dona divinæ charitatis erga Deum, brachia argentea, charitas & misericordia erga proximum: sed omnia opera & merita nostra, & bona propè fita fundata sunt super lutum, ita ut si tentatio veniat quasi lapillus, & nostros tangat pedes, hoc est carnem & concupiscentiam, mox omnia abeant in favillam, & dispereant. An non vox ancillæ quasi lapillus dejecit Petrum.

2. *Societas malorũ Eccl. 13.* Secunda occasio peccati Petri fuit societas malorum. Ingressus enim erat aulam impii Pontificis, & alios Apostolos deseruerat, atque impiis ministris se immiscuerat. *Qui tangit picem, inquinabitur ab illa.* Multis ingressus & conversatio aulæ non sine detrimine est, nec sine crimine. Ibi multa vitia afficiuntur; ibi amoris divini ignis interior extinguitur, dum ad ignem exteriorem sedetur, ut factum est hic in Petro: ibi mendacium negatio, periurium repertur, & alia crimina non pauca, quæ hic possent latius deduci. Sicut enim dicit S. Amb. in Luc. l. 10. c. 22. *Vbi Petrus negat Christum? Non in monte, non in templo, non in sua domo, sed in Prætorio Iudæorum, in domo Principis Sacerdotum. Ibi negat, ubi veritas non est. Ibi negat, ubi Christus captus, ubi ligatus est.* Sic dicere possumus adhuc hodie in domo Principum Christũ sæpe negari, ligari, crucifigi, blasphemari; sive propter aleas, taxillos, & lusus petnicioſos intra domesticos parietes; sive propter exactiones concussiones, extorsiones à Principibus & aulæ ministris foris factas; quia sic Christus in membris suis ligatur, concutitur, percutitur, crucifigitur, sanguisque eius exugitur.

3. *Colloquiũ ancilla. Nota.* Tertia occasio fuit colloquium cum ancilla, sive cum muliere. Quapropter S. Maximus dicit peccatum Petri & Adæ similitudinem quandã habere, utrobique Diabolus, & Vir, & Mulier. Et utraque mulier janitricis & ostiariæ munus usurpat: illa Adamo, hæc Petro mortis ianuam aperiens. Vtraque instrumentum diaboli ad sortes columnas evertendas; illa per petitionem iniquam, ista per interrogationem sacrilegam. Ianitrix procax, ostiaria inferni, Ianitorem aggreditur Cœli, eumque vincit: & non mulcendo aut alliciendo, sicut Eva, sed terrendo in peccatum inducit. Fœmina autem quæ in alliciendo potens est, terrendo certè imbecillis est & impotens.

Peccatũ Petri ex multis aggravatur. Quapropter peccatum Petri gravitatem quamdam sortitur à variis circumstantiis. Primò à personæ dignitate, Petrum enim Christus evexerat super omnes Apostolos, & Caput eorum ipsum constituerat, unde firmior esse debebat; variis quoque beneficiis & prærogativis eum adornarat, visione transfigurationis, revelatione suæ divinitatis. Vnde conqueri videtur Dominus verbis Iob. 16. *Abominati sunt me Consiliarii mei, & quem maximè diligebam, aversatus est me.* Secundò ab occasione, non enim agit inter supplicia, non per eculeum interrogatur, non à Pontificibus aut à Principibus, sed à mulierculis & servis vilibus. Quantò ab imbecilliori hoste victus, tantò turpius cadit. *Ancilla est, Ostiaria est, inquirendo tentat,* inquit Sanctus Gregorius in lib. 17. moral. quid imbecillius? Tertiò à prævia promissione: *Etsi opore tuerit me mori tecum, non te negabo.* Quartò à numero negationis; non enim est simplex negatio, sed trina & secunda quidem cum curamento, tertia cum detestatione.

1. *A personæ dignitate.*

2. *Ab occasione.*

3. *A prævia promissione.*

Cur Deus Petrum labi permiserit. Cæterum ex parte Dei varias rationes afferunt SS. Patres, cur Deus Petri lapsum permiserit.

Resp. 1. Prima est Sancti Greg. homil. 21. in Evang. ut Petrus præficiendus cæteris Pastor universalis, lapsus commisereti, & non austero animo esse, disceret. Eandem repetit epist. ad Episcopos Galliæ: *Plus erga corrigendos agat benevolentia, quam severitas, plus cohortatio, quàm commotio; plus charitas, quàm potestas cùm nemo vestrum sine peccato aut reprehensione vivat. Si Dominus Petrum post primam negationem iudicasset, non talem ex eo fructum recepisset.*

Resp. 2. Secunda est S. Leonis ser. 9. de Pass. *Vt in Ecclesia Principe remedium pœnitentiæ conderetur, & nemo auderet de sua virtute confidere, quando nec mutabilitatis periculum B. Petrus potuisset evadere.*

Resp. 3. Tertia est Sancti Ambrosii & aliorum, ut fervent iùs resurgeret, & semper ei stimulus foret humiliationis majoris, Immò & amoris ardentioris. *Cui plus dimittitur, plus diligit.* Hinc etiam tertiò interrogatur de amore, & redditur

negationi trinæ trina confessio, ne minus amori linguæ servirer, quàm timori, inquit S. August. tract. 123. in Ioan.

De pœnitentia Petri.

VIdisti lapsum? Nunc cõsidera Petri pœnitentiam, & qui secutus es errantem sequere pœnitentem, Gallus cantavit, *& conversus Dominus respexit Petrum, recordatusque est Petrus verbi Domini Iesu, & egressus foràs flevit amarè.* Excitatus est exterius per Gallum, interiùs per Christum. Non erat sufficiens Galli cantus, nisi etiam respiceret Dominus. Galli cãtus in peccatore, est remorsus conscientiæ. Galli cantus vox est admonentis Prædicatoris, *ut incentes excitet, & somnolentes increpet.* Galli cantus verbum est Dei, evigilare faciens peccatores. Sed vox exterior, verbumq; externum parum proficit, nisi intus ad cor loquatur Dominus, oculorumque suorum radiis illud illustret. Vndè ad primum Galli cantũ non est ad pœnitentiam commotus Petrus, ad secundum respiciente Domino est conversus. *Quos Iesus respicit, plorant delictũ* inquit S. Ambrosius. *Negavit primò Petrus, & non flevit, quia non respexerat Dominus, Negavit secundò, non flevit quia adhuc non respexerat Dominus. Negavit tertiò respexit Iesus, & ille amarissimè flevit. Si ergo ita sunt necessarii oculi tui, Domine, respice in me & miserere mei. Respice ut sciamus nostrum defiere peccatum, lavare delictum.* Hæc Amb.

Aliqui putant etiam oculis corporis Christum respexisse Petrum.

Interim hæc fuit magna Domini misericordia & benignitas, quòd in mediis calumniis & angustiis, inimicis suis undique obsessus & oppressus, horum omnium velut obliviscens, de Discipulo cogitat, & ad eum convertit se, si nõ corpore (quia Petrus exterius erat in atrio, Christus in aula interioti) certè corde: sicque divinæ lucis radios in eius mente facit lucescere, ut frigus & tenebras ab eo pellat. Immò accendit & in eius corde ignem, à cuius facie cor sicut cera liquescebat; ideo *egressus flevit amarè.* Hæc verò lachrymæ nõ ex timore pœnæ, sed ex amore procedebant justitiæ, & ex Redemptoris fide & dilectione. Consideravit nãque quomodo eum offenderat, à quo tot favoribus prævẽtus fuerat, & quomodò amore vitæ suæ & vitam ipsam negarat. Ideo dicere poterat: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis lachrymarum fontem, ut plorem die ac nocte, quia inimicus supplantavit me.* Equidem cecidit Petrus, & charitatẽ ad breve tempus per inconstantiam & timorem perdidit, ita ut à peccato mortali eum excusare non valeamus. Non tamẽ fidem totaliter perdidit; (*Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.*) quamvis contra fidei peccarit confessionem. Atque in ipso fœdè lapsu erectus est, & citò in soliditatem suam redijt petra, tantam recipiens fortitudinẽ, ut quod in Christi expaverat passione, in suo post supplicio nõ timeret. Conversus ergo Dominus respexit Petrum, & *Petram convertit in stagna aquarum, & Rupem in Fontes aquarum*; sicq; factum est, ut fons charitatis lavaret verba formidinis, & ad diluendam culpam negationis, lachrymæ virtutem haberent baptismatis. Quam gratæ Domino hæ fuerint lachrymæ, etiam ex eo constat, quòd resurrectionis suæ nuntiũ specialiter Petro voluerit nuntiari. Nec semel Petrus has fudit lachrymas, sed, ut testatur S. Clemens, tota eas vita fovit, & ad Galli cantum resuscitavit. Audito enim Galli cãtu, mox seipsum excitans, orationi vacabat, & lachrymis genas rigabat: ita ut & in oculis, & in facie, lachrymarum remanserint toto vitæ decursu notæ & vestigia. O felix Galli cantus! ô felices lachrymæ! ô felix pœnitentia! ô felices oculi, qui fontes fuere lachrymarum coram Deo acceptabilium, & omni sæculo admirabilium! Defluebant hæ lachrymæ silenter per genas sine voce & strepitu, sed irrigabant & fœcundabant cor eius, *quasi aqua Siloe quæ fluunt in silentio.* Ascendebãt deinde in Cælum, efficaces ad gratiam coram Domino. Nec absimiles erant aquis Marath in deserto; quia sicut illæ amaræ quidem erant primùm ex se, sed suaves postmodum immisso ligno: ita hæ lachrymarum aquæ amaræ erant ex dolore offensæ; ac suavissimæ ex Redemptoris amore, quasi ex ligno vitæ.

S. Petrus semper ad galli cãtum flevit. Cle. l. 2. Recog.

Isa. 8.

LECTIO VI.

De his quæ mane gesta sunt in Concilio Iudæorum, & de pœnitentia Iudæ.

POst tot injurias & tormenta in domo Caiphæ nocte tota inflicta à tartareis ministris, summo mane iterum congregati Sacerdotes, Scribæ, & Seniores populi in concilio suo Sanedrim, quod ex septuaginta duobus constabat, rursus interrogant, si Christus sit, & si persistat in ea assertione, quòd sit Filius Dei. Licet enim hoc noctu satis foret examinatũ, & super hoc pronunciata sentẽtia: Tamen cùm nocturnum tempus, non sit judiciis aptum, nocte lata sententia non est valida, prout etiam habetur *Authentica de iudiciis. Quapropter & Moyses indicabat populum à mane usque ad vesperam, non ultra.* Non indulserunt quieti aut prolixo somno hi sanguinarii, stimulante eos invidiæ furore; sed ut pessimas suas scrutationes efficaciter in necem Christi quantocyus perducerent, magno desiderio expectant lucem diei. Verum appositè S. Leo sic eos arguit ser. 3. *Hoc mane, ô Iudæi non ortus vobis Iuris contigit, sed occasus; nec vestris oculis solitus dies prodijt, sed in piis mentibus nox tetra caligatu incubuit. Hoc mane vobis templum & altaria diruit, legem & Prophetas ademit, regnum & sacerdotium abstulit, in luctum æternum omnia festa convertit. Iniistis enim insanum cruentumque consilium tauri pingues, vituli multi, fremente bestia canes rabidi, ut morti auctorem vitæ & Dominum gloriæ traderetis.*

De hoc concilio Sanedrim. Num. 11. & Deut. 17.

Exod. 3.

Sed si ipsi diem hunc & lucem expetierunt in suum malum, multò magis expectavit Dominus in totius

Ieremi. 9.

Luc. 22.

Psal. 113.

totius orbis bonũ. Nõ poterat somnũ aut quietem captare, nisi in Crucis lecto. Hunc ergo diẽ in quo redemptionis nostræ opus erat consummaturus, *Luc. 12.* iam à triginta tribus annis exoptarat: *Baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor donec perficiatur in me.* Fine autem jam appropinquante, quàm maximè illũ desiderabat, & ut suum diem reputabat, utpote vitæ mortalis coronidem, salutis nostræ complementum, omnis boni originem. In illo namq; cœlum aperire debebat, infernum claudere, benedictionis fontes omnibus reserare, & voluntatem Patris consummare.

Iudæorũ in malo constantia summè Christũ afflixit.

Interim cor ejus piissimum non parũ cruciabat adversariorum suorum infatigabilis in malo constantia, in filiis perditionis tanta diligentia ad perficiendum summum malum, scelus pessimum, innocui hominis parricidium, imò Deicidium: ita ut ad id peragendũ, & insidias noctis, & vigilias jungerent matutinæ lucis, eadem inquirendo, replicãdo, urgendo, ut damnationis causam confirmare valerent. Congregati ergo mane duxerunt Jesum in concilium suum, dicentes: *Si tu es Christus, dic nobis.* Luc. c. 22. Non veritatem desiderabant, sed calumniam præparabant. Vnde ait illis: *Si vobis dixero, non credetis mihi, si autem & interrogavero non non respondebitis mihi, neque dimittetis.* Quasi dicat: Si vobis dixero me esse Messiam, non credetis mihi. Quod si etiam vos interrogavero, & ex scripturis vobiscũ disserendo, vos convincam me esse, nõ respondebitis, neque liberum me facietis, nec argumenta mea dissolvetis, ut expertus alias subinde fui. Nõ ergo hoc agitis, quod in legitimo judicio agi debet, ut cognita veritate nocentem condemnatis, vel innocentem dimittatis; sed hoc solum, ut mortem, quam mihi certo inferre decrevistis, prætextu justitiæ obveletis. Attamen Dominus, ne videatur meu mortis veritatem reticere, confitetur se Christum magna cum modestia & prudentia, dum adjungit: *Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.* Ipsi enim inferunt ex his verbis interrogativè: *Tu ergo es Filius Dei?* Respondetque: *Vos dicitis, quia ego sum.* Hoc est, veritatem asseritis, ita enim est. Hac phrasi solet Dominus cum modestia veritatem interrogatã confiteri. Hac igitur veritate confessa, ulteriori dicunt se non egere testimonio, sed vinctum ducunt ad Pilatũ, ab eo sicut & ab ipsis condemnandum. *Tradiderunt eum Pilato,* inquit Sanct. Leo ser. 8. *tanquam Romanis devoti legibus omne judicium potestati Cæsaris reservassent. Sed experierunt magis executorem sævitiæ, quam arbitrum causæ. Offerebant eum duris noxibus vinctum, colaphis cæsum, flagellis prædamnatum, ut inter tot præjudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus absolvere.* Ita S. Leo.

Christus vinctus manibus ducitur ad Pilatũ.

Christũ vinctum manibus ducunt ad Pilatum, collo ejus catena ferrea injecta, quam aliqui dicũt Ierosolymis diu servatam, ejusque contactu dæmonia à multis obsessis depulsa. Vide Salmeron tract. 24 to. 10. Certe S. Basilius in Mystagogia Ecclesiastica dicit Jesum ductum fuisse ex collo vinctum, in cujus typum Sacerdotes utuntur stola ex collo dependente. Quicquid sit; absq; dubio ignominiosè & acerbe tractus fuit per mediam Ierusalẽ cum clamore, tanquam reus mortis, ut in prætorium Pilati duceretur; magnusque fuit populi concursus ob diem festum undique confluentis.

De pœnitentia Iudæ.

VIdens Iudas quod Christus damnatus esset, à concilio scilicet Sacerdotum & Seniorum, quodque jam duceretur ad Pilatum, ut ab eo sententia confirmaretur, *pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum. Vide veritatem undique fulgentem,* inquit S. Chrysostomus, *Proditor de ipso dat testimonium, & eorũ qui condemnaverunt, oppilat ora.* Habebant quendam impietatis suæ prætextũ, quod à discipulo intimo Christus esset proditus, qui videri poterat ob occulta forsitan Magistri facinora ab eo defecisse: at nunc omnis prætextus sublatus est, quando eis cõfessus est se peccasse, & quando ipsam pecuniã reddit, asserens innocuum sanguinem se tradidisse. Responderunt vero illi: *Quid ad nos? Tu videris.* Sive nocentem, sive innocentẽ prodideris, quid nostra refert? O responsio audax, atque cæca! Emisse se justi sanguinem audiunt, & tamen extra reatum se esse credunt, & in vendente scelus constituunt. Nec intelligere voluerũt, quod si peccavit ille qui tradidit sanguinem justum, multo amplius peccaverunt qui emerunt & pretium offerendo discipulum ad proditionem provocarunt. Tamen & ipsa sua responsione satis se condemnant impietatis, cum significant sibi parum curæ esse, justene an injuste emptus sit aut traditus?

Iudas desperans laqueo se suspendit.

Videns itaque Judas se derisum, conscientia eum mire intus torquente, projecit argenteos in templum, & abiens cum desperatione laqueo se suspendit. Sic nempe claudit oculos Dæmon dum homines peccant, ne sui peccati enormitatem agnoscant: post peccatum autem illos aperit, ut desperent. Proponit peccantibus Dei misericordiã, ut peccent in spe: postmodum eius aggravat justitiam, ut animum despondeant cum cõfusione. Sic multi putant quod in fine reperient unum bonum *Peccavi,* & non inveniunt nisi unum pessimum *Desperavi.* Interroga Judam. Ipse tamen gravius peccavit desperando, quam sanguinem justum fundendo; quia sanguis quem fundebat, poterat & ipsum quo fundebatur peccatum abolere. Poterat ad fontem misericordiæ redire per spem veniæ, & invenire remediũ, si non festinasset ad laqueum. Infœliciss̃ime ergo abiens se suspendit: infeliciss̃ime tanquam alter Absalon in arbore funestâ pendet, tribus confixus lanceis, avaritia, parricidio, desperatione. Per hæc tres accepit lethales ictus, qui æterna eum morte confixerunt. O mortalium infortunatiss̃ime, quam exili pretio simul cum sanguine Salvatoris Apostolicam dignitatem, jus pri-

Iudas alter Absalon.

mogenituæ inter Filios Dei vendidisti? Quam exili nummo æternitatis pœnas tibi emisti? Sed cur ad laqueum, ad funem, ad arborem funestam currebas? Cur non potius ad funes Domini atrociter colligati pœnitens refugium habuisti? Cur non ad Columnam, eius sacro cruore purpuratam? Cur non ad fœlicẽ Crucis arborem, ubi remissionis fructum carpere poteras? Certe ibi adhuc tibi patebat porta gratiæ, ianua misericordiæ, non minus quam Petro, non minus quam Latroni perditissimo. Cur de illius diffidis bonitate, qui te à Corporis & Sanguinis sui non repulit communione, quique ad comprehẽdendum se venienti pacis osculum non negavit? *Sed tu ô miser! quasi spiritus vadens & non revertens, cordis tui secutus es rabiem: & stante Diabolo à dextris tuis, iniquitatem, quam in Sanctorum omnium armaveras caput, in tuum vertisti verticem retorsisti; ut quia facinus tuum omnem mensuram ultionis excesserat, te haberet iniquitas tua iudicem, te pateretur pœna tua carnificem*, inquit S. Leo serm. 3.

Iustum Dei iudicium in morte Iudæ.

Attendamus ergo iustum Dei iudicium in morte Iudæ, & in pœna eam subsequente. Primo quidem laqueo se suspendit, strangulavit, suffocavit. Quid ita? Audi Bedam. Act. 1. *Vt guttur, per quod vox proditionis exierat, laqui nodus necaret.* Audi & S. Augustinum hom. 27. inter 50. *Vt significaretur, quod sicut laqueo respiratio, ita desperatione Spiritus sanctus prohibetur.*

1.

2.

Secundo, per suspendium interire meruit, quasi indignus cœlo & terra, hominum scilicet vel Angelorum consortio; consors Dæmonum factus, quibus agr caliginosus usque in diẽ iudicii est deputatus. Beda in locis sanctis c. 4. & Iuvẽcus Poeta, putant Iudam se suspendisse è ficu, quæ adhuc Hierosolymæ isto tempore ostendebatur. Alii è sambuco suspensum dicunt. Romæ quotannis è sambuco suspendebantur canes, eo quod Gallis Senonibus in Capitolium irrepentibus nõ latrassent inquit Plinius l. 29. c. 4. Hæc arbor infrugifera inter infelices arbores suspendio destinabatur, iuxta illud Livii l. 1. *I lictor, caput obnubito, infelici arbori suspendito.* Certe Iudas velut canis in Dominum insurgens meruit tali arbori infaustæ appendi.

Marianna, & ex eo Cor. Lap in 2. Act.

3.

Tertio, *suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius*; tum quia maledictio *intravit sicut aqua in interiora eius*; tum quia nulla habuit ergà Dominum suum misericordiæ vel pietatis viscera; tum quia anima sacrilega non meruit per os exire, quo osculatus fuerat Christum, sed exivit per viscera illius, qui fuit instar feræ dilaniatæ abominabilis.

4.

Quarto, dicamus quod suspensus sit, quia fur erat; quod in partes scissus est, mediusque crepuit, quia proditor erat: quod æternum damnatus sit, quia desperaverat: quod extra cœmeterium sepultus sit & in agro perlit, quia sacrilegus & simoniacus fuit, vendens rem adeo sactam. Aliqui eum sepultũ dicunt in agro figuli empto ei quod dicitur: *Hic possedit agrum iniquitatis*: quia in eo sepultus fuit, inquit Rabanus. Sed aliter interpretatur S. Greg. lib. 1. Moral. cap. 9. *Possedit*, id est, possidere fecit: sive possedit pretium quo ager emptus est, ideoque agrum possedisse figurate dicitur, ut alii Interpretes dicunt. *Act. 1.*

Itaque è pecunia illa *emerunt agrum figuli*, qui dictus est *Ager sanguinis*, dicentes non licere pretium sanguinis mittere in *Carbonam*, sive in locum ubi oblationes reservabantur. Quare eos sic alloquitur Sanctus Augustinus: *Qualis illa innocentiæ simulatio, pecuniam sanguinis non mittere in arcam, & ipsum sanguinem mittere in conscientiam?* Conformiter Sanct. Leo: *Pretium mittim gazophylaciũ noluistis, ne sacros loculos cruenta pecunia pollueret. Sed quamlibet vos fallacia circumtegatis umbraculis, initum est cum traditore commercium, quod iustum sanguinem si non iuste comparari, ita non debuit offundi.* Addit Evangelista: *Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam: Acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati à filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli.* Putant aliqui it repsisse nomeo Hieremiæ pro Zacharia, quia Zachariæ 11. qui similè habetur, nec reperiretur in Hieremia. Alii tamẽ desumptum dicunt ex Hieremiæ alio libro, qui non extat. Vide passim Interpretes in c. 27. Matth. & in cap. 11 Zach. *Leo ser. 6 de Passe Matt. 11.*

Istius autẽ sententiæ brevis hic sensus est: *Acceperunt triginta argenteos.* Principes Sacerdotum. qui argenteri erant pretium Christi appretiati, *quẽ appretiaverunt à filiis Israel*, sive quem ab uno ex filiis Israel emerunt, à Iuda scilicet, *& dederunt eos in agrum figuli*, sive expenderunt eos in agrum figuli, qui hic dictus est, vel quod ad figulum pertineret, vel quia materiam aptam ad vasa figulina præberet, vel quod testatum fragmenta in illum proiicerentur. *Sicut constituit mihi Dominus*, hoc est, sicut constitutum Dominus mihi revelavit, & suo tempore implendum ostendit.

Cæterum, non est dubitandum, ex Dei speciali ordinatione factum fuisse, ut illa pecunia in sepulturam Peregrinorum propria sepulchra non habentium impenderetur, quia & hoc ad Iudæorum ignominiam, & ad maiorem Dei gloriam cedere debebat. Istud enim perpetuum fuit impietatis eorum monimentum, quod non potuit è memoria hominũ obliterari; quia notum factum est ex ipso nomine, ipsos à Iuda Sanguinem Christi emisse? Et ita licet ipsi suum scelus hac agri emptione in speciem pia obtruere & sepelire vellent, tan è quoties *Agrum sanguinis* nominabant, toties homicidium suum & sanguinem Christi à se fusum remonabant: qui Sanguis non alio quã ipsorummet sanguine explandus erat, ut factum est per Titum & Romanos. Gloria quoq; Christi hic effulgebat in mystica significatione: quia per hoc quod eodẽ pretio quo Dominus fuit venditus, emptus sit ager pro sepultura Peregrinorum, figurificabatur mortẽ Christi comparatã veram quietem iis qui velut

Dei ordinatione pretium sanguinis Christi in peregrinorũ sepulturam conversum.

advenæ

advenæ & peregrini hic degunt, jus supernæ civitatis Jerusalem consecuti: Sanguinem quoq; Christi potissimum peregrinis & advenis gentibus profuturum, pereuntibus in sua impietate ob incredulitatem Iudæis. Hinc & illa pia oratio in cœmeterii reconciliatione ex Pontificali: *Domine pie, qui agrum figuli pretio sanguinis tui in sepulturam peregrinorum comparari voluisti, quæsumus, reminiscere clementissime huius mysterii: Tu enim figulus noster, tu quietis nostræ auctor, tu agri pretium, tu in pretio & de pretio tui Sanguinis nos requiescere donasti. Tu ergo hoc Cœmeterium. Mausolaum peregrinorum tuorum, cœlestis patriæ incolatum expectantium purifica & reconcilia, & corpora tumulandorum hic ad gloriam resuscita &c.* Quod si latius vis videre mysterium hic latens, lege S. Ambrosium l. 10. in Luc. cap. 22. in fine.

Hoc pro conclusione adjiciamus hic. Cum proditio Iudæ tantam cordi Iesu infixerit tristitiã & dolorem; quantum putas illum auxit ipsius Iudæ æterna perditio ob suspendium & desperationem? Poterat dicere quod olim de Absalone David: *Fili mi Absalon, quis mihi det ut moriar pro te:* Terruerat pœnis, allexerat beneficiis, pedes laverat cum discipulis, admiserat ad cõmunicationem Corporis & Sanguinis, præbuerat osculum oris, prostraverat vi suæ poresttatis ut ad pœnitentiam reduceret. Sed, eheu! desperatione & suspendio omnem Christi circa se laborem & pietatem reddit inanem, atque ipsam Redemptoris sui mortem sibi facit inutilẽ. O stimulum acerbissimi doloris! Hunc auxit exultatio inimici de capta præda, diffamatio amplior sui atque cœtus Apostolici, quia unius delictum in omnes socios solet traduci. Denique maxime auxit cordis tristitiam perfidia durissima Iudæorum, quos nec peccati confessio, nec pretii restitutio, nec suspendii abominatio ad cor reduxit; quia nec Iudæ confitenti, nec pretium projicienti, nec sese in suspendenti crediderunt.

LECTIO VII.

De adductione Christi ad Pilatum, & de his quæ apud eum gesta sunt.

Ioan. 18. *Adduxerunt Iesum á Caipha in Prætorium, & ipsi non introierunt, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Prætorium vocabant domum Pilati, ubi Prætor & Præses Romanus iudicabat, Pascha quoque vocabant, non solum Agnum Paschalem (quem præcedente vespera eos comedisse, communior est sententia Interpretum) sed etiam omnes hostias Paschales, ovium, vitulorum, boum, quas totis illis septem diebus offerebant, & si immundi fuissent, abstinere debuissent. Levit. 22. *Immunditiam autem reputabant, domicilium hominis Ethnici & circumcisi ingredi.* An non hic culicem excolantes, camelum glutiebant? Audi Sanctum Augustinum: *O impia & stulta cæcitas! Habitaculo scilicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio: alienigenæ Iudicis Prætorio contaminari timebant, & fratris innocentis sanguinem fundere non timebant.* At vero dolendum, quod non pauci è Christianis haud absimiles sint his Iudæis, qui in externa quadam observantia pietatis religiose se gerunt, intus autem odia fovent, & alia multa vitia. *Quod de foris est Calicis, videntur emundare*, cum intus pleni sint veneno & abominatione. *Sanctifica eos Pater in veritate*, & non in observantia solum exteriore. Fuga à filiis tuis omnem hypocrisim & simulationem, ut servent tibi integro & mundo corde, ac epulentur coram te *in azymis sinceritatis & veritatis.* O quam cæci sunt, quilibet tatem & innocentiam foris mentiuntur, intus pleni crimine, quique dum homines fallunt recti specie, non cogitant se Deum non posse fallere.

S. Chrysost. & Cyrill. putant Iudæos distulisse Pascha in illum diem.

Ioan. 17.

Pilatus interim, etsi posset eis exprobrare se contemni, quod dedignarentur habitaculum Præsidis Romani ingredi, ideoque & vicissim potuisset eos dedignari, nec audire, nec adire: tamen cõdescendens quadam politia illorum religioni, *Exõvit foras, & interrogavit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Sic scilicet vinctum, sic conspuc atum, & sic ignominiose per Civitatem adductum, & mihi præsentatum ut reum? Illi vero non minus malitiose & impiè, quam superbe respondentes, dixerunt: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Superbe suam prætendunt auctoritatem & religionem, volentes per hæc judiciariam premere inquisitionem, quasi sufficere ei deberet auctoritas hæc adversariorum atque religio. Dolose interim & impie id agunt, scientes se in accusationibus justis ac probationibus deficere. Immo eum tradunt tanquam malefactorem publicum, cui non sit dandus locus defẽsionis, quasi dicant illud Ambrosii: *Evidentia patrati criminis non indiget clamore accusatoris.* Itaque, ut sceleratissimum malefactorem publice notum voluerunt infamare illum, de quo scriptum est: *Pertransiit bene faciendo omnibus* Interrogentur liberati à spiritibus immundis, sanati à languoribus, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquẽtes, cæci videntes, mortui resurgentes, utrum ipse sit malefactor; Pilatus autem nonnihil eorum superba responsione offensus, & sciens quod per invidiam tradidissent eum, ait: *Accipite eum vos & secundum legem vestram iudicate.* Quasi dicat: Sitalem vos eum nostis, & sufficit vobis vestra examinatio, sufficiat & vobis vestra lex, sententia & iudicium; ego inauditum non judico, aut condemno; nec lex nostra id permittit.

Actor.

Dixerunt ergo Iudæi: *Nobis non licet interficere quenquam.* Recte vero Sanctus Augustin. *Quid est quod loquitur insana crudelitas? An non licet interficere quem interficiendum offerebant: An non interficiebant, cum clamabant: Crucifige? An non hæc*

lex ordinat homicidas, adulteros, & similium reos sce lerum occidere vel lapidari? Nisi hoc forte dixerunt propter diei festi venerationem, quia non liceret eis in die festo occidere hominem ob cuius etiam veneratio nem Prætorium indicis intrare noluerunt. Occidistis nem, ô falsi Israelitæ! quando apprehendistis, du xistis, tradidistis, & crucifigi poposcistis. Audite quod contra vos Propheta clamat: Filii hominum, dentes eorum arma & sagitta, & gladius acutus lingua eo rum. Ecce quibus armis, quibus sagittis, quibus gla rum. Ecce quibus armis, quibus sagittis, quibus gla diis iustum interfecistis. Hæc S. Augustinus. Ex mente igitur illius, cui consentit Cyrillus lib. 12. cap. 6 ideo Iudæi dixere sibi non licere interficere, ob solemnitatem, & dies festivos azymorum. Nam non licuisse Iudæis in die azymorum quenquam interficere, colligitur ex act. cap. 12. ubi legimus Herodem apprehendisse Petrum, quia autem dies azymorum erant, *tradidit militibus custodiendum, ut post Pascha produceret eum populo*, & interficeretur. Interim Iudæi, licet se excusent ratione temporis, urgent tamen ut per Pilatum fiat, quasi in mora esset periculum, si quantocyus de medio non tollatur. Sic quoque se existimarunt invidiam & scãdalum plebis evasuros, si in tanta solemnitate per Gentiles, milites & Romanum præsidem eum interficerent. Aliorum opinio est non minus probabilis, Iudæos ideo dixisse nõ licere sibi interficere quenquam, quia per Romanos potestas eis adempta erat plectendi morte reos, maxime supplicio crucis. Quod tamen supplicium ei inferre avebãt, tum quia valde atrox erat & diuturnum: tum quia summe ignominiosum, dum omnium ludibrio exponitur pendens; tum quia etiam scriptum erat: *Maledictus qui pender in ligno.* Sic suam rabiem nonnisi hoc supplicio satiaturi videbantur; nisi scilicet is cui acclamatum erat: *Benedictus qui venit in nomine Domini, O sanna in excelsis*, male dictus pronunciaretur in excelso ligno elevatus, & sannis publice exciperetur, ac ludibrio haberetur ab omnibus. Vtrumque autem junctim dici potest, & quod propter festum Paschæ & azymorum dixerint sibi non licere interficere, & propter ademptam eis a Romanis in reos potestatem infligendæ mortis, maxime per supplicium crucis. Utrumque etenim coniungit S. Chrysost. hom. 82. nempe & propter tempus, & propter genus mortis eos dicere, sibi nõ licere interficere quenquam. Vnde additur: *Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit significans qua morte esset moriturus*, id est, quo genere mortis. Sæpe enim dixerat Dominus se crucifigendum, & levandum instar serpentis in deserto. Hæc autem pœna non poterat infligi a Iudæis, sed a Gentilibus; atq; ideo Pilato præsidi Gentili tradendus erat, si erat implenda prædictio.

Itaque videntes Iudæi sine accusatione se hic nihil posse proficere, dixerunt: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.* Tria ei imponunt falsissime, arguentes eum ut trãsgressorem legis divinæ, naturalis, humanæ. Primo, quod averteret populũ ab observantia legis a Deo per Moysen datæ. Quod falsum erat, ipso prædicãte se non venisse solvere legem, sed adimplere, quam etiam usque ad mortem servavit. Secundo, quod prohiberet tributum, atque erat id contra legem naturæ, quæ docet deberi Regibus tributa ad sustentationem vitæ & status. Et hoc falsum erat, quia solverat didrachma pro se & Petro & dixerat *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Tertio, quod sibi regnum Iudæorum usurparet & regium titulum contra decretum Imperatoris, qui a Iudæis abstulerat dignitatem regiam, dividens Iudæam in quatuor tetrarchias. Et hoc quoque falsissimum, quia fugerat, cum vellent eum facere Regem.

Pilato autem Gentili de legis Mosaicæ observantia parum erat curæ. De tributo poterat inaudisse eius responsum. De regia autem dignitate, imperio Cæsaris & Romano non parum adversãte, examinat & interrogat eum in Prætorio à turbis semotum: *Tu es Rex Iudeorum?* Atque etiam ex hac interrogatione reliqua duo dependebant, prohibitio scilicet tributi Cæsaris, & gentis subversio. Si enim Rex erat, sibi tributa usurpare debebat, & populi obedientiam ad se convertere, & a Cæsare avertere; quia hæc nonnisi de regno temporali Pilatus intelligebat. Adverte vero, quod Pilatus non interrogat solum, an se Regem dixisset, quia hoc parum erat, & nonnisi jactantiæ adscribendum: sed interrogat, an vere ita esset: quia Cæsaris imperio id non parum obesset. Ad id autem interrogandũ non levi ratione inducitur, quia Hierosolymis existens audiverat mira opera Christi, resuscitationem novissimam Lazari, ingressum honorificum in urbem, acclamationem populi, quæ suspicionem poterant inducere regni. Licet ergo non accusarent eum Iudæi, nisi de eo quod diceret se Christum Regem, interrogat tamen an vere Rex Iudæorum foret? Quasi diceret: Non mihi satis est, si neges te dixisse amplius quæro, an sis Rex: Ex divina autem providentia interrogatio hæc facta est, quia Christus verus Rex erat, & ea de causa etiam invitis Iudæis appositus est ei titulus, *Rex Iudæorum*: quamvis non intelligeret Pilatus, quale eius foret regnum. Vt ergo sui regni daret aliquam explicationem, respondit Iesus: *A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* Quasi dicat: An ex temet ipso, quasi opinionem habens quod sim Rex Iudæorum, an ex aliorum suggestione id me interrogas? Cui Pilatus. *Numquid ego Iudæus sum?* Quasi dicat: Ex me non concepi hanc opinionem, quia nõ sum Iudæus, ut ex vestris libris investigare possim quis est qualis debeat esse Rex Iudæorum, sed pontifices tui tradiderunt te mihi, desuper te accusantes: *Quid ergo fecisti*, ut in te omnes sic insurgant, & in crucem agere velint, si non es Rex, de quo accusaris? Volens itaque Christus falsam opinionem de affectato regno à se amovere, & regni sui

Quo non licuerit Iudæis quenquã interficere. Act. 12.

Vid. Card. Toletin Ioan. c. 17

Deut. 21.

3. Crimina Christo imposita.

Matt. 17. Matt. 22. 3. Luc 3.

Ioan. 6.

De regia dignitate Pilatus Christũ examinat.

qualitatem declarate, haud repugnantem regno & imperio Romanorum, respondit.

Regnum meum non est de hoc mundo, si esset ex hoc mundo, ministri mei decertarent, ut non traderer Iudæis. Quasi dicat. Regnum meum non est terrenũ, aut mundanum, consistens in multitudine satellitum aut ministrorum, in splendore externo, aut in pompa & magnificentia, sicut regnum aliorum Regum: immo non est tale quod Regum aut Principum quempiam à sua potestate aut dominio expellat, ut Cæsaris potentiã usurpare aut imminuere, jure possim accusari. Sed est regnum spirituale, cœleste & æternum, per quod in animis & cordibus hominum dominor, ipsisque Regibus leges spirituales & jura fero. Terrenum regnum gladio materiali administratur; non opus habet hoc gladio regnum meũ, quia gladius ejus spiritualis est. Regnum terrenum habet civitates, arces, oppida, exercitus, arma, quibus se tueatur. Si de hoc mundo esset regnum meum, hæc omnia mihi ad manum forent, ne jam in potestatem venirem Iudæorum; nunc ergo ex eo cognosce, quod regnum meum non sit hinc.

Christi regnum non est de hoc mundo.

Vere, Domine Iesu, *Regnum tuum non est de hoc mundo*, quandoquidem nasci pauper volueris in stabulo, & cum Matre tua ascendere in Bethleem ad profitendum subjectionem, & ad solvendum censum Cæsari.

1. *Regnum tuum non est de hoc mundo*, quandoquidem famem, sitim, frigus, & omnia in illo adversa pateris, omnibusque te subjicis miseriis & incommodis.

2. *Regnum tuum non est de hoc mundo*, quandoquidem aperte tuis dicis: *Pressuram in mundo habebitis. Mundus gaudebit, vos vero contristabimini. Nolite mirari, si odit vos mundus, quia priorem me vobis odio habuit.* Et rursus: *Confidite, ego vici mundum.*

3. *Regnum tuum non est de hoc mundo*, quandoquidem in illo nonnisi spineam Coronam pro Diademate, & Arundineum baculum pro Sceptro geris, ut illudaris.

Regnum tuum, non est de hoc mundo, quia omnis celsitudo regia huius mundi nonnisi ventus est, & gloria fumus, & magnificentia vanitas: tu autem Rex es verus, Rex veritatis, Rex natus ut testimonium perhibeas veritati & æternitati.

Quia ergo *Regnum tuum non est de hoc mundo*, ideo qui vere tui sunt, qui vere Christiani, opes, voluptates, gloriam hujus mundi nõ quærunt: sed ad regnum tuum cœleste adspirant, & regnum æternum gratiæ tuæ, dũ sunt in hoc sæculo, fovere studeant, quod est, *gaudium & pax in Spiritu Sancto.* Ideo cum Sancto Bernardo exclamant: *Veni Domine Iesu, auser scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut solus regnes in ea. Venit avaritia, ut vendicet sibi in me sedem. Luxuria & superbia cupit dominari. Luxuria dicit, Ego regnabo. Ambitio, invidia, iracundia, certant in meipso de meipso, cuius potissimum esse videar. Ego quantum valeo, resisto, Iesum reclamo, & dico: Dominus meus & Deus meus; non habeo Regem nisi Dominum Iesum. Veni ergo, & dispergе illos in virtute tua, & regnabis.* Hæc Bernar.

Bern. super Missus.

Itaque fatetur Christus Dominus se Regem esse, & quidem talem Regem, qui *ad hoc natus sit, ut testimonium perhibeat veritati, ita ut quisquis ex veritate est, eius vocem audeat.* Ad hoc nempe in mũdum venit, ut palam & libere veritatem prædicet, & hanc veritatem maxime, se Christum Regem esse, & regnum suum non esse caducum, sed perenne: nec ex hoc mundo, sed è cœlo. *In hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati,* inquit ipse. Testimonium perhibuit prædicando & docendo, doctrinamque suam operibus & miraculis cõfirmãdo. Propter veritatem quam docuit, morti traditur, quia & eam sanguine suo confirmandam iudicavit. Propter eandem eius assecl æ & milites occubuerunt, & suo etiam cruore eandem signarunt, ut & regni eius fierent cõsortes. Patet in Apostolis & Martyribus, doctrinæ eiusdem & veritatis assertoribus. Ideo vero se dicit venisse ut veritati testimonium perhibeat, quia illa vel evanuerat, vel calumniã patiebatur ab incredulis. *Diminuta erant veritates à filiis hominum*, & loco veritatis, vanitas, falsitas, mendacium supponebatur & subornabatur à mundo, sicut à Michol idolũ pro Davide. Et sicut poma Sodomitica exterius colorẽ quendam induunt oculis gratum, intus autem cinis solum inest, qui tactus fœtorem inhalat; ita mundus licet foris speciosus appareat, intus tamen non veritatem solidam, sed fœtidam continet vanitatem. Propterea Christus è cœlo veritatem, quasi exulem, in mundum reduxerat, & illi testimonium perhibebat, ut eã recognoscerent filii hominum, quam è terris quodammodo fugasse videbantur: Ideoque addit: *Omnis qui est ex veritate, vocem meam audit.* Hoc est, omnis qui est ex Deo, quemque Deus elegit, qui est prima veritas, audit libenter & ctedit quæ ego dico, quia sectator est & amator veritatis, cui ego testimonium perhibeo, ad hoc specialiter missus, ut eam omnibus annunciẽ. Sed multi vel odiunt vel fastidiunt veritatẽ, quia mendacio & Patri mendacii adhærent mordicus, nec ab eo avelli se sinunt, & eam ob causam me etiam odio habent. His auditis dicit Pilatus: Quid est veritas.

Christus & eius assecl æ veritati testimonii perhibent. Psal. 11.

Ioan. 8.

Vox ista nõ serio inquirentis est, sed obiter & leniter interrogantis, sicut solent Magnates de re, quæ eis parum cordi est, & quam parvi faciunt, quasi nõ ad suam pertineret notitiam. Existimabat ergo Christum velle agere Philosophum, disserendo sublimiter de veritate, iustitia, fortitudine, regno, & similibus. Hæc fastidiebat & aspernabatur, & ad Academias releganda ducebat; interim ne suam proderet ignorantiam, interrogat transeunter: *Quid est veritas?* id est, quæ est ista veritas, quam venisti testificari in mundum? Quid

Ioan. 8.

vocas veritatem? Et ut ostenderet se non interrogare discendi gratia, responsum non exspectat, nec merebatur illud audire. Certe magna & summi momenti erat interrogatio, si eo affectu, & devotione, ac reverentia facta fuisset, qua verbum Dei exquirendum est, & suscipiendum, ac audiendum. Audisset utique Pilatus, si ea fuisset animi præparatione, ex ore Sapientiæ, quid esset veritas, & intellexisset, quantum ipsa eum concerneret. Sed nec ipse erat ex veritate, ideo vocem veritatis non expectavit, & eã audire indignus fuit. Audi S. August. *Quoniam iudicium à veritate inchoavit, sed in veritate non manſit, quinimo in perversitate finivit: ideo de veritate quæstionem facere potuit, sed finale responsum audire non meruit.*

Moraliter hic potest doceri, multos esse nõ absimiles Pilato, qui ne quidem audire volunt veritatem, se statumque suum concernentem; sed exeunt foras, aut non comparent, dum veritas eis à verbi divini præconibus nuncianda foret. Discurramus per varios hominum status, & eis annunciemus veritatem cum brevitate sermonis, ne eis tædium injiciamus.

Veritas annunciatur. 1. Iudicibus.

1. Vos, ô Iudices populi, si vultis scire veritatem nolite cum Pilato recedere, & hæc annunciabitur vobis. Hæc est veritas vos concernens: Causæ viduarum, pupillorum, pauperũ non sunt vobis curæ aut cordi, finitis hos opprimi, aut languere annorum vel mẽsium spatio protracto ante decretũ, donec expensis exhauriantur; sic coguntur vel litem deserere, vel gravi suo dispẽdio componere. Favetis magnis & opulentis, *diligitis munera, sequimini retributiones.* Propter hæc male administratis plerumque justitiam, iniusta fertis decreta; parvos fures suspenditis, magnos permittitis vivere in perniciem publicam. *Vinum vestrum mixtum est aqua, & argentum vestrum versum est in scoriam.* Habet justitia vestra fæces & spumam, fraudes & avaritiam: ipsa quoque mixta est quandoque crudelitate & ultione, & malitiosa juris interpretatione; vel mixta est humano respectu, & iniquo favore. Ecce veritas.

Isaiæ 1.

2. Advocatis Procuratoribus, &c.

2. Vos, O Advocati, Procuratores, Notarii, Scribæ, Gressiarii, addo & litigantes, vultis audire veritatem? Atramento vestro sæpe turbatis æquitatem, & atram facitis justitiam, quæ ex se candida est. Prava consilia suggeritis, falla instrumenta producitis, causas iniustas defenditis. Abscondatis scripturas, in audiendis testibus, ut dici solet, adiuvatis litteram, interpretationes fraudulentas adhibetis. Salaria ultra justum laborem extorquetis. Parum vobis curæ est, modò laute vivatis, an pauperum id fiat iniquis expensis. Non solum lacted & sanguinem exsugitis: ideo causas, quas brevi poteratis finire, prolongatis, terminosq; super terminos à Iudicibus exposcitis, & extorquetis. A sententia denique iusta appellatis, ut expensas adaugeatis. Vos quoque, O litigantes, justitiam vestras causas parum curatis, si modo collitigantem supereris & supplantetis. Male informatis Iudices, subornatis testes, instruitis eos ut nõ aperiant nisi quod vobis proficuũ est; corrumpitis muneribus, ut quoquo modo litem evincatis. Juramenta quoque, nescio quæ, audetis facere fraudulenta, & sic natantes in gurgite vasto litium & processuum, submergitis vos ipsos tandem ex integro; hoc est animam, conscientiam, bona temporalia & spiritualia, ac salutem perditis. Hæc est veritas, appendite & attendite eam, quicunque coram Tribunalibus agitis contentiose.

3. Mercatoribus & negotiatoribus.

3. Vos quoque, O Mercatores & Negociatores, audite veritatem, & cum Pilato ne recedite, quasi aliis audiendis occupati. Hæc est antiqua veritas: *Care vendere quisquis vestrum cupit, & vili emere.* Sed utinã nõ infra justum ematis pretium, & supra justum vendatis. Hoc vobis parũ esse videtur, quia unusquisq; lucrari potest, ut dicitis, sive emendo, sive vendendo, quantum potest, nec id tamen æquitati & legi, vel naturali, vel humanæ, vel divinæ consonum est. Hoc vero peius, quod in mẽsura, pondere, numero decipitis, quod adulterinam mercem bonæ immiscetis; sive granum, sive vinum, sive quippiam aliud fuerit, & æquali pretio venditis atque purum. Immo si pondere merces æstimatur, fraudulenter immiscetis quæ pondus adaugeant. Quid, quod in scribendo, computando, notando, errores voluntarie cõmittentis, aut commissos advertendo nõ restituitis, & invicem fraudatis? Vos quoq; in lucrum mire artificio damnum non emergens computatis, & lucrum nõ cessans lucro deputatis. O quot apud vos usuræ species, parum probandæ! Sed & hoc malorum non extremum, quod mercedẽ operatiis defraudatis, & debita nõ solvitis. Satis superque vobis domi est ad insumendũ in vanitatibus & sumptibus superfluis; dũ creditores vero urgent, inopiam alligatis & insufficientiã. Quod si operarios & opifices varios conducitis, pecuniã promptã haud eis satisfacere vultis: sed mercimonia apud vos opportuna quolibet pretio accipere cogitis, licet de pecunia certa conductum sit. Hæc est veritas, appendite & attendite eam, quicunque mercimoniis & negociationi vacatis.

4. Operariis inferioribus.

4. Vos quoque operarii inferiores sub heris agentes audite veritatem, vestrum munus concernentem. Est tenuioris fortunæ sitis, non tamen fideliter opus & negocium vobis commissum peragitis, sic & tenuioris fidei vos arguunt Domini & Heri, vos ad opera conducentes. Habetis fraudes vestras aliis damnosas, vobis parum proficuas; diurnum laborem non impenditis, diurnum licet denariũ in solutionem, expetatis. Conscientia vestra pernovit, vos longe fœlicius & fidelius Heri conducentis lucrum posse promovere, sed negligitis, vel fraudatis. Quantũ vero ad lucrum vobis obtingens, uno die quandoq; in tabernis & poculis expenditis, quod tota hebdomada lucrati estis; quæ familiam inopem desolatamque relinquitis.

tis. Et, quod malorum maximum est, ebrii dissipatâ re familiari redeuntes, totam domum evertitis. Hæc est veritas vos concernens, quam rogo ut attendatis & expendatis in siclo sanctuarii & veritate Dei.

5. Adolescentibus & iuvenibus.

5. Vos quoque ; ô Adolescentes & Iuvenes, vultis scire veritatem? Nolite cum Pilato recedere & annunciabitur vobis. Vos moribus dissoluti estis prætextu libertatis, quasi eam deposcat ætas vestra. Sed pernicioſa libertate laxatis frænũ libidini, lasciviis in verbis, impudici in attactibus, sicut equus & mulus sine chamo & fræno in dedecora prosilientes. Nocturnas debacchationes adamatis, castitati virginum insidias struitis. Lusus chartarum & tabernas frequentatis, cum poculis rixas miscetis, paterna bona prodigitis, adjuramenta facies estis, parentibus rebelles, illis crux estis, tori vanitatibus immersi, sine timore Dei aut hominũ quidlibet audetis. Vos quoque, ô puellæ, nocturnos discursus adamatis, choreas quæritis & frequentatis, & nocturna colloquia cum juvenibus perniciosa haud fugitis, castitatem vestrã periculo sæpe exponitis; si castæ & integræ estis corpore, sed non mente aut corde? lubricas enim fovet's cogitationes, oscula & blandientes illecebras non vitatis. Vanitati & superbiæ deditæ, vultis speciosæ videri, pompose induti, à juvenibus adamati & deliuti. Hæc est veritas, quam sæpè instat speculi vestro debetis obiicere aspectui, ne vos perdat vanitas.

6. Coniugatis.

6. Vos quoque, ô conjugio adstricti, audite veritatem. Promissam mutuò fidelitatem non servatis, familiam levi ex causa perturbatis, concordiã non foveris, evertitis domesticos, quasi seo, per impatientiam, indecora & inhonesta quandoque in conjugio admittitis. Proles non instruitis, pravis moribus corrumpi sinitis, earum salutem ac vestram negligitis, perverso eis exẽplo vitiis vestris existitis. Debita non persolvitis, fraudibus deditis estis prætextu alendæ familiæ; & negotiis huius sæculi immersi, parvifacitis quæ Dei sunt & cœli. Hæc est veritas vos concernens; hanc appendite, ut emendetis.

7. Sacerdotibus.

7. Vos denique, ô Sacerdotes, nolite recedere cum Pilato, sed audite veritatem vos concernentem, qui veritatis ministri esse debetis. Vos negligentes estis in officio divino, in visitatione infirmorum, in cura pauperum, in correptione peccãtium. Non eam puritatem foveris quæ necessaria est quotidianis Sacrificiis: magis ex consuetudine frigida & arida acceditis, quam ex pietate sincera. Non fovetis zelum animarum ministerio vestro necessarium: contubernia potantium, colloquia mulierum non saris viratim. Ita fit, ut ordini vestro labem inspergatis, dum vagi & otiosi per plateas vel popinas discurritis. Hæc est veritas vos coercens.

LECTIO VIII.

Cur remiserit Pilatus ad Herodem?

AD Pilatum redeamus: exivit ipse ad Iudæos, & ait eis: *Ego nullam in eo invenio causam.* Re ctè ais ô Pilate, quia & ipse pridie quam pateretur inter cætera suis dixit discipulis : *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Rectè ais: *Non invenio in eo causam*, quia in innocentia nullum crimen, in ipsa sanctitate nulla labes, in ipsa vita nulla mortis causa. Sed in me require, quia ego peccavi, ego nocens sum, in me superbia concupiscentia, ingratitudo, cordis rebellio, plurimæ aliæ mortis causæ:

Ioan. 14.

Ne me adsum qui feci, in me convertite ferrum:
Culpa mea est, mea fraus omnis, nihil iste nec ausus
Nec potuit; cœlum hoc & conscia sydera testor.

Nullum ergo in eo invenis causam ô Pilate, nisi charitatem, per quam in se transtulit expianda totius orbis crimina. Hæc unica illi mortis causa.

Interim invalescebant, & proficiebant clamore qui deficiebant ratione. Solent enim quos destituit veritas ad clamores confugere, & multa confusè conglomerare; ut multitudine verborum & vociferatione animum audientis possint movere, & ad se inclinare. Quapropter dicit Marcus, quod cũ accusarent in multis Infirmitatẽ & iniquitatem suæ causæ satis iudicãt multiplici clamore, eõ constanter accusando in aliquo, sed confuse & sine ordine in multis, magis cõfidentes verborum multitudini, quam probatæ veritati. Testimonium eius innocentiæ perhibente Pilato, timent ne elabatur & absolvatur, magisque irritantur, quàm placantur: instar canum allatrantium, ferali rabie exasperatorum, nullo volunt sedari remedio. Silet verò Christus ad has omnes accusationes & vociferationes, exemplum nobis præbens silentii & patientiæ, dum responso non speramus proficere. Poterat ipsos confundere, sicut & accusatores adulteræ dum ipso scribente in terra digito suo omnes in fugam versi sunt; sed mortem lubens subibat, & innocentiã sua satis iam per iudicem detectã, non necesse habet loqui. Quare adverte, quòd decursu Passionis suæ modò silet Christus, modò loquitur. Quandoque loquitur, ne videatur non habere quo se defendat & ne iudices aut accusatores ignorantiam sceleri suo prætexere possint. Quandoque tacet, ne videatur mortis quærere effugium. Audi S. Ambros. c. 23. in Luc. *Accusatur Dominus & tacet & bene tacet, qui defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergo accusationẽ iacendo confirmat, sed despicit non refellendo. Quid timeat cum ex ambigat salutem? salus omnium se prodit, ut acquireret omnium. Sed quid de Deo loquar? Susanna tacuit, & vicit. Melior enim causa, quæ non defenditur, & probatur.* Hæc S. Ambros. eleganter.

Christus ad accusationes suas silens nobis est exemplo. Ioan. 8.

Matt 27 Pilatus Christi silentium admiratur.

Admiratus est autem Pilatus vehementer eius silentium inquit Matthæus. Admirabatur scil. mansuetudinem contra accusatores, constantiam, mortis contemptū; quòd homo innocens, prudens, ac disertus, qui suos poterat confundere accusatores, jam in periculo constitutus fileret, cùm inanes calumnias refellere posset, & se periculo eximere, ipso judice libertatem loquendi dante, & benevolum se exhibente. *Sed hoc eius silentium, inquit S.*

Athanas de pass & cruce.

Athanasius, etiam Iudici Ethnico persuasit falsa esse, quæ factiosi Iudæorum Principes contra eum proferebant. Quocirca varia meditatus est media ad eum liberandum, movitque ad id omnem lapidem.

Luc. 23.

Quod cum adverterent Iudæi, validioribus vocibus, teste S. Lucâ inclamarunt: *Commovit populum docens per universam Iudæam, incipiens à Galilæa usque huc.* Hæc verba examinans Venerabilis Beda sic ait: *Hæc accusantium sermo magis eum qui accusatur innexum & eos qui accusant docet esse perversos. Docuisse enim populum, & à pristini temporis ignaviam docendo commovisse, & à Galilæa usque ad Iudæam, hoc est à fine usque ad finem terram promissionis pertransisse, non criminis, sed iudicium est potestatis & virtutis.* An crimen est, docere populum? An crimen est, depulsis tenebris, veritatis lumen invexisse? An crimen est, vitia corripuisse ex errore vel ignorantia ortum ducentia? immò crimen est, nō docere, caliginem non dispellere, corruptos mores veritatis cataplasmate nō sanare. Felix ergo cōmotio, quàm ut reus fecisse accusatur, qui eam fecit ut Deus, & Dei Filius. Felix commotio, commovisse populum docendo & arguendo, ut ad meliora proficeret, ab ignorātia ad scientiam, ab improba vita ad sanctam, à vitiis ad virtutem. Felix commotio, à retibus & navicula Andream & Petrum cum cæteris vocasse ad Apostolatum, Matthæum à telonio removisse, & promovisse in statum sacratissimum. Nicodemum instruxisse & introduxisse in generationē novam, Magdalenam à vitiis carnis avocasse & commovisse ad lachrymas, ut pedibus suis pararet balneum, Zachæū Publicanorum Principem adduxisse ut redderet quadruplum. Denique felix commotio, millena corda commovisse ad pœnitentiam, & à corruptis moribus ad meliorem vitam. Hoc profectò intendebat, & toto contendebat zelo & corde incipiens docere à Galilæa usque in Iudæam; nec hoc nisi cæcis & obduratis potuit displicere, aut in accusationem servire.

Hoc factū in Domini Natum dum describeret sub Cyrino.

Interim nonnisi dolosè & malitiosè, ejus æmuli hanc proferunt accusationem: *Commovit populum, incipiens à Galilæa.* Ideo enim Galilææ mētionem faciunt, ut seditionis eū insimulent, & majorem ei invidiam conflent. Etenim seditiosi fuerant aliqui ex Galilæis; & non ita pridem Iudas quidam Galilæus, in publicū processerat seditionem excitans, sub prætextu quod populus Dei Cæsari non deberet subesse, aut ei tributum aliquod pendere; eumq; Dominum agnoscere. Hæc opinio ita Galilæis inhæserat, ut de Galilæorum pertinacia scribat Iosephus l. 7. belli cap. 29. *Omnis genere tormentorum & vexatione corporum in eos excogitata, ut Cæsarem Dominum faterentur, nemo cessit: sed omnes in sententia permanserunt, quasi brutis corporibus non animis etiam cruciatus ignemque susciperent. Maxime verò puerorum ætas miraculo spectantium fuit: nec enim eorum quisquam commotus est, ut Dominum Cæsarem nominaret: usque adeo corporum infirmitatem vis audacia superabat.* Ita Iosephus Pilatus quoque quorumdam Galilæorum rebellium eamdem ob causam sanguinem miscuisse cum sacrificiis eorum legitur, itaque dum Christum cōmovisse populum, incipiendo à Galilæa, Iudæi accusant, idem est ac si dicerent Pilato: Attende ô Romane Præses quantum negotii fecerit Romanis Iudas Galilæus, & alii Galilæi, quorum sanguinē miscuisti cum sacrificiis, eorum te latius nece. Hunc de illis esse existima, & ideo subitò è vita tollendum ne seditio eius invalescat, quæ iā usque in Iudæam & Iudææ metropolim Hierosolymam pervenit. Vide, ne *spina crescant in Rhamnum*, succide ab ortu radicem.

Luc. 23. Psal. 57.

Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset: & ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus, ob solemnitatem Paschalem, quia & ipse Iudæus erat Nativitate & Circumcisione, Dominus non erat Galilæus, quia natus erat in Bethleem Iudææ sed tamen talis habebatur, quia ibi conceptus, educatus, conversatusque fuerat ut plurimum: & ibi discipulos suos elegerat ita ut in Ascensione dixerint Angeli; *Viri Galilæi quid aspicitis in Cœlum?* Hinc & Christiani omnes *Galilæi* dicti sunt tertio Ecclesiæ & *Nazareni*, alcSu Galilæo de Nazareth. Pilatus itaque putans se nactum occasionem extricandi se ab hoc judicio, remisit Christum ad Herodem Tetrarcham Galilææ, tamquam ad eius ditionem pertinentem, ab ipso vel absolvendum, vel condemnandum. Hic Herodes erat qui Ioannem interemerat. Antipas dictus, filius Herodes Ascalonitæ qui pueros occiderat. Alius adhuc Herodes fuit qui Iacobum occidit gladio, & apposuit ut apprehenderet & Petrum, mittens eum in carcerem: hic Agrippa vocatus est. Hinc tres Herodes agnoscit Scriptura, de quibus antiquus versus.

Vide dictam hoc. Pastor. ind. 1

Tres Herodes cōmemorat Scriptura.

Ascalonita necat pueros, Antipa Ioannem,
Agrippa Iacobum, claudēs, in carcere Petrum.

Dissidium autem quoddam natum fuerat inter Pilatum & Herodem, quòd Pilatus se ingessisset negotiis ad Herodem spectantibus, & ut multi putant, *quod Galilæorum quorundam sanguinem miscuerit cum sacrificiis eorum.* Cum autem Pilatus detulisset hoc judicium Christi, tamquam Galilæi Herodi Tetrarchæ, *facti sunt in illa die amici*, quia significaverat Pilatus se nolle sibi vendicare Herodis jurisdictionem. Cujus rei mentionem facit S. Lucas, quia nec hic deerat mysterium. Significabatur

Luc. 23.

Impij dissidentes contra iustitiam concordes.

batur enim, quòd impij inter se dissidentes, tamen in hoc conveniant, quòd simul iustitiæ & veritatis sint insectatores: adimpletum que hic fuit illud *Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum eius*, ut interpretantur Apostoli Act. 4. Audi Bedam in hunc locum: *Hoc nefandum Pilati & Herodis fœdus quod in occidendo Christo pepigerunt, hactenus velut hereditario iure eorum successores custodiunt, quando Gentiles & Iudæi sicut in genere & religione, sic mente dissidentes, in Christianos persequendis consentiunt.* Sic videmus Lutheranos & Calvinistas inter se valde discordes, concordare ad fidem Catholicam perimendam, & in persecutione piorum esse conformes. Putat S. Ambrosius in Herode & Pilato designatam concordiam populi Gentilis, & Iudæi per Passionem Domini futuram.

Ambros. in Luc. l. 10. c. 23.

Sed videamus quæ apud Herodem gesta sunt. *Ex multo tempore cupiebat videre Iesum, quia multa audiverat de eo, & sperabat signum aliquod videre.* (O utinam optasset videre Iesum, sicut Zachæus, Sycomorum ascendens, figuram Crucis iam præsignantem in mysterio:) *Ideo gavisus est, & interrogabat eum multis sermonibus.* At ipse nihil respõdebat. Quia *eius crudelitas non merebatur videre divina, & Dominus iactantiam declinabat*, inquit S. Ambrosius. *Vocem eius clamantem in deserto* peremerat, Ioannem scilic. & ideo hic Verbum sese exhibet siue voce. Tum quia *non erat respondendum stulto iuxta stulticiam suam*, eò quòd nonnisi ex vanitate & curiositate erat interrogatio, nec ordinabatur ad fidem, aut salutem. Tum denique, quia Dominus noluit videri adulator, consentiens vanæ voluntati Herodis, sicut fieri solet in aula à multis. Volebat à Christo tamquã præstigiatore signũ aliquod & spectaculum sibi exhiberi, quo se oblecta ret: indignus ergo responso fuit, quamvis multa interrogaret. Forte, an ipse esset propter quem Pater eius tot pueros enecarat? an ipse foret Ioannes redivivus, quem paulò ante decollari iusserat? An ipse esse Prophetarum quispiã: An in Cana Galilææ suæ ditionis oppido, convertisset, aquam in vinum? Vnde illi potestas tot signa de quibus rumor ferebatur edendi? Sibi etiam gratum fore, si aliquod coram se & aulicis suis faceret, indeque se eius liberationem procuratorum asserebat. Sed cum hac via se posset liberare Christus à morte non tamen vel verbum respondit. Et hoc erat signum quod debebat admirari Herodes, scilicet silentium altissimum hominis innocui, qui si os suum aperire voluisset, se se potuisset eruere à morte, tum suã probando innocentiam, tum adversariorum confundendo pervicaciam. Hoc enim silentium admiratus propterea fuerat antea Pilatus. O quã multi Magnates Herodi similes, quorum studium est nõ discere aliquid ad salutem, sed videre aut audire multa ad curiositatem! Hi etiam quandoq; concione audiunt, sed ut audiant, non ut animo in se rant, & proficiant ex curiositate volunt explorare

Christus Herodi cur nihil respondere rit.

Magnates multi Herodi similes.

ingenium & doctrinam, sive eloquentiam Concionatoris, cuius fortè fama eos ad audiendum allexit. Non alia mente veniunt, quam si ad Tragœdum aut Comœdum accederent; ad aures oculosque oblectandum, non ad animo medendum, & melio ra sectandum. De hac re sic loquitur B. Petrus Damiani, Apologia de contemptu sæculi: *Ecce quem vulpes malitiosa desideraverat sprevit, illusit; & quia non vitam prowivendi amore quasivit, in impietatis suæ morte remansit.* Hæc P. Dam. Quod nõ solum de Herode, sed etiam de eius imitatoribus verum est.

Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ constanter accusantes Iesum. Sed nec eis quippiam respondit. Hoc expendens Beda dicit. *Dominus apud Pilatum pauca, apud Herodem nulla respondit. Iustum erat ut Pilato, qui invitus ferebat sententiam, aliqua in parte responderet: Herodem verò & Iudæorum Optimates, qui contra legis sua decreta innoxium condemnabant, indignos suo sermone duceret. Vbi ergo tacebat, quasi agnus pro toto grege immolandus patientiam præstabat. Vbi respondebat, quasi Pastor bonus pro creditu sibi ovibus contra luporum latronumque insidias pugnabat.* hæc Venerab. Beda sapienter.

Videns porrò Herodes se nec responsum ab eo elicere, semifatuum reputans, *sprevit eum cum exercitu suo*, hoc est, cum satellitio numeroso & armato latera sua stipante, *& illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.* Non pauca illusiones & scommata (præter vestem albam) Christus passus est ab aulicis & satellitibus Herodis, vindicare domini sui contemptum studentibus, etsi paucis verbis id Evangelista complectatur. Sic æterna sapiẽtia velut fatua contemni volut, & irrideri, ac illudi coram variis tribunalibus & iudicibus. Coram ministris Caiphæ patitur varias ignominias & insultationes dũ ei velant oculos, ut prophetizet quis percusserit. Coram Herode naso suspenditur, & vanissimè irridetur, ac veste candida illuditur. Coram Pilato denudatur, & pet purpuream vestem ludibrio habetur. Interim per has irrisiones sibi Christus promeruit exaltationẽ super omnes Reges. nobis autem veram promeruit sapientiam, & vestem immortalitatis candidam quam promittit Deus. Et quamvis Herodes nonnisi ad illusionem, sic eum induerit, quasi tacitè insimulãs eum quod fatuè affectasset regnum ludæ: olim enim Romæ candida erat vestis ambientium Magistratus qui inde *Candidati* dicti sunt candidati venirent in Campum *Martium*, ubi populi comitia agebantur: attamen divina sapientia optimè novit hic uti Herodiadâ vesania ad testandum publicè omnibus Christi innocentiam. Nam apud veteres color cãdidus erat innocentiæ & absolutionis symbolum, sicut & color niger facinorosi operis & condemnationis erat signum. Sicut ergo Caiphas cum dixit. *Expedit unum hominem mori pro populo*, non dixit hoc quasi Iudaicæ plebis salus ipsi cordi foret, sed

Herodes Christũ veste alba induit.

A Pilato purpurẽ accipit.

Apoc. 3.

et Iudæorum Principes facilius in Christi mortem impelleret; tamen prophetasse dicitur, quia Spiritus S. illud ipsum eius dictum ad sublimiorem significationem ordinabat. Sic dicimus, quod licet Herodes non destinato hanc vestem dederit ad innocentiæ testimonium, illam tamen velit nolit testatus est, quia hæc vestis perpetuum erit orbi monumentū innocentiæ Christi, immò & regiæ dignitatis. Quia alba veste indui olim Regum erat & Principum, sicut & purpurea. Audi S. Ambrosium: *Non otiosum erat quod veste alba induitur ab Herode, immaculata tribuens indicia passionis, quod agnus Dei sine macula cum gloria peccata mundi susciperet.*

Ambros. in Luc. l. 10. c. 23.

Summa fatigatione Christus per varias vias trahitur.

Hic piè considerandum, quanta fatigatione Dominus noster per varia tractus fuit itinera durís ligatus vinculis; idque cum varijs clamoribus, opprobrijs, derisionibus, blasphemijs, percussionibus, & fortè stercorum & sordium in eum projectionibus, prout insania & insolentia tolet populariū furentium. Tota die & nocte hinc inde impellitur, nullaque ei requies cōceditur; dum nocte ab horto ad Annam, ab Anna ad Caiphā perducitur, & ibi inter ministros impios usque ad matutinam lucem diverxatur atrocissimè. Mane autem rursus trahitur ad Concilium Iudæorum, postea de Concilio ad Pilatum, deinde ad Herodem, denique remittitur ad Pilatum. Si olim fatigatur circa meridiem *sedebat sic super fontem*, ut exprimit S. Ioannes: Quantò magis nunc lassatus est, post exhaustum toto corpore sanguinem per sudorem illum nocturnum in horto, & post inquietudinem totius noctis per varias exagitationes ferales? Certè non imminuebatur rabies luporum exagitantium hūc agnum; quin potius augebatur in his itineribus per plateas Ierosolymitanas, cò quòd eis ad necem eius non consentirent Pilatus & Herodes, condēnationis causam in eo non invenientes. Vnde hic factus est Christus, *Opprobrium hominum, & abjectio plebis.*

Isaiæ 4.

Psal. 21.

Christo ad Pilatum per Herodem remisso, convocatis Principibus Sacerdotum, & Magistratibus, ac plebe, dixit ad eos: *Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum. Et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio. Sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei: emendatum ergo illum dimittam.* Quasi dicat; Castigabo eum, & flagris affligam, dummodò cum à morte liberum finatis. Dum verò hæc diceret, & nihilominus clamoribus pertinacibus parum proficeret, alium adhuc venit modum ad eum liberandum. *Est*, inquit, *consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha. Quem vultis vobis dimittam, Barabbam, an Iesum qui dicitur Christus?* Erat autem Barabbas latro, qui propter seditionem & homicidium missus erat in carcerem, nulliqne non erat notus & exosus ob insignia flagitia; idò omnino existimabat fi Pilatus hunc expetendum ad necem, dimisso Christo in gratiam solemnitatis Paschalis, *in quā* ob memoriam liberationis filiorum Israel de Ægypto, liberare solitus erat populus aliquem è vinctis, quem postulassent. Et hæc fuit antiqua cōsuetudo Iudæorum, quam & Romani conservare voluerunt, ut eos in pace regerent. At illi odio indicibili in Christum sævientes, Principibus & Senioribus concitantibus turbam, inclamarunt: *Non hunc, sed Barabbam.* O ingratitudinem & excœcationem? Homo scelerati simus, infamis, homicida, notissimæ homo malitiæ, in comparationem venit, & quasi in bilancem, cum auctore vitæ & speculo sanctitatis omnigenæ: interim hic ad crucem exposcitur, iste ad libertatem. Sic mortē vitæ, tenebras luci, filium Diaboli Filio Dei impiè præferunt excœcati isti, Quasi dicerent: *Occidatur ille qui suscitas mortuos, dimittatur latro, ut iterum occidat vivos*, inquit S. Augustinus. Cui consonat Ser. S. Leo: *Inter sectatores hominum eligunt ad veniam, Salvatorem mundi petunt ad pœnam, tanta est furoris eorum immanitas?* O qualis commutatio, quale cambium, ut Barabbas cum Iesu commutetur, aut componatur; Iesus que rejiciatur, & Barabbas præferatur: O quam acerbo mœrore in hac comparatione cor Christi fauciatum est. Non abstinuisset autem facit peccator, qui Deum suum & gratiam eius velut in bilance constituens ex una parte, cum fœda voluptate, aut lucro, aut honoris, puncto ex altera parte; Deum reiicit & gratiam eius, peccatum autem præfert & eligit deplorandā profectò cæcitate.

Christus Barabbæ postponitur.

Peccator Christū postponit.

Interim dum de Christo liberando agitur, uxor Pilati misit ad eum dicens: *Nihil tibi & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum*, hoc est, *in somnis, propter eum.* Graviter fuisse afflictam & territam, satis ex his verbis colligitur: quid autem viderit aut audierit, ab Evangelista non exprimitur. Sanctus Ignatius epist. ad Polycarpum putat hunc terrorem immissum fuisse à Dæmone, quasi iam sentiente efficaciam Passionis Christi. Sic enim habet: *Cum paranda esset crux, Diabolus tumultuabatur, pœnitentiam immisit pro ditori, & laqueum ei monstravit, & suspendium quo strangularetur, edocuit: & mulierculam turbans, ut à crucifigendo cessarent, inducere molliebatur, qui prius annum lapidem momerat, ut eadem crux pararetur. Non quod pœnitudine duceretur ob tantum malum, hac enim parte minus fuisset sceleratus, sed sentiebat suam ipsius perniciem.* S. Ignatio cōsentit beda, & alii, dicentes ex Patrum in limbo lætitia efficaciam Passionis Christi Diabolum perdidisse. Audies Bernardum, serm. de Paschate: *Instigata est uxor Pilati ad hac agenda à Diabolo, qui sicut prius per mulierem mortem intulerat mundo, ita modo satagebat Christum de manibus Iudæorum liberare, ne per Christi mortem mortis amitteret imperium.* Sed volunt plerique Interpretes & multi ex sanctis Patribus, à Deo & bono Angelo hoc somnium uxori Pilati (quā Lucius dexter vocat Clau-

Quid per visam passa sit uxor Pilati propter Christum.

Claudiam Proculam) immissum fuisse. Vxori autem potiùs quàm ipsi Pilato immissum est somnium istud, quia ab utroque simul sexu voluit Christus suæ innocentiæ habere testimonium. Vnde & ipsa quasi antonomasticè vocat Christum Jesum *Nihil tibi & iusto illi.* Non te immisceas eius negotio, nec eum condemnes; sed missum eum fac, si sapis. Somniasse verisimiliter existimatur ob illatas Christo iniurias iratum Deum plagis atrocissimis Judæos prosecuturum; immò & ipsum Pilatum, ut reverâ illi postea contigit, dum in exilium missus est Viennam Galliæ, de quo sic scribit Ado Viennensis Episcopus: *Pilatus qui sententiam damnationis in Christum dixerat, perpetuo exilio Vienna recluditur; tantisque ibi irrogante Cælo languoribus coarctatus est, ut sua se transverberans manu, multorum malorum compendium mortis celebritate quæsierit.* Hunc Pilatum Gallum fuisse & Lugdunensem natione, tradit Magister in histor.

Ado in Chron.

Mina ludæorum Pilatum terruerunt.

Licet porrò Uxor Pilati, vehementer territa & afflicta, conata fuerit persuadere marito, ne se periculo exponeret? Magis tamen eum moverunt minæ Judæorum, quam uxoris suæ monita & terriculamenta. Quamvis igitur connisus sit ad Christi libertatem, rursus eos alloquens & dicens: *Quid ergo vultis ut faciam de Iesu, qui dicitur Christus?* Tamen non aliud potuit obtinere responsum quàm illud: *Crucifige, crucifige eum.* Et quidem jam tertiò eius protestatur innocentiam, dum dicit: *Quid enim mali fecit? Ego nullam invenio causam in eo.* Sed nec per id proficit, invalescentibus magis ac magis vocibus eorum, ut crucifigeretur. *Obstupescite cœli, & porta eius desolamini vehementer,* super ingratitudine populi huius, & rabie eius furiosa in Agnum mansuetissimum, post tot testimonia innocentiæ eius

Idem. 2.

Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit. Et milites Præsidis suscipientes Iesum, duxerunt eum in atrium Prætorii, & congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum clamydem coccineam circumdederunt, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius & arundinem in dextra, & veniebant ad eum & genuflexo illudebant ei: Ave Rex Iudæorum. Et exuentes eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius, & dabant ei alapas. O quam multiplex hic injuria & ignominia Christo inflicta! Ipsa scilicet nuditas coram tota cohorte, atrocissima, acerbissimaque fuit ignominia auctori & amatori puritatis, qui & Virgines in tormentis denudatas tegi voluit cœlesti lumine, vel miraculoso alio quopiam modo. Quin & de nonnullis viris sanctis legimus, eorum corpora post mortem ita miraculosè fuisse emota, ut verendam tegerent nuditatem, in signum amatæ virginitatis & castitatis. Sic de S. Philippo Nerio refertur, exanime eius corpus supra naturæ vires sese cõmovisse, & obtexisse inde cetas partes, dum pro more ablueretur. Idem de S. Liethberto Episcopo Cameracensi, & de S. Geraldo Comite Aureliacensi habemus. *Sed de nuditate, flagellatione, coronatione, ludibria adoratione, fusè egi in Horto Pastorali, lect. 17. & 18. tract. 30. illuc remitto Lectorem, ubi multa mysteria in hu contenta reperiet.*

LECTIO IX.

De Christo plebi per Pilatum præsentato, dum dixit: Ecce Homo.

EXivit iterum Pilatus, & dicit eis: *Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam in eo invenio causam. Exivit ergo Iesus portans spineam coronam & purpureum vestimentum.* Et *dicit eis:* Ecce Homo.

Eduxit Jesum Pilatus, in publico velut theatro eum constitueus in loco scilic. ad quem ascensus erat per viginti tres gradus è Marmore, qui adhuc modò Romæ in magna habentur veneratione. Putavit hac ratione animos præparare ad cõmiserationem, in miseranda forma eum exhibens, conspersum plagis, lanitatũ flagellis, illusum omnibus modis. Quapropter eis dicit: *Ecce Homo.* Quasi dicat: Videte hominem, nõ hominem, quia sine specie aut figura hominis, ob dilaniationem; videte eius castigationem & deiectionem, videte eũ nihil minus esse quàm Regem, nec timete, quod regium ambire possit sceptrum & honorem post tam multiplicem lanienam & illusionem. Si ergo homines estis, iam eius miseriæ commiserari debetis, ac placari. Hic est sensus litteralis.

Cæterùm, multa piè contemplari hic licet; & lubet hoc spectaculum cruentum & lamentabile Christi, sic atrociter dilaniati, Cœlo & Terræ, Angelis & Hominibus, omni denique hominum statui proponere, ad audientium dura corda per pietatem emollienda.

Christus, ut cruentum spectaculum ostẽditur variis.

Dicamus ergo primò: Ecce Homo, O Pater Æterne, qui se dicit Filium tuum, ab æterno genitũ, tibi coæqualem, omnipotentem, immortalem, & impassibilem. Sed cheu! propter nos quàm impotens, quanta patiens, quàm obnoxius morti ac miseriæ, omni nunc tibi exhibetur? Certè, profusus in nos eius amor eum sic reddidit debilem, passibilem, mortalem. Propter nostrum amorem sic voluit ab omnibus conculcari, ut iam non appareret esse Filius Dei, sed nec Homo, at potius Vermis despicabilis & protritus: *Ego autem sum Vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis,* ait ipse. Vide, O Pater! an hæc tunica filii tui, an non? Certè, *Fera pessima devoravit eum,* non sanguis hœdi, sed sanguis proprius ita conspersit eum, ut vix agnosci possit. Vide an is sit de quo bis voce cœlesti intonuisti: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui?* Vere in eo tibi complacuisti, cuius sanguinem nostræ redemptionis pretiũ esse voluisti, cautionem que ac satisfactionem pro peccatis nostris: ideoque eum.

I. Deo Patri.

Psal. 21.

Gen. 37.

Matt. 17.

Tibi

Rom. 13. Tibi totum cruentum repræsentamus, *ut respirias in faciem Christi tui*, & ultrà non irascaris nobis.

2 Angelis Dicamus secundò: ECCE HOMO: ô Angeli? Sed quis homo? Ille de quo scriptum est: *Quid est homo*

Psal. 8. *quod memor es eius? Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, omnia subiecisti sub pedibus eius.* Itane paulò minus ab Angelis. Imò verò longè minus ab hominibus. Itane sub pedibus eius omnia subiecta? Imò sub omnium ipse est pedibus. Itane gloria coronatus? Imò ludibunda veste & diademate est circumcinctus. Quis verò memor est eius? Imò & illud ei convenit: *Oblivioni datus sum tamquam mortuus à corde.* Attamen. Ecce REX VESTER, ô beati spiritus! Ecce homo ille cuius gloriam publicastis in Nativitate, super cuius ascendistis & descendistis vertice, cui ministrastis in solitudine, in cuius faciem desideratis prospicere tota æternitate. Quod si nõ agnoscitis sic deturpatum; sciatis tamen hunc esse de quo Pater dixit introducens eum in orbem terrarum: *Et adorent eum omnes Angeli eius.* Et ideo rursum vobis cum Pilato introducimus in hoc theatrum, ut adoretis eum, & attoniti inspecteris, quia vult: *Spectaculum esse Mundo, Angelis, & Hominibus, quamvis omnium sit peripsema usque adhuc.*

Ioan. 1.

Heb. 1.

1. Cor. 4.

3. S. Mariæ Virgini & Matri. Dicamus tertiò: ECCE HOMO, ô MARIA Virgo, & Mater beatissima omni sæculo admiranda! Homo, inquam, quem tuo circumdasti utero novem mensium spatio, quem lactasti ubere sacro, quem toties sacris ulnis complexaes, quem adorarunt Magi in sinu tuo, quem in ulnas Simeonis sacratissimum amoris pignus deposuisti. Quis crederet speciosum illũ esse præ filiis hominũ? Vbi decor? Vbi speciosa cæsaries? Vbi frons illa maiestate plena: Vbi oculi pellucidi & radiantes, ac benedictione pleni, penetrantes luce suâ usque in corda filiorum hominum? Vbi os illud aureum & eloquium dulce? Vbi genæ liliis & rosis splendidiores: Vbi manus solo attactu sanitatem dantes ægris, vitam mortuis? Heu! quàm obscurata, quam conspurcata sunt omnia, ut nec ei forma hominis in oculis hominum remanserit! Attamen filius tuus est ô Virgo dolorosa, quem cum Patre æterno habes communẽ, qui in terris non habet Patrem, in cœlis non habet Matrem. Vidisti eum in terris nudũ inter animalia mansueta, quando *Bos cognovit possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui:* nunc attende eum nudum inter lupos & canes feroces, & quasi prædam à feris dilaniatam. O quantũ hoc tibi infligit mœroris! Quàm optares lachrymis eius cooperire nuditatem, aut eluere tabidum cruorem!

Isai. 1.

4. Adæ & filiis eius. Dicamus quartò: ECCE HOMO, ô Adam & filii Adæ! *Homo* qui venit, quod rapuistis exsolvere, quique sanguine suo irrigaturus est novam arborem vitæ, ut fructum vobis reddat perennaturum tota æternitate. *Ecce homo,* qui spinas maledictæ terræ vestræ portat in capite, ut vos impleat, & terrã cordis vestri, nova benedictione. *Ecce homo,* qui *chyrographum decreti quod adversus vos erat,* Coloss. 2. suo parat obliterare cruore, & pio detergere sanguine: immò non ultra vetitum fructum comedatis, istomet suo sangnine & sua vos satiabit carne. Vestem verò irrisoriã gestat, ut rursus, sicut in Paradiso primitus, pro vestimento circumdet vos lumine. Veni igitur, O Adam, noli fugere noli te abscondere: noli dicere: *Vocem tuam audivi & abscondi me, eò quòd nudus essem.* Ecce sine voce est, quasi mitis & mutus agnus, nuditatem tuam suo cupiens operire detonio & rubricato vellere: *Ecce Homo,* secundus homo, qui te primum hominem à se factum vult in Paradisum reducere, cũ tua progenie, & rursus vult tibi comparare coronam gloriæ, per plagas suas & vulnera, per spinas & dedecora. Omnes aculaos mortis sua obtundit tolerantia, ut tibi illisque salus reddatur & vita & removeatur versatilis & acuta romphæa, à Paradisi ingressu impediens.

Gen. 3.

Dicamus quintò: ECCE HOMO, O Patriarchæ & Prophetæ, de quo tot pronunciastis oracula, quẽque tãtoperè desideraſtis intueri. Sed videte an sit ille quem nominastis. *Desiderium collium æternorum,* quem quẽ expectastis. *Desideratum cunctis gentibus,* qui adeo miserando & ignominioso habitu est vestitus, Quis eũ sic agnoscat? Verè, O Isaïa, de eo pronunciasti: *Non est ei species, neque decor. Vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum despectum & novissimum virorum, virum dolorum, scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius & despectus, unde nec reputavimus eũ.* Ecce, O sancti Patriarchæ & Prophetæ, quẽ antea videratis virorum omnino primum, novissimus est omnium. Quem videratis virum exultationis & totius gaudii, ideoque desideraveratis eum, nunc nonnisi cõspicitis ut virum dolorum. Quem videratis fortissimum virorum, & *Brachium Domini* nominaveratis, nunc non videtis nisi ut hominem *scientem infirmitatem,* quam in vulneribus circũfert, & in spinis terebrantibus verticem suum. O quam absconditus vultus eius & despectus! *Ecce Homo,* O Moyses, cuius faciem tantopere videre contendebas, cuius gloriam transeuntẽ & humeros conspicatus es in foramine petræ, dum inclamares, *Domine Deus, miserator & misericors, clemens, & verax in millia his qui diligunt te.* O nunc quantum mutatus ab illo: Conspice humeros flagellis conscissos, & vibicibus conspersos & faciem abditam sanguinum grumis. Iam tibi libere datur eum quaquaversum inspectare, nec opus est ut te abscondas in foramine petræ. Ecce, ecce Homo, cuius vidisti posteriorem gloriam in transfigurationis monte cum Elia, quando loquebaris cum illo *de excessu quem completurus erat in Ierusalem.* En eius excessus in dolore & contumeliis, in tormentis & pœnis acerbissimis, in confusibili habitu & despectu in medio urbis Jerusalem.

Patriarchis. Gen. 49. Aggæi 2.

Isai. 53.

Isai. 51.

Exod. 34

Dica-

6. Apostolo. Dicamus sextò: Ecce Homo, ô Apostoli, quem secuti estis vocãtem, sed infideliter deseruistis inter manus inimicorum agentem, à quibus sic atrociter tractatus est. *Ecce Homo*, ô Petre, de quo dicebas: *Non novi hominem*. An verò nunc non nosti: Ecce ipse est quem adorabas in fluctibus, & quia eum negasti, meritò reliquum vitæ transegisti in fletibus. Atque ipse sanguinem suum tuis iunxit lacrymis, ut peccati remissionem mereatis. *Ecce Homo*, quem simul confessus es Filium Dei vivi, dum quæreret: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Iam satis eluceſcit, quare factus sit Filius hominis.

7. Sacerdotibus. Dicamus septimò, Ecce Homo, ô Sacerdotes, qui vos vestit iustitiâ, sic intrinsecùs vestitus propter iniquitates vestras. *Ecce Homo*, quẽ repræsentatis per stolam in collo, per manipulum in brachio, per vestem candidam ad pedes usque descendentem, per planetam variegatam, per coronam in vertice, per cingulum in pectore. Videte, ut eũ imitari valeatis non solùm exteriori amictu, sed etiam interiori puritate & castitate, zelo quoque & charitate, quia *Ecce Rex vester*, Ecce summus Sacerdotum.

8. Magistratib. & Iudicibus. Dicamus octavò: Ecce Homo, ô Magistratus & Iudices qui sic à Magistratu & Iudice iniquo iniquè & atrociter est tractatus. Ipse interim est homo ille, & Filius hominis, qui sedebit in sede Maiestatis suæ, ut iudicet orbẽ universũ cinctus Angelis & hominibus. Tunc præcedet eum Columna cui affixus fuit, & flagella quibus sic dehonestatus est, clamabuntque plagæ & vulnera cõtra eos qui ea infixerunt. Ipse est qui dicit: *Ego iustitias iudicabo*, quantò magis iniustitias? Videte ne illorum numero sitis, qui *declinantes oculos suos in terram, cœlum non respiciunt, nec recordantur iudiciorum iustorum*. Videte ne malè iudicando, & egenos ac innocuos premendo, eius adaugeatis vel renovatis vulnera; tandemque in eius manus vindices & horrendas incidatis.

Psal. 78.

Dan. 13.

9. Peccatori cuiuslibet conditionis. Dicamus nono: Ecce Homo ô peccator cuiuslibet exsistas conditionis! Ecce is qui cum in forma Dei esset, amore tui factus est homo, ut tu reus fieres Deus, divinæ consors naturæ. *Ecce Homo*, qui ad hoc venit, ut te immergeret in balneo & piscina Sanguinis sui, sicque sanitatẽ recuperares ab omni infirmitate, ita ut ultra nõ possis dicere quod paralyticus; Non Habeo Hominem, *Ecce Homo*, qui ulteriùs ad hoc tibi datus est, ut viam ostẽdat quâ in cœlum itur, viam humilitatis & patientiæ, viam caritatis & obedientiæ, viam quoque austeritatis & pœnitentiæ. Tua ita illũ transfigurarunt peccata, tua coronavit superbia, denudavit avaritia & luxuria, plagis confecit ira & impatientia; nec tamen in satisfactionem aliud exposcit à te quàm lacrymam unam compunctionis & pœnitentiæ, optat ut eam coniungas cum fluente cruore ex omni corporis eius parte:

10. Delicatulis. Dicamus postremò: Ecce Homo, ô voluptuosi & delicatuli, ô aulici & aulicæ, ô viri & mulieres qui ob cincinnos vestros, intortosque crines, tot in fulgida sua cæsarie perpessus est dolores, per vellicationem impiorum & spinarum involucrum! *Ecce Homo*, qui ob fucatam & perpolitam faciem vestram tot in vultu suo horridis sputis est conspurcatus: & ob corpora vestra delicatè cùm luxu enutrita corpus suũ vobis ostentat tot livoribus tostũ & confectum. *Ecce Homo*, qui ob ambitiosas vestras vestes purpura deridicula vult vestiri quam suo tingit cruore. O quàm carò ei constat vestra caro, vestræ deliciæ & libidines! Quid ad hæc respondetis toti vanitati & voluptati huius sæculi dediti? Vos divite & fulgente plumis pileo caput exornatis, & Redemptor vester nonnisi rubo tegitur & spinis. Vos barbã variè pectinatis, politis, & in alas deducitis: & ecce propterea Redemptori vestro crines acerbis evelluntur doloribus, & saepissò cruentantur sanguine. Caro vestra putida undique byssò resplendet & auro, eius vero caro undiq; incisa rubescit maximo cum cruciatu. Attendite ergo & videte, *Ecce Homo*, qui propter vos omnia hæc patitur, & nemo interim vestrorum ei compatitur. O in humanitas & ingratitudo deploranda.

& cincinnatis.

Sed ad historiam redeamus. Perseverat Pilatus Iudæorum odium & furorem, Christi atrocissimè flagellati exhibitione placandum, quandoquidem & ludibrium afflictioni tantæ coniunctũ gelicieum redderet miserandum potius quàm invidendum. Sed nihil proficit, quia clamabant, dicentes: *Crucifice, crucifige eum*. Cumque Pilatus cum indignatione & ira ad eos coercendos responderet: *Accipite eum vos & crucifigite, ego enim in eo non invenio causam*; Dixerunt Iudæi: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*. Verum dicunt, sicut & Caiphas, cùm dixit: *Expedit unum hominem mori pro populo*. Lex scil. Moysis & antiqua Scriptura prædixit Messiam & Filiũ Dei moriturum pro hominum redemptione. Secundum ergo legem debet mori, quia omnia legis sacrificia mortem eius præfigurabant & prænunciabant. Debebant impleri omnes illæ figuræ & legis oracula. Hinc & *Agnus dicitur occisus ab origine mundi*. Atque in lege Moysis scriptum erat: *Erit vita tua pendens ante oculos tuos*, quod de Christo in cruce nonnulli ex SS. Patribus interpretantur. Verum ergo dicunt, dum asserunt secundum legem eum debere mori: sed non recta intentione dicunt. Volunt enim significare ipsum esse blasphemum & obnoxium morti, quia Filium Dei se fecit. Sed licet ita esset, iniustè eum ad crucem petunt, quia blasphemus lapidibus veniebat obruendus. Verũ, ita est ô Iudæi. *Filium Dei se fecit*, hoc est, verè se esse talem per opera declaravit, & talem sese exhibuit opere, qualem dixit sermone. Quapropter vos recte arguit S. Cyrillus his verbis: *Oportebat sanè quando Pilato dixistis, quia Filium Dei se fecit nunc opera etiam ipsius in medium afferre. Oportebat quatridùi iam mortuum voce sola in vitam restitutum nar-*

Prosecutio textus evãgelici.

Quomodo secundum legẽ Christus mori debuerit, Act. 18. Deut. 28.

Cyrill. l. 12. in Ioan. 19.

narrare. Oportebat unigenitum filium vidua non relinquere. Oportebat Synagogæ Principis puellam nequaquam omittere. Oportebat medium miraculorum etiam non pretervire, in altero quidem, Adolescens tibi dico surge: in altero verò, Puella surge. Hæc cæteraque quibus verè Deus monstrari poterat, malitiosè præteritis, ô invidi.

Cum autem audivisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit, ne fortè iam non solum in innocentem, sed etiam aliquem Deorum hominibus similem peccaret, & Deos sibi iratos sentiret. Considerans enim modestiæ in eo coniunctam gravitatē, ac admirabilem patientiam, rememoratus etiam eius vulgata miracula, putavit posse esse unum ex filiis Deorum Gentilium, Martis vel Jovis, aut alterius cuiuspiam illorum, de quibus scripserunt Poetæ. Sic enim de Hercule, Remo, Æneа, dixerunt esse Semideos, è progenie Deorum progenatos. Ingressus ergo Prætorium, interrogat Iesum: *Vnde es tu.* Certior cupit fieri hac interrogatione de eius origine & maioribus, de qua domo & familia prodierit. Altissima sane quæstio & interrogatio, si benè expēdamus, *Generationē eius quis enarrabit?* Nou est ipse similis fictitiis Diis aut Deorum filiis, qui est *Candor lucis æternæ, Speculum sine macula Filius æterno Proles æquæva Parenti, Figura substantiæ Patris:* Filiusque talis, qui ex substantia Patris æqualis illi in essentia & divinitate, in gloria & majestate, semper gignitur, sēper genitus est. Sapientia è Patris mente in æternitatis fronte, inaccessibili humano intellectui, semper procedens, longè aliter quàm è capite Iovis fictitia Minerva. Quis ergo ad id respondere poterit? Vnde es tu? Aut quis responsum, si ab ipso detur, comprehendere: Quapropter quia incapax erat ad hæc sublimia intelligenda Pilatus, non dedit ei responsum Christus: quia etiam sufficere iam debebat, quòd antea de origine & dignitate sua ei dixerat: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Vbi satis significavit se Regem esse, sed Regibus cæteris longe sublimiorem. Quod rursus indicat, dum Pilato indignanti, quod non responderet sibi habenti potestatem dimittendi, vel crucifigendi, dixit: *Non haberes in me potestatem, nisi data esset tibi desuper;* hoc est, nisi è cœlo, & è supernis, unde ego sum (quod iam inquirebas) tibi permissum esset à Patre meo cœlesti. Sicque significat se morituram non tam ex Pilati potestate, quam ex divina dispositione.

Exindè quærebat Pilatus studiosius eum liberare, tum quia monuit eum Christus peccati sui quamvis majus foret peccatum Iudæorum ex odio insatiabili procedens; tum quia suboluit Iesum esse aliquid supra homines cæteros, & suam reprimi arrogantiam & injustitiam, qua dixerat se potestatem habere crucifigendi, vel dimittendi. Qua propter Sanct. Ambrosius serm. 20. in Psal. 8. Pilatum sic alloquitur, & iniustitiæ convincit: *Tua Pilate verba constringeris, tua damnaris sententia. Pro potestate igitur, non pro æquitate crucifigendum Dominum tradidisti. Per potestatem absolvisti latronem, auctorem verò vitæ interfecisti. Bonus Iudex nihil pro arbitrio suo facit, sed iuxta leges & iura pronuntiat, scitis iure obtemperat: sicut audit, & ita & iudicat, sic se habet negotii natura, decernit, examinat causæ meritа, non mutat.*

Iudæi advertentes Pilatum inclinare ad dimissionem, clamabant dicentes: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, quia omnis qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* Qui si dicant: Vide ne reus læsæ Maiestatis accuseris, cum partes Cæsaris non agas cuius locum geris, cui & fidem debes. Quibus timorem incutiunt Pilato gravem, ne fortè per Primores Iudæorum delatione facta periclitetur apud Cæsarem, & suo privetur officio. Vnde licet magnam de Christo opinionem concepisset, plus tamen apud eum valuerunt sermones hi de Cæsare, quam illi quos prius audierat, & propter quos timuerat esse Filium Dei. Sic multi magis gratiam hominis curant, quàm Dei, ita ut hac abjecta, impietatem committere non vereantur propter gratiam hominis conservandam. In quo peccavit apertè Pilatus, qui tum ob gratiam populi & Optimatum tum ob timorem Cæsaris, studium de liberando Christo innocente deseruit. *O arundinem vento agitatam? O hominem mollibus vestitum!*

Attamen lavit manus, & dixit: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Sed quid hoc profuit ei? Audi Sanct. Ambrosium: *Manus quidem lavit Pilatus, sed facta non diluit. Iudex enim nec invidiæ cedere debuit alienæ, nec timori, ut innocentem morti addiceret.* Cui conformiter Sanct. Leo: *Non purgant animum contaminatum manus lotæ, nec inaspersis aquæ digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur. Non ipse evasit reatum qui reliquit iudicium, & in crimen transivit alienum.* Equidem & ipsi Iudæi peccatum Pilati sponte in se suscipiunt, clamantes: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Sed numquid eum à culpa absolvere possunt? Stat immobilis Domini sententia: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.*

Interim attende, quam impia fuerit vox populi hoc inclamantis, & non solum se, sed & posteros omnes suos supplicio & pœnæ obstringētis. Quid promeruere, inquit S. Hieronymus, ô crudeles parentes, sceleratique patres, filii vestri necdum loquelæ & rationis capaces? Quid soboles necdum nata, aut proles nondum concepta, ut prius eam obstringeretis ad mortem, quam gigneretis ad vitam? prius pœnis & maledictione involveretis, quam naturam eis ministraretis? Sensistis utiq; efficacia maledictæ huius vocis, sive in obsidione civitatis vestræ, sive in dispersione gentis. Etiamnū hodie perseverat hæc imprecatio maledictionis, & in vestros refunditur filios dispersos & abiectos, in vili agētes captivitate per varias orbis partes. Sed illā maximè reperiemini, dū contra vos clamabit Sanguis, Crux, & Vulnera; dum illud adimplebitur:

Cur Pilatus Christū de sua origine interrogat.

Isai. 53.

Pilatus Christū absolvere conatus est.

Iudæi obstant.

Ambros. in Luc.

S. Leo ser. de Past.

Ezech. 18

Hier. in Matth. 27.

Zach. 13. Apoc. 6.

bitur: *Videbunt in quem transfixerunt*. Quia & tũc præ confusione clamabitis, & dicetis montibus: *Cadite super nos, & operite nos à facie ira Agni.*

Impia vox populi inclamãtis sanguinẽ Christi super se & suos.

Certè, vox illa fuit maledicta & miseranda, quia populus, qui hoc sanguine liberari debebat, ille cruciari vult, sanguinemque benedictionis vertit sibi in sanguinem maledictionis: *Sanguinem melius loquentem quàm Abel*, & invocantem misericordiam, commutat voce sua in sanguinem inclamantem & adducentem vindictam. Dicamus & nos, sed lõgè saniori mente: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Propterea enim ad hoc fusus est hic sanguis Agni, ut mundemur, & in eo lavemus stolas nostras. Hoc sanguine liniamus postes animæ, ut simus liberi ab Angelo percutiente. Hoc sanguine aspergamur, quia sanguis fœderis est, quo Moysis aspersit populum. Hic sanguis potens est *emundare conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi: sine hoc sanguine non fit remissio.*

Rectè advertit Sanct. Chrysostomus, quòd Iudæi quasi gladiũ petant sub quo pereant, dum dicunt: *Sanguis eius super nos*; cũ ille Fidelibus sit vita. Sic enim ait hom. de Cruce & Latrone: *Sanguis illis ad mortem, nobis ad vitam; nec enim est deterior Babylonio igne. Ille scit Sanctorum honorare corpora, & Chaldæos comburere: quantò magis Sanguis ille pretiosus scit perdere incredulos, & salvare Fideles? Splendor Crucis scit excæcare infideles, & illuminare credentes.* Hæc ille.

Tandem Pilatus volens satisfacere populo, *tradidit eum voluntati eorum, & adiudicavit fieri petitionem eorum, ut crucifigeretur.* O iudicium, Iudicemque perversum! Qui antea toties fassus est, & protestatus, se non invenire causam, nunc adjudicat eum nec contra conscientiam. *Manibus lotis, polluto ore, iisdem labiis Iesum mittit ad crucem, quibus pronunciaverat innocentem*, inquit eleganter S. Leo sermon. de Pass. Attendere debueras, O Pilate, quòd olim Alexander Magnus, vitæ & necis in suos arbiter, Olympiæ Matri suæ urgenti pro condemnatione cuiusdam quem odio persequebatur, respondit: *Pete aliud Mater; non enim vita hominis ullo valet pretio æstimari, ullo vel compensari.* Quantò magis tibi æstimanda erat vita & sanguis illius quem verebaris Filium Dei, quemque probè noveras ex invidia tibi traditũ? Itane ergo eum tradere debebas voluntati eorum, perversissimæ scilicet perfidorum voluntati, ut opprobriosissimè & crudelissimè ad crucem pertraheretur, & mille ignominiis afficeretur? Itane agnum lupis consignare debebas, ut rabida aviditate discerperetur, & devoraretur ab eis? Attẽdite, ô Iudices, in quorum arbitrio vita est hominum, ne metus, vel favor, in perversum vos agat. Attendite, inquam, diligenter informationes, põderate accusationes; discutite testimonia & testes, discernite lucẽ à tenebris, ne offendere vos cõtingat impingendo ad lapidem qui latet sub falsis coloribus. Videte ne Pilati Præsidis Romani fictis imitatores, qui Dei gratiam perdidit, ne perderet gratiam plebis & Cæsaris: quam tamen utramque postmodum perdit, à populo apud Cæsarem accusatus, exul factus propriæ vitæ vim inferens, suiipsius perosor miserrimus.

Pilatus Christũ voluntati Iudæorum tradit.

Plut. in vita Alex.

LECTIO X.

De Christo crucem baiulante, & Simone occurrente. & succurrente.

POstquã Salvator ad mortem damnatus fuit, rursus eum ministri intro rapuerunt, vestequepurpurea nudatum suis vestibus induerunt, ut populo notior redderetur. Hic iterum vulnerum doloriſque renovatio; adhærebat enim vestis purpurea vulneribus, quasi eis conglutinata; ideoque non potuit detrahi, nisi cum divulsione dolorosa. Coronam spineam non detraxisse, tradit inter antiquos Origenes tract. 35. in Matth. Tertullianus quoque, ac Cyprianus, & alii. Idque ex eo colligi potest, quòd apud Evangelistas fiat mentio chlamidis detractæ & non coronæ: ad majorem ignominiã relicta fuit in capite, eamque eximere fuisse quodammodò levare dolorem eius. Nisi dicas extractam fuisse, ac rursus capiti impressam, quod aliqui meditantur factum, quando veste inconsutili iterum indutus fuit; & rursus, quando antecrucifixionem illa detracta fuit, ita ut & tunc denuò vertici infixa, nova effecerit, vulnera, quod indicatur lib. 1 S. Brigittæ, cap. 11. Certè coronam gessisse dum ad crucem procedebat, satis indicat eius facies sudario impressa secundũm traditionẽ Ecclesiæ. Hæc etiam corona eum decebat, dum in cruce tamquam throno regiæ suæ majestatis sedebat, aut dum in ea tamquam Altari Sacerdotalis suæ dignitatis sacrificiũ offerebat. Et quidem adversarii coronam ei reliquerunt, tamquã affectati regni signum; ac deinde crucem eius humeris imposuerunt, tamquam malefactoris supplicium. Mors enim erat malefactorum crucẽ suam ferre, teste Plutarcho l. de Numinis vindicta ubi ait: *Quemadmodum facinerosus quisque ultimo supplicio afficiendus corpore suo fert crucem propriam, ita improbitas in seipsa supplicium sibi struit.*

Exivit ergò *baiulans sibi crucem, quam si spectet impietas*, inquit Augustinus *grande censet esse ludibrium, grande ignominiæ documentum: at si spectet pietas grande est fidei munimentum, grande omnino mysterium. Impietas videt, Regem pro virga regni lignum sui portare supplicii. Pietas videt Regem baiulantem lignum, & signum, quod fixurus erat etiam in frontibus Regum, & in quo erant gloriatura corda Sanctorum.* Certè multa in hac cruce mysteria cõtinebantur, multæ figuræ & oracula adimplebantur. *De quibus vide dicta à nobis fusè tom.* 1. *Horti Pastor. tract. 3. loci. 19. & 20.*

August. in Ioan.

Impletur certè hic in omnibus sacrificium Patriarchæ Abrahæ, si singulas velimus examinare circumstantias.

Circumstantiæ Sacrificii Abrahæ in Christo impletæ.

1. 1. Abraham, qui *Pater excelsus* dicatur, non dubitat filium immolare: sic Pater æternus & summus, unigenitum ducit ad sacrificium, cum gladio justitiæ, & amoris igne.

2. 2. Isaac ipse sibi ligna portavit quibus imponeretur tamquam holocaustum: ita Christus suum gestat in humeris lignum, victima futurus super illud.

3. 3. Duos servos dimittit Abraham, ne videant mysterium. Et hi quidem Iudæos significant, qui serviliter viventes, & carnaliter sapientes non intellexerunt mysterium Christi, nec ascenderunt in locum sacrificii. Duo dicuntur, quia peccante Salomone, ex una Israelitica plebe duo facti sunt
Ierem. 8. populi, *Aversatrix Israel, & Prævaricatrix Iuda.*

4. 4. Asinus quo utitur Abraham, quid nisi stultitiam insensatam Iudæorum designat? Illa etenim omnia Sacramenta portabat, sed ut animal irrationale quid ferret, ignorabat.

5. 5. Dicitur, *Expectate cum Asino, postquam adoraverimus, revertemur ad vos*, quia cæcitas ex parte
Rom. 11. Israel facta est, *ut plenitudo gentium intraret, & postea Israel salvus fieret.* Ergo illis dicitur: *Expectate cum asino*, ut gentium plenitudo intret. *Postquam adoraverimus* postquam crucis impletum fuerit sacramentum, & prædicatum gentibus, *tunc revertemur ad vos*, quia Israel salvus fiet.

6. 6. Aries hærens cornibus inter vepres pro Isaac immolatur. Crux cornua habet, dum duo ligna
Abac. 3. junguntur: *Cornua in manibus eius.* Hærens ergo aries cornibus inter vepres, Christus est crucifixus inter aculeatas & vulnificas Iudæorum impietates, quasi inter spinas.

7. 7. Peracto sacrificio dicitur Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Sic post illud, *fode-*
Psal. 21. *runt manus meas & pedes meos.* sequitur apud Prophetam: *Convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt eum omnes familiæ gentium.*

8. 8. Locus sacrificii Abrahæ vocatur, *Dominus videt*, sive *Mons visionis*, quia Dominus è cruce nos vidit, & quia post aram crucis videndum se deinceps fidelibus præbuit, ut redempti eum per fidem videant, qui eatenus fidei oculos non habebant.

Crux virga Aaronis. Impletur quoque hic figura in Virga Aaronis præsignata. De qua sic disserit S. Petrus Damiani: *Virga Aaron post ariditatem florens, quid aliud designat quàm nostrum Summi Pontificis salutare vexillum, immortalis memoriæ semper viriditate floridum exuberantium fructuum fertilitate fœcundum? Crux semper viret in fide, floret in spe, fructificat in charitate. Et postquam à terreno cespite præcisa est, frondet, quia quisquis per amorem crucis à terrenis desideriis montis radicem præciderit, ad hæreditatem immarcessibilem capescendam, & semper virentia æternæ vitæ pascua convolaverit.* Ita ipse scr. de intentione S. Crucis.

Addere possumus, hic adimpleri scripturas sub nomine *Virgæ regiæ*, sive sceptri, Crucè præsignantes, quæ futura erat symbolum regiæ in Christo potestatis. Quid aliud designat Propheta Isaias quàm crucem, dum de Christo vaticinatur: *Factus est Principatus eius super humerum eius?* Quid aliud Psalmista & Rex, dum ait: *Virgâ virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum?* Quid aliud Zacharias Vates, dũ in persona Domini pronuntiat: *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, alteram vocavi Funiculũ, & pavi gregem.* Virga *Decor* nominata. Virgo est, quæ & Virga de radice Iesse appellatur, per quam principium habemus nostræ redemptionis. Virga sanè, qua nihil subtilius, nihil rectius, nihil implexum habens, nihil nodosum. Virga *Funiculus* appellata. Crux est Domini, quæ nostram concludit redemptionem. Audi rursus hac de re S. Petrũ Damiani: *Virga pulchritudinis, uterus Virginis, Virga Funiculi, lignum patibuli: disterminat utraque regnum Dei & Diaboli, imponens frænum malitiæ istius, & potestatem coercens. In hac ad horam crucis fixus est innocens manibus & mundo corde. Terribilis quoque latro, cuius manus plenæ sunt sanguine, in hac quoque confessus est & confectus. Sed Christus alter, aliter ipse, Christus ad momentum tulit in æternum. Debilitavit enim aereas potestates, & affixit cruci: ex una parte affixus est Redemptor, ex alia summus ille prævaricator. Rex Hai suspenditur in gemino patibulo,* Iosue 8. secundũ Lect. LXX. *Ita Rex mortis in duplici patibulo suspenditur, quia dum Christum interficit, in ipsa cruce crucifigitur quam invenit.* Hæc ille.

Denique dicamus Christo rectè nunc cõvenire verbũ illud sanctæ mulieris Eliæ dicentis: *Ecce colligo duo ligna & morior.* Duo ligna, duo crucis brachia. In his duobus humanam & angelicam naturã intellige. Per lignum in sublime tendens naturã superiorem accipe, quæ in rectitudine stetit & creatori adhæsit. Lignum transversum humanam indicat naturam, quæ transversa, immò eversa, stratus sui perdidit æquitatem. Iniuere cum quanto junguntur Sacramẽto. In utroque ligno fit scissio, & junctura cõponitur. Cælestes spiritus vulnus & scissionem acceperunt, dũ in Angelis reperit pravitatem; plagam autem & scissionem resarciri oportuit. Inferior natura tota etiam erat hiantibus vulneribus, sed impressio facta est juncturalis, quæ Christo jungente ita est resarcita, ut nihil vulnerũ resteret. Christus in utrisque & pro utrisque confixus, utrosque cavilla corporis sui nectit validius, & corpus prioribus iuncturis opponit, nec valeant resilire. Crux ergo jungit cælum & terram Christus in Cruce trahit omnia. Leo rugiens ibi ligatur, Angelus confœderatur, & homo reficitur, simulque omne quod fecit manus Altissimi.

Crux virga regia. *Isai. 9.* *Ps. 109.* *Zach. 11* *3. Reg. 17* *Duo ligna mulieris Sareptanæ* *crux Christi.*

Profectò magnum est Crucis Sacramentum, nihil ea facilius est, postquam Domini humeros tetigit, & eius cruore tincta fuit. Si nõ fuisset Crux non fuisset vitæ lignum affixa, & non fluxissent ex latere eius rivi incorruptionis ex aqua & sãguine, mun-

Cruce Domini nihil sanctius.

mundum purgantes. Non foret ruptum peccati Chirographum, non assecuti fuissemus libertatē, non ligni vitæ fructum percepissemus, nō apertus fuisset Paradisus, nō versatilis romphæa cessisset è via Eden, non latro habitasset Paradisū. Si non esset Crux mors, non fuisset concalcata, non spoliatii inferi, non morte affectus serpens acerbus. O Crux quàm pretiosa es! O planta & lignum immortalitatis, scala regni, thronus Dei, virga potentiæ, virga directionis, thesaurus & fons omnis benedictionis! O benedictum lignum, per quod omnis maledictio sublata est! Sic novit divina providentia de veneficio beneficium de ligno amarissimo & aspertimo suavitatē & sanitatem, de morte vitam elicere, *quasi mel de petra oleumque de saxo durissimo* Inimici enim Christi ei fabricarant crucem ad opprobrium & necem: ipse illam nunc vertit in gloriā & honorem, nō solum sibi, sed & Angelis ac hominibus. Sed prosequamur historiam.

Deut. 32.

Exivit itaque Iesus spinis coronatus, fune collo ligatus, in medio latronū positus tamquam Princeps eorum, gravi Crucis pondere prægravatus. Vtiq; ei grave pondus Crux ista, tum ob corporis eius debilitatem, quod planè exhaustum erat tot plagis, tamque copioso sanguine profuso; tum ob crucis longitudinē, & grossitiem, ac asperitatem, quia ex tempore fabricata erat impolita & rudis, ex omnibus vulneribus unum rursus efficiens acerbissimum toto corpore vulnus. Velut novū torcular erat, sub quo cato eius uvæ instar rursus premitur, ita ut plateæ Ierusalem aspergantur ejus cruentis vestigiis. Deniq; onus gravissimū Crux, quia in ea omnium peccata posita sunt: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, ait [illegible] Psalmistam. *Peccata nostra in corpore suo [illegible] super lignum*, ait S. Petrus. Tantum ergo ponderabat Crux, inquit sanctus Thomas, quantum pro omnibus peccatis delendis secundum regulam divinæ justitiæ satis fuit.

Cruxonus gravissimū portans peccata hominū. Ps. 120. 1. Pet. 2. 3. p. q. 49. a. 5.

Finxerunt olim Poetæ Atlantem humeris suis Cælum Orbemque totum sustollentem. Ecce verus Atlas, qui Iustitiæ Divinæ Cælum, Orbemque universum suis sustentat humeris, quia Orbis totus peccatis erat obnoxius. Sed verius dixerimus, ecce Sacerdos Summus, qui in veste sua diversis picta plagis, diversis picta coloribus, quasi in *Veste pederis totum gestat Orbem terrarum*: non in figura, aut pictura solum, ut olim, sed in re ipsa & veritate, quia pro toto Orbe terrarum sese immolaturus est in hac Cruce.

Sap. 18.

Cæterū, Crux ita corpori exhausto gravis fuit, ut sub illa concideret. Hinc coacti fuerunt Simonem quemdam Cyrenensem angariare & in illum Crucem Iesu transferre, *ut eam portaret post Iesum*: non quidem in posteriori parte, ut picturæ quædā indicant, sed in solidū, & integram. Quod fecere, non affectu miserationis ad sublevandum Iesum, sed crudelitatis: quia timebant ne in via moriens haud crucifigeretur. Angariaverunt autē, sive coē-

Sub onere crucis Christus concidit.

gerunt dictum Simonem ipsis occurrentem ferre crucem, quia nemo eam volebat tangere, utpote signum opprobrii apud milites Romanos, signum maledictionis apud Iudæos. Interim latebat hic mysterium divinitus præordinatum, quo volebat Christus gloriā Crucis à Iudæis ad Gentiles trāsferri: [illegible]ersona Simonis Cyrenensis. Cyrene enim Lyb[illegible]vitas est. Acto. 11. ideoque ad Gentiles spectat; quæ quidem fructum crucis debebant præ Iudæis participare. Simul, cùm *Simon* idem sit quod *obediens*, monetur in eo omnis Christianus obedienter crucem sibi impositam ferre post Iesum, quæ nulli deest, qualis, qualis sit. Quibusdā enim Deus immittit externas & corporales afflictiones, quibusdam spirituales & internas: quidam molestias ab hominibus, alii tentationes patiuntur à Dæmonibus: ubique crux, sed perseveranter ferenda, & cum humili patientia. Imò nullus status ab ea est exemptus, ubique crux nos expectat, nec est alia ad cælum via, nisi via sanctæ crucis regia. Lege Thomam à Kempis hac de re pientissimè disserentem l. 2. de imit. c. 12.

Gentiles in Simone ad gloriā crucis divinitus ordinati.

Obedienter crux ferenda post Iesū.

Sapienter & piè cuidam pietatem sectanti scribit nominatissimus doctrina & sanctitate Episcopus Franciscus de Salez: *Numquam cum curiositate sectatum est, quo ex ligno crux Domini fabricata fuerit: diverse etenim ea de re sunt hactenus opiniones. Id inde existimo factum, ut æquali affectu adamaremus cruces, quas nobis Deus mittit, quocumque ex ligno compositas: & ut nullus dicat, illa crux amabilis & tolerabilis est, quia ex alio ligno non est, at hæc crux ex asperonimo ligno est, & ir tolerabilis. Illa meliores cruces sunt, quæ ponderiosiores; illæ autem ponderosiores sunt, quæ magis sunt repugnantes animæ secundum partem inferiorem animæ. Cruces quæ forte reperiuntur in platea, in negotiis externis bonæ sunt; fortè meliores sunt illa quæ domi nobis magis importuna censentur: & quidem meliores quam exteria, dispicina jocunda, & qui quid austeritas sibi inventi. Ibi patescit fortitudo & magnanimitas eorum qui se agnoscunt Filios Crucis, & habitatores sacri Montis Calvariæ. Cruces quas nobis imponimus, aut limitamus, cùm de nostro aliquid habemus, minores sunt, & minoris meriti, quia minus crucifigentes. Humiliamur igitur nos, & cum gaudio recipiamus eas quæ nobis sine nobis imponuntur. Longitudo crucis hoc ei pretium, & ita simus fideles usque ad mortem, ut accipiamus coronam gloriæ. Nos profitemur amorem Crucifixi, quid ergo adamare debemus nisi crucem? Quid nisi crucifixi esse debemus, quandoquidem amor nos assimilat amantibus nos?* Hæc sapiens Episcopus Genevensis.

Ex quo ligno crux Christi facta sit, & quare. Vide quid de hac re S. Gertrudis dixerit Deus apud Blosium Monile 2. cap.

Huic conformiter dicebat olim B. P. Damianus: *Crux mundi quatuor climata comprehendit, omnem ad septentrionalem creaturam. In medio stat Christus ex omni parte cruci affixus, ut misericordiæ suæ sinum ostendat. Et ne ubique terrarum extensa Redemptorem invenire non posses, à quacumque parte procedas, sive ab Oriente, sive à Meridie, vel à*

Septentrione, paratus est suscipere venientem. Sed attenda quod tibi exprimitur de corde Altissimi. Venit ad hominem crucifixum: Crucifixus venias, aut crucifigendus. Qui Christi sunt, crucifixerunt carnem cum vitiis & concupiscentiis suis. Si dignum Christo, necessarium tibi. Hæc ipse.

Quomodo & cur Simon ad portandã crucem coactus dicatur.

Quæres, si Simon significat idem quod Obediens, & designat fidelem quemlibet obedientem cruci humeros libentes supponentem, cur dicitur, quod *angariaverunt eũ*, sive coëgerunt ad portandum crucẽ Christi? Respondeo, nec hoc sine mysterio esse, quia per id significatur. Fideles crucem Domini naturali quadam aversione horrere, ipsos tamẽ vim sibi faciendo obedienter eam suscipere. Illud quoque hic indicatur, multos persecutores vim illaturos Christianis, & coacturos, ut Christũ sequantur per crucem & martyrium, & hi quidẽ, etiam repugnãte naturali voluntate, hac in re Deo obedient. Propterea dicebat Dominus Simoni Petro: *Amen, amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & duces quò tu non vis.* Hoc autem dixit significans quâ morte clarificaturus esset Deũ. Et cum hoc dixisset, dicit ei: *Sequere me.* Ecce Simon hic, Simon est, sive obediens, quia propter obedientiam & amorem Christum sequetur, & in cruce sicut ipse extendet manus suas, voluntate rationali se offerens in sacrificium: tamen vincient eum & vinculis cingent persecutores quasi invitum, & ducẽt quò non fert naturale desiderium, quod crucem abhorret. Sic igitur angariabant eum, ut portet crucem, & in illa moriatur; tamen hac morte clarificabit Deum, ex obedientia eam suscipiens. Sic poterit dicere cum Paulo. *In omni fiducia magnificabitur Christus in corpore meo, sive per viam; sive per mortem. Mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum.*

Ioan. 21.

Philip. 1.

LECTIO XI.

De mulieribus Christum sequentibus, lamentantibus.

NOn solùm Simon Cyrenensis Christum sequebatur, sed & *multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eũ.* Multa turba Dominum sequebatur sicut diversa mente, sic diverso quoque affectu: Turba carnificum, quæ eum premebat, & hinc inde divexando trahebat. Turba Iudæorum, quæ ei invidebat, & nunc exultabat quasi leo capta præda, amaris verbis & sannis insultabat: Turba nonnullorum qui solâ curiositate ad hoc spectaculum contemplandum concurrerant: Turba denique amicorũ, quæ anxiè lugebat ad mortem euntem. Neque hic erat solùm affectus humanus, quo quoslibet malè affectos deploramus; non enim dicuntur mulieres lamẽtatæ super latrones duos qui eum Iesu ducebantur. Erat quidam sublimior gratitudinis affectus, qui in hoc lugubri spectaculo eis ciebat lacrymas, quia eius non solum innocentiam, sed & præteritam beneficentiam rememorabant, quam toties erant expertæ. Vnde hæc lamentatio turbæ post tot præcedentia testimonia, etiam maximum est testimonium innocentiæ Christi ad cõdemnationem majorem Principum Iudæorum. Nec defuere viri etiam lamentantes & mœstissimi, sed de mulieribus specialis fit mentio, qui eis liberior fuit accessus, ut inter Principes & milites Iesum ducẽtes propiores factæ lacrymis indulgerent & lamentis, inquit Beda.

Diversa turba Christũ sequentes.

Sed quæritur S. Augustinus, cur ergò conqueritur Dominus apud Regium Prophetam: *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; quæsivi consolantem me, & non inveni?* An non hic multi simul cum eo contristati sunt? An nõ discipuli? An non Apostoli? An non piæ mulieres? An nõ Magdalena? Respondet Augustinus. *Contristabantur illi carnaliter de vita mortali quæ mutanda fuerat in morte, & reparanda in resurrectione.* Christus verò tristabatur ob peccata, & ob peccatores; in hac tristitia comitem non invenit, unde acciperet consolationem: aliis enim de causis plangebãt alii. Quare ponderat Augustinus hic non dici. *Sustinui qui contristaretur, & non inveni*, sed dici. *qui simul contristaretur*, hoc est, ea de re qua ego tristabar, eamdemque ob rationem. Compatiamur ergo illi ob eamdem rationem, tunc verâ habebimus compassionem, nec de nobis poterit cõqueri. Audi verba S. Augustini: *De hac re debuit esse tristitia, quod eæci medicum occiderunt, quod pernicioso febrientes phrenetici faciebant iniuriam ei, à quo eis salus allata fuerat. Ille volebat curare, illi sævire. Hinc tristitia medico. Quare an invenerit huius tristitiæ comitem! Non enim ait; Sustinui qui contristaretur, & non fuit, sed qui simul contristaretur, id est, ex ea re qua contristabar, & non inveni. In tristitia quam habebat Dominus de illis pro quibus oravit, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, nullum comitem invenit.* Hæc S. Aug.

August. in Ps. 68.

Conversus itaque ad lamentantes Christus, dixit: *Nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros.* Nõ prohibet fletum, cum ex pio proficisceretur affectu: sed vult significare quod ex ignorantia causæ passionis suæ proveniat: quia cũ flebant tamquam hominem imbellem, & impotentem & resistere adversariis suis, ut liberaretur à mortuis. Sic nõ vult defleri; tamquam ex imbecillitate & impotentia miser: quandoquidem mors eius mox erat in gloriam & triumphum cessura. Quocirca hæc de re sic S. Leo: *Solet infirmior sexus probus qui ad mortem damnantur in lachrymas commoveri, & pro naturæ communis consideratione mœreri. Hunc planctum non vult Dominus sibi impendi: quia non decet luctus triumphum, nec lamenta victoriam. Ideo dicit. Nolite flere super me. Ego crucem volens patior, & mortem in me, quam sum peremptus admitto. Nolite flere pro mundi redemptione morientem, quem videbitis in majestate Patris*

Quo sensu Christus mulieres flere prohibeat.

Patris iudicantem. Hæc S. Leo. Nolite ergo flere, ô Filiæ Ierusalem, tamquam super vulgarem hominem pati coactum. Flete interim Filiæ Ierusalem, pro peccatis vestris patientem & morientem: primas repudiat lacrymas, secundas habet sibi acceptabiles & gratissimas, quia & spiritum hunc commiserationis cum lachrymarum dono in electos suos effundit, secundum promissum suum: *Effundam super domum David, & super habitantes Ierusalem spiritum gratiæ & precum, & adspicient ad me, quem confixerunt, & plangent planctu quasi super unigenitum.* Flete super vos Filiæ Ierusalem, quia veniunt dies in quibus dicetis: *Beata sterilles & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.* Flete super filios vestros & super omnes qui inclamaverunt: *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Ipsi enim præsentient tandem nibus hostium tradetur sanguis eorum, *& diversis modis ludibrij causa suffigentur; quando & propter multitudinē locus crucibus deerit, & corporibus cruces.* Ejiciunt nunc à se, nec agnoscunt Regem suū, clamantēq; se nō habere Regem nisi Cæsarem. Ideo dicit de illis Dominus per Prophetam: *Eiice eos à facie mea, & egrediantur. Si dixerint. Quò egrediemur? Dices ad eos: Qui ad mortem, ad mortem, & qui ad gladium, ad gladium: & qui ad famem, ad famem, & qui ad captivitatem, ad captivitatem.* Alii enim gladio peribunt, alii cruce alii fame, alii peste, denique ut mancipia vilissima vēdentur pro 30. denarijs triginta. Flete super hoc filiæ Ierusalem, quia ideo & ipsemet flevit Salvator, ingrediens civitatem vestram, etiam in medio suo triumphi & acclamationum, plorans fuit & lachrymas fundens nunc autem idipsum non solum lacrymis, sed suo defluxit cruore in plateas vestras defluēte. Quod si non fleveritis, lapides flebunt. Flete, flete filiæ Ierusalem, quia rivi sanguinis innocui defluunt nunc in lapides Civitatis vestræ, sed postmodum ipsa tota natabit civium vestrorum sanguine. Aperientur viscera eorum, ad scrutandum an non lateat in eis aurum. Matres cogentur filios comedere: parvuli allidentur ad muros à matrum sinu avulsi. Hæc prævidete, & plangite cum Propheta flebiliter dicentes: *Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster, cecidit corona capitis nostri. Va nobis, quia peccavimus. Propterea mœstum factum est cor nostrum & contenebrati sunt oculi nostri propter montem Sion, quia disperiit.* Has lacrymas non prohibet Christus, seu ad eas invitat, & optat ut vos & filii vestri lacrymis prævenietis æternas. Ideo addit

Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet.

Quod quidem sic interpretatur Venerab. Beda, ut Lignum viride seipsum, suosque electos, aridum verò impios peccatores significet. *Si ego,* inquit ipse, *qui peccatum non feci, qui lignum vitæ meritò appellatus fructus gratia duodenos per singulos menses affero, sine igne passionis à mundo non ex eo, quid putas eos manere tormenti, qui fructibus vacui ipsum insuper vitæ lignum flammis dare non timent?* Hæc Beda. Itaque Iudaicus populus. *Lignum aridum* dicitur, gratia Dei destitutum, & ad solum ignem idoneum, sic & omnis peccator. Ideo in huius terrypum ante aliquot dies maledicta arbor exaruerat. Cogitemus ergo hic ne simus & nos arbores aridæ & igni destinandæ, ac simul pensemus quanta sit de impiis ultio sumenda ob peccata eorum, quādo ob hominum peccata Filium suum tanta voluit pati Deus.

Flemus super nos, flemus & super Christum propter peccata nostra, hoc enim ei erit acceptissimum, maximè hoc sacro tempore. Quod quidem multis liceret declarare exemplis, sed unicum proferamus illustre de B. Maria Ogniaca, quæ certè inter flentes Dominum filias Ierusalem meritò recēsita fuit, agens in Diœcesi nostra Leodiensi; De hac sic scribit Carpinalis Vitriaco: *Principium conversionis eius & primitia dilectionis, Crux & Passio Domini. Cùm enim quadam die cōsideraret mira beneficia hominibus per Christum collata, tantam compunctionis gratiam & lacrymarum copiam torcularis crucis in Passione expressam percepit, ut vestigia eius per Ecclesiam ingredientis lacryma in pavimentum ubertim defluētes proderent. Ab hac divina visitatione multo deinceps tempore non potera: intueri imaginem Crucis, nec loqui aut audire de Passione, quin præcordis defectu extasim pateretur & tota lacrymis madesceret. Die quodam ante Parasceven maiori lacrymarum imbre & gemitibus se immolabat ob imminentem Passionem. Vnde eam quidam Sacerdos hortatus est blandè increpando, ut in silentio oraret, & lacrymas cōpesceret. Illa ut erat columbina simplicitate obediens, licet sciret se id non posse, clam è templo egredieus, secessit in locum secretum impetravitq; cum lacrymis à Domino, ut Sacerdoti ostenderet non esse in potestate hominis lacrymarum sistere impetum, quando flante Spiritu vehementi fluunt aquæ. Eodem die Sacerdote celebrante tanto lacrymarum alluvio meus est spiritus eius, ut penè suffocaretur, & quo plus nitebatur coercere, tanto plus fluebant, ita ut linteæ altaris irrigarentur, nec posset sine interruptione pronunciare. Sic experientia didicit, quod antea per commiserationem scire noluit, reprehendens non satis caute ancillam Dei. Posti Missam revertens ipsa in Ecclesiam, dixit Sacerdoti: An expertus es non esse in manu hominis impetū spiritus cōtinere Austro flante?* Hæc Cardinalis Vitriaco addens hæc verba. *Qui vidit, testimonium perhibuit.* Cum verò per dies & noctes aquarum exitus deducerent oculi eius, & multis egeret fusariis ad eas excipiēdas, quia in Ecclesiæ pavimentum decidentes, miræ pulveri sordes efficiebant, interrogavit eam dictus eius Confessarius, an capiti nocerent. Cui illa: *Hæ lacrymæ sunt refectio mea, sunt panes die ac nocte, nec affligunt caput sed mentem nutriunt, animam serenant; nec cerebrum evacuant, sed mentem suavi unctione molcēt, dum non extorquentur, sed à Domino suppeditantur gratiosè.*

Neque

Flere super Christum ob peccata nostra illa gratissimum. Exēpla.

Matth. 21

Zach. 13.

Ioseph. l. 6. c. 12. de bello.

Hier. 15.

Causse cur flere mulieres iubeantur.

Thren. 5

Quo sensu Christus mulieres flere prohibeat.

Augus. in Ps. 68.

S. Veronica flens Christo sudarium porrexit.

Neque hic prætereunda est pia mulier *Berenice* sive *Veronica* dicta, quæ Domino ad Crucem eúnti collacrymans, sudarium porrexit. Cui sudario Christus vultum suum impressit. Quod Romæ etiamnum asservatur, & quotannis in Basilica S. Petri die cœnæ Domini populo spectandum exhibetur magno piorum concursu. Hujus Veronicæ pietatem imitata est S. Plautilla, quæ S. Paulo ad mortem procedenti velũ capitis sui tribuit, ut illo sibi oculos velaret vice sudarii; illudque postea roseo Pauli sanguine perfusum in amoris pignus recepit. Dicunt verò nonnulli, tres Christi effigies in triplicato sudario fuisse impressas ipso faciem abstergente, unamque Romæ, alteram in Gieuensi civitate Hispaniæ, tertiam Hierosolymis asservari, & peregrinis illuc religionis gratia cõfluentibus cũ veneratione exhiberi. Putant quoque multi hanc Veronicam, sive Berenice, fuisse mulierem illam, quæ à sanguinis fluxu per Dominum curata fuit.

S. Plautilla S. Paulo velum capitis sui tribuit.

Cartagena in tr. de Pas.

Si felix fuit occursus Simeonis & Annæ, quando occurrerunt Domino in templo cum gaudio, initio infantiæ suæ: Non minus felix occursus Simeonis & Veronicæ, quando occurrerunt Domino in itinere Calvariæ, bajulanti crucem in fine vitæ suæ, Tunc Simoni crucem suam tradidit Dominus, in consortium doloris; Veronicæ imaginem faciei suæ, ad incitamentum pietatis & amoris, sicut seipsum tradiderat in brachia Annæ & Simeonis. O quam fraquenter pia hæc Christi amatrix faciem istam intuita est cum lacrymis doloris & amoris! O quam speciosum ei fuit speculum effigies ista, in qua peccata populi cernebat, & Domini charitatem admirandam contemplabatur; sicque ad gratitudinem sese excitabat, & compassionem lacrymosam, sibi dicens cum Propheta: *In abscondito plorabit anima mea, à facie superbiæ plorans plorabit, & deducet oculus meus lacrymam.* Hæc facies Christi, facies humilitatis est; sed sic humiliatus est per superbiam & crudelitatem ac ingratitudinem Iudæorum, immò & nostrum omnium: ideo lacrymis digna est irrigari, non solùm à Veronica & mulieribus eam comitantibus, sed etiam à nobis. Quòd si desint nobis lacrymæ, saltem imitemur amicos Iob, de quibus dicitur: *Cum elevassent oculos suos procul, non cognoverunt eum, scidêrunt que vestibus sparserunt pulverem super caput in Cœlum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus: & nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem esse vehementem.* Sic & nos saltem per septem dies ultimos, quadragesimæ sacræ attẽtis & stupefactis animis consideremus vehemẽtem dolorem Christi Domini, si ejus amici volumus dici, & intueamur faciem illam propter nos sic dilaniatam & deturpatam; intueamur, inquam, illam in silentio animæ, & *effundamus cor nostrum sicut aquam in conspectu eius.* Hoc erit obsequium et gratissimum, & nobis maximè proficuum. Imò offeramus ei cor nostrum, tamquam linteum purum & candidum, in quo imprimat faciem suam dolorosam & amorosam, ut doloris & amoris eius numquam continẽat oblivisci, nec *gratiam Redemptoris qui animam posuit pro nobis:* sed simus de illis de quibus dicit Apostolus: *ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est in nobis crucifixus.* Nulla nos involvat fascinatio, quâ fiat ut ab eo pios oculos avertamus, aut veritati quam nos docuit, non obediamus. Galat 3.

Ierem 5.

Iob. 2.

Dolor passionis Christi maximè in fine quadragesimæ consideradus.

Ruminemus quoque illud frequenter: *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arida quid fiet?* Toto enim Passionis decursu illud nobis rememoratur. Primò quidem, si consideremus Christum Dominum in Horto angustiæ toto corpore prostratum, & terræ illisum, ibique in oratione, sudore & lacrymis, ac sanguine perfusum, pavidum, mœstum, anxium; Nonne meritò paventes nobis ipsis, dicerimus: *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Si is qui succulenta arbor est, & viva, fructibusque optimis plena, ita dejicitur, ita solo sternitur, ob solam mortis memoriam & pœnarum tuis debitarum peccatis: Quid fiet de te? Quantò magis deberes aridi tati cuæ infructuosæ timere, ne non solùm prosterneris in terram tamquam arbor infelix: sed etiam igni tradaris æterno in escam & pabulum? Hujus rei memoria, timoique te ad meliora nunc deberent erigere.

2. Si consideremus quæ tota nocte Christus passus est; dum alapis & pugnis percutitur, dum oculi ejus velantur, dum capilli capitis & genarum velluntur, acerbissimo cum dolore, dum illuditur omni cum crudelitate; nonne nobis ipsis meritò cum tremore iterum dicere debemus: *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Si propter peccata tua hæc patitur Christus, quid erit de te in infelici illa nocte qua hostibus traderis ob propria scelera illudendus, omnique tormentorum genere afficiendus? O nox lacrymis & sancto timore prævenienda, animique ad sanctora conversione!

3. Si ulteriùs consideremus quæ passus est Christus in columnæ alligatione & flagellatione horrenda, forsitan verberum & plagarum supra quinque millia, quæ deinde in coronatione & terebratione capitis crudelissimas; nonne rursus meritò nobis ipsis timentes dixerimus: *Si in viridi ligno hæc fiunt in arido quid fiet?* Si hæc patitur Filius Dei per omnia innocuus, & quidem patitur in causa aliena: Quid erit de te, ô lignum aridum, omni pietatis succo destitutum, quando rudentibus inferni æternum colligaberis, & in lacum detraheris ob propria demerita? Hæc expende & morum emendationem statue nunc seriò, ne tunc pœniteas nimis sero.

4. Denique si consideremus Christum bajulantem Crucem, & sui signantem viam sanguine, fatiscentemque sub Crucis pondere, in qua postmodum manibus pedibusque crudelissimè transfigitur; nonne meritò tremens tibi dixeris & nuò: *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Quam sententiam

tentiam expectare debes tot scelerum reus, si hæc ob illa patitur Deus? Et quidem patitur tanta, ut tui peccati magnitudinem agnoscas, quod sic cruciare potest Filium Dei; cuius sola mors & sanguis tanto profusus dolore potest pro illo satisfacere. Ergò pave; & cave. Ponderatio mentis & cordis tui æqua lance hæc Filii Dei tormenta, conferens illa cum tormentis numquam intermorituris, quæ te expectant, nisi oculos aperueris. Vt autem *Lignum aridum* desinas esse solis aptum ignibus, & rursus virescas virore gratiæ & pietatis, perfunde te illius rore & sudore, illius lachrymis & sanguine ei cũquaque fluente, Illius sanguis, illiusq; lachrymæ, tibi fœcunditatem reddent & succum vivificum; si tamen & tuas coniunxeris per pœnitentiam lachrymas. Delictorum enim pœnitentia cum viva fide te rursum inseret *in bonam hanc Olivam, ut fias socius radicis & pinguedinis.* Et tunc tamquam felicem & fertilem tamum *Radix portabit te*, & ab Igne ac Securi securus eris.

Rom. 11.

LECTIO XII.

De monte Calvariæ, & de his quæ in eo gesta sunt circa Christum.

Matt. 27. PRosequitur Evangelista Matthæus, & dicit; *Venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cũ felle mixtum, & cum gustasset, noluit bibere.* Marcus habet, *Vinum myrrhatum.* Sed idem est; quia nihil aliud volunt Evangelistæ, quàm vinum illud fuisse amarissimum; & Myrrha fel dicitur hic ob amaritudinem. Christus autem *non accepit*, sive *cum gustasset, noluit bibere*, hoc est, non trajecit intra se: mystice significans, se non bibisse antiqui serpentis venenum interius, sed solam pœnam admisisse exterius. Bis ergò dederunt Domino potũ amaritudinis; hic tamquam fatigato in itinere; ac postmodum pendenti in cruce, adimpletaque est

Psal. 68. illa Prophetia; *Dederunt in escam meam fel, & in sitipotaverunt me aceto.* Prior pars Prophetiæ implerum odò; posterior implerur postmodũ dum dicit, *Sitio*, & propinatur ei acetum. *Illudendo hoc fecerunt, ne Regi etiã Pincerna deesset*, inquit Theophilactus. Attende interim inhumanitatẽ & barbatiem. Namomnium gentium more his qui ducuntur ad mortẽ, vinum aut potus cõfortans propinatur, ut animus illis addatur, & consilũ Sapientis perficiatur. *Da siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo.* Sed ex malitia Iudæorum vinũ stud myrrha & fel miscetur, ut Christo ex cruce põdere, & totius pene sanguinis profusione exhausto propinetur, ne vel lingua intacta maneat à tormentis. Sic nempe patet quam verum sit illud de Iudæis: *De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrha; uva eorum, uva fellis, & botri amaritudinum: fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* An non *Vva fellis, uva eorum*, quandoquidem non solum vinum felle miscent & amatore, sed etiam ob fel amarissimi odii, in quo corda eorum natant, Christo deneganr, quicquid ei vel minimum solatii afferre potera? An non odium istud meritò vocatur *fel draconum, & venenum aspidum insanabile*, quandoquidem nullis beneficiis, nulla arte, nullis miraculis sanari potuerunt? *Sicut aspides surdæ obturaverunt aures suas ad vocem Domini incantantis sapienter*, ut educeret eos è cavernis malitiæ & invidiæ virosæ, & nunc sicut dracones insurrexerunt in eũ, virus spirantes continuum & ardentissimum, nullis eius saturandi tormentis, nec rivis sanguinis. Ideò reciprocè eis comminatur Dominus: *Ego ei-* Ier. 9. *babo populum istum absynthio, & potum dabo eis aquam fellis.* Et alibi *Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ; non videat rivulos fluminis, torrentes mellis.* An non hæc omnia eis evenerunt post Iob. 20. mortẽ Salvatoris, dũ natant in tot aquis angustiæ & tribulationis, continuum velut fel & virus bibent. s. & gratiæ rivulis excluſi, & à melle cõsolationis? Profectò ignominia, & persecutio, & amaritudo mira populum Iudaicum est subsecuta, in vindictam fellis & odii quo Christum potarunt.

Nos interim attendamus ne similes illis inveniamur, Dominum salutis nostræ sitibundum potantes felle peccatorum nostrorum; ita ut cogatur cum ignominia nos evomere, & eiicere à se in æternũ, & calicem illum nobis propinare, *cuius fex* Psal. 74. *numquam est exinanita.* Ipse plantavit nos *Vineam electam, & semen verum*; quomodo sic degeneravimus in amaritudinem felleam, aut in *Vvam Sodomæ* Hier. 2. *& Gomorrhæ* fœdissimam? Caveamus, eheu, hãc Domini de quibusdam querimoniã fletu dignam. Caveamus & illud S. Petri *In felle amaritudinis vi-* Act. 8. *deo te esse, & obligatione iniquitatis.*

Imitemur potiùs S. Clarã de Monte Falco, quæ in consideratione frequenti fellis & Passionis Domini Iesu sic amaritudine repleta fuit, ut quicquid bibebat, vel comedebat, amarum ei foret ob memoriã amaritudinis qua affectus fuerat Dominus. De hac re sine lachrymis nõ loquebatur; sed quidquid videbat, intelligebat, dicebat, videbatur ei respersum felle crucis Christi. Exinde factum est, ut sign. Crucifixi impressa fuerint castæ Virginis cordi, cũ omnibus Passionis eius instrumentis. Neque id solum: sed & in felle eius repertæ sunt tres pelliculæ rotundæ, magnitudine trium nucum. Ejusdem autem erant coloris, magnitudinis, & ponderis; & nihilominus una illarum tantum ponderabat, ac aliæ duæ. In qua re non solum Passionis Dominicæ, sed & Trinitatis mirificæ mysterium designatum existimatur? quia utrinque mysterio devotione singulari peraddicta erat. Sic ipsa audiebat Dominũ dicentem: *Recordare paupertatis meæ, absynthii, & fellis.* Ideò obediebat respondens: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.* Thren. 3. Data igitur nobis est in exemplum, ut eiusdem rei memores semper simus.

Prov. ult. Ex malitia Iudæorum est in vinũ felice & myrrham mixtum. Deut. 32.

Luc. 23. *Postquam venerunt in locum qui dicitur Calvariæ ibi crucifixerunt eum.* Cur hic mons dictus sit Calvariæ alibi diximus. Neq; enim solum ob calvarias varias morte ibidem damnatorum sic appellatus est; sed etiam sic dictum ob calvariam Adæ ibi sepulti, antiquorum Patrum passim est sententia. Quamquam illa non satis arrideat S. Hieronymo, non est tamen refellenda, quia eam docuit S. Athanasius, Cyprianus, Amb. & alii. Idem tradunt multi gravissimi viri huius sæculi. Hinc pingi solet ad pedes Crucis passim hominis Calvaria, quæ repræsentare caput primi hominis docet Albertus Magnus, & alii. Dicimus ergo cum Augustino, *Conveniunter ibi plantatur Medicus, ubi jacebat ægrotus.* Dicimus quoq; cũ Theophilacto S. Chrysostomi discipulo: *Vbi fons mortis, illic Dominus moritur, ut illum exsiccet.* Nec repudiamus quod ipsemet Sanct. Hieronymus in Epistola Paulæ ad Marcellum dixit: *Locus in quo crucifixus est Dominus, Calvaria appellatur, quod ibi sit antiqui hominis Calvaria condita, ut secundus Adam, & sanguis eius de Cruce stillans, primi Adam peccata dilueret & impleretur illud: Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.* Denique dicimus cũ S. Bonaventura exclamante in spiritu pietatis: *Vtinam sit anima mea, instar Calvariæ Adæ ad pedes Christi crucifixi iacens, ut eius perfundatur tota stillante sanguine!* Nec cuiquam incredibile videatur, quòd ibi ad mortem damnatorum capita truncarentur, aut crucifigerentur, ubi protoplasti & communis omnium parentis sepultura esse dicebatur. Hoc enim permisisse potuit Deus speciali providentia, quia primus ipse mortis auctor Adam fuit, inter nocentes meritò reputatus, cum & maledicta condemnataque fuerit terra ob eius delictũ. Veniens ergo Christus in similitudinem carnis peccati, *ut de peccato damnaret peccatum in carne*, in maledicto terræ loco crucifigi voluit, ut maledictã terram suo sanguine sanctificaret, ipsosque quia ad mortem condemnati erant propter Adam, morte & condemnatione sua vivificaret, & liberaret, cum illo.

Calvaria mons unde sic dictus.

Aliter docet S. Hier. scribens ad Mart.

Adam ad arborem vexit am Christus ad lignũ vertum vocavit nostr..

Propterea etiam ad arborem extendit manus, quia ut exprimit eleganter B. Petrus Damiani *Primus homo cum manum ad arborem Diabolo suadente porrexit, quasi lignea tabula chyrographum deditiæ servitutis inscripsit: Secundus igitur homo cum in cruce manus extendit, cautionem illam lethiferæ, actionis obliterando delevit.* Sic factum est, ut sicut per lignum servi facti fumus, & inimici, ac de Paradiso eiecti sic per lignum liberati, revocati, in amicitiamque Dei & Angelorum restituti essemus. Immò SS. Patres de Cruce Domini in hoc monte Calvariæ fixa tamquam de Vexillo victoriæ & Trophæo nomini erecto loquuntur; ita ut illud ei conveniat Isaiæ 11. *Super montem caliginosum levate signum.* Ecce super montem hunc mortis caligine opertum, vexillum Crucis extollitur: *quia congruebat ut ibi vita nostra primitia locaretur, ubi fuerant mortis exordia*, inquit S. Ambrosius lib. 10. in Luc. cap. 23. Illud ergo crucis lignũ portendebat triumphum, tum de morte, tum de Diabolo, & inferno. Vnde idem S. Ambrosius describit Christum in crucem ascendentem quasi in currum suum triumphalem. Audi eius verba disertissima. *Nunc currum suum triumphator ascendat, non arborem truncis, aut quadrijugis plaustris manubias de mortali hoste quæsitas, sed patibulo triumphali captiva de sæculo spolia suspendat. Non hic revinctis post tergum brachijs genus, nec exci arum urbium imagines cernimus, aut submissa captivorum Regum colla miramur, qualis humanorum solet esse species triumphorum: nec victoria terminos regionis fine distinctos; sed orantes populos nationum quæsto: non ad supplicium, sed ad præmium; Reges liberis affectibus adorantes, voluntarijs urbes studijs deditas & in melius reformatas imagines oppidorum, quas non fucus expresserit, sed devotio coloraverit: fides arma, victoriarumque iura toto orbe currentia: captivum Principem mundi, & spiritualia nequitiæ, quæ sunt in cœlestibus, obedientia imperio vocis humanæ; variatumque virtutum species, non sericu, sed moribus emicantes. Fulget castitas, fides splendet, & induta mortis exuviis devotio fortitudinis: iam resurgit unius diei triumphus. Fecit omnes prope iam homines triumphatores Crux Domini.* Hæc S. Ambrosius.

De titulo Crucis.

Sed & triumphum Christi satis indicat Titulus eijussu Pilati inscriptus Hebraicè, Græcè, & Latinè, ac Cruci, sive Capiti eius superpositus. Scriptus enim fuit triplici eminentiori lingua; *Hebraica* propter Judæos in lege gloriantes; *Græca*, propter Gentium sapientes; *Latina*, propter Romanos iam pene omnibus dominantes. Et quia horũ omnium Salvator esse debebat, ideo Columnæ eius Triumphali, non solum iussu Præsidis, sed certè speciali Dei providentia, hic Titulus inscribitur IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. An tãtũ Iudæorum? Imò & Gentium. Et hi Iudæi sunt, hoc est confitentes. *Iudæorum Rex Christus, sed Iudæorum circumcisione cordis; spiritu, non litera, quorum laus non ex hominibus, sed ex Deo est: pertinentium ad Ierusalem liberam Matrem nostram æternam in Cælis, Saram spiritualem, ancillam & filium eius forma de domo libertatis eiicientem*, inquit S. Augustinus. Multi ergo Iudæorum, imò & exterorum, hunc titulum legerunt, quia multi exterorum Ierusalem convenerant: & cum mors hæc pro omnium salute esset, omnique linguæ & nationi foret prædicanda, magno mysterio Titulus iste omnibus est propositus ad legendum. Quinimò cùm hæc foret ARA IGNOTI DEI, ne ignotus semper maneret, voluit Pater ei Titulum apponi, IESVS NAZARENVS: quo Titulo erat postmodum ab omnibus nationibus agnoscẽdus, & adorandus, ut Deus, ut Rex, ut Sacerdos. Quantum vis verò apud Pilatum Iudæi urserint, non

Mutare titulum Christi, Pilato de super-missum.

potuerunt immutare Titulum hunc, quia ei hoc desuper non fuit permissum. Stabile namque & perenne est Regnum Christi: & Titulum victoriæ ac potestatis eius, nec Pilatus, nec Iudæus, nec quispiam alius poterit eradere: omnis ætas, omneque sæculum illud agnoscet; immò æternitas illum sibi inscriptum conservabit. Tum quia sic in Cœlo decretum est ab æterno: tum quia sic etiam à Christo pronunciatum est, interrogante Præside an esset *Rex Iudæorum*: *EGO SVM*. Ideo itaque *Pilatus quod scripsit, scripsit, quia Dominus quod dixit dixit.* Audi rursus S. August. tract. 117. in Ioan. *O ineffabilem vim divinæ operationis, etiam in cordibus ignorantium! Nonne occulta quadam vox Pilato intus, quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tantò ante Psalmorum libris prophetatum est? Ne corrumpas tituli inscriptionem?* Hæc Augustinus, citans titulum *Ps. 59. in finem ne disperdas.*

Nota Cõversionẽ Procopii ad instar S. Pauli.

& exponens de inscriptione hac non delenda.

Non alienum est ab hoc proposito, quod de S. Procopio legimus. Hic acceperat à Diocletiano mandatum persequendi Christianos, & ideò venerat Alexandriam cum duplici cohorte: & noctu quidam procedebat ob nimium æstum. Cum autem esset in via circa tertiam horam noctis, vehemens terræ motus factus est, cum fulgore terribili, quo omnes quasi exanimati sunt. Vox interim ad eum è cœlo venit: *Quo vadis, & adversus quem tanto impetu concitaris?* Resp. *Imperator me creavit Ducem Alexandriæ, cum potestate ut quoscumque ex Christianis è medio tollam.* Rursus vox ei: *Tu etiam contra me venis:* At ille, *Quis es Domine? Non enim possum cognoscere.* At mox apparet ei Crux crystallo similis, vox que è Cruce. *Ego sum Iesus Nazarenus, Crucifixus, Dei Filius.* At ille. *Si Filius Dei es, quomodò te condemnarunt Pontifices & Præsides Iudæorum? Quomodò ligno crucis sustinuisti affigi, & acetum felleum tibi dari?* Cui vox. *Quia futurus es mihi Vas electionis consilium tibi fuj cepta carnis aperiam. Nisi fuissem traditus, eos qui traditi erant Diabolo non revocassem si non fuissem condemnatus, illis qui erant condemnati non dedissem remissionem. Si non essem ligno crucis fixus, non reformassem eos qui ejus ligni interierunt. Si morte non essem affectus, eos qui morte erant affecti non vivificassem.* Hæc cum dixisset Dominus, divino gaudio eius animum implevit, & ascendens in Cælum, dixit: *In hoc signo quod tibi apparuit, vince hostes, & pax mea erit tecũ.* Ille gaudio plenus, accessit Schytopolim, & clam accersivit aurifices, dicens: *Potestne efficere vas quod vobis dixero?* Illi verò de signaverunt ei vitulum pertissimum, nomine Marcum, & dixerunt: *Ille facict quod volueris.* Introduxit itaque eum seorsum, & formavit ei digito figuram crucis quæ sibi apparuerat, iubens ut simile vas efficeret. Marcum subiit timor, & ait: *Domine, non possum hoc facere, scio enim signum esse Galilæorum, si resciat Imperator, me perdet.* At ille dat jusjurandum nulli se unquam dicturum. Sic persuasus Marcus, ex auro & argento nocte optatam crucem efficit. Cum autem operi finem daret, mox apparent tres imagines cum inscriptione trium nominum: superne *Emanuel*, utrimque infra initiis *Michael & Gabriel*. Cum verò vellet expungere, manus eius manebat arida. Sub gallicinium venit Procopius, & adorans crucem, rogat quæ sint ista nomina & imagines? Respondet Marcus: *Cum absolverem exorta sunt; nec novi, nec expungere potui.* Agnovit ergo Procopius virtutem his inesse, & in suam rediens civitatem, pretiosâ purpurâ involvens hanc Crucem cum adoratione, factus est miles Crucis, ac postmodum Martyr.

Surius S. Iulii, Baronius & alii.

Neanius vocabatur postmodum dictus Procopius.

De titulo Crucis.

An non tibi videtur hic novus Paulus, qui mox cælo docente, didicit Iesum, & nunc Crucifixum? Didicit virtutem signi eius triumphalis, sibi in nocte apparentis, sed noctem erroris ab oculis suis cæcis fugantis. Didicit illum esse *Emanuelem*, hoc est, *Deum nostrum, & Nobiscum Deum*, qui in cruce pependerat, ut cælum & terram conjungeret, & ut simul Deum & Hominem, Angelum que cum homine confœderaret. Ideo in alis crucis apparuit *Michael & Gabriel*, quod interpretamur: *Quis ut Deus; Fortitudo Dei.* Ut hi fuere præcipui ministri Emanuelis, Gabriel incarnationem annuncians, Michael in Passione eum confortans. Propterea & infidelis ille Marcus numquam è cruce delere potuit nomen Emanuelis, nec nomen Michaelis, aut Gabrielis, sicut nec Iudæi perfidi nomen *Iesu Nazareni, Regis Iudæorum.*

Hic certe Titulus est, quem Jacob, qui *exspectabat salutare Dei*, in spiritu adorabat, dum in extremis pene constitutus converso ad Orientem vultu, *adoravit fastigium virgæ Ioseph.* Illa enim virga, Christi crucem, quasi Regiam *virgam virtutis eius*, in typo repræsentabat; & fastigium eius Tabellam verrici affixam significabat, cui osculum & veneration em labens exhibebat, quasi expetens illud: *Expectabo salutare tuum Domine.* Hoc est, *Moriar in fide tua, imo & in osculo tuo, O Iesu Rex Nazarene. Rex meus, & progenies mea!*

Heb 11. Crux Christi virga Ioseph & virga virtutis.

Hen. 49.

Hic rursus est Titulus Diademati & Vertici eius superpositus, in quo gloriatur, in quo & nos secum vult gloriari. De illo in figura dictum est: *Magnificentia illius in Diademate capitis eius.* De illo etiam unicuique dicit, sicut & quondam B. Egmundo: *Hoc erit decus, & memoriale tuum. Hoc mihi nomen in æternum.*

Sap. 18.

In vita S. Egmũdi.

Denique, hic est Titulus qui cœlo & terræ perenabit gloriosus: cui Reges ieeptra, Imperatores diadomata, Pontifices tiaras, Principes purpuram, Bellatores arma, Nobiles sua substernent insignia. Imò Angeli & Seraphim illum adorabunt Titulum, idque in æternum, & Tartarei spiritus ad illum contremiscent: *Conclusisti & signasti abyssum terribili nomine tuo.*

Legamus ergo & nos hunc Titulum devota cũ meditatione: illumque nostris imprimemus cordibus, ut sit nobis scutum contra tentationes,

Manasses in oratione sua.

omnemque inimici potentiam, simulque sit *Decus & memoriale nostrum* Agnoscamus verè *Iesum*, hoc est verè Salvatorem. Orbisque totius Redemptorem. Ideo enim in Cruce pendet, ideo sanguinem fundit ut hanc *salutem operetur in medio terræ* Agnoscamus & *Nazarenum*, hoc est floridum, ornatum, coronatum, omni decore floreque virtutum fulgidum. An non ipse de se dicit: *Ego flos campi & lilium convallium?* Ecce flos in campo patèti, ad quem nemini accessus prohibetur. Ecce Flos florum, qui omnium in se florum perfectionem continet: Flos qui multos flores est productutus, Rosas Martyrum. Lilia Virginum, Violas Sanctorum. Ecce *Flos, qui odorem suscitus reservat, & contritus accumulat, nec avulsus amittit, qui & mortuis æternæ vitæ odorem exhalat* Flos ergo iste Regius omnia florida facit, omnia complet odore: etiã spinas, etiam crucem facit amabilem, ita ut de hac dixerit Sponsa odore eius attracta: *Lectulus noster floridus.* ipsius etiam odorem iam à longè persenserat Isaac, dum dicebat: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

Cant. 2.

Amb. l. 2. de spirit. S. c. 5.

Gen. 27.

Christus lilium Convallium.

Lilium est convallium, ab altissimo cælesti Paradiso in hanc nostram vallem transplantatum. Ipse est instar lilii humana natura candidus, divina aureus, prædicatione odoriferus, charitate expansus, humilitate recurvus. Olilium omnibus ad odorandum expositum. Lilium infinitæ virtutis, cuius splendore fugantur tenebræ, cuius contactu sanantur languidi, cuius odore suscitantur mortui, cuius amore attrahuntur omnes pii. Non verentur hi ad eum accedere, etiam inter spinas. Agnoscamus denique, non solum *Nazarenum*, hoc est floridum; sed esse etiam fateamur Regem nostrum, hoc est *Regem Iudæorum & Israelitarum*, sive credentium & confitentium. Si verè simus Filii Abrahæ & Israelitæ, ipse est Rex noster: nosque hic regere optat per spiritum gratiæ suæ, & dominari in cordibus nostris, tandemque in societatem regni assumere.

Cur Christus inter duos medius pendere non abnuat.

Neque negandum putes hunc Regem esse, qui inter sceleratos reputatus est, & inter duos latrones pendet medius? Æquam Princeps eorũ. Quia ipse quidem inter impios pendere non abnuit, pro quibus mori desiderabat: & ideò inter sceleratos annumeratur in terris, ut Angelorum cœtui nos inferat in cœlos. Ipse inter duos facinorosos pẽder, sed an ut facinorosus? imò ut Iudex sedet medius, uni misericorditer donans vitam & veniam, alteri æternæ mortis decernens sententiam. Atque hic legum iudicii futuri formam demonstrat, in quo bonos à dextris, impios à sinistris collocabit, ut docet S. Leo, & alii, SS. Patres.

Non etiam mysterio caret quod addit S. Ioannes: *Milites cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem.* Erant ergo quatuor milites eum crucifigentes, ait S. Augustin. & multi quatuor etiam clavos infixos putant, ut quisque suum infixerit. Acceperunt & *tunicam quæ desuper contexta erat per totam, & inconsutilis?* nec diviserunt eam, sed sortem miserunt, ut impleretur Propheti *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Hanc inconsutilem tunicam à B. Virgine contextam tradit Euthymius, immò & cum Christo creviſſe creditur, Sic & creverunt cum Israelitis vestes quadraginta annis quibus duxit eos Dominus per desertum, nec attritæ fuerunt. Itaque quasi spolia Regis victi sibi dividunt hi milites cum lascivia & illusione, & partes mittunt cum subsannatione. Hi autem sunt primi duces nostrorum Aleatorum, qui sæpè cum convitiis & blasphemiis huic lusui vacant, dum sua perdunt cum impatientia. Hinc illud: *Ludens taxillis, vide bene quid sit in illis* Attendant & illud: *Væ qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam.* Sed de his alibi.

Psal. 21.

Mysterium porrò dicimus contineri in hac divisione vestium, & in tunicula inconsutili integra permanente. Nam S. Augustinus quadripartitam illam vestem dicit significare Ecclesiam per quatuor orbis partes divisam. Tunicam verò inconsutilem, fidei in omnibus unitatem, quam frustrà conantur scindere hæretici, nec partem in ea habebant, quia sorte sit ut unus eam possideat. Paulò aliter S. Cyrillus l. 12. c. 32. qui dicit in hoc significari, quatuor orbis partibus ad fidem reductis Christi eamem indivisibiliter & impartibiliter cõmunicari in Eucharistia. Divisio ergò vestimentorum partes orbis significat, Tunicæ integritas carnem Christi indivisam & impartibilem communicatam significat. illa est contexta per totum virtute Spiritus sancti ex purissimo sanguine beatissimæ Virginis. Viterius hic aliqui designari volunt unum eundem thesaurum opum & meritorum Christi per omnes partes orbis distributum. Denique, alii per vestimenta humanitatem significari volunt; ideò vestimenta in plurali dicuntur, quia humanitas corpus & animam continet. Hæc secta fuit, quia in humanitate passus est, in corpore & anima. At per Tunicam, quæ est primum & interius indumentum, volunt significari eius divinitatem, quæ non admisit partitionem, quia passio non pervenit ad divinitatem.

Tr. 118.

In divisione vestium, & tunica inconsutili mysteria varia.

Christus variis modis blasphematur.

His peractis. Christum multi prætereuntes blasphemabant, & cum non haberent amplius quo corpus cruciarent, linguis excruciare non desinebant. Primò quidem Judæi moventes caput sacrilegum cum irrisione dicebant: *Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas illud, salva temetipsum Si Filius Dei es, descende de cruce.* Ecce Filii Diaboli imitantur Patrem suum, qui similiter dixerat: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Vbique maligna suggestio. Nec enim, quia Filius Dei erat, descendere debuit de cruce, sed usque ad mortem in illa permanere, ut superando mortem illud alium præberet: *Ero mors tua, O mors,* Nec descensu de cruce, sed accessu de sepulchro

Oseæ. 13.

Matt.12. se Filium Dei debebat ostendere. Si adhuc *generatio prava & adultera signum quærit: non ei dabitur signum nisi Iona Propheta.* Hinc S. Leo sic eos alloquitur: De *quo erroris fonte Iudæi talia blasphemiarum veneri potastis? Quis vobis Magister tradidit, quæ doctrina persuasit, illum Regem Israel credere, aut Filium Dei, qui se crucifigi non sineret, aut à confixione liberum corpus excuteret? Non hoc vobis legis testimonia: aut Prophetarum ora cecinerunt. Non legistis, Dominus descendit de cruce, sed Dominus resgnavit à ligno.* Hæc S. Leo. Addit S. Hieronymus in eandem sententiam. *Quid plus est, de cruce adhuc viventem descendere, an de sepulchro mortuum resurgere? Resurrexit, & non credidistis; & si descendisset, non credideretis.*

2. Non solum Iudæi de communi plebe hæc blasphemabant, sed & Principes Sacerdotum cum Scribis & Senioribus, dicentes ad invicem cum irrisione: *Alios salvos fecit, seipsum non potest.* Quibus dicimus: Si alios salvos fecit, non debuit ut malefactor puniri, sed ut bene factor remunerari. Ecce nihil est potestis improperare, ô impii nisi quod sanctum est & divinum, mortuos suscitasse, ægros, sanitati restituisse, mira operatum esse: an non magis id congruit eius exaltationi, quam opprobrio? Si alios salvos fecit, potuit & seipsum, sed noluit se salvum facere, ut alios salvos faceret, lytrum pro eis solvens, & in victimam se offerens.

3. Milites quoque ei improperabant, alludentes ad titulum Pilati: *Si tu es Rex Iudæorum, salvum te fac.* Denique & latrones, aut saltem unus illorum, eum blasphemis afficiebant. Ecce quomodò Christus pro nobis factus est *in signum cui contradicitur* & quasi *signum ad sagittam* omnis impiæ linguæ. O admirandam patientiam, inter blasphemias pendentis in cruce, cui acclamatur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus* in cælesti sede.

LECTIO XIII.

De Septem Christi Verbis in Cruce.

Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt,

De Primo Verbo. *Septem sonos in Cruce Christus edidit. Primus. est compassionis & misericordiæ.*

Christus velut Cythara aut Lyra sonora in Crucis ligno distentus fuit, membris nervisque omnibus protensis chordarum instar: ideo septemplicem ibi edidit sonum, piis auribus animisque attentis excipiendum.

Primus sonus fuit compassionis & misericordiæ erga suos crucifixores. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Non habet ubi quiescat in hoc durissimo crucis lecto, angustiis & doloribus undique contectus. Oculos interim in cælum erigit sanguine & lacrymis madentes, vocemque ad Patrem dirigit: non ut ignem de cœlo advocet, suæ ultorem iniuriæ ac necis crudelissimæ; sed ut illum suis potius exinguat lacrymis, & pia precetur suam sentit injuriam, non attendit pœnam: sed his à quibus patitur, compatitur; à quibus vulneratur, medetur, vitam procurat à quibus occiditur; orat pro eis, non petit ultionem: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam:* Nō habet alia arma, ut se ulciscatur, nisi ipsam charitatem. In lectulo amoris constitutus, iuspsius oblitus, propriæ vitæ salutem lubens præfert aliorum, puro amore eorum, ideo inclamat: *Pater ignosce illis,* Habent emphasim singula verba. Idem enim est, ac si diceret: *Ps.108.*

Emphasis verborū Pater ignosce illis varia.

1. Non clamo ad te, ut ad severum Iudicē; sed invoco, ut benignissimum Patrem: & per Paterni nominis suavitatem, perque amorem & obedientiam, quam tibi exhibeo ut Patri, obsecro, *Pater ignosce illis.* 1.

2. Sanguis Abel quondam ad te clamavit. Vindictam advocans è cœlo & Iustitiam: Sanguis meus implorat Misericordiam; *Pater ignosce illis.* 2.

3. Spinæ verticis mei, Clavi manus pedesque transfigentes, singulaque corporis mei Vulnera, tot sunt linguæ, torque ora aperta, quæ subliminter ad te clamant; *Pater ignosce illis.* 3.

4. Lacrymas offero in compassionem, dolores in satisfactionem, sanguinem in ablutionem, animam & vitam in pretium & redēptionem; & hæc omnia eandem hanc vocem repetunt; *Pater ignosce illis.* 4.

5. Appello à sententia crudelis vindictæ, quam super se pronuntiarunt, dum dixerunt: *Sanguis eius super nos.* Hanc cupio rescindi in Throno tuæ misericordiæ, ut sit sanguis meus *Sanguis fœderis, quo Moyses asperxit populum,* non sanguis ultionis: & ideo hanc vocem emitto? *Pater ignosce illis.* 5. *Exod.24.*

6. Ebo pro illis ex amore patior, tu mihi & illis tota benignitate compatere: & licet necdum tibi ex imo cordis pœnitentiam offerant, ego pro illis gemitus & suspiria ex præcordiis educo, quæ singula dicunt: *Pater ignosce illis.* 6.

7. Ego pro me oravi in Horti angustiis constitutus ut transferret à me *Calicem passionis,* sed sub conditione rogavi. Nunc absolute obsecro, ut ab eis auferas *Calicem damnationis:* quia hæc est vox plenissimæ meæ & extremæ charitatis: *Pater ignosce illis.* 7.

8. Hodierna dies, remissionis est dies, tempus universalis Iubilæi, hora sacrificii valoris infiniti, hora redemptionis copiosæ, solutionis perfectæ, dies triumphi mei quo parcendum effereis, dies quo aperiuntur Fontes salutis. Omnia hæc tibi continua resonant voce. *Pater ignosce illis.* 8.

Grandis portò petitio, ut Pater obliviscatur, & non puniat necem vicini Filii sui. Sed ipse Filius petit, ipse Sacerdos, ipse Victima. Clamant ad Patrem vulnera, dolores, ac omnia membra. Clamat humilitas, patientia, charitas. Hæc omnia prævalent, & plus ponderant, quam eorum iniquitas apud Pat. ē. Imperat ergo Filius, quia primo pennō,

Effectus primi vulneris Christi.

sit in crucem acta. Pater enim vi huius orationis aperuit fontes misericordiæ, & omnibus volentibus reverti remissionem obtulit, & donum specialis gratiæ.

Primo, hinc factum est, ut multi revetterentur percutientes pectora sua. Nam & Centurio, & Latro, & multi cum illis vi hujus orationis obtinuerunt gratiam compunctionis & remissionis, ipso abluti sanguine quem fuderant; quia factus est eis *Sanguis propitiationis*, intercedente hac voce Mediatoris.

2 Leo. ser. de Pass.

Secundo, vi huius orationis multa millia crediderunt in die Pentecostes, teste S. *Leone* sic dicente: *De virtute huius orationis factum fuit, ut prædicatio S. Petri Apostoli ex his qui dixerunt, Sanguis eius super nos & super filios nostros multorum converteret corda ad pœnitentiam & una die baptizarentur tria millia, fieretque omnium cor unum & anima una paratorum pro eo mori quem poposcerant crucifigi.* Ita S. Leo.

3 Cypr. ser. de Pass.

Tertio dicit S. Cyprianus, propter hanc orationem dilatum fuisse per quadraginta annos supplicium Iudæorum, ut possent pœnitentiam agere, & consequi remissionem.

4.

Quarto, hæc oratio impedivit creaturas omnes, ne mox se erigerent ad vindicandam necem impiissimè Creatori inflictam.

Cur ignoscei petat Christus, cum ipsumet habeat potestatem ignoscendi.

Sed numquid Christus habebat potestatem ignoscendi? Cur ergo non dicit sicut Magdalenæ, aut Paralitico: *Remittuntur tibi peccata?* Respondet S. Chrysostomus. Dixerat quondam, *Orate pro persequentibus vos*; id Crucem ascendens facit, ut & pro illis doceat nos orare, non solùm verbo, sed & opere. Ergo hunc fructum sugamus ex hac oratione.

De hac re sic loquitur B. P. Damiani. *In ligno, spinis, clavis, lancea affixus & crucifixus, dissimulat illum unicum dolorem, & obliviscitur mortis vicinæ: novum introductorus exemplum, aperit latitudinem charitatis, & apertiori campo terminos tradita legis amplificat, non iam solùm amicus amicis sed velint nolint amicus pariter inimicis. Non potuit ineficax esse oratio morientis: unde & inimicorum numerositas transivit ad numerum amicorum.* Hæc B. Petrus Damiani sermone de S. Stephano. Nempè & hoc exemplum Christi imitatus est Stephanus, Iacobus Apostolus, Paulus, & alii Martyres, qui etiam in morte constituti oratunt pro suis persecutoribus non sine efficaci conversione eorum. Hæc est enim propria virtus sanguinis Christiani, animis inimicorum veniam implorare; ex imitatione ipsius Christi, qui pro sui sanguinis mercede conversionem inimicorum petit à Patre.

2. Psal. 84.

Procul ergo à Christo Iesu vox illa sanguinis Zachariæ, VIDEAT DOMINVS, ET REQVIRAT. Procul severitas Eliæ, ursos immittentis in pueros sibi insolamantes. *Ascende calve.* Procul rigor Eliæ, ignem de cœlo evocantis super quinqua-

4. Reg. 2.

ginta milites, & eorum Ducē, quia dixerat: *Homo Dei, Rex præcepit, descende.* Longè graviora opprobria & maledicta in Filium Dei iactantur, & cum ludibrio & consultatione dicitur ei: *Descende de Cruce.* At his convitiis hanc vicem rependit, hanc quæ vocem: PATER IGNOSCE. Legem perfectæ charitatis inscribit Tabulæ Crucis, & ideo nō inventes in ea aliud scriptum in quatuor eius partibus, quam illud IGNOSCE ILLIS. Sive respicias supra, sive infra, sive à dextris, sive à sinistris, illud ubique legere poteris exaratum lachrymis & sanguine, IGNOSCE ILLIS: ut & tu discas ignoscere, atque ut tibi ignoscatur humiliter exposcere. Hoc inscriptū gerunt manus, hoc pedes hoc latus, hoc facies, hoc oculi hoc cōcinni vertibus, hoc lingua divini sui oris. Nunc ergo apertius declaratur quod olim Eliæ in monte præostensum fuit *Non in commotione Dominus, non in petrarum confractione, non in igne sed in sibilo auræ tenuis, in spiritu & voce lenitatis & amoris.* Operiat pallio & pudore vultum suum, quisquis adhuc agitatur spiritu vindictæ, audiens vocem hanc Christi Domini in Cruce Ecce ipse stat, instar Moysis, *in confractione, in conspectu Dei* & Patris, toto confractus corpore, *ut avertat iram eius*, quam in suum caput accersit, quisquis cupit ultionem, confractus corde.

3. Reg. 19

Psal. 105.

De secūdo Verbo.

Secūdus sonus est suavis & gratiosus

Abbas Arnaldus l. 6. Biblioth. SS. Patrum.

SEcundus sonus est iste: *Hodie mecum eris in Paradiso*, sonus utique suavis & gratiosus peccatores omnes ad divinæ gratiæ throno accedēres concernens & animans. Hic enim Christus manifestum omnibus voluit, nullius peccatoris seram esse pœnitentiam, si seria sit: *Non arctatur numero, non claudiur fine, nullas habet metas divina Clementia, sit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat. Non huic pœnitenti multorum annorum ieiunia imponuntur, non sacco indui iubetur aut cilicio, simul & confitetur, & iustificatur, & glorificatur. Multa antiqua peccata illico abolet gratia, nec processu mora quæ temporis indulgentia limat colliditque culpæ rubiginem: Sed statim Spiritu Sancto illabente siccatur fœda tabes, nec ullum superest fœditatis vestigium vulneri, quod misericordiæ abluit lavacrum.* Tria igitur hic observatione digna sunt.

NOTA. I Magnam latronis fidem.

Primum est Latronis fides & conversio admirabilis. Fides quidem, dum dicit: *Domine memento mei dum veneris in regnum.* Pondera singula. *Dominum* vocat, quem tanquam maleficum videt pendentem in infami patibulo, spinis & clavis miserrime confixum. *Regem* agnoscit, quem videt in cruce morientem, cujusq; regnum ab omnibus cernit irrideri & sannis excipi. Salutem abeo ut Rege postulat, quem infirmum intuetur, & cui cum illusione & opprobrio dicitur: *Salva temetipsum.* Denique agnoscit *Regnum Iesu non esse de hoc mundo*, sicut dixerat Pilato, sed esse supra mundum & cœleste omninò, nec illius consortium dari in hac vita, sed aliam esse vitam post hanc, in qua illo fruendum sit. Itaque insigniorem notitiam

habet

habet de Regno Dei, quam Apostoli, qui temporale aliquod Regnum Christi expectabant. Firmiorem quoque fidem habet, quia eum Regem & Dominum, Deumque confitetur, dum negat eum Petrus, Judas vendit, discipuli fugiunt, non ausi confiteri. Sic testis est maiestatis, socius licet calamitatis; & palam profitetur Regem, quem cernit supplicii sui consortem. Cum fide autem grandis spes jungitur & fiducia, dum ab eo expectat salutem, qui ad extremam adactus est necessitatem; dumq; post totam vitam in latrociniis exactam in vitæ extremo, & quasi in inferni faucibus existens, nihilominus sperat. O magnam fidei speique vim etiam in extremis! Patescit quoque perfecta conversio & pœnitentia cum humilitate coniuncta. Non enim audet petere regni consortium, sed eum humilitate & contritione cordis dicit; *Memento mei*, ut vel saltem particeps fiam micarum cadentium è mensa tua, instar catelli, dum assederis regiæ mensæ tuæ in regno tuo. Simul confitetur delicta sua, dum se digna factis recipere prædicat; odiumque peccati, tum sui, tũ alieni, ostendit, dum redarguit socium impœnitentem: ipse verò in partem pœnitentiæ lubens crucem patitur, & defendit gloriam & innocentiam Domini: *Hic nihil mali gessit.* Quæ quidem defensio ex Christi amore processit. Quid ultrà ad veram pœnitentiam requireremus? Quinin ò ex sententia S. Cypriani S. Augustinus vocat eum Martyrem, l. 1. de anima c. 3. ubi ait: *Latro ille non ante crucem Domini sectator sed in cruce confessor, de quo præiudicium quanàoque captatur contra Baptismatis Sacramentum, à S. Cypriano inter Martyres computantur, qui suo sanguine baptizantur. Tanto namque pondere appensum est apud eum qui hoc novit appendere, quod confessus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus. Tunc enim fides eius de ligno floruit, quando discipulorum marcuit. Illi enim desperaverunt de moriente, ille speravit in commorientem. Doluerunt illi tanquam hominis mortem, credidit ille regnaturũ post mortẽ.* Hæc S. Aug. Sed quicquid sit hac de re, an baptizatus fuerit baptismo sanguinis, quia non fuit baptisatus, baptismo fluminis, qui necdum erat necessarius; baptizatum rectè dixeris baptismo flaminis, hoc est, gratia Spiritus S. qui ubi vult spirat, & cõpunctionem ingenerans, omnia crimina mox suo abolet ac abluitque lavacro.

Latro hic maiorem fidem habet quam Apostoli.

Perfecte latro cõversitur

Latro an baptizatus.

Sed quæres, undenam occasio Latroni adeo subitæ conversionis, & rãtæ fidei? Respondet S. Vincentius Feterius, ipsum ad dextram fuisse Christi collocatum versus Aquilonem, & ideo in meridie umbram corporis Christi obumbrasse illũ & virtute illius excitatũ fuisse ad conversionem. An nõ umbra Petri sanabat ægros? Quidni & Christi umbra ad conversionem inducere posset impios, de quo scriptum est: *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus.* Huc etiam applicari posset illud, *Domine, Domine, virtus salutis mea, obumbrasti super caput meum in die belli.* En gratiarum actio pro felici obumbratione. Additur autem ibidem: *Dixi Domine, Deus meus es tu, exaudi Domine vocem deprecationis mea.* An nõ hæc vox deprecationis; *Memento mei dum veneris in regnum tuum?* Certè non defuit huic latroni obumbratio, saltem interna efficacissima, ab illo qui extendit alas in cruce, in die belli, ut sub velamento illarum colligeret pullos suos sicut Gallina, & illos vivificaret sicut Pelicanus, non solum pennas extendens, sed & sanguinem fundens. O felix umbra, sub qua vivit, quicumque vivit! De hac etiam scriptum est: *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.* Sed dicamus cum SS. Patribus commotum fuisse hunc latronem, visa inaudita Christi patientia, qui cum malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur, sed ut Agnus mansuetissimus se in victimam offerebat; visa quoque in hostes charitate & benignitate admirabili, ac audita eius oratione qua Patrem pro illis lachrymis deprecatus est: *Pater ignosce illis.* Hæc omnia eius commovere potuerunt viscera, Christo tamen specialiter operante, & illuminante interiùs. Quapropter hac de re sic rectè quidam ex sacris Scriptoribus. *Hæc repentina mutatio est dextera Christi, ad quam ille pendebat. Hanc fidei lucem non aliunde accepit, quàm ex lumine illo in candelabro crucis posito, Diu quidem hoc divinum lumen sub humanitatis modio latuit: sed nunc demum in crucis candelabrum sublevatum est, ut quotquot in Ecclesia domo sunt, hinc illuminentur. Sciderunt hunc modium ludæi pluribus in locis, & cepit lumen per rimas effundi, ita ut domus tenebrosa quæ propè erat, ex radiis illius illustrata fuerit. Planè lucebat & ardebat hic ignis ille quem Dominus venit mittere in terram, & misericordiæ perfusus oleo, probrisque & blasphemiis ludæorum, ceu flatu quodam agitatus, flammas dabit in cœlum, quibus Latro iste totus accensus est, & velut suorum immemor cruciatuum totus erga Dominum compassione commotus.* Hæc ille.

Vnde latronis tã subita cõversionis & fidei occasio. Resp. 1. Theren. 2.

Psal. 139.

Psal. 90. Resp. 1.

Blosius Margaritis spirit. c. 16.

Secundum hîc est notatione dignum, ut observat S. Ambrosius, *Dominum semper plus tribuere, quam rogatur.* Rogat ille ut Christus memor sit aliquando sui, cum venisset in regnum suum. Dominus nõ post aliquot dies id solicetur; sed *hodie* inquit, nec tantum se memorem fore dicit, sed asserit ei consortium regni & visionem gloriæ suæ per Paradisum significatam. O benignitas admiranda! Is qui mutus erat & surdus ad convitia, aperit hic aures os que suum, & precantem tali signum judicat promisso, quali necdum quem piam honoratat, uberiorem efferens gratiam, quam petebatur. *Quid amplius*, inquit Cyprianus; *Stephano cõtulisti? Quid amplius Pauli meruere sudores? Quid labores Sanctorum? Quia tot annorum tormenta? Vna hora collatum est ei præmium, ad quod illi per tot discrimina pervenerunt.* Qui tulerunt pondus

Nota. Deus supra tribuit, quam rogatur.

dei & æstus necdum sunt ingressi, qui undecima venit horâ, ingreditur. Nempè opportunè accessit, quando Flammeus Gladius à Paradiso removebatur; quando Scala Crucis erecta erat, qui ascendebatur in Cælum; quando Clavis David portas omnes & omnia impedimenta reserabat. Immò ingressus est per fenestras sapiens Latro, quia illæ jam apertæ erant; per vulnera ascendit Salvatoris, & duplicem rapuit thesaurum, præsentis gratiæ, & futuræ gloriæ. Ante si mavis, ipse prima præda fuit Christi, cui nomen apud Prophetam est, *Velociter spolia detrahe, festina prædare*; prima, inquam præda in cruce. Quia de Christo in crucem ascendente prædictum erat: *Catulus Leonis Juda, ad prædam ascendisti Fili mi.* O felix præda! O felix prædo! Hæc est prima gloria Crucis, Latronem non solùm facere consortem gloriæ regni, sed & primum designare possessorem: *Abilla altitudine præmium fidei datur in qua chyrographum humanæ transgressionis aboletur*, inquit S. Leo, *& promissio illa non tam de ligno Crucis quàm de throno editur potestatis.* Is qui antea precabatur ut homo Patrem pro peccatoribus, nunc tanquam Deus, non solum condonat peccata, sed suum etiam donat Paradisum, & divinæ gloriæ consortium.

Latro prima Christi præda. Isa. 8. Gen. 48.

Tertiũ notatu dignum est, quod unicus è duobus salvatur, imo inter totibi existentes uni tantum dicitur: *Mecum eris.* O altitudo divitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei, *quàm investigabiles sunt viæ ejus!* Ecce ibi Tribunal Judicis, unus salvatur, figura electorũ; alter reprobatur, figura damnandorum. Ecce *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto*, & inclinans ex hoc in hoc. Latroni uni porrigit dulcem salutis potum, alteri damnationis liquorem defæce peccatorum. Ecce Joseph inter duos socios, quorum unus educitur ad suspendiũ, alter ad regium epulum. Ecce verum est. *Duo erũt in lecto, duo in agro, unus assumetur, alter relinquetur.* Nemo ergo præsumat; sed nemo etiam desperet.

NOTA. *Unus è duobus salvatur &c. Rom. 11.* *Ps. 74.* *Gen. 40. Mat. 24.*

Semei occurrit Davidi in die victoriæ, & ait: *In die qua egressus es, Domine mi Rex, de Jerusalem, agnoscet servus tuus peccatum meum; & ideo primus veni in occursum Domini mei Regis.* Maledixerat ipse prius Davidi, sed nunc benedicens consequitur veniam, ob diem trophæi; sed secũdo ad tempus, quia eum per Salomonẽ jussit postmodum David puniri. Maledixerat & hic Christo, secundùm nõnullorum sententiam, cui non parum favet Evangelicus textus in plurali dicens, *Blasphemabant eum latrones.* Sed mox agnoscens peccatum suum, venit in occursum Regis & Domini sui primus; & ideo meretur veniam & gratiam, non solùm ad tempus, ut Semei, quia *Misericordia & veritas Domini manet in æternum*: non ita hominum, quia & de his conqueritur Dominus: *Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens.*

3. Reg. 19. *Osee 6.*

Hic est tertius nostræ Cytharæ sonus: *Dicit Matri suæ, Mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua.* Sonus utique Matri & Filio dolorosus, qui utrisque animã pervasit, quasi gladius biceps & bis acutus. Aderat ibi Mater, dolores Filii cõsiderans, fixis in eum corporis & animæ oculis, modò sacrũ caput spinis transfixum; modò cruentos pedes; modò manus benedictas; clavis perforatas: Singulaque vulnera, tot cordis ejus erant vulnera peracerba, quia, teste S. Bonaventura, in corde ipsius erant unita, quæ per corpus Filii erant sparsa. Ibi ergo cor ejus fuit flagellis conscissum, clavis penetratum, spinis confixum, lancea vulneratum. Ibi viscera materni omni fuere amaritudine repleta, ita ut posset dicere: *Nolite me vocare Mariam*, hoc est instar stellæ lucidam; *sed vocate me Mara*, hoc est amaritudine plenam. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.*

De tertio Verbo. *Tertius Christi in Cruce sonus. V. Matri dolorosum.* *Thren. 3.*

Potrò erat dolor etiam acerbissimus Filii, videre sic afflictam Matrem. Convertit ergo oculos ad eam, sanguine immadentes, ut contemplaretur faciem ejus lachrymis irriguam: immò cor suum convertit ad cor ejus gladio doloris transverberatum. Duplex hic certamen oculorum & cordis in Jesu & Maria, per reciprocum amorem & intuitum. Oculi Jesu uno eodemque tempore festinabant ad mortem, & sese retorquebant ad Matrem. Vis mortis jam eos claudebat ad defectum: vis amoris eos aperiebat ad dilectissimæ Matris aspectum. Illa è contrà plena singultibus superfusa doloribus, corde ad cor loquebatur; & oculos sursũ tollebat ad atrocia vulnera, & ad oculos sanguineo rore fluidos Filii morientis, simul & respicientis. Sic sacri amoris certamine sese mutuò vulnerabant, & quasi ardentibus sagittis præcordia invicem penetrabant, non sine acerbissimo dolore: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.*

Afflictã videre matrem Christo acerbissimo dolori erat.

Dicit itaque Christus ad Mariam conversus: *Mulier, ecce Filius tuus.* Non dicit, *Mater*, quia hoc verbum magis vulnerasset cor Matris, inquit S. Chrysost. aut certe nec ex hoc verbo voluit ipse solatium aliquod acciperet. Deinde hoc verbo, *Mulier*, significat ipsam esse Mulierem illam per excellentiam, de qua in Genesi: *Inimicitias ponam inter te & Mulierem; de qua* etiam Salomon: *Mulierem fortem quis inveniet? Non extinguetur in nocte lucerna ejus.* An non id de Maria verum est? Mirabilis interim mutatio, dum pro Filio Dei subsțituitur ei Filius hominis, pro Domino servus, pro Magistro discipulus, cui etiã dicitur: *Ecce Mater tua.* Atque hic quoque mysterium cõtinetur, quia nos omnes in persona hujus discipuli Mariæ à Christo commendamur ut Matri; omnibus nobis ab eo dicitur: *Ecce Mater tua.*

Cur dixerit Christus Mulier, & non Mater. *Gen. 3.* *Prov. 31.*

Hoc quoq; notãs S. Patres, quod Joanni specialiter per illa verba adoptiva filiatio contigerit, ita ut Christus divinam quandam virtutem his verbis con-

S. Joanni per verba Christi adoptiva contigit filiatio.

contulerit, ut imprimerent cordi Virginis singulare quendam amorem maternum in Ioannem, fortiorem quàm natura matribus inserit: & reciprocè viscetibus Ioannis reverentiam filialem, qualem nec naturales Filii fortiuntur: Arnoldus Abb. lib. 6. Bibl. SS. PP. *Transfunditur in Ioannem filialis affectus, formaturque, & confirmatur in ambobus pietatis unica gratia concorsque complexus, non ex traduce naturæ, sed ex munere gratiæ.*

S. Ioannes hæres virtutū & dolorum B. M.V.

Sicut porrò Ioannes adoptatione speciali Filius fuit Virginis; ita hæres quoque factus est virtutū eius. & dolorum. Nihil aliud Virgo possedit pro divitiis nisi crucem Iesu, & amorem ardentē, cum humilitate, patientia, puritate eminente conjunctam. Hæc etiam fuit hæreditas Ioannis, hæ ejus divitiæ. Nempe *si Filius & hæres.* Si Elisæus in Filium spiritualem adoptatus ab Elia, eius spiritum duplicem participavit: similiter & Ioannes spiritum Christi & Mariæ. Et certè singularis eius usque ad crucem fidelitas, meruit *ut partem haberet extra fratres:* propterea constitutus est à Domino Defensor domus suæ, Custos Sacratissimi Tabernaculi, Tutor Virginitatis & pudoris Mariæ, Testis integritatis, Coadjutor laboris, Consolator doloris, Consors pietatis.

Sic & alii compatientes Ludol. 2. p. vitæ Christ. c. 63.

Huius etiam pietatis consortes sunt, quicumq; cum ea juxta crucem cum compassione stant. Audi exemplum ex Ludolpho à Saxonica. Extat, inquit ipse, cuiusdam Religiosi mirandus hic fervor & devotio in hæc verba: *Ecce Mater tua.* Dum enim hæc mente volueret, solitus erat ita in lacrymas solvi, ut annos ferè vigiuti lacrymis perpetuis cōsumeret, quæ sæpe in potum ei serviebant. Vnde quoties memoriam Passio Christi subibat, & pervenerat ad hæc verba, obrutus lamentis has Matri dabat voces: *Ecce Mater, qualiter pendet Filius tuus.* Tum Filio: *Ecce Mater tua lacrymosa & dolorosa; vide Fili, quomodo stat tota derelicta Mater tua.* Hæc Ludolphus.

Vide Latius Blosium Monil. c. 1.

Refert quoque Blosius Abbas Monil. spirit. c. 1. quendam virū potentem in sæculo sexaginta continuis annis nunquam fecisse bonam confessionē; at in extremo tandem morbo, urgente S. Brigittā, & Confessarium suum ad ipsum mittendo divino instinctu, vitæ præteritæ tandem agnovisse errorem cum compunctione, & lacrymis, ac integra confessione. Sexto exinde die defunctus est, de quo postea Dominus ad sanctam Brigittam: *Ille non descendit in infernum, sed venit ad Purgatorium propter contritionem & confessionem. Bonitate mea quæ usque ad ultimum punctum expecto hominis conversionem; & meritis Matris meæ, cuius doloribus vivens ille compati solebat, salutem invenit.* Vide ergo quomodò compassio erga dolores B. Mariæ prosit ad salutem & paudium sempiternum. De hac re plura *Lect. 15. infrà.*

De quarto Verbo 4. Sonus

QVartus sonus Citharæ nostræ dolorosus, est iste: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Hæc derelictio non consistebat in hoc quod Verbum reliquerit humanitatem, ut dixerunt hæretici *Eutychiani.* Numquam enim Divinitas ab Humanitate separata fuit, hoc est ab anima, vel corpore, etiam in triduo mortis. Si enim consolationem subtraxit in fine, non separavit unionem. Si dereliquisse visa est auxilio, hypostatico iuncta manst vinculo. Non etiam hæc derelictio in hoc consistebat, quòd Christus desperaverit, ut blasphemat *Calvinus.* Quomodò enim desperaret, qui semper actualem possessionem beatitudinis tenebat? quique in manus Patris spiritum commendabat? Derelictio ergo illa in duobus cōsistit. *Primo*, quia permittebat eum Pater tantis tormentis affligi, quasi non foret Filius Dei, In nulla enim re vel ullum solamen poterat reperire, Caput non potuit Cruci inniti sine novo dolore ex spinarum transpunctione, Manus & brachia non valebant supportare corpus sine tormentorū duplicatione. Nec pedes id poterant sine vulnerum dilatatione. Quapropter undique perafflictus nos sic alloquitur viatores voce Prophetæ: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus.* Thre. 1. Ad Patrem autē cum lacrymis voce magna inclamat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiste me?* Quasi dicat: Omnes Martyres in tormentis suis solamen aliquod habuerunt, me verò Filium tuum naturalem sine ullo solatio sic derelinquis? Denegas Filio quod servis impendisti? *Ad te clamaverunt Patres nostri, & non sunt confusi.* Psal. 21. *Ego autem vermis, & opprobrium hominum*, Vitque dolorum omnium, ad te clamo, & non exaudis? Clamabo tamen, *& non ad insipientiam mihi.* Clamabo cum Propheta: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aqua usque ad animam meam.* Psalm. 68. Clamabo ut Ionas: *Proiecisti me in profundum, abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum. Et ego dixi: Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.* Ionæ 2.

Christus in Cruce dolorosus ipsi Christi.

Derelictio Christi in duobus consistit, Ie

Secundo, derelictio in hoc consistit, quòd ipsamet divina natura in Christo, reliquit humanam naturam sine ullo solatio, permittens eam in agonia, omnibusque angustiis ab horto usque ad crucem, in qua sustinebat ipse omnium Martyrum dolores, & quæcumque electi Dei unquam sustinuerunt. Voluit autem hanc derelictionem exprimere hac sua voce, ne quis putaret inter tot atrocissima tormenta eum divina frui consolatione; qua vel tolleretur, vel minueretur acerbitas. Simul voluit his verbis ostendere, nullam ex parte sua esse derelictionis causam, *Posuit in eo iniquitates omnium nostrum.* Nō ergò in Christo ignorātia, non impatientia fuit; sed clamat ipse instar parturientis, qua in lecto crucis pariebat filios spirituales non sine vehementia doloris, nemine cooperante ad sublevamen, ideoque singuli filii eius insigniti, possunt hoc eodem nomine quo posterius filius morientis Rachelis, BENONI scilicet, id est, *Filius doloris mei.*

Isaiæ 53.

Interim, ô benignissime Domine, non est necesse venire Angelum, qui tibi causam exponat, cur derelinquaris, aut qui te confortet, ut in horto. Hinc ego expromo, ad consolationem meam, & ad compassionem tui. 1. Hoc factum est, ut immensam charitatem in me declares. Quia ego Deum meum sæpe dereliqui, elongans me, ideo derelinqueris à Patre satisfaciens pro me 2. Hoc factum est, ut per te electi tui derelinquerentur in tormentis, sed consolatione per te abundarent. 3. Hoc factum est, ut per hanc derelictionem etiam consequereris ne unquam nos derelinqueret misericordia tua, dum ad te clamaremus. Quia dixisti per Prophetam, *Non vocaberis ultra, Derelicta.* Mereat ergo per hoc Domine, *cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me, nec proicias me in tempore senectutis, & necessitatis*; sed possim semper dicere: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Ita effice, ut usque ad ultimum vitæ halitum numquam derelinquam te, possimque dicere sicut filius Eliæ; *Vivit Dominus, vivit anima tua, quia non derelinquam te.* Sequar te quocumque ieris, etiam per spinas, clavos, cruces, per qualcumque afflictiones. O felix tua nunc derelictio, quæ me am impedit, aut reparat, derelictionem infelicem!

Cur Christus à Patre dereliquatur. *Resp. 1.* *Resp. 2.* *Resp. 3.* *Isa. 62.* *Psal. 70.* *Psal. 22.* *4. Reg. 2.*

Cæterum notat Evangelista, Christum sic inclamasse circa horam nonam, atque prius tenebras factas esse ab hora sexta usque ad horam nonam, Sole retrahente radios suos. Hoc fuit signum rei divinæ in abominationem sceleris Iudaici, in testimonium quoque gloriæ illius quem ipsi noluerunt agnoscere, denique & hic fuit symbolum cœcitatis admirandæ eorum, quàm voluit nisi rivos producere sanguinis, quibus & & ipsæ creaturæ insensibiles condemnant, compatientes Creatori. Subtrahit ergo se Sol, ne lumen tanto sceleri videretur commodare: sed illud execrari; simulque designat illum Solem occidere qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, eiusque luce mentes Iudæorum destituendas esse. Sic cæcitas in animis Ægyptiorum externis tenebris crassissimis & ostensa fuit & vindicata. Verisimile autem est in istis tribus horis tenebrarum, stupefactos obstupuisse hos qui circa crucem insolenter se gesserant, quia nihil dictum nunc legimus, aut à Iudæis cruci astantibus, ut à Domino in cruce pendente. Impletum igitur illud fuit: *Impii in tenebris conticescent* Sic & apud Ægyptios silentium magnum fuit in tenebris illis triduanis, quæ harum tenebrarum typus fuere. Quod si quæras, quid tunc egerit Dominus? Rectè dixerimus, Patrem pro se & pro nobis orasse in silentio, & supremi Sacerdotis partes egisse sublimi modo. Cum autem instaret tempus quo spiritum erat traditurus, ne putaretur iam mortuus, sed agnosceretur adhuc vivus, clamavit voce magna, *Deus meus, Deus meus, &c.*

Nota. *Vide Cornel. in Matth. cap 3.* *Concord. 1. Reg. 1.*

QVintus Cytharæ nostræ extensæ sonus est iste: SITIO De quo Evangelista: *Sciens Iesus omnia quia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.* Debebat nempè compleri illa scriptura Psalm. 63. *In siti mea potaverunt me aceto* Vehemẽs porrò erat ista sitis, quæ & oraculis Prophetiis prædicta erat, & voce Christi iam propè morientis specialiter exprimi debebat. Proveniebat autem ex eo quod totâ nocte & die sine quiete ulla fuerat huc illuc tractus, non sine discruciatione & exsiccatione totius corporis; nam nec ullo lequore refectus fuit à cœna præcedentis diei. Deindè ex eo quòd maxima pars sanguinis eius exhausta fuerit per vulnera sua, tum in flagellatione, tum in coronatione, tum in baiulatione crucis, & in ipsa crucifixione.

De quinto Verbo Quintus extensi Christi in Cruce sonus. Psal. 63. Christi sitis unde provenerit

Cum verò in toto corpore gravissima toleraret tormenta, in capite spinas, in manibus & pedibus clavos, quid est quod solum loquitur de hac siti?

Cur Christus multa patiès de sola siti loquatur.

Primo, quia illi corporis cruciatus patebant, hic latebat. *Secundo*, quia voluit notum esse se pati in lingua & palato pro primi peccati dilectatione. Illud inceperat in dulcedine pomi in Paradiso: ita finem accipit in amaritudine felis in crucis horto & ligno. Sitit ergo Christus, ut pro peccato gulæ satisfaciat, quod in Eva & Adamo præcessit. Sitit ut nos à siti liberet æterna, quam sine ulla aquæ guttula patitur cpulo in tormentis.

Resp. 1, 2,

Poterat ut Samsone, è mandibula, hoc est è cruce aquam educere. Imò ipse Petra erat, Petra Moysis, quæ bis percussa (gemina percussio per Virgam Moysis crucis duo signa signabat) aquam ad refocillandum dare poterat: Sed charitas eius non voluit nisi rivos producere sanguinis, quibus & nostra peccata purgaret, & sitim in nobis maligam extingueret. Quadruplici siti laborant homines huius sæculi, siti morbida & malesana: Prima est ambitionis: de qua Isa. 5. *Nobiles eius interierunt fame, multitudo eius siti exaruit.* Secunda vindictæ, de qua Isa. 25. *Quasi turbo impellens parietem, & situt asinus in siti.* Tertia est divitiarum, ita ut sint similes sanguisugis: *Bibent sitientes divitias eius,* Iob. 5. Quarta est voluptatum. *Computrescent pisces sine aqua & morientur siti.* Ad hanc igitur multiplicem sitim extinguendam ille sitis qui est *Fons vitæ* ille siti, qui publice clamat: *Si quis sitit veniat ad me*

Num. 20. *Quadruplex hominum huius sæculi situs.* *Isaiæ 5.* *Isaiæ 25.* *Iob. 3.* *Isaiæ 50.* *Ioann. 7*

Sed cur sitit ille qui de mediis aquis velut alter Ionas exclamare auditur: *Intraverunt aquæ usque ad animam meam:* Numquid hæ aquæ eum valent refrigerare, & sitim temperare? Eheu! maris aquæ sunt, & ideo salsæ & acerbæ; non sitim extinguunt, sed acuunt tribulationis aquæ amaritæ. His tamen cum crucis signo se immergens, fecit ut eas postmodum valeremus amare ab eis tollere immissa arbore, aut ab aquis Iericho immisso sale.

Psal. 68

verum-

Veruntamen nec omnia mundi Flumina aut Fontes Christi valerent sitim extinguere, quia non tam corporalis est sitis, quàm spiritualis, desiderium scilicet ardens redemptionis & salutis nostræ. Sic enim dicit S. Augustinus in Psal. 61. *Sitis mea salus vestra est, redemptio vestra, gaudium vestrum: plus animarum vestrarum, quàm corporis mei cruciatus me tenent.* Nempè sicut de Diabolo dicitur quòd adeò nostram sitiat damnationem, ut cupiat quod *Iordanis influat in os eius*, hoc est quod cupiat deglutire omnes baptizatos, qui per Iordanem significantur, quia in Iordane incepit baptismus Christi: sic dicimus, quod Christus multò ardentius sitiat salutem nostram. Ideo ergò sitit, quia flamma amoris & doloris omnia eius interiora adussit & exsiccavit, dum interim impii sitim sanguinis eius patiuntur, nec se valent exsatiare. Ideo sitit, quia triginta tribus annis post ovem erraticam cucurrit, utad salutis viam revocaret: nunc ergo in fine cursus non mirum si se exhaustum inclamet & sitientem. Denique ideo sitit, quia ob desiderium salutis nostræ, plura ferre tormenta paratus est, quàm hucusque tulerit. Si septuaginta spinas cerebro fixas perpessus est, ut nonnulli volunt, paratus est pati septuagiesta millia. Si quinque millia ictuum, paratus est ad milliones. Immò paratus est longè plura ferre, quàm possint hostium vires aut diabolici conatus inferre. Hæc est ergo sitis salutis nostræ, quam utinam vel paululum refrigerimus desiderio simili, stiendo ad fontem vitæ. Sed heu! pro siti refocillanda, fel & acetum ei propinamus, sicut & hi impii. Hinc sequitur in textu Evangelico, *Vas ergò positum erat aceto plenum, &c.* Ecce ultimum vale, quod exituro ex hoc mundo offertur, ecce ultima cœna quæ ei præparatur: pro cibo fel, pro potu acetum, propinator fontium, & cœlici roris imbrisque largitor, in siti sua potatur aceto; mellis dator, cibatur felle. O crudelitatem in cœlum clamantem, quam de die in diem imitantur animi impii!

Sitis Christi spiritualis potius, quam corporalis fol. 40.

Quem potum sitienti Christo præstare debeo mei.

Vnicuique nostrum dicit sicut mulieri Samaritanæ, *Da mihi bibere.* Sed hic est potus & cibus eius, ut homines faciant voluntatem Patris: Quare ergò hunc cibum & potum ei non propinamus? Apud unumquemque conqueritur interiùs de sua siti. Quasi dicat: *Aspice ut tua salutis gratia exhaustus sum & consumptus. Vide quàm horribiles perpessus sim cruciatus! Sæva hominum crudelitas pene redegit me ad nihilum; ebiberunt sanguinem meum peccatores terræ, & tamen adhuc sitio. Nondum satisfactum est cordi mei desiderio, amoris mei flamma nentiquam restincta est.* Et enim si fieri posset & Patri gratum foret, *vel millies ob salutem omnium vestrum crucifigi, & ad extremum iudicii diem in his doloribus pendere optarem: tantùm ut immensum vobis cordis mei amorem testatum redderem, sanctaque pectora vestra emollire & ad me amandum accendere possem. Quid enim æstuantissima hæc sitis mea loquitur, nisi fragantissimum amoris mei incendium?* Itaque sitibundus pendet iuxta fontem cordium nostrorum, & unicuique nostrum dicit: *Da mihi pauxillum aquæ de hydria tua*, aquam scilicet devotionis & compassionis, lacrymasque mutui amoris; sic refrigerabis sitim meam. Sed quotusquisque est qui aures aperiat ad hanc vocem! Vasa cordis nostri acida & fellea, plena superbiæ, odii, livoris, impuritatis carnalis, nonnisi ei acetum depromunt. *Gen. 24.*

Abb. Blosius ex Thau.

Notat hic pro literali sensu Ill. Baronius Cardinalis, anno Christi 34. num. 126. fuisse ex temporis illius more parata acetum, spongiam, hyssopum in monte Calvariæ: ut si opus esset, spongia plena aceto, hyssopo esset infectum, vulneribus crucifixorum admoveretur ad sistendum sanguinem, ne scilicet nimis citò cruciati morerentur: habet enim hyssopus, ut etiam spongia, & acetum vim sanguinis sistendi, ut ex auctoribus nonnullis probat ibidem Cardinalis Baronius.

Sextus sonus Cytharæ nostræ est istæ: *Consummatum est.* Quam quidem sonoram vocem edidit Christus in cruce extensus, postquam acetum ei propinatum esset. Vltimam nempe manum suo apponens testamento, & illud obsignans, hoc dixit. Testamentum partim considerat in vitæ suæ decursu per eloquium sacræ suæ prædicationis, stabiliens hæreditatem suam Filiis, & novum testamentum præ veteri melioribus promissionibus sanciens. Partim etiam in cœna illud instituerat, in corporis & sanguinis sui sacratissimi legato pretioso in amoris pignus relicto. Nunc illud complet in lecto crucis, legato relinquens peccatoribus indulgentiam, latroni Paradisum, Virgini discipulum, discipulo Matrem; Patri spiritum, & ideo dicit: *Consummatum est.* Hoc interim breve & sonorum verbum exspirantis Oloris multa in se complectitur significatione mystica.

De sexto Verbo. Sextus Christi in Cruce extensi sonus.

Consummatum est multa complectitur.

Primò *Consummatum est*, quia omnes Prophetiæ impletæ sunt. Illa Isaiæ: *Vidimus eum despectum, novissimum virorum, virum dolorum, non erat ei species neque decor.* Illa Hieremiæ: *Ego quasi agnus qui portatur ad victimam.* Illa Danielis: *Post septuaginta hebdomades occidetur Christus.* Immò Illa Iacob Patriarchæ: *Lavabit in vino stolam suam & in sanguine vitæ pallium suum.* Deniqs illa Moysis; & innumeræ aliæ: *Erit vita pendens ante oculos tuos.*

Isa. 53. Hier. 11. Dan. 9. Gen. 49. Deut. 28.

Secundò, *Consummatum est*, quia omnes figuræ, umbræ, cæremoniæ, sacrificia præfigificantia Messiæ mortem cessarunt, sicut cessat prælusium hora sonante. Innumeræ ergo figuræ, quæ præcesserunt ab initio sæculi completæ sunt Ecce Abel foras in agrũ adductus, & à fratre crudeliter interemptus. Ecce Noe iacet in tabernaculo nudus, à Filiis irrisus: Ecce Isaac in montem

ascendit portans ligna holocausti. Ecce Scala Iacob erecta, in cælum viam parans, & Dominus innixus scalæ. Ecce Ioseph, tunica polymita sanguine tincta. Ecce serpens elevatus, quem qui aspexerit, vivet.

3. Tertiò, *Consummatum est*, quia completum est opus redemptionis nostræ. *Opus consummavi quod dedisti mihi.* Omnia ergo Patris mandata consummata sunt in passione, ita ut vel minimum punctum non defuerit. Omnes dolores acceperunt finem, & pretii copiosa solutio facta est pro debito peccati cum diruptione chyrographi. Disruptum est imperium mortis & Diaboli, *ut finem accipiat regnum peccati*, Dan. 9.

4. Quartò, *Consummatum est*, quidquid æterna Sapientia constituerat, quidquid rigor iustitiæ exigebat, quidquid charitas poterat, quidquid desideria Sanctorum Patrum & Angelorum poscebant, quidquid erat conveniens ad redemptionem nostram; nec amor ultra progredi potuit.

5. Quintò, *Consummatū est*, Matrimonium Christi cum Ecclesia, iam ab initio sæculi præfiguratum & promissum: initiatum in Patriarchis, ratificatum in Prophetis, consecratum in incarnatione, perfectum in cruce. Hic est dies desponsationis perfectæ, in sponsalitia corona spinea, & thalamo crucis florido.

De septimo Verbo. *Septimus Christi sonus Io. 5 Ioan. 14. Princeps huius mundi, & in me non habet quicquā. Ioan. 12. Et rursus: Nunc Princeps huius mundi eicietur foras.*

Septimus Citharæ nostræ sonus est: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* An fortè Redemptor noster iudicii divini timet severitatem in fine suæ vitæ? Sed *Pater omne iudicium dedit Filio.* An Dæmonis assultus nunc verentur? Sed vires eius contrivit, & ipse paulò antè dixit: *Venit* An verò percellitur timore inferni, vel pænarum? Sed ab his nos venit liberare, & spolia, inferno detrahere: *Ad prædam ascendisti Fili mi.*

Gen. 49. Cur Christus tam sollicite spiritum commendarit in manus Patris commendarit.

Cur ergo tam sollicite in manibus Patris spiritum commendat, si nihil horum timet? Nempè suo nos iostruere vult exemplo, ut numquam securi de nobis, in manus Dei reponamus animas nostras omni tempore. Nam non sine periculo est anima nostra in manibus nostris. Tamquam enim vas fragile illam portamus, in loco lubrico & periculoso. Immò tamquam candelam accensam hanc circumferimus, expositam tribus maligniſſimis ventis, Carni, Dæmoni, Mundo, qui nunquam cessant suggestionibus suis infidiari eius lumini, ut illud extinguant. Pro maiori ergo securitate eam deponamus in manus eius qui lucem ipsius tutari potens est, dicamusque cum Psalte: *In manibus tuis sortes meæ.* Vbi putas melius erit anima nostra, quàm in manibus eius qui eam creavit ad imaginem Divinitatis suæ. Vbi melius, quàm in manibus illis quæ pro nobis clavis sunt affixæ? Vbi melius, quàm in manibus illis quæ misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant? Denique ubi melius, quàm in manibus illis quæ semper extensæ sunt ad amplexandum nos, & protegendum?

Psal. 30.

Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. Scuto circumdabit te, & non timebis à timore nocturno, &c. *Psal. 90.*

Sicut porrò omni tempore animum, tanquam pretiosum depositum Christi Sanguine emptum, ad tempus nobis commissum, reponere debemus inter manus eius qui commisit: ita maximè reponi debet & ei commendari in termino vitæ ob Dæmonis insidias & insultus. Hoc voluit edocere hic Christus. Insidiatur enim tunc vehementissime, omnesque vires confert, quia agitur de æternitate, de victoria, aut de irreparabili confusione. Ipse verò ita omnibus tunc adest inhians prædæ, ut etiam dicant nonnulli ex sacris Scriptoribus ipsum fuisse in sinistra parte crucis, expectantem spiritum Christi morientis. Sperabat aliquam in eum potestatem in illo extremo discrimine viæ & vitæ huius: vel saltem prætendebat in ipsum captivitatem, sicut & in cæteros, pro carcere limbi. Ita docet Venerab. Beda cum nonnullis, faverque quod dicitur post triplicem tentationem Diabolum reliquisse Christum ad tempus, quia nimirum in morte adhuc rediturus erat; tristitia, cruciatu, desperatione aliquid sperans sibi in eo iuris vendicare. *In termina vita, Deo maxime cōmendandus spiritus.* NOTA. *Luc. 4.*

Postquam Patri commendasset Christus spiritum suum, *emissa magna voce, & inclinato capite tradidit spiritum.* Cur cum clamore exspiratit, & eur inclinatit caput, copiosè declaratum est à nobis Horti Pastor tom. 1. tract. 3. lect. 21. Illuc Lectorem remittimus, ubi & de vulnere lateris Domini tractavimus, immò & de quinque eius vulneribus. De quibus multa addi possent, sed brevitati consulimus.

Tituli SS. vulnerum Christi varii.

1. Hi sunt *Quinque grandes characteres* libri mysticii in cruce extensi, intus & foris scripti: intus stylo amoris, foris stylo doloris. Et hi quidem characteres legentibus insonant *Lamentationes, & Carmen, & Væ.* Pœnitentibus lamentum indicunt. Iustis carmen amoris & gaudii insinuant. Peccatoribus in peccato perseverantibus Æternum Væ proclamant. 1.

2. 3. Hi sunt *Quinque Porticus iuxta Piscinam probaticam*, ad quos accedere possunt omnes ægri, ut sanitatem consequantur, non certo tantùm tempore, sed omni planè. Accedat ergò *multitudo languentium, eorum, aridorum, claudorum*: quia omni tempore aperti sunt hi Porticus. & in hac Piscina semper movetur aqua & sanguis ad eorum sanitatem. Nec dicant: *Non habeo hominem*, quia ibi eos fixe expectat Homo Deus. 2. *Ioann. 9.*

3. Hæc sunt *Quinque loca refugii*, ad quæ omnes rens admittitur. 3.

4. *Quinque loca orationis*, in quibus sincero corde orationem fundentes, semper exaudimur. 4.

5. *Quinque ora aperta*, quæ amorem nostrum poscunt, & misericordiam Dei nobis implorant. 5.

6. Quin-

6. 6. *Quinque Torcularia, vel Cellaria,* è quibus vinum ferventes amoris omnibus propinatur *à Sponso Rubicundo.*

7. 7. *Quinque Vbera,* lacte semper plena pro parvulis.

8. 8. *Quinque Propugnacula,* in quibus protegunturcontra omnes insultus hostis milites timidi.

9. 9. *Quinque Foramina Petræ mysticæ,* quæ sunt refugium Herinaciis, vel Columbis. *Ibi ergo constituamus mansionem nostram per frequentem meditationem; ibi oremus, ibi quiescamus, ibi adoremus, ibi fugamus, ibi os aperiamus & attrahamus spiritum, ibi protegamus, ibi vivamus, ibi moriamur.*

LECTIO XIV. BIPARTITA.

De aqua & sanguine Christi ex latere profluëte.

Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus; non in aqua solum, sed in aqua & sanguine 1. Ioan. 5.

Pars I.

MOyses lecto mandato legis asperſit aqua & sanguine populum & librum, dicens: *Hic est sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus,* Heb 9. ut tradit Apostolus. Sic aqua & sanguine antiquũ fœdus sanctum fuit, & confirmatum. Similiter Christus novum testamentum & fœdus, voluit sanciri & stabiliri per aquam & sanguinem. Sine sanguine non fit remissio & sanctificatio, sive in antiquo, sive in novo testamento. Quod si *sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ asperſus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?* inquit idem Apostolus.

Hoc fœdus per sanguinem & aquam dedicatum rememorat Ecclesia tota Hebdomada sancta. Non loquitur tunc nisi de Sanguine & Mortes, de Cruce & Flagellis, de spiritu de aqua lacrymarum, de aqua compunctionis denique *de Purpura regis juncta Canalibus,* Cant. 7. cui vult assimilari *Comas & crines capitis nostri,* ut in illo nos sanguine asperſi & purpurati, nihil nisi sanguinem cogitemus, sicque illius efficaciam percipiamus. Tunc maximè agnoscit verum esse illud: *Hic est qui venit per aquam & sanguinem.*

Sed paulò altius rem repetamus, & huius sententiæ pronunciatæ à dilecto Discipulo Domini, cordisque eius Filio speciali, veritatem indagemus. 1. *Christum in aqua & sanguine venturum prophetæ prædixerunt.*

Primo, Prophetæ prædixerant Christum in hunc Orbem venturum, tum ut Sanguine suo illum redimeret, tum ut aqua Baptismi expiaret & sanctificaret. Sanguine enim suo pro nobis fuso redimendos, & Deo reconciliandos, significabat omnis illa sanguinis effusio in victimis & sacrificiis antiquis. Baptismi autem aquam sanctificantem & mundantem prædixerat Ezechiel, Ezech. 36. Zach. 12. & Zacharias. Itaque ut hæc oracula adimplerentur, Christus ad aquas Iordanis accessit, & obi baptizatus est, ac baptismum vim habentem sanctificandi instituit. Deinde & alium baptismũ sanguinis subire voluit, de quo ipse: *Baptismo habeo* Luc. 12. *baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur in me.* Sic venit per aquam & sanguinem, non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine; quia & per sanguinem suum aquis vim sanctificandi indidit. Ioannes eius Præcursor solùm venit per aquam; quia liscet etiam sanguinem fuderit, ut foret Præcursor eam per mortem & martyrium, quàm per vitam & prædicationem, tamen non potuit sanguine suo vim sanctificandi dare Baptismo è se collato, nec in pretium redemptionis illum offerre.

Secundò, iam ab infantia licet intueri quomodò venerit in aqua & sanguine in ipsa circumcisione, 2. *Venit in aqua & sanguine in Circũcisione.* ubi incipit fons sanguinis aperiri, cui iungitur aqua infantilium lacrymarum, quibus irrigat primum suum & matutinum sacrificium, offerens eas cum sanguine in pretium redemptionis inchoatum. Sic iam incipiunt Aqua & Sanguis esse symbola certissima eius in nos amoris. Sed clauditur mox fons ille sanguinis, quia plenissimè debebat aperiri in passione & cruce, ubi consummari debebat mysterium redemptionis. Addo; quòd in incarnatione & nativitate sua Filius Dei venerit in aqua & sanguine, quia corpus assumpsit quatuor elementis, seu quatuòr constans humoribus, qui per aquam & sanguinem significantur. Nam sub aqua rectè intelligitur phlegma & melancholia, sive atrabilis; per sanguinem etiam comprehenditur cholera, sive flavabilis; sanguis enim si incalescat fit bilis, sicut aqua & phlegma si crassescat fit lutum & melancholia, dum itaque dicitur venisse per aquam & sanguinem, verum corpus assumpsisse significatur.

Tertio, venit per aquam & sanguinem in die 3. *Venit per aquã & sanguinẽ in die cœnæ Domi.* cœnæ; dum aqua lavat pedes discipulorum, & sanguinem suum tribuit in potum, dicens: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur.* Effusione utique non solùm cruenta, sed & mystica, in finem usque sæculi perduratura; ut sit Calix salutaris ad sitim totius orbis restinguendam, & Calix reconciliationis ac sanctificationis in remissionem peccatorum. Addere possemus, quòd initium miraculorum suorum auspicans, venit in aqua & sanguine, dum scilicet aquã convertit in vinum, qui est sanguis uvæ. Designabat hæc conversio suum salutarem cruorem, quo debebat sponsam suam & potare & inebriare: *Lavabit* Gen. 49. *in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*, dicebat Iacob hæc prævidens.

Quarto, venit per aquam & sanguinem, in hor- 4. *Venit per aquã & sanguinẽ in hora* to initians suam passionem. Ibi enim non solùm fundit sudorem, sed & cruorem per omnia corporis sui veri membra, ut sic vere omnia corporis sui mystici membra. Nore ergo aquæ, torreque lan-

quineo, vestem suam carneam pro nobis assumpram, vestem quoque exteriorem, imò & ipsam terram rigat, non sine effectu benedictionis in terrena nostra corda sese hic refundentis. Hoc ergò in horto manifestè ostenditur, quòd *Iesus Christus venit per aquam & sanguinem*. Addere possumus, quòd surgens ab oratione totus perfusus sanguineo sudore, per aquam venit ad peragendum passionis suæ mysterium, dum per torrentem Cedron pertractus est, & per varias angustiæ aquas: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

Ps. 111. 5. *In aquâ & sanguine, Christi perficitur condemnatio.*

Quintò, in aqua & sanguine eius perficitur condemnatio, dum aquam accipit Pilatus, significans se in vitè eum condemnare, velle tamen populo ac se quiescere. Populus autem inclamat, *Sanguis eius super nos.* Vides hic & aquæ & sanguis rursus mentionem fieri, quia ille condemnabatur qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus.

6. *Per aquâ & sanguinem se venisse Christus in cruce declarat. Heb. 5.*

Sextò, se illum esse qui per aquam venit & sanguinem declarat in cruce, quando ex perfossis pedibus manibusque, in terram copiosum pro nobis fundit sanguinem, & ex oculis uberes lachrymas in cœlum mittit ad Patrem, teste Apost. suis his lacrymis Cælum & Solem provocans ad luctum & stuporem. Immo nonnulli docent numquam Christum fudisse sanguinem; quin & lachrymas adjunxerit, sive in circumcisione, sive in agonia sanguinea, sive in flagellatione, sive in coronatione, sive in vestium suarum expoliatione, sive in crucifixione. Sic ubique adimpletur illud: *Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus*; ideò nempe & lacrymas & sanguinem sæpe fudit, ut se Iesum ostenderet & Salvatorem. Ideò quoque aquam, in mysterio Missæ, vino in sanguinem convertendo misceri jussit, in qua rememorantur mysteria omnia vitæ eius & Passionis. *Miscuit* ergo tunc *Sapientia vinum suũ*, in mensa crucis, quia aquam vino miscuit, lacrymas sanguini, doloremque immiscuit amori. Mater quoque Sapientiæ Maria in illa mensa & ara, *miscuit vinum.* Quid immiscuisti, ô Dei Mater, Sanguini Filii tui quem potamus? Nonne aquam limpidam lacrymarum, sive in circumcisione, sive in cruce, quas ex oculis virgineis eduxisti, sicque visa fuit commixtio Sanguinis Filii & lacrymarum Matris? O quàm opto ut torrente illo doloris, imò voluptatis & amoris anima mea perfundatur.

Salmerõ in cap. 5. epist. 1. Ioann.

Prov. 9.

Postremò, quod nostro servit specialiùs proposito, venisse per aquam & sanguinem Iesum Christum maximè patuit in vulnere lateris, ex quo profluxit aqua & sanguis; non permixtim, sed separatim, ita ut potuerit aqua à sanguine discerni. Sic enim vidit Ioannes, & testimonium perhibuit. De hac re etiam sic loquitur Sanctus Cyprianus ser. de Pass. *De latere tuo fons egreditur in vitam æternam, & de eadem conjubstantialique origine divisis limitibus aqua & sanguis emanant, ad complementum perfectionemque totius iustitiæ.* Quia scilicet aqua indicabat Baptismum, qui est janua, sanguis sua charistiam, quæ est finis & consummatio omnium Sacramentorum; & ideo sub his duobus reliqua comprehenduntur Sacramenta, quæ justitiam nobis conferunt & salutem; ac propterea è Christi latere Sacramenta manasse tradunt passim SS. Patres. In hanc sententiam ibidem subdit S. Cyprianus: *Ex hoc fonte non tantùm ablutionis primæ, qua initiantur accedentes ad Christum, undas haurimus, sed & compunctionem & lacrymarum rivos: inde misericordiarum suavitas & totius pietatis effectus emanat. Tu Domine Sacerdos sancte, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio, sancti huius Sanguinis permanentem plenitudinem reliquisti, & constituisti nobis inconsumptibiliter potum vivificum.* Eleganter etiam hac de re Tertul. l. de Baptis. cap. 9. ubi cùm dixisset Christum dedisse testimonium baptismo aquæ, quando aqua de latere vulnerato prorupit, subdit cap. 16. *Est nobis secundum lavacrum, & ipsum sanguinis, de quo Dominus: Habeo baptismo tingi, cùm iam tinctus fuisset; venerat enim per aquam & sanguinem, sicut Ioannes scripsit, ut aqua tingeretur sanguine glorificaretur; proinde ut nos faceret aqua vocatos, sanguine electos, hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit. Quia qui sanguinem eius credederent, aqua lavarentur: qui aqua lavissent, etiam sanguinem præstarent.* Quinimò per aquam & sanguinem, baptismum fluminis & sanguinis, hoc est martyrii, designari tradunt sancti Patres passim.

7. *Venisse Christum per aquâ, & sanguinem patuit in vulnere lateris.*

Veram porro fuisse hanc aquam, sicut & verus fuit sanguis, definit Innocentius 3 cap. *In quadam, de celebratione Missarum*, contra quosdam qui negabant exiisse veram aquam, sed tantum pituitam, sive phlegmaticum quendam humorem, quem aquam dicebant appellatum, quia in eo aqua prædominatur. Sed verba Ioannis in propria semper significatione Ecclesia intellexit. *Dices*, non poterat naturalis aqua de corpore humano naturaliter exire, maximè de corpore mortuo. *Respondeo*, hoc aliquos negare, & dicere in corpore humano, cùm primùm recedit anima & incipit frigescere, naturaliter generari aquam per resolutionem phlegmatis. Sed hoc est difficile creditu, nam sic ex quocumque corpore humano mortuo post aliquot horas posset aqua educi, quod experientiæ repugnat. Et in Christo est specialis ratio cur hæc resolutio non sit admittenda, quia eius corpus ab anima destitutum non *sensit corruptionem.* Alii qui ergò Medici dicunt fuisse veram aquam quæ in pericardio receptatur, quo per lanceam perfosso, effluxit. Sed plerique Theologi præter ordinem naturæ fecisse agnoscunt quod ex mortuo corpore sanguis & aqua effluxerit

Verane fuerit aqua & sanguis.

Psal. 15.

fluxerit vera & elementaris: ideoque hoc supernaturali ratione factum agnoscunt, & miraculo utrumque adscribunt, quod Deus voluit fieri ad mysterium significandum. Nempè ut veritas humanæ naturæ assumptæ illo testimonio probaretur, teste S. Ioanne: *Tres sunt qui testimonium dant in terra. Spiritus, aqua, & sanguis.* Spiritus clamore valido emissus, & in paternas manus commendatus testatur in Christo fuisse veram animam rationalem. Sanguis & aqua significarunt fuisse verum corpus compositum ex quatuor humoribus, quorum præcipuus est sanguis; & ex quatuor elementis, quorum unum est aqua. Deinde, iam diximus, significabatur in sanguine & aqua fundandam Ecclesiam & abluendam; atque sicut in Baptismo vera adhibetur aqua, propterea & vera fluxit tunc aqua, quamuis miraculo producta, ut pleriq; placet Theologis. Sed hæc sufficiant de hac aqua repræsentata per mistionem aquæ cum vino in sanguinem convertendo in Missæ celebratione.

PARS II. *Effusionē sanguinis Christi in passione nunquā fuisse sine speciali fructu.*

VLteriùs adiicimus, ut vis Sanguinis Christi pateſcat lucidius, nunquam Christum toto Passionis suæ decursu sanguinem fudisse, quin statim aliquis affectus & fructus secutus fuerit. Attende particularius per modum recapitulationis.

1. NOTA. 2. in horto

Primo, cum sanguinem sundit in Horto, terram propter sanguinem Abel maledictioni obnoxiam novâ benedictione afficit. Et hoc quidem pro fuit militari cohorti, quæ ad eum comprehendendum adventarat. Terra enim absorbuisset eam sicut olim *Core, Dathan, & Abiron* in *Moysen & Aaron* insurgentes, nisi pio Christi Sanguine rigata iam non peteret vindictam, sed imploraret misericordiam.

2. 2. Profuit & Judæ, ut ei daretur adhuc tempus pœnitentiæ. Profuit & Malcho, ne occideretur in peccato, dum in eum Petrus vibrat gladium non sine discrimine vitæ, medium caput dissecaturus & lethale vulnus inflicturus, nisi pietas Christi sanguinolenti aliter providisset, ut solam aurem obsecaret. Quam mox manus eius benigna, cruore adhuc recenti madida, restituit; ac simul verisimiliter animæ eius sanitatem & conversionem procuravit.

3. 3. Profuit & discipulis, quia virtute sanguinis tunc profusi talem protectionem accepere, ut nemo ex militibus ausus fuerit in eos manus iniicere, aut eis nocere. *Ex his quos dedisti mihi, non perdidi quemquam.*

4. Denique, omnibus adhuc prodest qui habent aliquam devotionem ad agoniam Christi, & maximè agonizantibus in fine vitæ. Quocirca, S. Carolus Borromæus voluit emori & animam agere, figendo oculos & cor in imaginem agoniæ Christi lectulo suo adpensam.

2. *in domo Caiphæ.*

Secundo, inter primarias effusiones sanguinis censenda est quæ facta est in domo Caiphæ ubi colaphisatur, cruor è naribus excutitur, crines non sine sanguine divelluntur. Mox verò fructus huius fusi sanguinis cernitur in conversione Petri, quem oculis sanguinolentis respexit Dominus, & virtus huius sanguinis usque ad cor eius penetravit, ad fletum adducens amarum hunc qui se eius negaverat discipulum. Sic & initialiter profuit Judæ, qui cœpit duci pœnitentia ubi plenè agnovit se sanguinem justum tradidisse, & ipsum peccatum quo hunc sanguinem tradiderat, ipse sanguis jam cæptus effundi poterat abluere, nisi abivisset cum desperatione, qui peccaverat in spe. Denique fructus huius sanguinolentæ colaphisationis & vellicationis patescit in omnibus illis qui respicientes in faciem Christi Domini sic conspurcatam & male tractatam, pro eius amore & imitatione lubenter patiuntur quasliber injurias, imò & alabas & percussiones, sive persecutiones, parati pro eo & cum eo sanguinem fundere.

3. *in domo Pilati.*

Tertio, cùm fudit sanguinem illum copiosum in domo Pilati, sive per flagellationem (inflictis, ut nonnulli volunt, supra quinque millibus ictuum) sive per coronationem acerbissimam, non nulli, sanguinis illius fructus & effectus mox apparuerunt. Nonne remorsus conscientiæ persentiscere visus est virtute illius Præses Pilatus? Nonne trepidavit ipse Judex, intus coarguente eum sanguine hoc innocuo? Sed non acquievit internæ monitioni, & remorsui, ac trepidationi, infelix sanè Judex. Vlterius monitio, uxoris eius, & depressio regni Dæmonis, quam iam ex parte persensisse docet sanctus Ignatius, nonne etiam affectus sunt huius profusi sanguinis? Immò & illa vox populi inclamantis, *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*, hactenus dici potest effectus huius sanguinis, quia licet nescirent quid dicerent, dicebant tamen quod debebant ficut & Caiphas propetans, ut suprà diximus. An non & quotidiè fructus huius sanguinis in coronatione & flagellatione educti patescit in illis Sanctis qui lubenter coronam spineam & flagella amplectuntur, *& stigmata Domini Iesu in corpore suo portant?* Quam gloriabatur in his S. Paulus, S. Franciscus, S. Eulalia, S. Catharina Senensis?

Galat. 6.

4. *in baiulatione crucis.*

Quarto, cum fudit sanguinem in bajulatione onerosæ suæ Crucis, iam renovatis vulneribus, & vestigia pedum eius inspergentibus per communia & plateas; nonne mox huiusce sanguinis aliquis apparuit fructus: Certè huius sanguinis effusioni rectè attenderimus obedientiam Simonis cum eo crucem portantis. Quia licet angariarint cum Christi hostes, mox tamen ubi cruci sanguinolentæ humeros submisit, agnovit virtutem

crucis

crucis & sanguinis, cum humilitate & obedientia onus sibi impositum perferens. & iter in montem sanctum, Christi inquam montem peragens, cum perseverantia & pietate animi. An non & effectus fructusque fuit sanguinis Christi tunc fusi devotio mulierum eius vestigia sanguinolenta sectantium cum lacrymis & compassione, neglecta etiam militum turba & minitatione: Denique huius sanguinis fructus & effectus fuit Veronicæ occursus pius cum linteo ad faciem extergendam cui Christus Dominus in compensam pietatis vultus sui cruenti imaginem imprimere dignatus est. Rursus fructus huius sanguinis quotidie manifestatur in his qui post Christum gaudenter & alacriter baiulant sibi crucem, ab eo humeris cuiusque impositam.

5. *In Cruce.*

Quinto, copiosissima effusio fuit in cruce, dum ex quinque canalibus amplissimis & sacratissimis sese effundit Fons pietatis, ad quos potest quicumque voluerit accedere, sive ad ablutionem sive ad refocillationem, quia & ibi lavacrum est, & poculum omnibus propositum. Immò ibi diluvium quoddam generale, non ut dissiper terram, sed ut eam renovet, de quo & dicere illud possumus: *Cataractæ cœli apertæ sunt, & rupti Fontes abyssi*, quia divini amoris Fontes aperiuntur, & cœli nostri cataractæ, hoc est pectus & viscera Christi, disrumpuntur: ut rosea pluvia undique abundet, non in ultionem, sed in remissionem, non in mortem, sed in vitam. O felix diluvium sanguineæ pluviæ mixtæ igni ardenti, ut dissipet quod terrenum est, & efficiat omnia cœlestia. En simul hoc diluvium signum fœderis est, quia ex arcu prodit cœlesti à Christo in Cruce extenso. *Gen. 8.*

Effectus sanguinis in quatuor orbis partibus

Prodest ergo quatuor orbis partibus à peccato eluendis, & è captivitate eruendis, copiosus iste sanguis, copiosaque apud Dominum redemptio tunc exhibita. Rigat Calvariam Adæ & omnium posthumorum filiorum eius, pretiosus ille cruor, qui quasi quinque partiti fluminis impetus totam terram rigare præcipitur. Mox verò efficaciam suam ostendit, non solum in Latronis prodigiosa conversione, sed etiam in Centurionis subita mutatione, ac omnium illorum qui revertentes percutiebant pectora sua.

An non & effectus eius est luctus in cœlo & omnibus creaturis, in velo templi, & petris & monumentis, in Sole & Luna.

An non & fructus eius in eo manifestus est quod prosit vivis & mortuis, quod prosit his qui in limbo agebant, quique agebant in Purgatorio, Immò & efficacia eius patescit in inferno, dum ibi ligat Christus Satanam virtute sanguinis sui, & de eo triumphat. Penetravit ergo virtus Sanguinis eius omnes inferiores partes terræ, & licet nihil profuerit damnatis, nisi ad majorem confusionem, captivis tamen in carcere limbi & purgatorii maximè profuit, dicente Zacharias

Effectus sanguinis Christi in inferno.

Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua. Hic est sanguis testamenti, quo ic. ultimum suum signavit testamentum super mensam crucis, & virtute illius educti sunt è lacu profundo & sicco, hoc est è carcere, in quo etiam carcere non erat aqua refrigerii & solatii: Christus autem per aquam venit & sanguinem, pretium afferens, & educens in refrigerium. Immò penetravit virtus sanguinis huius portas cœli, *quia factus est nobis Clavis reserationis cœli Sanguis Passionis Domini.* Intinxit Iesus ut Sacerdos digitū in sanguine tuo, *& aspergens quasi septies contra velum Sanctuarii*, omnes portas aperuit, omne velū reseravit. *Angelicæ virtutes festinarūt reserare claustra, ubi viderunt sanguinem in cœlum levari de visceribus Salvatoris*, adorant enim virtutem cruoris Dei & Creatoris sui, & in filius occursum procumbentes tremunt, nullumque volunt ei obseratum velum, aut introitum suæ custodiæ commissum. *Zach. 9.* *Levit. 4.* *Abbas Cellen. li. de Panib. cap. 15.*

Concludamus igitur, & agnoscamus quod *Iesus Christus venit per aquam & sanguinem.* Aquam gratiæ, aquam misericordiæ, aquam vitæ de eius Fontibus manantem hauriamus, gratis. Sanguine quoque eius nos aspergamus, quia & ad eum nobis accedendum est per aquam & sanguinem. Audiamus Apostolum dicentem · *Accessistis ad novi testamenti Mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel, Videte ne recusetis loquentem.* Nō loquitur nobis ille sanguis nisi de remissione peccatorum, de gratia sanctificante, de munditia vitæ & conscientiæ, de salute perfecta animæ. Videte & contemplamini ac audite illum quocumque loco profusum. Attendite illum in horto cum animi devotione, & sentietis eius affectum in vita & in morte. Loquitur autem ibi vobiscum de perfecta voluntatis resignatione. Attendite & videte eum inter alapas & faciei divulsionem, loquitur ibi vobiscum de animi perfecta patientia. Videte & attendite eum prostratum inter flagra ad columnam, loquitur ibi de constanti & continua mortificatione. Videte & attendite eum è vertice coronato profluentem, loquitur ibi de pœnitentia & austeritate. Attendite denique in cruce fusum. Videte ne operatis vocem eius, & frustra vobis fusus sit. *Heb. 12.*

LECTIO XV.

Stabat iuxta Crucem Iesu, Mater eius, &c. Ioann. 19.

De dolori bus B.M. V. in Christi passione.

ADmirandum fuit Filii Dei consilium, quo voluit Matrem interesse Passioni, & adstare Cruci, cum tamen inde incrementum sumeret haud exiguū sive Matris sive Filii cruciatus. Scriptum erat Exod. *Non coques hœdum in lacte matris.* Et Lev. *Non immolabitur bovis una die cum filio.* An nō hic Mater in Filii lacteo sanguine decoquitur, *Exod. 23. Levit. 22*

& Filius

& Filius in Matris lacrymis? An non tibi videtur hic ovis cum agno in sacrificium offerri?

Cur Christus passioni suæ Matrem suam interesse voluerit.

Multas porro rationes proferunt Sancti Patres, cur Christus tanto cum cruciatu voluerit Matrem adstare cruci.

R. 1. Ex S. Anselmo. Luc. 2.

Prima est S. Anselmi libr. de laudibus Virginis, quia solet Deus electos gravi probare tribulatione, oportebatque impleri illud Simeonis: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Immò oportebat, inquit S. Anselmus, illam in qua omnem gratiam Christus collocavit, non carere honore martyrii: sub cruce autem gravius ei martyrium fuit, quam si occideretur; quia sicut amor Virginis in filium non potest explicari, ita nec dolor quem ob eius necem sub cruce tulit. Ibi ictus lanceæ eam constituit Reginam Martyrum, ait S. Bernard.

B. V. Regina Martyrum.

R. 2. Ex S. Ambros.

Secunda ratio est S. Ambrosii, qui ideo dicit decuisse Virginē adstare cruci, ut ad opus nostræ redemptionis eo quo poterat modo concurreret, & sicut perditio per unum hominem & mulierē intrarat ita & veniret remediū. Christus quidem solus Redemptor est, & Mediator Dei & hominum: tamē sicut Eva pomum porrigens dedit materiam & ausam peccandi; ita Maria Filio offerebat genus humanum; cuius redemptionem perageret, pro quo & ipla quantum in se erat, immolabat animum suum, pro suo cooperans modulo. Optasset quidem cum Filio etiam corpore immolari in altari crucis; atque cum eo celebrare solemne illud sacrificium expiationis mundi, consummativum omnium sacrificiorum. Sed hoc solius summi Sacerdotis privilegiū erat, ut munus proprii sanguinis intra sancta inferret; quia torcular calcavit solus.

Exod. 27. & 30.

Crux erat altare illud thymiamatis corā propitiatorio, super quo solus Sacerdos summus incensum adolebat, & semel in anno ingrediebatur in sanguine adorandum pro populo.

R. 3. Ex S. Damasc.

Tertia ratio est S. Damasceni, ideo Christum voluisse Matrem suam adstare Cruci, ut dolores, quos pariēdo effugerat, tunc nos spiritualiter parturiendo sufferret. Verē enim nos sub arbore crucis generabat Filios doloris, sed filios simul gratiæ & salutis; ideoque ibi solemniter instituitur Mater omnium Christianorum, dum dicitur nobis sicut & Ioanni: *Ecce Mater tua.* Sic Christus Dominus non solùm voluit nos habere eumdem Patrem in cœlis, sed & eamdem Matrem in terris, ut ex utroque parente fratres simus, & cum Beniamin duplicem portionem ab eo percipere possimus.

R. 4. Ex S. Anselmo.

Quarta ratio est iterum S. Anselmi, qui dicit ideo voluisse Christum ut Mater adstaret cruci, quia instituebatur Maria ibi tamquam hæres universalis, in qua ipse deponere universum sanguinem suum, & merita, gratiam omnigenam: ut illa colligeret hæc omnia, & postea suis manibus & intercessione ea distribueret & divideret. Idcò nempè tunc universorum hominum curam suscepit, ut pro omnibus ex officio intercederet.

Constantia B. M. V. ad crucem Iesu.

Sed in particulari consideremus cōstantiam hujusce Matris sub cruce in mediis iisque acerbissimis doloribus. Hanc constantiam expressit S. Ioannes paucis, sed energicis verbis *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius.* Singula verba pondus habent.

1. *Stabat.*

Primò quidem dicit, *Stabat*, quia numquam illa cecidit, nunquam defecit, nunquam naufragavit: sed tamquam columna immobilis semper steterit, & inter turbines violentissimos: & torrentes dolorum Impertertita fuit, nec vacillavit. *Stabat* ergò corpore, *stabat* mente, *stabat* cordis erectione. *Stabat* fidei integritate, spei celsitudine, charitatis perfectione, *stabat* virtutum omnium culmine. Nō eius fidem aut spem aquæ multæ inundantis tribulationis potuerunt extinguere, nec charitatis fervorem flumina obruere. Amicis deserentibus, discipulis fugientibus, qui debebant tamquam viri robusti in prœlio stare, pane cælesti antea confirmati, Ecclesiæ columnæ futuri; ipsa sola fortiter stat, & societatem exhibet filio stanti in cruce, brachiis extensis. Orbem dimetienti, & pavidos ac fugientes ad societatem prœlii & triumphi revocanti, quem per crucem bellator ipse fortis debebat reportare. Illud quoque per vocem *Stabat* significatur, omni se modestia gessisse, ita ut nihil indisciplinatum, nihil in eius gestu & actu exteriore indecens fuerit, ut solet frequenter accidere in fœmineo sexu infortunia sua plangente nimio exteriori excessu. Non igitur spasmum passa est, ut nōnulli fingunt & pingunt. Non iacuit præ mœrore, non cecidit præ animi deliquio, non sedit dejecta mente: sed *stabat*, inquit ille *qui vidit, & testimonium perhibuit.*

Stabat in tantis doloribus ex speciali gratia.

Hoc tamen non solum virtuti naturali, sed & gratiæ speciali adscribimus, quòd in tāta cordis amaritudine, in tāto dolorum torrente, tot in corde vulneribus lauciata, quot per corpus Filii erant sparsa, toties secundum animam Simeonis gladio transfixa, stare potuerit inexplicabili & mentis & corporis constantia. Cuilibet matri atrocem incutit dolorem audire mortem filii, si vere mater est. Angetur dolor, si horribili morte interemptum audiat. Intolerabilis sit dolor, si in præsentia matris, & in eius oculis, dissecatur, & quaquaversum confoditur filius. Quam igitur intolerabilis fuit dolor tenerrimæ & dilectissimæ Matris, dū horribilibus videt coram se tormentis Filium per singula membra cruciari, & morte acerbissima consummari? Sed dolore dolor hic quoque cumulatur, quòd nullū valeret auxilium afflicto præstare. Cernit vulnera, nec potest oleo fovere, aut pāniculis colligare, ut in circumcisione. Cernit cum lacrymis fluentem undique cruorē è carne rubricata, nec linteo valet extergere, aut in sinum suum colligere, ne in terram decidat. Cernit nuditatem ignominiosam, nec potest vel capitis velo vel fa-

sciolis regere, ut olim in Bethleem. Audit sitientem, nec potest potare. Audit derelictum & conquerentem, nec solatio potest illi esse. Videt caput pendulũ, nec potest sustentare. Audit blasphemas voces, nec eas potest impedire. Videt expirantem, nec datur ei cõmori & simul occumbere. Interim inter hæc omnia stat, totis quidẽ maternis visceribus commora, sed maxima tamen cum fortitudine & constantia. Impetus Passionis Domini tantus fuit, ut quasi torrens ipsum patientem dolore impleret: sed ipso impleto, jam in Matrem defluebat pleno cursu, ut & ipsam impleret. Denique, & ab ipsa iam impleta rursus refluebat & redundabat in Filium. Sic ubi erat reciprocatio amoris, reperiebatur & reciprocatio doloris, quia ab utriusque corde in cor utriusque vicissim refudebatur amor & dolor inexplicabilis amor mutuæ charitatis, & dolor mutuæ compassionis.

Olim Agar in solitudine videns filium suum Ismaëlem præ siti & æstuae præ fame morti vicinum, reliquit puerum subter unã arborem, & abiit, & sedit è regione procul quantum potest arcus iacere, dicens: *Non videbo puerum morientem, &* Gen. 21. *sedens contra levavit vocem suam, & flevit.* Amabat equidem filium suum Agar. sed non erat tanti animi, tantæque constantiæ, ut eum morientem valeret intueri; sufficit ei quòd discessu & lacrymis affectum suum maternum testetur: foret ei intolerabile videre & audire extremum morientis filii singultum. Nõ sic Maria, quæ longè magis Filium suũ amat quam Agar suum. Sed plena amoris, plenaque constantia, non relinquit filium sub arbore, aut in arbore; sed ipsa stat iuxta crucis arborem, in qua emoritur: & intuetur singula quæ ibi gerũtur, toties commoriens corde & dolore, quot cernit livores & vulnera in eius benedicto corpore. Flevit ergo Maria affectu materno, sicut & Agar, sed dixit: *Videbo morientem.* Quasi diceret; Videbo quomodò ei perforentur pedes & manus, ac patibulo suffigatur: videbo quomodò erigatur in ligno, mihi licet funestissimo & atrocissimo. Cum ipsi recesserint & procul steterint, tamquam recedentes ab homine maledicto, (*Maledictus omnis* Deut. 21. *qui pendet in ligno,*) accedam ego propius, & stabo iuxta illud lignũ. Immò amplectar illud brachiis, deosculabor labiis, rigabo lachrymis, afficiam benedictionibus. Et quia non licet mori cum eo, infigam tamen oculos in suspenso Filio meo. Aspiciã quomodò de hoc mundo exeat, quæ sola utique novi, quomodò in hunc mundum venerit. Nõ deseram morientem, quæ nunquam deservi vivẽtem. O quam desiderabile, quamque suave mihi foret pro eo mori in cruce, vel saltem cum eo! sed quandoquidem hoc mihi denegatur; iuxta crucem stabo. VIDEBO MORIENTEM. An non hæc alia est vox quam Agar? Utique, quia fortior longe affectus maternus in Maria, quàm in ipsa quæ dixit: *Non videbo morientem.*

2. Stebat iuxta Crucem.

Secundò, illud ulterius ponderandum, JUXTA CRUCEM. Vbi quæri potest, an Maria solũ adfuerit Filio, dum in crucem est elevatus; an non & interfuerit dum præviis aliis tormentis affectus fuit, in coronatione, flagellatione, & aliis illusionibus, sive in domo Herodis, sive in domo Pilati, sive in plateis & vicis Ierusalem, dum toties huc ille fuit circumductus? Dicendum in primis, Virginem nõ ignorasse causam incarnationis Filii sui fuisse, ut cruciatibus, sanguine, morte nos redimeret. Hoc scivit ex lectione & meditatione Prophetarum, & ex Filii sui enarratione: quia sicut prædixit sæpè discipulis suam Passionem, ita eam Matri non abscondit, quam efficiebat secretorum suorum consciam. Vnde sicut Filius eam meditabatur iam ab infantia, cordi adpressã habens, & desiderans eius horam: *Coarctor donec perficiatur in me.* Sic & ipsa Luc. 12. Mater sæpe ruminabat illud Simeonis: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quoties Filii corpus & membra contemplabitur, memoriæ occurrebant tormenta, quæ in illis erat passurus. Hic erat *Myrrha fasciculus inter eius ubera*; quia non poterat dolore affici ut Mater, licet ardenter desideraret salutem pro miseris peccatoribus à Filio in Cruce consummandam.

Quapropter sic quondã allocutus est Dominus S. Teresiam: *Existimas ne, O Filia meritum consistere infruendo? Immò potiùs consistit in patiendo. Non est auditum nisi semel quòd S. Paulus gaudio cœlesti sit fruitus; sed multiplices eius passiones frequenter audisti. Tu quoque vides totam vitam meam tolerantiæ & acerba passione esse plenam: nec nisi semel sit mentio de gaudio meo in Thabor. Dum Matrem meam intueris brachiis me complectentem, non exinde existimes semper ei gaudium fuisse sine dolore: nam ex eo tempore quo eam allocutus est Simeon de gladio animã transfixuro, lucem percepit à Patre meo, qua semper intuebatur quæ passurus eram.* Hæc Christus Theresæ, quæ exinde didicit semper à Domino petere pro eius amore, AUT PATI, AUT MORI, ut Mariæ conformis fieret, & Filio eius patienti.

Dicendũ ulteriùs, quòd sicut instantem passionis diem Christus Discipulis suis aperuit. *Post bi-* Matt. 26 *duum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Sic etiam noluit latere Matrem diem horamq; discessus sui. Vnde piè hic meditantur sacri Scriptores feria quinta Matri valedixisse, dum ad Agnum edendum procederet, ipsa manente Ierosolymis pro more festi Paschæ. An Filius insalutata Matre ad desideratam mortem iret? Sed an sine lachrymis hæc valedictio fieri potuit, & sine concussione viscerum Matris pariter ac Filii, quando quidem iam avelluntur à sese mutuo nõ sine acerbo dolore & angore, qui tam arcto adhæserunt sibi semper vinculo & amore? Si Mater Tobiæ tot lachrymis deplorat Filium non redeuntem. Si Rachael plorat filios, & noluit consolari, quia non sunt. Si Matres lamentantur proles Herodis crudelitate enecandas: quid hic contigisse existimas? Certè Ionathas & David non possunt sepa-

An Christus suam mortem imminentem Matri patefecerit.

rari

rari sine lacrymis, sibi valedicentes. *Osculantes se alterutrum fleverunt pariter, & David autem amplius* Vnde ille fletus, nisi à dilectione? An non mator dilectio inter Christum & Mariam? Si Ionathas diligit Davidem quasi animam suam, & vicissim etiam similiter David Ionathan: quis ambigit strictiorem extitisse amorem inter Christum & Mariam, quandoquidem strictiori eos vinculo cœlum strinxit, & triginta trium annorum contubernio colligavit? Interim resignavit se forti animo Maria, voluntati Filii se conformans, ob redemptionem generis humani, Christusque abiens non est oblitus lacrymarum Matris, sed illas secum tulit, & æterno Patri obtulit, in auspicium felix iam instantis Passionis.

1. Reg. 20

Maria nocte passionis absens filii dolores plangit.

Dicendum deinde, quòd noctem subsequentẽ, in qua passionem suam auspicatus est Dominus, non impenderit Maria quieti & somno, sed contemplationi affectuosæ, plangens in secreto, & rememorans, velut Turtur solitaria, corde & tenus quæ poterat in nocte pati, conferens ea in corde suo, & dignantissimam eius charitatem expendẽs, qua se in manus impiorum tradebat tantis cum tormentis, tantaque cum ignominia. Et licet non interfuerit Virgo sanctissima noctis tormentis, vel diuruis circuit onibus & illusionibus, dum per vicos deducitur; nec flagellationi, aut coronationi, aut ad columnam alligationi, potuit tamen reticere vel per Ioannem, vel per discipulorum aliquem, quæ gesta erant; ac denique certior facta est de sententia crucis prolata. Nec tamen hoc infausto nuncio consternata scidit vestimenta, ut Iob, aut caput crinesque sparsit, vel divulsit: sed atrocissimum licet interius dolorem fortissimo animo gessit. Hoc animo resolvit eum illo conscendere in *Montem Myrrhæ, & Collem Thuris*, in montẽ Calvariæ & amaritudinis; sed Montem, in quo suavissimi odoris Sacrificium erat in Altari Crucis offerendum. Sine ipsa Sacrificium matutinum in Præsepio Nativitatis non erat inchoatum: sine ipsa Sacrificium vespertinum in Patibulo Mortis non erat consummandum. Vtrobique Mater stat iuxta Aram sacrificantis, conferens in corde suo quæ geruntur: utrobique; quantum in se est, sacrificio dignantissimo cooperatur, & seipsam offert cum Filio. Quapropter hic de ea dicitur: *Stabat iuxta crucem.*

3. Stabat iuxta Crucem Iesu.

Terti ò ponderandum est quod dicitur: *Iuxta Crucem IESV.* Quid tibi ô Maria benedicta cum Cruce, quæ maledictionis arbor est? Quid tibi cũ patibulo ignominiæ, ô Regina gloriæ? Quid tibi cum turbis iuxta crucem, quæ amas solitudinem? Quid tibi cum loco fœtoris, loco cadaverum, ô purissima Virginum, & Spiritus Sancti Sanctuarium? Quid tibi cum carnificibus in loco damnationis, quæ Mater es benedictionis? Sed quia ibi Iesus, hoc est Filius tuus est, ex pia in nos voluntate, ibi oportet & te esse, nec ullo vel opprobriorum vel maledictionũ terreri horrore. Quia ibi Crux Iesu est, illi te oportet adhærere. Sub Arbore illa quam elegit, & sub umbra illius quem indivulsè diligis, oportet te stare, vel sedere, & fructum redemptionis, amarum in cortice, dulcem tamẽ gustui tuo in voluntatis conformitate, oportet te primam colligere. Quia ibi Crux Iesu est, oportet rete illius possessionem capere, quia hanc solam Crucem ipse possidet, omnibus penitus expoliatus? hanc ipse vult te hæreditare. Et ecce iuxta Crucem stans hanc adis hæreditatem Iesu, cuius & nos fratres eius filiosque tuos efficias consortes. Docuisti enim nos primo *exire cũ ipso extra castra improperium eius portantes*: docuisti nos Cruci adstare, & Crucifixo condolere, docuisti nos ad certamen nobis propositum currere, *aspicientes in Auctorem Fidei & Consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem*; sicque peccato resistere usque ad sanguinem. Quisquis Crucis non est particeps, non potest tuus vel Filii tui hæres esse.

Heb 12.

Ibid.

Sic testatus est ipsemet Christus Sanctæ Claræ de Monte Falco. Hæc sive vigilans, sive dormiẽs adhærebat cum Maria Iesu Christo Crucifixo, & Christi ac Mariæ dolores per intimam compassionem cordi suo profunde infigebat. Quapropter quodam die apparuit ei Christus humeris crucem ferens, & dixit ei disertis verbis, *O Filia mea Clara, quæsivi locum solidum in quo hanc Crucem plãtarem, & inveni cor tuum, ibi eam volo figere. Oportet ergo ut moriaris in hac Cruce, si Filia mea & Hæres vis esse.* Adeo impressum exinde habuit Passionis Christi mysterium, ut aliquot annis quicquid come debat vel videbat, ei amarũ foret in memoria Passionis Christi, quasi felle eius respersũ, nec de illa sine lacrymis loqueretur. Ex hac visione creditur quod signa Crucifixi impressa fuerint eius cordi, quia postmodũ sensit graves dolores stomachi. Sic tẽpe Virgo ista, animatrix Mariæ stabat semper iuxta Crucem cum illa, immò stabat, sicut & Maria, cũ Iesu crucifixa. Hinc inventa fuit Crucifixi imago in eius corde, cũ tribus clavis & lancea & spongia, & arundine ex una parte, ex altera verò flagella & columna & corona spinea. Etãt verò hæc omnia distinctim expressa, miro artificio concinnata, quasi nervi fortes: immò adhuc hodie visuntur hæc in eius corde.

Compatiendum Christo & Mariæ Abb. Blosius. Marg. spirit. p. 3 c. 20. Vide die 8a Lect. 13. de ter tio Christi Verbo

Felix ergo qui iuxta Crucem Christo compatitur & Mariæ intima compassione, signum certè habet electionis suæ. E contra, infelix qui hæc negligit, ita ut meritò prius quidam & sapiens hæc de re sic pronunciarit: *Revera quisquis afflictissima & mœrenti Matri non compatitur, non est vivens gratia filius, sed est abortivum insensibile ac mortuum. Indignus planè est qui lac gratiæ ex eius fugat uberibus.* Rectè ergo Filii Ecclesiæ & Mariæ sic omnes

1. *Eia Mater, Fons amoris,*
Me sentire vim doloris.
Fac, ut tecum lugeam.

2. *Sancta Mater istud agas,*
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè,
3. *Fac me verè tecum flere,*
Crucifixo condolere,
Quoadusque vixero.
4. *Iuxta Crucem tecum stare,*
Te libenter sociare
In planctu desidero, &c.

4. *Stabat iuxta crucē, Mater eius. Ambr. in Lucam.*

Quarto & illud consideratione dignum, quod nomen Mariæ non exprimit Evangelista, sed solũ dicit: *Stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius,* Sufficit ei dixisse Matrem esse, quo nomine satis inclusit doloremq; quem tunc potuit sufferre. Matrem cogitate. Matrem considerate, & talem Matrem! Nomen Matris nomen est affectus, nomen est officii. Non defuit Mater affectu, non defuit officio. Audi Ambrosium de utroque differentem. *Maria, ut Matrem decebat Christi, fugientibus Apostolis ante Crucem stabat, & pius spectabat oculu Filii vulnera quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem.* Ecce affectus in Filium constans, sed in nos redundans ut filios. Ecce Mater Iesu piis inspectãs oculis Filium, sed etiã in mystica eius membra, & in filios futuros oculos cordis coniiciẽs. Vnde subdit S. Ambrosius notans officium Matris iunctim cum affectu erga filios futuros: *Aut fortasse quia cognoverat per Filii mortem mundi redemptionem aula regali; putabat se & sua morte publico muneri aliquid additurum. Sed Iesus non egebat adiutore ad omnium redemptionem, quia dixit: Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Suscepit quidem Matris affectum, sed non quaesivit hominis auxilium.* Hæc S. Ambros.

Interim de hac Matre Iesu iuxta Crucem stante similiter loqui possumus ac S. Augustinus de Matre septẽ Machabæorum. *Illa,* inquit, *videndo, in omnibus passa est facta Mater septem Martyrum. septimus Martyr, à filiis non separata spectando, & filiis addita moriendo. Videbat omnes, amabat omnes, ferebat in oculis quod in carne omnes.* Sic scilicet & Maria mille est cruciatus passa, in via, in monte, in Cruce millies Martyr & Martyrum Regina à Filio, Martyrum omnium Duce, non separata, ferebat in corde quod ille in carne.

Maximum porrò Martyrium, maximusque dolor fuit, dum vidit Filium inclinato capite exspirantem, ac paulò post lancea crudeli transfossum. Nullum enim Filio dolorem lancea intulit. Sed Matris cor penetravit, & acerbissimè vulneravit. Hinc supra dixi, quod hæc lancea eam fecit Reginam Martyrum De hac re sic S. Bernardus: *Revera Mater dulcissima doloris gladius scidit animam tuam, quando crudelis lancea latus Filii confixit. Non enim sua illic, sed tua potius anima erat. Itaque præcipua es Martyrum quandoquidem immensus dolor tuus internus externa vicit Martyrum cruciamenta.* Ita ille.

Renovatus verò fuit ille dolor, auctumque Martyrium, dum inter sacra eius brachia corpus sic confixum deponitur. Tunc potuit lacrymis rigare manus & pedes, quod antea non poterat. Potuit introspicere vulnus lateris, quo & viscera Filii patebant, & cor ipsum. O quam intensi tunc fuere dolores Matris Iesu, dicentis de illo sicut David de Absalone: *Fili mi Fili mi, quis det ut moriar pro te?* Martyrii B. M. renovatum

Olim Iacob noluit admittere consolationem, ubi vidit Filii vestem sanguine tinctam, sed dicebat *Tunica Filii mei est, fera pessima devoravit eum, bestia devoravit Ioseph.* Congregatisque cunctis liberis eius, ut Patris lenirent dolorem, nullo fuit affectus solatio, sed dixit: *Descendam ad Filium meum lugens in infernum.* Non egemus te interrogare, ô Virgo, an hæc sit tunica Filii tui: Verè illius tunica est, in utero tuo texta, qua tegeret divinitatem suam. Fera pessima sic scidit eam invidiæ fera. Nõ alieno, sed suo tincta est sanguine. Nec tincta solum, sed immersa, quia unde quaque dilacerata & perfossa cruore redundat; ideò meritò cruore cordis tui, hoc est lacrymis, eam denuò inspergis, renovatis in corde tuo eius doloribus. Certè, si S. Catharina Senensis, Maria Ogniacæa, Coleta, Gertrudis, & aliæ, non potuere Iesum Crucifixum intueri sine lacrymis ex intima compassione profluentibus, quantò plures dedit Virgo Virginum lacrymas, quæ non iam præteritos dolores recolebat, sed præsentes intuebatur, & quidem Filii sui dilectissimi? Gen. 37.

Accedamus & nos, nostrasque cum Matris nostræ lacrymis lacrymas misceamus, illud piè ruminantes: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius.* In his verbis abscondita latet virtus cælestis ait quidam Sanctus, potens in lacrymas resolvere cor & oculos Fidelium, dum intimè recogitatis statio hæc Virginis mutuus respectus Matris & Filii, utriusq; allocutio, utriusque etiam separatio, & cordi Iesu apertio. Ingrediamur in illud per hoc ostium tamquam in Arcam, ut ibi cum Maria conquiescamus & nihil cogitemus nisi Iesum & hunc Crucifixum.

LECTIO XVI.

Doleo super te Frater mi Ionatha, &c.
2. Reg. 1.

De funebri ludu Christi *nevando*

MOrs ita luctu digna est, ut etiam improborum mortem lugendam censuerint viri sancti. Notum est quomodo mortem Absolonis lugeat David: licet ipse paterno diademati & sanguinali insidiaretur impientissimè. Sic & Saulem mortuum deplorat amantissimè & amantissimè. De quo eleganter S. Basilius Seleucus, orat. 17 *Sublatum singulis annis Saulem dolenter admodum lugebat David illustrabat tumulo, tumulum lamentis ornabat: & hæres Sceptri morum non adibat hæreditatem.* Nos itaque convenit Iesu Patris ac Fratris nostri tumulum ac

neccm

necem lamentis exornare: sed cum simus hæredes Sceptri eius, h. e. Crucis per quam toto orbe domi natur, etiam morum adire hæreditatem necesse est hæreditatem virtutum quæ in ipso effluxerunt, patientiæ, humilitatis, obedientiæ, charitatis, ac alia rum. Ipse enim reliquit nobis pro testamẽto & hæreditate Imaginem virtutum suæ. Imaginem mortis suæ, Crucisque Sceptrum. In his tamquam filii gloriemur, quia ibi est *Salus vita & resurrectio nostra*, crucifigique nos oportet cum illo ut possimus dicere:

Ecce meum crucifixus amor crucifixit amorem.
Spemq; meam fixit spes crucifixa Cruci.

Lugere ergo cum non tantum debemus, sed & imitari: Lugere non solum sicut David Saulem, sed sicut ipse Ionatham, quia mortem eius deplorans, morum adibat hæreditatem. Conglutinata erat anima Davidis animæ Ionathæ, similis simili, humilis humili: nec solum humana eos amicitia, sed & virtus colligabat: non solum humores cõfœderabant pares, sed & mores. Quapropter Ionathas idem esse dicitur quod *Columba veniens*. Erat utraque Columba pura, candida, & sine felle, anima Davidis & anima Ionathæ: consociantur q; ideo pietate, & indiviso fœdere, sive in vita, sive in morte. Verè Ionathas ipse Christus, super quẽ Columba venit, & qui ad nos tamquam Columba venit, & nunc eius anima egreditur, quasi Columba de arca, post tres dies reversura. Nos interim illustremus eius tumulum lacrymis & lamentis instar Davidis, & ei eidem Epitaphium illustre appendamus, quod David Ionathæ, quia magis ei convenit quam Ionathæ:

Doleo super te frater mi Ionatha,
Decore nimis, & amabilis super amorem mulierum,
Sagitta Ionathæ numquam rediit retrorsum.
Quomodò cecidit fortis in bello?
Aquilis velocior, Leone fortior,
In excelsis, heu, occisus est.

Epitaphium Ionatha Christo accommodatum Christus frater noster, 2. Reg. 1. Sagitta Christi. Ps. 44. Isa. 46.

Frater noster est Columbinus & amantissimus frater amabilis super omnem amorem creaturarum, cui debet esse conglutinata anima nostra indissolubiliter, sive in vita, sive in morte. *Sagitta eius nunquam redit retrorsum.* Doctrina enim eius viva fuit & penetrans usque ad intima cordis. *Sagitta eius acuta in corda inimicorum Regis*, quia & pro persecutoribus orans, eorum animos penetravit, & multa millia convertit. *Posuit eum Dominus quasi sagittam electam*, quia & de ipso cruens arcu multorum corda salubriter vulneravit. Ista sagitta vulnerati populi sub ipso cadent, immò ad idipsum vulnerantem recurrẽt, quasi cervi transfixi ad fontẽ aquarum. Audi S. Chrysostomum. *Ista sagitta vulneratus mente dicebat David. Adhæsit anima mea post te.* Ista sagitta vulneratus Petrus dicebat Christo: *Domine tu nosti quia amo te.* Ista sagitta vulneratus Paulus & Christo connvinculatus dicebat. *Quis nos separabit à charitate Christi.* Ista sagitta vulnerata casta Sponsa dicebat: *Vulnerata charitate ego sum.* O semitus de medio cordis amabilis! Hæc S. Chrysostomus. Quomodò ergo cecidit is cuius sagitta numquam rediit retrorsum: Qui ita fortis erat in bello; Cuius cypeus num quam fuit inanis? Cecidit heu! cecidit, ut nos erigeret. Vulneratus est, ut eius vulnus sanitas nobis foret. Mortuus est, ut mors ipsius nobis vita fieret. Infirmus factus est, ut nobis fortitudinem conferret: *Dum in eo mors irruit, vulnerum occidit. occidit & iure omnium perdidit servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem*, inquit S. Leo.

Christus cecidit, ut nos erigeret.

Ulterius ipse est Leone fortior: *Leo de tribu Iuda*, qui vicit Leonem illum qui *circuit quærẽs quẽ devoret*, cui & propheticè dicit Iacob: *Catulus Leonis Iuda ad prædam ascendisti fili mi. Laudabunt te fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum, adorabunt te filii patris tui.* Ipse quoque est Aquilis velocior, de quo Propheta pronunciavit: *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos & super eos volitans, assumpsit eos in humeris, in fortitudine sua. ut portaret eos ad habitaculum sanctum suum.* Ceterẽ quod in cruce extendit alas brachiorum suorum, nonnisi id propter pullos suos facit, ut volitare doceat, & infirmos in locum tutum cælestis habitaculi deportet. Verumtamen licet sit *Leone fortior. Aquilis velocior*, voluit se imbellem Agnum exhibere. Ideo *in excelsis occisus est*, in sublimi altari crucis immolatus, sine voce, sine resistentia, sine contradictione. Et hoc quidem propter nos ideoque meritò poscit lachrymas & lamenta à nobis, in reciprocationem amoris, quia ita nos amavit.

Christus Leone fortior. Gen. 49. *Velocior aquilis.* Deut. 33.

Christus in excelsis occisus est.

Iure ergo dicimus cum Davide: *Doleo super te Frater mi, Frater amabilis nimis.* Doleo super me, quia pro peccatis meis occisus es in excelsis, Aquila velocior. Leone fortior. Iure quoq; cum Hieremia repetimus: *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Et illud capite sequenti. *Heu, defecit gaudium cordis nostri! Cecidit corona capitis nostri: Væ nobis quia peccavimus.* Quidni doleam vehementer, dum cerno toto in corpore tuo sculptum dolorem, sculptum amorẽ, in dolore amorem, in amore dolorem: ideoque quia amans & amabilis nimis es; etiam nimis cheu mihi lamentabilis es, & deplorabilis! Quomodò non doleam, dum intueor nudatum pectus, cruentum latus, latũ lateris vulnus, manus pedesque clavis crudelissimis confixos & terebratos, caput languidum & depressum, faciem fulgidissimã cõtenebratam, genas amabiles detritas & vellicatas, oculos & lumina decora sic extincta, regiũ os expallens, labia dependentia, viscera tensa & arentia, corpus exangue & dilaceratum, membra omnia sanguineo fluore cruentata & deformata? Dolens ergo & gemens inclamare cogor: *O Virum dolorũ! ô Virum amorum! ô novissimum virorum! Quo frater mi amabilis? quò fili primogenite Dei? quo tua descendit humilitas? quò tua flagravit charitas? quò processit pietas? quò exercuit benignitas? quò tuus attigit amor? quò pervenit compassio? Doleo super te, quia in domo eorum qui diligebant te sic plagatus es,*

Condolẽdũ Christo, quia propter peccata nostra occisus est. Thren. 4.

Vide suis August. Medit. c. 6.

in domo eorum qui tot beneficiis devincti erant ad amandum te. Sed doleo super me, quia ego iniquè egi, tu pœna mulctaris: ego facinus admisi, tu plecteris: ego crimen edidi, tu torturæ subiiceris: ego superbivi, tu humiliaris: ego inobediens extiti, tu sæclus inobedientiæ luis: ego gulæ pa vi, tu inedia afficeris. *Me ad illicitam concupiscentiam rapuit arbor libidinis, te charitas duxit ad arborem crucis, Tu fellis gustas amaritudinem, ego pomi dulcedinem. mihi ridens congaudet Eva, tibi plorans compatitur Maria,* Mea te luxuria denudavit superbia coronavit, ira transfixit, gula afflixit, &c.

2. Condolendum Christo ut propeccatis nostris mortuo amorem repẽ damus.

2. *Doleo super te,* ô Vir dolorum, ô frater amabilis nimis: quia sic peccata nostra in te transtulisti, ut illa expiares, & pro nobis satisfaceres: sic amasti nos, & nullum rependimus amorem: Quam pauci amant te, & pauci dolent super te: Doleo super me, & super cæcitate nostra, quia pauci cognoscunt te, pauci agnoscunt quanto nos prosecutus fueris amore, ideoque illum sepeliunt obliviosa ingratitudine; cum tamen pateſcant semper omnibus inspicere & legere volentibus tui charas æteres amoris, toto tuo insculpti corpore. Doleo, quia adeo exiguus est fructus doctrinæ, Passionis Mortis tuæ in his qui pereunt, in terrenis cordibus qui illum abscondunt & sepelunt sine fruge & sine compassione, cum tamen audiant te illud Iob inclamantem: *Terra ne operias sanguinem meum, & non habeat locum in te clamor meus,*

Iob. 16.

3. Condolendum Christo cum Maria Matre sua

3. *Doleo super te,* quia dolet super te Mater tua, Materque mea: & vehementer dolet, quia amat vehementer, inflammatur dolore, quia ardet amore. Nodo quodam & inexplicabili dolore & cruciatu, iterus te parturit, meque tecum, dum singula adhuc hiantia contemplatur & contrectat vulnera ad cor usque felicior inclamans voce, quam Thomas in lateris exploratione: *Dominus meus, & Deus meus,* Stat quidem constans, non minus quam Abraham, parata te filium suum & gaudium suum Patri immolare pro omnium redemptione, attamen dum inter brachia materna deponeris, suo te apprimit pectori, & non potest non maternoindulgere dolori, lachrymis calidissimis, quasi cruore ex medullis cordis sui depromptis lenans & irrigans singula vulnera, & velut perũgens hac unctione pretiosa: prævenienſque unctionem myrrhæ & aloes, per myrrham amarissimi doloris, per aloe afflictionis indicibilis. Anima eius & cor amantissimum, velut cera igni admota non potuit non liquefieri charitatis & compassionis ardore, totumque in lachrymas effluere, quæ fluerent in te cordis sui filium. Quid poterat aliud dicere hæc Mater, carneam vestem filii sui, sic conscissam, sic sanguinolentam contemplans & contrectans, & fi gens osculum modò capiti, modò oculis & genis, modò ori & labiis, modò brachiis. & manibus, modò lateri & pedibus, nisi hæc & similia, c.more cordis non oris: O dilecte Fili cordis mei, quænam crudelia corda, crudelesque manus te sic tractare sic fœdare ausæ fuerunt, sine ulla pietate & compassione: O mors, mors, itane es ausa super Auctorem vitæ: O benedicti oculi, ficcine estis obtenebrati & in mortem clausi? O divinæ manus, vel mihi saltem osculũ permittite, Matri quæ vos genuit: O dulcissimum os, ergò ne verbum Sapientiæ non ultra te audiet Mater desolata? O labia mea, aspergite vos labiorum eius amabili cruore: O corpus innocentissimum in visceribus meis à Spiritu Sancto formatum, quomodò video te deformatum: O caput languidum, quam mihi constat carò te cum gaudio peperisse: iam enim illud gaudium carò persolvo, quod persensi in Nativitate, in Regum adoratione, in Cantico Simeonis & Annæ: Iam effectu agnosco quam verè dixerit mihi. *Tuam ipsius animam gladius doloris pertransibit.* O Fili: ô vita! ô lux mea! ô gloria mea! ô totum bonum meum.

Quidni ergò doleam super te, ô Frater mi amabilis nimis, dum sic dolet Mater tua, Materq; mea Quomodò ei non compatiar, dum sic compatitur tibi? Si non compatior, certè & fraternum defero erga te affectum, & filialem erga ipsam. Vngam ergò & ego lachrymis, leniamque vulnera tua; Matris dolorem allociabo &, quoad in me erit alleviabo, non oblivisear te mihi Fratrem esse, meque tibi nec ero Marti Frlius inde votus, nec frater fratri ingratus. Vique ad sepulchrum te deducam, dolens & lugens super te, cum Maria, Matre. Brevè hoc iter erat è loco crucifixionis, & planum ac facile: sed quam durum Matri, quamque tædiosum: Asserere ausim, durius tædiosiusq; illi fuisse iter istud, quam iter confragosum & longum à Galilæa in Ægyptũ. Ibi solabatur se Maria, & itineris alleviabat dolores, quod Filium & talem Filium in ulnis amantissimis gestaret, panniculis involutum, & sibi arridentem. Hic gravissimè affligi necesse est maternum amorem, du deferri alienis ulnis & manibus coram se videt Filium sindone mortis involutum. Ibi montes & colles ei erant in deliciis, dum te spectabat pignus suum charissimũ. Hic omnia in mœrore sunt, dum nonnisi triste & funestum occurrit spectaculum, concutiens cor maternum.

4. Condolendum Christo cum Magdalena.

4. *Dolo super te,* non solum cum Matre, sed & cum Magdalena, quæ non deserit pedes quos semel lachrymis irrigavit in domo Simonis, illos perpetuo fletu rigare, à cruce ad sepulchrum pergens, eorum non depositura memoriam tota vita. Doleo super te cum Ioanne, individuo Matris suæ Filio & dolorum eius consorte, qui non deserit pectus in quo caput reclinavit, & undam sapientiæ hausit salutaris; nunc autem in illum Fontem, piarum lachrymarum copiam refundit. Doleo super te, cum nobili & pio Ioseph o Arimathæo, qui pedes manusque non deserit, è quibus clavos, nec caput, ex quo cruentam coronam spinea extraxit. Ipse

Ipse primò in corde suo, deinde in suo monumento locum tibi lugens & dolens præparavit, quod in petra novum excisum erat. Ipse votis omnibus optabat ut petra nativum suum rigorem & asperitatem poneret, & mitesceret; sicque teneros tuos artus cum pietate complecteretur, & eorum dignitatem agnosceret. Doleo super te cum devoto Nicodemo, qui spiritu toto unctus accessit cum centum libris unguenti pretiosi, & cum sindone munda: lugens dolensque non deserit sindonem istam, nec corpus tuum involutum in ea, donec tuto & honorifico loco collocarit, tibi commortuus, tibi consepultus; & sic apertum se iam discipulum ostendit, qui antea erat occultus.

Uterque illorum nō solùm terrenis opibus, sed & virtutibus locuples, nō pepercit sumptibus propter te. Uterq; nihil veritus probra, irrisiones, maledicta, sed fidem fixam habens in Dei regno opē suam contulit ut deponeretis de ligno maledicto, & honorificè condieretis præparato in tumulo. O ter quaterque felices, quibus datum est ut iustæ filio Dei persolverent, corpus divinū contrectarent cum pietate, involuerent cum compassione, deducerent cum honore, funus & exequias tristes celebrarent cum dolore & amore; sicque Parenti parentum omnium parentarent, Angelorum choro spectante, & obstupescente.

§. Condolēdū Christo cum insensibilibus creaturis.

5 Denique, *doleo super te*, quia Sol, & Cælum, Terra & Templum, & insensibiles aliæ creaturæ dolent & lugent super te. Sol enim & astra suam retrazare lucem, non solùm in abominatione Iudaici sceleris, & in testimonium admirabilis eorum cæcitatis: sed etiam in testimonium quod verus Sol & Solis auctor moreretur: ideoque lugubrem sibi vestem circumcingit, tenebras scil. quasi saccum, quo & in signum luctus orbem induit ob obitum Creatoris. Sic & *Velum templi scissum est*, nō solùm ut significaretur Synagogæ dissolutio & populi Iudaici in diversas partes divisio & dissipatio, simulque vetera sacramenta desiisse, & iam viam in cælū quasi in Sancta sanctorum per Christi mortem patefactam esse: Sed etiam ut significaretur, Templum ipsum præluctu, ut mos illius erat temporis, vestem suam scindere, & Templi Dominum deplorare, cuius anima à corpore erat separata, sicut Vult partes à se mutuò erāt divulsæ. In symbolum quoque luctus communis inter elementa, nō solùm aer obscuratur, sed etiam terra & petræ finduntur, & monumēta aperiuntur: in quibusdam etiam insulis matris hæc vox resonare auditur. *Magnus Pan mortuus est*. Sicut obeuntem Patremfamilias, non solum filii & famuli, sed & ipsi parietes mox lugere videntur, nigris vestiti & funestis pannis: Sic moriente te, Domine Iesu, qui omnium Creator es, Pastor & Rector, creaturæ tuæ funus & exequias suo celebrant modo, condemnantes corda dura, quæ nulla commoventur hac in re compassione aut dolore. Cur ergo non doleam super te, & propter te, si insensibilia lugent & dolent? *Vsquemodò*, inquit S. Bernardus, *Passio Domini facit terram tremere, petras findi, sepulchra aperiri, velum scindi*. Id certè fit dum terreni homines passionem hanc rumi nantes timore sancto cōcutiuntur: dum duri instar petræ, in eius considerationē, compunctione cordis finduntur; dum sepulchra, signata & obserata propter verecundiam, per confessionē aperiuntur: dum velum quod inter eos & Deum separationem inducebat, discinditur, & lacrymæ fluunt ob eius offensā. De his esse peropto, & ideo super te doleo amantissime Domine creator & Redemptor, omnesq; mecum dolere cupio, & lacrymas dare, cuiuscumque sint gradus, sexus, aut conditionis.

Bern. Feria 2. heb. sanct.

Omnis status & sexus ad condolendū Christo provocatur.

1. Accedite igitur Reges & Principes, dolete super cum qui Rex Regum est, cuius *Principatus super humerum eius, qui emittet Sceptrum & Virgam virtutis suæ ex Sion*, ut dominetur in medio inimicorum suorum. An non ignoratis, *quoniam Princeps & maximus cecidit hodie in Israel?* Si id ignoratis legite titulum Sceptri eius: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*. Nec miremini hoc inscriptum patibulo. Etenim Dominus regnavit a ligno. Plorate ergo super hoc Sceptro, illudque lachrymis rigate: plorate super eius Corona & Diademate; plorate super eius paludamento purpureo & regio, sic dilacero, sic conscisso propter vos, ut gloriam & regnum ac principatum vobis compararet, & dicite illud Hieremiæ 22 ex imo cordis: *Væ Domine! Væ Frater! Væ inclyta!* Aut dicite levātes vocem cum Rege Davide plangente Principem Abner sacrum illud Epicedium: *Non sicut solent ignavi mortuus es. Manus tua ligatæ non sunt compedibus aggravati: sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti*. Non enim funes, vel clavi, ei manus ligare potuerunt, aut pedes; sed propria charitate sese fortiter & voluntarie tradidit filiis iniquitatis, ut pro illis moreretur, & pro vobis.

Reges & Principes 2. Reg. 3.

Ibid.

2. Accedite Sacerdotes & Pastores, & dolete ac plangite super Pastorem Pastorum, Summumque Sacerdotum: quia in monte oblato Sacrificio omnium præcedentium sacrificiorum consummativo mortuus est; vultq; ut Sacrificii & Mortis suæ omni tempore commemorationem agatis, sed maxime hisce diebus. Mortis eius repræsentātæ specialiter consecrati, specialiterque Sanguine eius aspersis. Si olim occumbente Moyse populi Duce ac Pastore, & Aarone supremo Sacerdote, *omnis multitudo flevit triginta diebus per cunctas familias suas*. Quid vos oportet facere Sacerdotes, salem his diebus postremis lugubres Quadragesimæ, pro illo, qui vos suæ fecit participes unctionis, & insignivit sacerdotali charactere in consortium potestatis? Lugete ergo Sacerdotem Sacerdotum, & lachrymis rigate eius Coronam Sacerdotalem ac Thiaram, eius Vestem diversicolorem, eius Digitos clavis quasi gemmis ornatos, eius Aras,

Sacerdotes & Pastores.

Deut. 34. Num. 20.

Altare, aliaque Insignia Sacerdotii eius, amore sed dolore plena.

Omnes veri amici Iesu. *Prov.17*

3. Accedite quicunque amici estis, quia *omni tempore diligit, qui amicus est*, & maxime in afflictione. Quod si lachrymæ vobis desunt, vel saltem vestra parum convenire iudicantur: saltem ad imitationem vos provocent amici, qui patientem Iob in afflictione sua visitarunt. Venientes hi ad eum videntesque sedentem in sterquilinio, à capite usque ad calcem percussum, omnigenis ulceribus & doloribus afflictum, ita attoniti fuere & stupore perculsi, ut septem diebus coram eo sedentes & stupentes nihil valerent eloqui. Quid ita? *Quia videbant dolorem nimiú esse vehementem.* Et qui prius eius opulentiam, fœlicitatem, pœnitentiam probe novetant; tantam nunc abiectionem, miseriam, infœliciratem non satis corporis & animi oculis considerare poterant.

Quid facient veri Iesu amici, videntes eum in Calvariæ monte inter spurcitias & fœtores cadaverum ceu in sterquilinio jacentem, exulceratum, cõfixum, conspurcatum, ac velut leprosum à vertice ad calcem percussum? An non vel lachrymis ulcera ungent, vel attoniti in silentio stabunt eo usque miseriæ propter se proiectum considerantes amicum illum, qui autem divinitatis & maiestatis fulgore ac potentia omnem à se propulsare valebat caliginem calamitosam? Ergo lugete amici, & dolete super eum, quia propter amicitiam & singularem benevolentiam hæc solummodo patitur, & emoritur propter vos.

Mulieres & matronæ.

4. Accedite & vos mulieres & matronæ, cum MARIA Matre eiusque consanguineis & consodalibus lugetè & dolete super eum; quia illi gratissimum est obsequium vestrum cũ ubertate lachrymarum, quas tenera mens vestra cũ pietate potest educere de cordis compassione. Accedite & vos, ô *Virgines.* Virgines, dolete super filia Iephte, hoc est, super Humanitate Iesu, cuius illa erat typus, quã Pater æternus in monte Calvariæ immolavit in Holocaustum, ut huius immolationis merito victoria plena de hostibus potiremur: Ipsa quoque hoc Patris cælestis desiderium magna obedientia adimplevit, seipsam offerens & immolans, & nõ minus quam filia Iephte dicens: *Fac quod pollicitus es, concessa tibi victoria de hostibus tuis.* Mos autem increbuit in Israel, *ut post anni circulum conveniant in unum filia Israel, & plangant filiam Iepte diebus quatuor.* Et vos igitur huíce quatuor saltem diebus extremis lugete super Humanitate Iesu: lugete eius virginitatem, hoc est, integritatem & innocẽtiam tormentis sic affectam. Quod ſi per montes lugere vultis, ite ad montem Sion, ubi valedixit, ad montem Oliveti, ubi pati incepit, ad montem Calvariæ, ubi immolari voluit. Gratæ ei erunt vestræ lachrymæ his diebus.

Iud.11.

Omnes omnino mortales.

5. Accedite denique omnes, sive plebei sive nobiles, sive divites sive pauperes, sive idiotæ, sive sapientes; & dolete, quia hic iacet Gemma nobilium, Pater pauperum, Provisor divitum, Medicus ægrorum, Consolator afflictorum, Gloria sapientum, Sapientia idiotarum; ideoque ab omnibus poscit luctum & lamentum. Olim mortuum Iosiam pium & amabilem Regem lugebat universus Israel, & Ieremias Propheta lamentationis super eum edidit, quæ quotannis lugubri sono repetebantur, 2. *Paralip.* 35 lugebantque eum Familiæ & familiæ seorsũ, *Zach.* 12 Ecce Iosias noster (quod interpretatur Oblatio Domini) cuius alter Iosias typum gessit, mortuus est, & quotannis propter eum repetuntur lamentationes Ieremiæ Lugeant ergo Familiæ & familiæ seorsum in Ecclesiis suis; lugeant familiæ Religiosæ, sive ex viris sive ex fœminis compositæ; lugeant familiæ sæculares, lugeant pauperes & divites, quia pro omnibus mortuus est pius Pater populi sui, pro omnibus oblatus est in victimam. Iuxta arborem mortuus dicitur Iosias, quæ post exaruit; iuxta arborẽ mortuus est Iosias noster, Christus, quæ nunquam exaresceret, sed maxime frondebit, florescet, fructificabit, *Zach.11.* si lachrymis nostris irrigetur quotannis.

Conclusio.

EFfunde, Domine, in familias tuas *spiritum gratiæ & precum*, spiritum compassionis, & orationis, ac compunctionis, ut *aspiciant ad te, quem confixerunt; & plangant super te, planctu quasi super unigenitum.* Plangant te & se omnes, vel simul, vel seorsum, vel in Ecclesia publica, vel in domo aut oratorio privato, lavent̃que his compassionis lachrymis delicta sua, lavent vulnera tua, lavent manus, lavent pedes tuos, lavent cor & affectus suos, sicque fiant tibi victima & oblatio grata lachrymis conspersa fidelibus.

TRA-

TRACTATVS I.
DE EVANGELIIS,
A DOMINICA PASCHATIS,
VSQVE AD ASCENSIONEM DOMINI.

PRO DIE PASCHATIS.

LECT. I. bipartita.

Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, &c. Marc. 16.

PARS I. *Mulieres Evangelicas perseveranter Christum amasse.*

ANtiqui veræ & perfectæ amicitiæ conditiones nobis repræsentantes, depinxerunt Amicitiam quasi Iuuenē formosum, capite detecto stantem, secta & hirsuta veste indutū, cū inscriptione in fronte, *Æstas & Hiems*. Hic juvenis latus quoque gerebat apertum, & digito demonstrabat in corde scriptum, *Longè & propè*. Fimbriæ verò vestis inscriptum erat, *Vita & Mors*. Emblema est nō otiosum, nec à nostro proposito alienū. Quid ætas juvenilis aliud designat, quam amorē inter veros amicos nunquam veteraſcere, sed semper recentem esse? Quid hirsuta vestis, nisi amicitiā semper esse promptam ad labores pro amico ferendos? Quid caput detectum, nisi amicum propter pudorem nunquam negandum? Quid *Æstas & Hiems* fronti inscripta, nisi amicum in prosperis & adversis diligendum? Quid *Longè & propè*, nisi affectum nunquam deficere, sive præsens sit amicus, sive absens; Quid denique *Vita & Mors*, nisi amorem perennare, & post mortem perseverare? Conforme est quod in sacris eloquiis dicitur: *Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur.*

Amicitiæ emblema.

Zach. 13.

Conclusio.

Prov. 17

Omnes porrò istæ veræ amicitiæ conditiones reperiuntur in mulieribus nostris Evangelicis erga Christum Dominum. Amaverunt enim eum in prosperis & adversis; Amaverunt in præsentia & absentia; Amaverunt in vita, in morte, post mortem, & totā nunc amant æternitate.

Mulieres amarunt Christū in vita.

Primò amarunt in vita Dominum, quem continuò secuti sunt, cui indivisim adhæserūt, affectu, obsequio, ministerio. Audientes enim verbū eius sequebantur per castella docentem & evangelizātem regnum Dei, Sedebant ad pedes annunciantis bona æterna, cooperanteſque zelo ejus ministrabant de facultatibus suis, & propter ipsum domos proprias deserebant. O verè firma & solida amicitia, quæ non fuit in affectu terreno rerum huius sæculi initiata, sed in affectu cœlesti bonorum futuri ævi fundata! O verè solida amicitia, propter quam deseruntur illa quæ pereunt, inquiruntur quæ perennant! Felices hæ mulieres, quæ non solum facultates temporales Christo Domino ex zelo divinæ gloriæ dicabant, sed etiam spirituales, voluntatem scilicet atque animum cum omnibus suis facultatibus, Felices, non quia gressu corporis eum sequebantur, sed quia eius verbis voluntatique toto corde obsequebantur.

Luc. 8.

Secundo, amaverunt adhæserunt ei in morte Sequebantur enim in passione, quando *exuvit bajulans sibi crucem.* Dumque ipse sua respergeret vestigia sanguine tanquam cruore corporis; illæ eadem inspergebant lachrymis tanquam cruore cordis Flebant amarè, quia didicerant pridem non sicte amare. Neque divulsæ sunt ab eo, licet divulsus sit ab eis, spiritum quando reddidit. Stabunt dum transfixus fuit in cruce: sed stabant corde ei confixæ, & compassionis telo transverberatæ. Fortiores fuere Apostolis, qui Dominum suum deseruerunt in angustiis. Sequi eum potuerunt Apostoli usque ad fractionem panis, non potuerunt sequi nunc usque ad bibendum calicem Passionis. Secutæ sunt mulieres, & viderunt eius dolores, spinas, crucem clavos: nec siccis viderunt oculis, quia non poterant esse exortes doloris, quæ vulneratæ erant iaculo caritatis. Non poterant non commori morienti Iesu, quia vita & amor eraum moriebatur,

In morte.

Tertio, amaverunt post mortem, Adstabant enim dum deponitur de cruce, dum involvis ur sindone, dum traditur sepulturæ. Noctes quoque sub sequentes peregerunt vigiles, ob amorē, ob dolorem. Sabbathum admodum eis onerosum fuit, in quo operari non licebat, sed propter mandatum silendum erat, ut expressit S. Lucas *Cum veroterant fisset sabbathum, emerunt aromata* [ultra ea quæ tā à sepultura è vestigio pararant, de quibus etiam S. Lucas mentionem facit] & venerunt ad monumentum, *ut ei quem viventem dilexerunt etiam mortuo*

Post mortem.

Luc. 24.

Psal. 30.

Mortuo studio humanitatis obsequantur, ait S. Greg. Non poterit de ipsis cõqueri Dominus: *Oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Vivebat utiq; in earum corde, qui oblivioni videbatur traditus, quia jacebat in pulvere. Sat clata dant indicia, se non solum viventem dilexisse, sed & crucifixum, & sepultum. Unde potuerunt dicere: *Si ascendero*

Psal. 131. *in lectum strati mei si dedero somnum oculis meis & palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domini, tabernaculum Dei Iacob.* Quis est iste locus Domini nisi Loculus ubi dignatus est jacere & emortua membra componere? Quod est tabernaculum Dei Iacob, nisi monumentum ubi post luctam in cruce peractam ad tempus fixit taberna culum? Illuc igitur jugiter mente pergunt, ad illud

Vis amoris mulieribus fortis quam. suspirant continuò, quia ibi agebat amator & consolator earum. Quapropter cum transisset Sabbatum, ne quidem auroram exspectant, aut lucis rum, sed noctem pro luce, desiderium producere Lunam pro Sole arripiunt: & valde manè una Sabbatorum, sive prima die sequente Sabbatum, proficiscuntur & veniunt ad Monumentum. Sic nescit in eis tarda molimina dilectio sancta. Nec tenebras, nec militum custodiam nec lapidem advolutum ita mente revoluunt, ut retardari inde valeant: quin sibi assumpserunt ut ducem & auxiliatorem amorem lucidum in nocte, amorem in fortem in infirmitate, amorem invictum in formidine. Nemo est qui non horreat sepulchrum & cadaver, maximè tenebroso tempore: domus mortis uniquique domus est formidinis cum & mater ad proprios dilectæ funus nõ adsistet in caligine sine aliquo terrore. At mulieres hac nocte accedunt intrepidè nocte corpus mortuum & dilacerum paratæ sunt contrectare & ungere, affectu superante sexũ. Et quamvis unctum viderint copiosè à Nicodemo & Ioseph Arimatheo afferente mirrhæ aloes libras quasi centum, vis tamen amoris facit ut & ipsæ proprium obsequium velint impendere illi quem amabant: facitque ut minus actum videatur quicquid obsequii sine eis Domino est impensum. Ideo volunt etiam ipsæ dilectionis suæ satisfacere, nec contentæ alienapietate, desiderant per semetipsas Dilecto inservire.

Itaque propter hunc ferventem & perseverantem amorem merentur primæ Angelorum visionem; merentur ipsius Domini apparitionem & salutationem. *Aversi* merentur pedum eius exosculationem: merentur denique ad annunciandum resurrectionem à Domino missionem. Quid ultra? Quæ corpus unctura venerant, merentur specialem animæ unctionem. Utique, *uncta remeant, quas unctura ad venerant*, inquit S. Bernardus. Quomodo unctæ? Vnxit eas Dominus oleo lætitiæ præ consortibus suis, unxit eas oleo gratiæ præ participibus suis. Persenserunt & participarunt myrrham, guttam, & cassiam à vestimentis gloriosis humanitatis eius promanantem, delectantem Regias. Experiæ sunt quam verum sit illud: *Odor unguentorum illius super omnia aromata.* Audi Bernardum de earum unctione loquentem Cant. 4. serm. 75. in Cant. *Vncta remeant, quæ unctura venerant. Quidni uncta tam lato nuncio nova & odorifera resurrectionis? Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Missa ab Angelo, dum festinant ad annunciandum mane misericordiam Domini, dicunt. In odorem unguentorum tuorum currimus.* Exinde odor ille toto orbe diffusus multos attraxit etiam de sexu muliebri, ut venirent & viderent sepulchrum, locumque ubi positus erat Dominus, ut pulverem pedum eius lingerent, dicentes cum Prophetа: *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius.* Psal. 131.

S. mulierum pie imitatrices. Celebres sunt ob id apud S. Hieronymum multæ mulieres, inter quas Paula & Eustochium Blesilia, Melana, Marcella, Læta, Fabiola, quæ odore pietatis attractæ, & has imitatæ Evangelicas Heromas, Romanæ urbis splendorem, opes, honores deseruerunt, & ad visitandum Christi præsepe & sepulchrum in Ludæam venerunt, ibique vitam sanctam ad senectam usque tradiderunt. Unde de S. Paula sic loquitur S. Hieron. ep. 72. *Ingressa sepulchrum Dominicum osculabatur lapidem, & ipsum corporis locum in quo Christus iacuerat, quasi sitiens desideratæ aquæ, fideli ore lambebat.*

Celebris est & S. Helena, quæ sepulchrũ Domini visitans non attulit unguenta aut aromata, sed attulit opes regias, magnificentissimumque ibidem templum excitavit ad sepulchrum Domini exornandum, in quo Godefridus Bullonius recuperator terræ sanctæ, & primus Rex Ierusalem, & deinceps alii Reges sunt sepulti. Et hoc quidem templum adeo celebre fuit miraculis, ut annis singulis ibi in die Sancti Sabbati lampades omnes divinitus accenderentur post baptismales fontes conseratos.

Celebris est quoque Maria Ægyptiaca, quæ antea peccatrix immunda & fœtida, visitans Ecclesiam S. Sepulchri cœpit currere in odorem unguentorum Domini. Nam ibi conversionis suæ initium faciens, processit in eremum, ubi per 47. annos in oratione & lacrymis sanctissimam vitã duxit, mirabili spiritus unctione prævẽta. Sic Cosmana uxor Germani Patricii cum adisset Sepulchrum Domini, à B. Virgine sibi apparente fuit repulsa [sicut & primo ingressu repulsa fuerat Ægyptiaca] quia hæresi Severi erat infecta, noluitque B. Virgo ut ingrederetur locum illum sanctissimum nisi cũ unguento veræ fidei. Quapropter confessa & pœnitens, fidemque veram amplectens & communicans sacris mysteriis admissa fuit ad S. Sepulchrũ, ibique conversionis suæ jecit primordia, ut refert Sophron. Prati spirit. c. 48. Sic. & S. Pelagia cũ Antiochiæ vitam impuram duxisset, & à S. Nonno conversa, nocte se à domesticis surripuit, & ad sanctum Domini Sepulchrum veniens, postquã illud visitasset cum aliis locis sanctis, in monte Oliveti cellulã

cellula se inclusit in habitu virili, & ibi in austera pœnitentia vitam finivit. Vide vitam 8. Octobr.

Celebris denique est in Belgio S. Reineldis, filia S. Amalbergæ & Witgeri Comitis, quæ postquam sæculi vanitatibus (ut Deo vacaret in castitate) nuncium remisisset, post longam pœnitentiæ exercitationem Sepulchrum Domini adiit, & loca sancta invisit, ibique multis annis commorata, non sine unctione rediit Theodidacta, sive Docibilis Dei: *Unctio docet vos de omnibus.* Didicit ipsa fortiter pro Christo mortem obire, & sanguinem fundere, cum loca visitasset sanguine & morte Domini consecrata. Meritò igitur S. Bernardus cap. 11. ad milites templi dicit: *Sepulchrum Christi inter loca devotionis quodammodo tenes principatum & devotionis nescio quid plus sentitur, ubi mortuus requievit, quam ubi vivens conversatus est: & amplius movet ad pietatem, mortu quam vita recordatio.* Huius devotionis participes sunt 1. quicunque in spiritu ad monumentum Domini hoc sancto tempore accedunt cum unguento compunctionis, ut ungant pedes Domini; quod quidem unguentum conficitur ex recordatione peccatorum. 2. quia accedunt cum unguento pietatis & fidei, ut ungant caput Domini, quod est Divinitas; & hoc cõficitur ex recordatione pia beneficiorum eius. 3. qui accedunt cum unguento compassionis, ut ungant corpus & membra eius: & hoc componitur ex misericordiæ operibus, quæ egenis prosunt, qui sunt membra eius. Et hi imitantur Magdalenam, quæ cum in domo Simonis unxisset pedes Domini, & in Bethania caput, nunc properabat totum corpus ungere, ut triplici hac unctione satisfaceret desiderio & dilectioni suæ; eandem autem unctionem, eandem dilectionem nobis in mysterio commendat.

Particeps huius devotionis mulierũ quis fiat.

Neque verò etiam sine mysterio est, quod ad obsequium Dominici corporis fœminæ ardentiores videntur Apostolis. Sic enim divina ordinavit providentia, *ut mulier quæ perfidiam prima sumpserat de Paradiso, festinaret fidem primo de sepulchro, & prima curreret ad veniam, quæ prima prætulerat ad culpam; raperetque de morte vitam, quæ de vita mortem rapuerat,* ut loquitur S. Chrysologus serm. 74. Si prima mulier viro porrexit interitum, altera mulier viris prima porrigit resurrectionis & salutis nuncium; si prima maledictionem, altera benedictionem, si prima lachrymas & ærumnas, altera gaudium & lætitiam; si prima spinas & tribulos, altera lilium floridum & odoriferum profert & nunciat, ad eluendum opprobrium. Ita loquitur S. Cyril. lib. 12. in Ioan. c. 52. *Fœmina quæ quondã fuit mortis ministra, resurrectionis mysterium prima percipit & nunciat: adeptum igitur est fœmineum genus, & ignominia absolutionem, & maledictionum repudium.*

Et quare Apostolis illis postponũtur.

Attamen ne quis existimet Apostolis præponi mulieres, quod primæ ad monumentum veniant, unguenta ferant, resurrectionem nuncient, audiat S. Petrum Chrysologum serm. 79. hac de re sic eleganter disserentem: *Non est hic præposterus ordo, sed mysticus; non post ponuntur Apostoli fœminis, sed ad maiora servantur. Fœmina obsequium Christi suscipiunt, Apostoli suscipiunt Christi passiones. Illa portant aromata, isti flagella. Illa intrant sepulchrũ, isti carcerem. Illa ad obsequium festinant, isti pervolant ad catenas: infandunt illa olerum, isti profundunt sanguinem. Quid plura? Residunt illa domi, ad acies hi tendunt, ut devoti milites probent adversis fidem, virtutem laboribus, iniuriis patientiam, vulneribus tolerantiam. Mulieres ergo ferunt pro Christo lachrymas, Apostoli diabolo superato & victis hostibus victoriam Christo referunt & triumphum.* Hactenus Chrysol. subtiliter & diserte. Vult insinuare, quo modo quilibet sexus & quælibet hominum cõditio suũ habeat officium, per quod Domino obsequiũ præstare valeat: unde eliguntur fœminæ ad portãda aromata, non ad cruces, quia fors sub cruce ruerent, quæ portãtis unguentis idoneæ sunt & diligentes. Itaque si superant diligentia Apostolos in parandis & portandis aromatibus? hi postmodum eas charitate & fortitudine superaturi sunt in adeundis diseriminibus, in portanda per universum orbem cruce, in sanguinis pro Christo profusione; quia sunt electi testes resurrectionis, non solum in Ierusalem & Iudæa ac Samaria, sed etiam usque ad ultimum terræ, ita ut morte & sanguine testimonium istud parati sint signare.

PARS III.

Quales quotve fuerint mulieres ad sepulcrum venientes.

SEd in particulari nobis nunc inquirendum restat, quæ sint hæ mulieres quæ ad monumentum venerunt, & quot fint diversimodè enim loquuntur Evangelistæ, Ioannes unius tantum meminit: *Vna sabbati Maria Magdalena venit manè, cum adhuc essent tenebræ, ad monumentum.* Matthæus duarum meminit dicens: *Venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum.* Lucas plures adiungit; *Et regressæ à monumento nunciaverunt hæc omnia illis undecim & cæteris omnibus: Erat autem Maria Magdalena, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc.* Marcus tres hic nominat: *Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, &c.* Hinc opinio popularis est, quod tres Mariæ venerint ad monumentum. Vnde & alicubi solent repræsentari tres illæ Mariæ, ita ut in Resurrectionis Dominicæ nocte inducantur tres puellæ in templum, ut visitent sepulchrum Domini cum cantu. Quod tamen prohibitum reperio in Directorio disciplinæ Ecclesiasticæ edito authoritate Octavii Episcopi Tricaricensis, & Nuncii Apostolici per Belgium, & per Germaniam inferiorem, ubi sic habetur: *Repræsentationes trium Mariarum visitantium Dominicum sepulchrum, quæ nocte Resurrectionis Dominicæ in quibusdam Ecclesiis sunt, cum potius in iis inveniamus quod moveat ad pietatis affectum excitare, prorsus interdicti volumus.* Ita ille.

Multi etiam putant Salomon non fuisse; vocatam Mariam: est enim Salome nomen mulieris, ut patet ex Iosepho 17. antiq. c. 3. Non ergo Maria Salome dicta est, vel à patre, vel à viro, cum non sit nomen viri; nec Marcus vocat eam Mariam, sed tantum Salome: & Matthæus, dū dicit: *Venit Maria Magdalene, & altera Maria*, scilicet Maria Iacobi, significat non fuisse tres Marias, quia altera non dicitur nisi inter duas. Quicquid sit ea de re, sive Salome Maria vocata etiā fuerit, ita ut sit Binomia, sive non, sed tantum ex usu populari Maria vocetur, parum refert.

M. Magdalena dux harum mulierum.

Interim certum est *primò*, quod Maria Magdalena, quam omnes Evāgelistæ exprimunt, fuerit velut Dux & Antesignana inter alias mulieres ad sepulchrum ventitantes, quæ eandem gratiam unctionis, quā præbuerat vivo, servabat & mortuo. Hæc cæteris ferventior & amore eminentior fuit, ideo de illa sola S. Ioannes mentionem facit, ideo etiam hæc prima vidit Dominū, quæ ubique adimplere visa est istud Elogium, quod Christus Dominus ei dederat: *Quia dilexit multum.* Si enim inquiras, cur ad domum Simonis festina venīt, cur inter cōvivas importuna irruit, cur cum unguento accessit, cur lachrymis pedes Domini rigavit, cur capillis tersit, cur oscula excepit, cur infamiam inter tot convivantes non timuit? Vnica responsio est: *Quia dilexit multum.* Si iniquitas, cur Christum per urbem, vicos, agros evangelizantem cum fervore iugiter subsequitur, nec unquam in eius sequela defatigatur? *Quia dilexit multum.* Si quæras, cur Dominū adeo frequenter hospitio excipit, & cur sorore suā Martha domesticis curis multum occupatā ipsa inhæret pedibus hospitis, eiusq; ita pendet ab ore, ut nec divelli possit? *Quia dilexit multum.* Si quæras, cur paulo ante Christi mortem in Bethania effudit iterum pretiosum unguentum super caput recumbentis non sine murmure aliquorum? *Quia dilexit multum.* Si quæras, cur bajulantis sibi crucem & in Calvariæ montem procedētis vestigiis insistit, & rigat ea lachrymis? *Quia dilexit multum.* Si quæras, cur Cruci adhæret indivisa socia MARIAE Matris, consors dolorum Filii? *Quia dilexit multum.* Si quæras, cur ante auroram ad monumētum festina procedit; cur cæteris recedentibus sola remanet, nec recedit? *Quia dilexit multum.* Vnde S. Gregorius: *Pensandum huius mulieris mentem quanta vis amoris accenderat, qua discipulis recedentibus non recedebat. Flebat inquirendo, & amoris sui igne succensa, eius quem amabat, ardebat desiderio: nec amanti semel aspexisse sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. Vnde contigit, ut cum sola tunc videret, quæ remansit ut quæreret: virtus enim boni operis perseverantia est.* Flebat igitur foris & conquerebatur: *Ioan. 20.* *Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.* Meruerunt ergo eius lacrymæ consolationem, quæ prius meruerunt peccatorum remissionem, & fletus resurrectionem. Agnovit Dominum se vocantem ex nomine, & dicentem, *Maria*: Moxque respondit ipsa, *Rabboni*: quasi diceret: Itane es tu Magister ille meus & Dominus meus, quem tanta requiro anxietate? *Convertisti planctum in gaudium mihi*: Agnovit vocem Pastoris, qui proprias oves vocat nominatim, & miram persentiscens ex unico eius verbo dulcedinem & mutationem, lachrymas tristitiæ & doloris vertit in lachrymas lætitiæ & amoris. Agnovit eum, de quo dicit Petrus: *Domine, verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?* O verbum unicum Domini fide plena conceptum quantæ est efficaciæ, quod totum sic hominē subitò potest commutare, illuminare, docere, accendere, consolari, vivificare! O verbum vitæ, verbum consolationis, verbum amoris, verbum sapientiæ, verbum lucis, verbum virtutis, quod à tali Magistro procedit! Hæc omnia agnosce in hac unica voce, *Maria*, Mox verò ubi agnovit illa Dominum, ad pedes illius amplexandos & exosculandos se incurvat. Apud illos gratiam & remissionem invenerat in domo Pharisæi, apud illos cœlestem dulcedinem perceperat sorore ministrante, apud illos doloris consortium nacta fuerat in Cruce, ibi nunc rursus omne solatium nancisci optat amplexu, osculis lachrymis amoris. Verum necdum hoc ei indulgere vult Dominus, repulsamque patitur, dicente Domino. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem*: frontemque eius sic tetigit, ut vestigia remanerent, quæ adhuc modò visuntur in eius capite. Quasi ei diceret Dominus: Nondum volo in contactu meo, aut osculo pedum meorum immoreris, adhuc conversabor in terris, necdum discedo ad Patrem; postea id poteris. Relinque ergo me & pedes meos, & vade citò ad Apostolos, & alias mulieres, dicque eis me resurrexisse. Vide quomodo cum suis agat Deus, Mariam voce & conspectu suo consolatus fuerat, nunc denuò se abscōdit, & diutius permanere cupientem discedere jubet, & aliò mittit; sic eius exercet desiderium & amorem, sic mortificat affectionem & optatam consolationem ac suavitatem. Certè Magdalena in omnibus, in quibus obsequium speciale voluit præstare Christo, aliquam invenit contradictionem & mortificationem, ut sic exerceretur in amore & patientia. 1. Apud Simonem, dum lachrymis lavat Domini pedes, quantas pati debuit ab ipso hospite & aliis Pharisæis contradictiones? 2. Apud Bethaniam, dū Domini caput ungit, nonne ab ipsis discipulis murmur & contradictio in eam exurgit? 3. Dū domi sedet ad pedes Magistri, ut æternæ vitæ verba capiat, nonne ab ipsamet reprehenditur sorore eius affectum verbis querulis mortificante? Verùm ubiq; Dominus habet advocatum, quia purè eius gloriam quærebat & obsequium. Tuetur ergo eam contra Simonem, tuetur contra sororem, tuetur contra discipulorum contradictionem. At hi verò, quia suum nimis tempestivè quærere videbatur solatium, exercet eam

Luc. 7.

Ioan. 6.

Psal. 29.

Ioan. 20.

Domi-

Dominus ipse ad tempus differendo, repellendo, nunc & aliò eam mittendo. Nonnulli quoque horum verborum Domini, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem*, hunc assignant sensum: Nunc quidem, ô Magdalena, mihi perfectè jungi desideras, sed frustra; sine prius ut ascendam ad Patrem, sine ut hoc transeat sæculum; in alio sæculo me plenè habebis, interim modò oportet contentas sis verbo meo. Hæc de Magdalena breviter dicta sufficiant, quæ apud Ioannem Evangelistam latius pertractantur.

Assumit Maria Iacobi & Salome.

Certum est secundò, ultrà Magdalenam venisse ad sepulchrum alteram Mariam, Iacobi dictam, cum Salome, ut Marcus exprimit. Illa autē Maria Iacobi, Mater fuit Iacobi Minoris, & Simonis, & Iudæ Thadæi Apostolorum Christi, & Ioseph qui cognominatus est Iustus, & propositus fuit cum Matthia, quando sors cecidit super Matthiam. Felix ergo Mater tot sanctis proli bus, felix familia tot benedictionibus cumulata. Vocatur & ipsa quandoque Maria Cleophæ & Alphæi, quia fuit

Ioan. 10. vir eius. Eadem vocatur soror B. Virginis, & cum ea astitit cruci Christi, nō quod propriè fuerit soror eius filia Ioachimi & Annæ; (ut existimavit S. Hieronymus contra Helvidium Theodor. Luc. 6. Beda & Anselmus Gal. 1.) sed soror dicitur more Hebræo, id est cognata vel consobrina. Sic & filii

Matt. 13. eius vocantur fratres Christi, non quod fuerint filii Ioseph sponsi B. Virginis ex alia uxore, ut quidā ex antiquis etiam docuerunt; sed vocantur fratres Christi, id est consanguinei & affines. Fuit verò Salome Mater Iacobi Majoris & Ioannis Evangelistæ, uxor Zebedæi piscatoris. De quo sic legitur in additionibus Lucii dextri per Helecam Episc. Cæsaraugustanum: *In Britannia celebris est memoria multorum Martyrum, præcipuè S. Aristobuli unius de septuaginta duobus discipulis, qui etiam dictus est Zebedæus, pater Iacobi & Ioannis, maritus Mariæ Salomes, qui cum Petro Romam perivit, inde relictis domesticis suis missus in Angliam Episcopus, occubuit: Martyr anno Neronis secundo.* De eius verò uxore, de qua nunc agimus, sic ibidē legitur: *Celebris memoria est apud Hispanos S. Mariæ Salomes, Matris S. Iacobi, & uxoris Zebedæi, quæ cum attigisset annum nonagesimum, anno Christi 42. sub Iacobo filio Alphæi Episcopo Hierosolymitano die 24. Maij sanctissimè decessit ad cœlos in Italia, diciturque Vorulis quiescere, & mors eius multis nobilitata miraculis.* Existimatur autē in Italiā venisse ex Hierosolymis, occasione persecutionis, de qua dicitur:

Act. 8. *Facta est autem in illa die persecutio magna, & omnes dispersi sunt per Regiones Iudæ.*

Ioanna etiam inter illas.

Certum est tertiò ex S. Luca, præter dictas visitasse Sepulchrum Ioannam uxorem Chuzæ Procuratoris Herodis, & alias mulieres, inter quas existimatur Susanna, quæ Christū secuta est de Galilæa.

Luc. 8. Inter has verò non est numeranda MARIA Mater Domini, ut putat B. Greg. Nyssenus ser. 2. Resurrect. qui putat eam à Luca comprehensam, dū dicit: *Erat Maria Magdalena, & Ioanna & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant.* Si enim venisset MARIA Mater Domini, eius tanquam dignissimæ nomen expressissent Evangelistæ. Deinde, cùm plenissima fide fuerit prædita, certò credidit Filii Resurrectionem, ideoque non fuit conveniens, ut veniret cum aromatibus, ut aliæ mulieres in fide infirmæ. Dicimus ergo de illa idem quod in aliis mysteriis: *Maria conservabat omnia verba conferens in corde suo.* Poteratque ipsa dicere cū Propheta: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Expectavit ergo in conclavi suo Filium, sedens in pulvere & silentio, scienſq; primò sibi appariturum mox à Resurrectione: quod & fecisse colligitur ex SS. Patribus & Ecclesiæ pia traditione. Neque solùm Christum vidit ut aliæ mulieres, sed & totam BB. turbam à Christo ex inferno eductam, quorum pars magna ex Patriarchis & Prophetis, ex MARIÆ progenitoribus constabat, qui magno affecti fuere gaudio, dum post Christi divinitatem & humanitatem, illam dignissimam eius intuentur Matrem, inter omnes creaturas electā, ex progenie sua oriundam, totque antiquis oraculis & mysticis figuris præsignatā. Ibi Adam & Eva vident suam filiam Matrem viventium effectam, per quam eorum progenies à morte erepta est, & reddita vitæ. Ibi Iacob mysticam suam scalam, Moyses Rubum, Aaron virgam florentem, Isaias virgam de radice Iesse. Ezechiel Orientalem suam portam, cum gaudio contemplantur. *De primo resurgentis, Christi apparitione Virgini Matri, vide quæ dixi Hort. Past. tom. 1. tract. 3. sect. 26.*

Luc. 2.

Isa 24.

EADEM DIE PASCHATIS.

Nolite timere, Iesum quæritis Nazarenum, Crucifixum, Surrexit, non est hic.
Marc. 16.

Luc. 2. ubi patrita. Deo loq. Ad. cum mulieribus. PARS I. De primis 2. mulieribus matis. Coloss. 2.

ANgelus, qui hominem Deo rebellem ejecerat ex Horto Paradisi, nunc consolatur in Horto Sepulchri; pax enim reddita est Angelis & hominibus per passionem & resurrectionem Christi. Sic asserit Apostolus. *Ipse est Caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Quasi dicat: Ipse est caput hominum & Angelorum, primatum tenens super utrosque, eos in se coniungens, primus resurgens à mortuis ad vitam immortalem, & ad illam homines reducens, ut sint similes Angelis, quos pacificavit cum hominibus per sanguinem suum, faciens ne ultrà cœlicives à terræ incolis alieni sint & dissidentes. Hoc ipsum est quod alio modo loquendi dicit: *Proposuit instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt, in ipso.* Ubi S. Hieronymus legit: *Proposuit recapitulare omnia in Christo.* Quod idem est ac si diceret Apostolus: Voluit Deus omnes homines & Angelos, cum inter se essent dissi-

Ephes. 1.

&i & inimici, iterum unire, & ad unum Caput revocare. Christum enim dedit Caput super omnem Ecclesiam, & per illum nos revocavit ad societatem Angelorum. Hoc indicatum fuit in Christi Resurrectione, dum Angeli apparent, dum terrenis redditur cœleste commercium, & mulieri cui fuerat cum diabolo lethale consilium, cum Angelo colloquium sit vitale. Apparet igitur nunc Angelus fulgurans in facie, & candidus in veste, tamquam lucis nuntius, nuntius quoque gratiæ & gloriæ. In facie Angeli claritas observatur cœlestis naturæ, in veste verò figuratur gratia communionis humanæ; & temperatur species Angeli colloquentis, ut humani oculi vestium ferant placidam claritatem, & ex fulgore vultus nuncium sui reverentur auctoris, ut dicit S. Chrysologus serm. 75. Neque verò solùm sermonem, sed & ministerium exhibet Angelus mulieribus, nam accedens revoluit lapidem, qui eis in itinere aliquam ingenerant anxietatem. Scisciabantur enim inter se: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Revoluit verò illũ, non ut Christo præberet exitum, & resurgenti daret auxilium, sed ut illum jam resurrexisse demonstraret, & præberet opem mulieribus ad credendum. Nempe lapis advolutus probabat mortem, revolutus probat resurrectionem; advolutus Christum velabat, revolutus illũ revelabat. Sic lapis factus est ex sedente super eũ Angelo doctrinæ cœlestis cathedra, & vitæ schola, qui prius videbatur servire ad mortis ianuam, & cineris cadaverisque clauiuram. *Beatus lapis, qui non minus vera aperit, quam sepulchrum: Beatus qui dat resurrectionis fidem, fideique resurrectionem*, inquit S. Chrysologus ser. 74. Sed videamus quomodo mulieres alloquatur Angelus: *Nolite*, inquit, *expavescere, Iesum quæritis Nazarenum, Crucifixum Surrexit, non est hic.* Singula hæc verba pondus suum habent, particulariusque explicanda sunt.

Ang. bonus à malo quo ſeruetur.

PRimò quidem pavorem à mentibus mulierum removent, & eas consolantur, dum dicunt: *Nolite expavescere.* Hoc scilicet signo Angelus bonus à spiritu maligno discernitur, quia ille post pavorem soler inducere consolationem. Vnde cum Zacharias Angelo viso timore concuteretur, mox dicit ei Angelus: *Ne timeas, Zacharia, exaudita est oratio tua.* Idem quoque Angelus MARIAE dicit: *Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum.* Sic & Danieli consternato ob Angelicum conspectum postmodum dicitur: *Noli timere, vir desideriorum, pax tibi, confortare & esto robustus.* Quasi dicat: Animum viresque resume, Angelus pacis ego sum. Olim Deus per Angelum se hominibus etiã sanctis terribilem exhibebat, quia erat lex timoris. Vnde & Manue pater Sampsonis, viso Angelo dicebat uxori: *Moriemur, quia vidimus Dominum.* In lege autem amoris Angeli facti sunt hominibus familiariores: unde nunc dicunt se cõservos eorum, qui habent testimonium Iesu. In hoc sic loquitur Angelus Ioanni: *Conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu Christi.* Meritò ergo post Resurrectionem mulieribus dicunt. *Nolite expavescere*, quasi dicat interprete S. Greg. Paveant illi, qui nõ amant adventum supernorum civium: Pertimescant, qui carnalibus desideriis pressi ad eorum se societatem pertingere posse desperant. Vos autem cur pertimescitis, qui vestros concives videtis?

Certè omnibus piis modo post Christi Resurrectionem dictum censetur illud: *Nolite timere.* Etenim per Crucem, Sanguinem, Resurrectionẽ suam Christus timorem abstulit, timorisque causas, & vice eius spem amoremque stabilivit. Quid enim timerent pii? An mortem? Sed absorpta est mors in victoria. *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* Vbi robur & dominiũ ac crudelitas, qua omnes ad inferos mittebas? *Deo gratias qui nobis dedit victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* An peccatum? Vtique *Stimulus mortis peccatum est*, per quem præcipue nobis nocet & pungit, quasi scorpius caudæ suæ aculeo & stimulo. Verum per Christi sanguinem deletum est peccati chyrographum, & affixum est Cruci, ut iam nihil timeant qui militant sub Iesu Christo Crucifixo, & sub Crucis vexillo. An forte timenda exclusio à regno? Immò verò, *Tu Christe devicto mortis aculeo aperuisti credentibus regna cælorum*: Crucem erexisti tanquam scalam, qua illuc ascenderemus, spem nobis firmam dedisti resurrectionis & regni per tuam resurrectionẽ. Aperuisti ianuam Paradisi, remota rhomphæa versatili & flammante, cuius aciem & flammam in tuo corpore extinxisti. Sic nobis *fecisti notas vias vitæ. Ignota utique erat ante Christum via vitæ, quæ nullius resurgentis fuerat temerata vestigio: at ubi Dominus resurrexit, nota facta, solo attrita est plurimorum*, inquit Ambrosius serm. 74. Quid ergo ultra timeant justi? An infernum & satanã adversarium? Sed infernum spoliavit Triumphator noster, dum resurrexit, & triumphavit palam de Principe tenebratũ: eumque sic alligavit, ut ultra nobis nocendi potestatem non habeat, nisi voluntatiẽ eius nos potestati subiiciamus. Vbinam portæ tuæ, ô inferorum regnum? Vbi vincula tua, ô satan? Vbi captivi tui? Evome, evome escam electam, quam à quatuor annorũ millibus devorare præsumpsisti: Ecce adest is, *qui maxillam tuam perforet*, & cogat te cibum reddere cum confusione. Immò ecce adest Sampson noster, qui disruptis seris tuis egreditur liber, & portas secum efferens in montem ascendit post mediam noctem, dum inter mortuos liberè tumulo & inferno Triumphator egreditur.

Sintne iusto timoris causa.

1. Cor. 15.

Psal. 17.

Iob, 41.

Sampson typus Christi in multis.

Typus in multis fuit Christi resurgentis & triumphantis illis fortis Sampson, & inclytus victoriis, ut passim docent SS. Patres. 1. Sampson septẽ crines habuit, sive septem floccellos tricasque crinium, in quibus eius fortitudo consistebat: Christus septiformi Spiritus Sancti virtute præditus fuit

fuit: & sicut Sampsoni omnis fuit virtus in capite, sic & Christo. Caput autem Christi Deus. 2. Sampson iter faciens leonem manibus enecavit. Sic Salvator per susceptí corporis Sacramentū diabolum tanquam leonem extensis in cruce manibus interemit. 3 Sampson de ore Leonis favum mellis abstraxit. Sic Christus Dominus de faucibus diaboli plebem suam eripuit 4, Salvavit Sampson populū Israel hostibus debellatis. Sic Christus extinctis dæmoniis populum suum de morte perpetua liberavit. 5. Sampson obseratis portis clauditur in civitate. Sic Dominus signato clauditur monumēto. 6. Sampson fractis seris subractisque portis securus evadit. Sic Dominus inferni ruptis obicibus aperto sepulchro & recepto corpore, à morte liber egreditur. 7. Sampson per mandibulam asini sternit Philistæos in agro, & de illa educit fontem aquæ. Sic Christus per simplicitatem discipulorū & ignorantiam evertit mundi sapientiam & sapientes; & educit aquam gratiæ omnibus sitientibus proponendam,

Secundò, quia sub Christo mortis & inferni, peccati & diaboli victore nihil timere debent veri fideles, veritatis & fidei Christi sectatores, ideo addit Angelus loquens mulieribus: *Iesum quæritis Nazarenum, Crucifixum.* Vtiq; qui Iesum quærunt, salutē quærunt & vitam, dum quærunt auctorem salutis & vitæ, & ideo beati sunt, quia habent partem in resurrectione prima, nec habet in eos potestatem, mors secunda, ut loquitur S. Ioannes. Illi enim adhærere optant, qui dicit: *Ego sum resurrectio & vita qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit vivet.* Quid timeant qui illum quærunt, cuius solum nomen potens est tam animæ quam corpori vitam infundere? Sed & illi qui Iesum quærunt. Nazarenum quoque quærunt, hoc est, virum floridum, consecratum, coronatum omni virtute & gloria. non ergo exortes erunt floris & odoris, consecrationis & coronæ. *Super ipsum efflorebit sanctificatio mea;* sive ut alia lectio habet. *Corona mea.* Quære igitur Nazarenum quære floridum & coronatum Iesum, ut & super te effloreat sanctificatio eius, & corona speciosa tibi contexatur ex floribus eius. Quære eum in horto, ubi fuit sepultus, ubi tanquam flos preciosus pullulavit habens in radice virtutem vitæ. Vade dicit Patri: *Erreflоruit caro mea & rex volūtate mea confitebor ei.* Quid est, reflоruit caro mea? Caro eius in nativitate floruit, in passione elanguit, in morte decidit, in resurrectione reflоruit. Vere ergo Nazarenus, verè floridus: radicem vitæ non potuerunt Iudæi abscindere, nec hunc resurgentem fibrem impedire; quinimo multos postea adhuc flores produxit arus secum est. lilia Virginum, rosas Martyrum, violas Confessorum, Audi S. Maximum ser. de Resurrect *Reflоruit caro Domini, cum rediviva de sepulchro germinavit & in floris modum cunctis hominibus Immortalitatis affluit odorem* Denique qui Iesum quærit, qui Nazarenum quærit, etiam Crucifixum quærat necesse est; non enim factus est Iesus, aut Nazarenus, nisi virtute Crucis. Non vicit, nec salutem attulit aut floridam sanctificationem, nisi per illam. Non resurget ad gloriam & vitam, nisi qui Crucifixum quæsierit, agnoverit, adoraverit, mortis victorem, gloriæ & vitæ datorem. Audi Ambros. lib. 2. de Spir. S. cap. 5. *Flos odorem suum succisus reservat, & contritus accumulat, nec avulsus amittit. Ita Iesus in patibulo crucis nec avulsus evanuit, nec contritus emarcuit: sed illa lanceæ punctione succisio speciosior fusi cruoris colore vernavit, mori ipse nescius, & mortuis aterna vitæ munus exhalans.*

Nolite ergo timere, ô mulieres sanctæ, ac piæ nolite timere, quicunque quæritis Iesum, qui quæritis Nazarenum, qui Crucifixum. Nolite timere vos, inquit Angelus. Qui ergo timere debent? Time ant impii, nam pravos meritò timor terret, pios solatur affectio, Audi S. Chrysologum ser. 80. *Timeat Iudæus qui tradidit, Pilatus qui addixit. Milles quī illusit. Timeat impietas quæ crucifixit, crudelitas quæ poculæ amaræ propinavit, sævitia quæ obsedit sepultum, perfidia quæ emit mendacium, inhumanitas quæ fidem vendidit.* Timere ergo debent impii, qui adhuc peccatis suis Christum produnt, illudunt, amaritudine afficiunt, crucifigunt, qui indignè ad Sacramenta accedunt Hi nō habent partem in resurrectione Christi, permanentes membra diabolo mortis rei. His potius resurrectio in timorem vertitur, quæ piis est solamē In huius rei symbolum aspectus Angeli loquentis erat sicut fulgur, & vestimenta sicut nix; quia *in fulgure terror timoris est, in nive blandimentum candoris:* Angelus ergo resurrectionis nuncius, in fulgore vultus & habitus candore demonstratur, ut ipsa sua specie & terreret reprobos, & mulceret pios, inquit S. Gregorius. *Vtique & propter impios terræ motus factus est, quo etiam milites custodes sepulchri mirè commoti sunt, sicut & visione Angeli.* Non tamen absorpti fuere iuxta merita sua, instar Choræ, Dathan, & Abironi decreverat eamque eos Deus servare, ut possent sibi servire tanquam Resurrectionis testes apud Iudæos. Voluit enim Christus suam Resurrectionem omnibus testatam esse non solum testimonium perhibente cœlo per lucem & Angelos ac terra per terræ motum insolitum; sed etiam per testimonia hostium suorum & impiorum custodum illam voluit irrefragabilitæ esse notam.

Apoc. 20

Ioan. 11

Psal. 131.

Psal. 27.

Quæ impio timenda.

Tertiò addit Angelus: *Surrexit, non est hic.* Attende verba Angelis: *Surrexit,* inquit, quasi à somno cui voluntariè indulsit, sicut & ipse dicit: *Ego dormivi & soporatus sum & exsurrexi.* Somnū vocat mortem, soporem vocat sepulturam: q. d. Ego dormivi, dum per mortem quievi, & soporatus sum, dum sepulturæ traditus sum, sed mox evigravi me, & surrexi quando volui, quia sicut animam meam pono à me, sic & ubi voluero resumo eam. *Quis ita dormivit quādo voluerit, sicut Ie. surrexit sicut ipse est quando voluit? Quis ita vitam deposuit quando*

Pars II. Dominica. Psal. 20.

voluerit, sicut se carne exuit quando voluit? Quis ita cum voluerit abit, quomodo cum voluit obiit, inquit S. Augustinus in Ioan. Certè non tam morientis tumulus, quam quiescentis lectulus fuit locus in quo jacuit Dominus, cui mox inscribunt Angeli, *Surrexit, non est hic*: cum sepulchris cæterorum hominum etiam Regum, inscribi soleat, *Hic jacet, Hoc clauditur tumulo*, vel simile quippiam. Per quam inscriptionem agnoscitur quomodo tãdem homo omnis fiat imbecillitatis exemplum, corruptionis speculum, mortis mancipium, temporis spolium esca vermium. Ac ne Christo scriptum erat: *Caro mea requiescet in spe. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Ideo terra hoc sacratissimum depositum mox reddere coacta est, quæ ossa & pulveres etiam Sanctorum in se condit, in finem solum sæculi reddenda. Propterea etiam per Prophetam inclamatur: *Exurge Domine tu & arca sanctificationis tuæ.* Quasi dicat: Exurge in requiem gloriosam cum corpore tuo glorificato; quia non convenit, ut illud corpus quod elegisti tamquam arcam & habitaculum divinitatis tuæ per eam sanctificatum planè admirabili & incomprehensibili modo, incineretur instar aliorum corporum, aut corruptionem experiatur. Quid tibi cum sepulchro, ô Fili Dei vivi? Quid tibi cum mortis, ô Auctor vitæ? Quid tibi cum tumulo, ô Victor mortis? Quid tibi cum monumentis, ô cœli habitator? Quid tibi cum fœtore, ô Paradisi odor? Quid arcæ aureo divinitatis colore fulgidæ, & ex imputribilibus lignis fabrefactæ cum incineratione & corruptione? Exurge ergo gloriosus, tu & arca sanctificationis tuæ. Permitte homines mortis reos & peccati servos habitare sepulchra. Permitte dæmones commorari circa monumenta, si vis, sicut olim illi qui inclamant tibi: *Quid nobis & tibi, Iesu fili Dei vivi? Veni sti ante tempus torquere nos.* Tibi verò locus debetur sublimior & dignior, qui dicis: *Ego sum resurrectio & vita.* Exaltare igitur in virtute tua, cantabimus virtutes tuas. Propter dictas igitur rationes & prophetias; Christo conveniebat mox à sepulchro surgere, quia quadraginta aut circiter horæ satis erant ad veritatem mortis eius confirmandam; cui cum in se potestatem voluntariè dedisset, mox eam debebat virtute divinitatis suæ petimere, ad vitam immortalẽ resurgendo, & per resurrectionem suam nos quoque vivificando: *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Propterea minatus fuerat per Prophetam; *Ero mors tua, O mors!* Nempè illius morte quodammodò mors tua est, dum illius morte nos vivimus; devorata & devorata est, & dum ipsum occidit, ipsa quoque occidit; dum in eum irruit, ipsa ruit, iureque omnium perdidit servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem, ut loquitur S. Leo: *Dum assumpti à Christo corporis sollicitatur illecebra, & avidis faucibus prædam putat, intervora eius*

divinitatis homo & dente confossa sunt, ut loquitur S. Hieron. ad Heliodorum.

Itaque hoc iam nunciat Angelus mulieribus (& per ipsas omnibus fidelibus Christum quærentibus, ut per ipsum respirent ad vitam) dum dicit: *Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum? Surrexit, non est hic.* Quasi diceret, quod postea Apostolus: *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitia dormientium.* Primus utique resurgentium, cum meriti & dignitatis ordine, tum etiam tempore: quia primus resurrexit ad vitam beatã, gloriosam, æternam. Cæteri ab Elia vel Elizæo suscitati iterum fuere mortui. Sicut ergo primitiæ dicuntur primus terræ fructus, qui olim lege veteri Deo offerebãtur. Sic Christus quasi primitivus fructus è terra in quam velut in granum frumenti ceciderat repullulans, & renatus per resurrectionem Deo oblatus est. Quod eleganter exprimit B. Zeno ser. de Resurrect. *Granum frumenti in terra interit: & tamen in eo id quod intus est, revivisc t, nec mortem medullitus capit: sed vetusti corporis superficie deleta, imo in melioris naturæ iura transmissa, felix caput solius virentibus redimitum quasi ab universo emorsum in superna sustollit, perennitatis gloriam fructu populoso tenturum.* Cum Christo surrexerũt multa corpora Sanctorum, sed non ante ipsum: licet enim hoc narretur inter signa in passione facta, hoc tamen fit per anticipationẽ, quia scilicet virtute morientis Christi id factũ est; adiiciuntur que, quod post resurrectionẽ exierunt de monumentis, & venerunt in civitatem sanctam. Resurrexerunt ergo ut testes Resurrectionis Christi & Redemptionis per ipsum factæ; sicque non oportuit ante ipsum resurgere. Ad immortalitatem vero hoc resurrexisse probabilius est, ut sic probarent resurrectionem Christi ad immortalitatem: *Mors illi ultrà non dominabitur.*

Propter hæc etiam Apostolus dicit de Christo, quod sit *Primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus primatum tenens*; hoc est, ut iam in rerum generatione, quam in regeneratione, tam in prima creatione, quam in resurrectione, Christus primas teneat, quia sicuti Christus quatenus Deus ante omnes & omnia est, omniaque in ipso creata sunt & cõstant: ita quatenus homo primogenitus ex mortuis, est Dux & Princeps Resurrectionis. Unde advertere sæpè in Scriptura resurrectionem vocari regenerationem quia perinde hominem mortuum vitæ restituit, ac si rursum eum generaret: Propterea etiã S. Chrysologus sepulchrum Christi vocat uterum: *Veteris nova forma mortuum concipit, parit vivum*, inquit ipse ser. 74. Et iterum ser. 79. ait: *Venit Maria ad sepulchrum, venit ad resurrectionis uterum, venit ad vitæ partum, ut iterum Christus ex sepulchro nasceretur fidei, qui carnis fuerat generatus ex ventre, & eum quem clausa virginitas viam protulerat ad præsentem, clausum sepulchrum ad vitam redderet sempiternum.*

Sic & Apostolus probat Resurrectionem Christi ex illo,

Matth. 8

Ioan 11.

Psal. 20.

1. Cor. 15

Osea 13.

Leo ser. de Pas.

Psal. 131.

Psal. 15.

1. Cor. 15.

Primus resurgentium Christus

Coloss. 1.

Psal. 2. Act. 13. ex illo: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego genui te.* Audi verba Apostoli: *Nos vobis annunciamus eam quæ ad Patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Iesum, sicut & in psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hunc versum Psalmi tripliciter exponunt sacri Interpretes. In primis de generatione æterna, & tunc per vocem, *Hodie*, significatur æternitas, quæ est unus dies semper præsens ut sit sensus: Ab æternitate, (in qua est unum hodie, unum instans, unum nunc, unum stabile & perenne præsens) ego genui te filiū mihi coæqualem. Hunc sensum sequitur Apostolus ad Hebr. 1. Ulterius intelligitur rectè degeneratione temporali, nā secundum humanitatem verè etiam tunc dicere Filio potuit Pater: Ego *hodie genui te*: sicut & in officio Ecclesiæ habemus. Deniq; de resurrectione ex sepulchro id interpretari viderunt Apostolus, quia est quædam nova generatio Christi, propter quam dicitur *Primogenitus ex mortuis*, ut iam diximus. Vnde digna est consideratione correspondentia, quæ reperitur in plurimis circumstantiis nativitas Christi ex utero, & nativitatis eius ex sepulchro.

Nativitas Christi ex utero, & ex sepulchro in multis correspondent.

1. Sicut ex utero Virginis intacto & incorrupto natus est: ita ex sepulchro, quod à nullo corpore mortuo, tactum erat, sine eius violatione, exsurrexit nova quadam generatione. Vnde S. Chrysologus. ser. 75. *Divinitatis insigne est clausam virginem reliquisse post partum: de sepulchro clauso exisse cum corpore, est divinitatis insigne.* Apposite etiam B. Guerricus Abb. serm. 2. de Annuntiatione ad illud: *Emitte Domine agnum de petra deserti ad montem filiæ Sion*, & per petram deserti intelligit MARIAM, quæ integritatis proposito semper solida fuit, & ad omnes illecebras insensibilis velut lapidea, instar petræ deserti intemerata & inculta. Deinde, ulterius ad resurrectionem ex lapideo & intemerato sepulchro hoc refert, per consonantiā Nativitatis primæ ex utero, & secundæ Nativitatis ex sepulchro. Vnde sic ait: *Emitte agnum de petra, hoc est sanctum & inviolatum, sancta & inviolata profert virginitas. Rectè occasus ortui, sepultura conceptioni respondet, dum emittitur agnus de petra deserti, condendus in petra monumenti. Ille cuius corpori monumentum erat excidendum in petra, ipse sibi initio corpus excidit de pesra, non violans integritatem petræ dum de ea emisteretur, sicut nec signatam sepulturæ petram dum de ea egrederetur.* Isai. 16.

2. Sicut Angeli primum Christi Nativitatem annunciarunt & nascentis gloriam: ita & Angelicus Resurrectionem primi nunciant & resurgentis gloriā. Matthæus mentionem facit de Angelo qui revoluit lapidem ab ostio monumenti, & sedebat super eum, qui mulieres intrare in locum jussit, & videre quod iam resurrexisset à mortuis, Lucas duos commemorat Angelos, eosque stantes. Joannes refert Magdalenam vidisse deos Angelos sedentes, unum ad caput, alterum ad pedes ubi positum fuerat corpus Iesu. Videntur hi fuisse in Christi Resurrectione ad instar duorū illorum animalium in Nativitate, significabant nimirum utrumque populum, Gentilem & Iudæum in asino & bove designatum) per Christi Resurrectionem transisse in similitudinem & participationem gloriæ Angelorum. Fuerunt ergo plures Angeli gloriosæ Resurrectionis nuncii, prout constat ex varia relatione Evangelistarum. Et sicut in Nativitate unus Angelus Pastoribus apparuit illius præsicius. Et postmodum secuta est multitudo cœlestis exercitus decantans nascentis gloriam; sic & in Christi Resurrectione non defuit angelica militia Triumphatori laudes deprimens.

3. Sicut in Nativitate aliquot Pastores electi sunt tanquam præordinati à Deo testes illius: ita & in Resurrectione aliquot mulieres à Deo electæ & præordinatæ fuerunt, tamquam primi illius testes.

4. Sicut Pastoribus illis ab Angelo dicitur: *Nolite timere, annuncio vobis gaudium magnum: hodie vobis natus est Salvator*; ita & mulieribus dicitur: *Nolite expavescere, Iesum quæritis Nazarenum. Crucifixum, Surrexit, non est hic.* Et sicut illis datur signum, Præsepe & Panni: *Invenietis infantem in præsepio pannis involutum*: ita & mulieribus datur signum Resurrectionis, Sepulchrum vacuum, relicto ibi sudario & linteis. *Venite & videte, ecce locus ubi posuerunt eum.* Item sicut illi reversi sunt laudantes & glorificātes Deum; ita & illæ reversæ sunt ad Apostolos annunciantes gaudium. Et sicut in Nativitate pax nunciatur hominibus bonæ voluntatis; sic etiam nunciatur à Christo in medio discipulorum se sistente pax filiis Resurrectionis. Luc. 2.

5. Sicut media nocte Christus natus est: sic & nonnulli ex SS. Patribus eum mox post mediam noctem resurrexisse existimant, ut secunda Nativitas primæ correspondaret. Vt S. Athanasius, Rupertus, & alii. Cui opinioni favet figura Sampsonis, qui media nocte liber exiit, & portas secum urbis extulit; sic scilicet & Christus media nocte liber de inferno egressus est, & claustra eius disrupit. *Sed vide quæ de hac re dixi Hort. Pastor. tom. 1. tract. 3. lect. 24.*

6. Sicut de Christi Nativitate dicit Propheta, *Vocabitur nomen eius, Admirabilis Deus, Fortis, Pater futuri sæculi*, multo magis hæc vera sunt in eius Resurrectione. Tunc enim maximè patuit quàm *admirabilis fortisque* fuerit, totū inferorum terrens, totumque satanæ regnum: & quomodo *Pater futuri sæculi* sic dicēdus, sive ut alia lectio habet, *Pater æternitatis*. Adam enim nos genuit tempori, Christus æternitati: Adā morti, Christus resurrectioni: Adam terræ, Christus cœlo: Adam huic sæculo, Christus sæculo futuro: Adam tenebris & caligini, Christus luci: Adā maledictioni, Christus benedictioni: Adam lachrymis & mœrori, Christus gaudio & exultationi: *Benedictus qui regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi, in hæredi-* Isai. 9. 1. Pet. 1.

haveritatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conservatam in cœlis.

Nox Resurrectionis benedicta.

Hinc est quod Ecclesia tot benedictionibus cumulat noctem illam in qua Christus resurrexit, in qua & nos novo quodam modo pariens ad lucem eduxit, filiosque gratiæ & lucis effecit. *Hæc est*, inquit, *nox illa, cuius sanctificatio fugat scelera, culpas lavat, reddit innocentiam lapsis, mœstis lætitiam. Hæc est nox, quæ hodie per universum mundum in Christo credentes à vitiis sæculi & peccatorum caligine segregatos reddit gratiæ, sociat sanctitati.* Et iterum: *Hæc est nox, de qua scriptum est*: Nox sicut dies

Ps. 138. illuminabitur, &, Nox illuminatio mea in deliciis meis. *O verè beata nox, quæ spoliavit Ægyptios, ditavit Hebræos, spoliavit dæmones, ditavit credentes: Nox in qua terrenis cœlestia, humanis divina iunguntur! O verè beata nox, quæ sola meruit scire tempus & horam in qua Christus ab inferis resurrexit! O verè beata nox, in qua destructis vinculis mortis ab inferis victor ascendit. Nihil enim nasci profuit, nisi redimi & renasci profuisset; O verè beata nox, quæ peccatorum tenebras columnæ illuminatione purgavit? Gauderet ergo tellus tantis irradiata fulgoribus, & æterni Regis splendore illustrata, totius orbis se sentiat amisisse caliginem.* Hæc decantantur in officio Sabbati Sancti, quod quidem officium olim nocte celebrare solebant mirò splendore, sicut & modò officium Nativitatis. Tunc neque cereus rutilans cõsecrabatur, in symbolum Christi redivivi noctem peccatorum nostrorum fugantis, & gratiæ novum lumen in cordibus nostris accendentis.

Exempl. Vnde admirabile est exemplum, quod ad hanc rem refertur in vitis antiquorum Patrum. Cuidam illorum in deserto agenti hæc venit cogitatio: *Cur fratribus mihi servientibus onerosus sum? Vadam ego ipse in civitatem, & sportellas, quas facio, vendam, emamque quod opus est; & ita desinam aliis oneri esse.* Sic eum voluit satan illaqueare. Descendens enim frequenter in civitatem, tandem mulieris occasione turpiter in adulterium corruit. Nec enim deseruit dæmon. Cum enim iam rediret in desertum cum confusione, spiritu desperationis cæpit vehementer agitari, considerans quod sic Spiritum Dei contristasset, & sanctos Angelos, venerabilesque in deserto Patres. Quocirca cuidã fluminiappropinquans, in illud sese immersurus iam erat, nisi divina manus adfuisset. Hac divina manu in corde tactus, & in se reversus, tãdem & ad cellam revertì resolvit, per pœnitentiæ luctum Dominum placaturus. Rediit ergo, & ostium cellæ claudens, super se tamquã super mortuum flevit iocunius & vigiliis continuis Neminem verò voluit admittere secum, sed accedentibus fratribus respondebat: *Fratres orate pro me, mihi in animo est annos uno in strictæ pœnitentiam agere.* Cum verò de eo sanctificatis opinionem alia concepissent, scandalum id fratribus ingenerabat. Ieiunavit igitur, & pœnitentiam animo conceptam peregit. Die autem Paschæ, sive ipsa nocte Resurrectionis posuit in vasculo novo lucernam, & cooperiens eam sic orabat: *Misericors Deus, qui omnes vis salvari, miserere mei, quia gravissimè te offendi, & inimicum tuum exultare feci. Nihil apud te est impossibile, fac eum figmento tuo misericordiam, & resuscita me, qui resuscitaturus es omnium corpora. Sed & agnosco quod peccatum peccato adiecerim, quia desperavi. Tu verò præcipe igne hanc lucernam accendi, ut fiduciam inde concipiam peccati mei remissi, residuumque tempus tuo impendam obsequio.* His dictis, multisque lachrymis mox profusis, surrexit, ut detecto vasculo inspiceret, an lucerna arderet; sed lucem non reperiens in faciem iterum cecidit, & sic orabat: *Parce mihi misero, miserator Domine, quia iterum bonitati tuæ turpitudinem meam coram Angelis & Sanctis confiteor, & nisi scandalum vererer, omnibus confiterer. Miserere mei, ut alios eruditam.* Tribus sic vicibus cum orasset, exauditus est; & lucernam ardentem reperiens, gratias divinæ egit bonitati tota illa nocte, & die subsequente, idque cum tanta lætitia, ut cibi corporalis obliviscerentur. Toto autem tempore vitæ ignis lucernæ illius adservavit, diligentissimè oleum superfundens, ne umquam extingueretur. Sic rursus Spiritus Sanctus in eo habitavit, & apud omnes humilitate & sanctitate magnus fuit; dieique mortis ei cœlicus fuit revelatus.

De Resurrectione Domini, & eius apparitionibus multa dixit in Horto Pastorum, tract 3. explicans articulum: Tertia die resurrexit à mortuis. *Illuc remitto Lectorem.*

EADEM DIE PASCHATIS.

Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem. Apoc. 5.

Lect. 3. tripart. *De Cantico & præconio Paschali.*

ADmoneor nos modò Ecclesia, Sponsa Christi Iesu, Nazareni Crucifixi, ut illa tamquam *Victima Paschalis laudes immolent Christiani.* Quas verò convenientius sacro hoc tempore laudes immolare poterunt, quàm eas quæ in Apocalypsi (postquam librum illum mysticum scriptum intus & foris signatum sigillis septem) decantantur Agno corã throno eius, à Senioribus diademate insignitis, ab Angelorum millibus, ab animalibus mysticis, ab omni denique creatura? Audiamus attentè S. Ioannem id enarrantem: *Vidi*, inquit, *Angelum fortem prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, & solvere signacula eius? Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra neque subtus terram aperire librum. Et ego flebam multum. Et unus de Senioribus dixit mihi: Ne fleveris. Ecce vicit Leo de tribu Iuda radix David aperire librum, & solvere septem signacula eius.* Et vidi: & ecce in medio throni & quatuor animalium: & in medio Seniorum

Apoc. 5.

niorum Agnum stantem, tamquam occisum. Et cum accepisset librum de dextra sedentis in throno, & aperuisset illum, quatuor animalia & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno habentes singuli cythara, cantabantq; canticum novũ, dicentes: *Dignus es, Domine, accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu & lingua & populo & natione.* Mox verò subsecuta est Vox Angelorum multorum, & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatẽ, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Statim etiam posteà omnis creatura, non solum quæ in cœlo, sed etiam quæ in terra est, & sub terra, & in mari ore cõsono & uniformi in laudes Agni erupit, & inclamavit: *Sedenti in throno & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.* Et quatuor animalia dicebant: *Amen.* Et viginti quatuor Seniores ceciderunt in facies suas, & adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.

Hoc nimirum præconium est hoc canticum novum, hæc oratio, hæc adoratio, quæ Paschali huic congruit tempori, in quo canimus cum jubilo: *Agnus redemit oves, Christus innocens Patri reconciliavit peccatores.* Et rursus in consecratione cerei Paschalis conformiter eodem cantico dicimus: *Verè dignum & justum est invisibilem Patrem Omnipotentem. Filiumque eius unigenitum toto cordis ac mentis affectu & vocis ministerio personare, qui pro nobis æterno Patri Adæ debitũ solvit, & veteris piaculi cautionem pro cruore detersit. Hæc sunt enim illa festa Paschalia, in quibus verus Agnus ille occiditur, cuius sanguine postes fidelium consecrantur.* Similia quoq; in præfatione Paschali repetuntur. Sed ut plenius hoc cæticum intelligamus, tria nobis explicanda sunt. 1. Quomodo, & cur Christus dicatur Agnus, cur etiam deferibatur stare quasi occisus. 2. Quis sit iste liber, post cuius apertionẽ laudes Agni decantantur. 3. Quare in speciali laudes depromere videantur omnes creaturæ in Christi Resurrectione.

PARS I. *Cur Christus agnꝰ & is occisus stare dicatur.*

PRimò igitur dignũ est animadversione, quod Ioannes Evãgelista in sua Apocalypsi fere soleat Christum Dominum nomine *Agni* intitulare, adeo ut vigesies septies nomen illud repetiisse inveniatur. Si enim agit de Christi potestate & fortitudine, vocat eam *Cornua Agni*, quibus scilicet pugnat, vincit, ventilat adversarios nobis potestates. Si de eius sapientia & providentia, vocat eam *Oculos Agni*, quia per illam providet hominibus, eosq; intuetur ut tueatur. Si de ipso ut Iudice agit, *Apoc. 6.* dicit Reges, & Principes, divites & fortes dicturos montibus: *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum & ab ira Agni.* Si de Martyribus agit, dicit eos lavisse stolas suas in sanguine *Apoc. 7.* Agni. Si de fidelibus agit, dicit: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Sic de Beatis ait: *Agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Si de *Apoc. 14.* Virginibus est mentio, dicit quod sequantur *Agnum quocumque ierit:* Si de Ecclesia est mentio, vocat illam *Sponsam & Uxorem Agni.* Si de civitate cœlesti sermo est, dicit quod non egeat Sole vel Luna, quia *Lucerna eius est Agnus.* Si de templo illius civitatis, Templum, inquit, non vidi in ea. *Templum eius est Agnus.* Si de beatitudine Sanctorum mentio est, dicit esse instar *fluvii aquæ vivæ* *Apoc. 21* *procedentis de sede Dei & Agni.* Denique si de libro *Apoc. 22* prædestinatorum agitur, vocat eum *librum vitæ Agni.* Quod si de fundamentis civitatis cælestis quæris, dicit *fundamenta esse duodecim, in quibus inscripta sunt nomina duodecim Apostolorum Agni.*

Agnus verò vocatur Christus, tum ob mansuetudinem eximiam: tum ob perfectam innocentiam, tum ob candorem & puritatem: tum quia eius meritis tamquã agni vellere induimur, & uberitas cooperitur, tum deniq; quia à Nativitate destinatus fuit ad sacrificium; ut immolaretur pro redemptione hominum. In horum omnium significationem solent à Pontifice *Agni* cerei benedici in Octava Paschæ, qui olim baptizatis dabantur, cum vestem candidam in baptismo acceptam deponerent. Dominica in Albis: eius enim loco accipiebant Agnum cereum à Pontifice benedictũ, ut monerentur, Christum tanquam agnum, eiusque innocentiam baptismo accentã imitari cõservare. Christus etiam quandoque Leo vocatur, ut: *Vicit Leo de tribu Iuda.* Nomen verò istud ei convenit, tum ob eximiam fortitudinem, quia diabolũ, mortem, peccatum, infernumq; devicit: tum ob regiã dignitatem, quis sicut Leo Rex est animalium, sic Christus Rex est fidelium & Sanctorum omnium, tum ob judicii potestatem, per quam terribilis erit impiis, instar Leonis rugitu suo illos percellens. Denique nomen istud maximè ei convenit ob Resurrectionem, propter quam de eo dicitur prophetice: *Catulus Leonis Iuda, requiescens accubuisti ut Leo: Quis suscitabit eum?* Ortus est Christus ex *Gen. 49.* tribu Iuda, cuius insigne fuit Leo, & sicut S. Hilarius dicit in Psalm. 31 *Leo terroris est feris omnibus & hic solus per confidentiam & securitatem dormit intrepidus: terror omnium vigilans est:* Ita nimirum & Christus, terribilis fuit inimicis licet recumbẽs & dormiens in sepulchro, terribilisque custodibus, terribilis dæmonibus. Dicitur etiam Leo dormire apertis oculis, & parum dormire, unde solet esse vigilantiæ symbolum; nam & templis & palatiis Leones appinguntur, quasi fidi & sine somno custodes. Sic Christus Dominus accubuit ut Leo cum securitate & confidẽtia & dormivit oculis divinitatis apertis, & exiguo tempore obdormivit. Addit Origenes in c. 49. Gen. hom. 17. *Leænam edere catulum quasi triduo mortuum, vel dormientem; sed tertia die patris rugitu cubile commovente suscitari.* Quod si verum est, aptissime Christo *Epiph. in Physiol.* competit jacenti in sepulchro, quasi in cubili, &

virtute ac voce Patris in triduo suscitato. Catulus ergo Leonis Christus, qui ad prædam ascendit in Cruce, accubuit ut Leo in Morte, suscitatus est tertia die, in Resurrectione, & victis hostibus triumphavit in libri apertione. Vnde S. Ioannes meritò de eo dicit, *Ecce vicit Leo de tribu Iuda.* Sic rectè Christi sepulchro in signum fortitudinis Leonem inscripseris, sicut olim etiam factum fuisse legimus in sepulchris virorum fortium : fortissimè enim pro mundi salute occubuit, eximiaq; cũ fortitudine resurrexit, sepulchrum suum immortalitati consecrans, Sed etiam aptissimè Agnum crucis triumphale vexillum gerentem eius Sepulchro appinxerimus, sicut solet Ecclesiæ mos perantiquus quod & conforme est huic visioni S. Ioannis, qui cum Christum ob fortitudinem vocasset Leonem mox ei ut Agnus demonstratur, ob victoriam & triumphum quem reportavit per mansuetudinem Audi S Bernardum ser. 1. de Paschate: *Leonem Ioannes audiverat, & Agnum vidit. Agnus aperuit librum, & apparuit Leo: Dignus est non amittere mansuetudinem, sed accipere fortitudinem, ut & Agnus maneat, & Leo sit.* Fortis nimirum est & invicta mansuetudo & innocentia, & tunc primũ in Christo Leonis fortitudinem & victoriam agnoscimus cum Agni mansuetudinem in eo spectamus. Vnde etiam apud Prophetam Isaiam, cum Christus Agnus dicitur, *Dominator terræ* simul appellatur: *Emitte Agnum Dominatorem terræ ad montem filiæ Sion* Ideo scilicet Agnus Dominator terræ, quia mansuetudine & amore universum sibi orbẽ subiecit. Reges huius sæculi solent eligere ferocia animalia, Aquilas, Leones, Leopardos, Tygrides, Draconcs, ut potentiam suam ostentent terroremque incutiant. Nostet verò Rex & Dominator pro insignis assumit Agnum, ut clementiam & benignitatem suam ostendat, & ad amorem alliciat: Et hic quidem Agnus sua mansuetudine feras alias ad se attraxit, mansuefecit, & sibi subiecit. *Aquilas*, hoc est superbos & ambitione elatos in sublimeque volantes. *Leones*, hoc est crudeles & ad iram pronos: *Leopardos*, hoc est decentores maculosos, varii ingenii, variæque fraudis: *Tygrides*, hoc est in humanos & feroces nihil pietatis habentes: *Serpentes*, hoc est invidos & venenosos, nil nisi virus spirantes: *Lupos & Porcos*, hoc est rapaces & voluptatis cœno immersos. An non vides Agni nostri victoriam, ob quam ei meritò canticum novum, canticum triumphale decernitur: *Dignus est Agnus accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & gloriam, & benedictionem?*

Pausanius.

Isaiæ. 16

Cur Christus agnus stans

Sed cur hic Agnus describitur stans quasi occisus Equidem stare dicitur Agnus, quia iam vivens est, qui occisus fuit: & qui per mortem iacuit in sepulchro, ad vitam immortalem resurrexit: & qui portabat peccata nostra curvatus, illis nunc exemptis stat gloriosus. Deinde, ut dicit S. Augustinus. *Christum stat coram throno Dei, quasi Advocatus pro nobis interpellans: Assistit enim vultui Patris: semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Stare etiam adiuvantis est & pugnantis, sedere iudicantis; ideo Stephanus in cœlo Christum stantem vidit, non sedentem, paratum utique adiuvare nos in labore certaminis, ut dicit S. Gregorius homil. 9. in Evangel. *Stat quoque paratus ad perficiendum à se inchoatum opus nostræ redemptionis*, ut explicat Richardus Victorinus.

Cur quasi occisus

Quod autem quasi occisus cernitur, non significat Christum vere non fuisse occisum aut mortuum, ut ex hoc loco quidam hæretici colligere voluerunt Quidam dixere ideo Christum vere nõ fuisse mortuum, quia verum corpus non habuerit sed tantum phantasticum & apparens, ut asserverunt Manichæi: vel quia corpus cœleste & impassibile habuerit, ut Valentinus dixit : Certum est Christum verè occisum; verè mortuum ẽnec hæreticis suffragatur quod dicitur hic quasi occisus, quia vox illa. *Quasi*, sæpe in Scriptura significat non similitudinem, sed veritatem. Sic dicit S. Ioannes, *vidimus gloriam eius quasi unigeniti à Patre* quis tamen ambigit Christum verè fuisse unigenitũ Patris; Sensus ergo est, vidimus gloriam eius, qualẽ decebat unigenitũ Patris. Quapropter Chrysostomus homil. 10. in Ioan, sic ait: *Vox, quasi, hoc loco non similitudinis est, sed confirmationis & definitionis certissimæ.* Quasi dicat: *Vidimus gloriam quam decebat habere unigenitum & dilectissimum Regis filium: ut vulgo etiam cum regium comitatum volumus describere, consuevimus dicere, Incedebat quasi Rex.* Similiter cum hic dicitur: *Quasi occisus*, non significat nõ fuisse verè occisum; nam Seniores in suo hymno expresse dicunt: *Digna es Domine accipere honorem, quoniam occisus es, & redemisti nos in sanguine tuo* Cur ergo dicitur quasi occisus? In primis, quia pauco tempore mortuus iacuit & occisus, nam mox tertia die resurrexit, & stetit vivus ac gloriosus. Mors itaque eius, ob celeritatem resurrectionis, non tam mors dicenda videtur, quam brevis somnus. Deinde quasi occisum vidit hic cũ S. Ioannes, occisionis scilicet mortisque suæ signa retinentem, quinque vulnerum cicatrices, quibus & veram occisionem probaret, & tamquam nostræ redemptionis precium Patri ea præsentaret, ut alibi dicemus. Denique tamquam occisus nobis quotidie repræsentatur in sacrificio Eucharistico, in quo nõ amplius cruente, sed tantum incruente & mystice occiditur & immolatur: in hoc verò mysterio, tum Angeli, tum Seniores, omnisque creatura etiam decantant: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere, divinitatem & honorem, &c.*

Ioan 1.

SEcũdò videamus quis sit iste Liber, post cuius PARS II. apertionẽ laudes Agno decantantur. De multis libris mysterio plenis in Scriptura fit mentio. Inprimis, celebris est liber Ezechielis; scriptus & ipse intus & foris, scriptæque erant in eo *lamentationes, Agno de-*

De libro quo aperto laudes & carmina canuntur

Liber Ezechielis Ezech. 2. & 3.

& carnem & vt. Illum autem librum porrexit & expandit coram eo manus missa cœlitus, iussusque est illum comedere, hoc est meditari, ruminare, digerere. *Hoc scilicet libro inaugurabatur & designabatur Ezechiel tanquam Doctor & Prepheta, sicut modò libri traditione Doctores inaugurari solent Et in libro illo continebantur lamentationes, & carmen; & vt quia peccatoribus lamentum, iustis gaudium, desperatis æternum pronunciaturus erat maledictum,* ut explicat S. Irenæus & S. Hieronymus.

Liber Isaiæ. Isaiæ 8.

2. Celebris etiam est liber ille, quem iubetur sumere Isaias. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, velociter spolia detrahe, citò prædare.* Quid opus tam grandi libro ad pauca illa verba in eo scribenda? Sed in paucis istis verbis grandia continebantur mysteria, ideo grandis liber assumi iubetur à Propheta, hoc est tanta membrana circa cylindrum convolubilis, sicut erant antiquorum libri, qui ideo volumina dicebantur. Omnes scilicet Christi victoriæ contra dæmonem & infernum reportandæ his verbis indicabantur, quæ cum sint innumeræ, grandi libro scribi mandantur.

Liber Zacharia Zach. 8.

3. Celebris quoque est liber & volumen volãs, de quo sic: *Et levavi oculos meos, & vidi, & ecce volumen volans longitudo eius viginti cubitorũ, latitudo eius decem cubitorum. Et dixit ad me Angelus. Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ quia omnis fur sicut ibi scriptum est, iudicabitur & omnis iurans similiter ex hac iudicabitur. Et veniet ad domum furis & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius.* Significabat liber iste, & volumen volans, celerem peccatoribus imminere ultionẽ quæ hoc scripta libro erat; quodque supplicium semper immineat capiti sceleratorum, semperque in aere pendeat. Dei tamen tantum exspectans, ut sibi peccatores semper timeant. *Viginti* autem cubitorum dicitur longitudo eius, & decẽ latitudo, quia visum est egredi volumen è tẽplo, tamquam è tribunali Dei cuius templi prisca latitudo erat decem cubitorum, longitudo viginti. Designabatur quoque Iudæa per illam mensuram, quia duplo longior erat, quam latior, & in eã in olabat hoc volumen, vindictam continens propter rapinas & oppressiones paupertum.

Liber prædestinationis, Apoc. 21.

4. Celebris rursus est sacris in Scripturis liber prædestinationis, qui & liber vitæ dicitur, de quo dicit ad Timotheum Apostolus, quod signaculũ hoc habeat. *Cognovit Dominus qui sunt eius.* Hic est liber involutus adhuc quia quinam in eo scripti sint, hactenus ignoramus, aperiet tandem illum Agnus, & expandet; quapropter dicitur *Liber vitæ Agni*, beati qui in eo sunt conscripti per æternam electionem.

Liber 7. sigillis signatus.

Denique, celeberrimus est hic liber signatus sigillis septem, quem nemo dignus inventus est ut solveret, sive in cœlo, sive in terra, sive sub terra, ni si Agnus qui vicit, & redemit nos in sanguine suo. Sed cum multa apud sacros Interpretes liber iste mysticus propter septem eius sigilla designare reperiatur, pauca ex illis proposito nostro apta delibemus.

Quid designet liber 7 sigillis signatus. Resp. 1.

Dicamus ergo primò, cum S. Bernardo, ser. 1. de Paschate, *librum istum continere mysteria redemptionis nostræ, septemque sigilla septem esse mysteria quæ celarunt Christi divinitatem.* Primum est Matris desponsatio cum Ioseph secundum corporis in Christo infirmitas: tertium est Circumcisio: quartum fuga est in Ægyptum, quintum tentatio diaboli, sextum est scandalum Crucis: septimum est eius sepultura. Hæc sigilla omnia Christus resurgẽs resolvit & patefecit. *In* his omnibus erat Deus absconditus & Salvator.

3.

Dicamus secundò, septem sigilla septem esse secreta Passionis Christi. Primum est summa impotentia in omnipotente: secundum summa pœna in impassibili, tertium summa stultitia coram hominibus in Christo, qui est summa sapientia, quartum summa paupertas in Deo divitiarum: quintũ summa ignominia in summa maiestate: sextum summa derelictio Dei in summa cum eo unione, septimum summa severitas in summo amore Patris erga Filium.

13.

Dicamus tertiò cum S. Hilario præfatione in Psalmos septem sigilla esse septem præcipua Christi mysteria olim in figuris & cæremoniis legalibus abscondita. Primum est Incarnatio: secundũ est Nativitas: tertium est Passio, quartum est Resurrectio, quintũ est in cœlos ascensio, sextũ est Spiritus Sancti missio, septimum est secundus eius ad iudicium adventus. An non hæc sunt sigillata mysteria? Verè sigillatum mysterium in Incarnatione unio duarum naturarum divinæ & humanæ. Verè sigillatum mysterium Nativitatis, in qua reperitur Virgo parieus in stabulo, Deus jacens in fœno. Verè sigillatum mysterium Passio, in qua reperitur vita moriens, summus spiritus exspirans. Verè sigillatum mysteriũ Resurrectio, *in qua mors & vita duello conflixere mirando, quando dux vitæ mortuus regnat vivus.* Verè sigillatum mysteriũ Ascensio cluso latitineris & peregrinationis filii Dei, dum propria virtute super cœlos exaltatur. Verè sigillatum mysterium Spiritus Sancti missio, quando cœli dissiluerũt à facie Dei Israel, à facie Christi, qui ossa quã captivam secum duxerat captivitatẽ, ded t dona hominibus, dona utique in igne abscondita & sigillata. Verè sigillatũ mysterium eius secundus adventus ad iudicium, quando advocabit cœlum & terrã discernere populum suum, & ignis ante ipsum præcedet? Quis poterat mysteria ista omnia reserare nisi Agnus, nisi ipse Christus? qui ubi à morte & inferis resurrexit, librum cũ impetu totius mundi stupore reseravit, duro hominibus mysteria sapientiæ suæ manifestavit. Vade & post Resurrectionem discipulis se adsociat, aperit mentes eis Scripturas de se loquentes eis nova incognita: &

per dies quadraginta apparens, de his frequentem instituit sermonem, ut perfectè eos instruat de omnibus mysteriis.

Materia novi Cant.

Meritò igitur aperto per Agnum libro viginti quatuor Seniores (per quos intellige Patriarchas & Prophetas, & in illis omnes Sanctos illustriores tam novi, quam veteris Testamenti) cantabant canticum novum in laudem Dei & Agni. Vtique cantici huius materia erat nova, nimirum nova Christi Incarnatio, Passio, Redemptio, & Resurrectio: nova & cœlestis doctrina, nova lex, nova sacramenta, nova promissa, nova gratia, nova gloria nova novi libri tot mysteriis pleni & antea obsignati reseratio, in quo nova Christi & Ecclesiæ victoria de suis hostibus cõscripta erat. Sic Christo novo Victori novũ debebatur Epinicion, De quo Rupertus sic dicit: *Canticũ novum dicitur, quia novum fuit, Filium Dei hominem fieri, & crucis mortem subire: novum fuit, resurgere & in cœlum ascendere: novum, remitti peccata, & Spiritu Sancto visibiliter signari homines novum accipere sacerdotum sacra observationis, & regnum expectare immensa repromissionis.* Sed & propterea novum canticum dicitur, quia est eximium & iucundissimum, millies absque fastidio repetendum, continens innovationem & glorificationem Christi, nostramque per eius Resurrectionem: ideo & in finem usque sæculi cum Senioribus repetit Ecclesia, & cum Angelorum ac Beatorum milibus. *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.*

Quare novum Canticũ.

Advertè porrò, quod sicut septem erant sigilla libri, ita in isto cantico septem elogia dantur Agno occiso ea reseranti, & septemplici laude celebratur Commemoratur enim *Virtus, Divinitas, Sapientia Fortitudo, Honor, Gloria, Benedictio.* Et attende quã consonent & correspondeant omnia elogia in compensam mortis & occisionis Agni.

7. Elogia Agni ex cantico.

1. Dignus est Agnus accipere *Virtutem*, quia pro nobis sustinuit tantam infirmitatem.

2. Dignus est accipere *Divinitatem*, sive ut manifestetur eius divinitas per hominum prædicationem, quia fuit opprobrium hominum.

3 Dignus est accipere *Sapientiam*, quia per tot illusiones stultissimus virorum est reputatus.

4. Dignus est accipere *Fortitudinem*, quia tantæ fuit imbecillitatis, ut sub Crucis onere fatisceret, & deficeret.

5. Dignus est accipere *Honorem*, quia ab omni statu fuit exhonoratus, & ut scurra denudatus.

6. Dignus est accipere *Gloriam*, tanta ignominia coronatus, habitusque tanquam Rex inglorius & Thearticus, seu Histrionicus.

7. Dignus est accipere *Benedictionem*, tot maledictis in supplicio Crucis oneratus

An non in Resurrectione patefecit eius Virtus, eius Divinitas, eius Sapientia, eius Fortitudo, eius Honor, eius Gloria, eius Benedictio? Meritò ergo hoc canticum novum tunc renovaverimus, quia per illum ad gratiam & gloriam renovati sumus.

PARS III *De occasione laudis Dei in ómnibus creaturis*

TErtiò, videndum quam occasionem in particulari habeant creaturæ laudem Deo & Agno decantandi in eius Resurrectione; quandoquidem post Seniores, & post millia Angelorum, omnis creatura quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, concinuerint: *Sedenti in throno, & Agno, Benedictio & Honor, & Gloria & Potestas in sæcula sæculorum.* Olim multa cantica edita fuere à particularibus personis, in signum lætitiæ, vel ob victoriam, vel ob causam aliquã particularem. Sic Maria soror Moysis cum Moyses & Hebræi victoriam de Pharaone & portarunt, canit post transitum maris rubri. Sic cecinit & Debora in signum victoriæ contra Sisaram. Sic Anna mater Samuelis propter ablatam à sterilitatem. Sic Ezechias canticũ ceunit ob sanitatem recuperatã. Hæc sunt antiqua canticai & particularia: novum verò & universale est, quod Seniores quod Angeli, quod omnis deprimit creatura per Christi Resurrectionem renovata. Sicut moriente Domino communis fuit dolor funusque omnis creaturæ, dum cœlum lugubri vestitur amictu. Sole deficiente & mœrorem indicante. Luna obscurata, terra tremente, petris scie findentibus: sic & eo resurgẽte cœli & terra, omnis qs creatura nova afficitur lætitia, & cũ Christo resurgens novum edit canticũ congratulans resurgenti. Hoc elegantèr exprimit S. Petrus Chrysologus serm. 78. Creatoris injuriam tota fugerat creatura, necem Domini sui mundus evitare contenderat, sciens ad totam domum vindictam pertendere, in qua fuerit servorum scere dominator occisus. Hinc est quod suis se deferentibus fundamentis terra tremuit. Sol ne videret, aufugit; dies ne interesset, abscessit; petræ, quia non valebant discedere per naturam, novum scinduntur per vulnus, facinus istud quia voce non poterant, sono acculantes. Ergo cum taliter mundi compago tota confuso ordine fluctuaret, & ad primordiales tenebras atque antiquum chaos crederet se authoris sui morte devolutam, subitò Resurrectionis suæ lumine Dominus diem reduxit, & orbẽ totum pristinum reformat in corpus. ut quem sibi taliter viderat esse compassum, suam se cum suscitaret ad gloriam. Hæc S. Chrysologus.

Exod. 15. *Iudic. 5.* *1. Reg. 2.* *Isai. 38.*

Meritò igitur Paschale præconium omnis debet creatura decantare; meritoq; cum tribus pueris in fornace cantantibus, eas ad laudem Dei & Agni modò specialiter advocamus, & dicimus: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.* Ostendamus in particulari.

Cantick 3 puerorũ ad Christum resurgẽtẽ.

1. Benedicere debent *Angeli Domini Domino*, tam quam electi primi Resurrectionis Dominicæ Præcones, & in symbolũ cœlestis lætitiæ candidis stolis vestiti. Benedicere debent utique illum, qui ruinas eorum per Resurrectionem suam reparat, & in cho-

in choris Angelicis numerum quicecidit, reddit, dum nos revocat ad cœlestes sedes.

2. Benedicere debent *Sol & Luna Domino, benedicere & stella cœli Domino*, lugubrem amictum deponendo, Auctore lucis resurgente. Cœli olim tantum fuisse gaudium in Christi Resurrectione, asserunt nonnulli ex SS. Patribus, ut Soi præcipua cœli lampas tribus horis solitam orienti legem præverterit, & insolito radiorum ardore coruscus enituerit. Sic loquitur S. Greg. hom. de Paschate. Similiter S. Chrysologus serm. 82. sic ait: *Sol quia Domino compateretur, abstersit, claritate cum resurgeret Dominus, ante tempus occubuit, & qui ut suo commoreretur Auctori, ipsam mortificaverat claritatem, ut conjungeret Auctori suo, ante lucanus erupit: & qui ante nescierat surgerat, nunc ipse noctem prævenit surgaturus, ut resurgat lucem horas, quas terror Dominicæ Passionis asperat.* Audi etiam Anastasium Sinaitam l. 4. in Hexaem. eron *Sol tamquam verus Christi typus sin ullum Christo eius misereſcens, pessus est: & cum defecisset impollu a eius anima ex corpore simul etiã defecit Sol ex eo esti suo corpore: & cum Christus subisset inferos, simili etiam Sol cum eo subiecit nocte adveniente. Vnde ortu Christo ex oriente & surgente à mortuis manè una Sabbatorũ, una cum eo oritur etiam Sol à terra die fulgens.* Hæc ille. Quapropter si sepulchro lotus (quia Solem stare fecit, ut victoriam de hostibus consummatam reportaret) Solis imago insculpta fuit symbolum gloriæ eius: multo magis Christi sepulchro insculpi potest, quando quidem Sol eius typus fuerit, & in omnibus ei obtemperarit, eum comitans mœstus, cum eo resurgens gloriosus.

Plura vide de hoc Hor. Past 10. t. 1. 3. fol. 24.

3. *Benedicat terra Dominum, laudet & superexaltet eum in sæcula*, quia eius sanguine fuit rigata, eius corpore in sepulchro jacente sanctificata, eius virtute, concussa ad terrendum impios, ad consolandum pios; sacrumque depositum mox reddidit redivivũ, quod ad tempus suo tenebat gremio recõditum. O felix terra, illos producens flores de quibus in Canticis dicitur: *Flores apparuerunt in terra nostra!* Quinam flores illi: Audi Bernardum: *Refloruit caro Christi in Resurrectione, hic primus & maximus flos. Christus Nazarenus, flos campi, lilium convallium. Apparuit is flos primus, sed non solus: nam & multa corpora Sanctorum surrexerunt, & quasi lucidissimi flores apparuerunt in terra nostra: venerunt enim in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Benedicant quoque *montes & colles Domino, & universa germinantia in terra Domino.* Quare montes & colles? Quia produxerunt aromata, quibus unctũ fuit corpus Domini. Quia in his post Resurrectionem apparere dignatus est Dominus: Missi enim sunt ab Angelis & mulieribus discipuli in Galilæam, in monte ibi visuri Dominum, qui prius in monte Sion se videndum & palpandum præbuerat. Hi sunt nũtes visionis benedictæ Domino, in quibus videt suas, & videntur ab illis. Quare etiam universa germinantia? Quia germinante & resorente carne Christi de sepulchro, omnia germinant & flore vestiuntur. Audi S. Ambrosium serm. 2. de Pentecoste: *Sic posst hyemalis rigoris frigidam quodãmodo sepulturam pullulare elementa omnia festinarunt, ut resurgente Domino & ipsa consurgerent. Nam utique ex Resurrectione Christi aer salubrior est, Sol candidior, terra fœcundior: ex eo surculus in fruticem, herba crescit in segetem, vinea pubescit in palmitem.* Hoc etiam est quod canimus in Paschali cantico.

Ecce renascentis testatur gratia mundi.
Omnia cum Domino dona rediisse suo.

4 Benedicant *fontes Domino*, benedicant, *maria & flumina* Domino. Quare fõtes & flumina? Quia fontium vel fluminum aquæ nunc speciali & mystica prece consecrantur, ut repræsentent Christi Sepulturam & Resurrectionem, dum per Baptismũ fideles reddunt vivos & regeneratus quasi resurgentes à peccato, ob quod erant mortui. Vnde dicit Apostolus: *Consepulti estis ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui resuscitavit eum à mortuis.* Et iterum: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quemodo Christus surrexit à mortuis per gloriam; ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Vnde & trina mersio in Baptismo tres dies sepulturæ Christi repræsentat. Mare quoque specialiter benedicere debet Dominum duplici ratione. Prima, quia ad mare Tyberiadis mox à Resurrectione se iterũ manifestat discipulis, & de piscibus quos ministravit eius aqua, dignatus est comedere, ut certiores redderetur discipuli de vera resurrectione. Secũda, quia meminisse quodammodo debet Ionæ, quẽ gremio suo quasi sepulchro conditũ post tres dies reddidit vivum, fuit autem ille insignis typus Christi prædicantis, morientis, resurgentis. Sicut enim Ionas missus à Deo fuit in civitatem magnam Ninive, ut ei Dei iudicium & pœnitentiam annunciaret: sic & Christus eandem ob causam missus fuit in hãc magnã civitatẽ mundi. Item sicut Ionas optat ut Nautæ eum in mare deiiciant, sicque alii salventur eius morte: Sic & Christus Dominus seipsũ offert voluntatiè morti, ut mortis periculo omnes nos eximat. Deinde sicut Ionas in ventre ceti orans inclamat: *Proiecisti me in profundum in corde maris, omnes gurgites & fluctus tui super me transierunt, & ego dixi: Abiectus sum à conspectu oculorũ tuorum, verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.* Item & Christus Dei Pater inclamat: *Omnes fluctus tui transierunt super me*, tota scilicet tempestas iuncta indignationis conceptæ propter peccata orbis *Deus meus ut quid dereliquisti me?* Statim verò ut Ionas in mare mersus fuit, cessavit tempestas, sic & ubi Christus sese morti obtulit, doloribusque passionis suæ immersus fuit, divinæ iustitiæ furor placatus est, oriturque dicere quod Ionas: *Ex tunc Domine tolle quæso animam meam à me, quia melior*

Coloss. 2.

Rom. 6.

Cur mare specialiter debeat benedicere Dominum.

Ionæ 2.

Psal. 41.

Psal. 21.

melior mihi mors quam vita: melior utique non solum illi, sed & omnibus qui per eius mortem æterna fruituri erant vita. Vlterius, sicut cetus excipiens Ionam, haud devoravit eum, & licet fame pressus foret, haud potuit escam hanc attingere in nocumentū. Sic & Christus mortis hiante ore exceptus nullum passus est ab ea nocumentum, nec mors devoravit eum, aut vinclis suis detinere potuit, quia erat *inter mortuos liber*. Denique, sicut Ionam tertio die evomuit cetus; sic & tertio die è visceribus & corde terræ, è sepulchro & inferis gloriosus exivit Dominus, sicque *Dux vitæ mortuus regnat vivus*. Propter hæc omnia quæ circa Ionam in typo Dominicæ mortis & resurrectionis gesta sunt, ipse Christus remittit Iudæos ad Ionam: *Generatio adultera signum quærit, & non dabitur ei signum, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ.* Merito igitur mare benedicere debet, & exultare in Domino, videns Ionam suum, quem redivivum in littus dedit nulla amplius tempestate iactandum, nullis fluctibus involuendum. Vnde mox à Resurrectione apparens discipulis ad mare Tiberiadis, *stetit* Iesus *in littore*, inquit Evangelista. Illi laborabant in mari, ipse stabat in littore. Rationem affert S. Gregorius hom. 24. in Evang. *Quid mare designat, nisi præsens sæculum, quod se casuum tumultibus & undis vitæ corruptibilis illidit? Quid per solidit atem litoris nisi perpetuitas quietis æternæ figuratur? Quia igitur discipuli adhuc fluctibus inerant vitæ mortalis, in mari laborabant. Quia autem Redemptor noster iam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suam in littore stabat.* Alteram addit mysticam rationem Sanctus Chrysologus his verbis serm. 78. *Post illam terris inexpertam tremendam cœlis, inauditam sæculis, inferis non ferendam tempestatem Dominicæ Passionis, venit ad mare Dominus, & discipulos nocturnis in tenebris reperit fluctuantes. Stetit autem in litore, ut firmaret dubia, iactata compesceret, turbata componeret, & ut Ecclesiam in qua discipuli amaris iactabantur fluctibus ad fidam fidei sua reduceret stationem. Nam Sole recedente fuerat eis terra & confusa caligo, quæ non solum visum corporis, sed & ipsum mentis cœcabat obtutum, nec sinebat littus fidei, portum salutis petere, vel repetere navigantes.*

Matt. 12.

5. Benedicant inferiores *partes terræ Dominum*, quas moriens Dominus penetravit, dum anima à corpore separata fuit, divinitati tamen inseparabiliter coniuncta. Benedicant *spiritus & animæ iustorum* Domino, qui eas visitavit, benedixit, illuminavit, & in resurrectione secum eduxit. Cantent canticum novum, inferi & limbus, quia novum susceperunt hospitem, novum Triumphatorem, novum Solem, qui tenebras convertit in lucem, mœrorem in gaudium, carcerem in paradisum. Illuc enim Christo descendente spiritus & animæ iustorum beatifica visione mox frui potuerunt, & ineffabili gaudio repletæ sunt, agnoscentes completa iam esse vota omnium creaturarum, quæ ingemiscebant & parturiebant liberatoris sui gloriam, per resurrectionem eius consummandam. Tunc exultabant dum *in nomine* Iesu *omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*. Adhuc hodie exultare debent, & benedicere Deo, & Agno spiritus & animæ iustorum in inferioribus terræ partibus agentes, hoc est in locis purgatoriis. Hæc loca Christus etiam à morte, mox visitavit, & absque dubio plures tunc inde spiritus secum eduxit, ut adimpleretur illud Prophetæ: *Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua.* Sed & quotannis in die resurrectionis suæ, merito sui sanguinis specialiter purgatorium visitare, & multas eo die animas inde liberare non ambigimus; ita ut continuò renovetur ibidem gaudium antiqui triumphi eius, quo delens chirographum decreti, omnemque obligationem ad pœnam, exspoliavit Principatus & Potestates, in cœlum secum animas educendo. Meritò ergo S. Ioannes vidit omnem creaturam; non solum quæ in cœlo aut in terra, sed etiam *eam quæ sub terra est*, inclamantem *sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.*

Philip. 2.

Zach. 9.

Apoc. 5.

Soli dæmones & damnatorum animæ gaudii & fructus resurrectionis sunt expertes, soli illi spiritus reprobi & creaturæ æternæ maledictioni ob noxiæ non possunt Deo & Agno benedicere. His nihil profuit mors & sanguis Agni, nihil profuit eius ad inferos descensus, nisi ad maiorem confusionem & pœnam. Nullum utique inde liberavit; licet enim dicat S. Petrus, quod *Christus his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant al quando, quando expectabat Dei patientia in diebus Noe:* Hoc tamen non est intelligendum de damnatis, sed de animabus illorum qui oppressi diluvii aquis egerunt pœnitentiam in fine vitæ, licet aliquando incteduli fuissent. Erant ergo hi in limbo cum aliis iustis, & intellexerunt beneficium sibi præstitum per Christi passionem, ipsomet Christo nunciante, cum mortuus quidem secundum carnem, vivens autem spiritu, sive anima illuc descendit. Quapropter addit S. Petrus: *Ideo & mortuis prædicatum est Evangelium, ut iudicentur quidem secundùm hominem in carne, vivant autem secundùm Deum in spiritu*; hoc est, ut intelligant quamvis carne iustè puniti fuerint aquis diluvii, se tamen beneficio Christi spirituali & beata vita postea victuros. Cum verò omnibus in limbo Christus idem beneficium annunciarit, de illis tamen specialiter fit mentio, qui in fine vitæ conversi sunt tempore Noe, quia id speciali commemoratione divinum videbantur.

Infernus gaudiis resurrectionis expers

1. Petr. 3.

1. Pet. 4.

In nocte beatissima gloriosissimæ Resurrectionis Domini, dum B. Gertrudis ante matutinas devotius orationi incumberet, apparuit ei Domi-

Exemplū

Dominus Iesus florens & amœnus in gloria divinæ Maiestatis, & decore perpetuæ immortalitatis. Ad cuius pedes ipsa procidens, eum devotissimè adoravit, dicens. *Cum tu sponse floride, decus Angelorum & gloria, me omnium creaturarum extremam tibi eligere dignatus es in Sponsam, & ego solius tuæ laudem & gloriam ex intimis cordis & animæ medullis desiderem & sitiam, & tuos amicos meos propinquissimos reputem: ergo peto Iesu amantissime, ut hac hora ob reverentiam jucundissimæ Resurrectionis tuæ absolvere digneris animas omnium spiritualium tuorum. Ad quod citius obtinendum in unione innocentissimæ Passionis tuæ offero tibi omnem tolerantiam cordis & corporis mei quam pertuli in cõtinuis infirmitatibus meis.* Tunc Dominus cum mira blanditate ostendit illi multitudinem, animarum à pœnis absolutarum, dicens. *Ecce pro dote sponsali has omnes assigno tuæ dilectioni, æternaliter apparebit in cœlis, quod tuis sunt precibus liberatæ, & hoc coram omnibus Sanctis meis cedet tibi jugiter in honorem.* Tunc illa: *Et quantus est earum numerus?* Respondit Dominus: *numerum earum solius divinitatis meæ scientia complectitur.* Cumque ipsa intelligeret animas istas quamvis à pœna liberatas, nondum tamen æternis gaudiis sociatas, obtulit se totam divinæ pietati ad tolerandum in corde & corpore quæcumque sibi placerent, ut animabus illis plenam beatitudinem conferre dignaretur, & eadem hora Dominus eas ad cœli gaudia sublevavit. Hæc ibi.

Aliud. Audi ulterius. Dum eadem die Resurrectionis Dominicæ Virgo Gertrudis magna devotione & intentione sese præpararet ad cantandas matutinas in gloriam Dominicæ Resurrectionis, & inchoaretur invitatorium *Alleluia*, dixit ad Dominum: *Doce me instructor benignissime quali devotione te laudare possim per Alleluia, quod totics in festo isto repetitur.* Respondit Dominus *Poteris convenientissimè me per Alleluia collaudare in unione laudis super cœlestium civium, qui per idem jugiter collaudant in cœlis. Et adiecit Dominus: Nota quod in illa dictione, Alleluia, omnes vocales inveniuntur præter vocalem O, qua dolorem significat, & pro illa duplicatur prima vocalis scilicet, A. Per illas ergo vocales lauda me, in unione illius excellentissimæ laudis, qua omnes Sancti consubilantes, extollunt præsuavissimam delectationem divini influxus mei in meã deificam humanitatem tam immortalitatis gloria sublimatam pro multifaria amaritudine Passionis & mortis, quam sustinui propter humanam salutem.* Hæc iterum lib. 4. cap. 27.

Concludo, & postremo adhortor omnes illos homines, ut in die Resurrectionis sacræ benedicant Deo & Agno, benedicant Filio Dei, laudesque resurgentis decantent cum cœlo & terra, cum omnibus elementis & creaturis, cum Angelorum millibus, cum civibus regni cœlestis, cum spiritibus & animabus iustorum in purgatorio; utique pro illis orent & adorent viventem in sæcula sæculorum, ut eas dignetur suæ resurrectionis & beatitudinis efficere consortes. Imitentur exemplum S. Gertrudis, de qua lib. 4. Insinuationum c. 17. sic habetur.

CANTICVM TRIVM PVERORVM.

PARS I.

Quomodo cælũ Empyreum, sydereũ, benedicãt Dominũ in Resurrectione,

NOn solùm Mariæ Matri congratulamur hoc tempore paschali, nec solùm discipulis, aut mulieribus, aut aliis qui fuere cõscii & participes gaudii Resurrectionis: sed etiam mutis & insensibilibus creaturis congratulamur; quia totus mundus per hanc Christi Resurrectionem quodam gaudio est perfusus, & in Christo resurrexit, ac renovatus est, dicente Sancto Ambrosio in libro de Fide Resurrectionis. *Resurrexit in eo mundus, resurrexit in eo cælum, resurrexit in eo terra. Erit enim cælum novum, & terra nova.* Hinc & illa Oratio Ecclesiæ: *Deus qui per Resurrectionem Filii tui Mundum lætificare dignatus es, &c.* Olim canebatur solummodò: *Deus qui per Resurrectionem Filii tui familiam tuam lætificare dignatus es.* Sed quia nimis id coarctatum erat, immutata est Oratio illa ab Ecclesia secundum dictam nunc priorem formam. *Hinc iterum canit Ecclesia: In Resurrectione tua Christe, alleluia: Cæli & terra lætentur, alleluia.* Oportunè ergo hoc tempore per Cãticum eorum puerorum omnis creatura excitatur ad laudem & gaudium. Et licet hoc alibi attigerimus, nunc plenius exponemus.

Cæli & terra lætantur in Resurr.

Primò, invitatur meritò Cælum supremum [in quo Thronus est gloriosus Divinitatis] cum Angelis incolis suis, & Virtutibus cælestibus, ut in Resurrectione Domini specialiter benedicant Dominum: quia hi primi fuere testes huius Resurrectionis, & primi. Nuntii è cælis missi, ut eam nuntiarent hominibus. Ideò apparent in candidis vestibus circa sepulchrum, luce & gaudio perfundentes locum tristitiæ & mœroris; terrentque hostes Christi instar fulguris coruscantis. Et absque dubio multitudo Angelorum adfuit laudantium Deum in hac Resurrectione, quasi secunda Christi Nativitate (de qua etiam scriptum est: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, interprete Sancto Petro in Actis) sicut multitudo adfuit eorum in prima Nativitate gloriam Deo decantantium, quia non minus lætitiæ inest Resurrectioni, quam Nativitati. Hi sunt Custodes Regis Pacifici, *Custodes Lecticuli Salomonis nostri*, numerosi utique & fortissimi, & ad bella doctissimi, advigilantes ne fortè Rege suo resurgente hostes eius aliud corpus inferrent in eius Lectulum & Sepulchrum, ut crederetur non resurrexisse. Putant nonnulli inter hos Angelicos Spiritus primarium fuisse Gabrielem, ipsumque revolvisse lapidem, & terræ motum effecisse. Meritò ergo hoc tempore paschali dicimus: *Benedicite omnes Angeli Domini Domino*, benedicite nobiscum, & pro nobis; Domino benedicite,

Angeli primitus ex Christi Resurr.

quia per Domini Resurrectionem vestræ ruinæ reparabuntur nobis assumptis in vestram societatem.

Calum sydereum cum Sole & Luna & benedicunt Domin. in Resurr.

Secundo, meritò invitatur Cælum sydereum cum Sole, Luna, & Stellis suis, ut in Resurrectione Domini specialiter benedicat Dominum. Sol utique & Luna & Stellæ benedixerunt Domino in eius Passione, dum per tres horas lumen suum retraxerunt, in execrationem judaici scelerisimpiorum sese usui denegantes, & in favorem Domini sententiam contra eius hostes pronunciantes. Sic & in Resurrectione speciaLiter Sol benedixit Domino, quia asserit Sanctus Petrus Chrysologus, & Sanctus Gregorius cum nonnullis aliis, Solem ipso die Resurrectionis præveniſſe solitam oriendi legem tribus horis, eò quòd tribus horis obscuratus sit in Passione.

Sol Benedixit Chr in Resur.

Chrysolog. serm. de Resurr.

Sic hac de re loquitur Beatus Chrysologus: *Sol quiper tres horas, ut Domino comparatetur, absconderat; claritate, cum resurgeret Dominus, ante tempus occurrit: & qui ut suo commoraretur auctori, meridianam mortificaverat claritatem, ut consurgeret auctori suo evictis tenebris ante lucanus erupit? & qui antè fugerat, nunc ipsam noctem prævenit fugaturus, ut redderet nox lucis horas, quas transitu Dominicæ Passionis invaserat.* Hæc ipse. Eamdem sententiam sequitur Michael Ayguanus, vulgò dictus Doctor Incognitus in Psalmos, & in favorem huius sententiæ illum versum explicat Psal. 138. *Nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Quasi his verbis prævideritet prædixerit Psaltes, quòd sicut tenebræ Passionis tribus horis perduraruot, ita lux Resurrectionis tres illas horas reddiderit, Sole cursum suum solitum præveniente.

Quicquid sit de hac sententia, ex eo saltem capite Sol Domino tunc benedixisse specialiter censetur, quòd speciali claritate mundum illustrarit. De quare sic loquitur Divus Maximus, serm. de Paschate: *In Resurrectione Christi omnia Elementa gloriantur, nã & Solem ipsum arbitror in hac die clariorem solito fuisse.* Ita ipse. Cui conforme est quod canit Ecclesia tempore Paschatis:

Claro Paschali gaudio
Sol mundo nitet radio,
Cùm Christum iam Apostoli
Visu cernunt corporeo.

Iure igitur merito hoc paschali tempore, dicimus: *Benedicite Sol & Luna Domino, benedicite Stellæ Cæli Domino*, occurrite cum lætitia Conditori vestro è tenebris resurgenti, & novalucc omnia respergenti; occurrite, inquam, & ei quo potestis modo vos congratulati significate, & nos excitate, ut illum vobiscum benedicamus. Cumque Sol in qualitatibus suis figura sit Christi resurgentis, immò & nostræ resurrectionis, ideò advocatur nunc in consortium divinæ laudis. In illo enim repræsentantur dotes Corporis Christi gloriosi, quibus & nos communicabimus. In eius splendore repræsentatur claritas, in eius velocitate agilitas, in eo quod sine alteratione permanet impassibilitas, in eo quod omnia loca pervadit, ipsumque virtum penetrat subtilitas.

Tertio, meritò invitatur Cælum aereum cum suis meteoris & incolis, imbre, rore, pruina, ventis, æstu, frigore, nivibus, ignibus, fulgure, noctibus & diebus, luce & tenebris, ut specialiter benedicant Domino in eius Resurrectione, quia eum & resurgentem & ascendentem agnoverunt, tamquam Dominum aeris & ætheris, ventorumque & ignis, excluso Æolo, Vulcano, Iunone, Iove, & aliis falsis Diis, qui his omnibus dominati & præsidere erroneè fingebantur à Pseudosapientibus. Dicamus ergo, *Benedicite omnis imber & ros Domino, omnes spiritus Dei Domino, ignis & æstus Domino, gelu & frigus Domino, lux & tenebræ Domino*, & in eius Resurrectione cum agnoscite Dominum.

Calum dereum cũ suis meteoris & benedicit in Resur.

Quomodo Imber & Ros Invitantur ad benedicendum Dñ.

Atque ut hic aliquid specialiter de his adiungamus, attende quam bene & quàm oportunè, Imber & Ros, ac Spiritus Dei, sive venti spirantes, invitantur nunc ad benedicendum Domino, quandoquidem ipse est ille Doctor justitiæ, qui resurgendo faciet descendere imbrem matutinum & serotinum, ut terra arida cordis nostri ter fructum suum, ut dixit Propheta Ioel. Ipse est, qui ventum australem immittet in Hortũ Sponsæ suæ, ut fluant aromata illius; & de facto mittet spiritum suum in specie venti concutientis domum, in qua sedebunt Apostoli, ut eos repleat spiritu vehementi, quo valeant cum zelo & impulsu suos sternere hostes, auramque gratiæ fidelibus afflare, & peccati venenosum aerem purgare. Propterea mox à resurrectione dans eis potestatem remittendi peccata, insufflavit in eos, & dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* Ecce ergo spiritus Dei, qui benedicit Domino, status ille odoriferus per aerem ab ore Domini in discipulos inspiratus.

Ioan. 20.

Invitatur Ignis & Æstus ut benedicant Chr.

Quàm benè quoque & quam oportunè ignis invitatur & æstus ad benedicendum nunc Domino, qui resurgit ut ignem mittat in terram, & quem vehementer cupit accendi. Ideò Sabbato S. Resurrectionis solemni ritu novus ignis accenditur, & benedicitur, lucis novæ noviq; æstus divini amoris symbolum præclarum. Quo & significatur, quòd ex nunc hyems frigusq; & gelu benedicent Dominum, ad eius præsentiam recedentes, & calori ac æstui locum dantes, ut fructificet terra nostra, & adimpleatur illud Cantieorum: *Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit surge amica mea & veni.* Et certè de facto ignis censetur benedicere Domino, dum mittitur Spiritus S. ab ipso in specie ignis coruscantis, fulgurientis flammescentis in Apostolorum verticibus.

Denique, quàm benè & quàm oportunè lux & tenebræ, nox & dies invitantur hoc tempore paschali

Lux & Tenebræ

paschali ad benedicendum Domino, quandoquidem verum sit de Resurrectionis nocte: *Nox illa sicut dies illuminabitur: Nox illuminatio in deliciis meis.* Hinc & ille cantus celebris in Præconio Paschali: *Hæc est nox qua peccatorum tenebras columna illuminatione purgavit. Hæc est nox qua hodiè per universum mundum in Christo credentes, à vitiis seculi & caligine peccatorum segregatos reddit gratia, sociat sanctitati. Hæc est nox in qua destructis vinculis mortis Christus ab inferis victor ascendit.* Ac postmodùm addit & canit ibidem Ecclesia cum exclamatione: *O verè beata nox, quæ sola meruit scire tempus & horam quâ Christus ab inferis resurrexit. Huius igitur sanctificatio noctis fugat scelera, culpas lavat, & reddit innocentiam lapsis ac mœstis lætitia, fugat odia, concordiam parat, & curvat imperia!* Rursum post pauca exclamat: *O verè beata nox quæ expoliavit Ægyptios, ditavit Hebræos! Nox in qua terrenis cælestia, humanis divina iunguntur.* Quæ omnia plena sunt pietate, plena gaudiis, plena mysteriis, & meditatione dignarita ut in horum consideratione meritò hoc tempore dicamus: *Benedicite noctes & dies Domino, benedicite lux & tenebræ Domino.* Ideò & antiquitùs ad hanc noctem rememorandam, Missa celebrabatur in nocte Resurrectionis & Cereus paschalis benedicebatur, horum omnium Mysteriorum Memoriale solemne. Sicut autem nocte illam beatam prædicat Ecclesia, quæ tot mysteriis benedixit Dominum, & nos ad idem invitat: sic & Diem resurrectionis prædicat beatum, & solemni salutatione quotannis veneratur cum jubilo insonans:

Salve festa dies toto venerabilis ævo,
Qua Deus infernum vicit, & astra tenet,
Qui crucifixus erat Deus, ecce per omnia regnat,
Dantq; Creatori cuncta creata precem.

Hic ergo repetere possumus, ob Resurrectionem Domini, *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.*

Nox, & Dies dãt Dom. in Resurr.

Nox in qua Christus ab Iohan. 6. victor ascendit.

PARS II.

Quomodo Elementa cũ suis Incolis benedicant Dominũ in Resur. Christi.

QUARTÒ, invitantur Elementa ad benedicendum Domino, & specialiter Terra cũ montibus & collibus, cum arboribus, fruticibus, & omnibus germinibus suis: *Benedicat Terra Dominum, laudet & superexaltet eũ in sæcula. Benedicite Mõtes & Colles Domino, benedicite universa germinantia in terra Domino.* Equidem terra specialiter benedixisse censetur Domino in eius resurrectione, dũ eius Corpus Deificum, quo sanctificata fuit, reddidit cum lætitia & gloria redivivum. Quam lætitiam & gloriam testatur suâ commotione & concussione in Domini sui Resurrectione: *Et ecce terræ motus factus est magnus*, inquit Evang. Vtique à facie Dei Iacob resurgentis, quæ motio indiciũ fuit exultationis eius, dum corporis Domini sui sacrum depositum reddit, quod tridno conservarat incorruptum. Postmodum in fine sæculorum iussu eiusdem Christi, omnium hominum corpora in resurrectione ultima reddet integra & redi-

Qualem lætitiam & gloriã in Resur. in mundo exitant.

viva. Quod quidem fiet virtute huius resurrectionis primæ, qua Primogenitus mortuorum Christus resurrexit; de qua re loquitur Apost. *Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniã quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* *Cor. 15.*

Quantùm ad Montes & Colles & universa germinantia, censentur quotannis benedicere Dominum in Domini Resurrectione. Propterea canit solemniter Ecclesia:

Ecce renascentis testatur gratia mundi
Omnia cum Domino dona rediisse suo.
Namq; triumphanti post tristia tartara Christo
Vndiq; fronde nemus, gramina flore favent.

Vlteriùs adverte, quòd meritò invitantur Montes & Colles ad benedicendum Domino tempore paschali, quandoquidem Dominus Montes & Colles elegerit, in quibus post Resurrectionem suam illius testimonium exhibere discipulis suis, ut agnoscerent & benedicerent Dominum suum, omni infidelitatis nube iam discussa. Propterea apparet eis congregatis in monte Sion, item in monte Galileæ, denique in monte Oliveti in Ascensione. Et aliàs frequentiùs eos alloquitur in montibus, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei; cùm enim in montibus solitus fuerit orare & docere, cum illis montes illos revisit, antequam ad Patrem ascenderet, & quæ docuerat, repetiit, & replicavit. *Montes & Colles & universa Germinantia in die Resur laudant Domin. Christus in diversis montibus apparet.*

Quintò, meritò invocatur Elementum aquæ ad benedicendum Domino in eius Resurrectione: *Benedicite Fontes Domino, maria & flumina Domino, benedicite cete & omnia quæ moventur in aquis Domino.* Quare Fontes cũ aquis debent benedicere tunc specialiter Dominum? Quia electi sunt ad primum Mysterium & Sacramentum totius fidei, symbolum mortis & resurrectionis Domini, ad Baptismum scilicet de quo dicit Apostolus ad Rõ. 6. *An ignoratis, Fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortẽ, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriã Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & Resurrectionis erimus.* Quod idem asserit ad Colosl 2. *Consepulti ei estis in Baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis.* Propterea mox à Resurrectione suos Christus misit Discipulos ad Fontes & flumina, ut ex illis aquam educant ad Baptismi gratiam toto Orbe effundendam ipsius virtute. Ex tunc enim dedit eis potestatem baptizandi, in monte Galileæ eis apparens, & dicens: *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.* *Invocatio aquæ in Resur.*

Hinc etiam est quod in privilegio festi Resurrectionis Ecclesia tanta celebritate Fontes Baptismales renovat & benedicit, immittens in il-

Quomodo aquæ benedicant Dominũ in Resurr. 2. Colss.

Matt. 28 Renovatio Fontium Baptismalium

los Cereum paschalem, quinque globis diversi coloribus adornatum, & luce nova fulgidum. Hic designat Christum redivivum cum quinque notis vulnerum, qui baptismo & aquis virtutem indit ad producendum vitam novam, & gratiam ac lucem his qui ad illum accedunt cum fide mortis & resurrectionis eius. Quapropter antiquitùs multa fiebant miracula, dum Euntes renovatentur, sive in Paschate, sive in Pentecoste, sive, ut in aliquibus Ecclesiis etiam solitum fuit, in Vigilia Epiphaniæ, de quibus miraculis egimus in Candelabro mystico, tract. de Bapt.

in Vigilia Resurr. Christi.

Refert Paschasius in Epistola ad S. Leonem (quæ habetur inter opera S. Leonis) in Sicilia in quodam vico Meltinas dicto Fontes Ecclesiæ singulis annis in Vigilia Paschæ miraculosè impletos fuisse quamdiu ali qui erant baptizandi; statim verò omnibus baptizatis eadem aqua deperibat, nec amplius apparebat.

Simile Baptisterium erat in Lycia Provincia in Pago Cedebratis quòd à seipso implebatur aqua in die Paschæ, & durabat usque ad diem Pentecostes, tunc verò evanescebant. Ita habetur in Prato spirit. c. 25. Sic ergo tempore Paschali specialiter aquæ & fontes benedicebant Domino, à Domino & Ministris eius specialiter benedicti.

Pratum spirit. c. 25

Quòd si & de specialibus Fontibus Dominum in sua Resurrectione benedicentibus cupis audire; attende quid de Fonte Emaus narrent antiqui Historici. Ante Castellum Emaus prope Trivium in quo Christus post Resurrectionem cum Cleopha incedens simulabat se ad alterum pagum properè contendere, est Fons quidam salutaris: in quo non homines solùm qui ægrotant, loti curantur, verùm etiam animalia quæ variis morbis laborant. Nam ferunt Christum unà cum discipulis è via ad Fontem illum divertisse, & in eo lavisse pedes, & aquam ex eo tempore vim medendi morbis habuisse. Ita refert Zozomenus lib. 5. hist. Ecclesiast.

Quantùm ad pisces qui moventur in aquis, hi specialiter quoque ad laudandum Dominum invitantur in eius Resurrectione. Quare S. Antonius de Padua iuxta Arimum sic eos in spiritu elevatus alloquitur stans juxta oram fluminis, & advocans eos ad Verbum Dei audiendum, cùm illud repellerent hæretici: *Fratres mei Pisces multum debetis Creatori, qui tam limpidum elementum vobis dedit ad inhabitandum, & quia escas vobis præparat necessarias, & quia in creatione benedictionē accepistis multiplicationis, & in diluvio cæteris animalibus pereuntibus servati estis. Et quia vobis datum est servare Ionam, & post tertium diem reddere incolume: & quia census quem Dominus solveret, obtulistis. Et quia in cibum Domini post eius Resurrectionem (singulariter benedicti estis. Propter hæc igitur benedicite Dominum.* Hæc Vir sanctus ad animalia irrationabilia, non irrationabiliter. Nam post hæc dicta pisces ibi congregati capita inclinarunt, & Dominum benedixerunt quo poterant signo, & abeuntes cum licentia. Viri sancti gaudio quodam perfusi sunt, quod testati sunt miro ibi usu. Hinc populus confluens ad hoc miraculum totus attonitus sedit ad pedes Antonii, cùm in spiritu exhilaratus inclamaret: *Benedictus Deus, quia magis honorant Deum pisces, quàm homines.* Tantâ autem post virtute concionatus est, ut multi compungerentur, & hæretici converterentur. Sic habent Chronica Minorum, & vita Sancti Antonii Paduani.

Pisces laudant Christū Resurr.

Pisces audiunt verbum Dei.

Chron. Minorū & in Vita S. Antonii de Padua.

Repetamus ergo hoc tempore piscibus qui moventur in aquis: Benedicite Domino, O pisces, tot favoribus à Creatore præventi, sed à Salvatore nostro benedicti post Resurrectionem eius, dum cum discipulis comedit partem piscis assi & favum mellis, dum ad mare Tiberiadis stat in littore, & iubet mittere rete in dextram navigii, ex qua educti sunt centum quinquaginta pisces grandes, non sine prodigio & mysterio grandi.

Pisces quoque laudant Domin. in Resurr.

Sextò, Volucres cæli & omnia pecora campi meritò ad benedicendum Domino invitantur tempore Paschali. Meritò dicimus benedicite Dominum, O volucres cæli, quia ecce qui vos pascit, quique alas ad volandum vobis dedit, instar passeris è tenebroso & spinoso sui sepulchri nido surrexit liber, evolavitque de laqueo venantium, & in aerem conscendens novum ver annuntiat, novam lætitiam, novum cantum. Iubilate, O volucres, cum omni terra, date gloriam laudi eius, *Cantate Domino canticum novum, vocem iucunditatis annunciate, & audiatur alleluia, annuntiate usque in extremum terræ alleluia.* En Phœnix vester unicus, qui seipsum de cinere suo suscitare potuit, & novam sibi vitam reddere, agnoscite eum, & Dominum benedicite.

Volucres cæli & pecora campi laudant Domin.

Agnoscite, O Aquilæ, Aquilam hanc nobilissimam, post somnum Resurrectionis congregantem pullos suos, ut super eos volitet, & doceat in Solem & Cæsum mentis iaretortam aciem figere; ut & eos doceat volare, & in sublime tendere, & postmodum extendens alas suas, assumat eas in humeris, & Dux eis sit in cælestem regionem. Agnoscite hæc, & benedicite Domino, O cæli volucres pennatæ!

Aquilæ Coparatus Christo.

Agnoscite, O Leones, Leonem hunc de tribu Iuda, qui suos hostes terruit & vicit; qui accubuit ut Leo, & dormivit paululum, sed oculis apertis; ac deindè irrugiens cubile suum commovit, & seipsum suscitavit custodes suos terrefaciens: Ipse est de quo scriptum est, *Leo fortissimus animalium ad nullius occursum pavebit.* Et iterū: *Catulus Leonis Iuda ad prædam ascendisti Fili mi* (dum scilicet in Crucis arborem, & in montem Calvariæ ascendit) *requiescens accubuisti ut Leo. Quis suscitavit?* Hunc Leonem undecim Leunculi circumstant, qui rugitum suum valent per totum Orbem extendere, ut terreantur hostes omnes, & infernus ipse paveat. Hoc agnoscite Leones, & Domino benedicite.

Leo Cōparatur Christo.

Sed

Sed & vos in montibus benedicite Cervi Domino, & agnoscite. Cervum hunc qui desiderat & ducit ad Fontes aquarum, qui præparat pedes nostros quasi Cervorum super excelsa statuens nos, qui belligerat contra serpentes & venena eorum, qui intingit in aquis cornu suum, ut eas à veneno purget, qui ducit per aquas tribulationum, ut ad littus pertingamus optatum. Hic etiam est ille *Hinnulus Cervorum*, qui ascendit *super montes Bether*, super montes aromatum, ut trahat nos post se in odorem suavissimorum unguentorum. Hoc, ô Cervia agnoscite modò tempore hoc sactato, & benedicite Domino.

Cervi laudent Dominũ in Resur.

Vos verò, ô pecora campi, oves & agnelli benedicite nunc Domino, & illum Agnum agnoscite, de quo scriptum est: *Ego quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Agnus Dux gregis quem multi agnelli & agnellæ sequentur, ut pro ipso & eum ipso immolentur. Hic est Agnus quem S. Ioannes vidit in medio Throni & seniorum & animalium & Angelorum, cum jubilatione eorum aperientum librum, quem nemo sub cælo, nec supra cælum, nec sub terra poterat aperire. Vidit autem hunc Agnum quasi occisum, & tamen stantẽ & viventem in sæcula sæculorum. Quod vidit quasi occisum, significat eum post Resurrectionẽ suam occisionis suæ, sive mortis suæ signa retinentem in cicatricibus suis, cum quibus stat coram Patre semper vivens ad interpellandum pro nobis. Hunc ergo oves & agnelli agnoscite, & Domino benedicite. Agnoscite & vos omnes Christiani, qui ovium & agnorum nomen tenetis, & benedicite, docente vos Matre vestra Ecclesia, & decantante, docente auribus vestris:

Agni & Oves cõperantur Christo.

Victimæ Paschali laudes immolent Christiani,
Agnus redemit oves, Christus innocens
Patri reconciliavit peccatores.

Agni igitur & oves campi eum agnoscant, & benedicant, sed magis illi de quibus hoc tempore canimus: *Isti sunt Agni novelli qui annunciaverunt Alleluya: modo venerunt ad Fontes, repleti sunt claritate, alleluya. In conspectu Agni amicti sunt stolis albis, & Palmæ in manibus eorum.*

PARS 3. *Quemadodo filii hominũ, filique Israel benedicant Dominũ. In Die Resurr.*

Septimò, sicut primo loco Angeli, Filii Dei primogeniti Cælum habitantes invitati sunt, ut benedicerent Domino; sic postremo loco invitantur *Filii hominum*, terram incolentes, ad benedicendum eidem: quia ipsi ad eius laudem sicut & Angeli sunt primariò creati, & intellectu donati, loccque rationis signati. Sunt nempè Angelus & Homo duæ nobilissimæ creaturæ, ob quas sunt reliquæ. Debent quidem omnes filii hominum laudem Deo, sed maximè veri Israelitæ, ad visionem Dei adspirantes, & se de populo Dei esse agnoscentes. Israel enim significat idem quod *Videns Deum*, aut *Princeps cum Deo*. De populo autem Dei possumus dicere: *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob*, luctans tota nocte huius sæculi cum Deo, & in aurora alterius vitæ inventura *benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo*, si non dimiserit eum, sed firmiter usque in finem eum retinuerit, pio in luctamine perseverans. Propterea ergo hic specialiter dicitur: *Benedicat Israel Dominum, laudet & superexaltet eum in secula.* Sic & Prophera Regius postquam filios hominum, omnis status & conditionis, omnis sexus & ordinis, ad laudem Dei advocasset, etiam specialiter meminit filiorum Israel. Sic enim canit: *Iuvenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius. Confessio eius super cælum & terram, & exaltavit cornu populi sui.* Hymnus omnibus Sanctis eius, filiis Israel populo appropinquanti sibi. Quod quidem rectè repetitur tempore paschali, in quo omnes omnis Ordinis homines in laudem Dei specialem decet conspirare, & canere: *Vivit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ.*

Subjicitur quoque in nostro Cantico: *Benedicite Sacerdotes Domini Domino, benedicite servi Domini Domino*; quia præcipuum munus Sacerdotum est, qui stant coram Domino in Templo sancto eius, laudare eum, & se servos illius profiteri. Hoc verò tempore benedicunt continuâ laude Domino, quia à mortuis surrexit Sacerdos ille summus, & sanguinem suum resumpsit, per quem introire debet in Sancta æterna redemptione inventa. Nunc quoque eum intuentur Stola candida nostræ carnis reindutum post Sacrificium cruentum omnium Sacrificiorum consummativũ: quæ quidem Stola quinque Notis purpureis est interpuncta & fulgida, quatuorque dotibus gloriosa. Hæc nunc eorum esse debet pia meditatio, ut fervidè & amanter benedicant Domino. Immò hoc ce tempore oportunè vobis dicitur, O Sacerdotes, *Benedicite Domino*; quia hoc nunc à Vobis recolendum est, quomodò Dominus benignissimus à mortuis resurgens potestatem vobis dederit remittendi peccata, Spiritum sanctum in corda vestra insufflando. Etenim Discipuli & Apostoli gerebant personam omnium Sacerdotum, quibus mox à Resurrectione dixit: *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur &c.* Ergo & ex hoc capite benedicite Sacerdotes Domini Domino, benedicite servi Domini Domino, & gratias agite nunc ex imo corde, quòd talem potestatem dederit hominibus, ad salutem omnium hominum. Estote verò *sancti & humiles corde*, ut eum dignè valeatis benedicere; illudque ex ore eius animo recondite: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.*

Sacerdotes modo in Ecclesia militantes Deum laudant.

Ioann. 20

Quòd autem Spiritus & animæ iustorum etiam hic invitantur ad benedicendum Domino, non solùm intelligi possunt spiritus & animæ corpori coniunctæ, sed etiam spiritus & animæ à corpore separatæ in limbo agentes vel purgatorio, quas Dominus visitavit, benedixit, illuminavit, & secum in Resurrectione eduxit eas beatificans

In die Resur. Deus animas in purgatorio liberat.

clarâ sui visione. Sed quotannis etiam ob Resurrectionis suæ solemnitatem è purgatorio multas animas & spiritus iustorum educit, renovando gaudium sui antiqui triumphi, quo exspoliavit infernum. Meritò igitur & hoc tempore repetimus: *Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino.*

Postremò, opportunè invitantur tres pueri Babylonicæ fornacis ad benedicendum Domino, quia hos liberavit Dominus de medio ignis, hos incorruptos ab igne reddidit, his rorem & ventum refrigerantem immisit. Hinc canit Ecclesia in Antiphona Paschali huiusce Cantici: *Surrexit Christus de sepulchro, qui tres pueros liberavit de camino ignis ardentis, alleluya.* Propterea etiam Rex in fornacem intuens cum stupore dixit. Optimatibus suis: *Nonne tres viros misimus in medio ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis Filio Dei.* Itaque docent nonnulli ex Sanctis Patribus hunc quartum similem Filio Dei fuisse Christum Liberatorem & Salvatorem qui humanæ naturæ similitudinem induerat antequàm illam assumeret, quique ex tunc se quodammodò ad futurum Redemptoris officium exercebat. Ita Tertullianus. & Sanctus Iustinus, Sanctusque Hilarius. *Ergo benedicis te Anania, Azaria, Misael Domino, qui vobis apparuit in camino, & nunc surrexit de sepulchro, laudate & superexaltate eum in sæcula; sed & nos ad eũ laudandum & benedicendum adiuvate, ut Fornacem Babyloniam huius mundi evadentes illæsi, possimus Domino æternum benedicere in vestro consortio.*

Trinitas concluditur hoc canticũ

Denique, hoc Canticum concluditur totius Trinitatis laude, dum canimus: *Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula. Benedictus es Domine, in firmamento Cæli, & laudabilis & gloriosus & superexaltatus in sæcula.* Nempè omnis benedictio quæ Domino datur, sive in terra, sive in cælo, propter varia redemptionis nostræ mysteria, non sistit in Christo nostræ salutis auctore, sed ulteriùs refertur in totam Trinitatem, in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Quia omnia mysteria, totius Trinitatis sunt opera indivisim. Ipsa quoque Resurrectio Christi, ob quam jubilamus & nunc Domino benedicimus, opus est omnipotentiæ Patris, opus sapientiæ Filii, opus bonitatis Spiritus Sancti. Benedicamus ergo Patrem & Filium cum Spiritu Sancto in hac gloriosa nobis Resurrectione; laudemus & superexaltemus eum in sæcula, ob tot exhibita nobis beneficia & mysteria. Benedicamus, & pia sublimique voce dicamus: *Benedictus es Domine in firmamento Cæli, & laudabilis, & gloriosus in sæcula.*

Resurrectio Christi gloriosa

COROLLARIVM.

EX his omnibus collige, quàm verum sit quod Sanctus Antonius, ut refert Sanctus Athanasius in eius vita, solebat dicere, *Mundum hunc in sua mole extensum, esse expansum quemdam librum, magnis characteribus scriptum, amplissimis & foliis compactum & distinctum, in quo facilè legere possumus, qualis & quantus sit Deus; in quo cito discere possumus eius potentiam, sapientiam, providentiam, benitatem, & alias ipsius perfectiones, illasq; agnoscendo, ipsum benedicere & laudare, exaltare & magnificare. Tot quot sunt Creatura, tot sunt Characteres libri huius, Dei Creatoris excelentiam significantes. Et quot eximia eius elucent opera præ oculis nostris, tot sunt folia eiusdem libri.*

Primum Folium est Cælum Empyreum cum Spiritibus Angelicis & beatis mentibus: quod quidem folium oculo mentis perspicaci contemplari debemus, & Deum super firmamentum Cæli benedicere, ut jam antè diximus. *Cælum Empyr.*

Secundum Folium est Cælum Sydereum cum Astris suis, quæ miræ sunt celsitudinis, magnitudinis, pulchritudinis; & iam spatio quinque millium annorum, & ultrà, nec extincta sunt, nec diminuta, ideoque ad Dei laudem nos invitant. Hoc folium cum suis characteribus oculis nostris, tam corporis, quàm mentis proponitur, ut legamus. *Sydereũ.*

Tertium Folium est Cælum Aereum cum suis meteoris, & cum volatilibus incolis suis. Ex ipso prodeunt. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, & faciunt Verbum Domini,* faciuntque nos venire in notitiã potentiæ & majestatis eius; nonne idcò & hi Apices Folii huius à nobis maturè sunt considerandi? *Aereum.*

Quartum Folium Libri huius est Aqua cum suis piscibus, fluviis, gurgitibus, fluxu, refluxu, gemmis & lapidibus pretiosis, quæ mare tegit, ac aliis mirabilibus, quæ in ipso reperiuntur; quæ etiam nostrum excitant intellectum ad divinorum ibidem operum contemplationem & Creatoris benedictionem *Aqua cũ Piscibus.*

Quintum Folium est Terra cum omnibus animantibus super ipsam gradientibus, & in ea cubilia & spelæa sua habentibus; & cum omnibus plantis, fructibus, arboribus adeò variis, omnigenum florem, fructum, odorem, in hominis gratiam ferentibus. Et hoc Folium nonne à nobis volvendum, & revolvendum cum laude Auctoris?

Hic ergo Liber, de quo agimus, per hyemem ex parte clausus videtur: at hoc Paschali tempore, quod Veris initium esse solet, apertus magis & explicatus cernitur, ut omnes cum lætitia in eo legant, & in Dei encomia sua explicent & expandant corda. Vnde & mensis Paschalis ferè est Aprilis, *Terra.*

Aprilis, sic dictus, quod Terra se tunc aperiat, & Mundi decor; quòd quæ ipse Sol lucido oculo & propinquiori omnia respiciat, ut clausa, & tristia, ac frigi da lætam induant faciem; sicq; moneant nos interioris lætitiæ concipiendæ in Domini Resurrectione: hinc canimus:

Ecce renascentis testatur gratia mundi
Omnia cum Domino dona redisse suo.

Quapropter hoc Paschali tempore & verno, *quod speciem Resurrectionis exprimit* (teste Sancto Augustino serm. 34. de Verbis Domini) *dum arbores videmus incipientes turgere in gemmis, ornari floribus, vestiri foliis, & postmodum gravari pomis*: non solùm debemus ad fidem & spem resurrectionis nostræ assurgere, sed etiam Dei varias perfectiones sagaci mentis acie in his omnibus perlustrare, & illud Apostoli adimplere: *Invisibilia mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

Terram vivificat Christus.

1. Dei Potentia hic elucet dum Terram, plantas, frutices, & alia quæ penè videbantur mortua, vivificat quasi in primæva mundi creatione: etenim hoc provenit ex virtute prima, quâ creavit omnia, ut ex vi primi verbi, quo jussit totis sæculis hæc fieri, quasi illud annis singulis renovans, & dicens: *Germinet Terra herbam virentem & facientem semen, lignumq; pomiferum faciens fructum juxta genus suum* Radici enim vim vitalem inseruit, ut licet plantæ in hyeme floribus & foliis destituantur, tamen verno tempore iterum germinent, & reflorescant, ac fructificent. Sic & Christus tempore Passionis, quasi asperæ hyemis, venustatem deposuit velut flos elanguens & emortuus; sed ipsum Verbum in eo *Radix vita* manebat; ideò in Resurrectione tamquam novo Vere fructum immortalitatis & gloriæ protulit. Adoremus ergo in ipso, adoremus & in tellure nunc reflorescente, & quasi à morte rediviva, gloriam Dei, eiusque potentiam.

Sapientiam adorandam.

2. Considerandæ & adorandæ hoc tempore Dei Sapientia, quæ tantâ varietate, tam speciosa ordine, plantarum, florum, segetum, arborum succedaneam pulchritudinem & fertilitatem disponit: ita ut singulis mensibus, novi prodeant flores, novæ herbæ, novi fructus, novæ fruges, ad hominum & animantium utilitatem, solatium, conservationem. Vnde Beatus Isidorus Pelusiota ad huius rei considerationem sic disertè unumquemque admonet: *Vide*, inquit ipse, *quomodo non uno eodemq; tempore frumentum & vinum & oleum & poma, variique flores existant; prata quidem antecedunt, sequuntur segetes, quæ deinde vineæ excipiat: racemusq; agricolam ad oleum transmittit, anni scilicet partibus tamquam optimum chorum agentibus. Nam si cuncta confestim ad vigorem suum pervenirent, profecto agricolæ industria ob temporis brevitatem in angustias veniret.* Hæc ille.

Providentia & Bonitas.

3. Considerandæ & adorandæ est hoc tempore eius Providentia & bonitas, qui modò omnia vestit, fovet, nutrit in commodum nostrum, dum flores & herbas variis induit coloribus, frutices & plantas fovet calore & imbre, fructusque arborum paulatim educit, ut paratam habeamus antionam ad vescendum. Propter nos hæc omnia facit eius Bonitas & Providentia; propter nos Sol lucet, & se modò renovat, caloreque suo terram vivificat & fœcundat. Propter nos imber & ros defluit, ut anteà arida & frigida tellus germinet. Ad huius rei considerationem monent nos Sancti, ne ingratitudinem incurramus. Dum in cubili tuo jaces, ô homo, Dei pro te excubat Providentia, dum stertis & dormis, pro te vigilat illa: Cælum tibi imbrem, Sol lucem, aer rorem, terra germen, te dormiente, te insciò, te haud sollicito producit; quia pro te divina Providentia sollicita est, nec dormit. Saltem dum excitaris non sis ingratus Provisori; & Nutritori tuo, in eius benedictionem & laudem os animumque attolle. Ita ferè loquuntur Sancti Patres, ut ignaviam nostram excitent verno hoc Paschali tempore.

Inter cæteros sic specialiter loquitur Theodoretus, lib. 4. de Proverb. *Cùm stationes anni videbimus suis quamque temporibus pertransire, cum terra pluviam dispensari, cum terram germinare, cum virentibus herbis obduci, undare segetes, prata floribus renidere, comare sylvas, ramos arborii fructibus pragravari, longum moveamur in eius laudē, qui hæc terræ dona contribuit. Ne vero montium Nymphas, neve fontium ac fluviorum, neve filias Nerei referamus in Deos.* Hæc Theodoretus. Quia verò prisci Gentiles hæc omnia considerantes, & illa variis suis Diis adscribentes, ipsis etiam varii nominis Cantica depromebant; hinc addit: *Ne canemus Inachium Cereri, neve ipsi Rhena Lyæum, ne Baccho Dithyrambum, ne Peana Pythio Apollini, neve Diana concinamus Hypoepum.* Sic nimirum vocabantur hæc Cantica Diis fictitiis per suos cultores decantata. Tandem sic concludit: *Sed rerum omnium Conditori Deo Hymnos Davidicos concinamus, & cum eo exclamemus: Quàm magnificata sunt opera tua Domine! Omnia in sapientia fecisti. Quoties canoras aves audiemus varios cantus modulari, Musis Serenibusq; demissis, sapientissimum Deum adoremus qui & hujuscemodi avicularis tantam tribuit Musicæ harmoniam, & humanum genus undecumq; nutrit, fovet, ac mulcet.*

4. Tempore Paschali in verni temporis decore Dei Creatoris Pulchritudo considerandæ est, & adspirandum ad Ver æternum futuræ fœlicitatis. De quo eleganter Venantius: *Illud regnum quærendum, ubi liliorum rosarumq; lux blandior semper arridet. Vbi pictura floris odoriferi non marcescit, ubi loci fœcunditas neque nube premitur, neq; Sole fatigatur, ubi non finitur cum possessore possessio, ubi quicquid desiderat animus, dat aspectus, ubi justus gemmas calcabit in plateis, quas modo Reges non habent in secessibus, ubi mortalitas translata in immortalitatem, cum Angelis sorte simili gloriatur, ubi hominibus & Deo sit una possessio.* Hæc ille.

Cum

Canit in Meditationibus de hoc etiam Vere his verbis S. Augustinus:

Hyems horrens, æstu torrens, illic nunquã sæviit,
Flos perpetuus Rosarum Ver agit perpetuum.
Virent prata, vernant sata, rivi mellis injiuunt:
Pigmentorum spirat odor, liquor & aromatum.

Decor ergò ille ætate non senescit, tempore non defloreſcit, rugositate non flocceſcit, nec æſtimatione unquam vileſcit; ſed ſemper vividus & vernans eſt, ſemper florens, ſemper recens, ſemper ſui ſimilis perennat, & videntes mire oblectat.

Illuc ergo animus erigendus eſt florido tempore Reſurrectionis Dominicæ, juvabitque nos ipſos ſic alloqui in conſideratione creaturarum novam nunc ſpeciem induentium: *Si ita rubent roſæ, candent lilia, purpurantur hyacinthi, redolent caryophylli, vernant prata, virent ſegetes, fructus delectant, ſol rutilat, radiant omnia:* quis color quis decor, quis odor, quis ſapor, quæ lux radians erit illo æternitatis florido tempore? Quæ hic cernimus ut maximè ſpecioſa & jucunda, nonniſi exigua ſunt ſpecimina divinæ quam tunc cernemus pulchritudinis, nonniſi ſcintilla radiantis ſplendoris, nonniſi ſtilla Oceani bonorum omnium in nos tunc effundendi.

Exemplũ Cùm Clodovæus Rex à Beato Remigio baptizandus foret, via qua à Regia domo ad Baptiſterium erat procedendum velis ac cortinis utraque parte pictis adumbrabatur, plateæque ac Baptiſterium floribus, baſſamo, odoramentis conſperſa erant. Tantamque gratiam Deus miniſtrabat populo, ut æſtimarent ſe Paradiſi odoribus refoveri. Præcedentibus ergo Crucibus, cum Hymnis, Canticis, Litaniis, Sanctus Pontifex tenens manum Regis pergebat, ſubſequente Regina & populo: Hunc odorem, cantum, & ritum ſacrũ admiratus Rex, interrogat Epiſcopũ: *Patrone, eſt hoc Regnũ Dei quod mihi promittis?* At ille: *Nõ eſt hoc Regnũ Dei, ſed initiũ viæ per quod venitur ad illud.* Nempe omnia iſta ad Regnũ Dei ad ſpirari docebant Regẽ & populum. Sic omnia quæ ſpecioſa ſunt aut delectabilia in creaturis, ſpecimina quædam ſunt pulchritudinis, & delectationis futuræ: nosq; docẽt quærere Deum, qui licet non ſit aut candor lucis, aut ſpecies corporis, aut melodia vocis, aut ſapor fructus & floris: eſt tamen lux ſuper omnem lucem, quam non capit oculus: eſt vox ſuper omnem vocem, quam non capit auris: eſt odor ſuper omnem odorem, quem non capit naris, eſt dulcor ſuper omnem dulcorem, quem non capit tactus, ut ſæpe dicit S. Auguſtinus.

Lect. V. triparti. 12.

OCTAVA PASCHATIS.

Stetit IESVS in medio, & dixit eis: Pax vobis. Ioan. 20.

PARS I. Quomodo Chriſtus.

DE CHRISTO agens Zacharias, & quæ circa eum tempore Paſſionis ſuæ peracta ſunt lumine & oculo prophetico conſpiciens, ex parte Chriſti, pronunciat: *Percute Paſtorem & diſpergentur oves gregis, & convertam manum meam ad parvulos.* Percuſſus fuit Paſtor Chriſtus in Paſſione & diſperſi ſunt Apoſtoli & diſcipuli eius. Sed quia fugerunt ut parvuli & puſillanimes, pedesque, balneo myſtico antea in cœnaculo montis Sion ablutos hac fuga ſordidarunt, ideo dicit: *Convertam manum meam ad parvulos:* Quaſi dicat Eos mox revocabo à fuga, manu & voce, ut iam non ſint amplius parvuli & timidi: oſtendamque eis ſigna manuum mearum, ut non ſint ultra increduli. Reducam oves diſperſionis ad ovile unionis, ut agnoſcant Paſtorem ſuum in medio ſui, nec ultra diſpergantur cum terrore & errore. Idipſum iterum promiſerat: *Ecce ego ipſe requiram oves meas, & viſitabo eas. Sicut viſitat Paſtor gregem ſuum in die quando fuerit in medio ovium diſſipatarum: ſic viſitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus diſperſæ fuerant in die nubis & caliginis.* An non hoc manifeſtè facit mox à ſua reſurrectione? Surrexit utique Paſtor bonus, qui animam ſuam poſuit pro ovibus, nec earum obliviſcitur: ſed ſciens eas caligine, nube, tonitru, & grandine Paſſionis ſuæ diſperſas, ipſemet requirit, Propterea mox apparet Magdalenæ, mox aliis mulieribus; paulò poſt Petro in ſpelunca, exinde duobus diſcipulis mœſtis in via, denique Apoſtolis congregatis in cœnaculo; poſtremò etiam Thomæ, qui antea abſens iam aderat cum ipſis, ſed adhuc errans mente. An non hi omnes fuere tanquam oves in diſperſione? An non ſtatim reduxit eas Paſtor depulſâ paulatim caligine & formidine, depulſâ incredulitate & cunctatione? Reſurrexiſſe Dominum mulieres diſcipulis primùm nuntiant, ſed tardè creditur eis, quod mulieres ſint, quod decipi facilè poſſint, quod deludi ſoleant vanis apparitionibus. Adam citò cecidit dum citò credidit, & dans faciles aures mulieri, ſe ſuosque addixit hoſti, ideo Apoſtoli fœminam nunciantem non facilè audiunt, non plena fide excipiunt; ſed examinant, & deliberant, ne incautè procedant. At poſtmodum duo ex diſcipulis qui Chriſtum meruerunt habere comitẽ itineris, reverſi nunciant Dominum ſe vidiſſe: *Apoſtoli tunc dant aures, ora figunt, aperiunt oculos, corda pandunt, & poſt cunctationis æſtus ſitienter bibunt auditum fidei deflumine quod collegarum lingua fundebat. Sicut ardorem ſitis frigida pocula reſtinguũt & refrigerant, ita mentis auditum latior fit poſt mœrorem,* inquit S. Chryſologus ſerm. 79. Tandem dum hæc de re loquuntur Apoſtoli & diſcipuli, eadem die adeſt Paſtor in medio eorum, ut nihil remaneat trepidationis vel ambiguitatis. Poſt octiduum iterum eodem loco adeſt in medio, ut Thomæ ſanet incredulitatem, diſſipetque caliginem. Hoc nimirum eſt quod Evangelium noſtrum dicit: *Cum fores eſſent clauſæ una Sabbatorum, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæo-*

diſcipulos requirat. Zach 13.

Ezec. 34

Iudæorum venit IESUS, *& stetit in medio, & dicit eis, Pax vobis.*

Congregati erant discipuli ianuis clausis propter metum Iudæorum in una domo, in uno cœnaculo: sed non convivii erat chorus ille, doloris erat cœventus: ibi panis non erat gaudii, sed mœroris: ibi crucis felle, non vini dulcedine pocula miscebantur. Nec tam domus erat illa quam carcer, quã sepulchrum; quandoquidem clausi ibi agunt, & in mœrore jacent. Iam tota ad discipulos pœna trãsjerat Dominicæ passionis, & non solùm lateribus eorum, sed & cordibus doloris lancea figebatur, tristitiæ clavis fixæ manus pedesque eorum tenebantur. Nempe non sine mysterio Evangelista dicit quòd *serò esset*, quia & illis sol occiderat, dies fugerat, ipsorumq; mentes nox profunda possidebat; in perfidiæ scopulos, in naufragiũ fidei cogitationes tenebrosæ eos impellebant. Sed adesse solet Dominus his qui propter ipsum sunt in mœrore: adesse solet his qui de ipso loquuntur, congregati in eius nomine: adesse solet his qui ad ipsum respirant involuti tenebris & caligine. Ideo ergo apparuit in medio eorum, pacem nuncians & gaudium lucem afferens & solatium.

Apoc. 1. Ille nim irum in medio eorum stetit, qui describitur *in medio candelabrorum* totus lucidus & gloriosus: Utique singula quæ ibi describuntur circa filiũ hominis aptè Christo conveniunt resurgentis & ex diametro opposita videntur his, quæ gesta sunt circa ipsum patientem. Vide antitheses varias:

Variæ antitheses Christi resurgentis & patientis.

1. In Passione illusus cernitur veste coccinea & alba: Hic apparet indutus Podere honoris & veste gloriæ.

2. Ibi capilli eius rore sanguineo sunt cruentati: Hic instar lanæ & nivis fulgent candidi.

3. Ibi oculi eius obscurati sunt, & lividi: Hic instar ignis clari sunt, & flammantes.

4. Ibi in manibus vincula geris, & asperos clavos: Hic habet manus ornatas stellis quasi gemmis.

5. Ibi quasi mutus conticescit, nec aperit os suum: Hic vox eius vox est quasi aquarum multarum.

6. Ibi percutitur os eius, & ut blasphemus condemnatur: Hic de ore eius gladius acutus exit, quo alios condemnet.

7. Ibi ab impiis conculcatur tanquam abjectio plebis: Hic apparet ut conculcans impios in camino ignis.

8. Ibi facies eius sputis & livoribus deturpata luget. Hic quasi Sol in virtute sua lucet,

Apoc. 1. Denique, ut videas quod hic Christi resurgentis species describatur, ipsemet dicit: *Ego sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo claves mortis & inferni.* Utique Christus secundum divinitatem Principium est & Finis: secundum humanitatem verò fuit mortuus in cruce, sed mox vitæ restitutus est in Resurrectione, quæ vita in æternum est perduratura. Apparuit ergo Ioanni in die Dominica, quæ eius Resurrectioni erat cõsecrata, in specie iam descripta, quæ gloriam Resurrectionis eius & potestatem sibi à Patre datam indicabat: dixitque illi: *Noli timere*, & addit, *Habeo claves mortis & inferni*, hoc est potestatem vitæ & mortis. Hoc ipsũ dicit discipulis, *Pax vobis, Nolite timere. Ego sum.* Ne timueritis Iudæos persequẽtes, penes me sunt claves vitæ & mortis, nec vobis illi nocere poterunt me invito. Penes me etiam sunt claves mortis & inferni, quas vobis traditurus advenio: *Sicut enim misit me Pater & ego mitto vos*, ut claudatis infernum, & aperiatis fidelibus cœlum, ut eis peccata remittatis, & meæ potestatis consortes effecti vitæ eos restituatis, & à morte æterna revocetis.

PARS II. *De apprecatione Christi facta ad suos.*

PRima salutatio, per quam CHRISTUS ab inferis resurgens à discipulis voluit agnosci, fuit illa, *Pax vobis.* Hinc pacem eis nuntiat & repetit, quam tantopere antea eis commendarat; nam in Nativitate eius. *Pax hominibus bonæ voluntatis* nũciata fuerat ab Angelis, quia nascebatur ille qui dictus erat per Prophetas, *Princeps pacis.* In progressu conversationis suæ dicebat etiam suis: *In quamcunque domum intraveritis dicite, Pax huic domui, & siquidem fuerit ibi filius pacis, requiescet super eum pax vestra, sin verò revertetur ad vos.* Moriens quoque pacem testamento legarat, *Pacem relinquo vobis, Pacem meam do vobis.* Et quia sanguine suo illam rigarat & confirmarat, eandem mox à Resurrectione suis annunciat, tãquam signum & symbolum quo possit agnosci Princeps pacis, qui iam omnibus hostibus devictis, quæ in cœlo & terra sunt ad pacem reduxit. Nam Deum cum hominibus, homines cum Angelis, ipsosque homines inter se sanguis eius reconciliat, serenitatem mentis, simplicitatem cordis, vinculum amoris, concordiam voluntatis, consortium charitatis commendat omnibus; quæ quidẽ pacis bona sunt & effectus. Imò sacris in litteris sub nomine Pacis omnia bona quasi quodam compendio comprehendi solent; ita ut Pacem apprecari, omne bonum omnemq; prosperitatem sit apprecari. Quapropter hæc salutatio frequens fuit antiquis. *Pax vobis.* Sic Ioseph fratribus suis ait: *Pax vobiscum: nolite timere.* Item Angelus Gedeoni. *Pax tecũ.* Et ædificavit ibi altare, vocavitq; illud *Domini Pax*, ut ibidem dicitur. Item milites David ad Nabal: *Sit fratribus meis & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæcunque habes sit pax, ex multis annis salvos faciens tuos, & omnia tua.* Pax ergo quoddã bonorum omnium ac desideriorum complementum significat.

Ioan. 14. *Isai. 9.* *Luc. 10.* *Gen. 43.* *Iudic. 6.* *1. Reg. 25.*

Emblema pacis.

Conformis est huic significationi antiqua Pacis imago & descriptio. Depingebant enim eam tanquem Virginem speciosam cum amictu candido; gladios, lanceas, galeas conculcantẽ; sinistra cornucopiam, dextra verò ramum olivæ tenentem:

Quid est quod depingitur quasi ætate florens puella, nisi quia Pax senectutem nescit & morositatem, sed hilaris est & jucunda, sui amantes exhilarans? Quid est quod amictu candido promicat, nisi quia cãdorem fovet & sinceritatem, fraudem, dolumque nescit? Quid est quod arma & bellica instrumenta sub pedibus habet & conculcat, nisi quia amat securitatẽ & tranquillitatem, oditque bellicum tumultum & apparatum? Cur cornucopiam gerit, nisi quia bonorum omnium abundantiam parere solet? Cur olivam quoque gestat, nisi quia oliva symbolum est amoris & misericordiæ, ideoque rectè Pacis est insigne, quia in pace vigent Amor & Misericordia.

Pacis amor Deus est, pacem veneremur amantes.
Pax iuvat, & media pace repertus amor.

Christus resurgẽs pacẽ cœlo terræ & discipulis reduxit.

Pacem itaque secum è sepulchro Christus suscitat pacem cœlo & terræ, pacem discipulis reduxit. Rebellis Iudæa dum Creatorem suum debellare contenderat in auctoris sui necem impias levans manus, terris abstulerat pacem, concordiam solverat elementorum, & sic fœdus ruperat, ut mundum totum videretur ad antiquum chaos revocare; diem enim fugarat, lucemque & cœlum rebus abstulerat, terram tremere fecerat miscens mortuos vivis, inferos superosque confuderat, & dissipato ordine nil pacificum, nihil amicum reliquerat. Necesse ergo fuit ut Christus ad inferis reversus pacem rebus redderet, terram stabiliret, diem solemque reduceret, & cuncta in ordinem redigeret & concordiam. Discipulis autem adhuc manebat bellum, collidebatque eos acriter fides perfidiæ que conflictus: nam discipulorum corda turbo concusserat passionis, insistebantque mentibus eorum cogitationum catervæ, & excursibus desperationis ac spei robusta licet pectora rumpebantur, ita ut nullam stationem pacis possent invenire, ut loquitur S. Chrysologus serm. 81. Ideo Christus Auctor & princeps pacis in medio eorum se sistit, & dicit: *Pax vobis.* Sic ipse qui ventis imperat, & solo nutu tempestates tranquillitate commutat, mox eos sua pace confirmat. Et quia hominibus pax triplex necessaria est, scilicet pax cum Deo, pax cum proximo, pax cum seipsis; ideo Christus Apostolis post Resurrectionem apparens tertiò pacem nuntiat, tertiò dicit, *Pax vobis*, ut patet in hoc Evangelio. Nã ipso die Resurrectionis ferò apparens bis id repetit, & in octavo die cum Thomas adesset cum aliis iterum dicit, *Pax vobis.* Vt autem ostenderet, quod non solùm apsis, sed & omnibus qui cũ Deo reconciliari vellent, pacem afferret. *Pacem ei qui Ephes. 17. propè, & pacem ei qui longè,* propterea addit: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quapropter S. Gregor. explicans illud Pro Christo legatione fungimur. *Ecce,* inquit, *2 Cor 5. intuemur nos & Deum discordiam peccando fecimus, & tamen ad nos Deus suos legatos præmisit, ut nos ipsi quispeccavimus, ad pacem Dei rogati, veniamus.* O igitur beata pax, *fructus labiorum* Christi & promissionis eius, *fructus labiorum* pœnitentis & peccata cõfitentis, *fructus labiorum* Sacerdotis peccata remittentis. Hæc est pax quæ redditur cõscientiæ, pax cum Deo ut qui erat longe, iam fiat prope in sanguine Christi. *O Pax! Qui te habet teneat, qui non habet, perquirat, si filius Dei esse proprat. O pax beatus qui te habet maledictus qui te odit vel frangit inter homines, quia talis est filius perditionis & Antichristus,* dicebat Aug.

Isai. 57.

Aug. ser. 2. de ers mo.

SEd ulterius videamus, quod signum pacis asserat Dominus discipulis. Audi Evangelistam: *Ostendit eis manus & latus.* Nempe sicut olim arcus in nubibus signum fuit fœderis & pacis post tempestatem, qua Noe iactatus fuit cum filiis: Similiter in nube humanitatis tanquam arcus pacis & fœderis remanent vulnera Crucifixi, post tempestatem qua Petrus agnatus fuit cum discipulis: eisque ideo nunc exhibentur, ut certo agnoscant iam pacem & tranquillitatem rediisse. In illum arcum quoties respicit Deus, movetur compassione super peccatis hominum ne ultra disperdat terram: In illum arcum quoties respicimus; monemur amoris & charitatis, fœderis & pacti vitæ quod nobiscum iniit. Itaq; dicere possumus de Christo manus cicatricibus ornatas prorendente, quod Ecclesiasticus de iride. *Vide arcum & benedic illum qui fecit eum, quia valde speciosus est in decore suo, & manus excelsi aperuerunt illum, sive extenderunt illum.* Extendit itaque Christus resurgens manus fulgidas vulnerum speciosis signis coram discipulis suis factusque est instar arcus, cœlestis coloris, purpureique & ignei, ut in mentibus eorũ excitaret memoriam ignitæ suæ charitatis, & purpureæ passionis, fidemq; vitæ & fulgidæ resurrectionis. Gavisi ergo sunt discipuli viso Domino. Porrexeruntque dicere arcum illum mysticum contemplantes *Benedictus es Domine,* qui adeo speciosam & fulgidam iridem nobis exhibuisti, symbolũ pacis & fœderis inter te & terram, symbolumque veræ resurrectionis tuæ. *Benedicta* manus pro nobis in cruce extẽsæ instar arcus, & modò nobis cum fulgore repræsentatæ, ut in corda nostra amoris sagittas & ignitæ fidei iacula eiaculentur. *Benedicti* pedes clavis transfixi, nunc clavorum gloriosis insignibus pro nobis rutilantes. *Benedictum* latus, adhuc apertum ut ingrediamur ad cor tuum per illud, tanquam per ostium vitæ, per ianuam pietatis. Certè vulnerum & cicatricũ insignia, cum quibus Christus post Resurrectionem discipulis apparet, conveniunt elogia omnia, quæ iridi, sive arcui cœlesti sancti Patres solent attribuere. Sunt enim stigmata ista:

1. Dei hominibus reconciliati chirographum, ut loquitur S. *Chrysostomus.*
2. Supernæ clementiæ simulacrum, ut loquitur S. Hieronymus.

PARS II. *Cur Christus cicatrices retinuerit,*

Ecclı. 43.

Sunt signa lui corporis & veræ resurrectionis.

5. Cœlestium inducarum pignus, ut loquitur S. *Damascenus.*

4. Divinæ amicitiæ tessera, ut loquitur S. *Augustinus.*

5. Sempiterni fœderis obsides, ut loquitur S. *Bernardus.*

6. Multiformis gratiæ Dei specimen, ut loquitur S. *Ambrosius.*

7. Cœlestis benignitatis typus & testimonium, ut loquitur S. *Cyprianus.*

8. Pacis sequester & divinæ propitiationis symbolum, ut loquitur S. *Basilius.*

9. Denique, si verum est de iride, quod sit legatus serenitatis, index fœlicitatis, præco tranquillitatis, lætitiæ signum, benignissimum cœli prodigium. hæc etiam omnia conveniunt Christi cicatricibus gloriosis.

Causæ retentarum cicatricum Christi.

Quapropter SS. Patres varias rationes afferunt, cur illas Christus resurgens retinere voluerit, idque in perpetuum.

1. *Prima* est, ut essent signa certa veritatis eiusdē corporis, & in eodem corpore peractæ resurrectionis. Vnde S. Chrysol. *Dominus eadem redit in carne, vulnera reportat, ipsa clavorum foramina resumit, & ipsa facit testimonia sui corporis, sua resurrectionis indicia quæ sua fuerant contumelia passionis.* Itaque quot cicatrices, tot sunt tropæa quæ fidem prædicant, infidelitatemque condemnant: ad dubitantium enim corda sananda hæc vulnerum sunt servata vestigia. Et ideo offert illa discipulis, ut non solum oculis, sed etiam digitis & manibus illa scrutentur, & explorent: non enim voluit suis amicis negare ad fidem, quod inimicis non negaverat sævientibus ad impietatem. Inimici viderunt & oderunt illa divini corporis vulnera ad pœnā: amicis offeruntur modò, ut tangant eadem & exquirant ad fidem & gratiam. Audi S. Aug. in Psal. 74. *Ego confirmavi columnas eius. Apostoli sunt columnæ quæ in passione nutaverunt, in resurrectione firmatæ sunt. Tnuerunt eas vulnera, cicatrices firmaverunt. Posset Dominus sine ulla cicatrice resurgere, posset eas sanare: sed habere voluit unde nutantes columnas firmaret.*

2. *Secunda* est, ut forent symbolum victoriæ. Ideo enim non solum existens adhuc in terra, sed etiam in cœlo vulnerum reservare voluit cicatrices, ut victoriæ suæ perpetuum circumferret tropheum, ut cum S. *Ambrosio* dicit *Venerabilis Beda.* Per hoc quoque trophæum & victoriæ signum animat milites suos Christus Dux animat Martyres, ut fortia audiant, vultum & oculos in eius vulnera victoriosa attollentes, sibi etiam victoriam per illum & post illum promittentes, eius exemplo & victoriosis signis effecti fortiores, nihil vulnera ab inimicis inflicta timentes. Quot ergo cicatrices fulgidæ, tot sūt linguæ, tot præcone victoriæ Christi, Christianis animū suggerentes, ut eiusdem victoriæ fiant consortes. Vnde sanctus Bernardus ser. 61. in Cant de Martyribus dicit: *Stat Martyr triumphans, toto licet corpore lacero; & ramante latera ferro, fortiter vides sacrum ebulire cruorem. Non sentit sua, dum Christi intuetur vulnera. In tuto, in petra, in visceribus Iesu patentibus agit tunc animam Martyris. Sim suis foret visceribus, ferrum sentiret, succumberet dolori, nunc autem in petra habitans quid mirum si instar petræ obdurueris?*

3. *Tertia* est, ut nobis servirent ad majorem fiduciam, cū sciamus quod per illa Patrem nobis reconciliarit, quodque in perpetuum ea Patri pro nobis exhibeat, tamquam Advocatus & Mediator interpellans, assistens vultui Patris. Non ergo solum interpellat verbis, sed & vulnerum suorum ostensione quibus nos redemit: & hæc est efficax planè precatio, quia pretii pro hominibus persoluti est exhibitio. Hæc ergo cicatricum notæ, tot sunt linguæ veniam & misericordiam peccatoribus implorantes, quæ non patiuntur repulsam. Audi iterum S. Bernard. *O homo, securum accessum habes ad Deum, ubi Mater stat ante Filium, Filius ante Patrem: Mater ostendit Filio pectus & ubera, Filius ostendi Patri latus & vulnera, an poterit esse repulsa, ubi tot sunt charitatis insignia?*

6. *Quarta* est, ut sint nobis gratitudinis stimulus, incitamentum devotionis, illex amoris: nam dum Christus Dominus cum his cicatricibus continuo nobis repræsentatur, per foramina corporis intueri possumus amorem cordis. Et dum characteres intuemur ardentis eius charitatis manibus pedibusque inscriptos, non potest non excitari in nobis affectus devotionis & gratitudinis, ut nō cessemus misericordias Domini decantare, quarum habemus coram oculis nostris monimentum petenne. Semper enim videtur nobis insonare illud Isaiæ: *In manibus meis descripsi te.* Ego nunquam obliviscar tui, noli oblivisci mei. *Isai 49.*

Testimonium Christo de multis perhibent.

O igitur beatæ cicatrices, vere Resurrectionis testes, victoriæ trophæa & insignia, gloriosi corporis ornamenta, redemptionis nostræ tesseræ, pacis & fœderis symbolum, peccati pretium & lytrum, amoris characteres, devotionis incitamentum, afflictorum & pœnitentium refugium, tentatorum asylus, patientium exemplar, ignavorum stimulus, tribulatorum solatium, electorum gaudium, stupor & lætitia Angelorum. O nos fælices, si sæpius eas intueamur oculis cordis, si contrectemus manibus fidei, si amplectamur brachiis devotionis, si exosculemur osculis perfecti & sinceri amoris, si immoremur & immoriamur illis: fluit enim ab ipsis omne nobis bonum, sunrque velut quinque fontes irrigantes Paradisum Dei, hoc est Ecclesiam, sive militantem, sive triumphantem: nam militantem implent gratia, triumphantem implent gratia. Omnes electæ & Deo charæ animæ inde hauserunt aquam gratiæ, rorem pietatis, lac & mel dilectionis, sive in vita, sive in morte.

1. Audi S. Bernardum: *Ego quicquid mihi deest*

usurpo ex visceribus Domini nostri Iesu Christi, quia misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant Ita ipse serm. 61 in Cant.

2. Audi S. Elzearium Comitem ad Delphinam conjugem suam sic scribentem: *Sanus sum corpore, & sospes. Quod si verò videre me cupis, quære in vulnere lateris Christi, ibi habito, ibi me poteris invenire, frustrà alibi quæsitura.* Absens iam diu fuerat à conjuge, & in locum à turbis semotum secesserat, ut divinæ vacaret contemplationi, uxor autem ad eum famulũ destinârat, ut sciret quid ageret; ideo hoc responsum dedit.

3. Audi S. Mechtildem: *Si scribi deberent omnia bona, quæ de latere & corde Iesu accepi, nullo vel magno volumine possint comprehendi.* Ita in simplicitate sua dicebat ipsa, quia tamquam colũba simplex & casta in foraminibus petræ, hoc est in cicatricibus Domini Iesu, & maxime in caverna maceriæ, hoc est in latere excavato, iuxta cor eius solebat mansionem facere.

4. Audi S. Edmundum morientem. Huic cum imago Iesu exhiberetur in morte, osculum figens pedibus, manibus, ac lateri dicebat: *A modo hauriet aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, & hoc cum affectu pronuncians expiravit. *Isa. 12.*

Morale ex Evan. Itaque ut dicta breviter repetendo concludamus, ex hoc Evangelio discimus, quomodo Christus benignissimus & mirè gregis sui sollicitus, mox à resurrectione discipulis apparet pacem nũtians, & cicatrices ostendens. Neque verò solùm illis, sed & omnibus futuris fidelibus pacem hanc nunciat, omnibus cicatrices ostendit, ut sint etiam modò pacis perpetuæ sacratum fœdus. Sed quidam pacem cum Deo repudiant rebelli animo vitiis suis adhærentes vel indueias solùm paciscuntur, ad tempus breve respicientes, ad dies aliquot vel hebdomadas; postea autem ad eadem peccata revertuntur, quæ priùs per confessionem reliquisse & detestati esse videbantur. Sic canales statim ad luxuriam redeunt, tanquam sues ad volutabrum: ebriosi ad gulam, tanquam canes ad vomitum; invidi ad indignationem & odium, tanquam serpentes ad venenum: avari & iniusti ad rapinam, tanquam lupi ad prædam: ficti & perversi ad solitam fraudem, tanquam vulpes ad dolum, aut pardus ad varietatem. An non hoc est iterum bellum Deo indicere, pacemq; potius fingere, quam inire? Cum pax ex parte Dei inviolabilis sit, ipsi dum ex parte sua eam non servant, cogunt Deum eandem, sed non sine ipsorum grandi detrimento, dirimere: *Pacem habete*, inquit Apostolus, *& Deus pacis erit vobiscum*; quod si pacem primi deseritis, iam non erit vobis Deus pacis, sed Deus ultionis. Non est digna pacis nomine pactio, quæ non est firma, quæ non est æternæ vatoris. Ex illis enim quodam die mirabi- *Exemplum*
qui cum illo vult pacisci, debet inclinare cor suavitatem, qua ad divina obsequia fortior & ala- *Psal. 118*
suum ad faciendas justificationes eius in æternũ, crior reddita fuerat applicante Christo os suum ad
ad implendam voluntatem eius in perpetuum; & vulnus lateris sui. Nam & exinde saliva ipsius mel
tunc ex parte sua non deerit ad implendam pro- lis dulcedinem superabat, quia tunc mi- quoddam
divi-

2. Cor. 13.

missionem & retributionem. Hoc est pactum pacis & vitæ, ad quod invitat omnes vulnerum, & cicatricum suarum ostensione, ad reconciliationem vocatis & gratiam. Væ illis & æternum væ, qui cicatrices istas modò non intuentur, nec amplectuntur, tanquam amoris & fœderis monumẽtum perenne: qui non noverunt eas nisi ad refodiendum & renovandum, recentibus scilicet peccatis recentia vulnera Christo infligendo, sanguinem testamenti conculcando & pollutum duluendo, Filium Dei iterum sibimetipsis crucifigendo, ut loquitur Apostolus. *His nihil proderit eius sanguis, nec vulnera, nec passio nec resurrectio, nisi ad maiorem tandem pœnam & vindictam.* Quare sicut post resurrectionem clavorum & lanceæ, loca relictaque vestigia ostendens, discipulorum fidem spemque roboravit: ita eadem passionis suæ insignia in pedibus, manibus, latere impiis iniudicio ad exprobrandam & condemnandam eorum impietatem exhibebit. Unde Cæsarius Arelatensis *Quid illo tempore facturi sumus, quando contra nos Crucifixi cicatrices, nota peccatorum nostrorum, & macula libidinum, proferentur? Tanto graviora erũt humana delicta, quanto se maiora ostenderint divina beneficia. Verendum est autem ne illam vocem resurrectionis etiam in iudicio suo ad vasa iniquitatis sit prolaturus: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: affer manum tuam, & mitte in latus meum, & agnosce quæ prote impio pietas divina perpessa est.* Quot ergo cicatrices, tot erunt linguæ in impios tunc clamantes, & ingratitudinem eorum condemnantes, & adimplebitur illud: *Videbunt in quem transfixerunt.* Et iterum illud: *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Videbit* superbus in confusionem suam, quomodo pũctis honoris eum pupugerit. *Videbit* luxuriosus, quomodo libidine sua eum transfixerit. *Videbit* vindicativus, quomodo odio quasi lancea eius cor transfoderit. *Videbit* iniustus, quomodo fraudibus velut clavis eius manus transfoderit. *Videbit* omnis impius ad malum currens, quomodo in eius pedes ferrum adegerit. *Videbit* omnis ambitiosus, quomodo spinis eius caput coronarit. *Videbit* omnis peccator, quomodo peccatum omne velut pugio cum transpunxerit. Sed *videbunt* hæc serò, & cum planctu, dum interim iusti exultabunt & gloriabuntur in his vulnerum insigniis, quæ ipsi amplexi fuerant tanquam stigmata amoris, tanquam testimonia pacis, tanquam pretium redemptionis illa intuentur autem nunc tanquam obiectum secundarium suæ beatitudinis cum fruitione æternæ pacis. *Caesarius hom. 27.* *Ioan 19.* *Apoc. 1.*

S. Lutgardis frequenter contemplabatur, in spiritu pietatis & amoris, vulnera & cicatrices Sal- *Exemplum*
ex illis quodam die mirabi- haurierat

divinitatis & hac humanitatis cor eius intus exsuperat. Quia verò ipsa specialiter electa à Deo erat, ut pro peccatoribus oraret, qui vulnera ista renovant & ingratitudine, & conspurcant sua impietate, apparuit ei peccatis iam inundantibus & hæresi Albigensium imminente) B. Virgo Deipara, vultu lugubri & obscuro. Cui Ludgardis: *Unde talis squalor pallorque in te, O Mater, cuius nomen est, Plena gratia?* Respondet Maria: *Ecce ab hæreticis falsisque Christianis iterum constituitur & crucifigitur Filius meus, quid igitur lugubrem vultum meum miraris: Sed tu etiam assume lamentum, & toto ieiuna septennio, ut sopiatur ira Filii mei toti imminenti orbi.* Explevit ergo ipsa non solum unum, sed & duplex septennium in austero ieiunio. Quibus expletis, vidit Iesum quasi recentibus vulneribus adstare coram Patre, pro peccatoribus deprecari. Deinde vertebat se ad ipsam, dicens: *Cernis ut me totum Patri offero pro peccatoribus: Ita volo ut te totam offeras pro illis, iramque accensam avertas.* Postquam verò diuturnis se lamentis & lachrymis afflixisset, apparuit ei Christus, quinque scilicet annis ante mortem, cicatricibus suis quasi rutilantibus gemmis adornatus. & congratulatus est, quod miserorum tam diu causam fideliter egisset. Illis vero manibus quas pro peccatoribus in cruce extenderat, quasque discipulis post Resurrectionem ostenderat, ut abstergeret lachrymas ab oculis eorum, etiam lachrymas à facie huius Virginis extersit, & dixit: *Volo te ab hac lamentis amodò absolvi, nec deinceps luctu confici, sed placido cordis fervore in oratione persistere.* Ita habet vita eius apud Surium 16. Iunii, quam scripsit Thomas à Cantiprato eius Confessarius.

Aliud. Audi & aliud exemplum de vulneribus Christi quomodo hæc in gratiam peccatorum post Resurrectionem retinuerit, ut per illa in vitentur ad conversionem; quod si nolint, ut tunc in maiorem eis cedant vindictam. Quidam gravibus peccatis addictus lethali percussus fuit à Domino infirmitate, ut ad mentem & cor tandem rediret. Amici igitur exhortabantur eum ad pœnitentiam & confessionem, ut quandoquidem salus periclitaretur corporis, saltem saluti consuleret mentis. At ipse in ærcitate permanens dicebat: *Quid mihi nunc cum pœnitentia, qui certa sum damnationi addictus? Nostis vitam & peccata mea, quid ultra moliri estis?* Sic nihil profuere eorum monita, nihil preces, nihil lachrymæ. Venit verò postmodum ad eum Christus Dominus qui non vult mortē peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat, dicitq; ei. *Ego sum Redemptor tuus pro te mortuus, & miserationes meæ excedunt peccata tua. expia illa contritione & confessione, ego tui misereor.* Ille verò nec agnoscere eum voluit, nec pacem oblatam acceptare. Tandem elevans Dominus pallium quo tegebatur, pedes, manus, latus ei ostendit, & dixit. *Hæc vulnera pro te sustinui: nec volo te addicere damnationi, si pœnitentiam vis agere, & ad illa refugium habere.* At nec his ipse acquievit. Tunc pientissimus Dominus noster sanguinem de latere suo manu dextera sumens in faciem desperantis proiecit, & dixit: *Hoc signum coram omnibus hominibus in die iudicii extremi portabis, in testimonium vindictæ, eo quod misericordiam meam contempseris.* Ita refert Godefrid. Ius Holen Ordinis D. Augustini Theologus serm. 58. Patris Hyemalis.

EADEM OCTAVA PASCHATIS

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, &c. Ioan. 10.

LECT. 9. tripartita. *De apparitione facta Thomæ.* PARS I. *Quam benignè erga Tho. se gesserit Christus.*

CHaritas Christi veri Pastoris hic mite eluceret, qui ut unicam ovem aberrantem advolare reduceret, & ad agnitionem Pastoris sui revocaret, post multas apparitiones dignatur iterum specialiter se manifestare. Verè ostendit quam pretiosa sit ei vel unius animæ salus. Sicut non solum pro omnibus in genere mortem obiit, sed & pro singulis, ita etiam pro singulis resurrexisse testatus est, dum Thomæ in fide devio vult apparere, ne Mortis & Resurrectionis ei fructus deperear. Patet etiam quomodo hic verum sit illud: *Iustus si ceciderit, non collidetur quia Dominus supponit manum suam.* Supposuit utramque manum Dominus Thomæ cadenti per incredulitatem, ut non collideretur: supposuit & latus, ut eum sublevaret & in fide statum restitueret. Quondam Eliæus ut puerum emortuum suscitaret, oculos oculis, manus manibus, pedes pedibus, pectus pectori, os denique ori conjunxit, inspirans ei novum spiraculum vitæ. Non ab similiter Christus agere videtur cum Thoma discipulo & puero suo? Vulnus cordis Thomæ, quod ei incredulitas inflixerat, sanat Christus vulnere, quod sibi amor fecerat. Vacillantes eius manus tactu manuum confirmat, ut iam sint fortes in opere pro Dei gloria & honore, ut sint etiam clavis & sagittis transfigi paratæ pro fidei veritate. 3. Pedes saucios fuga & Magistri desertione sanat quoque pedum Domini attactus & amplexus, ut non ultra claudicet, aut aberret, sed fortiter & intrepidè post eum currens, dicat iam non solum lingua & voce, sed etiam facto & opere: *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* 4. Oculos quoque ius oppletos caligine, & clausos, veritati fidei aperit Christus, o. ulorum suorum radios in eum iaciens, oculos oculis coniungens, ut lucem recipiant dissussis tenebris. 5. Denique inspirat in eum spiraculum vitæ. Nam sine dubio particeps fuit eiusdem gratiæ & potestatis, quam aliis Apostolis communicarat; ergo etiam in eum insufflavit, & dicit: *Accipe Spiritum Sanctum.* Ideo autem per insufflationem dedit suis Spiritum, ut significaret naturam Spiritus Sancti qui procedit ut flatus divinus ex spiratione Patris & Filii, sicque significavit illum à se procedere. Item ut significaret se illū, esse qui primo homini inspiravit spiraculum

Psal. 36.

4. Reg. 4.

Eliseus puerum suscitans typum Christi gessit.

Ioan. 11.

vitæ, se quoque illum esse qui per Spiritum efflat peccatum, afflat gratiam. Nō ergo fuit exors Thomas huius flatus divini, nec huius spiraculi vitæ, quia non fuit exors gratiæ potestatis Apostolicæ. Vnde flatum illum intus persentiscens, quasi per novum spiritum recentet acceptum, respirat in novam vitam & inclamat. *Dominus meus, & Deus meus.*

Misericordia.

Ex his igitur colligimus, quam benignè se cum electis suis gerat Deus, quos aliquando peccare sinit, permittitque cribrari ut triticum, & cadere, quia de eorum exagitatione & casu bonum novit elicere; nec enim in illis mala permitteret, nisi de malis majus bonum sua providentia & sapientia educere valeret. Novit utique sugere mel de petra oleumque de saxo durissimo; novit de spinis uvas de tribulis ficus colligere; novit veneficium in beneficium convertere. Propterea etiā dicit Apostolus: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Omnia utique quantumvis tristia & adversa cooperantur eis in bonum, etiam ipsa peccata inquit S. Augustinus lib. de corrept. & gratia, cap. 1.

Rom. 8.

PARS II. De utilitatibus incredulitatis Thomæ. 1. De benignitate spectatorum revocās.

SEd quæres quid utilitatis, quidve boni ex casu & infidelitate S. Thomæ consecutū fuerit; Resp. Primò ex parte Dei hoc boni consecutum est, quod emicuerit, & omnibus sæculis celebris factā sit benignitas eius & misericordia, dum sic errantem & in errore perseverantem revocat, ad se discipulum, tanto fortiter et amore & favore; ita que omnes qui ceciderunt, & Deum suum deseruerūt (etiam per infidelitatem) excitantur ad non desperandum, sed potius ad respiciendum vulnera Salvatoris: quæ sunt ianua fidei & pietatis, per quā semper ad divinam gratiam est regressus. Omnibus enim dici censentur a Domino quod & Thomæ: *Infer digitum tuum huc & vide manus meas, affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Quasi dicat: Ecce vulnera, cicatrices, sanguis, & merita omnia mea, tua sunt ô peccator; ecce ostium lateris adhuc apertum, ut introeas, manus extensæ ad te amplexandum: accede, vide, & tange perforatas pro te manus, pedes, & latus; & ne finas tibi surrexit. Omnes istæ nationes quas convertit, Hircani, Bactriani, Indi, testes sunt zeli, testes sunt laborum, quem pro fide exantlavit: sanguis quem effudit, testis est constantiæ, fervoris & amoris. Et dicere posset, quod Apostolus Paulus dicit de se: *Fideli misericordiam consecutus, ut in me ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturus sunt illi in vitam æternam.* Quid est, *ad informationem?* S. Ambrosius legit, *ad exemplum*, quia Græcè est, *ad hypotyposin.* Quasi dicat: Misertus est mei Deus, ut in me daret illis exemplar suæ clementiæ, patientiæ, & longanimitatis; ut in me agnoscerent manifestè homines Deum omnes peccatores velle salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, seq; eos ideo ad se vocare. An non hoc in Thoma verum est? Ecce aliis discipulis enarrantibus cum gaudio se vidisse Dominum, certoque eum resurrexisse, apparuisse, manus, pedes; latusque ostendisse in medio ipsorum; nihilominus fide dignis & omni exceptione maioribus testibus & testimoniis non vult credere, sed cum pertinacia dicit *Nisi videro fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Expectat interim eum Dominus octo diebus, si forte frequenti sermone & institutione Coapostolorum ad cor revertatur, pertinaciam ponat, fidemque concipiat. Cū tandē videret omnia testimonia eorum, qui viderant eum à Resurrectione, nihil proficere obstinato incredulitate, apparet ipsemet in medio Apostolorum, & non expectat à Thoma interrogari, sed prævenit & vocat eum, dicitque: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Moxque coram omnibus recipit cōfitentem & pœnitentem. Patientiam ergo ostendit Dominus, deinde misericordiam erga illum, ad informationem eorum qui crediturī sunt in vitam æternam. Hoc est, ut eius exemplo informaret & excitaret omnes qui futuris sæculis crediturī sunt ad obtinendam vitam æternam, ut per pœnitentiam audeat quisque eorum sperare veniam a Christo, & ad eum suppliciter pro ea confugere.

2. Lapsi cautior vita & fidelior resurrectio. Ambros. in Luc.

secundo ex parte discipuli hoc boni consecutum est, quod exinde humilior, cautior, ferventiorque resurrexerit, deflens suam infidelitatem & duritiam cordis, fidem sibi restitutam morte & sanguine obsignate paratus. Vnde de S. Thoma recte dicere possumus quod de S. Petro dicit S. Ambrosius: *Sancti si aliquando ceciderunt alacriores resurgunt. Fidelior factus est Petrus postquam se fidem perdidisse deflevit, atque ideo maiorem gloriam repetit, quam amisit.* Qui igitur stat, videat ne cadat, nec de se præsumat; qui verò ceciderit, mox sollicitus sit reliquere cum fervore, ut quod amisit, possit recuperare, immò & gratiam maiorē acquirere. Numquam ita saluti animarum & fidei affectus fuit Thomas, quam quando ab infidelitate

Prov. 31.

1. Tim. 1.

Eccl.

Gregorius Turonensis lib. de gloria Martyrum, lampadē ad sepulchrum ipsius appensam suo ævo nunquā fuisse extinctam die vel nocte, licet nullus liquor, vivum exemplar suæ clementiæ, patientiæ, & nullum oleum à quopiam adhiberetur; id factum longanimitatis; ut in me agnoscerent manifestè est scilicet in symbolum lucis fideī in eo divinitus accendi, semperque perseverantis. Et hanc quidem fidei lucem non solum dum in terris viveret, in cordibus fidelium accendit, sed etiam modò accendere non

nō definit & fovere, maxime in terris illis Indicis sibi in sortē apostolicam à Deo datis. Hoc probat quod à gravibus Scriptoribus memoriæ proditum est, scilicet *anno* 1120. tempore *Calixti II.* Patriarcham Indiarum, *Ioannem* nomine, devotionis gratia Romam venisse, & in pleno Consistorio coram Pontifice & Cardinalibus, multisque aliis Prælatis asseruisse, Apostolum Thomam visibiliter annis singulis apparere, & de manu propria populū communicare (ut omnes excitet ad secum inclamandum, *Dominus meus, & Deus meus*) præsentando dignis, indignos autē præterеundo. Propterea etiam S. Xaverius, qui inter primos Indiam Orientalem fidei luce illuminavit, quoties aliquid magnum pro salute illarum Provinciarum, & gloria Dei ibidem adoriebatur, prius ad corpora Apostoli peregrinatione instituta plures ibidem noctes, diesque consumebat in oratione perdius & pernox, per merita Apostoli supplicans sibi partem spiritus & zeli sibi à Domino dari, ut tāquam eius vices agens, fidem in istis provinciis renovaret, cuius tutela Thomæ Apostolo commissa erat. Ipsius ergo ope, tanquam eius minister, magna aggressus est, & ad effectum deduxit, ut sæpe fatebatur.

S. Thom. portio, 5. vulnera. Dicamus etiā hoc boni consecutum esse Thomam post incredulitatem, quod quinque Dominī plagæ (tanquam pars optima) ei ab ipso Domino speciāliter videantur datæ, ad solatium, ad amoris augmentum, ad memoriale perpetuum. Maria pe-
Magdal. pedes. Ioannes pectus, Petrus, Petrus Christi. des sibi potest vendicare, quadam possessione illis tota vita inhærens: Ioannes pectus & sinum sibi præscribit, quia in illo recubuit: Petrus crucem sibi adscribit, tanquam cubile patris sui, in quo & ipse iuxta Domini prædictionem debebat postremum recumbere & emori: Thomæ verò portio in plagis est Domini, è quibus fidem vitamque recepit. Testantur sacri Historici, & ex illis Cardinalis Baronius lib. 2. Annal. S. Thomæ iussu erectam fuisse crucem lapideam in Oratorio suo in urbe ab eius nomine vocata. *Vrbs S. Thomæ*, alias *Malipurgum* in summitate autem crucis, eiusdem iussu exsculptam fuisse columbam. Hoc scilicet feciſſe videtur per humilitatem & gratitudinem, in memoriam perennem favoris accepti à Christo per vulnerum suorum attactum, ut in illis tamquam Columba gemebunda nidum suum faceret, & fidem perditam recuperaret. Quasi ei dixisset Dominus:
Cant. 2. *Surge Columba mea in foraminibus petræ in caverna materiæ, sonet vox tua in auribus meis.* Hoc optimè ei convenit, quia ubi foramina petræ mysticæ attigit, vox illa confessionis insonuit: *Dominus meus & Deus meus.* Deinde tota vita sua ad illa volatum iniit, ibique requievit, & pullos suos (Christianos scilicet quos erudiit) illuc evolare docuit. De illo ergo præcipue dicere possumus,
Isai. 60 quod de omnibus Apostolis dixisse videtur Isaias: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, & quasi columba ad fenestras suas?*

Tertiò ex parte totius Ecclesiæ hoc boni consecutum est, quod fides resurrectionis firmior exis- *3 Fides resurrectionis confirmata.*
tit, facta fuerit, dum post obstinatam dubitationem Thomas palpando vulnera ad fidem reducitur. De qua re sic loquitur S. Gregorius: *Non casu gestum est, ut electus ille discipulus tunc deesset, postveniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet. Egit namque miro modo divina clementia, ut Discipulus dubitans dum in Magistro fixa vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret incredulitatis.* Addit ulterius idem S. Gregorius & notatu dignum est: Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur. Eodēmque modo eadem de re loquitur *S. Bernar.* comparans dubitationem Thomæ cum desponsatione MARIÆ, eandemque; quodammodo utriusque rationem esse asserens. Hæc
Hom. 2. super Missus eius sunt verba: *Sicut Thomas dubitando, palpando, factus est constantissimus Dominicæ Resurrectionis Confessor, ita & Ioseph* MARIAM *sibi desponsando, cuiusque conversationem in tempore custodiæ comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis.* Addit postmodum: *De filii Resurrectione citius ego quā infirmus sum crediderim Thomæ dubitanti & palpanti, quàm Cephæ audienti & credenti: & de Matris continentia facilius sponso eius custodienti, quam Virgini de sola sua conscientia se defendenti.* Hæc ille. In eandem sententiam interpretatur *S. Petrus Chrysol.* illud quod à Domino dicitur Thomæ: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Sic enim in hæc verba ait: *Infer manum in latus meum, ut effundans in totum orbem iterum te aperiente hæc vulnera fidem, quæ aquam in lavacrū, sanguinem in omnium pretium iam fuderant.* Thomas ergo non solum cordis sui, sed & omnium hominum curat dubitationem. Vnde in gentibus prædicaturus fidem, iam tanto solidius resurrectionis adstruere potest Sacramentum, cuius explorator fuit & testis, vulnera quæ manus impia militum infixit attrectando. Horum etiam vulnerum exinde magnitudo colligi potest, quod in vulnera manū digitos inferre potuerit Thomas, & in latera vulnus integrā manum, ut pater ex verbis Domini. Quod ipsum *Ioan. 19.* colligitur ex verbis Evangelistæ dicētis. *Vnus militum lancea latus eius aperuit.* Indicat enim hoc modo loquendi, non solum percussisse, aut vulnerasse, sed quoddā velut ostium vitæ aperuisse: aut certe fenestram patentem fecisse, quasi in latere arcæ mysticæ, per quam intrare possint omnes, quia perditionis diluvio optant liberari.

Retinuit ergo Christus Dominus non solum vulnerum cicatrices & notas, sed veras cavitates & foramina. Nec ea implevit carne gloriosa specie clavorum habente (qualia fuerunt S. Francisci stigmata) sed plane aperta ea servavit, non

non tamen ulcerosa, aut sanguinolenta, sed sana & gloriosa, utpote triumphi sui ornamenta fulgida. Speciale verò fuit miraculum, quod hæc foramina ita aperta nō impedirent quominus nervi & atteriæ optimè essent dispositæ ad omnes actiones & motus vitales. Vnde & hic quoq; notandum, corporis glorioſi hanc esse conditionem, ut palpabile sit & densum, cum voluerit, subtile autem & impalpabile etiam pro libitu. Tangi ergo potest, quia verum corpus est: potest etiam per dotem subtilitatis organum tactus imperceptibiliter penetrare.

PARS 3. *Explicat vocem Tho. & responsū Domini.*

QVidam existimant Thomam, cum à Domino admonitus fuisset, ut tangeret digitis figuram clavorum, & manum mitteret in latus, præ reverentia non fuisse ausum tangere: sed ei satis fuisse ad fidē, quod Domini agnosceret faciem & vocem. Vnde etiam ei Dominus dicit: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*, non dicit, Quia tetigisti. Sed SS. Patrum communis opinio est, Thomam verè Christi vulnera tetigisse, & ita Dominum voluisse, ad maiorem firmitatem fidei omnium posterorum, ut diximus, hoc enim & aliis prodesse debebat. Quod ergo dicitur, *Quia vidisti me*, per hoc nō excluditur tactus, sed intelligitur quia vidisti me tangendo; & frequenter visus accipitur generaliter pro quolibet sensu. Vnde S. August. serm. 61. ibi de tempore ita de Thoma dicit: *Sufficerat illi ad fidem propriam vidisse quem noverat, sed nobis operatus est ut tangeret quem videbat; ut si fortè diceremus delusos fuisse oculos, non possemus dicere manus fuisse frustratas.* Quinimò verisimile est etiam alios Apostolos tetigisse, dum eis primò apparuit Iesus, ostendens manus & latus, dicentque: *Palpate & videte.* Quo referri potest illud: *Quod audivimus, quod vidimus, quod manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ hoc annuntiamus vobis.* In hunc locum sic dicit Clemens Alexandrinus: *Fertur in traditionibus, quoniam Ioannes ipsum corpus quod erat extrinsecus tangens, manum suam in profunda miserit, & duritiem carnis nullo modo reluctatam esse, sed locum præbuisse manui discipuli.* Sed sive Thomas tantūm viderit Dominum, sive contrectaverit, digna est consideratione professio fidei, quam mox subdidit: *Dominus meus & Deus meus.* Nemo clarius Christi divinitatem est professus: cumque antea adeo difficilis fuisset ad fidem, iam ostendit miram promptitudinem & subiectionem, agnoscens Dominum suum & Deum suum. An non digitus Dei est hic? An non hæc mutatio dexteræ excelsi est? An non hæc confessio fidei fructus est glorioſus vulnerū Christi? Dicendo, *Dominus meus*, confitetur in Christo humanæ naturæ veritatem, cui datum est omne dominium creaturæ, tum ab initio ratione hypostaticæ unionis, tum etiam specialiter nunc à tempore resurrectionis: *Data est mihi* inquit, *omnis potestas in cœlo & in terra.* Dicendò verò, *Deus meus*, divinam in Christo naturam veneratur. Videbat ergo Thomas, tangebatque hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat, nec tangebat. Sed unde agnovit Deū? Certè agnoscere potuit ex potentia quam ostendit in resurgendo, & seipsum suscitando. Magna equidem est potentia, quando homo vivus suscitat mortuum, sicut Petrus Apostolus Thabitam. Maior est, quando homo mortuus suscitat mortuum; sicut corpus Eliæi cadaver mortui in suum sepulchrum conlectum contactu suo suscitavit, & vivificavit. Maxima verò potentia est, si mortuus suscitat semetipsum. Id nemo potest nisi qui Deus & homo pariter est, qui & ex humanitate morti potest succumbere, & ex divinitate eandem superare. Deinde agnoscere potuit Deum ex ingressu per ianuas clausas, & ex cognitione secretorum cordis sui quæ absens cognoverat. Dixerat enim Thomas: *Nisi videro fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus, non credam.* Intellexit hæc absens Dominus humanitate, sed præsens divinitate: quapropter apparens ei ostendit se nosse cordis eius secretum, & dicit ei: *Infer digitum: Affer manum, &c.* Sic eius propositioni ad singula respondens, tanquam occulorum cognitor, & tanquam Deus, quem nihil latere potest, agnosci potest.

Vnde S. Thomas Deum agnoverit. Actor. 9. 4. Reg. 13

Cæterum, licet eius fides & professio magnifica fuerit, nec eam Dominus rejecerit, non tamen propterea illam ipsum beatificavit, sicut olim beatum dixit Petrum profitentem: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Ob tarditatem enim fidei & experimentum sensuum, non ita modo dignus est beatificari. Quid ergo? Ad magnam futurorum fidelium consolationem & confirmationem, beatos illos pronunciat, qui sine experientia sensuum crediderunt, aut crediturī sunt: *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Sed dicet quispiam. Nonne beatos Christus pronunciat oculos Apostolorum præ oculis Prophetarum, quia viderunt isti quod hi optaverant? R. Apost. qui Christum in carne viderunt aliqua ex parte beatiores fuisse illis qui Christum nō viderunt in carne, quia fuit illis magnum donum datum à patre, quod potuerint cum filio eius incarnato conversari, eum audire, videre, alloqui: & hāc fœlicitatem antiqui Patriarchæ & Prophetæ summoperè exoptarant. Ex parte tamen fidei beatiores quadam ratione possunt dici qui Christum non viderūt, & crediderunt. Fides enim talis, cæteris paribus magis Deo grata est, magisque meritoria: nā & hæc est natura fidei, ut dicit Apostolus, quod sit *argumentum non apparentium* Loquitur ergo Dominus hic de beatitudine quæ est ratione fidei. Quasi dicat: Tu quidem Thoma quia vidisti, credidisti in me: ideo fides hæc non tantopere laude digna est, quàm eorum qui in me crediderunt, & nō viderunt, quia fides talis magis elucet magisque apud Patrem meritoria est, quæ nullo experimento sensus nititur.

Matth. 13. & Luc. 16.

Quomodo beati dicantur qui Christum viderunt in carne & qui non viderunt.

Hebr. 11.

Propter-

Propterea Viri sancti ne fidei virtus & meritum in ipsis aliqua ratione diminueretur, nequidem optarunt Christum miraculosè apparentem cernere.

Sic in vita S. Ludovici Regis legimus, cuidam Sacerdoti in sacro sacello Parisiis celebranti (ubi tot pretiosa pignora asservantur) infantē pulcherrimum loco hostiæ consecratæ apparuisse. Cum verò hoc Regi nuntiatum fores, ut ad id spectabilis miraculi toto confluente populo etiam ipse adesset, fertur respondisse: *Qui non credit, accedat ut videat, ego quotidie oculis fidei eum conspicio.* Nempe huius beatitudinis optabat particeps esse, *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Tantaque erat in eo fides, ut nec visione huius miraculi certior posset reddi. Vnde etiam cum sacrum ei viaticum deferretur, & more Ecclesiæ interrogaretur, an crederet ibi Christum esse; Respondit se id firmius credere, quàm si oculis propriis Christum in propria specie conversantem in terris cerneret, prout Apostoli eum viderunt.

Surius in vita eius.

Simile responsum dedit S. Hugo Carthusianus Episcopus Lincolniensis. Cùm enim Sacerdote quodam celebrante & hostiam dividente, sanguis è hostia effluens apparuisset, noluit huic miraculo etiam vocatus præsentiam suam exhibere; sed respondit signis haud opus esse, fidei certitudinē & meritum sibi sufficere. Sic igitur & ipse ad hanc beatitudinem respiciebat; *Beati qui non viderunt, & crediderunt.*

Chron. monaste. Altebaz.

Sic quoq; Alphonsus primus Lusitanorum Rex sanctissimus, cū adversus innumeram multitudinem Sarracenorum castra vidit à parte dextra versus Orientem micantem radium, & in ipso radio signum Crucis, Christumque Iesum crucifixum; ex altera quoq; parte multitudinem Angelorum. Depositō ergo ense & scuto detractisque calceamentis & vestibus, pronus in terram se proiecit & dicit. *Quid tu ad me Domine? An credenti fidem vis augere? Melius esset te videant infideles & credant, quàm ego qui à fonte baptismatis te Deum verum Filium Virginis & Patris æterni agnovi, & agnosco.* Respondet Dominus: *Non ut fidem tuam augerem hoc modo apparui tibi, sed ut roborarem in hoc conflictu cor tuū, & initia regni tui supra firmam petram stabilirem.* Erat ergo & Alphonsus de illis qui timebant minus meritum fidei ex Christi Domini apparitione & visione, sciens abillo dictum esse: *Beati qui non viderunt & crediderunt.*

Concludamus, & cum Domino postremò repetamus: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Beati utique, qui in cœlum eunte Domino, quem oculis carnis videre nō potuerunt, oculis mentis, oculisque fidei attentè inspiciunt, & mysteriis omnibus quæ docuit aurem & cor accommodant. Beati quibus sufficit pro hoc tempore invisibilia mysteria in divisibiliaq; bona promissa quasi in speculo fidei contemplari. Invisibilia scilicet & incomprehensibilia mysteria *Trinitatis*, & *Incarnationis*, vitæ quoque & mortis, *Resurrectionis* & *Ascensionis* Christi Domini. Invisibilia verò bonæ futuræ æternitatis. Fides utiq; omnia præterita, præsentia, futura, tamquam admirabile speculum illis repræsentat, quasi æternitatis exemplar, ut loquitur S. *Bernardus*: Vnde electi qui in hoc mundo adhuc agunt avertentes aspectum ab his quæ videntur & transeunt, cōtemplantur in illo ea quæ non videntur & permanent. Per hoc igitur beati sunt, modò in spe, postmodū in re: quia in cœlesti patria clarè omnia videbūt mysteria, & bonis quæ præparavit Deus plenè perfruentur. Fidei enim succedet visio & obscuro lumini viæ succedet lumen æternum patriæ, cum perfecta fruitione, gaudio, amore. Ibi clarè videbunt, tangent, exosculabuntur vulnera Redemptoris, & feliciori quàm Thomas cōtactu, inclamabunt: *Dominus meus, & Deus meus.* Et id quidem æternum inclamabunt, quia Christus qui vulnera servavit ad testandum veritatem corporis resurgentis, quique ea intulit secum in cœlum ad incitamentum nostræ fiduciæ & devotionis, perpetuò servaturus est illa, etiam post iudicium. Nec que solum ea servabit ad confusionem reproborum, sed præsertim ad lætitiam electorum, ut continuo contemplentur insignia victoriæ de hoste tartareo reportatæ, & signa redemptionis suæ, si que agnoscentes quàm misericorditer sint redempti, decantent in æternum misericordias Domini.

Bern. in Vig. Nativ.

Conclusio.

OBsecro, Te Domine Iesu, fac nobiscum hanc tandem misericordiam, ut digni efficiamur videre faciē tuam instar solis rutilantem, & lætificantem civitatē Dei. Dicit enim modò cum Propheta unusquisque nostrum: *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Fac ut in cœlo sacratas manus pro nobis perfossas, & post resurrectionem Discipulis, & Thomæ exhibitas cōtemplari possimus, divinoque lateti os admovere, & pedes transfixos amplexari & exosculari immò ad illos in æternum, sedēdo cum Thoma inclamare, *Dominus meus, & Deus meus.* Verè enim tu es Deus cordis nostri, & pars nostra Deus in æternū, cui adhærere jugiter bonum est, & summum bonum: cujus misericordiæ in quinq; gemmis vesti humanitatis insculptis promicabunt in sæcula sæculorum.

DOMINICA II. POST PASCHA

Lect. 6. tripart.

Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Ioan. 10.

PVRI.

CHristus Dominus, ut suam erga nos ostendat dilectionem, varia assumit sacris in literis dilectionis nomina.

Cur Christus se nominet.

1. Nominat se Patrem nostrum, & ita vult à nobis nominari. *Ergo si patrem amodò voca me Pater meus, Dux virginitatis meæ tu es.* Item: *Si Pater ego sum, ubi est honor meus?* Sic exprobrat Moyses Isra-

Ierem. 3. Mal. 1. Deut. 32.

elitis:

litis: *Generatio prava haecine reddis Domino? Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Huic etiam dilectionis titulum agnoscebant illi qui inclamant: *Tu enim Pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos: Tu Domine Pater noster, Redemptor noster, à saeculo nomen tuum.* Ab æternitate habet nomen Patris respectu electorum propter prædestinationem: itaque plus ei se debere agnoscunt quàm Abrahæ, aut Israeli, qui nescierunt quos & quales liberos essent suscepturi; ipse autem scivit numerum mores, finemq; filiorum suorum ab æterno, & ex tunc adamavit eos ut pater.

Psal. 63.

2. Nominat se Matrem nos utero suo gestantem: *Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini ab utero meo, qui gestamini à vulva mea. Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo, & salvabo.* Quomodo posset suavius & tenerius dilectionem indicare? Non solum paternum, sed etiam maternum amorem, qui tenerior esse solet, erga electos suos dictis verbis ostendit. Hi enim sunt domus Iacob, & residuum domus Israel. Hinc etiam alibi dicit: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Etsi illa oblita fuerit, ego tamen non oblivisear tui. Ecce enim in manibus descripsi te.* Ad eandem dilectionem refertur, quòd aliquando se non solum matrem sed Nutricem & Gerulam vocat: *Ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis, & nescierunt quòd curabam eos.*

Isai. 46.

Isai. 49.

Osea. 11.

3. Vocat se sponsum, quia animas nostras sibi desponsavit spirituali coniugio, per fidem, spem, charitatem. Hic est triplex annulus desponsationis nostræ. Sponsi ergo nomen, dilectionis nomen est. Vnde ut hanc ostendat dilectionem, dicit: *Sponsabo te mihi in sempiternum. Et sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia & miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide.* De hac re sic loquitur S. Greg. Cum vult timeri, se Dominum nominat; cum vult honorari, Patrem: cum vult amari, Sponsum. Quanto ergo dignior est amor quam timor, tantò plus gaudet Deus dici Pater quã Dominus: & quãtò charior est amor quam honor, tanto plus gaudet dici Sponsus quam Pater. Cum Dominum se nominat, indicat quod creati sumus cum Patrem, indicat quod adoptati sumus: cum Sponsum, indicat quod coniuncti sumus.

Osea 2.

in Cant.

4. Vocat se Pastorem tam in antiquo testamento quam in novo, ut in hoc Evangelio: *Ego sum Pastor bonus*, ubi Græca cum emphasi habent: *Ego sum ille Pastor ille bonus.* Ille scilicet pastor olim promissus, ille pastor ovium amantissimus, ille bonus pastor, qui eas sua substantia pascit: ille bonus pastor qui animam suam ponit ex amore pro ovibus. Et hoc igitur nomen tenerrimæ & sincerissimæ dilectionis nomen est: quod perfectius intelligetur, si varias rationes propter quas pastoris nomen ei convenit, expendamus, & explicemus.

Ezech. 34.

Zach. 11.

Prima igitur ratio cur Pastor dici possit est, quia pascit nos & nutrit corporaliter, providetque de omnibus necessariis & congruis. Ab ille utique pascimur, *qui dat escam omni carni, qui implet omne animal benedictione aperiendo manum suam.* Ab illo pascimur tanquam oves pascuæ eius, qui *Elizæum* in deserto, *Samsonem* sitientem in agro, *Danielem* in leonum contubernio pavit. Ab illo pascimur, qui Israelitis in solitudine 40. annis providit de pane cœlesti, ita ut nec seminare, nec metere, nec triturare, nec coquere necesse habuerint, nec forno aut macello uti, nec veste, nec medicina. De omnibus providebat illis ille qui verè solus est Pastor, gregẽ suum benignitate sua prout vult deducens & nutriens. Quapropter nõ vult nos nimium sollicitos esse de alimento corporali cum dispendio salutis; dicit enim per Prophetam: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno.* Et iterum: *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.*

Christus pastor l. quia pascit nos & nutrit corporaliter.

Psal. 144.

Psal. 54.

¶ Secunda ratio est, quia pascit nos spiritualiter, animabus scilicet nostris spirituale alimentum suppeditans. Est autem animæ cibus quicquid eam confortat interius & reficit, verbum Dei & omnis doctrina sacra; non enim ex solo pane vivit homo sed etiam ex omni verbo, quod procedit de ore Dei. De hoc Pastore & eius pascuis loquebatur Prophetа, dum dicit: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.* Alia lectio ex Græco & Hebræo habet: *Dominus ipse Pastor meus, ipse pascit me.* Quasi dicat. Ipse me speciali cura dirigit, speciali amore diligit; ipse me alit in loco uberrimo, in Ecclesiæ agro, rore cæli irriguo, aquis gratiæ circumfluo. Quid ergo mihi posset deesse in tali loco, sub tali pastore? Fœlicia sunt pascua, verbum divinum, & notitia rerum divinarũ. Fœlicia pascua, omnia dona & beneficia spiritualia, quæ impinguant animam, inspirationes sãctæ, devotio animi, affectus sacri, quæ omnia à Christo pastore nobis suppeditantur. Fœlicia pascua. *Fides, Spes, Charitas*; Fides enim intellectum reficit, Spes & Charitas voluntatem cum pinguedine & oblectatione spiritus, ita ut dicere possit Propheta: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.*

2. Spiritualiter nos pascit

Psal. 22.

Psal. 62.

Tertia ratio est, quia nos pascit sacramentaliter. Omnia equidem sacramenta sunt in Ecclesia velut pascua specialia, quibus oves Christi saginãtur & reficiuntur. Ibi aqua refectionis, aqua gratiæ fluit, animam qui mirè reficit, ita ut possit dicere quilibet fidelis: *Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit, deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum.* Pastor enim noster ibi revocat errantes, & reducit per semitas vitæ propter nomen suum, ut adimpleat scilicet nomen & munus boni Pastoris. Ibi maximè amantissimũ se Pastorem exhibet, pascendo nos corporis & sanguinis, divinitatisque suæ superadmirabili alimento. *Quis pastor oves proprio pascit exemplo*, inquit S. Chry-

3. Sacramentaliter.

Psal. 22.

S. Chrysostomus? *Et quid dico Pastor? Matres multæ sunt quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus. Hic autem ipse non est passus, sed ipse proprio nos sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.* Si videt, ideo sapienter exhortatur Esdras ut ad vera bona respiciamus, ad vera pascua, ad veram lucē: quæ quidem omnia expectare debemus ab illo quem tandem expectamus Pastorem bonum, Principem pastorum, qui gregem ducet ad vitæ fontes aquarum.

Serm. 31 mittit: loquitur S. Bern. *Bonus Pastor animā suā dedit pro ovibus suis. Animam pro illis, carnem illis. Illam in pretium, hanc in cibum, ipse Pastor, ipse pascua, ipse est redemptio ovium.* Christus Dominus pastor ille est de quo Nathan ad David, qui habebat *ovem unā parvulam, quam emerat, & nutrierat eratq; de pane illius comedens, & de calice eius bibēs, & in sinu illius dormiens.* An nō hanc gratiā ipse cuilibet animæ parvulæ exhibet. Verè pastor, vere bonus. An non quælibet anima ovicula est empta ab ipso pretio magno. An non de calice eius bibere, de pane comedere, in sinu etiam ipsius dormire cuilibet conceditur, ō bonitatem? ō dilectionem!

2. Reg 12

4. Pascet nos in æternitate

Quarta ratio est, quia nos pascet non solum in tempore, sed etiam tota æternitate. Ad pascua enim æterna optat deducere oves suas, ad montes felicitatis perpetuæ, ubi pascet eas divinitate & humanitate sua, sine ullo Sacramenti cortice, sine ulla palea, ubi eas satiabit frumenti adipe. De quare sic loquitur S. Bernardus: *Quis non in Ierusalem vehementer cupiat pasci, & propter pacem & propter aditum, & propter fatietatem? Nihil ibi formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit. Tuta habitatio, Paradisus. Dulce pabulum, Verbum. Opulentia multa nimis Æternitas. Habemus & nos Verbum, sed in carne: nobis apponitur veritas, sed in Sacramento. Beati ex adipe frumenti & nudo saginantur grano. Nos interim oportet contentos esse Sacramenti cortice, carnis surfure fidei velamine. Et quantalibet abundantia, spiritus pinguescat, non pari sapit jucunditate cortex Sacramenti & adeps frumenti vultus & speculum, fides & species.* Hæc ille agens de illo pastu & palatu cuius æternis, ubi intellectus satiabitur clara visione, voluntas felicissima fruitione, memoria æternitatis continuatione. Ad illa pascua respirabat sponsa in Canticis. *Indica mihi quem diligit anima mea ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Quem locum interpretatur S. Bernard. de pascuis æternis: *Overe meridies, plenitudo fervoris & lucis, Solis statio, umbrarū exterminatio, desiccatio paludum, fœtorum depulsio. O perenne solstitium, quando iam non inclinabitur dies, ô lumen meridianum, ô vernalis temperies, ô æstiva venustas, ô autumnalis ubertas! Hunc ergo locum tantæ charitatis, & pacis, & plenitudinis, indica mihi, ut mercarte contemplari pascentem uberius, quiescentem securius. Nam & hic pascis, sed non in saturitate, nec cubare licet, sed stare & vigilare oportet propter timores nocturnos.* Hæc ille. Ad eadem pascua, & ad hunc Pastorem respiciebat Esdras, dū sic monebat: *Vobis dico gentes quæ auditis & intelligitis, exspectate Pastorem vestrum, requiem eternitatis dabit vobis, quoniam in proximo est ille qui in fine sæculi adveniet. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatē temporis. Fugite umbram sæculi huius.* Quia nempe sæculi bona non nisi umbræ sunt, & qui illa manu capiat, non nisi tandem umbram reperit, & se delusū

Serm. 33. in Cant.

Cant. 1.

4. Esd. 2.

PARS II.

Cur nos ovium nomine censeamur

Itaque, propter iam dictas rationes, quibus nos pascit Christus, sive in tempore, sive in æternitate, de lectatur nomine Pastoris. Vnde hic dicit de se; *Ego sum Pastor bonus*; & post Resurrectionē cō-mittit tamquam primarius Pastor oves suas pascendas *Petro*; ipso quoque mortuo exivit rumor, & nunciatum est inter Gentiles, quòd magnus *Pan*, Deus pastorum mortuus foret. Hac etiā nomine vult à nobis compellari, vult illo nos delectari; tamquā repræsentante nobis eximiā dilectionem, ut vicē reddamus. Propterea iam ab initio Ecclesiæ, ut testatur Tertullianus, solita fuit in calicibus & ornamentis Ecclesiasticis depingi imago Pastoris, oviculā in humeros revehentis. Amat igitur Christus & Agni nomen; & Pastoris, quia ut ait S. Fulgentius epist ad Florentiū: *Idem Agnus & Pastor reget nos in sæcula, qui nos de lupis oves fecit; earumque nunc ovium Pastor est ad custodiam pro quibus fuit Agnus ad victimam.*

Pars. de præp. Evan. & dicit hāc vocē auditam in insula Echinadis Christo morienti

Porrò sicut ipse Pastor nominatur ob varias rationes, sic etiam correspondenter variæ sunt rationes, ob quas nos nomine ovium designamur

Causa varia cur oves dicamur

Primò, quia per peccatum *omnes nos quasi oves erravimus unusquisque in viam suam*, ut loquitur Isaias. Sic & S. Petrus dicit Fidelibus conversis: *Erratis enim sicut oves errantes. sed conversi estis nunc ad Pastorē & Episcopum animarum vestrarum.* Secundò, quia sicut ovis errans statim lupo vel feræ cuilibet obnoxia fit, ita & nos per peccatum errātes, simus præda diabolo, qui circuit quærens quē devoret. Et sicut ovis nec dentes habet ut canis, nec ungues ut felis, nec cornua instar bovis, quibus se defendat: Sic peccator amissa gratia, facillimè fit præda crudelibus bellius, Satanæ, Mundo, Carni, quia nō habet arma quibus se intueatur. *Tertiò*, quia sicut ovis aberrans à grege, nisi quæratur à pastore, redire nequit, sed ulterius solet aberrare per saltus & sylvas progrediens, cum cætera animalia repetere soleant domum & stabulum, ut canis, felis, equus, porcus, &c. Sic miser peccator dū semel aberravit, redire nequit, nisi Pastoris gratia & misericordia requiratur; sed de peccato in peccatum vadit, ac tandem in irrevocabile cadit præcipitium. Propterea inclamat Prophetа in persona peccatoris: *Erravi sicut ovis quæ periit, quære servum tuum.* Quasi dicat: Quærere te non possum, nisi prius à te quæsitus, reverti non valeo, nisi gratiæ tuæ auxilio prævenius, & humeris tuis reportatus. Sum spiritus vadens, & non rediens: in

Psal. 118

peccatum per me cado erroneus, ab illo non segregor nisi manu tua sustentatus sistitur quære me bone Pastor, occurre errabundo, da manū, suppone humerū, ut revertar ad te, per te, & super te, humeris scilicet revectus tuis. *Quarto*, Non solum peccatores, sed etiam justi, electi, & dilecti Dei, ovium nomen obtinent, de quibus dicit Dominus *Nemo rapiet eas de manu mea* Et hic: *Ego cognosco oves meas.* Et iterum alibi: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Ovium nomen eis aptissimè convenit ob candorem, innocentiam, mansuetudinem, patientiam, quæ in eis cernitur. Ovis animal obediens est, sinit se dirigi manu, virga, voce. Minimo signo à pastore edito ducitur, reducitur. Sic animæ piæ pasteris æterni vocem, inspirationem, directionē mox persentiscunt & sequuntur: immò nutū eius observant & illi obsequuntur. Vnde ad id respiciens Propheta dicebat: *Qui Regis Israel intende, qui deducis velut ovem Ioseph.* Quasi dicat, Qui populum tuum, electum [per Israel & Ioseph significatum] suaviter & pastoraliter Regis quasi unicā ovem tibi omnimodis subjectam, intende orationi illius & libera eam à persecutionibus. Similiter propter electos dicitur de Christo: *Sicut Pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos fœtas ipse portabit.* Denique Ieremias in persona eorum pronuntiat: *Et ego nō sum turbatus, te Pastorem sequens.* Quasi dicat: Non obstantibus omnibus adversis ego te secutus sum sine perturbatione, nec sum lassatus in tui sequela, quia vires mihi dedisti & manum auxiliatricem, sicque vocem & vestigia tua semper sum secutus, tibi adhærens, tuā in omnibus adimplens voluntatem. Si quandoque peccant electi, adhuc retinent conditionem ovis. Illa enim agnoscit se pastoris custodia, destitutam inquietè discurrit, vix, herbulam cursim carpit plena timoris, ingemiscit, balat ad pastorē anhelans. Sic illi non inhærent peccato, non delectantur in illo, sed mox remorsum conscientiæ habent, timorem concipiunt ad pastorem respirant.

Psal. 77.

Isac. 40

Ierem. 17

Postremò, cum ovis sit animal sacrificio aptū & destinatum optimè per oves animæ illæ quæ Deo se vitamque suam sacrificant designantur. Sic Virgines, sic Martyres oves sunt, quæ se ut victimas Domino devoverunt. Quam multi utriusque sexus tamquam oves & agni ab initio Ecclesiæ vitam & animam pro Pastore posuerunt, sicut ille pro ipsis? Agnosce oviculas & agnellos, S. Felicitatem cum filiis suis S. Symphorosam cum prolibus, S. Vrsulam cum sodalibus: agnosce victimas sacratas Domino, quæ candorem innocentiæ suo purpurarunt sanguine:

Ceduntur gladiis more bidentium.
Non murmur resonat, non querimonia:
Sed cordet cito mens benè conscia
Conservat patientiam.

Oves etiam sunt animæ religiosæ, quæ vocem Pastoris de sæculo vocantis statim ubi audiunt, mox Ovile sanctæ religionis ingrediuntur: & obediunt in simplicitate & veritate, sine murmure & contradictione, illi qui Pastoris æterni vices gerit monendo, dirigendo, jubendo.

PARS III
De triplici boni Pastoris signo.

SEd quandoquidem Christus de se asserat; *Ego sum Pastor bonus.* Videamus quomodo probet, & quæ signa boni pastoris assignet. Vtique non mē daciter id dicit nec propter se dicit, sed propter nos suas indicat laudes, ut scilicet valeamus cum audiendo cognoscere cognoscendo amare, amando sequi, sequendo tandem eius perfecta visione frui. *Primum* ergo signum boni pastoris assignat, quòd pro ovibus animam ponat. Hoc manifestū fuit in ipso, qui non solum voluit pro grege animam & vitam ponere, sed etiam corpus & sanguinem suum illis in cibum potumque dare in finem usque sæculi. Sic etiam commendans Petro oves, tamquam conditionem & signum Pastoris requirit amorem eximium ad imitationem sui. Audi S. Bernardum: *Non otiosè repetitum est toties, Petre amas me in commissione ovium. Ac si dicat Iesus: Nisi me valdè & perfectè ames, hoc est plusquam tua, plus quam tuos, plus quam te, ne te intromittas de ovibus meis pro quibus fusus est sanguis meus.* Christum ergo Pastorem æternam ea in re imitari sunt veri pastores. Vnde dicebat S Paulus: *Ego lubentissimè impendam & superimpendar pro animabus vestris.* Nō solum non vult à Corinthiis aliquid accipere, nec solum omnia sua illis paratus est impendere: ipsetorum se vult tamquam hostiam pro grege exhibere. Ob idem laudat antiquos Pastores & Præsules Ecclesiæ S. Bern. scribens ad Eugenium pastorem universalem lib. 4. de consid. *Fuerunt ante te qui se totos, ovibus pascendis exponerent, Pastores opere & nomine gloriantes, nihil sibi reputantes indignum, nisi quod salutis ovium obviare putarent: non quærentes quæ sua sunt, sed impendentes. Impendere curæ impendere substantiam, impendere seipsos*; unde unus illorum ait, superimpendar pro animabus vestris. De horum numero fuit S. Paulinus, qui cū laudaretur, quòd omnia sua dedisset pauperibus, sic ait epist. 2. *Facilè nobis fuit ea quæ nobiscum non intulerāmus in hunc mundum, nec poteramus auferre nobiscum, quasi mutuata reddere. Nec ut cutem à carne distraximus, sed ut vestem à corpore deposuimus: nūc opus est ut quæ verò nostra sunt depēdamus Deo, cor & animā & corpora nostra exhibēte in hostiam vivam. Quæ enim in nobis gratia, si in alieno tantum fideles fuerimus, nisi de proprio serviamus?* De horū etiam numero fuere S Lambertus, S. Thomas Cantuariēsis. S. Nicasius, S. Carolus Borromæus, & innumeri alij, qui primum Pastorem secuti sunt pro ovibus vitam ponentes, vel ponere parati. Nempe initio Ecclesiæ respersa sunt ovilia pastorum cæde maduerunt pastorum sanguine campi & agri primitiarum, cruentata sunt pascua pastorum sacro cruore, consecrata fuit terra eorum corporibus, cœlum ditatum animabus.

1. *Vt pro suis ovib. animam ponat.*

2, Cor. 12

Alterum signum boni Pastoris assignat his verbis:

2. *Et cognoscat oves,*

bis: *Ego cognosco oves meas.* Nempe cognovit eas iam ab æternitate, & ex tunc destinavit errantes revocare. Novit numerũ, posuit in eis signum, & nemo potest eas de manu eius eripere. Hoc ipsum
2. Tim. 2. est quod Apostolus dicit. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc; Cognovit Dominus qui sunt eius.* Scivit ex tunc diem Baptismi eorum, diem vocationis, mediaque omnia quibus pertingerent ad salutem: prævidit obedientiam, stabilitatẽ perseverantiã: destinavit eas vocare, ducere, introducere ad vitæ æternum. Cognoscit ergo oves, & solus cognoscit: nos adhuc non satis agno scimus oves inter hœdos, quia commistio est in hoc ovili, *In agro* & arca Ecclesiæ adhuc sunt, palæ inter frumenta, adhuc triticum est zizaniis cõmixtum, loliumque liliis. In hac arca adhuc convescitur corvus cum columba, agnus cum lupo. Ipse autem tandem distinguet hæc omnia, malos à bonis, electos à reprobis disterminabit manifeste oves que, & agnos ab hœdis & lupis separabit. Et nunc quidem illos novit, sed nobis adhuc vult esse occultas, quia non nisi conjecturaliter possumus scire, quinam oves sint & agni electi, ex quibusdam scilicet signis mansuetudinis, patientiæ, candoris, vitæque innocentis. Agnoscitur filius per imaginem patris; agnoscitur miles per arma, insigniaque sui Ducis: agnoscitur discipulus per doctrinam Magistri & Præceptoris: agnoscitur ovis per signum Domini sui & Pastoris. Sic agnoscũtur Filii Dei, milites Christi Iesu, oves Pastoris æterni, per charitatem, patientiam, mansuetudinem, mortificationem. Hæc est imago Patris vivis expressa coloribus: hæc arma & insignia nostri Ducis: hæc doctrina nostri Præceptoris: hoc signaculum nostri Pastoris, quo notantur oves electæ, agni dilecti. Per hæc signa cognoscimus quisnat eius cognoscit autẽ ipse perfectius. Illis qui hisce notis non signantur, dicit. *Amen dico vobis, non novi vos.* Non novi vos tamquam filios, quia imaginem meam non habetis. Non novi tanquam milites, quia arma mea abiecistis, nec in signia mea in veste portatis. Non novi tanquã discipulos, quia doctrinam meam contempsistis. Non novi tamquam oves, quia notam & characterem quo illæ signantur, non agnosco in vobis. Qui non agnoscit me & sequitur ut pastorem, ego non agnosco ut ovem. Quid iuvat si quis in ovili fuit numero, si non fuit merito;

3. *Vt præcedendo ducat eas ad pascua idonea.* Tertium signum boni Pastoris assignat, non solum quod agnoscat vultum pecoris sui, sed etiam quod educat oves ad pascua idonea quod que ante eas vadat bonis exẽplis prælucendo, factus forma gregis ex animo, deniq; quod eas vocet nominatim nõ solum omniũ in genere, sed etiam singularum specialem curam habens. Quod ipsum alibi declarat exemplo pastoris qui sollicitus requirit unam ovem quæ perierat, nec dat somnũ oculis suis, donec eam reperierit: quam quidem repertam post tot itineris angustias non severè tractat, non virga percutit, nõ exasperat verbis aut verberibus; sed gaudens amplectitur, incurvatur ad illum, supponit humeros, & reportat ad gregem & ovile. O magna dilectio erga ovem unam errabundam! Propter hanc etiam dilectionem Christus se comparat gallinæ pullos suos cõgreganti fovenți, protegẽti. Quia nullum est animal quod sic magis sollicitum, aut quod tenerius amet pullos, sive illos congregando materna voce, sive fovendo alarum expansione, sive unicum pullũ ducendo tanta sollicitudine ac si decem duceret, ut patet experientia. Sic ergo Christus Dominus æqualiter amat animas, quia æquè sibi sunt charæ, æquè Sanguine suo emptæ: & singularũ ita salutem procurat, sicut & omnium, verè pastor bonus, qui omnes vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, omnesque errantes ad se reducere, & illis humeros supponere. Quis enim ignorat, eum inspirationibus, aliisque auxiliis ad conversionem singulos monere, ut ex spinosis locis, ex peccatis & peccatorum occasionibus ad viridantia divinæ gratiæ prata reducat, & tãdem ad æterna pascua introducat? Qui autẽ nolunt huic voci & inspirationi acquiescere, sciant se non esse de ovibus eius. Quia subdit Dominus: *Et cognoscunt me mea.* *Matt. 23.*

Etenim qui ad Christum spectant tamquam oves, ipsum ut pastorem cognoscunt, non absimili notitia ab illa, qua pastor eas cognoscere se dicit. *Oves cognoscunt Pastorem.*

Primò cognoscunt per notitiam fidei. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti* IESUM *Christum.* Cognitio nempè ista per fidem initiũ est; & radix vitæ illius quæ perficietur in æternitate: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Sine hac notitia fidei nescit homo Deũ à quo factus est, nescit viã qua ad eum itur, nescit felicitatem æternam, cuius gratia factus est. Nescit vulnera naturæ, nec gratia necessitatem. Denique ignorat. Christum ut Pastorem, ut Mediatorem, ut Redemptorem, cuius Sanguine redempti sumus, cuius ductu in gloriã reducimur. Hæc omnia autem nota facit fides; ideo de illa dicit Apostolus: *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie* IESU *Christi.* Quasi dicat: Ille qui initio dixit, fiat lux fugans tenebras mũdi, excellentiorem in nobis produxit lucem, qua nos illuminaret ad divina mysteria & notitiam IESU Christi veri pastoris percipiendam. *Secundò* cognoscunt eum oves non solum per speculativam fidei notitiam, sed etiam per practicam quæ cum mandatorũ eius observatione est coniuncta. Hæc nimirum est vera notitia quæ in opus deriva tur, de qua dicit S. Ioan. *In hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata eius observemus. Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Hoc ipsum est quod S. Augustinus de fide & operibus ait: *Nequaquam mens fallatur, ut se existimet Deum cognovisse, si eum fide morum, hoc est sine bonis operibus, confiteatur.* Quia perfecta & *Primò per fidei notitiam. Ioan. 17. Heb. 11.* *1. Cor. 4.* *2. Per observationem mandatorum Pastoris. 1. Ioa. 2.*

salutifera notitia est, quæ noscentem perducit ad vitam æternam, hanc solam veram notitiã vocat S. Ioannes, & eum secutus S. Augustinus. Quid enim prodest, si Deum verbis se nosse dicant, factis autẽ negent? *Tertiò* cognoscunt eum oves notitia affectuosa, hoc est cum speciali dilectione & affectu cõjuncta, ut Pastoris sui dilectioni correspondeant. Per hanc notitiam & dilectionem ei continuo adhærent, eiusque nõ solum mandata, sed etiam consilia & inspirationes attendunt, & agnoscentes quæ sit voluntas eius bona, beneplacẽs, & perfecta, illam mox exequi curant; quicquid verò ei displicere potest procul à se eliminant. Ideo dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Item, oves meæ non noverunt vocem alienorũ. Audi S. Bernard. tamquam ex illis ovibus unã, sic loquentem: *Dilectus meus mihi & ego illi, Ille mihi, quia benignus & miserator est; ego illi, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia: ego illi gratiam pro gratia. Ille meæ liberationi: ego illius honori. Ille saluti meæ, ego illius voluntati. Ille mihi & non alteri, ego illi & non alteri, nec enim audio vocem alienorum.* Hoc dicere debet quælibet ovis, Christo Pastori suo tota adhærens dilectione. Hoc totum debet esse illius otiũ, hoc negotium, illum cognoscere, amare, sequi, imitari. Verè enim probant se esse oves, quæ totas se impendunt ad cognoscendam Pastoris sui bonitatem, sapientiam, potentiam, misericordiam, amorem, per continuam beneficiorum eius rememorationem & meditationem; & exinde stimulantur ad ipsius imitationem & reciprocum amorem. Verè probant se esse oves, quæ ita vocem Pastoris audiunt, ut alienorum vocem planè respuant. Alieni sunt *Mundus, Caro, Dæmon.* Mundus vocat ad vanitates & dissolutiones, ad opes & honores quaqua via adipiscendos; qui eum audit & sequitur non est ovis Christi. *Caro* vocat ad voluptates & libidines, ad ingluviem, & concupiscentiam, qui eam audit & sequitur non est ovis Christi. *Dæmon* vocat ad illicita quæque, miris fascinans modis, ut in peccatum pertrahat: qui eum audit & sequitur nõ est ovis Christi. Norunt oves dignoscere vocem alienorum à voce Pastoris, quia cognoverunt eum. Norunt discernere suggestiones pravas à bonis inspirationes fallaces à licitis salutiferis. Vnde clamant cum Psalmista: *Alieni insurrexerunt adversum me, sed Dominus est susceptor animæ meæ.* Tamquam Pastor bonus in humeros me susceptens, manu me ducens, umbra sua me protegens, in pascua me dirigens, semper mecum est. Concludo, & ad Pastorem animarum, principem pastorum, hoc postremum votum dirigo, Tu O bone pastor, qui ut dilectionem ostendas te pastorem nostrum vocare dignatus es, quique tamquam peritissimus pastor cognoscis omnia interiora nostra & exteriora, naturalia & supernaturalia, gratiam & dona, morbos & peccata, intimos affectus & inclinationes: ita nobiscũ age, ut veræ oves, veræ, per vitæ candorem & puritatem, per mansuetudinem & patientiam, per cordis nostri immolationem & sacrificium. Ita nos dirige, ut nunquã separemur à te, sed semper cognoscamus te perfecta cognitione, amemus perfecta dilectione, sequamur perfecta imitatione. Effice, ut nos nemo unquam rapiat de manu tua, sed postquam manus illa benedicta nos direxerit in pascuis gratiæ, nos protexerit per semitas iustitiæ, tandem introducat in pascua gloriæ, & felicitatis æternæ.

1. Specialis notitia & affectus.

Serm. 70. in Cant.

Psal. 58.

Audi exemplum boni Pastoris Pastorem nostrum summè bonum imitantis. Numerianus Imperator immolans dæmoniis apud Antiochiam, ingredi voluit Ecclesiam Dei. Prohibuit eum Babylas Episcopus, ideoque in vincula fuit conjectus. Interrogatus ab Imperatore facti sui rationẽ, respondit: *Placuit Deo me humilem servum plebis suæ constituere Pastorem, ideo cum vidi te lupum venientem timens ovibus prohibui ab ingressu ovile.* Cum autem de Christianis interrogaretur, & de doctrina sua iterum respondit: *Si vis scire quæ sit doctrina mea, habeo tres parvulos quasi tres agnellos, quos gratia Dei enutrivi & erudivi tube adduci & vide bis in eis scientiam Dei.* Adducuntur parvuli, adducta est & mater interrogatur nomen, & an isti sunt filij eius? Respondet, *Theodula vocor, eos genui & Deo obtuli per Pastorem, bonum Babylam, qui erudivit eos in doctrina Dei.* Alapis cæditur illa, & uberatur tormentis filiorum assistere. Pueri in sublime elevantur, & uni duodecim plagæ infliguntur, alteri novem tertio septem. Illis autem Deum benedicentibus, dicebat & mater: *Gratias tibi ago Domine, quia singuli secundùm annorum numerum cæsi sunt.* Cum verò à confusione per hoc nihil deterrentur, jussus est & Babylas suspendi cum eis, & gravissimè cædi. At ipse exultans insonabat: *Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus in portentũ. Ecce nihil tormentorum sentio, quia patitur pro me Christus.* Pueri autem inclamabant: *Crudelis Tyranne, gloriam nobis accumulas, dum pœnam aggravas. tu autem non effugies iudicium Dei. An non erubescis à pusillis vinci? Non sentimus tormenta, tu magis cruciaris.* Cum nihil proficeret Tyrannus, jussus est Babylas cum infantibus gladio percuti. Dicebat autem iterum. *Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus in portentum.* Pueri autem manus eius exosculantes dicebant: *O Pater & Pastor bone, quale nobis gaudium, si tecum pariter consummemur!* At ipse: *Benedictus es Domine, qui ex ore infantium perfecisti laudem, ut destruas inimicum & ultorem.* Sic osculatus singulos tradidit tortoribus ut in sua præsentia, percuterentur, postmodum tradidit & seipsum. Pariter igitur educati, pariter coronati, ad cœlestia migrarunt quasi quatuor victimæ pastor cum tribus agnellis.

6.

DOMI-

Lect. 7. tripart.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Ioan. 16.

Pars I. *Ex modis eo Christi omnia hic modio eo accentur.*

IACOB morti vicinus duodecim filios suos convocat, eisque dat monita salutis, ac futura multa prædicit, tam aspera quam prospera. Vnde dicit Scriptura: *Vocavit Iacob filios, suos, & ait eis: Congregamini ut annunciem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis. Congregamini & audite filii Iacob, audite Israel Patrem vestrum.* Sic fecit & Moyses, similiter & Iosue, & Samuel & Mathatias fecisse leguntur. Hic enim fuit priscus mos Hebræorum, ut parentes morituri filiis vel subditis non solùm benedictionem & monita darent, sed etiam nonnunquam spiritu Dei oracula proferrent de futuris adversis vel prosperis. Igitur Iacob patriarcham imitatus Christus Dominus, antequam ex hac vita discederet convocat suos Apostolos, tam quam filios Patriarchis successuros in generatione spirituali, de quibus dicitur: *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii*; hoc est, pro Patriarchis nati sunt tibi ex Sponsa tua Eccl sia Apostoli, fœcunda progeniem tibi daturi, generationem & generationē filiorum timentiū Dominum. His ergo convocatis multa prædicit futura, tum ut eos instruat & consoletur de prosperitatum ut confirmet contra adversa: Ac in primis inter cætera mortē suam ac resurrectionem mox futuram prædicens, ait: *Modicum etiam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem.* Illa nimirum nocte qua tradebatur, hæc loquebatur, sic post modicum temporis ab eorum cōspectu sublatus est: propterea dicit: *Modicum & iam non videbitis me.* Tertia verò die redivivus eorum cōspectui rursus se præsentare volebat, & ideo addit: *& iterum modicum & videbitis me.* Dat rationem utriusq; brevis moræ, *quia vado ad Patrem*; quia scilicet mox ex hac vita mortali transibit ad immortalem, ut regnet cum Patre. Quasi apertè dicat: O dilecti Discipuli mei, clarissimiq; filii, vos summe desideratis præsentiam meam, & faciem meam tamquam Patris vestri cōtinuò intueri optatis: sed cogor vobis dicere, quod post modicum à vestro subtrahar aspectu, ut obscuris monumenti claustris condar; & abscondar in pulvere: verumtamen post modicum destructo mortis imperio, iterum redivivus vobis appareo; sed id ipsum modico tempore, quia iam expleta dispensatione assumptæ mortalitatis, cum Resurrectionis triumpho ascensurus sum ad Patrem.

Psal. 44. 6.

Similitudine Solis apertius declaratū possunt hæc verba Domini: Secum enim Solin occasu mox disparet, sed paulò post lucidior exoritur; & ita verum est quod modicum non videmus Solem, quamdiu scilicet in altero agit hemisphærio; & iterum post modicum videmus cum ad nos novo cū lumine revertentem. Ita Christus per mortem occidit, & disparuit sepulchro conditus: paulò post autem per Resurrectionē novo cum lumine exoriens iterum apparuit. Ipse ergo est ille *Sol qui cognovit occasum suum*, cognovit & orientem suum novum: & ideo utrumq; nunc Discipulis prædicit. Illi modicum non viderunt hunc Solem, quia alterum hemisphærium, hoc est limbum Patrum, illuminaturus abscessit: post modicū iterum viderunt eum, quia novis gloriæ radiis refulgens apparuit. Sicut igitur Sol instantis occasus sui fortè non terretur, ut suum retardet cursum, nec horas aut momenta producit, ut paulò diutius diem protrahat quasi vitam suam; sed intrepidus ad sepulchrum noctis contendit, sciens se mox è sepulchro noctis cum nova quadam vita, novoque lumine resurrecturum, ita ut Christus Dominus intrepidus vadit ad mortis tumulum, & prædicit se ex sepulchro post modicum cum nova vita & gloria suscitandum. Ar sicut Phœnix lubenter moritur semetipsum funeraus, quia per funus istud renovandum se novit, & natali fine discedit, ut loquitur Tertullianus lib. de carnis resurr. ita & idipsum de Christo Dom ino verum est.

Psal. 103.

S Augustinus, hunc in modum verba Domini interpretatur. Modicum erit, o Discipuli mei; & ab hac hora qua vobiscum loquor, usque ad ascensionem meā, & post illud iam non videbitis me mortalē, quia vado ad Patrem in cœlum, morte devicta, cū claritate & triumpho conscendens: *Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuò clarificabit eum, Filioli adhuc modicum vobiscum sum.* Sed iterum modicum & videbitis me, quia modicum est illud tempus vitæ mortalis, post quod me perpetuò visuri estis in cœlis. Immò modicū est totum illud tempus, quod præsens prætervolat sæculum usque ad iudicii diem, post quod me visuri sunt omnes electi.

Modicum est tempus vitæ nostræ.

Psal. 89.

Ponderandum ergo hic cum S. Augustino ac aliis SS. Patribus, quā breve sit totum hoc nostrum tempus, quod nobis longum videtur. Verè meritò vocatur *Modicū* respectu Æternitatis, vocatur quoque à S. Ioanne, *Novissima hora*. Propterea etiā Deo dicit Psalmes: *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit, & tamquā custodia in nocte, & tamquam ea quæ pro nihilo habentur, eo tū anni erunt.* Quasi dicat: Mille anni vitæ nostræ, quod præ ē vixit Mathusalem, sunt apud te quasi dies hesterna, imò sūt quasi una vigilia noctis, quæ tribus fol. bat constare horis, denique anni hominum sunt quasi ea quæ pro nihilo habentur. Vnde in hunc locum sic ait S. Hieronymus. Videte quid dicat. *Adam ille propagator noster vixit nongentis triginta quinque annis, Mathusalem nongentis sexaginta quinque. Fac quod vixerit mille, ad seculi æternitatem Æternitatis modicū est. Quid enim prodest gravedo quod finem habet? Et quam grande esse possit, quod una dies præterita, una nobis vigilia nesciunt?* Quippe

Omnes dies nostri defecerunt. Cucurrit ætas, & dum ignoramus, perimus: hoc ipsum quod loquimur de morte est, & non intelligimus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur. Videte quid dicat: *Quomodo aranea mittit, fila, huc illucque discurrit, & texit tota die; labor quidem grandis, sed effectus nullus; sic & vita hominum huc illuc q; discurrit. Possessiones quærimus, divitias apparamus, procreamus filios, laboramus, & non intelligimus, quia aranea telam teximus.* Audiu eandem sententiam Eugubium eleganter sic differentē: *Quid struis qua fretus spe vivis? Quid si vel mille annos, id est, plusquam primus genitor, qui nongentos & triginta annos traiecit, ipse viveres? Omnis hæc ætas, quia moriendum est, erit tibi velut una dies hesterna elapsa. Quod si humana vita est particula temporis, tēpus brevissima pars æternitatis, quid erit quicquid unusquisq; hominum vivit ante oculos Dei? Nam nec dies est, nec mensis, nec annus apud Deum, qui est supra Solem temporis genitorem.* His conformiter loquens S. Augustin. in eundem locum sic Deum alloquitur: *Quoniā mille anni ante oculos tuos tamquā dies hesterna quæ præteriit, ideo debemus ad refugium tuum, ubi sine ulla mutabilitate tues, ab his præteuntibus labentibusque converti. Quoniam quantumlibet huic vitæ longum tempus optetur, mille anni ante oculos tuos tāquam dies hesternus est qui præteriit. nō saltem tamquam dies crastinus qui venturus est ita omnia quæ temporis fine claudūtur, pro transactis habenda sunt.*

Itaque quicquid in hoc sæculo est, verè *Modicum* est, non solum Tempus, sed etiam quicquid hic Tempore volvitur, *Honores, Voluptates, Opes, Tribulationes, Afflictiones, Dolores.* Hæc enim omnia sub hoc nomine *Modicum*, insinuari solent sacris in litteris.

Vita brevis. *2. Mac. 6* *Iacob 4.* *Isai. 26*

1. Si de vita nostra agitur, vocatur *Modicū corruptibilis vita.* Et: *Qua est vita vestra? Vapor ad modicū parens.* Imò totū tempus sæculi usque ad finem vocatur *Modicum & Momentum.* Hinc Deus Sanctos suos morientes alloquens dicit: *Vade populus meus intra cubicula tua, claude ostia super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.* Hoc est: Ite ad modicum, ô Sancti, ad sepulchra vestra, ibi quiescite donec impios puniam; brevi vos suscitaturus sum, in die scilicet judicii.

Honor & ambitio. *Iob. 24.* *Sap. 11.* *Isai. 40.*

2. Si agitur de honore & ambitione sæculi, vocatur *ad Modicum elevatio*, quā mox sequitur allisio: Unde Iob de ambitiosis & superbis sic loquitur: *Elevati sunt ad Modicum, & non subsistent & humiliabuntur sicut omnia, & auferentur, & sicut summitates spicarum conterantur.* Sic totus orbis terrarum cū iuis dignitatibus & opibus pretiosis reputatur tārum tanquam Momentum stateræ. Sapien. *Tamquam momentum stateræ sic est ante te orbis terrarū.* Addit Isaias: *& tamquam stilla situlæ.* Quam modica hæc sunt, ut illis totus comparetur orbis?

Voluptas Iob. 20. & 21.

3. Si de voluptatibus & gaudiis sæculi agitur, nū ea co cōparatur. Qua de re ageus Iob dicit: *Gaudium hypocritæ ad instar puncti est.* Et iterum: *Ducunt in bonis dies suos, tenent tympanum, gaudent ad sonitum organi, & in puncto ad inferna descendunt.* O modicū punctum, sed, infelix! O punctum quod consequitur æternitas in tormentis! *Modicum tamquam in requie,* dicebat Sapiens. Quam dicat: Modica illa requies quasi nihil reputata est, & *avolans quasi somnium* non reperitur. *Eccl. 40.* *Iob. 20.*

Opes 4. Si agitur de opibus, *Modicum* quid deputantur, unde & Satan in momento ostendit Christo omnia regna mundi & gloriam eorum. Sic etiam de divitiis malè administratis ait Dominus: *Qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est.* Et iterum: *Euge serve bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.* Ideo denique opes huius sæculi rebus modicissimis comparantur, quæ à vento diffiantur. lanugini volanti, spumæ gracili quæ dissipatur, fumo disparenti, quibus omnibus significatur nihil in illis stabile esse, nihil diuturnum. *Luc. 16.* *Luc. 19.* *Sap. 5.*

Tribulationes. 5. Si de afflictionibus & doloribus agitur, etiam illa quæ hic patimur, modicum quid dicuntur, & ad modicum perdurare. Vnde loquens Dominus Ecclesiæ suæ in mediis afflictionibus desolatæ, sic eam consolatur: *Ad punctum in Modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te: In momento indignationis abscondi parumper faciem meam à te, & in misericordia sempiterna miserta sum tui:* dixit Redemptor tuus Dominus. *Isai. 45.*

Considerandum ergo frequenter hoc Modicum vitæ & temporis nostri, rerumque omnium huius sæculi, ut à vanitate ad veritatē, à brevitate ad æternitatem oculos mentis attolamus. Nihil magnum nisi æternum, nullum verum bonum nisi æternum, nullum, verè malū nisi æternum, & ut ait S. August. 12. de civit. c. 12. *Nihil est diuturnum in quo est aliquid extremum. & omnia spatia seculorū definita, si æternitati comparantur, non exigua æstimanda sunt, sed nulla.* Atq; ita per læta & tristia (omnia parvifaciendo, & ut modica reputando) ad beatā æternitatem constanter tendendum est. Sed pauci hoc Modicum perfectè intelligunt, rebus exiguis hujus sæculi tamquam magnis dum affectu adhærent. Et ideo cum discipulis ignorantibus dicunt: *Quid est hoc quod dicit nobis Modicum? Nescimus quid loquitur.*

Noverat istud Modicum S. *Benedictus*, qui teste S. *Gregorio 2. dial. c. 35.* per orationem elevatus in Deum, Deique immensitatem, vidit sub ea totum mundum instar globi sub uno solis radio collectum, & ante oculos suos adductum. Causam autem reddit ibi dem S. Greg. *Quia videnti Deū, angusta est omnis creatura. Quamlibet enim parum de luce Creatoris adspexerit, breve ei fit omne quod creatum est. Lux enim interior quæ videntis animum ad superiora rapuit, ei quàm angusta essent omnia inferiora monstravit.* Similiter qui elevare voluerit oculos mentis ad æternitatem Dei, videbit omnia temporaliter sub ea collecta modicum quid esse, & instar momenti.

Nove-

Nouerat etiam istud Modicum, ad æternitatem animam attollens, *B. Thomas Morus Angliæ Martyr*, ad quem, *Aloysia* vxor ab *Henrico octauo Rege Angliæ* missa fuit in carcerem, vt eius tentaret animum, si forte voluntari & libidini Regis sese accommodaret. Ejulabat illa, suamque & familiæ miseram commemorabat sortem; alia ex parte dicebat à Rege opes magnas & honores promitti, si ei subscriberet maritus. Cui ille: *Quamdiu, ô Aloysia dilecta, illa opibus & honoribus fruemur?* Respondet ipsa: *Facilè adhuc ad viginti annos dilectissime mi marite.* At mox eam increpans cum indignatione Morus, ait: *Vade, ô stulta mercatrix vendam annos æternos cœlestis fœlicitatis? Quid sunt viginti anni gaudiorum, vt mihi accer sam æternitatem dolorum numquam finiendorum? Non ita desipio. Sed malo carcerem & tormenta totâ vitâ sustinere, mortemque quamlibet acerbam perferre, quàm beatam æternitatem meam prodigere.* Hæc ipse sapientissimè & pientissimè.

Stapl. in vita eius

PARS II. *Cur plorarint Apostoli, & justi adhuc plorent.*

1. Tristes sunt Apostoli ob discessum Christi.

VLterius Christus prædicit discipulis non solum mortem suam & resurrectionem, sed etiam tristitiam & fletum inter aduersa multiplicia: *Amen dico vobis, plorabitis & flebitis vos* Multiplex verè fuit ratio tristitiæ & fletus in Apostolis, mundo interim gaudent & eis obsistente.

Matt. 9.

Prima ratio in eis tristitiæ, fuit discessio illius in quo omnis eorum spes, omneque solatium situm erat. Quomodo non tristarentur, dum tuo priuantur Pastore, sicut oves in die caliginis dispersæ? Quomodo non tristarentur, sicut milites in fugam acti percusso suo Duce? Quomodo non tristarentur separato à se Magistro, si verè amantes sunt discipuli? Quomodo non flerent & plorarent orbati Parente, si veri sunt & non adulterini filij? Ergò meritò eis prædicit Christus Pastor & Dux, Magister & Pater, fletum & lacrymas in morte sua, dum interim Iudæi ipso occiso lætabuntur. Non debebant *lugere amici sponsi, quamdiu Sponsus cum eis erat.* Tum autem cum ablatus est ab eis sponsus, luctus eis conueniebat. Vnde dicitur, quod Maria Magdalena *videns nunciauit his, qui cum ipso fuerant lugentibus, & flentibus.*

Marc. 16.

2. Quia mittebantur ad persecutiones.

Ioan. 20.

Secunda ratio tristitiæ fuit, quia mittebantur à Domino inter medias persecutiones, non solùm Iudæorum, sed & Gentilium, vexandi, flagellandi, proscribendi, igne, crucibus, gladio interimendi. Vnde eis à Domino dicitur: *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos.* Quasi dicat: Sicut Pater me sic me inter pericula & cruces, vt doctrinam meam per mortem & sanguinem confirmarem; ita & ego inter persecutiones vos mitto, vt sanguine vestro doctrinam, fidem, & amorem ergà me testatum relinquatis. *Pater Filium misit, quem in mundum ad passionem venire voluit, sed tamen amauit Filium, quem ad passionem misit. Sic & electos Apostolos Dominus non ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est, ad passiones in mundum mittit.* Similiter S. Chrysol. *Secut misit me Pater. Non Dominus, sed Pater. Nec auctoritate adhuc subentus, sed toto diligentis affectu, mitto vos ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad squallorem carceris, ad perferenda omnia genera pœnarum, ad jubilandum cunctis execrabile iugum mortis, quæ omnia charitas vtique humanis mentibus imperat, non potestas.* Mittebantur à Christo sicut lilia in medio spinarum, sicut germina iustitiæ in medio agri iniquitatis, sicut columbæ in medio accipitrum, sicut oues & agni in medio luporum, vt ipsemet Dominus eis protestatur. *Puto quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit tamquam mortis destinatos; quia spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus. Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.* An non hæc copiosa seges tristitiæ & doloris, dum eis valedicens dicit Dominus: *Omnis qui vos interficiet, arbitrabitur se obsequium præstare Deo;*

Serm. 84.

1. Cor. 4.

Tertia ratio tristitiæ & doloris, dum orbem circuirent legatione fungentes pro Christo, fuit exiguus fructus vel bridium sibi commissi. *Angelis pacem amarè flebant.* Hi enim sunt pacis Angeli, siue Legati pacem Iudæis & Gentibus annunciantes, illam pacem mundo impertientes quam mundus dare non potest; quia plerique eam non recipiebant, ipsi non sine mœrore & amaritudine erant, flebant obduratos, à pace & gratia Christi aversos, in quos cogebantur *excutere pulverem pedum suorum*, vt eis præceperat Dominus. In signum scilicet quod frustra pro ipsis tot itinera totque fatigationes susceptissent: in signum quoq; quod nihil è terra hominum impiorum quasi maledicta secum efferre significarent, nec velle cum eis vlla in re participare, nec puluerem quidem adhærentem velle retinere; quo symbolo significabant eos esse execratos, & condemnationi obnoxios. Nam & ille pulvis in aerem ideò excutiebatur, vt in cœlum quodammodo vindictam clamaret, ac in die iudicij contra tales infideles testis & accusator insurgeret: ideò dicit Dominus, quod excutiendus sit ille pulvis *in testimonium super illos.* Interim non sine tristitia peragebant, commoti compassione super pereuntes: ideò dicitur quod Angeli siue Legati pacis amarè flebant, propter cæcitatem illorum. Adde quod Apostoli flebant, vt verbum quod seminabant, rigabant lachrymis, vt fructum produceret ampliorem. Vnde de illis verum est istud: *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

3. Quòd evangelizandi parum esse profecturi S. Hieron. lib. 34. moral. c. 7. Matt. 10.

Luc. 9.

Psal. 125.

Si vis videre vnum ex his Angelis pacis flentem, audi S. Paulum: *Veritatem dico in Christo non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est,*

Rom. 9.

& continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse esse anathema à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlitæ. Et iterum: *Multi ambulant quos sæpè vobis dicebam, nunc autem flens dico, inimicos crucis Christi, quorum Finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.*

Sic S. Iacobus Apostolus cum iam in Hispanias profectus Christo lucrifecisset octo soluminodò aut nouem animas, ambulabat tristis Cæsaraugustæ circa ripam fluminis, deplorans cæcitatem pereuntium & rebellium luci Euangelicæ. Interim apparuit ei B. Virgo adhuc viuens, & constitit in columna quadam Angelicis manibus illuc deportata, consolataque est Apostolum Christi, iubens sibi erigi ibidem oratorium, & significans eam partem Hispaniæ maximè sibi fore devotam, multosque post mortem ipsius fidem suo sanguine rigatam amplexuros fore. Vnde ibi extat adhuc modò Ecclesia ædificata per sanctum Iacobum sub titulo *Nostræ Domina de Columna*. Ita habet Traditio Hispaniarum, de qua grauissimi autores faciunt mentionem.

V. Ribad. & alios in vita S. Iacobi.

Cæterùm quod Christus dicit: *Amen dico vobis, plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit*, concernit non solùm Apostolos, sed etiam pios omnes vsque in finem sæculi. Vnde aduerte duplicem esse hominum sortem. Aliqui enim sunt ex parte Dei, & hi flere solent. Alij sunt ex parte mundi, & hi gaudio vacare sint soliti. Inter filios Dei, qui de schola Christi sunt tamquam veri eius discipuli, non fit mentio nisi de mortificatione, abnegatione, lachrymis, pœnitentia, austeritate, de spinis, clauis, cruce, & crucifixione propriæ voluntatis. Non est hæc materia gaudij, sed doloris. Filij verò mundi non loquuntur nisi de recreatione, lusu, aleis, choreis, conuiuijs, honore, voluptate. Ideò hi cum gaudijs suis censentur reprobi, isti cum fletu sunt electi. Hi rident & *exultant in rebus pessimis*, vt dicit Sapiens: quia non attendunt nisi præsentia, immemores suis, immemores futurorum, immemores iudicij diuini & pœnarum subsequentium. Sed de ipsis tandem verum esse cernitur illud: *Prosperitas stultorum interficiet eos. Noverca virtutis prosperitas, bajulus suis sic applaudit, vt noceat: & infelici successu sic fortunatu obsequitur, vt in fine perniciem operetur. Conuiuia suis ab initio proponat dulcia, vt eiem inebriati fuerint lethale virus misceat.* Mundus itaque gaudet & exultat in rebus pessimis, & cum illo exultant qui mundi sunt: similesque sunt illis, qui forte fumentes exitiales herbarum succos cum risu perire dicuntur. Habent peccatum in corde tamquam lethalem succum, & nihilominus rident, & in sua perditione lætantur. Hic nimium est risus, quem Sardonicum vocamus. Quod si huius nominis rationem exposcis, audi duplicem. Dicit enim Zenodotus, in insula Sardoue moris fuisse, vt filij parentes post annum septuagesimum Saturno sacrificarent, non cum ejulatu, sed cum gaudio & tripudijs. Hi verò, de quibus agimus, non parentes, sed animas suas omnibus parentibus chariores Satanæ sacrificant, cum tripudio & exultatione. Vlterius dicitur in illa insula Sardonæ nasci herbam Apio similem, quę & Sardonæ nomen habet. Hæc verò epota vel comesta membrem adimit, & deductis labris in ridentium morem emori tandem cogit, vt Dios. Vtique quasi hac herba saturati videntur impij, qui cum venenum conceperunt peccati, adhuc rident mortis proximi. Non absimile est, quod refert Strabo Geographiæ in Cambysena aranearum quoddam genus nasci, quod si quem momorderit, ad saltandum impellit, donec veneni vis cor pervadit, & tunc demum occidit. Virulentius est his araneis peccatum, quod cor la mundanorum ita afficit, vt tripudijs indulgeant & gaudijs, donec tandem in bonis ducentes dies suos ad inferna descendunt. Hoc itaque gaudium phreneticorum est, quos plangunt qui sani sunt, dum ipsum risum profusis cernuntur.

Duplex hominũ sors.

Gaudiũ mundi.

Prou. 2.

Prou. 1.

Quis sit risus Sardonicus.

Dioscorides lib. 6.

Lib. 11.

Au non tibi videtur mundus similis aulæ regali Balthasaris? Ibi nihil nisi festiua gaudia, delitiæ, voluptates. Ibi laudabantur Dijaurei & argentei, & in vasis aureis Principes, Optimates, Concubinæ, omnesque inuitati bibebant cum genioli plausu. Interim manus & calamus cœlestis scribebat contra parietem decretum triste, regium caput imperens; Stateraque diuina in pondere sanctuarij expendebat eius peccata & scelera. Calculus infallibilis eius annos numerabat, dies & horas finiebat: & Romphæa bis acuta imminebat nondum animæ & corporis diuisuta ea ipsa nocte, Regnumque eius Medis & Persis in prædam datura. Sic non solùm Regem, sed etiam omnes, qui cum eo genio indulgebant, calamus manusque illa cœlestis concernebat. Ciuitati, Regno, Reipublicæque ruinam minitabatur, dum interim omnes huius rei immemores festino gaudio inter epulas exultabant. Sic planè agitur in hoc mundo. Dum enim homines Principem mundi huius sequuntur, & illius voluntati obsequuntur, aurum & argentum quasi Deos colentes cum exultatione, carnis voluptatibus indulgentes cum libidine, lætitiæ sæculi sese immergentes cum obliuione cœli: tunc calculus Dei eorum numerat annos, dies, & horas: tunc bilaux cœlestis eorum expendit peccata: tunc diuinæ iustitiæ calamus scribit contra eos decretum: tunc diuinæ vindictæ mucro eorum incumbit vertici, & in medijs sceleribus vitam eorum terminat. Sic verum est; *Mundus gaudebit*, sed gaudio infelici, quod in salsum mare æternæ amaritudinis tandem defluit.

Exemplũ Balthasaris Regis.

Dan. 5.

Interim dum mundus gaudet, illi qui de mundo non sunt, solent contristari & dolere super miseria & cæcitate mundi, quia clausis oculis ad iniquum ad æternam infelicitatem prorui-

Lugent

Lugent propter offensam Dei, quod scil. mundus ita abrupto fœno ad omnem sese abijcit impietatem, nec judicium Dei, nec Sanguinem Christi, nec pœnas inferni considerans; ita ut verum

Isaia. 5. sit illud: *Dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum ab, que ullo termino, & descendent fortes eius, & populus eius, & sublimes gloriosiq; eius ad eū. Væ qui consurgitis mane ad sectandam ebrietatem, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis Cythara, & lyra, & tympanum, & vinum in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis.* Flent igitur electi Dei ob tripliceam causam.

Iusti tripliciter de causa lugent.

1. Ob peccata sua.

Primo, quidem, ob peccata sua quibus aliquando divinam ex infirmitate potuerunt offendisse bonitatem. Sciunt quod nihil dignum sit lachrymis nisi peccatum, & ad hunc effectum homini à Deo datas esse. Noverunt earum vim & efficaciam, quod scilicet vel una lacryma ex vera cordis compunctione expressa potens sit omnia obliterare & eluere scelera, in Iudicis conspectum prodire, gratiam referre, infernum ignem extinguere, animam iterum candidam reddere. *O fœlices lachrymæ pœnitentium, quæ in Dei conspectu positæ, quicquid volunt impetrant! O lachryma humilis, tua est potentia, tuum regnum. Tribunal Iudicis non*

De Laur. Iustin in ligno vitæ cap. 9. *vereru accusatoribus silentiũ imponu non est qui te ad Deum accedere vetet, si sola intres, vacua nõ redibis Vincu invincibilem, legas omnipotentem, inclinas filiũ Virginis, cœlum aperis, fugas diabolum.* Noverunt electi, quod flumen oculorum acceptabile sit

8. Augu. lib. confes. cap. 12. 2. Deo sacrificium, ut de suis lachrymis dicebat, ideo illud sæpe Deo offerunt pro peccatis suis.

Secundo, flent ob aliena peccata, quæ per com

Ob aliena peccata. passionem in se transferunt. Zelo enim gloriæ Dei & salutis animarum impulsi dolent animas perire, quas suo sanguine pretiosiores ipsa sapientia iudicavit. Sic lugebat olim Samuel Saulem, cui dicit Dominus: *Vsquequo tu luges Saul,*

1. Reg. 16. *tum ego proiecerim eum?* Sic David Absalonem:

2. Reg. 18. *Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis mihi det ut moriar pro?* Sic Hieremias lugebat peccata populi sui. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte.* Rectè di-

Ierem. 9. cit S. Gregorius Naz. *Proborum virorum lachrymæ peccati sunt diluuium, & mundi piamentum*

Orat. 3. Semper enim habet aliquos Deus qui suam vindicem iram teneant, vel placent, sua & aliorum peccata deflendo quasi Heracliti Christiani.

Sic *S. Dominicus* frequentissimè flebat, dum suo ævo inundantia peccata, & amorem Dei neglectum conculcatumque considerabat. Nec solum lachrymis, sed etiam proprio cruore se singulis noctibus aspergebat ob aliorum peccata, per asperam corporis sui flagellationem. In eius quoque vita legitur de quodam suo Religioso, quòd solitus fuerit ob peccata propria continuas lachrymas dare. Adverteus id *S. Dominicus*, sciensque peccata ei à Deo remissa, præcepit ut à lachrymis temperaret, nec ultra fleret propter peccata propria: indulsit tamen, si flere vellet, ut fleret propter aliena. Mirum dictu. Oculi eius qui velut duo lachrymarum fontes effluere solebant, jam aridi & sicci reperiebantur in recordatione propriorum peccatorum: copiosè autem exundabant in recordatione peccatorum alienorum. Nempè *S. Dominicus* præcipiens huic beato vito abstinere à lachrymis pro culpis proprijs, impetravit ei donum lachrymarum pro culpis alienis, ut iam Domino posset dicere: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam,* inimici scilicet tui. *Psc. 118.*

Sic etiam *B. Iacoponus Ordin. S. Francisci* tanto zelo divinæ gloriæ & salutis animarum incensus erat, ut continuò cor eius liquesceret, & in lachrymas solveretur. Cùm verò hi qui eum iugitei flentem intuebantur causam interrogarent, non aliud respondebat: *Quia amor non amatur.* Non ergo solùm Apostolis, sed his etiam viris sanctis dictum erat à Domino: *Amen, amen dico vobis, plorabitis & flebitis vos. Mũdus gaudebit, vos vero contristabimini.*

Tertio, flent electi propter elongationem suam *3. Obelongationem à Domino* à Domino, scientes in valle lachrymarum se degere. In exilij loco, inter fluctus & ærumnas, in quietudinem & incertitudinem suam lugent. In

Psa. 119. persona eorum dicebat Psaltes: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cũ habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cùm loquebar illis impugnabant me gratis.* Et iterum: *Fuerũt mihi lacryma mea panes die ac nocte dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* In figura etiam eorum di-

Psal. 41. *Psc. 136.* ctur de veris filijs Sion: *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordemur tui Sion, &c.* Omnia hic incerta, omnia fluitantia, omnia impacata in hoc loco Babylonis, sive in loco confusionis, non parum afferunt mœroris his qui ad Deum rendunt & adspirant; his qui suspirant ad locum pacis & securitatis:

Propterea *B. Arnesius* continuis se lachrymis conficiebat; vera *Heralytus* Christianus. Cùm verò causam tot lachrymarum quidem ab eo scisciteretur, respondit: *Quando memini Esau fuisse reprobum de ventre matris, & Iudã è discipulatu & societate Christi excidisse & periisse: Saluatorẽ quoque dicere: Aridam esse ad Cœlum viam: Denique quãdo cõsidero me ignorare, quid cõtinget animã tãdem meã, non possũ à lachrymis temperare; Non possum ad locum securitatis gemendo suspirare.*

Conformiter iam dictis, de electis lachrymas fundentibus, & de causa earum, dicit *S. Greg. mor. l. 13. c. 21.* Quatuor esse considerationes, quibus viri iusti animam compunctione vehementer affi

Causa quadruplex comparationis animæ iusti, ruinis citur. *Prima* est, cùm malorum suorum reminiscitur, considerans, ubi erit. *Secunda* est, cùm iudiciorum Dei sententiam metuens, secum quæ rit & considerat ubi erit. *Tertia* est, cum mala vitæ

præsentis attendens considerat vbi est. *Quarta* est, cum bona supernæ Patriæ contemplans, lugens considerat vbi non est. Hæc omnia mundus non considerat, sed exilium quasi patriam diligit, carcerem existimat quasi libertatem, mortemque putat vitam: & ideò in exilio, in carcere, in vinculis mortis, instar phrenetici, gaudium reperit. Propterea de reprobis dictum: *Mundus gaudebit*; De electis autem: *Vos verò contristabimini.*

PARS III. *De tristitia iustorum in gaudium vertenda.*

COnsolatio quam suis proponere solet Deus, hæc est: *Tristitia vestra vertetur in gaudium, quod nemo tollet à vobis*, nimirum breue esse tempus laboris, afflictionis, tristitiæ; terminum autem illius esse lætitiam numquam finiendam. Sic Prophetæ in antiquo Testamento solebant eximiare & animare electos existentes in angustijs & tribulationibus. Sic etiam Apostoli soliti sunt in nouo, exemplum secuti Domini sui, promissionemque eius renouantes. Si testimonium cupis ex antiquis Prophetis audi Isaiam: *Consolabitur Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius, & ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini. gaudium & lætitia inuenientur in ea, gratiarum actio & vox laudis. Nunc qui redempti sunt à Domino reuertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus.* Obliuioni tradita *sunt angustiæ priores, gaudebitis & exultabitis vsque in sempiternum, & non audietur vltra vox clamoris: ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium.* Si testimonium cupis ex noui Testamenti libris, audi Apostolum: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Momentaneum hoc & leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Audi & S. Petrum: *In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus.* Ecce modicum ecce tristitia, de qua agit Dominus, pro modico tristitiæ promittens gaudium, quod nemo potest tollere; quod ipsum Petrus ex parte Domini sui repromittit. Audi denique S. Ioannem antiquis Prophetis, item & Coapostolis suis Paulo & Petro: ac denique ipsi Christo consonantem, conformiterque loquentem: *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt.* Sic verum est illud:

Nascimur in lachrymis, lachrymis quoque vita madescit,
Et vitam rursum linquimus in lacrymis.
Mors multas hominum lachrymas absterget: at omnes
Omnibus electis ipse Deus lachrymas.

O felices lachrymæ, quas absterget benigna manus Redemptoris, inquit S. Bernardus, & beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt! *Ego, ego consolabor vos*, ait Dominus cum emphasi. O felices lachrymæ, quæ in gemmas conversæ, radiantem coronam conficiunt, cum lætitia sempiterna capiti eorum qui modicum planxerunt imponenda! Adamandæ ergò sunt lachrymæ, amplectenda est afflictio, quæ æternum parere potest gaudium. *Pro æterna requie æternus labor subeundus erat. Æternam felicitatem accepturus, æternas pœnas sustinere deberes: nam etsi mille annorum esset, appende mille annos contra æternitatem, quid appendis cum infinito quantumcumque finitum? Decem millia annorum, decies centena millia, & milliа millium quæ finem habent, cum æternitate comparari non possunt. Paucorum dierum est tota vita hominis: etiamsi læta darentur non miscerentur, quæ plura cerè & longiora sunt quam dura & ideò breuiora & pauciora sunt dura, vt durare possimus. Si ergò per totam vitam suam in laboribus & ærumnis esset homo, in doloribus & in tormentis, in carcere & in plagis, in fame & siti, omnibus diebus, horis omnibus per totam vitam suam, pauci dies sunt tota vita hominis: quo labore transacto veniet regnum æternum, veniet sine fine felicitas, veniet æqualitas Angelorum, veniet hæreditas Christi, veniet cohæres Christus, pro quanto labore quantam mercedem accipimus.* Explicat vlterius Augustinus, & confirmat quod dixit exemplo militum veteranorum, qui pro pauci temporis requie, & quidem incerta tamen tolerare solent. *Veterani, inquit, qui laborant in militia, & versantur inter vulnera tot annos, incipiunt militare à iuuentute, exeunt senes: & vt habeant paucos dies quietos senectutis suæ, quanta dura tolerant, quæ itinera, quæ frigora, quos soles quas sitis, necessitates, quæ vulnera, quæ pericula? Et non attendunt patientes hæc omnia, nisi paucos dies illos quietos senectutis suæ, ad quos vtrum perueniant, nescient. Tu ergò si vis sustinere laborem, attende mercedem, nam & operarius in vinea desice et, nisi attenderet quid accepturus esset. Vilia autem omnia existimabis quæ pateris, si attendas quid accepturus sis: tolerabis dolorem, & accipies lætitiam sempiternam.* Sic ergò verum est de justis: *Breuis tristitia vestra conuertetur in gaudium, quod nemo tollet à vobis.*

Exemplo autem puerperæ suum dictum confirmat Christus: *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem peperit, non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Acris nimirum est & vehemens dolor parturientis, sed non est diuturnus: ordinariè enim per aliquot tantum durat horas. Optaret quidem mulier potiri filio sine illo dolore, sed sciit sententiam condemnationis prolatam; *In dolore paries filios*; ideoque si gaudium cupit de filio, prius dolores sustineat necesse est, quia venit hora eius, tempus sc partus, hora doloris & cruciatus. At postmodum gaudij magnitudo succedens ita superat cruciatum, vt illum non solum mitiget & tollat, sed etiam quodammodo eius memoriam auferat; illudque gaudium non breue est, sicut

S. Auguſt. in Pſ. 36.

Gen. 3. *Quomodo dolores iuſtorum & Eccleſiæ ſint quaſi parturientis.*

sicut dolor fuit, sed diuturnum est, mavimè si filius natus sit, qui speratur parentibus fore auxilio; voluptati gloriæ. Similiter ergo & iusti variis afflictionibus concussi, instar parturientium graves dolores patiuntur. Et quidem optarent partum felicem æternitatis sine tam vehementi afflictione, si ita fieri posset; sed sciunt ita decretum esse à Deo, & hanc esse horam suam quæ præterire non potest fortique animo illam sustinent, scientes brevi finiendam esse fructumque & gaudium maximum inde consecuturum, qui oblivioni daturus est angustias priores. Sic possunt idem dicere quod Ioseph filio suo primogenito imponens nomen *Manasses*, id est oblivio: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum.* Gen. 41.

Non insolitum est in sacris litteris, ut iustorum dolores, & Ecclesiæ totius, comparentur dolori parturientium. Vnde dicunt fideles: *Sicut quæ concipit cum appropinquarit ad partum dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua Domine. Concepimus & quasi parturiuimus & peperimus spiritum salutis.* Isaiæ 26. Apoc. 12. Sic & in Apocal. mentio fit mulieris coronatæ duodecim stellis, sole amictæ, lunamque sub pedibus habentis, quæ in utero habens clamabat parturiens, & cruciabatur ut pareret. Peperit autem filium masculum, qui insidiabatur draco; ille autem raptus est ad Deum & ad thronum ejus. Certè primitivam Ecclesiam rectè designari ibi dixeris cum nonnullis interpretibus, quæ coronata duodecim Apostolis tamquam stellis, & lumine quodam divino vestita, res sublunares, variabiles, & fluxas conculcabat; cuius partus est Christus per Resurrectionem novo quodam modo genitus, & post illam generationem ad Deum Deique thronum per Ascensionem mox raptus. Illum autem cum cruciatu suo & Apostolorum generasse censetur, quia nonnisi magno eorum cum dolore ad Resurrectionem pervenit Christus. Partus etiam ejus est Christus in suis membris, hoc est in primis suis fidelibus, quos Ecclesia primitus magno cruciatu inter persecutiones enixa est, quibus & continuo insidiatus est dæmon Draco antiquus. Nonnulli etiam intelligunt hanc Mulierem, hoc est, Ecclesiam primitivam, ideo dici sole amictã, quia divinitate Christi quasi communita fuerit & protecta, lunam verò sub pedibus habuisse, quia eius humanitate fulcita fuerit, & sustentata, quæ per lunam intelligitur, sicut divinitas per solem. Luna ergo hæc sub pedibus est, non ut conculcetur, sed ut sustenter & fulciat Ecclesiam tamquam basis & fundamentum cui innititur. Proponitur utique, ipsa hic tamquam parturiens ideoque quasi mysticæ lunæ auxilio adjuta. Nam & Gentiles ad lunæ fœcunditatem respicientes, illam in partu implorare solebant; & quasi obstetricem credentes, illam *Iunonem Lucinam*, appellabant. Quia ergo primitivæ Ecclesiæ partus meritis humanitatis Christi fovebatur & invitebatur, ideò fortè inducitur mystica Luna ipsam super se sustinens parturientem, & contactu suo ac virtute adjuvans ut felix sit partus. Et sicut Sol & Luna ad rerum sublunarium & naturalium generationem concurrunt, ita ut nihil videatur producere Sol per se solus, nisi cum luna sociatus, ideo enim & luna dicta est à priscis Romanis, Genetrix orbis: ita & generatio spiritualis non fit solum virtute Solis, sive virtute Divinitatis; sed etiam cõcursu Lunæ, hoc est ex meritis & virtute humanitatis Christi, à qua omnis nostra gratia iustificatio, omnisq; Ecclesiæ partus dependet. Cruciatur ergo ut pariat, in mediis persecutionibus Ecclesia, sed non deseritur, immò verò adjuvatur, ut fœlix sit ejus partus & divinæ tandē cõsors gloriæ. *Allazar in Apoc.*

Iusti, filiæ dolorum sunt.

Non absimilis est Rachaeli ideò in Scriptura nominatæ. Hæc ita in partu doloribus excruciata fuit, ut filium suum, *Benoni*, hoc est, Filium doloris appellandum existimaverit; *Egrediente anima, & imminente iã morte, vocauit nomen filii sui Benoni, hoc est filius doloris mei.* Sed pater vocavit eum *Beniamin*, hoc est, filium dextræ, sive filium roboris & fœlicitatis, quia apud Hebræos dextera symbolum est fortitudinis & fœlicitatis. Sic nimirum & Ecclesia mitos sustinuit cruciatus, in mediis persecutionibus primos suos edens partus; ita ut meritò filios suos nominandos censuerit sicut Rachel *Benoni*, hoc est filios doloris. sed Pater cælestis eis hoc nomen cõmutari mox voluit, & *Beniaminos* vocavit hoc est filios dexteræ & gaudii. Hoc significat Christus Dominus Apostolis suis, in illis Ecclesiam suam instruens: *Vos contristabimini, sed tristitia vestra conuertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiã habet, cum autẽ peperit iam non meminit prẽssuræ propter gaudium. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Gen. 35.

Gaudium porro istud quod hic Dominus promittit inchoatur in hac vita, completur autem in æterna & beata vitæ. Gaudium quod iusti in hac vita habent, consistit in conscientiæ securitate & pace, vocaturque ab Apostolo *Gaudium & Pax in spiritu sancto.* Est autem gaudium illud solidum, & situm intus in corde, potens dulcorare amaritudinem tribularionis omnis, qua homo exterius affligitur in corpore. Illud gaudium nemo potest tollere à nobis, nisi ipsi nos illud deserere voluerimus per peccatum. est enim gaudium interum & verum à veritate, de veritate, in in veritate; à Deo veniens, in Deo consistens, in Deum tendens, in quo solo solidum est gaudium, extra quem omne gaudium est stolidum. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo. Non est foris quærenda lætitia, sed intus ubi signatum est lumen Dei super nos, in interiore homine,* Lætitiam quærunt omnes, pauci inveniunt, quia non ibi est, ubi quærunt, Avari in divitijs, superbi in honoribus & gloria sæculi, sensuales in de-

Inotim gaudii in. storum.

S. Augus. Psal. 4.

in deliciis, illud minimè inveniunt, quia in nullo istorum versatur verum gaudium. Vbi ergo illud? In corde recto. Audi & ipsum Senecam, qui & hoc vidit saltem per umbram, dum ad Lucilium sic scribit: *Nolo tibi tanquam deesse lætitiam, volo illam tibi domi nasci: nascetur, si modo intra te ipsum sit. Cætera hilaritates non implent pectus, sed frontem rerum: ut sunt: leves, suntinisi tu fortè iudicas, illum gaudere qui ridet: animus debet esse alacer, & fidēs, & super omnia erectus.* Gaudium quod in istis exterioribus honoribus, opibus, voluptate consistit, non consistit, sed facilè effluit: facilè tollitur à nobis, quia & illa effluunt: facilè tolluntur à nobis. Sed neque purum est gaudium quod ex illis elicere potest mundus; est enim fæce mixtum imò & felle, amaritudine scilicet peccati, conscientiæ remorsu, mentis inquietudine & sollicitudine, mortis timore, amaro fine. Surgant omnes homines totius mundi, & edicant nobis, an verè repererint in hac vita iustitiam sine iniustitia, suavitatem sine amaritudine, quietem sine timore, voluptatem sine morsu, prosperitatem sine aliqua infelicitate & adversitate; Si verum dicere voluerint, nullæ eis rosæ sine spinis, nullum mel sine mixtione amaritudinis, nullum vinum sine turbulentia fœcis. Quod si id modò non advertunt ob infectum palatum, serò tandem agnoscent; & fateri cogentur seriò

Eccl. 1. c. 2. Hoc agnoscit tandem Salomon post omnigenas voluptates, & inclamare cogitur: *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas & afflictio spiritus. Risū reputaui errorem, & gaudio dixi: Cur frustra deciperis?* Nempe sæculum hoc cum sua lætitia, hedera Ionæ est cum sua umbra: hominem decipit, dum cirò decidit, rodente verme, vento ustulante Sæculum hoc cum sua lætitia frutex est cum flore vanitatis, qui mane efflorescit, vespere arescit:

Isaiæ. 28. *Væ flori decidenti, væ coronæ quæ conculcatur, sicut temporaneum ante maturitatem autumni.* Sæculū hoc cum sua lætitia fluvius est, & Tygris nominari, hoc est potest *Læta velocitas*, aut *Velox Lætitia*. Transeunt eius fluctus, manet luctus. Aquæ eius ad tempus suaves sunt, sed postmodum amaræ sunt. Insipiens est, & gustu carens qui potest eas amare.

Soli iusti verum gaudium habent. Itaque, hi solum gaudiū habent solidum, quod nemo tollere potest ab illis, qui recti sunt corde, quia per puritatem cordis sicut Christus in eis habitet, & pax in spiritu sancto, sicque Deum

Psal. 72. vident intus, & videntur ab eo, & in hoc con-

Psal. 96. sistit lætitia vera. Vnde Propheta: *Quàm bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!* Et iterum. *Rectis corde lætitia.* Vbi cor rectum, ibi gaudium correctum, hoc est purum ab omni fæce, tersum ab omni sorde. Nec adversitas ingruens tribulationis aut persecutionis illud tollere valet, nec timor ullus. Hac de re sic quandoque lusimus.

Viue Deo lætus, poterit contemnere lethum.
Rectus viue Deo, tunc quoque lætus eris.
Conscia mens recti læta est: Habet undiq; scutum.
Cumq; solo premitur, cum premitur que salo.
Mens rectis erecta manet, licet acta procellis;
Nulla animos frangit, nulla ruina ferit.
Sed velut alijs Mons fluctus ridet & undas:
Sic stat & in mediis Mens bene firma malis.
Rectis corde Deus lux est, Spes, Gloria, Virtus,
Vita & amor cordis. Plus petis? Omne bonum.
Rectis corde Deus bonus est, est ultima Merces.
Sic opto ut possis viuere, sicque mori.

Concludo igitur cum Apostolo Iacobo, & dico: *Omne gaudium existimate fratres, cùm in varias tē-* *Iacob. 1.*
tationes incideritis, sive in varias tribulationes & afflictiones. Foris si urgeat calamitas, intus non extinguat illa gaudium; non gaudium huius sæculi, sed gaudium & spem in Deo. Tribulatio enim avellit ab hoc sæculo, eiusque amore illecebris, *facitque ne vitam pro Patria diligamus*, ut loquitur S. Gregorius, ideoque gaudio debet esse coniuncta. Signum est filiationis & prædestinationis Dei, Christoque Dei Filio nos assimilat, ideoque à Filijs Dei est fortiter amplectenda, & generosè ferenda. Denique illa modica est, & modico durat tempore, æternitatem autem parit gloriæ; ergo non est repudianda. *In illa exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.* Si exultant Terrigenæ in flore vanitatis, exultate vos ô Cœliginæ in spe Æternitatis. Si exultant illi in fulgente purpura & byssо, exultate vos in Deo veri gaudij abyssо. Si exultant illi in opibus & bonis, exultate vos in operibus bonis. Si exultant illi in flagitijs & vitijs, exultate vos in Domino, & veris eius divitijs. Tandem repudiato mundi gaudio, ad æternum illud pertingeris gaudium, de quo hic Dominus: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Da Domine, ut *Modicum*, de quo loqueris, non ignoremus, modicumque vanitatis, voluptatis, honoris, concupiscentiæ labentis contemnamus propter Te, propter tuam Veritatem & Æternitatem, ad quam adspiramus. Fac & Modicum temporis quod dedisti nobis, non nobis, sed procurandæ gloriæ tuæ impendamus, & illud quandoque in luctu, propter peccata nostra, propter peccata aliena, propter miseriam, exilium, & fluctus quos patimur in Babylone transigamus. Da denique ut repudiatâ sæculi lætitiâ, in vero & solido conscientiæ gaudio tibi serviamus, donec ad perennans illud gaudium pertingamus, in quo facie ad faciem videbimus te, amabimus te, laudabimus te, gaudebimus de te, & gaudium nostrum nemo tollet à nobis.

DOMINICA IV. POST PASCHA. Lect. 8. tripartita.

Expedit vobis ut ego vadam, si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Ioan. 16.

TEmpus afflictionis, cùm adversa nobis imminent, tempus est quo maximè egemus PARS I. *Quomodo* consо-

Christus abiens tristitiã suorum leniuit.

consolatione ex doctrina diuina & verbo cœlesti: habet enim verbum Dei magnam efficaciam ad nos præmuniendos & confirmandos contra omnia aduersa, melque suppeditat quo dulcoratur aut tolerabilis fit afflictio. Farinula est Prophetæ, quo cibus, qui alias videtur mottiser, suauis redditur. Ideò Christus Dominus tempore instantis passionis diuinum sermonem suis ministrat discipulis, quo confirmet eos contra violentiam imminentis tempestatis, & quo consoletur eos contra tristitiæ granedinem eorum corda iam deprimentem & amaricantem. Huius diuini sermonis pars hoc in Euangelio proponitur ad nostram institutionem.

Cum itaque prædixisset suis Christus eos è synagogis eijciendos, immò & horam venire in qua qui eos interficerent, existimarent se obsequium præstare Deo, addit: *Hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora eorum reminiscamini quia dixi vobis.*

Ioann. 13. *Et nunc vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quò vadis?* Interrogauerat id Petrus apertissimis verbis dicens: *Domine quò vadis?* & responsum acceperat: *Quò ego vado non potes me modò sequi, sequêris autem postea.* Quasi dicat Dominus: Nunc non habes eam animi firmitatem, vt pro me mori possis: veniente autem Spiritu te confirmante postmodum id poteris. Deinde non potes me modò sequi, quia nondum venit hora tua, oportet autem prius perficí ea, quæ Deus per te perficienda decreuit, vt scilicet Euangelio promulgando incumbas, & Ecclesiæ claues teneas, clauumque regas. Postea autem sequêris per mortem similem meæ, cùm *alius cinget te, & tu extendes manus tuas.* Interrogauerat quoque Thomas, quia Domino

Ioan. 14. dicente: *Quò ego vado scitis, & viam scitis*, dixerat ipse, *Domine nescimus quò vadis, & quomodò possumus viam scire?* Quasi diceret discipulis Dominus: Intelligitis, vel certè intelligere deberetis: ex ijs quæ nunc & sæpè alias ex me audistis, quò ego vadam. Immò & viam scitis, quia illuc, quò iturus sum, vos me suo tempore sequemini per mortem. Sed mœror & obliuio faciebat, vt discipuli plenè non intelligerent, ideò subdit Thomas: *Domine nescimus quò vadis, & quomodò possumus viam scire?* Tunc verò responsum accepit à Domino: *Ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me.* Quasi diceret: Ego sum illa via, de qua quæritis, & mihi quidem sum via ad Patrem, quia non per aliena merita, sed per proprium sanguinem introibo in sancta: vobis autem & alijs sum via ad Patrem per doctrinam & exemplum, maximè autem per Passionis & mortis meæ meritum, qui ad Patrem per me accessum habetis. Ego sum etiam veritas & vita, hoc est, vera via vitæ, quia nemo nisi per me ad vitam pervenit, & ad visionem Patris.

Sed quandoquidem Petrus ita apertè interrogauerat: *Domine quò vadis*, similiter & Thomas, cui Dominus hic dicit: *Ego vado ad Patrem, & nemo interrogat me quò vadis?* Respondeo non velle significare Dominum, quòd nemo eum interrogaret quò iret, quandoquidem id fecissent: sed quòd iam mœrore impediti non pergerent interrogare, vt ea, quæ plenè intellexerant, perfectiùs assequerentur, quo scilicet iret, quo consilio, qua causa, quo fructu, quod negotium peracturus, quando rediturus, & similia quæ solent amici ab amicis discedentibus percontari. Est ergò quædam tacita Discipulorum reprehensio. Quasi diceret Dominus: Iam cœperatis me interrogare, nunc autem cùm semel de vestra persecutione locutus sum, quòd me abeunte mundus vos tamquam peripsema eijciet, tamquam hostem persequetur, tanquam delectabiles & innoxios internecioni deuouebit, consternati estis animis, & nemo vtcumque me interrogat, sed tristitia cùm pusillanimitate impleuit cor vestrum, quam excutere deberetis, si in me & Patre meo consideretis, si etiam discessus mei fructum consideraretis. *In Deo confidens voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet lætitiæ fontem, vt sicut in mare incidens scintilla facilè deleatur, sic quantacumque Deum timenti, & in eo confidenti illudantur, velut in vastum lætitia pelagus incidentia extinguuntur atque perduntur.* Idem in homilia: *Nemo læditur nisi à seipso: Ferrum rubigo edit, lanam tinea, ouium greges lupus, vinum acetum permixtio, lolium segetes, grando vineam; sed hominem nec morbus, nec exilium, nec mors, nec iniuria, nec vulnus, sed solum peccatum ledit, sola animi vel impatientia, vel cupiditas, vel malevolentia.*

S. Chrys. hom. 18. de pœn.

Interim vt hanc discipulorum suorum tristitiam leniret Dominus, fructum sui discessus illis exponit, & cum paterno affectu dicit: *Expedit vobis vt ego vadam.* Quasi diceret: Non ideò discedo quod me tædeat vobiscum commorari: immò vestra vtilitas me cogit abire. *Expedit* vobis vt patiar: sic enim satisfaciam pro peccato vestro. *Expedit* vobis immoriar, sic enim mors vestra abolebitur. *Expedit* vobis vt sanguinem fundam, sic enim Patrem vobis repropitiabo. *Expedit* vobis vt ad Patrem redeam, sic enim assistam vultui Dei pro vobis. *Expedit* vobis vt Spiritum vobis impertiam, alioquin iterum excident quæ dixi vobis. Expedit vobis vt cœlum ascendam: sic enim viam aperiam quâ sequi potestis. Verè hæc erat hora quam desiderare debebant Apostoli & Discipuli Domini, quia etiam cœli & omnis creatura illam quodammodo desiderare videbatur, vt scilicet post opus nostræ salutis adimpletum ipse ad Patrem rediret, post tam longam peregrinationem paternam domum repeteret, post tantam humiliationem intraret in gloriam suam è mundo transiens ad gloriam Patris, vt etiam ibidem nobis locum præpararet. Hoc est quod dicit: *Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Quasi dicat: iam circulus meus absolutus est, iam peregrinationis cursus completus, opus consummaui quod mihi Pater dedit:

Fructus discessus Christi.

Fructus in Ioan.

dedit: tempus est revertar ad eum qui misit me, vt & illius promissa in me compleantur & in vobis: & hoc igitur expedit vobis, ideoque tristitiam lenire ex eo capite debetis.

Exempla Sanctorū in morte suâ suos consolantium.

Sic & Viri sancti Christum Dominum imitati, ex hoc mundo evocati discipulos suos & filios spirituales consolabantur, exponendo fructuosum etiam eis fore discessum, quod ad Patrem reverterentur negotium salutis eorum haud oblivioni tradituri.

Sic S. Petrus fidelibus scribit: *Certus sum quod velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster IESVS Christus significauit mihi. Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Quasi dicat: Ecce iam brevi ad mortem vado, vt crucifigar, & ex hoc tabernaculo corporis, militiæ iam completo cursu, evoler anima mea ad domum non manufactam æternam in cœlis. Interim singulorum vestrum, quasi ouium mearum per singulos dies curam geram, non solùm in vita, sed etiam post mortem. Habenque vos in mente & memoria mea, apud Deum pro vobis orabo, vestræque salutis negotium agam, obsecrans vt horum monitorum memoriam vobis tefricet. Sic prodesit vobis non solùm commonitio mea in vita ad solatium & stimulum; sed & mors vobis proderit ad exemplum, & oratio mea post mortem ad gratiam impetrandam, vt deducatis monita mea ad effectum.

S. Barlaam Damascenus in Barlaam & Ioasaphat c. 30.

Sic Barlaam moriturus Ioasaphat Regem, quem in eremum duxerat, & in vita spirituali instituerat, his verbis alloquitur, & subtristem consolatur: *Nunc fili, quandoquidem meæ tempus instat, atque collectanea & mihi æqualia eaque dispersa quæ vt cum Christo essem, semper me tenuit, iam expletur, tu quidem corpus meum terræ conde pulvereque puluerem redde. Post hoc autem ipse in hoc loco hære, susceptum spirituale vitæ genus persequens, meaque tenuitatis memoriam retinens. Tu verò fili, neque laborem metuas, neque ad temporis longitudinem, & insidias dæmonis elanguescas, sed semper ea, quæ à tergo sunt, obliuiscens, atque ad ea quæ à fronte sunt, teipsum extendens, ad destinatum persequere bravium supernæ vocationis Dei in Christo IESV.* Non absimiliter S. Antonius dicebat iam moriturus suis discipulis: *Ego quidem filioli, secundùm elogia Scripturarum Patrum gradior viam, iam enim Dominus me invitat, iam cupio videre cœlestia. Sed vos ô viscera mea admonec, ne tanti temporis laborem repentè perdatis, sed cœptæ voluntatis fortitudo succrescat.* An non hi tibi videntur cum Christo Domino dicere: *Vado ad eum qui misit me.* Item: *Tempus est vt revertar ad Patrem.*

S. Athan. in vita Antonij.

Sic denique S. Dominicus cum se morti appropinquare sentiret, convocatis fratribus suæ disciplinæ alumnis dixit: *O fratres & filij mei, ego semper corde & animo vos gessi, ac in perpetuum geram. Non ergò contristemini si à vobis iam discedo; quia nihil optabilius potest contingere illi, qui mundum relinquit vt Deo seruiat, quàm per mortem illum perfectè deserere, & ad Patrem ire. Deserenda est hæc vita, vt securior feliciorque succedat.* Cùm verò copiosis lachrymis ipsi dolorem de Parentis sui amantissimi discessu testarentur, iterum est ipsos consolatus asserens se eis longè vtiliorem fore post mortem, quam in vita hactenus fuerat. Sic ergò paterno eos affectu Deo commendans vale dixit, & paulò post hoc sæculo ad Patrem discessit, ad illum scilicet à quo missus fuerat.

PARS II.
Cur non nisi post discessum Christi Spir. Sanctus venturus.

CÆterum, vt ostendat Christus quàm optare debeant suum ex hac mortali vita discessum, addit: *Si non abiero, Paraclytus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Absque dubio Apostoli ante Christi mortem participes fuêre Spiritus sancti, quandoquidem baptizati fuerint, & remissionem peccatorum acceperint, immò & corpori Christi communicarint, quæ omnia sine Spiritus sancti gratia non consistunt. Adde quòd in cœna acceperint potestatem consecrandi, cùm eis dixit Dominus: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ac deinde post resurrectionem cùm eos perfectè Sacerdotes constitueret Dominus, dans eis potestatem remittendi peccata, insufflauit in eos, & dixit: *Accipite Spiritum sanctum.* Cur igitur Dominus hic dicit Spiritum sanctum non venturum, si ipse non abierit? Hoc nimirum intelligendum est, quod Spiritus Paraclitus non veniet in visibilibus illis signis, & in illa plenitudine, quæ data est eis in die Pentecostes, cum sono advenientis Spiritus vehementis; quando scilicet Spiritum sanctum acceperunt non solùm in remissionem peccatorum suorum, aut etiam vt per illum alijs peccata remittendi potestatem acciperent; sed etiam plenissima Spiritus sancti virtute induti sunt ex alto ad Evangelium Gentibus prædicandum, ad operationem virtutum, ad gratiam sanitatum, ad genera linguarum, ad dona omnium miraculorum. De hac plenitudine dictum erat: *Nondum erat Spiritus datus, quia IESVS nondum erat glorificatus.* Antea ergò dabatur Spiritus sanctus, sed paucis, & invisibiliter, & ad paucos effectus. Postquam autem Christus glorificatus fuit, tum per Mortem, tum per Resurrectionem, tunc per Ascensionem gloriosam, omni hominum generi datus fuit, & visibiliter descendit, & ad omne genus miraculorum super Apostolos & fideles illum effudit in plenitudine Dominus, prout etiam Propheta Joel prædixerat: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ.*

Ioan. 7.

Ioël. 2.

Sed cur Christo præsente non congruebat Spiritum sanctum descendere, ita vt dicat Dominus, *si non abiero, Paraclytus non veniet ad vos?* Triplex fere potest ex sanctis Patribus deduci.

S. Spiritus missio debuit differri.

Prima est, quam adfert Euthymius, quia Trinitatis decretum erat, vt tres personæ quasi successiue saluti nostræ speciali ratione cooperarentur:

Pater

Pater mittendo Filium, & per illum nos ad se trahendo: *Filius* docendo, patiendo, redimendo: *Spiritus sanctus* consolando, illuminando, perficiendo Sic magnum opus erat ipsa hominum salus, cui *Pater* potentiam suam impendere voluit; *Filius* sapientiam, vitam, sanguinem; *Spiritus sanctus* virtutem etiam suam & omnia dona. O magna divinitas hominis, ad cuius creationem tota Trinitas concurrere voluit quadam consilij præeunte sententiâ *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram!* O magna dignitas hominis, ad cujus refectionem & perfectionem ipsa eadem Trinitas specialissimè voluit se impendere! O magna dilectio Patris, qui sic dilexit mundum, ut non solum filium suum unigenitum daret, filium suus & cordis sui; sed etiam postmodum Spiritum sanctum suum mitteret, ipsum Amorem suum & Deum amoris! Quid aliud quam totum amorem rependere amori tanto deberemus?

Secunda ratio, cur differri debebat hæc Spiritus missio usque post Passionem & Resurrectionem, & Ascensionem Christi, fuit quia Spiritus eximia ista plenitudo non nisi reconciliatis per Christi Passionem danda erat. Sanguinis jam lavacro purgatis conveniebat talis donorum cœlestium perfectio. Nec tantâ gratiâ membra Christi adornanda erant, nisi jam capite glorificato. Hoc ergo est quod dictum est: *Spiritus nondum erat datus, quia* IESUS *nondum erat glorificatus.* Ipse debebat sedens ad dexteram Patris Spiritum sanctum cum Patre mittere, ut sciretur procedere ab utroque. Ipse debebat ascendens Patri vulnera & pretium perfolutum redemptionis offerre, ut jam efficacissimè posset Patrem rogare, nec ille alium Paracletum posset denegare, prout dixerat: *Ego rogabo Patrem, & alium*
Ioan. 14. *Paraclitum dabit vobis.* Denique ipse debebat coram Patre primitias terræ inferre, & quasi iiba quædam humanæ naturæ in Ascensione exhibere, ut terra dante fructum suum, iam cœli etiam non negarent suum, dona scil. illa Spiritus sancti copiosissima, pretiosissima.

4. Reg. 2. In figura huius rei Eliæus licet diu conversatus cum Magistro suo Elia, nunquam tamen petiit spiritum duplicem, nisi cum jam scivit illum debere in cœlum conscendere. Sic similiter & Apostoli non erant spiritum illum plenitudinis accepturi præsente Magistro suo, sed illum è cœlo post ascensum dimissurus erat cum pallio.

3. Reg. 18. Item, non debuit pluvia descendere super aream terram, ob clausam jam triennio cœlum tempore Eliæ, nisi prius puer Eliæ circa mare respiciens vidisset nubeculam parvam, quasi vestigium hominis, ascendentem de mari, quam secuta est nubes, ventus, & pluvia grandis. Hæc nempè nubecula habens vestigium quasi hominis, ascendens de mari Christum designabat de mari huius sæculi ascendentem, & mox Spiritus Sancti gratiam copiosissimè effundentem. Non erant distillaturi cæli pluviam illam voluntariam, quam segregavit Deus hæreditati suæ nisi *à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel.* Psal. 67

Tertiam rationem affert S. Augustinus, quia Apostoli nimium inhærebant corporali præsentiæ Christi, & ipsum diligebant more & amore nimis humano. Conveniebat ergo ut eis subtraheretur ipsius præsentia corporalis, & sic magis idonei fierent & capaces plenitudinis Spiritus sancti, amore illo terreno & corpore transeunte in amorem plane spiritualem. Illo enim absente jam non ita humanitati inhærent ut prius, sed ad divinitatem eius considerandam transeunt: nec jam ampliùs regnum aliquod temporale sperant, sicut sperabant filij Zebedæi, & duo illi euntes in Emaus, sed agnoscunt fore spirituale, hic per gratiam, postmodum per gloriam. Vnde S. Leo serm. de Ascens. sic loquitur: *Beati Apostoli tantum de Ascensione Domini profecerunt, ut quicquid illis intulerat metum, verteretur in gaudium. Totam enim contemplationem animi in diuinitatem ad Patris dexteram confidentis erexerant, nec iam corporea visionis tarcabantur obiectu, quo minus in id acies mentis intenderent, quod nec à Patre descendendo abfuerat, nec à discipulis ascendendo discesserat. Tunc Filius hominis Dei Filius excellentius sacratiùs, innotuit, cum in paterna Maiestatis gloriam se recipit, & ineffabili modo cœpit diuinitate esse præsentior, qui factus est humanitate longinquior* hæc S. Leo. Propter hoc igitur etiam expediebat Christum suam subtrahere præsentiam, ut dum non amplius à discipulis tangitur manu carnis perfectius ab eis tangi posset manu mentis, possentque dicere cum Apostolo: *Itaque ex hoc nos neminem cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc tam nō nouimus.* Quasi dicat: Si aliquando Christo adhæsimus secundum carnalem & humanū affectum, quomodo amicus amico adhæret; sed jam non ita, quia affectus humanus & corporalis in divinum & spiritualem plane est commotus. Hoc ipsum putat S. Leo Christum voluisse significare, commutandum scilicet corporalem illum affectum in spiritualem, dum Magdalenæ ad se accedenti dixit: *Noli me tangere.* Dicit enim eam gessisse typum Ecclesiæ, quæ jam non amplius contactu corporali ad Christum arat perventura, sed contactu spirituali, per fidem scilicet perfectam. Audi verba S. Leonis: *Post Ascensionem ad æqualem Patri Filium cœpit eruditor fides gressumentis accedere & contrectatione in Christo corporeæ substantiæ, qua Patre minor est, non egere: quoniam glorificati corporis manente natura, eò fides credentium vocabatur, ubi non carnali manu, sed spirituali intellectu par generatori unigenitus tãgeretur.* Addit postmodū de Magdalena à Christi contactu repulsa: *Hinc post resurrectionem Magdalenæ personam Ecclesiæ gerenti dicit; Noli me tangere, nondū ascendi ad Patrem: hoc est, Nolo ut ad me corporaliter venias & sensu carnis agnoscas: ad sublimiora te differo, maiora tibi paraparo: cùm ad Patrem ascendero, tum me perfectius veriusque palpabis, apprehensa.* Matt. 28. Luc. 24. 2. Cor.

henſura quod non tangis, & creditura quod non cernis.

Affectus Apoſt. in præſentiâ Chriſti non fuit illicitus ſed imperfectus.

Hic porrò adverte cum SS Patribus, quod licet affectus ille quem Apoſtoli habebant erga Chriſtum & eius præſentiam non fuerit illicitus, quia tamen imperfectus erat, cum eo non ita ſe compatiebatur plenus Spiritus ſancti aduentus; totum enim conatum voluntatis in Deum quadam tatione retardabat. Ex quo colligunt iidem SS. Patres, eos qui Spiritus ſancti perfectum in corde ſuo habitaculum cupiunt præparare, omni ſe terrenarum rerum affectu debere exuere. Non compatiuntur ſe terrena conſolatio & cœleſtis, farina Ægypti Manna, balſamum ſpiritus & ſpurius mundi liquor, amor Dei & amor ſæculi. Stet oleum neceſſe eſt, ubi vaſa vacua deſunt; vaſa autem cordis noſtri vacua non ſunt, ubi illis ſe ingerit, & illa præoccupat amor mundi: Ergo neceſſe eſt, ut tunc ſtet oleum Spiritus ſancti. *Præoccupatum terrenis deſideriis animum delectatio ſancta deſtruat; nec miſceri poſſunt vera vanis, æterna caducis, ſpiritualia corporalibus. ſumma imis, ut pariter ſapias quæ ſurſum ſunt, & qua ſuper terram*, inquit S. Bernardus Hinc nonnullum quod pauci Spiritus divini ſuavitatem & conſolationes experiantur, de quibus ſaris in litteris audiunt fieri mentionem; nempe id ideo contingit, quia pauci corpurum habent ab humana & terrena affectione: lacti adhuc adhærent & uberibus, cupiditati honoris, vel commodi terreni, commoditatibus corporis in cibo, potu, vel aliis ſolatiis terrenis. Attamen dicit Propheta: *Quem docebit Dominus ſcientiam, & quæ intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte avulſos ab uberibus.* Quaſi dicat: Deus ſolet docere veram ſapientiam, eos qui avulſi ab imperfecta & carnali vita, quaſi à dilectis puerilibus, velut iam viri effecti, capaces ſunt ſolidi cibi, ſuper naturalis ſcientiæ & ſapientiæ, gratiæque divinæ, parati propter illam ſuſtinere tribulationem & tribulationem, amore ſolido & forti. Elegantèr hoc amplificat S. Bernardus exemplo Apoſtolorum ex hoc Evangelio his verbis: Beati ſiquidem oculi qui videbunt Dominum Majeſtatis in carne præſentem, auctorem univerſitatis inter homines converſantem, virtutibus coruſcantem, infirmos curantem, mortuos ſuſcitantem, dæmoniis imperantem, & poteſtatem ſimilem hominibus, conferentem; mitem & humilem corde, benignum, affabilem, miſericordiæ viſceribus affluentem. Agnum Dei peccatum non habentem, & omnium peccata portantem. Beatæ aures quæ verba vitæ ab ipſius incarnati Verbi ore percipere merebantur, quibus enarrabat Unigenitus qui eſt in ſinu Patris, & nota faciebat quæcumque audiſſet à Patre, ut fluenta doctrinæ cœleſtis ab ipſius veritatis puriſſimo fonte haurirent, univerſis poſtmodum gentibus propinanda, imò cruentanda. Quid mirum fratres, ſi implebat triſtitia corda eorum, cum ab eis ſe propinquare iturum, & adderet: *Quo ego vado, vos non poteſtis venire modo.* Quidni contuerentur viſcera, turbaretur affectus, hæſitaret animus, hæreret vultus, paveret auditus, nec omninò æquanimiter diſceſſionis eius ſermo poſſet admitti, ut relinqueret eos pro quo omnia reliquiſſent? Sed conſolatur eos benigniſſimus Magiſter: *Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus nò veniet ad vos.* Grande myſterium fratres. Quid enim ſibi vult; *Niſi abiero Paraclitus nò veniet*, Itane inviſa Paraclito præſentia Chriſti? An conturbernium Dominicæ carnis ſpiritus S. horrebat, quæ nec concipi quidem niſi eo ſuperveniente potuit? Quid eſt ergo, *Niſi abiero, Paraclitus non veniet?* Niſi carnis ſubſtantia veſtris ſubtrahatur aſpectibus, ſpiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus. Quid vobis videtur fratres? Si illa ita ſunt, quis de cætero audeat illecebris deditus, ſectans lenocinia carnis ſuæ, carnis utique peccatricis, genitæ in peccatis, aſſuetæ peccatis, illum pariter exſpectare Paraclitum? Audeat ne, inquam, qui huic ſemper ſterquilinio inhæret, qui carnem fovet, in carne ſeminat, carnem ſapit, illam ſupernæ viſitationis conſolationem, illam ſperate gratiam Spiritus vehementis, quam ne cum ipſa quidem verbi carne Apoſtoli percipere potuerunt. Hactenus Bernardus diſertè & clarè ad noſtram inſtructionem & correctionem, qui non ſolum amorem carnis & mundi honeſtum, ſed etiam quando-que amorem immundum ſectamur, & in carne & ſanguine volutamur, & tamen Spiritum ſanctum participare velle videmur.

Terrenæ deſerenda ut Spiritum ſanctum accipiamus.

Effundamus porrò, & à nobis ejiciamus amorem huius ſæculi, ſi capaces eſſe volumus perfecti amoris Dei. Evacuemus corda noſtra, neſteroleum gratiæ quod amat vaſa vacua ſicut oleum Prophetæ. Quantò magis vacui erimus ab imperfecto amore, tantò certius accipiemus Spiritum in plenitudine. Non foveamus carnem, ſi hunc Spiritum optamus participare; non inhiemus terrenis, ſi cœleſtia donа volumus exſpectare. Ablactemur à lacte, avellamur ab uberibus, ſi ſolidi cibi capaces volumus eſſe, & Diſcipuli veræ & æternæ Sapientiæ. Sed heu! parum hæc intelligimus, quia ſumus animales, ſenſuales, carnales, mundani, terreni, & ideo ſumus inſipientes & inſipidi. Naturæ dictum & amorem ſequimur, ideo Spiritus ductum vix poſſumus ſequi, aut eius amore inflammari. Nec intelligere volumus clamantem Apoſtolum: *Fratres debitores ſumus carni, non ut ſecundum carnem vivamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritus facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.*

Rom. 8.

Concluſio.

Excute, obſecro Domine Jeſu, à nobis ſpiritum mundi prudentiam carnis, affectum terræ, ut corde evacuato à vanitate accipiamus Spiritum veritatis, Spiritum gratiæ, Spiritum vitæ, & agnoſcamus vera filij Dei, non ſecundum carnem ambulantes, ſed Spiritus tui ductum ſequentes, tibique ſoli placere:

placere optantes. Excute etiam spiritum tristitiæ, qui mentem obnubilat dum corda implet. Fac vt inter mundi huius quælibet aduersa fortiter & alacriter tibi seruiamus: donec mortalia corpora nostra viuifices propter inhabitantem spiritum tuum in nobis, quando te cum Patre & Spiritu sancto agnoscimus auctorem vitæ & salutis.

Lect 9. tripartita.

EADEM DOMINICA.

Cum venerit, ille arguet mundum de peccato, de iustitia & de iudicio. Ioan. 16.

Pars I. Quomodo Spir. S. arguet mundum de peccato.

PRimum officium Spiritus sancti est, arguere mundum de peccato, hoc est reprehendere amatores peruersos mundi, qui terram & visibilis huius mundi illecebras cœlo & cœlestibus præferunt, illosque conuincere peccati, & arguere cæcitatis quod statum damnabilem in quo agunt non videant. Vtique hi non solent seipsos agnoscere, nec seipsos iudicare & arguere; immò nonnunquam via ipsorum videtur eis recta, cum nouissima ducant ad mortem. Cum ergò se non corripiant, Spiritus sanctus eos corripit, & conuincit de perversitate & errore, vt ad viam veritatis & salutis reuertantur. Suadet meliora, & quandoque efficacissimè persuadet: vt non valeant resistere Spiritui sancto interius eis loquenti & conuincenti. Et certè arguere de peccato conuenit Spiritui sancto, quia cum illi conueniat & approprietur bonitas (sicut *Filio* sapientia. *Patri* omnipotentia) peccatum, quod diuinæ bonitati planè est aduersum, maximè *Spiritui sancto* aduersari censetur. Ideò etiam

Isai. 63. Ephes 4. scris in litteris specialiter Spiritum sanctum contristare dicuntur peccatores, iuxta illud: *Ipsi ad iram eundiam prouocauerunt eum, & afflixerunt Spiritum sanctum eius* Ita legunt Græca, vbi nos habemus: *Spiritum sancti eius*, Item: *Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis in die redemptionis.* In Spiritum quidem sanctum non cadit tristitia quantum tamen in se est, peccator censetur illum contristare, dum aduersatur eius sanctificationi & bonitati, & cogit eum retrahere gratiam suam animam lætificantem; sic se gerit, quasi hospitem expellerer offensum & subtristem ex iucundo suo habitaculo, ita vt cogatur amorem vertere in odium & amaritudinem

Varij autem sunt modi quibus solet Spiritus sanctus mundi amatores arguere de peccato.

1 Spir S. per cõscientiæ remorsum mundum arguit. *Primus* est per conscientiæ remorsus, quibus animum lancinat & pungit, vt postmodum sua gratia vngat, si peccator vicus suum agnoscat; post punctionem enim vuctionem non denegat, si cor aperiatur per compunctionem. Pulsat ipse per hos conscientiæ remorsus ad ostium cordis, quod si quis hos non sentit, sciat quod Spiritus sanctus eum omni ex parte deseruerit, & hoc ipsum est reprobationis æternæ signum. E contra signum est prædestinationis, mox vbi conscientiæ remorsus à Spiritu sancto immissi pungunt homines ad cor reuerti, tenerum esse ad illos, statimque compungi, & per confessionem illorum expungere aculeum. Sic dicebat David: *Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina: delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi.* Quasi dicat: Culpæ meæ spina figebatur mihi in conscientia, & grauabatur super me manus tua die ac nocte; tunc que conversus sum per considerationem miseriæ meæ & peccati mei, & apertè me reum coram te Domine agnoui, & confessus sum peccatum quod antea tenebam intus celatum: sicque per compunctionem & confessionem inueni remissionem & conscientiæ tranquillitatem. Hoc modo Spiritus sanctus arguit mundum de peccato quod dissimulat, & è tenebris deducit illud ad lucem immittens cum his conscientiæ remorsibus metum iudicij vel inferni, illustrationemque interiorem. Nam sicut cum ad peccatum inducit dæmon, primum eius opus est offundere tenebras mundi: ita primum opus Spiritus sancti est lucem reddere, qua hæ fugentur tenebræ. Quapropter S. Augustinus agens de tempore, quo in peccatis agebat, dicit: *Erat nubes magna & tenebrosa ante oculos vanitatis meæ, ita vt videre non posse m solem iustitiæ, & lumen veritatis. Involuebar in tenebris filius tenebrarum: tenebras meas amabam, quia lumen non cognoscebam Cæcus eram, & cæcitatem amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam.* De tempore autem loquens quo Spiritus sanctus iam incipiebat eius arguere peccata per conscientiæ stimulos, & lumen infundere eius cordi per illustrationem interiorem ad arguendum priorem statum tenebrosum peccati, sic iterum ait, & seipsum sic arguit: *Intonasti de super in interiorem aurem meam: fiat lux, & facta est lux, & liquefacta est nubes tenebrosa, quæ operuerat oculos meos, & vidi tenebras meas, & expaui, & dixi: Væ, væ tenebræ meæ, in quibus tacui. Væ, væ cæcitati in qua non poteram videre lumen cœli. Væ, væ præterita ignorantiæ meæ.* Ita ipse in Soliloq. c. 33. Hic ergo esse solet primus modus, primusque effectus Spiritus sancti arguentis mundanos homines de peccato & statu peccati, immissio spiritum in conscientiam ad reversionem, simulque immissio internæ lucis ad tenebrarum depulsionem.

Psal. 31.

2. Per externam prædicationem.

Secundus modus quo Spiritus arguit mundum de peccatis, est per externam prædicationem & instructionem. Sic per Apostolos quos impleuerat Spiritus sanctus efficacissimè redargui & conuinci se sensit mundus, mox ab ascensione Domini. Loquebatur Spiritus sanctus per eos, dabatque eis *os & sapientiam, cui non poterant resistere & contradicere omnes aduersarij* Vnde primo die Pentecostes loquente Petro mox tria hominum millia. Principe mundi diabolo derelicto, ad fidem & veritatem conversa legimus. Et agnoscentes hi peccati sui grauitatem arguente Spiritu sancto dicebant: *Quid faciemus viri fratres?* Et hoc qui-

Luc. 21.

dem dicebant compuncti corde. Exinde per vniuersum orbem misit eos Spiritus sanctus, & facundos, efficacesque reddidit ad redarguendum totum mundum de peccato; vt cum agnoscerent se peccasse, scirent etiam gloriâ Dei & gratiâ Christi se egere. Hoc ergò est quod hic potissimum intendit Christus, dum dicit: *Cum venerit Paraclitus, arguet mundum de peccato.* Idem enim est ac si suis Apostolis diceret: Cum Spiritus, quem ego mittam vobis, impleuerit vos sapientia & gratia, fortitudine & zelo, linguarum varietate & dono miraculorum, tunc per vos arguet mundum & mundanos eosque conuincet de peccato & errore. Et qui iam timeris mundum & mundi persecutiones pleni tristitia, tunc vos illum illiusque persecutiones calcabitis pleni lætitia, & ad sequelam vestram Spiritu sancto operante illum trahetis. Neque hoc tantùm dicitur Apostolis, aut solum de tempore Apostolorum verum est; sed vsque in finem sæculi Spiritus sanctus redarguit mundum de peccatis per os eorum, quos in Ecclesia verbi Ministros constituit. Et sicut numquam desunt peccatores, sic nunquam deerunt veritatis Præcones, qui Spiritu sancto impellente cum zelo peccata redarguant, & peccatores conuincant, iustitiamque Dei, ac eius iudicium efficaciter inculcent. Tales suo tempore fuêre *S. Antonius Paduanus*, *S. Vincentius Ferrerius*, *S. Petrus Martyr*. Tales sunt & modò Apostolici illi Viri, qui Spiritu sancto pleni etiam vsque in nouum orbem penetrant, vt arguant mundum de peccato, & iustitiam fidemque Dei commendent. Itaque quilibet fideles quando audiunt per eos, quòd in Ecclesiæ ministerio iunt constituti, peccata publicè vel priuatim redargui, cogitent se Spiritum sanctum audire arguentem de peccato; nam non nisi eius virtute id faciunt, munusque ab eo sibi impositum peragunt. Videant verò ipsi, vt non solùm verbo, sed etiam exemplo & sanctâ conuersatione alijs præsint, quia efficacissimè redarguuntur peccata, si per Spiritum sanctum non solum in eis loquentem, sed etiam per eos operantem redarguantur.

33. *Per exempla specialis vindictæ.*

Tertius modus quo Spiritus sanctus arguit mundum de peccato, de iustitia neglecta, de iudicio contempto: est per exempla specialis vindictæ impiorum. His concutiuntur, qui ea considerant: vt è peccatis emergant, & iustitiam sectentur, alioqui iudicio Dei fururi obnoxij; quod quidem quandoque iam proximum est, dum longè abesse putatur. Sic Apostoli per Spiritum sanctum impulsi non numquam fulminarunt grauissimâ in impios vindictam, vt conuincerent eos de peccato, & vt alijs forent exemplo.

Sic S. Petrus cùm Ananias & Sapphira eius vxor vendito agro defraudarent de pretio partem tantum dolosè afferentes ad pedes Apostolorum, dicit Petrus: *Anania cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de agri pretio? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Audiens autem Ananias hæc verba, secidit, & expirauit! Similiter & vxori eius postmodum contigit, cùm ipsa post trium horarum spatium aduenisset, tentaretque Spiritum sanctum, vt loquitur Scriptura, asserendo non plus venditum fuisse agrum, ignara quid viro suo contigisset. An non hic manifestè apparet Spiritum sanctum per Petrum arguisse eorum peccatum? Et hoc quidem in eorum fortè malum æternum, sed in totius nouellæ Ecclesiæ bonum. Vnde subditur: *Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt.* Nimirum hæc mortis pœna inflicta est ad terrorem Ecclesiæ nouæ, vt lanciretur publica disciplina crescente numero fidelium, & vt hi, qui tum voto offerebant sua, discerent non fraudare, nec mentiri Spiritui sancto. Propter votum autem peccarat mortaliter Ananias, quia ex voto afferre tenebatur quicquid possidebat. Neque tamen damnatum esse certum est, potuit enim ipse eius que vxor pœnitu. ne ad increpationem S. Petri, & cum contritione expirasse; ideque per carnis interitum consultum fuit ipso rum spirituali & æternæ saluti, vt nonnulli Patres censuerunt. *Origines, Cassianus & alij.*

Actor. 5.

Similiter S. Paulus, cùm Elimas Magus ei resisteret volens auertere Proconsulem Paulum à fide, *repletus Spiritu sancto intuens in eum dixit: O plene omni dolo & omni fallacia fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas. Et ecce nunc manus Domini super te, & eris cæcus, non videns Solem vsque ad tempus.* Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret. Arguebat ergò cum Spiritus sanctus de peccato per istam pœnam, idque in exemplum aliorum. Vnde non sine emphasi dicitur, quod Paulus in eum intuens Spiritu sancto repletus fuerit. Additur quoque quòd Proconsul cum vidisset factum, credidit ad mirans super doctrina Domini. Sicut autem ex ista vindictæ impiorum arguunt de peccato, sic etiam exempla piorum impios censentur arguere de peccato. Illa enim sunt quædam tacita condemnatio eorum. Vnde de ciuibus: *Viri Ninivitæ surgent in iudicio, & condemnabunt generationem istam, eò quòd pœnitentiam egerunt.* Actor. 13. Matth. 12.

Ex dictis colligo, quod Christus Dominus dicit: Spiritum sanctum arguere mundum de peccato, recte intelligi de omni peccato; quia quando venit, in omnibus quod reprehenderet, inuenit. Specialiter tamen etiam loquitur de peccato incredulitatis, quia illud maximè in Iudæis reprehensibile erat, dum auditam à Christo fidem repudiarent, impugnarent, persequerentur. Vnde explicans quod generaliter dixerat: *Arguet mundum de peccato*, specialiter subdit: *De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Quam incredulitatem sæpius eis obiecit: *Si non crediderit is quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Hoc peccatum Spiritus sanctus corripuit, ostendens apertissimis signis & miraculis sine Christo non esse vllì spem salutis. *Quod peccatum specialiter Spiritus S. arguerit.* Ioan. 8.

Vnde

Vnde Christus de Spiritu sancto differè postea pronunciat: *Ille me clarificabit*, apertè scilicet manifestando non solùm filium Ioseph, filium Fabri filium hominis, sed etiam Filium Dei, Filium Altissimi, Filium coæqualem & coæternum Patri. Ipse me clarificabit per virtutem, quam dabit vobis Apostolis meis idola sternendi, dæmonia eijciendi, nomen meum exaltandi. Vterius, ille me clarificabit vsque in finem sæculi, hæreses contrarias mihi expugnando, contra *Arianos* meam ostendens diuinitatem, contra *Nestorianos* personæ vnitatem, contra *Pelagianos* gratiæ meæ necessitatem, contra *Manichæos* corporis mei veritatem, contra *Caluinianos* eiusdem corporis ac diuinitatis in Missæ sacrificio præsentiam realem, contra omnes incredulos fidei meæ necessitatem. Arguet enim omnes qui non crediderunt in me, vel non sunt credituri vt oportet. Hinc cum dogmata fidei proponuntur in Concilijs generalibus Ecclesiæ, vt Christus Christique doctrina clarificetur, dici solet: *Visum est Spiritui sancto & nobis*, sicut primi dixêre Apostoli in primo suo Concilio. *Actor. 15.*

Denique, ne putes à Spiritu sancto solùm arguiri infideles qui Christo non credunt, aduerte de multis etiam fidelibus rectè dici quod in Christum non credant. Aliud enim est, interprete S. Augustino, Christo credere, Christumque credere: aliud verò in Christum credere. Est enim in Christum credere, fide ipse, & charitate in eum tendere, quam tendentiam significat illa vocula, *in*, tendentiam scilicet in Christum & Deum tanquam finem vltimum & summum bonum. Multi ergò credunt Deum & Christum tanquam obiectum fidei, credunt Deo & Christo vera dicenti, sed non credunt in Deum & Christum, dum non tendunt in illum tanquam finem vltimum per fidem, spem, & dilectionem. Hoc nimirum est perfectè in eum credere, quod fijs Dei proprium est. Qui sic non credit, arguendus est à Spiritu sancto, quia non sufficit mortua fides, quæ etiam in dæmonibus reperitur, qui credunt & contremiscunt. Nisi sit viua fides in Christianis, in maiorem eis damnationem est cessura. Quid respondere potest improbus Christianus Spiritu sancto interius arguenti & dicenti: Credis ne pœnas æternas vnicuique peccato mortali debitas? Cur ergò tanta facilitate in illud prouris? Credis-ne Deum mandata sua obseruantibus vitam æternam reddere? Quare ergò illa adeò facilia non obseruasti? Credis-ne Christum tanta pro te passum tanto amore? Quare ergò tantæ dilectioni pauca faciendo & patiendo non correspondes? Credis-ne eum præsentem esse in diuino Sacramento? Quare ergò ausus es accedere indignè? Certè mirum est & confusione dignum in Christianis, ita credere vt credunt & nihilominus ita viuere vt viuunt. Si ergò arguendus est & conuincendus infidelis, quia non credit multò magis fidelis, qui fidei credens operatur quasi non credens.

Quid sit Christo, Christū, & in Christū credere.

SEcundum Officium Spiritus sancti est, arguere mundum *de Iustitia*, vt in hoc Euangelio exprimitur. Hoc autem diuersimodè interpretantur Sancti Patres. PARS II. *Quomodo Sp. S. arguet mundum de iustitia.*

Primò igitur dicamus cum S. Chrysost. Spiritum sanctum arguisse & conuicisse mundum de iustitia & innocentia Christi, quam mundus nolebat agnoscere. Tractatus fuit Christus quasi malefactor, & vt homo noxius & virulentus in crucem fuit eleuatus. De ipso dixerunt Iudæi: *Non est hic homo à Deo.* Et iterum: *Samaritanus es, & dæmonium habet.* Rursus ad Pilatum *Seductorem* vocarunt. Denique aiunt: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Munus ergò Spiritus S. fuit ita mundum arguere & conuincere, vt iustus & innocens, immò omnis iustitiæ & innocentiæ auctor Christus agnosceretur: quod quidem effecit per prædicationem Apostolorum, per quam Christi innocentia, iustitia, sanctitas eluxit. Vnde S. Petrus Spiritu sancto impellente & erudiente sic alloquitur Iudæos: *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus Patrum nostrorum glorificauit Filium suum* IESUM, *quem vos quidem tradidistis & negastis ante faciem Pilati iudicante illo dimitti, vos autem sanctum & iustum negastis, auctorem verò vitæ interfecistis.* An non erat hoc per Spiritum sanctum arguere mundum de iustitia Christi? Quapropter postmodum addit Spiritus sanctus per os Petri: *Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata vestra, & cùm venerint tempora refrigerij* (subaudi, salutis, vel refrigemini & vos, cum scilicet ab æstu malorum huius vitæ refrigerium erit) *à conspectu Domini* Iesu *Christi. Quem oportet quidem cœlum suscipere, vsq; in tempora restitutionis omnium*, hoc est, vsque in diem iudicij, in quo Deus hominem lapsum in peccatum, ærumnas, & mortem, felici restituet immortalitati, & cum ipso pariter cœlum & terram renouauit: ita vt sit quædam restitutio totius mundi, quia & ruinas Angelorum restituet & restaurabit. Probat ergò à Spiritu sancto iudicatus Petrus Christi iustitiam, innocentiam, sanctitatem, quandoquidem cœlum eum susceperit vsq; in tempus restitutionis omnium. Qua etiam ratione hic dicit Christus: *Spiritus sanctus arguet mundum de iustitia, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me*: perpetuò enim cum eo manebo. Arguitur igitur mundus de iustitia Christi, & conuincitur tu, Iudæi de illa, quandoquidem Pater eum suscipit perpetuò secum regnaturum. Nempè Pater æternus apud se iniustos & nocuos non admittit, & nihil coinquinatum regnum cœlorum suscipit. Si Principes huius sæculi domestticos habent iniustos & improbos, si eorum aula noxios etiam suscipit, idem, quia vitia vel ignorant, vel etiam adamant. Deus verò cordium scrutator & agnitor, cùm sit puritas ipse summa, nihil impurum apud se admittit; ergò impiè mundus Christum ascendentem ad Patrem impium reputauit, & de impietate ipse conuincitur. 1. *De iustitia & innocentia Christi.* *Ioan. 9.* *Ioan. 8.* *Ioan. 18.* *Actor. 3.*

2. De oper. iustit. neglect.

Dicamus *secundò*, quod Spiritus sanctus arguet mundum de iustitia neglecta vel abiecta: hoc est homines mundo immersi ab eo convincentur, quod iustitiæ opera non fecerint, nec diuinæ gratiæ cooperati fuerint, quia illam vel oblatam non acceptarint, vel acceptam non conseruarint. Certè meritò arguitur mundus quod tot remedia salutis à Christo sibi præparata negligat, tot beneficia diuina parui faciat, tot gratiæ donis vel abutatur, vel non vtatur. Hac enim sua ingratitudine & Christo iniurius est, eiusque Sanguini quasi in vanum effuso vt hæc acquireret dona, & *Spiritui gratiæ contumeliam facit.* Quapropter sæpè serò monet & inculcat Apostolus, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, ne acceptis gratiæ beneficijs ingrati simus post magisterium Filij Dei, post effusum in nos Spiritum sanctum, post tot efficacissima salutis remedia, quibus fructus crucis & sanguinis Christi nobis applicari potest. Si Moyses olim cœlum & terram invocabat in testes contra ingratitudinem Iudæorum, qui legem acceperant comminantem, & beneficia quædam temporalia: quantò magis hæc invocari possunt contra filios noui Testamenti, qui tot tantaque beneficia gratiæ cœlitus acceperunt, & ingrati manent? Vnde Apostolus: *Propterea abundantius oportet nos obseruare ea quæ audiuimus, ne forte pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo factus est firmus, & si omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?*

Heb 10.

Deut. 32.

Heb. 2.

Propterea etiam Sanctis viris maximè curæ fuit fructuosè vti Dei gratia & donis: Et ne Spiritus sanctus eos tandem posset de neglectu arguere & confundere, ipsimet seipsos sollicitè arguebant, & continuò exstimulabant.

Sic S. Franciscus sæpè solebat se his verbis admonere: *Latroni si tantam gratiam contulisset Altissimus, quantam tibi contulit, multò te gratior foret Francisce, multoque sanctior.* hac ratione se humilians & exstimulans, dicebat se omnium peccatorum maximum. Ita tradit S. Bonaventura cap. 6. vitæ eius. Additque idem cap. 10. quod adeò diligens diuinæ gratiæ cultor fuerit, vt nullam visitationem sancti Spiritus cum socordia præteriret: sed etiam in itinere positus cum aliquos sentiret diuinæ gratiæ afflatus, socijs præcedentibus gradum figebat, vt illis attentius frueretur.

Sic etiam S. August. de iustitia neglecta dicit nos arguendos à Spiritu sancto, per comparationem eorum, qui in iustitia profecerunt gratiæ donis vsi, nosque convincendos, quod eorum exemplis ad negligentiam excutiendam vsi non fuerimus. Sic enim loquitur Medit. c. 4. *Tot iudicibus in ipsa ad sta ho, quot me præcesserunt in opere bono. Tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene viuendi exempla. Tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos dederunt iustis actionibus.*

3. De iustitia quæ in mundo vel nulla vel rara.

Dicamus *tertiò*, quod arguetur à Spiritu sancto mundus de iustitia, quia nimirum nulla in mundo seruatur iustitia, vel valdè est rara. Videre enim est passim, quomodo per vim & iniuriam potentiores & ditiores opprimant inferiores & pauperiores, quomodo in negotio quilibet proximum circumveniat, quomodo furtum & rapina regnent, quomodo impij iustificentur pro muneribus, & iustitia iusti auferatur ab eo, quemodo verum sit illud impiorum: *Opprimamus pauperem iustum & non parcamus viduæ, nec veterani reverearnur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex iustitia.* Nimirum pari penè passu procedere videtur in mundo potentia & iustitia: lex est iustitiæ fortitudo, quâ quod infirmum est, opprimitur. Sic etiam videre est quàm sit verum illud: *Vidi sub sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem, & dixi in corde meo, iustum & impium iudicabit Deus, & tunc erit tempus omnis rei.* Et: *Vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, nec posse resistere eorum violentiæ, &c.* Hæc porrò omnia ideò arguet Spiritus sanctus, quia Christus iam ad Patrem discedit, nec amplius in terris conversabitur, vt cœlesti sua doctrina & voce hæc arguat, sicut sæpè arguit iniustitiam Pharisæorum, & eos reprehendit de simulata iustitia, dicens suis: *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Munus ergò erit Spiritus sancti, hæc omnia postea arguere per linguam Apostolorum & Apostolicorum virorum; quia Spiritus mentis, quam replet, non solum vim diuinæ charitatis infundit interius, verum etiam carnali timore depulso ad increpandam prauitatem malorum fortis fiduciam præstat.

Sap. 2.

Eccl. 3.

Eccl. 4.

Matt. 5.

PARS III. Quomodo Sp. S. arguat mundum de Iudicio. 1. Iudicium quod mundus vix credit, manifestabit.

Tertium Spiritus sancti officium est arguere mundum de *Iudicio.* Manifestabit enim evidenter post hanc vitam superesse iudicium omnium operum, verborum, cogitationum, quod vix mundus credit. Sic nempè egerunt mundi sectatores & amatores quasi nulla post hanc vitam superesset vita, nullaq; viæ transactæ foret ratio reddenda. Vnde B. Gregorius 4. moral. c. 34. sic ait: *Omnis, qui perversa agit, esse Dei iudicium nescit si enim pensare ponderis tremendi examinis posset, illam diem vtique timendo præcaueret. Vitari namque terror iudicis nonnisi ante iudicium potest. Modò non cernitur, sed precibus placatur. Cùm verò in illo tremendo examine sederit, & videri poterit, & placari non poterit; quia facta prauorum, quæ diu sustinuit tacitus, simul omnia reddet iratus.* Manifestabit autem Spiritus sanctus arguendo impios, Christum esse Iudicem constituendum à Patre viuorum & mortuorum, quod queris, cuius causa tanquam impij iudicata est, causam iudicumque recipiet, vt loquitur Iob. Hoc manifestauit Spiritus sancto per os Petri: *Quem occiderunt suspendentes in ligno, hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri testibus præordinatis à Deo. Et præcepit nobis prædi-*

Iob. 36.

care

care & testificari, quia ipse est qui est constitutus Iudex vivorum & mortuorum, &c. Adhuc autem loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sactus super omnes qui audiebant verbum. Nempe Spiritus erat qui per os Petri loquebatur, impios arguens, fideles instruens. Idem manifestauit Spiritus sanctus per os Pauli arguens Athenienses in Areopago de hoc judicio & potestate judicandi Christo commissa: quando ait: *Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit idē in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* Act. 17.

Vlterius cum S. Aug. dicamus, quod Spiritus S. arguet mundum de iudicio: hoc est, convincet mundum per iudicium & condemnationem diaboli: si enim Angelo non pepercit peccanti, sed rudentibus infernī detractum in tartarum tradidit cruciandum & in iudicium voluit reservari; sic nec iniquis parcet, qui sequuntur illum. Hic est ergo Princeps mundi qui iam iudicatus est; Princeps scilicet eorum qui ordine perverso mundum potius quam mundi diligunt Conditorem. Hic iudicatus est à Domino qui ait: *Videbam Satanam tamquam fulgur de cœlo cadentem.* Hic iterum iudicatus est ab ipso & condemnatus, cum ipse ex idolis eum eijceret & obmutescere faceret, prout factum est in ipsius ingressu in hunc mundum, & in ingressu in Ægyptum. Hic rursus iudicatus est & condemnatus ab ipso, dum dæmonia eijceret ex humanis corporibus, & dum discipulis dedit potestatem eos eijciendi, & calcandi omnem virtutem inimici. Hic ulterius iudicatus est & condemnatus, dum è cor de filium per fidem & donum Spiritus S. expulsus est, ut iam ultra fideles eum non sequantur, tamquam Principem, sed abominentur ut Tyrannum & conculcent sub pedibus, tamquam imbellem, victum, & convictum. Denique hic iudicatus est & condemnatus, quia eius vires Christus detrivit, eius spolia diripuit, eius arma confregit, eius fortitudinem alligavit. Nam Principem dæmonum inferno & abysso conclusit iuxta illud: *Vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clavum abyssi, & catenam in manu sua, & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos mille, & misit illum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni.* Hic est Lucifer, per imperium divinum & vim eius coërcitivam & detentivam detrusus in abyssum inferni per mille annos; sive per universum tempus regni Christi usque ad Antichristum; millenarius enim numerus universitatem significat, vel ponitur numerus definitus pro indefinito. Christus itaque ademit in hac vita usurpatum in homines à Dæmonum Principe, & eum religavit personaliter usque ad tempus Antichristi, ne tantum nocere possit quantum si esset præsens. Et hoc est quod Christus dicebat: *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras.* Rursus ligavit eum ne per suos dæmones totam exserat vim contra ecclesiam, & ne seducat gentes quas antea subiectas tenebat, sed permittere cogatur, ut illæ liberæ ad Christum converti possint, utique fides Christi toto orbe per omnes gentes propagetur, ut ait S. Aug. serm. de tempore. Tradunt non ignobiles interpretes, de facto in passione & morte Christi Angelum quemdam è cœlo descendisse, qui Satanam in gehenna alligaret, ne ex ea egredi posset usque ad tempus Antichristi. Hoc saltem certum, eius vires omninò ex tunc imminutas fuisse. Ioann. 12. Apoc. 20. 1. Cōvincet mundum per iudicium diaboli. 2. Pet. 2. Luc. 10

Vnde refert S. Athanasius in vita S. Antonij, diabolum illi quondam in hunc modum conquestum *Cur mihi maledicunt homines? Cur mox ubi eias aliquid accidit, infausta dicunt, maledictus diabolus?* Ego certè nihil possum, nisi ipsi se sponte subdant. Immò cogor fateri, quod ab eo tempore quo Deus homo factus est, vires meæ attritæ sunt, nec urbes possideo aut alia loca, immò de deserto expellor. ibi iam locum sibi diligentibus viris Religiosis. Itaque conquerantur de se in peccatis suis, non de me qui imbellis sum & inermis. Hæc referre solitus fuit S. Antonius discipulis suis. ut testatur S. Athanasius, dicebatque illis: *Hamo crucis ut draco aduncatus est à Domino, & capistro ligatus ut iumentum, & quasi mancipium fugitivum vinctus circulo, & armilla labia perforatus nullum omnino fidelium devorare permittitur. Nunc mi, orabilis ut Passer ad ludendū irretitus à Christo, calcaneo Christi conculcatus gemit.* Hæc S. Antonius. Viegas in Apoc. & alii.

Ex his ergo patet verum esse: *Princeps mundi iam iudicatus est*, condemnatus alligatus. Sicut Leoni aut Vrso alligato illudunt pueri aut puellæ, sic dæmoni animæ iustæ. Vnde ad Iob. sic loquitur Dominus de Behemot: *Nunquid illudes ei quasi avi ligabis eum ancillis tuis?* Quasi dicat: Tu id efficere non poteris, ego autem efficiam; quia eum pueris & ancillis meis tradam in ludum, ut ei insultent. Quod factum esse ex gestis Sanctorum satis manifestum est; nam de multis adolescentibus & adolescentulis legimus, quomodo malignum vicerint, & Principi huius sæculi insultarint, eum non solum à se, sed etiam à corporibus & animis aliorum ejiciendo. Si itaque Princeps huius mundi iam iudicatus est, & condemnatus, iure à Spiritu sancto arguuntur, qui adhuc ei adhærent, qui adhuc eum ut Principem sibi præficiunt, beneplacitum eius adimplendo. Ipsi quoque damnationi cum illo sunt obnoxii, quia condemnato capite membra quoque condemnata censentur. Domino iudicato servi illi qui in scelere ei obsequuntur & cooperantur meritò iudicati censentur si eiusdem sunt culpæ participes, eiusdem et iam pœnæ sunt rei. O perversum iudicium mundi quod præ Christo sequi non desinit dæmonem, & Iob. 40.

eum

cum sciat illum æternis ignibus deputatum, nihilominus ei adhæret!

Conclusio. Concludo, & hoc vorum ad Christum dirigo, Domine Iesu, qui ad Patrem abijti ut Spiritum sanctum mitteres nobis institutorem & monitorem: fac ut efficaciter audiamus eum arguentem nos de peccatis, quæ contra eius bonitatem admisimus, ipsum repellendo à nobis, & quodammodo contristando: audiamus quoque eum arguentem nos de neglectæ justitiæ operibus, gratiæ eius divinæ non cooperando: audiamus denique arguentem nos de iudicio Dei rigoroso, quod ante oculos cordis nostri non proponimus. Fac ut cum arguentem eum persenserimus, jam nos ipsos acriter arguamus, emendando peccata præterita, excitando nos studiosius ad profectum in virtute & justitia, præveniendo te judicem, & amara tua postmodum iudicia. Sic doceat nos Spiritus sanctus quem misisti, perfecta fide credere, in te, perfecta spe tendere ad te, perfecta charitate amplecti te, ut renunciantes Principi huius mundi, qui jam iudicatus est & condemnatus, cum illo non iudicemur & condemnemur, flammisque æternis addicamur.

Exempl. Si volumus exemplum Spiritus sancti dfficaciter arguentis de peccato, de iustitia, de iudicio, unum ex Principibus huius mundi, audiamus quid virtute Spiritus S. gestum sit erga Guilielmum Aquitantiæ Ducem per S. Bernardum. Fautor ipse schismatis prosequebatur, & è sedibus ejiciebat legitimos Episcopos grandi peccato, iustitia manifestâ, iudicio perversissimo. Cum vero monita sperneret hominum, necesse fuit ut argueret & convinceret eum Spiritus sanctus, cui hactenus rebellis fuerat: Invasit ergo Spiritus Domini Bernardum Abbatem, & in hoc spiritu ingressus templum Domini, ad altare sacrum oblaturus & suppliciturus accessit. Peracta consecratione, & pace data ac diffusa in populum, homo Dei iam non se agens ut hominem. Sed Spiritus impulsum sequens, corpus Domini super patenam ponit, atque ignea facie, flammeis oculis, ad Deum foris agentem accedens, his eum verbis aggreditur & redarguit: *Rogauimus te, & sprevisti nos Supplicavit tibi seruorum ante te aduyata multitudo, & contempsisti Ecce ad te processit filius Virginis, Caput & Domini Ecclesiæ quam tu persequeris. Adest Iudex tuus, in cuius nomine omne genu curvatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Adest Iudex tuus, in cuius manus illa anima tua aduenit. Nunquid & ipsum sicut & seruos eius spernes?* Lachrymabantur omnes, & præstolabantur animis suspensis exitum rei, aliquid divinum cœlitus exspectantes. Videns autem Dux Abbatem in spiritu vehementi procedentem cum corpore Domini. expavit: & diriguit, membrisq; metu dislolutis quasi amens solo provolvitur. Elevatus à militibus rursus in faciem ruit, nec quippiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, salivis defluentibus cum profundis efflans gemitibus, epilepticus videbatur. Tum vir Dei propitius accedit, & pede pulsans acliuem, surgere iuber, & stare supra pedes, ac Dei audire sententiam. *Ecce*, inquit, *præsens Pictauiensis Episcopus, quem ab Ecclesia sua expulisti, reconciliare ei in osculo sancto, & eum ad sedem suam tu ipse reducito: & satisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, ac in universo Principatu tuo discordes & diuisos ad caritatis reuoca unitatem. Subdere Innocentio electo à Deo Pontifici sicut universa ei obedit Ecclesia.* Audiens hæc, auctoritate Spiritus S. & Sanctorum Sacramentorum præsentia victus & convictus, paruit, & in pacis osculo recepit Episcopum, eademque qua eum abiurauerat manu cum totius exultatione civitatis ad sedem propriam reduxit: pacemque toti Aquitaniæ Ecclesiæ reddidit divisæ ob schisma Petri Leonis. Ac postmodum mutatione dexteræ excelsi sic est ad meliora conversus, ut mundo derelicto, Monasticum induerit habitum, loricamque continuò ad nudam carnem gestans exercitijs pœnitentiæ præluxerit universo orbi. An non hic digitus Dei est? An non elucet hic virtus Spiritus sancti arguentis de peccato, de justitia, de iudicio. Vide *Sur.* 10. *Februar.* Item in vita *Bernard. l. 2. c. 6.*

DOMINICA V. POST PASCHA.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan. 15.

Lect. 19. De 4. cõditionib. efficacis orationis.

OMne quidem tempus orationi ad Deum fundendæ est idoneum, ita ut dixerit Psalmista: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Et iterum: *Per singulos dies benedicam te Domine, & laudabo nomen tuum in sæculum & in sæculum sæculi.* Interim Ecclesia à Spiritu S. directa certis de causis certos dies designat, quos vult orationi publicæ & speciali esse consecratos. Sic tres dies prævios Festo Ascensionis Dominicæ vocat dies rogationum, & destinat tamquam dies precum, in quibus plebem cum Clero vult convenire, & per Processiones, Litanias aliasque preces specialiter Deum invocare, pro totius Ecclesiæ ac Reipublicæ necessitatibus. Hinc Rogationes & Supplicationes dicuntur, in quibus præeunte vexillo Crucis, tamquam militiæ Christianæ signo, & Imperatoris nostri Labaro Exercitus Christianus educitur laudes divinas decantans. Hoc vexillum primo sequitur Clerus, tamquam primam aciem constituens, eamque nobiliorem, quia est Ordo Deo coniunctior. Mox subsequitur Magistratus, tamquam rerum sacrarum Protector & Propugnator. Exinde communis plebs suos sequitur Duces & tribunos, fidem cum illis publicè profitens, & Cleri præeuntis sanctæ intentioni suam eriam conjungens. Invocatur autem Deus tunc 1. ut speciali benedictione loca sanctificet 2. ut fructus terræ donet & conservet: 3. ut bella pacificet, & Re-

Oratio debet fieri cum affectu & attentione. Psal. 33. Psal. 144.

Ordo processionum & rogationis quid doceat.

& Regibus ac Principibus veram concordiam doneт, sicque adimpleatur monitū Apostoli: *Obsecro primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes pro Regibus & pro omnibus qui in sublimitate sunt, ut tranquillam & quietam vitam agamus in omni pietate & castitate.* 4. Vt omnes alias afflictiones publicas avertat, morbos, pestilentiam &c. Ad hæc verò omnia, specialiter implorantur suffragia Sanctorum, quia ubi nostra nō supperunt merita, pronunciamus aliena: quæ etiam nostra sunt, quia fratrum nostrorū sunt, illi enim ea nobis fecerunt caritate communia. Imm.ò sic Deus vult amicos suos à nobis honorari, sic eos vult glorificare, donando nobis ad se per ipsos accessum, felicemque votorum nostrorum successum.

1. Tim. 2.

Feria Rogationū à S. Mamerto co stituta.

Porrò hunc morem precandi istis diebus *primò* instituisse dicitur à quibusdam *S. Mamertus Viennensis in Gallia Episcopus*; sed melius restituisse dicemus anno 452. Nam ante S. Mamertum celebrā tur quidem, sed tepidè & oscitanter, ut ait *Sidonius lib. 7. ep. 1.* Cum verò Gallias cōcuterent terræmotus, passimq; plebem dilaniarent & divexarent lupi & feræ, non sine calamitate publica, lachrymis plena, S. Mamertus tantis invalescentibus malis, dies illos diligentiùs cum jejuniis & Litaniis observāri sanxit, sicque publicam vastitatem & calamitatem avertit, prout ex literis *B. Aviti Episcopi* docet *S. Greg. Turonensis lib. 2. hist. Franc. c. 34.* Tūc deinde imitati sunt alii Galliæ Episcopi; unde in Cō cilio Francofurtensi primo decretum fuit his verbis: *Rogationes, id est Litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita ut præmissum triduanum ieiunium in Dominica Ascensionis solemnitate solvatur. Per quod triduum servi & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat, quo triduo omnes abstineant atque etiā quadragesimalibus cibis cibantur.* Postea anno 800. per universum orbem Leo III. easdem Rogationes servari voluit, & exinde usu totius Romanæ Ecclesiæ observatæ fuerunt. Vocantur autem *Litaniæ minor* in Ecclesia Romana, quia majorem Litaniam vocant illam, quā Gregorius Magnus Pontifex Romæ instituit occasione vehementissimæ pestis. Cūm enim Romani in quadragesimalibus diebus incōtinentet & intemperanter vixissent, ac deinde Paschatis tempore adveniente non satis dignè corpori Domini communicassent, postmodumq; commessationibus, ludis, luxuriæ frena laxarent, sævissimam pestem immisit Dominus in populum; ita ut passim in itinere, in mensa, in colloquio, in ludo subitò multi expirarent. Tanta erat grassantis morbi violentia subitanea, ut octuagiata in una processione visi sint expirasse, plerique etiam sternutando vel oscitando spiritum exhalasse. Unde ea permansit hactenus consuetudo, ut cùm quis sternutare cernitur, dicatur ei, Deus te adjuvet; rursus si quis oscitat, signum sibi crucis ori imprimit: quæ consuetudo ex eo tempore originē duxisse asseritur. Litania ergo major dicta est supplicatio tunc institu-

Causſa institutæ Litaniæ maioris.

ta, & in die S. Marci in hodiernum usque diem frequentata, quia Gregorius Magnus Pontifex celeberrimus eam instituit Romæ cum processioni septiformi, sive per septem ordines dispositā. In primo ordine erat Clerus. In secundo Religiosi omnes. In tertio sanctimoniales. In quarto omnes infantes. In quinto laici. In sexto viduæ & continentes. In septimo cōiugatæ. In signum autem mœroris ex tanta strage hominum, insignumque pœnitentiæ nigris quisque velabatur, imò cruces & altaria nigris undique vestiebantur. Unde etiam *Cruces nigræ* vocatæ fuerunt illæ Litaniæ & supplicationes. Nec defuit miraculum, nam dum circumferretur imago Virginis, audita est vox Angelorum canentium *Regina cæli lætare, alleluia*, subjunxitque S. Gregorius cum Clero, *Ora pro nobis Deum, alleluia.* Ac tādem visus est Angelus Domini in vertice Castri, quod ex nunc adhuc vocatur Castrum S. Angeli, cruentum mucronem in vaginam recondens, cessavitque pestilentia calamitosissima.

Quia igitur nunc Rogationum tempus adest, proponit nobis Ecclesia Evangelium istud, in quo Christus promisit exauditionem precum nostrarum, dum dixit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis &c.* In quibus verbis continentur implicitè conditiones primatiæ ad orationem efficacem requisitæ, de quibus hic pauca dicemus & repetemus; quia fusè de illis tractavimus in horto Pastorum tom. 2. tract 2.

Prima igitur conditio est, ut fiat ex mentis attentione & pio voluntatis affectu. Quæ conditio insinuatur dū dicitur: *Si quid petieritis Patrem.* Est nempe oratio colloquiū cum æterno Patre, & petitio alicuius rei ab eo; ergo mentis involuit elevationem, cordisque affectū. Hæ sunt duæ alæ quibus animus ad cœlestia evehitur, & ad thronum Dei fertur ut Patrē alloquatur. Non potest oratio sine attētione & affectu dici petere, quærere, pulsare, ut loquitur Dominus. Immò qui sine attētione & affectu ex culpa sua se gerit in oratione, non tam orare censetur, quam Deo irreverentiā facere. Nam ut dicit S. Basilius: *Si Principem aliquem virum quis alloquitur incivile putabit oculos ab illo deflectere, cæteranter & dormitabunde è illo loqui: quāto magis ab his in oratione cavebimus, omnem somnolentiam & irreverentiam devitabimus, alienas cogitationes arcebimus, si cert ò persuademur Deum nos præsentem alloqui cūm oramus? Ita ipse.* Et iterum: *Si conscientia tua te condemnat, tamquam qui negligentiùs vem tractes, & si in oratione aliud agens animo minus attento sis, cùm possis omnem abs te pellere distractionem, vide ne præsentior ausis eram Deo consistere, ne fiat oratio tua tibi in peccatum.* Attente ergo in oratione concilianda, tū consideratione illius in cuius conspectu stamus, quemque orantes deprecamur, tum consideratione illius rei quam petimus, quæ gravissima est & attentione dignissima. Petimus enim remis-

sionem peccatorum, divina dona, fidem, spem, amorem, cœlestem gratiam ipsamque Dei gloriam & salutem nostram.

3. Tum consideratione verborum quæ proferimus, quæ à Spiritu S. dictata sunt, ut cũ ex Psalmis vel publicis Ecclesiæ orationibus preces fũdimus, aut ex ipsis Domini verbis. Sic nempe spiritus ille qui in voce loquitur, debet esse & in corde. Fœlix qui participat spiritum gratiæ & precum, quem promittit Dominus *effundere super habitantes Ierusalem & super domum David*, hoc est, super veros Christianos qui sunt de domo Filii Dei intra muros Ierusalem corpore habitantes, in Ecclesia militante quæ est Ierusalem terrestris, animò verò in Ecclesia & Ierusalem cœlesti conversantes. Felix qui potest dicere cum David: *Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac.* Multi enim orant sine corde. Non inveniunt cor suum, quia illud dispersum est & alibi captivum, vel sæculi rebus sic immersum, ut meritò conqueri possint, & dicere illud: *Cor meum dereliquit me.* Nam & de illis conqueritur Dominus: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Sic dicit Ecclesiasticus: *Qui tenet aratrum, & stimulo bovem agitat, cor suum dabit ad versandos sulcos, & vigilia eius in sagina vaccarum* Sic autem cor suum his immergit, ut non inveniat illud quando cum Deo debet agere, quando & illi Dominus dicit: *Præbe mihi fili mi cor tuum.* Addit ibidem Ecclesiasticus de aliis operatiis, vel artificibus. *Sic omnis faber & architectus qui sculpit signacula sculptilia, & assiduitas eius variat picturam, dabit cor suum in similitudinem picturæ. Sic faber ferrarius sedens iuxta incudem, & considerans opus ferri, cor suum dabit in consummationem operum. Sic figulus sedens ad opus suum, cor suum dabit ut consummet lineationem, & vigilia sua mundabit fornacem.* Et hi quidem non reprehenduntur quod suis vacent operibus, quia sine his non ædificatur nec stat civitas: sed in hoc plerumque reprehensibiles inveniuntur, quod cum in manibus suis sperent, ita operi & lucro cor affigant, & in varia dispergunt, ut cùm divinis vacandum est operibus, cor suum nõ inveniant: unde fit ut nequeant dicere cum Davide *Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac.* O cor, miserum cor, vanum & instabile, quam facilè fugis à nobis, quam variis in locis captivum agis; quam rarò ad cœlestia nisi cum tædio revocaris!

Neque tamen animum despondere quis jam debet, quia id quandoque nõ est vitium hominis, sed labes corruptæ naturæ, quæ per peccatum ita est depravata, ut mox imperare non valeat anima omni cogitationi suæ, & in Deo illam diu fixã tenere: sed ut servus fugitivus statim aliò dilabitur sine animæ sensu vel assensu. Vide S. Basilius constit. Monast. c. 2. *Si propterea quod à peccato debiliores factus, hoc à teipso impetrare non potes, quin quandoque dum oras animo distraharis, eniteare contrà quantum potes, & tibi vim affer, & coram Deo stare perseveranter tende que in illum defixam tene, ipsamque ad seipsam adduca. Si ita feceris, ignoscet tibi Deus, quia non ex contemptione, sed ex infirmitate eo modo quo par erat coram Deo stare non vales.* Vnde consilium optimum est Sanctorum, quando cor nostrum ob miseriam nostram vix possumus reperire, ut oremus oratione attenta & perfecta, recurrere ad cor Iesu, & dicere cum B. Bernardo Tract. de vite, *Et ego inveni cor Regis, fratris & amici benigni* Iesu *& numquid non orabo? Oratio utique. Bene ergo mihi. Ego cum* Iesu *cor meum habeo.* Hæc ille. Nempe cor Iesu perfectissimum & amoris plenissimum supplere potest imperfectionem, teporem, tædium cordis nostri vagabundi.

Sic B. Gertrudis divinum officiũ cum aliis Virginibus peragens, singula verba attentè pronũciare studebat. Sed cum ex infirmitate humana sæpe distraheretur, mœsta dixit intra se: *Et quis heu fructus provenire potest ex hoc studio, cui tanta instabilitas est coniuncta?* At Dominus volens eam consolari, præsentavit illi dignissimũ illud totius boni gazophilacium cor suum, & dixit: *Ecce cor meum oculis mentis tuæ prætendo, cui omnia quæ per te minus perficere potes, perficienda pro te fiducialiter commendabis, & ita coram oculis meis apparebunt perfecta.* Addidit quoque Dominus. Certè cor meum divinum, humanam fragilitatem, instabilitatem que cognoscens, semper cum desiderio expectat, ut si non verbis, saltem cogitatione committas ei supplendum, emendandum, ac perficiendum quod minus per te vales. Hinc illa solita fuit post horas expletas sic orare: *Bone* Iesu *esto propitius mihi peccatori. Ego tepidum & distractum officium meum commendo melifluo cordi tuo emendandum ac perficiendum; tibi, ipsum offero ad salutem omnium, in unione illius perfectissimæ unionis, qua tu Patrem laudasti & orasti in terris. Respondo quasso, satisfac, & supple pro me plenissimè.* Sic nimirum illa etiam nos docuit orationem finire. Vide Blosium c. 3. Monilis spirit.

PARS 2. *Oranti debet esse in statu gratiæ.*

SEcunda Cõditio efficacis Orationis est, ut qui orat, sit in gratia Dei. Hoc etiã hinc indicatur, dum dicitur: *Si quid petieritis Patrem, dabit vobis.* Supponit ergo filios esse, & in filiali statu agere hos qui ad Patrem accedunt rogaturi, alioquin nec dignos esse qui eũ alloquantur, nec nisi repulsam posse pati si rebelles sint tanto Patri. Promissio utique exauditionis nonnisi credentibus & amantibus fit. Quod ipsum etiam illud significat, *dabit vobis*, filiis scilicet & discipulis Patrem & me amantibus. Ipse Pater amat vos, quia & vos me amastis. Sic apertissimè dixit: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.* E contra de his qui in peccatis permanent, & orationes nihilominus suas exaudiendas præsumunt, dicitur: *Cùm multiplicaveritis orationes vestras, non exaudiam vos, manus*

Ecclus. 38. Prov. 23. Zach. 12. 2. Reg. 7. Multi orant sine corde. Psal. 39. Isai. 29. Ioan. 15. Isai. 1.

manus enim vestræ sanguine plenæ sunt Manus sanguine plenæ dicuntur, quæ sunt peccatis contaminatæ, maximè peccato injustitiæ & pauperum oppressione, & per quam eorum sanguis quodammodò elicitur. Similiter dicitur generaliter: *Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Respicit ergo Deus primò personam orantem, deinde eius orationem. Si in statu inimicitiæ sis, qualis est status peccati mortalis, quomodo speres te exaudiendum? *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*; prius personâ Abel respexit, eiusque innocentiam & justitiam; deinde munera inspexit, quæ ex eo grata maximè fuerunt, quod à justo & innocui cordis viro procederent. *Ad Cain autem non respexit*, & munera eius despexit, quia jam Cain non erat cordis recti coram Domino. Dicamus ergo: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus ab eo, accipimus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.* Dicamus etiam cum Psalmista: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Nempe *aggravata est auris eius ut non exaudiat, & iniquitates nostra diviserunt inter nos & Deum*, ut alibi dicitur: & qui cum affectu peccati orat, *Opponit sibi nubem ne transeat oratio*: quia nubes Solis radios impediunt, ne ad nos usque penetrent, etiamsi fenestræ aperiantur; sic peccatum obstaculum est divinæ gratiæ, etiamsi per orationem cordis fenestra videatur aperi. Est certè inter nubem & peccatum non mala similitudo. Quia sicut nubes ex vapore crassi & terrestri ascendunt; sic etiam peccata sicut atri vapores ascendunt ex pravo corde, quasi ex fuliginosa palustri terra. Deinde peccata instar nubium, Solis sive Dei aspectum, benevolentiam & beneficentiam nobis adimunt, ut iam dictum est. Piterius, sicut ex nubibus, grandines, tonitrua, & fulmina prodeunt, ita ex peccatis, ira, furor, & supplicia Dei prosiliunt. Denique, sicut nubes dispersunt cælum à terra ita peccata separant hominem à Deo & cœlo, ab Angelis & Cœligenis.

Hoc quoque ad vertendum & impiis inculcandum, quod quoties in statu & affectu peccati orationē à Domino institutam & edoctam pronunciant, toties in se sententiam ferant, si ad cor ingredi voluerint: nam quot illius petitiones sunt, tot proprii oris, sunt condemnationes. Quomodo enim potest dicere impius. *Pater noster qui es in cælis*, eum Deum non censeatur agnoscere ut Patrem cuius contemnit voluntatem? Attendere deberet illud, *Vos ex Patre diabolo estis*, quia eius opera facitis. Quomodo etiā potest dicere, *Sanctificetur nomē tuū*, cum eius nomen & honorē contaminet, si non semper lingua, saltem vita? *Si ego Pater vester, ubi est honor meus?* Quomodo potest dicere, *Adveniat regnum tuum*, cum regnet peccatum in eius corde regno Dei plane adversum, tam regno gratiæ, quam regno futuræ gloriæ? Quomodo potest dicere, *Fiat voluntas tua*, cum illi sit rebellis, propriam voluntatem & concupiscentiam adimplens? Deus nonnisi *voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Quomodo petit panem quotidianum sibi dari, cùm ipse se indignum faciat etiam pane quem comedit ingratus, & aere quem haurit, imò terra quam calcat? Quomodo dicere potest, *Dimitte nobis debita nostra: Et ne nos inducas in tentationem: Libera nos à malo*; cùm ne ipse actu & affectu inhæreat peccatis, obstringat se debitis reatibus, involuat se voluntariè tentationibus, accumuletq; mala malis? Ergo proprio se censetur ore condemnare, ac sibi ipsi contradicere.

Qui tamen affectum deserere cupit peccati, & corde humiliato accedit ad Deum ut fiat compos voti, huic sanè gratia Dei non negatur. Non quod Deus ei teneatur ex debito aut ex merito condigno; sed ex cōgruo suæ benignitatis vult exaudire revertentes ad se. Vnde adverte eos qui orātio triplici esse varietate. 1. Quidam sunt justi, & horum oratio est utilissima & efficacissima tā pro se quam pro aliis, sicut dixit S. Iacobus: *Multum valet deprecatio iusti assiduæ.* Quod ostendit exemplo justi Eliæ: *Elias homo erat similis nobis, passibilis, & oratione oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursum oravit, & cœlū dedit pluviam, & terra dedit fructum suū.* Ideo dicit S. August. ser. 226. de temp. *Oratio iusti clavis est cœli, ascendit precatio, & descendit Dei misericordia.* Clavis utiq; cœli fuit lingua Eliæ justi, quia factus est velut arbiter, cujus nutu & cohibentur & defluerent imbres eiusq; oratio vim habuit impetrandi ut cœlum impiis claudereturq; terrena polluerant, ut loquitur S. Ambros. l. de Elia c. 2. Sic & Iosue oratione sua potestatem in cœlum habuit, quia totam cœlestium orbium machinam vi orationis suæ stare fecit. Ezechias verò etiam retrocedere fecit Solē per decem gradus orationē suā, ut habetur. Similia ex sacris litteris exempla colligit S. Chrysostomus: Oratio, inquit, caminū ignis tribus pueris extinxit. Oratio conclusit ora leonum, ne Danieli nocerent. Oratio Moysis seditionem compescuit, Amalecitas devicit, Deū iratum populo reconciliavit. Oratio Eliæ ignem ad sacrificium, pluvias ad siccitatem terræ impetravit. Oratio Cornelii cœlos penetravit. Oratio Publicanum justificavit. Oratio Ecclesiæ Petri vincula resolvit. Oratio Paulo ostium Evangelii adaperuit. Hæc ille. Ex quibus patet quam efficax sit justorum oratio.

2. Quidam exorantibus non tantum non sunt justi, quinimò peccatores sunt & in peccato obstinati, quibus Dominus dicit: *Vocavi & renuistis, extendi manum & non fuit qui aspiceret, & despexistis omne consilium meum.* Sequitur autem postmodum de illis: *Tunc invocabunt me & non exaudiam.* Similiter apud Ieremiam. *Verterunt ad me tergum & non*

Prov. 28. *Gen. 4.* *1. Ioan 3.* *Psal. 65.* *Isai. 59.* *Thren. 4.* *Peccata sunt nubes orationem impedientes* *Psal. 144* *Orantiū triplex ordo.* *Quidam sunt iusti Iacob 5.* *Iosue 10.* *Isai. 38.* *Peccator vel in affectu peccati orās contra se fert sententiam.* *Ioan. 8.* *Malach. 1* *Orantiū quidam sunt in peccatis obstinati. Prov. 1.*

Ierem. 2. *& non facies, & in tempore tribulationis suæ dicent: surge & libera nos.* Sed illis respondet Dominus: *Vbi sunt Dii tui quos fecisti tibi; surgant & liberent te.* Hi ergo magis irritare videntur Deum, quam impetrare, qui per impietatem suam ponunt impedimentum. Quod etiam significare voluit Philosophus ille Bias, qui dum navigaret cum quibusdam sceleratis, illiq; exorta tempestate Deos suos invocarent sic eos admonuit: *Tacete, ne Dii vos hic navigare sentiant.* Quod si impii quandoque exaudiuntur, illisque Deus prospera concedit, hoc tandem in eorum perniciē vertitur; quia ut dicit Augustinus: *Quandoque Deus quadam negat propitius, quæ cōcedit iratus.* Æger permittitur quæ malè cōcupiscit accipere, quando à Medico est desperatus:

Aug. ser. 33. de ver Domini.

Psal 80. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis,* dicit Dominus. Sic etiā exauditur diabolus Iob ad certamen expetens, quem Dominus erat damnaturus. Exauditur in deserto

Num. 11. Psal. 77. populus rebellis postens carnes, sed *adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos,* & peteussi sunt plaga magna nimis, vocatusq; est locus ille, *Sepulchra concupiscentiæ.*

Quidam sunt peccatores, sed pœnitentiam, amplectentes.

3. Quidam exorantibus sunt in peccatis, sed tamen per compunctionem optant reverti ad Dominum, & illi humiliant animas suas, ipsumque exorant medullitus pro remissione peccatorū, ac pro necessitatibus suis; & hi certè non repelluntur, sed ex divina benignitate exaudiuntur. Inducendus igitur est populus in orationibus & supplicationibus publicis ad veram agnitionem & contritionē peccatorum, si apud Deum vult efficaciter quæ postulat impetrare. Et hæc est ratio cur frequenter Deus deneget in necessitatibus auxilium, quia fortius quā oratio clamat plebis peccatum. Si ergo volumus cum effectu effundere in conspectu eius orationem nostram & tribulationem nostram ante ipsum pronunciare: debemus & corda nostra per sinceram dolorem coram ipso effundere quasi aquam, dicente Propheta: *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra, Deus adiutor noster in æternum.* Exemplum dedit nobis populus Israel, dum calamitatibus afflicti cum interpretans Venerabilis Beda dicit: Malè

Psal 61. 1. Reg. 7. 1. Reg. 23. *conveneranti in Maspha, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini in die illa, atque dixerunt: Peccavimus Domino.* Hāc cæremoniam varii variè interpretantur. Nam quidam dicunt fuisse bona percipere. 3. Et hæc non ad sustentationem particulare sacrificium populi, quomodo David aquam allatam à militibus libavit Domino. Huic voluptatis; quod est, velle insumere in concupi-

Rabbi David. opinioni subscribit Abulensis q. 28. ex Iosepho l. scentiis Hæc ille Addis Origenes similitudinē l. 6. antiq. c. 2. Quidam verò dicunt fuisse in signum lachrymarū, quas si potuissent ita effudissent. Vnde Chaldæus sic habet: *Hauserunt aquas è puteo* suggerit à Medico petit; ita & nos in huius sæculi *cordis sui, & abundē lachrymati sunt coram Domino* infirmitate languentes interdum à Deo peti- nus *pœnitentes.* Alii dicunt fuisse cæremoniam per mo quod non expedit nobis. Hoc intellexerunt etiā dum cuiusdā juramenti, quasi diceret: Ita pereamus ut aqua è vase fusa, si pactum cum Deo violaverimus. Absque dubio significatio fuit pœnitentiæ; significabant enim affectū cordis & adhæren-

di Deo desiderium, quod in conspectu Domini orantes effundebant. Significabant quoque detestationem peccati & idololatriæ, quam penitus abiicere volebant, ut nullæ amplius restarent reliquiæ sicut quando aqua effunditur. Significabāt quoq; lachrymas pœnitentiæ quibus placatur Deus, & oratio fit eorā illo efficax. Sic refert Eusebius l. 22 Athens Aram fuisse dicatā Clementiæ, illam verō Aram nullū sacrificium admisisse, nisi lachrymarū. Per id nimirum significabatur, clementiam Dei nullo sacrificio vinci nisi lachrymarum & cōpunctionis; ideoque ad illud sacrificium exhortā- dus est populus Christianus, cum atteritur tribulationibus, quia peccatores Deus non exaudit, nisi ad se revertentes.

Parsiii Petenda sunt, quæ saluti nostræ & Deigloria conducunt.

TErtia Conditio Orationis efficacis est, ut petamus ea quæ saluti nostræ, divinæq; conducunt gloriæ. Hoc insinuatur hic dū dicitur: *Si quid petieritis in nomine meo.* Nam ut dicit S. Augustinus tract. 74. in Ioan. *Quicquid petimus adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris.* Ponderat quoq; S. Augustinus tract. 102. in Ioan. illud: *Si quid petieritis,* dicitque solum id quod ad vitam pertinet æternam esse aliquid: temporalia autem ex se nihil sunt, & ideo nō continentur sub illo, *si quid.* Cui conforme est quod S. Basilius dicit Const. c. Monast. c. Munificentissimus & Augustissimus est Rex noster, & indignè fert quando cum- que quis exiguū quid à se petit, multō magis si ea petimus quæ nō cōducunt. Hinc infert Cassianus coll. 9. c. 23. non esse à Deo postulandas opes, honores, delicias, potentiā, rocur. & similia. *Nihil, inquit, caduc ū, nihil vile, nihil tēporale vult à se ater- nitatis Conditor implorari. Itaq; magn ficentia eius & munificentia maximā irrogabit iniuriam, quis- quis simpli- citatibus præter- ssis transitorii aliquid & caduci maluerit ab eo postulare, & offen- dere.*

Iac. 4. Quis malè aliquid à Deo petat.

Ad hoc ipsum est, quod Iacobus: *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis.* Quæ beneficia superna d. fiderat 2. Qui a- *runt: Peccavimus Domino.* Hāc cæremoniam varii variè interpretantur. Nam quidam dicunt fuisse bona percipere. 3. Et hæc non ad sustentationem particulare sacrificium populi, quomodo David aquam allatam à militibus libavit Domino. Huic voluptatis; quod est, velle insumere in concupiscentiis vestris insanis. Quē

Rabbi David. opinioni subscribit Abulensis q. 28. ex Iosepho l. scentiis Hæc ille Addis Origenes similitudinē l. 6. antiq. c. 2. Quidam verò dicunt fuisse in signum lachrymarū, quas si potuissent ita effudissent. Vnde Chaldæus sic habet: *Hauserunt aquas è puteo* suggerit à Medico petit; ita & nos in huius sæculi *cordis sui, & abundē lachrymati sunt coram Domino* infirmitate languentes interdum à Deo peti- nus *pœnitentes.* Alii dicunt fuisse cæremoniam per mo quod non expedit nobis. Hoc intellexerunt etiā dum cuiusdā juramenti, quasi diceret: Ita pereamus ut aqua è vase fusa, si pactum cum Deo violaverimus. Absque dubio significatio fuit pœnitentiæ; significabant enim affectū cordis & adhæren- petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quā ut bona

ut bona tribuerent quia ij demum scirent, quid unicuique esset utile, nos autem plerumque id votis experere, quod melius foret non impetrasse. Etenim densissimis tenebris involuta mortalium mens, in quâ latè patentem errorem cæcas precationes tuas spargis? Divitias appetis quæ multis exitio fuerunt: honores concupiscis, qui complures pessum dederunt, regna tecũ ipsa volvis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur: splendidis coniugiis manus inijcis. At hæc ut aliquando illustrant, ita nonnunquã funditus domos evertunt. Desine igitur, ô mens stulta & cæca, futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus inhiare, neque totam cœlestium arbitrio permitte; quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt. Hæc Valerius, non tam Ethnicè quam Christianè.

Inordinatæ petitionis exempla. Gen. 30.

Potrò indiscretæ & inordinatæ petitionis exempla possumus ex sacris literis producere non pauca.

Sic Rachel instanter orat ur prole donetur, ita ut viro suo diceret: *Da mihi liberos alioquin morior.* Et quidem ei dedit Deus quod postulat at, sed secundam enixa prolem intermoritur.

Sic Rebecca similiter per se & per virum suum magnã cum importunitate prolem efflagitat. Sed cum ad partum veniret, gemitique in utero cõflictarentur: tanto fuit afflicta mœrore, ut ingemiscens diceret: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?*

Gen. 25.

1. Reg. 15.

Sic Saul cœlestium oblitus temporalia poscit, & apud Samuelẽ importunus est, ut preceturne regno excidat, idque tanta, ut eius etiã pallium scinderet; sed melius importunus fuisset, tum apud Dñum, tum apud Samuelem pro remissione peccatorum suorum; at illius rei non meminit.

Sic filij Zebedæi orare volebant, ut ignis de cœlo descenderet, & Samaritanos consumeret; sed cum id ex zelo indiscreto procederet, reprehenduntur à Domino dicente: *Nescitis cuius spiritus sitis.*

Denique, multi postulant à Deo certum aliquẽ statum, cum nesciant an conducat ipsis. Vnus Religionis postulat statum, alius Sacerdotij, alius Matrimonij, & novit Dominus eis nõ expedire quod postulant, ipsi autem id ignorant: frustra verò torquentur cum votum suum non assequuntur. Nec istud, nec aliud temporale à Deo deberẽt postulare nisi in nomine Salvatoris, & sub conditione salutis. Quapropter etiam viri sanctis sanitatẽ corporis nonnisi sub conditione postulandam censuerunt, idque sibi gratum frequenter miraculis Deus comprobavit.

Habet in vita S. Thomæ Cantuariensis Episcopi ægrũ quemdam eius accessisse sepulchrum recuperandæ sanitatis gratia. Compos voti factus, dubitare cœpit, an sanitas æquè ac morbus prior saluti animæ suæ conduceret. Itaque ad Martyrii Sepulchrum rediit, & instanter petiit ut sanitas non prodesset ut rursus pristino afficeretur morbo; & ita factum est. Deo sic ad salutẽ eius ordinante, & Sancto intercedente. Idem contigit matronæ cuidam urbis Amstelodamensis, quæ cum multo tempore ex infirmitate decubuisset, votum Sacramento fecit pro liberatione ab infirmitate sua. Deducta igitur absente marito ad locum sacrum, ubi virtute Sacramenti Venerabilis miracula fiebant, sanitatem simpliciter petiit, & obtinuit, sanaque domum rediit. Marito verò domum revertenti ubi rem gestam enarrasset, petiit ille num postulasset cum conditione; Si saluti animæ expediret? Respondet ipsa se simpliciter sanitatem postulasse. Itaque ipsam ad sacrum locum redire jubet, & hoc à Deo petere quod animæ magis expediret; moxque eadem qua prius infirmitate correpta est. Ita habetur in Breviario Ecclesiæ Amsteledamensis in octava Venerab. Sacramenti. Non absimile etiam est quod de B. Petronilla filia S. Petri sacræ referunt historiæ. Cum enim multi mirarentur quod is qui sola umbra ægros poterat sanare, filiam suam cum gravi febris ægritudine conflictantem nõ adiuvaret, sanavit eam ad tempus, iussitque præsentibus ministrare in mensa, sed ministerio peracto voluit ut ægra ad lectulum rediret asserens id eius saluti magis expedire. Postquam autem in Dei timore cæpit esse perfecta, non modo ipsa curata est, sed etiam permultis aliis, suis precibus obtinuit sanitatem. Ita habetur ex actis SS. Achillæi & Neræi, cap. 9. apud Sur. 12. Maii.

Inordinatæ petitionis exempla. Gen. 30.

Gen. 25.

1. Reg. 15.

Bonæ cœlestia absolutè petenda.

Itaq; sola bona æterna & cœlestia absoluta petere debemus, fidem, spem, amorem Dei, gratiam sanctificantem, & donaei annexa, humilitatẽ, patientiam, castitatem, perseverantiam, denique regnum Dei & gloriam sive ut in hoc Euangelio dicit Dominus, debemus petere *ut gaudium nostrum sit plenum*, quod interpretatur S. Augu. cũ Beda & Ruperto de gaudio regni cœlestis: Est enim gaudiũ quoddam vacuum & inane; tale est gaudium mundi, de quo: *Væ qui lætamini in nihil:* simile que est illi gaudio quod Ionas concipiebat sub hædera mox arescente, aut illi gaudio quod somnians accipit, quando esuriens in sumno comedit & bibit, dum autẽ expergescitur *vacua est anima eius.* Et hoc gaudium cum inane sit, à Deo non est poscendum. Est autem alterum gaudium semiplenum. Tale est gaudium nostrũ in hac vita, quod oritur non ex honoribus, divitiis, aut prosperitate sæculi sed ex gratia Spiritus & pace ac securitate conscientiæ. Quò referrur illud: *Requiescet unusquisq; sub vinea sua, & sub ficu sua, & non erit qui exterreat.* Quod interpretatur S. Hieronym. de Vinea Spirituali, de qua Dominus: *Ego sum vitis vera.* Huius fructus comeditur & bibitur à iustis, lætificat cor hominis, propinatur que amicis sponsi. Sub ficu quoque requiescere censetur, & nullius insidias reformidare, qui dulcedine Spiritus fruitur, & alius fructibus satiatur, charitate gaudio, pace. Hoc gaudium puri cordis & bonæ conscientiæ vult nos

Amos 6.

Ion. 4.

Isai. 29.

Mich. 4.

Ioan. 15.

postulare Dominus, quia licet sit semiplenum, eo quod viæ & vitæ huius gaudium sit, quod nondū habet plenitudinem & consummationem suam, dat tamen vires ad viā mandatorum alacrius percurrendam, & à Domino provenit. Est porro & gaudium plenum ad quod istud semiplenum tendit, quod est gaudium non viæ, sed patriæ, continens consummationem omnium gaudiorum. Illud nihil potest habere mixtum fellis aut amaritudinis, nihil laboris, nihil mœroris. Ad istud igitur omnia nostra desideria & vota decent tendere, illud toto corde debemus à Domino postulare, & media per quæ pervenitur, requirere. A Patre petenda sunt filiali affectu quæ ad hæreditatē spectant, & quæ tanto Patre digna sunt, dona sciicet paterna ab eo qui *spiritum bonum dat petentibus se*, spiritum scilicet adoptionis, in quo clamamus Abba Pater. Noli ea petere quæ solum filiis concubinarum largitur, ne degener videaris.

Luc. 11.

PARS IV. *Oratio debet fieri cum fiducia.*

QVarta conditio efficacis orationis est, ut fiat cum fiducia. Fiduciam necessariam esse indicat Dominus, dum dicit hic: *Si quid petieritis Patrem.* Habet nimirum filius fiduciam impetrandi quod à patre sibi congruum, aut necessariū postularit. Quapropter beatæ Mechthildi quærenti quōdam à Domino quidnam potissimum credere deberet de ineffabili eius bonitate. Respondit Dominus: certā fide crede, ô filia, quod te post mortē susceptam, sicut pater filium suum charissimum: quodque nullus unquam Pater tam fideliter cū unico nato suo divisit hæreditatem, sicut ego bona mea & meipsum tibi cōmunicabo. Quicumq; de bonitate mea id firmiter & cum humili charitate crediderit, beatus erit: Et iterum eadem de re loquens dixit ei Dominus: Mihi valde gratū est quod homines in bonitate mea confidant. Nam quisquis in me humiliter confisus fuerit, ego & in hac vita ei adero, & post mortē supra omne meritum ei beneficiam. Ita Blosius c. 11. Monilis. De hac fiducia frequenter monet nos Scriptura sacra. Vnde Apostolus: *Accedamus cum fiducia ad thronū gratiæ eius, ut inveniamus auxilium in tempore opportuno.* De hac etiā est illud: *Postulet in fide nihil hæsitans: quia qui hæsitat, similis est fluctui maris qui à vento circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod aliquid accipiat à Deo.*

Hebr. 4.

Iacob 2.

Defectu huius fiduciæ reprehenditur Moyses Deumque offendisse insinuatur, quia scil. petens a quam à Deo pro populo, hæsitavit, & cū diffidentia petram percussit. Sic etiam reprehenditur Israelitæ quod diffidentes dicerent: *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Sic quoq; dixerāt Moyses & Aaron: *Num de petra hac poterimus vobis aquam educere?*

Psal. 77.

Num. 20.

Fiduciam concepit Prodigus dū reversus in se dicit: *Ibo ad Patrem meum, & dicam ei, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* De quo sic loquitur S. Chrysologus: Qua spe ibis? illa qua Pater est. Ego perdidi quod est Filii, ille quod Patris est nō amisit. Apud patrem nō opus est inter cedat extraneus intus est qui exorat affectus, urgentur Patris viscera iterum per me veniam genitura.

Luc. 15.

Sed perfecta necdum fiducia in illo fuit, dum redtum ad Patrem adhuc existens apud porcos meditatur, quia infra dignitatē Patris petebat, qui solum optabat esse mercenarius: nam Pater nos vult esse Filios. Ipse adhuc servus erat apud porcos sed quando ad brachia patris accessit, filialem affectum & cor iterum induit, unde huius petitionis non meminit; Fac me ex mercenariis. Id etiam paterna affectio non permisit, quæ optima parans dona vult nos negligere inferiora & mercenaria. Vnde Beda sic de hac re loquitur: *Pater occurrēs, nō contentus mimora concedere pristinæ filiorū vestitui dignitati, nec iam de mercede conductoris, sed de hæreditate fecit cogitare parentis.*

Imperfecta fiducia prodigi.

Primum itaque fundamentum fiduciæ quam in oratione debemus concipere, est ipsius Dei misericordia & bonitas cum omnipotentia cōiuncta. Per quam paratus est, & potest etiam plura quam petimus, nobis dare. Vnde fit, ut non simus importuni, quando corde humiliato & fidenti petimus remissionem peccatorum, vel alia dona nobis necessaria: quia illi proprium est misereri & benefacere, sicque miseriam nostram ac indigentiam agnoscendo, & ad illius misericordiam & bonitatem accurrendo, ministramus ei occasionem agendi quod sibi proprium est & illustre. Sicut soli proprium est illuminare, igni ardere, fonti fluere, & aquam dare, nihilque eis decedit per hoc quod lumen, calorem, potum communicent accedentibus: eadem ratione iudicandum est de divina bonitate nos illuminante instar solis, calefaciente instar ignis, refrigerante instar fontis. Hinc Aug: *Tu proficis accipiendo, & Deus non desinit in dando, quia quantumlibet capaces fontes attuleris, fons vincit sitientem.*

Alterum fundamentum nostræ fiduciæ sunt merita Christi, quæ supplent quicquid deest ex parte nostra, & efficacia sunt apud Deum ad impetrandum quicquid debitè postulamus. Hoc est quod in hoc Evāgelio dicatur: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ipse est Salvator, Redemptor, Mediator, cuius nomine, cuiusve meritis debemus cum fiducia postulare. Quod si antiquitus commemorato nomine Abrahām, Isaac, Iacob, apud Deum postulabant Iudæi, & impetrabant, quantò magis in nomine Iesu Christi Filii Dei postulantes exaudiemur? Tale enim est pactum Patris cum Filio & nobiscum tale & mandatum Filii, & sic apud Patrem intercedamus. Olim filii Iacob cum offendissent Ioseph fratrem suum, timente, ne ulciscceretur scelus patre defuncto, dicebant illi: *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecramus, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati ac malitiæ quam exercuerunt in te.* Nos quoque oramus

2. *Christi merita.*

Gen. 50.

eramus ut servo Dei Patri tuo dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Ioseph, & consolatus est eos, dicens ne timerent. Offenderant illi fratrem, non offenderat Iacob filium, & tamen dicitur ipsi condonati quod illis condonatur. Non absimili modo cùm peccatum admisimus in Deum Patrem nostrum, dicere illi possumus: Præcepit nobis filius tuus frater noster Christus, ut hæc illius verbis tibi diceremus: *Obsecro oblivisci velis sceleris fratrum meorum, condona mihi filio tuo iniquitatem hanc.* Non peccavit Christus, & tamen sibi vult condonari, sive in gratiam sui nobis, quia iniquitatem nostram in se susceptt expiandam, & ideo quando levamus manus in cœlum ad Deum, in nomine eius levamus, & rememoramus elevationem manuũ ipsius in cruce factam, in qua omnis nostra fiducia consistit: rememoremus quoque promissionem ipsi à Patre, factam, quod quicquid petierimus in nomine eius per merita ipsius impetrabimus, quia illa nobis communicavit. Sic iterum non absimiles sumus illis qui ad Curias Regum accedunt, gratiam vel mercedem aliquam recituri. Cùm verò nihil obsequii præstiterint Regi, quod commemorare valeant, allegant merita patris vel fratris alicujus defuncti quæ à regia munificentia remunerationem necdũ acceperit. Repræsentant res ab eis fortiter gestas, pericula adita, vulnera accepta in obsequio Regis. Nos quoque cùm nihil digni egerimus, ad Regium Dei Thronum cum fiducia accedimus, & multa postulamus, repræsentantes merita fratris nostri defuncti Christi, quæ nostra esse voluit, & ideo repulsam non veremur. Quapropter in nobis tanquam hæredibus remunerationem accipiet usque in finem sæculi quia numquam condignã acceperunt mercedem. Et inde est quod Ecclesia nos docet omnem apud Deum petitionẽ concludere: *Per Dominum nostrum Iesum Christum.* Rectè ergo S. Aug. Præfat. in Psal. 85. sic de Christo Domino pronunc at: *Orat pro nobis, orat in nobis, & oratur à nobis. Ut Sacerdos noster orat pro nobis: orat in nobis ut caput nostrum: oratur à nobis ut Deus, Oramus ad illum, per illum, in illo, & alloquimur cum illo, & dicit nobiscum.*

Hac quam requirimus fiducia nixi & impulsi qui iam ex Sanctis, à Deo quicquid petierunt, impetrarunt. Sic dicere solebat S. Dominicus se numquam quippiã à Deo postulasse quin voto potitus fuerit. Cumque hoc quidam ex suis Religiosis audiret, dixit ei: Cur ergo Pater mi, non postulas à Deo, ut Magister Conradus Ordinem nostrum ingrediatur, in quo doctrina sua admirabilẽ fructũ posset facere? Erat hic Conradus Theologus, Doctor Parisiis celeberrimus. Hoc inaudito, Dominicus, ut fiduciam suam erga Deum nulla in re vacillare discipulis suis ostenderet, oravit pro Conrado, ut Deus mentem ipsius illuminaret & accẽderet; atque ita cœlitus factũ est, ut sequenti die pro habitu Ordinis supplicaturus Chorũ Dominicanorum ingrederetur dum cantaret illud in Officio Primæ; *Iam lucis orto sidere Deum precemur supplices.* Nova scilicet lux in corde Conradi precẽ fidentissima & efficacissima Sancti Dominici orta fuit, & ipse quasi novum quoddam fidus accessit, in hoc sancto Ordine lucem daturus doctrina sua & pietate. Hoc ergo fuit quoddam augurium cœleste felicis ingressus & progressus in ea vocatione.

Hac etiam fiducia nixus Abbas Sisois, orans pro Abraham discipulo suo tentato & lapso, dicebat fidenter Domino: *Deus, vis non vis, non dimitto te nisi curaverimus eum.* Et curatus est discipulus, ut habetur in Vitis Patrum l. 6. c. 4. num. 14. Similiter dicere solita fuit S. Catharina Senensis: *Domine non dimittam te, nisi conversionem huius peccatoris obtinuero;* sicque omnia obtinebat, fiducia firmissima postulans, & nihil hæsitans. Quapropter de his & similibus Sanctis dicebat S. Bernardus ser. 32. in Cant. *Magna audent, quia magni sunt: & qua audent, obtinent. Magna siquidem fides magna meretur: quatenus in bonis Domini fiducia pedem porrexeris, eatenus possidebis.* Alludit S. Bernardus ad illud quod promissum erat populo Israelitico. *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit.* De quo Deut. 11. & Ioſue. verum agens serm. 10. in Ps. 90. ait: *Sperate in congregationis congregatio populi. Quemcumque locum occupaverit pes vester, vester erit. Pes vester utique spes vestra est. & quantumcumque illa processeris, obtinebit si tamen in Deum tota sagatur, ut firma sit & non titubet.*

FERIA II. ROGATIONVM.

Petite & accipietis: Quærite & invenietis: Pulsate & aperietur vobis. Luc. 11.

Lect. 18. bipart. De perseverantia in oratione.

TOto Evangelio hoc agitur de oratione, unde quæ iam dicta sunt de illa superiori Evangelio, huc etiã referri possunt. Quia autem specialiter perseverantia in oratione hic commendatur, ideo de illa pauca nobis subiicienda sunt in hac lectione.

PARS I. *Cur nos Deus citò non exaudiat.*

Postrema igitur cõditio Orationis efficacis est, ut sit assidua, seu perseverans. Ideo Dominus non solùm dicit, *Petite*, sed & *quærite & pulsate*, additque: *Oportet semper orare, & non deficere.* Id verò ostendit parabola Iudicis, qui tandem ad vitandam molestiam viduæ preces exaudit; item parabola amici, qui amicum media nocte perseverantem pulsando tandem audit, & eius petitioni satisfacit. Plures porrò rationes afferunt sancti Patres, cur Deus differat sæpius gratiam quam petimus, nec statim nos exaudire velit.

Luc. 18.

Prima ratio est, ut probet fidei, spei que nostræ firmitatem. Sic exaudire volebat Deus cives Bethuliæ, & eos ab obsidione Holofernis liberare, interim eorum vult probare fidem per aliquam dilationẽ. In qua fide & spe cum vacillarent, gravissi-

Deus differt ut probet fidei & spei firmitatẽ

grauissimè eos reprehẽdit Iudith, ipsosque Sacerdotes arguit qui in fiducia erga Deum, divinumq; auxiliũ esse debebant firmiores: *Quod est hoc verbum, inquit, in quo consensit Oziæ, ut tradat ciuitatem Assyriis, si intra quinque dies vobis non venerit adiutorium? Et qui estis vos qui tentatis Dominum? Non est iste sermo qui misericordiam provocet, sed quo iram excitet, Posuistis vos tempus miserationi Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei.* Non desunt inter Christianos adeo modicæ fidei, modicæque spei, qui ubi in morbis vel afflictionibus vident tarditatem divini auxilii, ad superstitiones confugiunt, vel ad remedia illicita. Similes hi sunt Ochoziæ Regi, qui cùm cecidisset per cãcellos cœnaculi sui, graui lãguens infirmitate cõsulit Beelzebub Deum Accaron, num de sua possit cõualescere infirmitate? At eius nuntiis occurrens Elias improperat: *Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Deum Accaron? Quamobrẽ hæc dicit Dominus. De lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* 4. Reg. 1.

2. *Vt magis miseriam nostram agnoscamus.*

Secunda ratio cur Deus auxilium differat, est, ut eo magis agnoscamus miseriam nostram, & opis eius indigentiam, sicque humilius & feruentius eã imploremus. Sic sæpe Propheta Rex quej David sine intermissione gemit & suspirat, noctu diuque non quiescit. Modo induit spiritũ & cor mendici clamantis & ostentantis ulcera sua & afflictionẽ, ut ad compassionem moueat Deum, cuius opem efflagitat. Modò se gerit instar infantis nullas habentis vires quibus innitatur, nisi paterna manu iuuetur, nullumque cibum capere valentis, nisi à matris ore vel uberibus. A qua quia in omnibus pendet, eius opẽ continuo flectu implorabat: *Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.* Psal. 128 Qui si diceret: Sic ut infans à natura destitutus auxilio non potest se iuuare, aut potum sumere, sed totus pẽdens est à benignitate matris; & illa ubera admouet, induit, protegit, ut dormiat circumagit, plorantis lachrymas abstergit: ita ego à benignitate diuina totus pendeo, illi totum me committo, ab eo omnia expecto, illum lachrymis fatigo, nec animum despondeo. Certè quando omnis spes humani auxilii elanguit, tũ demum solet Deus adesse, quod frequẽtibus exemplis ex sacris literis posset comprobari. Sic dum Susanna interfectioni est proxima, lapidatutis circumcincta, cor eius erat fiduciam habens in Domino; & quia humanum deerat auxilium protegens innocentem, tandem adest diuinum suscitante Deo spiritum pueri iunioris Danielis; ut filii Israel reuertãtur ad iudicium. S militer in ciuitate Bethulia rebus omnibus penè desperatis, non desperat Iudith; ideo per illam Deus opem offert, & ab obsidione, libertatem, quia & cor eius fiduciam erat habens in illo qui adiutor est in opportunitatibus, in tribulatione. Propterea etiã erat perseverans in oratione, ligens aperet in Castris hostilibus. Audi & Chrysostom. 6. ad pop. de tribus pueris in captiuitate oratio-

Deus adest cum non est in humanis spes auxilii.

Dan 3.

Iudith. 12.

nis. *Voluit Tyrannus earum urbem euertere, & nõ prohibuit Dominus. Voluit captiuos ducere, nec impedivit. Voluit ligare & in fornacem inijcere, permisit. Voluit flammam ultra modum accendere, & hoc dimisit. Quando nihil reliquum fuit, sed omnem vim Tyrannus exhauerat, tunc virtutem suam monstravit, & puerorum patientiam.* Hoc scilicet meruit perseverantia in oratione. Sic in Evangelio dũ discipuli agitarentur fluctibus, ita ut navicula penè mergeretur, somno indulgere videtur Dominus; at forti eorum voce & sollicita prece excitatus imperat mari & ventis, fitq; tranquillitas magna. Quod ipsum frequenter contigit in procellis & fluctibus amaris, quibus Ecclesia, Petri navicula quassatur; in quibus Deus ad extremũ usque differre cernitur auxilium, ut fidelium suorũ perseverante oratione excitetur. Quod si quidam animum abiicere velint, arguuntur sicut discipuli à Domino: *Vt quid timidi estis modicæ fidei?* Et dicitur eis quod Petro: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Dan 3. Matt. 8. Matt. 14.

3. *Ne citò data vilescant.*

Tertia ratio cur Deus statim non exaudiat preces nostras, nec petita dona cõcedat, est, ut illa dona magis æstimemus, & ut diutius, ardentiusq; illa desideremus & petamus. Hanc rationem expressit S. Aug. serm. 6. de verbis Domini: *Cùm aliquid aliquando tardiùs dat Deus, commendat sua dona, non negat. Desiderata diu dulcius obtinentur, citò autem data vilescunt.* Eandem adfert S. Basilius his verbis: *Deus quæ daturus est ideo differt dare, ut hoc modo magis nos ad assiduitatem orandi vocet, & ut intelligamus quod sit donũ Dei, & ut datũ diligenter custodiamus. Quod enim difficulter acquiritur, diligenter custoditur. Salomon donum sapientiæ citò impetrauit, ideoque negligenter illud custodiendo citò amisit.* Sic etiam inter homines Pater filio non statim solet dare rem magni momenti, quam postulat, sed tardat, ut eius desideria crescant, & ut rãto pluris eam æstimet, ùm voto potietur, magisque gratus sit. Conſit. Mon. 20

4. *Quia sæpe expedit differre.*

Denique Deus nõ statim donat quod rogamus, quia sæpè expedit differre propter aliquas occultas causas, quas eius novit sapientia, nobis autem sunt ignotæ. Hoc solum scimus Deum id agere suavi sua providentia in bonum nostrum, nec nobis deperire meritum, etiamsi mox non exaudiamur ad votum. Dicebat quondam Propheta: *Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies? Vociferabor & non saluabis?* Hunc locum interpretans S. Hieronymus, sic ait. Quomodo si æger & æstuans febribus aquam postulat ad Medicum, vim patior, crucior, uror, exanimor. Vsquequò clamabo ad te medice, & nõ exaudis? Et respondeat sapiens & clemens medicus: Scio quo tempore debeam dare quod postulas; non misereor modò, quia misericordia illa crudelitas est, & contra te peris. Ita Dominus postersciens mensuras & pondera clementiæ suæ, interdum nõ exaudit clamãtem, ut probet eum, & magis provocet ad rogandum. Hoc S. Hieron. Igitur bonitas & providentia Abac. 1.

divina

diuina omnia disponit ad salutem electorum, ideoque vota nostra cum fiducia & perseuerantia illi sũt committenda. *Sæpè oculis mentis nostræ proponendum est illud*, quod iubet per Prophetam Abacuc in tabulis scribi, & talibus quidem apertis characteribus quos omnes possint legere: *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit.* Licet enim Dominus non statim atque vocatur veniat, tamen tardare non dicitur, quia suo tempore venit, & oportunum auxilium impertitur tempore à se determinato.

Abac. 2.

PARS II. *Exempla perseuerãtium in oratione recenset.*

PORrò huius perseuerantiæ, quæ in oratione commendatur, multa suppetunt exempla, tum in veteri Testamento, tum in nouo, tum etiam in Sanctorum historijs.

Primò, in veteri Testamento habemus exemplum Iacob totâ nocte cum Angelo, Domini personam repræsentante, fortiter luctantis: quæ quidem lucta non nisi luctam orationis significat, per quam cum Deo perseueranter luctandum est, donec quod voluerimus, impetremus. Vnde Iacob dicebat: *Non dimittam te nisi benedixeris mihi in eodem loco.* Fuisseque luctam orationis apertè declarat Propheta, dicens: *In fortitudine sua directus est cum Angelo* (vices scilicet Dei gerente) *& invaluit & confortatus est, fleuit, & rogauit eum.* Ergò precibus & lacrymis præualuit: hæc sunt sola arma quibus Deum vincimus, & contra illum fortes sumus, dum assiduitate precum & lacrymarum confortamur, & vim ei facimus, & quod volumus, extorquemus, sicut Iacob qui propterea Israel dictus est, hoc est fortis contra Deum. Quomodo fortis contra Deum? Quia invaluit, confortatus est, fleuit, & rogauit. Hæc sunt noua bella, quæ elegit sibi Dominus. Vnde Tertul. in Apologetico c. 39. ait: *Coimus in cœtum & in congregationem, vt ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.* Attende & similem luctam contra Deum per orationis perseuerantiam in Moyse Duce populi Dei. Sic erat fortis contra Deum eum vincens & vinciens, vt ei diceret Dominus: *Dimitte me.* Quinimò promittit ei, *Faciam te in gentem magnam dimitte me*; sed nec promissis cedit, pugnat contra Deum fortiter & perseueranter, donec eum sibi subijciat, & in suam trahat sententiam vt populo parcat. Vnde dicitur: *Dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt averteret iram eius ne disperderet eos.* Loquitur de Deo per allegoriam quasi de Duce qui admotis machinis & iam quassato muro penitus delere parat ciuitatem sibi adversantem. Dicit verò Moysen in hac confractione stetisse, instat fortis Capitanei suis viribus irruptionem impedientis & ruinam. Hoc nimirum fecit per orationem. Sic & Aaron luctatur contra Deum tenens thuribulum & incensum, stans inter mortuos & viuentes, vt iram desævientem impediat. Denique, quædam lucta per orationis fortes lacertos agnoscitur in Abraham contra Deum, dum procederet ad puniendam Sodomam. Vide quàm perseueranter luctatur. *Stabat*, inquit Scriptura, *coram Domino, & appropinquans ait: Numquid perdes iustum cum impio? Si fuerint ibi quinquaginta iusti, numquid parces loco illi?* Cedit Dominus ipsi, & dicit: Si fuerint 50. iusti, dimittam omni loco propter illos. Quid si 45. fuerint? Cedit Dominus, & dicit, Parcam. Quid si 40? Cedit Dominus & dicit Parcam Perseuerat, nec desistit. Quid si 30? Quid si 20? Quid si 10! In toties luctatus est, quoties precatus optans in confractione stare (vulgo à lâ breche) vt disperderet iram & impediret ruinam. Et quamuis excusserit se Dominus ab eo, & ad vindictam processerit impiorum, quia impleta erat mensura peccatorum: tamen oratione sua promeruit, vt Loth cum vxore & filiabus educerentur è Sodoma & flammis, sic non fuit inefficax precatio & lucta eius cum Deo.

1. Ex veteri testamento. Iacob. Gen. 32. Osea 12.

Moyses. Exod. 32.

Ps. 105.

Aaron. Num. 16.

Abrahã Gen. 8.

V. textũ Gen. 18.

Consideratione quoque digna est actio Eliæ, illa enim indicat, quàm necessaria sit in oratione perseuerantia ad impetrandum. Vt enim impetraret aquam de cœlo, *ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, & dixit ad puerum suum: Ascende & prospice contra mare. Qui cùm ascendisset & contemplatus esset, ait: Non est quicquam. Et rursum ait illi: Revertere septem vicibus: In septima autem vice; ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Attende circumstantias. 1. Ascendit in verticem Carmeli, vt ab hominibus sequestratus tantò attentiùs Dominum obsecraret, nullo interturbante. 2. Posuit faciem suam inter genua, hoc est, procubuit in genua, deinde demisit caput suum in terram, & in genua sua, in signum humillimæ & ferventissimæ orationis. 3. Non despondet animum, licet famulus iam aliquoties accesserit, vt prospiceret contra mare, si fortè signum esset pluuiæ, sed perseuerat & septies ire, & redire, famulum iubet, septies suam propluuia orationem in cœlum mittit fidens & perseuerans; tandemque in septima vice voto potitur, & impetrat quod postularat. Sic cùm viram voluit impetrare filio viduæ, apud quam hospitabatur, secernit se à turba, & seorsum abit in cœnaculum, vt orationi vacet. Atque ibi clamauit ad Dominum, & dixit: *Domine Deus meus etiamne viduam apud quam ego vicumque sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius?* Clamor iste non tam oris fuit quàm cordis vehementis affectus, qui orationem efficacem reddit, indicium. Nec solum vocem in cœlum tollit, sed etiam expandit se super puerum; & id quidem non semel, sed tribus vicibus in signum perseuerantiæ. Denique iterum clamauit: *Domine Deus meus revertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius.* Et exaudiuit Dominus vocem eius.

Elias. 3. Reg. 18.

4. Reg. 17

Secundò, si ex Euangelio perseuerantiæ in oratione exempla requirimus. Habemus *primò* exemplum ipsius Christi luculentum, qui cùm eligere vellet

2. Ex nouo testamento Christus

vellet Apostolos, vt fœlix foret electio, non solùm orat, sed etiam in oratione pernoctat. *Erat*, inquit Lucas, *pernoctans in oratione Dei*. In quem locum dicit Sanctus Ambrosius. *Species tibi datur, forma præscribitur, quam debeas æmulari. Quid enim te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat: Quid te facere conuenit, cum vis aliquod pietatis officium adorari?* Orat ergò Dominus, & perseueranter orat, non vt pro se obsecret, sed vt pro me impetret. Nam etsi omnia posuerit Pater in potestate Filij: Filius tamen vt formam hominis impleret, obsecrandum Patrem putat esse pro nobis, inquit idem Ambrosius. Ipse quoque in horto orans prostratus in terram, ter eandem repetit orationem, perseuerantiam commendans; sicut & in cruce vsque ad extremum spiritum orans, precesque & supplicationes *cum clamore valido & lacrymis* offerens. Sicut verò suo exemplo, sic & verbo ipse expressè docet hanc perseuerantiam in hoc Euangelio, quia tota illa similitudo ducta ab amico pulsante & persistente ad fores amici ad obtinendum tres panes, ad perseuerantiam in oratione commendandam tendit. Est autem accommoda in multis similitudo. 1. Sicut illum panis penuria coëgit ad amicum confugere: ita cum inopia est & sterilitas in anima nostra, aut in agris nostris, item & in alijs necessitatibus ad Deum est recurrendum, quia dives est, & omnibus affluenter dare potest quicquid necessarium est. 2. Sicut ille confidebat se impetraturum quia amicus erat: ita confidamus dona Dei nos impetraturos per orationem, si amici sumus, si in peccato mortali extra statum amicitiæ non reperiamur: *Si cor nostrum non reprehenderit, nos fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo*, dicit Ioan. 3. Sicut ille pulsabat manibus, pedibusque, donec ad eius petitionem evigilaret amicus: sic nos pulsare debemus vehementi affectu quasi pede animi, & operibus bonis orationi coniunctis, quasi manibus: Petite, quærite, pulsate. Ore petimus, corde quærimus, manu pulsamus: efficax ergò est oratio, quæ bona operatione fulcitur. Manus puras & non contaminatas, vt exaudiamur, laxare debemus. *Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*. Sicut ille mediâ nocte accessit, & pulsauit amici fores, sic & nos conuenit nocturno tempore pulsare Dei fores, imitantes Regem & Prophetam, qui dicit: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*. Significat etiam media nox tenebrosum, hoc est calamitosum tempus: sicque contra calamitates & ærumnas ad orationem confugiendum esse monetur. 3. Sicut ille solùm petit panes tunc sibi necessarios: ita debemus solùm à Deo petere, quæ nobis congrua sunt aut necessaria. Tres etiam panes sunt nobis semper necessarij, Fides, Spes, Caritas, hos semper petere possumus. *Tres autem panes sunt*, inquit Sanctus Bernardus, *panis Veritatis, panis Caritatis, panis*

Luc. 6.

Heb. 4.

Perseuerantia in oratione commendatur ex hoc euangelio in petente tres panes

Esai. 58.

Psal. 118.

Tres panes mystici.

Fortitudinis, vt Deum intelligamus, vt eum diligamus, vt eius voluntatem fortiter faciamus. Postremò sicut perseuerantiâ suâ in petendo tandem evicit voluntatem amici, & quod petebat extorsit: & licet repelli videretur ab eo, qui in cubili decumbebat, ab ostio non recessit, à pulsatione non destitit: sic nos ab oratione non debemus recedere, licet videatur Dominus non velle exaudire: quia tandem perseuerantes exaudiet, sicut amicus ille amicum exaudiuit.

Chananæa oràs perseuerat Matt. 15.

Alterum exemplum luculentum, quod declarat quam efficax sit perseuerantia in oratione, habemus in muliere Chananæa. Illa finibus suis egressa currebat post Dominum, & clamabat: *Miserere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur*. At ipse non respondit ei verbum. Illa clamabat, ipse tacebat, quasi indignam alloquio repudians. Non propterea desistit illa clamare, & post Dominum, & post discipulos eius, vt forent apud Dominum intercessores. Quapropter *accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes, dimitte eam, quia clamat post nos*. At ipse hos etiam intercessores repellere videtur, dum dicit eis: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*. Non tamen ob id animum despondet ipsa. Venit coram, adorauit, & dixit, *Domine, adiuua me*. Respondet ipse indignabundè, & vocat eam canem, licet miseriam suam humiliter exponentem: *Non est*, inquit, *bonum sumere panem filiorum & dare canibus*. An non hac aspeâ responsione confusa deberet abscedere, nec vltra os aperire toties repulsa? Absit. Animum resumit, & respondet humiliter & confidenter: *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum*. Tandem illius perseuerantia evictus Dominus, quod petit ei impertitur, & in eius laudem voces soluens dicit: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*. Et sanata est filia eius ex illa hora. Itaque meritò, inquit Sanctus Hieronymus, Chananæa vocatur, hoc est Negotiatrix, quæ negotium suum optimè apud Dominum gessit, responso suo & perseuerantia eum velut conuincens, & in suam pertrahens sententiam. Sic omnibus sæculis in exemplum futura est his, qui Dominum orare debitè voluerint cum humilitate & perseuerantia. Prætereo hic perseuerantiam Cæci clamantis in Euangelio post Dominum & Apostolos. Taceo perseuerantiam Pauli carnis stimulum deprecatione à se amouere conitentis. Prætereo orationem, quæ pro Petro fiebat sine intermissione ab Ecclesia: imò & ipsius Petri orationem perseuerantem, dum hora esset refectionis: vnde & tunc mysticum linteum ei præsentatum est in oratione, in excessu mentis. De quibus in Actis. His omnibus exemplis ad perseuerandum in oratione stimulamur.

Exhibet historias.

Tertiò, in Sanctorum historijs plurima assidux orationis exempla occurrunt, pauca delibare nobis sufficiat modò.

Ac non

Ac in primis notum est de *S. Hieronymo*, quàm mox aperiri pulsantibus, non per vires eorum, sed
S. Hieronymus. constans fuerit & perseverans in oratione, qui propter faciem & merita Christi, dum illam faciem
de seipso dicit variis cogitationibus & stimulis suam benignam à nobis aversam ob peccata, ite-
carnis agitato in solitudine: *Sedebam ad pedes IE-* rum ad nos convertit ob pœnitentiam & orationē
IV, clamans & lachrymis vigans eos; Memini me nostram; in illamque respiciens Pater æternus, o-
clamantem crebrò diem iunxisse cum nocte, nec prius mnia postulata nobis concedit, unde illud: *Prote-*
à pectoris cessisse verberibus, quàm rediret Domino *ctor noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui* *Psal. 83.*
imperante tranquillitas. Ita ipse epist. ad Lætam. Quapropter merito etiam dicimus: *Benedictus*
Deus qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me. Si perseverat oratio nostra, *Psal. 65.*
S. Reinel- Mirabile est quod de *S. Reinelde Virgine* & Mar- numquam abest misericordia.
dis Virg. tyre in eius vita refertur, & ex Lobbiensis Mo- S. Benedictus quàm perseverans fuerit in ora-
& Mart. nasterii annalibus constat. Accesserat Reineldis tione testatur speluncа in rupe altissima, juxta
cum sorore sua sancta Gudila devotionis ergo Mo- Sublacum oppidum ab urbe Roma 40. milliari-
nasterium istud (quod initio austeritate & san- bus distans. Cum esset adeo angustus ibi locus, ut
ctitate florentissimum erat, bonumque Christi nec erecto corpore stare, nec in genua se erigere
odorem quaquaversum spargebat) ut se preci- quis posset, in longum tamen ita porrectus est,
bus sanctorum virorum ibi Benedicti Regulam se- quantum humani corporis longitudo requirit.
ctantium commendaret, & aliquam partem hæ- Ibi sanctus Benedictus orationē continuâ se pro-
reditatis suæ ad pedes sancti Petri, qui Cœnobii strauit, per triennium illic demoratus, & prorer *Stapleta-*
Patronus est, offerret. At nunquam potuit impe- illam continuam orationem jacentis in pavimen- *nus, testis*
trare ingressum in Monasterium, vel in Monaste- to, locus est politissimus, & præ nimia æqualitate *oculatus*
rij Oratorium, respondentibus tunc Monachis, lubricus, cum tota reliqua speluncæ pars, tam intus, *Dom. in-*
nullam mulierem à fundatione Monasterij acces- quàm extra, saxum sit aspertimum. Ita testantur *fra Nat.*
sum habuisse in illud, ne quidem in Oratorium, qui locum inviserunt.
idque esse contra rigorem vigoremque regulæ i- Similiter in Prato spirit. c. 184. refertur, quod
bidem sancitæ. Interim sancto ipsa desiderio im- cuiusdam senis Monachi oratio adeo fuit conti-
pulsa non recedit à foribus templi, recedente li- nua, ut cùm tabula quædam ei substrata esset, in
cet sorore sua Gudila: sed perseverat tribus diebus qua genua flectebat orans, locus ipse ubi genua
noctibusque in oratione, ut potiatur suo desiderio. figebat & manus ex usu perpetuo orandi conca-
Tertio die exaudivit eam perseverantem Domi- vus foret plusquam digitorum quatuor.
nus, & ultrò apertæ sunt cœlitus januæ, & cam- Huc etiam spectat, quod S. Iacobus primus Hie-
panæ nullo pulsante personuerunt; mirantibus- rosolymitanus Episcopus adeo in oratione fuit
que Religiosis, & in Oratorium occurrentibus, perseverans & continuus, ut genua eius callum
inventa est ipsa coram Crucifixo in oratione pro obduxerint, & istat pellis & cameli obduxerint,
strata, pavimento adhærens piis cum lacrymis. ut testatur S. Hieronymus in Catal. Script. Eccle-
Surgens autem ab oratione convocatis Monaste- siast. & refertur in Breviario Romano.
rii Patribus, dixit: *Ecce despexistis miseram pecca-* TV Domine qui docuisti nos in nomine tuo *Conclu-*
tricem, & à loco sacro cum austeritate arcere voluis- petere, quærere, pulsare, & promisisti peti- *sio.*
tis, Deus autem hominibus benignior exaudiuit pre- tionem nostram exaudiendam; hanc nobis im-
ces humilis ancillæ quas reiecistis, & me huc intro- pertire cœlitus gratiam, ut cum attentione &
duxit, ut orationum vestrarum particeps efficiar, & affectu caleamus orare; cum puritate cordis &
ad pedes SS. Petri & Benedicti offeram me, & partem affectu filiali coram Patre nos præsentare, & quæ
hæreditatis meæ. Obtulit ergo ipsa hæreditatem saluti nostræ gloriæque tuæ conducibilia sunt,
quam habebat in pago de Sanctes in alimentum postulare, ut gaudium nostrum sit plenum, cùm
Sanctorum ibi degentium. Sic de Sancta hac Vir- postulatis fruemur. Da nobis fiduciam & perseve-
gine & Martyre dicere possumus, quod de mu- rantiam in oratione, ut spiritum bonum valeamus
liere forti dicit Sapiens: *Manum suam aperuit in-* tandem impetrare, quem Pater dat petentibus se,
Prov. 31. *opi, & palmas suas extendit ad pauperem. Mulier ti-* quia *omne datum optimum, & omne donum perfectū* *Iac. 1.*
mens Dominum ipsa laudabitur: date ei de fructu ma- *descendens à Patre luminum.* Respice
nuum suarum, & laudent eam in portis opera eius. Ecclesiam tuam tuo sanguine redemptam in his
Sic adimplevit ob perseverantem orationem pro- diebus Rogationum congregatam, pro necessi-
missionem suam Dominus; *Pulsate & aperietur* tatibus publicis orantem, pro extirpatione hære-
vobis. Dicunt Hebræi, cum Salomon reduceret Ar- sium, pro unitate Regum & Principum, pro quie-
cam in templum à se mirè fabrefactum, valvas e te populorum, pro conservatione Ecclesiastico-
jus ultrò clausas fuisse. Sed dum canerent Sacer- rum Ordinum, pro prosperitate rerum spiritua-
Psal. 131. dotes versum illum: *Propter David servum tuum* lium & temporalium, pro fertilitate agrorum,
non avertas faciem Christi tui, statim etiā ultrò re- pro depulsione morborum. Intuere propitius
seratas fuisse & apertas, nemine manum adhiben- tribulationes plebium, pericula populorum,
te. Hæc quidem incerta sunt, illud verò certum, ostium cœli quod nobis occluditur ob peccatum,

captivorum gemitus, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, supiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum. Hoc rogamus, per nomen tuum sanctissimum, & per merita tua sacratissima, ô Domine Iesu, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum.

TRACTATVS II.

DE FESTIS DOMINI SABBAOTH.

DE ASCENSIONE DOMINI.

Eleuatis manibus benedixit eis, & ferebatur in Cœlum. Luc. 24.

Exer. 1. tripartita

IN Ascensione Domini pleraque digna sunt attentâ consideratione, quia mysteriis plena, & ad pietatem eximiâ dam idonea. Cũ verò de hoc Ascensionis mysterio multa tradiderimus in Horto Pastorum, explicantes articulum sextum Symboli Apostolici: *Ascendit ad Cœlos sedet ad dexteram Patris*, pauca hic subjiciemus, & de tribus potissimùm differemus. 1. De qualitate ascendentis. 2. De testibus ascensionis. 3. De modo elevationis & benedictionis.

PARS PRIMA.

De qualitate ascẽdentis.

REX & Propheta David, ut notas faciat qualitates Christi ascendentis, introducit Angelos cum admiratione interrogantes, quis sit ille qui jubet sibi referari *Portas æternales & Principibus Cœli*, quas ingredi vult cum triumpho? *Attollite portas Principes vestras, & eleuamini porta æternales, & introibit Rex gloriæ: Quis est iste Rex gloriæ?* Certè Angelorum Hierarchiæ (pro quibus inducitur interrogatio) non ignorabant Christum esse Regem civitatis suæ, Caputque non solùm hominum, sed etiam Angelorum: tamen indicatur per interrogationem, istam, non fieri sine totius naturæ admiratione, quòd terrenum corpus supra omnes cœlestes spiritus cum imperio & potestate conscendat, quodque admirabili modo exaltetur terra supra Cœlum, homo supra Angelum, pulvis usque ad Deitatis solium. Interim, ut cesset admiratio, describitur virtus & potestates Regis adeo sublimiter ascendentis, vocaturque *Rex gloriæ, Rex fortis & potens in prælio, Dominus virtutum*: Auditationem horum titulorum.

Psal. 23.

Motiuũ ascendentis Christi.

1. Quia fortis fuit & potens in prælio contra Satanam, Mortem, Infernum, ideo ei tanquam Victori debet Triumphus decerni, & Corona præparari; debent & Portæ Civitatis cœlestis cum jubilo aperiri, ut in illam ingrediatur vectus curru triumphali. Hic currus glorioſum ejus corpus est, cujus quatuor dotes velut quatuor rotæ sunt, quibus volvitur & vehitur in civitatem sanctam. Impassibilitas scil. & Agilitas, Claritas & Subtilitas.

2. Quia Dominus virtutum ipse est, sive Dominus exercituum, ideo cum turmæ comitantur non solum ex Angelis compositæ, sed etiam ex hominum innumera multitudine. Comitantur enim eum Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes, Reges & Duces populi antiqui, senes cum junioribus, mulieres cum viris, omnesque illi de quibus Apostolus dicit: quod *testimonio fidei probati nondum acceperant repromissionem*, horumque asserit tantum fuisse numerum, ut eis deficeret tempus, si vellet enarrare. Et hos quidem exercitum varium constituere merito dicimus, quia teste ibidem Apostolo, multi ex illis strenuissimi milites fuere, qui *per fidem vicerunt regna operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Hebr. 11.

3. Quia Rex gloriæ est, ideo nemini illa datur nisi ejus merito & gratiâ, ideo eam quibus vult impertitur, ideo ad illam nemo attigit hominum ante ipsum. *Sic honorabitur quem Rex voluerit honorare*, sic sedebit in throno gloriæ cum ipso quem voluerit secum ducere. Denique, quia Rex est gloriæ, ideo *graditur in multitudine virtutis suæ, formosus in stola sua*: Et *Constituitur à Patre ad dexteram in cœlestibus super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Esther. 6. Ephes. 1.

Jubilens

Iubilent ergo omnes filij adoptionis in die qua primogenitus Dei Filius gloriæ cœlestis accipit possessionem, non solum pro se, sed & pro ipsis.

Rom. 8. Non vult *Primogenitus in multis fratribus* adire hæreditatem sine aliis fratribus & cohæredibus à

Ioan. 20. Patre sibi commendatis: *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Non vult Pastor esse sine ovibus suo charactere sigillatis. Non vult supremus Magister separari à suis discipulis. Non vult Dux esse sine militibus Non vult caput esse sine membris. Si ergo sumus membra ejus per ipsius spiritum inhabitantem in nobis, si sumus cohortis ejus milites Duci nostro fideles, si sumus discipuli cœlestis Magistri amantes, si sumus oves ejus sigillo signatæ, eiusque vestigia sequentes, si

Hebr. 10. denique sumus fratres ipsius per charitatem & uni-

Hebr. 16. onem, tandem erimus gloriæ eiusdem participes, eiusdem hæreditatis consortes. Ascendit Rex noster ante nos, ut nobis pendat iter, & ut loquitur Apostolus: *Initiauit nobis viam nouam* Denique, *Habet in manibus suis lucem, ut annuntiet de eo amico suo, & quod possessio eius sit, & quod ad eam ascendere posset.*

Dicamus itaque cum Propheta congratulantes nobis in eius Ascensione *Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem.* Nempe, inter-prete S. Ambrosio serm. 74 ignota erat ante Christum via vitæ: *Quia nullo adhuc resurgētis vel ascēdātis fuerat temerata vestigio. at ubi Dominus resurrexit & ascendit, nota facta solo attrita est plurimorū.* Sic merito dicit ipse Patri: *Notas mihi feciſti vias vitæ* in resurrectione scilicet, dum post mortem ab inferis redeo ad superos. Sic merito & nos illi dicimus: *Notas mihi feciſti vias vitæ*, quia nobis semitam manifestavit ad vitam, & iter quo pervenitur ad salutem & gloriam.

Dicamus denique Christo Domino congratulantes in eius Ascensione, dum elevatur propriâ

Psal. 96. virtute super omnes cœlos tamquam Rex gloriæ: *Tu solus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos.* Qui adeo profundè descenderat, ut non posset ulterius; adeo sublimiter ascendit hodie, ut non possit sublimius.

Chryſoſt. ſerm. de aſcenſ. *Vide quo ſtatim cœlum ſeparatur à terra, imo terra quanto ab inferis abeſt, & ipſum cælum quanto ab aëtiore cœlo ſeparatur, & de altiore cœlo ad Angelos ſtat enim ur qui te terræ maru & infrorum Domi- quantum ſpatii eſt, vel ſuperiores etiam Poteſtates, ad num probaſti, jam aſcendas per medium aeris ſuper o- ipſam quoque Dominicam ſedem.* Super hæc o mnes cœlos. *Ex tunc probabitur quia Dominus uni-* mnia elevata est in Christo natura nostra. Altissimus igitur est ipse non solum super omnem terram, sed & super omnes cœlos: & quidem, ut multis placet Theologis, etiam super cœlum empyreum, ita ut pedibus insistat convexæ superficiei cœli empyrei, in spatio illo inani quod super cœlum est eminens. Ipse enim tamquam universi Dominus universo eminet, & super illud etiam in spatiis illis vacuis gloriam & dominium suum ostendit. Atque cum Beati sunt in cœlo empyreo, ipse tamquam Rex illis supereminet in throno regio supra cœlum, coram se cœlum habens quasi aulam suam regiam quam di-structè & sublimi conspicit sibi subiectam. Exaltatus quoque hodie est super omnes Deos, non solum quia elevatus est super omnes Angelos & omnes Sanctos, qui dicuntur quandoque Dii in sacris litteris ob quandam divinitatis participationem, sed quia ascendit, ut sua Maiestate, potentia, Divinitate adimpleret omnia, & possessionem cœpit in omnibus locis, Deus & Dominus universorum agnosci volens ab omnibus, fugans falsos Deos, & eorum potestatem ostendens inanem. Ipse se Deum ostenderat in inferis, ibi possessionem capiens, ibi captivorum vincula dissolvens, ibi in triumphum ducens confusibiliter tartareas potestates: Sic exclusit Plutonem, Proserpinam, alioſque Deos vel furias infernales, quas inferis præsidere voluerunt Gentiles. Ipse Deum ostenderat in terra, Dominatoremque super frugibus terræ, super pane, vino, fructibus, dum panes multiplicat, aquam in vinum convertit, ficui maledicit mox ad eius verbum exarescenti. Sic exclusit Cererem, Bacchum, Faunos, Satyros, quos circa fruges terræ, vites, arbores, potestatem habere existimarunt antiqui superstitione excœcati. Ipse se Deum ostenderat in mari, super illud ambulans, solidumque in liquido elemento figens vestigium, ventis etiam & tempestatibus silentium indicens: Sic exclusit Neptunum, Aeolum, & similes, qui tamquam Dii putabantur habere potestatem super mare & ventos, ut eos possent laxare vel comprimere. At hodie ascendens, possessionem accepit totius aëris, cœlorumque omnium, ut plena sit possessio, in imo, in summo mundi spatio, dum in his omnibus virtutem suam & potestatem manifestavit. Sic exclusit Iovem è cœlis, omnesque alios qui ut Dij dicebantur cœlo vel aëri præsidere. Itaque exaltatus est nimis super omnes Deos; hoc est, perfectissimè fuit magnificatus super illos, dum ab omnibus creaturis agnitus est, ut Dominus, dum ab omni choro Angelorum tamquam Rex gloriæ est adoratus, dumque illud innotuit: *Omnes Dii gentium dæmonia.* Hoc est quod dicit S. Bernardus. *Exaltare Domine in virtute tua; Re-* Psal. 95. *surrectionem tuam & ascensionem tuam.* Serm. de Ascens.

Tam tibi profectò debebitur, ut in nomine tuo omne genu flectatur, cœlestium terrestrium & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia tu es in gloria & dextera Dei Patris.

PARS II.
De testibus ascensionis.

Testes suæ transfigurationis gloriosæ in monte, & dolorosæ in horto, paucos Christus elegerat: nunc autem Ascensionis suæ in cœlum plurimos testes vult. Nec elegit solum Apostolos,

Vbique Christus Deum se ostendit, ut excluderet omnes Deos.

qui præcipuorum mysteriorum fuere per specialem eius gratiam conscij, sed etiam discipulos numero ferè centum viginti. Hos vero discipulos per mediam urbem Iudæis videntibus & frementibus (sed vi diuinâ attonitis & stupefactis) deduxisse usque ad montem Oliveti, ac itinere intermedio divertisse versus adiacentem Bethaniam, ut Magdalenæ & Marthæ, simulque Lazaro valediceret, eosque secum duceret admirabilis suæ Ascensionis testes, piè nonnulli meditantur, & ex Lucæ cap. 24. colligitur. In monte igitur Oliveti (in quo voluit triumphum gloriæ ascendendo inchoare, quia ibi Passionis eius humiliatio primordia ceperat) valedixit omnibus suis, suavissimique amoris quo eos diligebat in finem ibi viscera patuerunt, per sanctissimæ ardentissimaque charitatis eius colloquia. Ibi & pedes & manus eis iterum exhibuit ad osculum & charitatis suavium; imò & vulnus ipsum cordis Matri non negauit, in testimonium extremi amoris. Ibi meditatur S. August. Apostolos Christo, si non ore; saltem corde hæc aut similia dixisse: *Domine quare nos derelinquis ascendens, qui nos elegisti in ripa præcedens? Domine quando fumus verba tua super mel & favum eminus percepturi, & stillâtis eorum tanquam gratiæ balsamum de tuis labiis libaturi? Quasi scuto benignitatis tuæ remansimus in aperto nudati, tamquam pupilli matris amplectentis pennæ velamine destituti. Quando venies ad nos, qui redemisti nos? Mors tua fuit peccatum nostrum, sit ascensus tuus pignus nostrum, ne nimis absorpti mœrore mergamur, quos elevasti de gemitibus inferorum.* Antea Dominus recumbens & commedens cum eis redarguerat incredulitatem eorum, ut dicit Marcus in hoc etiam suam ostendens dilectionem, quia *meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula edentis*; idque pæterea zelo fecerat, ut culpam agnoscerent, & veniam deprecarentur. Quod quidem fecisse Apostolos rectè existimaveris, ita ut à Christo discessuro plenissimam acceperint præteritæ culpæ indulgentiam. Nam ordine quodam coram eo suam fatentes infirmitatem, & præteritam ignorantiam, dispositionem exhibuerunt ad benedictionem & osculum pacis. Hic fortè iterum Petrus lacrymis suam diluit negationem, Ioannes & Iacobus ambitiosam petitionem aliis scandalosam, Thomas obstinationem, cæteri etiam sigillatim suam turpem fugam & incredulitatem. Nam licet horum delictorum jam acccepissent remissionem, sciebant tamen illud Sapientis: *De propitiato noli esse sine metu.* Sciebant quoque humilitatis Magistro acceptissimam fore hanc iteratam humiliationem, & infirmitatis agnitionem, maximè in discessu. Nam & Filij à Patre discessuro benedictionem petentes, etiam præteritæ cuiuslibet offensæ veniam efflagitant supplices.

Quia verò accepto in monte Oliveti pacis osculo non poterant divelli à Patre valedicente, nec pedes eos (quos tunc amplecti licebat) volebant deserere: ideo vestigia pedum suorum humo impressit & petræ, quæ postmodum quoties liberet, osculari possent, honorare, piis lacrymis rigare, de quibus propheticè videtur locutus Zacharias: *Stabunt pedes eius super montem Oliveti ad Orientem.* Poterant ergo Apostoli dicere illud: *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius.* Nam & ipsi & Fideles eis succedentes hæc vestigia magnâ devotione honorarunt: & cum à Fidelibus terra ubi illa impressa cernebantur devotionis gratiâ raderetur, semper illa tamen pristinam recuperabant formam, qui & addit festivitatem Ascensionis singulis annis fuisse divinis prodigiis decoratam. Missa enim peracta validi flaminis procella desuper venire consueverat, & omnes qui in Ecclesiam convenerant, in terram prosternere, totaque nocte ibi lucernæ ardebant, ut non illustra ri tantum, sed & ardere mons & supposita loca viderentur. Atque hoc ibi prodigii quoque fuit, quod cùm Ecclesia, in cuius medio sunt vestigia, pulcherrimo opere conderetur, summum tamen cacumen propter Dominici corporis meatum nullo modo contingi aut contaminari potuit, sed transitus eius à terra ad cœlum usque patebat aperta. Locus quoque, ex quo ascendit, numquam lapide marmoreo, aut alias pretioso operculo, se contingi passus est, homo illa sacrata respuente, & à se repellente quicquid humana devotio ornatus gratia apponere studuit, ut testatur S. Paulinus. Denique adhuc modo sacratissimus ille locus, ubi sua Christus impressit vestigia in saxo velut in cera molli, visitur à Fidelibus concurrentibus ex omni parte mundi, licet inter medios infideles sit; ita ut etiam nunc verum sit quod dicitur: *Locum pedum meorum glorificabo*, & illud iam citatum: *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius.* Sic & prope Romam locus magnopere honoratur, ubi steterunt pedes Domini, quando apparens Petro paulò ante Martyrium ex Vrbe se proripienti interrogatus est ab illo, *Domine quò vadis?* & respondit Dominus: *Vado Romam iterum crucifigi*, sicque Petrum admovit de regressu in Vrbem, & deforuter obeundo martyrio per crucis lignum, ut conformaretur Magistro. Vocatur ergo ille locus usque in hodiernum diem, *Domine quò vadis?* & quia locus pedum Domini fuit post Ascensionem, honore magno colitur cum vestigiis Domini saxo impressis ibidem.

Itaque Christus Dominus qui Apostolos selegerat tamquam testes omnium suorum mysteriorum in terra, testes primi miraculi in nuptiis, testes toties impertitæ sanitatis cœcis, claudis leprosis, testes tot mortuorum ad vitam revocatorum, testes tot conversionũ, testes passionis, testes resurrectionis voluit etiam illos testes esse suæ Ascensionis, quia illa complementum erat totius peregrinationis & mysteriorum omnium super terram. Denique, voluit eos aspicere quomodo

Act. 1.

V. Ludo. de Pont.

Ser. 179. de Temp.

Prov. 27.

Eccli 5.

Christus ascendens

vestigia pedum imprimit

Zach. 14

Ps. 131.

Festivitas ascensionis prodigiis prodigiosa.

Et locus ascensionis.

Isai. 60

S. Ambr. orat. de Basilio, ubi tradendo

Cur Christus suos discipulos ascensionis suæ voluerit esse testes.

modò ascenderet, vt monerentur etiam esse testes Iudicij venturi eodem modo, & ad eundem locum.

Act. 1. Hoc est enim quod dicitur: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic IESVS qui à vobis assumptus est in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Quasi dicant Angeli: Fixo firmoque pede in cœlum diu suspexistis, sed iam satis est. Christus enim Pater & Magister vester iam ab oculis vestris subductus est in cœlum, nec eum vltra oculis corporis videre potestis: sed scitote eum rediturum ad iudicium, vt vos secum assumat: interim itaque munus Apostolicum vobis ab ipso demandatum, & ad Spiritus sancti adventum vos disponite. Quandoquidem enim vos tamquam filij & discipuli eius viuendi rationem conspicati estis, eius doctrinam excepistis, eius miracula spectastis, immerum ac laborum eius socij fuistis, eius tormenta, mortem, crucem conspexistis, eius resurrectionis testes fuistis, oportet etiam Ascensionis in cœlum testes esse, ac præcones iudicij ad quod iterum venturus est. Propterea in hunc montem vos duxit, & nunc ex hoc monte vos dimittit, vt quæ vidistis annuncietis omnibus, cuique fidem & amorem omnium imprimatis cordibus, & ad salutem ac vitam omnes vocetis, vt in cœlum tandem cum ipso conscendant ad locum, quem præparauit eis.

Deut. 32. Denique Christus in cœlum ascensurus secum discipulos ducens, videtur voluisse adimplere illud: *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos & super eos volitans expandit alas suas.* Hoc enim factum est, dum aram discipulis elevatis manibus ferebatur in cœlum. Recte profectò Christi ascendentis symbolum Aquila dicitur, quæ solet extendere alas coram pullis, seque coram illis in sublime elevare, vt & ipsi dicant ad volatum se exercere, & in solis radios oculos intentos & irretortos figere. Quantumeumque verò in altum volet, semper tamen pullorum dicitur sollicitudinem gerere, & ad illos intra nidum remanentes oculos deflectere. Ecce discipuli tamquam pulli aquilæ adhuc imperfecti sunt, necdum perfecta virtute perfectisque ad volandum prædiri pennis, hanc virtutem, hasque alas perficiet Spiritus sanctus. Interim postquam eos aliquamdiu aluit, è nido vult vt egrediantur, hoc est, è Ierusalem & Iudæa vult evolent & ad volandum omnes gentes doceant: vult vt in solem figant oculos, in radiantem diuinitatem; propterea coram illis sese sensim elevat, & viam in cœlum manifestat. Et quamuis in sublime feratur, quò non possunt discipuli pertingere, eorum tamen non deponit sollicitudinem: sed in eos tamquam pullos amantissimos benevolam dirigit semper aspectum.

Ioan. 17. Vnd ante ascensum Patrem sic alloquebatur: *Clarifica me claritate quam habui priùs quam mundus fieret. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, nunc autem pro eis rogo, quia ad te venio.* Vides quomodo non deserit suorum sollicitudinem, licet sublimissimè volare contendant? Illos respicit, illos Patri commendat, illos benedicit. Sed videamus in particulari, quid illa benedictio peracta manibus eleuatis significet, quemque effectum habeat?

PARS III. *De modo eleuationis & benedictionis.*

QVæ circa Eliam in eius raptu gesta sunt, figuram gerunt eorum, quæ circa CHRISTVM in eius ascensione geruntur: vnde digna sunt, vt attentius considerentur. Videamus ergò particulariter, in quibus figura illa ei, quod præfigurabat, sit conformis.

1. Reg. 2. 1. Currus igneus & equi ignei diuisserunt Eliam ab Elisæo discipulo, & ascendit per turbinem in Cœlum. Hoc est, nubes rutila equorum & currus, speciem referens susscepit Eliam & in Cœlum vexit, ventusque consurgens paulatim extulit equos & currum, donec ab oculis Elisæi spectantis & clamantis subduceretur. Sic CHRISTVM nubes susscepit ab oculis discipulorum, quæ sine dubio gloriosa fuit: & eximia luce corusca, ad hoc à Deo adducta vel producta, vt corpus Christi tegeret, & ab oculis Apostolorum eximeret, simulque suo fulgore maiestatem ascendentis ostenderet. Hæc verò fuit differentia inter Christum & Eliam, quod Elias illâ nube igneâ egeret, tamquam currus cuiusdam cœlestis adminiculo, & Angelorum ministerio currum illum dirigente: Christus autem radiante suâ nube non egebat, tamquam curru, nec Angelorum fulciebatur obsequio, sed propriâ virtute ascendebat, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Nam per dotem agilitatis corpus eius gloriosum in sublime ferebatur, quamuis nubem & Angelicum comitatum habuerit ad splendorem & maiestatem.

2. Dum Elias in Cœlum conscendit, non solùm habuit testem præsentem Elisæum, qui ei in officio debebat succedere: sed etiam quinquaginta filij Prophetarum, discipuli scilicet qui à Prophetis, & maximè ab Elia & Elisæo instituebantur, secuti sunt, & viderunt quæ gesta sunt circa Eliam & Elisæum, stantes à longè. Et ipsi sciebant Eliam à Domino rapiendum, dixerant enim Elisæo: *Numquid nosti, quia Dominus hodie tollet Dominum tuum à te?* Hoc nempe aliquibus eorum fuerat revelatum, sicut & Elisæo. Quod si Elias videtur gloriosæ suæ translationis noluisse habere testem, quia & Elisæum videtur voluisse dimittere; id tamen potius factum est, vt desiderium eius obtinendo magis ac magis accenderet, & benevolentiæ periculum faceret, quàm vt à se separaret. Sic Christus non solùm Petrum, sibi successorem in officio, testem vult esse suæ ascensionis, nec solùm Ioannem & Iacobum quos transfigurationis testes adsumpserat; sed etiam fere centum viginti discipulos & filios à se institutos. Neque eos solum à longè voluit stare, sed etiam secum duxit, vt è propinquo rem totam conspicerent, vt iam diximus.

3. Sicut

3. Sicut dixit Elias Elisæo. *Postula quod vis ut faciam tibi antequam tollar à te* Sic Christus ante ascensionem dixit discipulis, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, usque modo non petistis quicquam in nomine meo, petite & accipietis, ut gaudiũ vestrum sit plenum* Et sicut Elisæus petiit ab Elia spiritum eius duplicem, & impetravit, Sic Christus spiritum suum promisit suis, & post ascensionem misit. Et quidem spiritum duplicem, spiritum scilicet prophetiæ & miraculorum eis impertitus est, ita ut plura & maiora fecerint miracula ad conversionem orbis, quam ipse Christus, sicut etiam promiserat: *Qui credit in me, opera quæ ego facio ipse faciet & maiora horũ faciet.* Sic & Elisæus plura legitur fecisse miracula, quam Elias, nam Elias tantum octo, Elisæus septemdecim fecisse legitur, quæ particulariter enumerat Rupertus lib. 3. in libros Regum cap. 17.

Ioan. 14.

4. Elias non promittit Elisæo quod petit, nisi sub conditione, *Si videris me.* Et quia vidit eum ascendentem & inclamauit, *Pater mi, Pater mi, currus Israel & auriga eius,* sive ut Hebræa habent *& equites eius;* ideo obtinuit benedictionem Eliæ & pallium eius, per quod divisit aquas Iordanis, & multa alia mira patrauit. Sic nisi fidei & pietatis oculo Christum ascendentem intueamur, nihil ab eo impetramus: *Si non videris me non erit tibi.* Quicunque autem eum intuentur cum Apostolis, & cordis clamore & amore invocant, pallium impetrant, hoc est protectionem & directionem, quâ turbulentas huius sæculi aquas valeant pertransire securè. Impetrauit & benedictionem quam elevatis manibus voluit dare, quæ non fuit sine effectu, quandoquidem signum fuit & signum fuit efficacis auxilij virtute crucis in universum orbem descendentis. Hâc enim manuum elevatione universum orbem censetur quâdam benedictione locupletasse, & diaboli manum à toto orbe extensam inefficacem reddidisse. Vnde aliqui putant extendisse manus sicut olim Moyses in monte, ut populo victoriam impetraret & hostium conatum irritum redderet: alii signum crucis in aere formasse, ita ut exinde mos ortus sit in Ecclesia benedicendi per signum crucis: alii denique cancellatis manibus benedixisse, sicut olim Iacob benedixit Ephraim & Manasse. Quicquid sit, & quacunque ratione illa benedictio facta fuerit, non potuit non symbolum crucis in manibus elevatis repræsentari, fructusque crucis per eam derivati: ita ut benedictionem quam in crucis sacerdotali Throno dederat expansis manibus, iam repetat discedens à filiis.

Efficacia benedictionis Christi.

Et hæc benedictio adeo fuit efficax, ut illius virtutem participarint non solum Apostoli tunc præsentes, sed etiam Martyres, Sacerdotes, Confessores, Virgines, omnesque animæ electæ usque in finem sæculi. Itaque Apostoli, & eorum in ministerio sacro successores virtute illius benedictionis, docent, prædicant, orbem convertunt, miracula patrant, dæmonia ejiciunt: mortuos suscitant, & omne opus ministerii sui peragunt. Virtute quoque illius Martyres de tyrannis, de tormentis, de morte triumphant. Virtute illius Sacerdotes & Religiosi in pietate & sanctimonia munera sua obeunt. Virtute illius Virgines de carne, mundo Satana victoriam reportant. Virtute illius Fideles post piam vitam felicem mortem adipiscuntur, & in Cœlum viam nanciscuntur, & cum Christo gloriæ consortium, Vnde quidam hanc aut similem putant fuisse Christi benedictionem: *Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos. Pater quos dedisti mihi volo ut ubi ego sum & illi sint mecum, ut videant claritatem meam.* Christum enim Discipulis benedixisse non aliud fuit, quam Patris opem & gratiam filijs suis apprecatum fuisse, qua ipsi in fide vitaque Christiana proficerent, & alios ad eandem verbo & exemplo provocarent, & ad æternitatis beatæ sortem felicissimam pertingerent post hoc sæculum, & miserabile ævum. Ioan. 17.

Multi Sancti ut huius benedictionis efficaciam consequerentur, optarunt diem ultimum finire in die Ascensionis Domini, ut scilicet virtute illius benedictionis Christum sequerentur ascendentem ad Patris gloriam. Atque ad aliquibus speciali quadam gratia concessum fuisse, sacræ tradunt Historiæ. *Sanctiorum optarunt mori in festo Ascens.*

Sic *Vener. Beda* ipso festo Ascensionis Christi mortuus esse legitur, cùm interesset Vesperis, caneretque pientissimo affectu: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto:* Hæc enim fuit eius ultima & quasi cygnea vox. Sic Christum secutus est ascendentem in die Ascensionis illius, ut toti Trinitati laudes & gloriam perfectius decantaret in cœlesti Templo. *Baro an. Dom. 731*

Sic *S. Bernardus Senensis,* qui nominis Iesu gloriam efficacissimè ubi propagarat, ex hac vita decessit cum solatio & gaudio, dum in primis Vesperis Ascensionis Domini fratres in choro decantarent: *Pater manifestaui gloriam tuam hominibus, nunc autem ad te venio* Hæc est Antiphona ad Canticum Magnificat, in cuius postremis verbis exspiravit, ad Patrem ascendens, cum Dei filio, ut festum Ascensionis eius perfectius celebraret in Angelorum choro. Ioan. 17.

Sic cum *S. Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus* in die Ascensioni sacro oraret, mox illi in templo oranti adfuit multitudo Angelorum dicentium se venisse ad illum in cœlum deducendũ, si paratus foret. Quibus ille dixit, se quidem paratum, attamen obsecrare ne tam celebri die populus sacri verbi pabulo privaretur. Quapropter, dies proximus eius migrationi ab Angelis præfinitur, ut postquam Ascensionem Domini cum populo suo celebrasset in terris, illum è vestigio celebrare posset in cœlis. *Surius in vita eius.*

Sic cum *B. Bernard. de Portugallia Ord. S. Dominici*

Lect. 13. de mart. in Carm. delab. mysl.

nici ques innocentissimos pueros in pietate instrueret, illi invitati sunt à puero Iesu per imaginem loquente ad cœleste conviuium, & præfinitus eis fuit dies Ascensioni Domini sacratus: in quo cum Magistro suo ad æternitatis epulum morte prævia sunt deducti, eadem die mortui, eodem sepulchro tumulati. Historiam fusiùs retulimus alibi.

Sic Virgo quædam nobilis & devotissima, cùm coram Crucifixo oraret post ægritudinem nouem mensium aspertimam, *Domine quando me de hoc carcere eues? quando apparebo coram te?* audiuit vocem sibi respondentem fore id in die gloriosæ Ascensionis, Quod & factum est hora post meridiem prima, qua hora Saluator ascendit. Vide id latiùs ex Granatensi in Horto Pastorum, tom. 1. tract. 3. lect. 22.

Ioan. 14. An non hi omnes benedictionis illius, quam Christus ascendens dedit, fuêre participes? Equidem non aliud cogitare possumus. Fac igitur Domine, vt te oculis fidei & amoris intueamur & nos ascendentem, nube lucida circumdatum, Seraphico & igneo exercitu cinctum, sicque te intuentes, toto corde clamemus ad te de hoc exilij loco, & mereamur impetrare pallium & protectionem, spiritum & directionem, solatium & benedictionem, qua calcatis huius sæculi fluctibus pertingere valeamus in cœlestem Ierusalem.

DOMINICA INFRA OCT. ASC.

LECT. 2. tripartita.

Cùm venerit Paraclytus quem mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me. Ioan. 15.

PARS I. *De processione Spir. S. à Patre, & cur ita vocetur.*

CHristus Dominus in divino illo sermone, quem paulò ante mortem habuit, frequenter de spiritu sancto mentionem fecit; tum vt de illo discipulos instrueret: tum vt consolaretur eos mœstitia oppressos, cum certitudine promittens adventum noui consolatoris, directoris, protectoris, doctoris, qui sibi debebat succedere in officio; tum denique vt eorum desiderium excitaret & accenderet ad illius adventum, quem Paraclitum vocat & Spiritum veritatis. Sicut ipse Christus vocatur in Scripturis, *Desideratus cunctis Gentibus & Desiderium collium æternorum*, hoc est, Sanctorum omnium; sita & voluit Spiritum S. desiderari, exspectari, sitiri. Ipse fuit tamquam cibus & panis vitæ, quem esurire debebant fideles, & appositus illis fuit per incarnationem ad manducandum. Spiritus S. debebat postmodum sitiri instar potus qui cibum subsequitur; & ideò illius gratia & effusio sæpius significatur per effusionem aquæ vitæ quæ sitim sedat. Vnde *In nouissimo die magno festiuitatis stabat Iesus & clamabat dicens, Si quis sitit veniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Non-dum enim Spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Ideò autem in hoc Euangelio repetitur promissio Spiritus S. vt ad eius susceptionem nos disponamus, vt ad illum toto corde anhelemus, vt illum sitiamus, & ardenter expetamus in oratione perseverantes vt fecerunt Apostoli ante illius adventum ex institutione & mandato Christi. Fœlix qui potest dicere: *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Qui os aperit per orationem anhelus & sitibundus, spiritus gratiam attrahit, & sibi intrahit, quasi de fonte sugens aquam [illegible] canalem.

Psal. 118.

Quid autem credendum nobis sit de Spiritu S. ex verbis Christi in hoc Euangelio propositis colligi potest.

Sp. S. à Patre Filioque procedit.

Primò igitur credimus Spiritum sanctum tertiam esse in Trinitate personam, à Patre & Filio procedentem, ideoque esse verum Deum eodem cum Patre & Filio honore & adoratione colendum; quia eiusdem est maiestatis, potentiæ, sapientiæ, gloriæ, bonitatis, immensitatis, æternitatis, sanctitatis. Hæc processio ab vtroque significatur hic, cùm dicitur: *Cùm venerit Paraclitus quem ego mittam à Patre meo.* In diuinis enim persona non mittitur ab aliquo nisi quæ procedit ab illo. Ergò cum dicit Christus se missurum Spiritum S. significat quod à se procedat. Mitti autem dicitur aliqua persona diuina, cum alicubi incipit esse nouo modo, quo prius ibi non erat. Sic Filius missus est in mundum, dum nouo modo per humanitatem cœpit esse in mundo: Sic & Spiritus sanctus dicitur mitti, cùm alioqui sit vbique, quia cum Apostolis cœpit esse per nouam gratiam & efficaciam similiter & in alijs Fidelibus. Græcorum error est Spiritum S. à solo Patre procedere, non à Filio. Vnde Innocentius lib. 2. de Missa cap. 44. dicit Græcos ex quo à Romana Ecclesia recesserunt, signum crucis a dextra ad sinistram ducere, vt confirment errorem, quod Spiritus S ad Patris sinistram quasi iunior assistat. Sed nos contra tribus digitis formamus ob mysterium Trinitatis, deinde in capite Patrem, in pectore Filium descendentem: denique à sinistra ad dexteram Spiritum ab vtroque procedentem & consubstantialem designamus; & finimus in dextra, quia perfectionem in Scriptura significat, ad quam nobis semper tendendum. Græci isti Spiritui S. fuerunt rebelles, dum negant eius processionem à Patre & Filio, ideò Spiritus S. videtur eis bellum intulisse, dum eorum vrbs Imperialis Constantinopolis à Turcis capta fuit isto festo Spiritus ipso scil. die Pentecostes anno 1454. Excidium hoc Græcorum & infelicitatem vaticinatus fuerat Nicolaus V. Pontifex, qui ad Græcos Romanæ sedis auctoritati se opponentes scripsit literas plenas horroris. Vnde sic dicit: *Toleramus adhuc dilationem vestram respicientes in Iesum sempiternum Sacerdotem & Dominum, qui sterilem illam sicum usque ad tertium annum iussit asseruari, agricola iam ad excindendam arborem se accingente, quia nullum fructum ferebat. Tres annos expectabimus, si vos fortè à schismate*

Quando diuina persona mitti dicatur.

Error Græcorū de processione Spir. S.

Testis est Bozius de signis Ecclesiæ. 6.

schismate & separatione converteritis, iuxta Salvatoris de sicu præceptum: sin minus, excindemini, ne terram otiosam & inutilem reddatis. Anno 1451. hanc scripsit epistolam, & 1454. capta est Constantinopolis, ex quo tempore Græci sub Turcarum agunt tyrannide. Quod si Episcopi illorum eligunt Patriarcham, à Turca debet confirmari. Ita refert Bozius ex Gennadio Patriarcha Constantinopolitano deplorante gentis suæ infelicitatem.

Sed dicunt Græci, cur ergò Christus non dicit: *Quem mittam à me?* Item cur dicit: *Spiritum veritatis qui à Patre procedit?* Quare non dicit: *Qui à me & à Patre procedit?* Respondeo: Quia Filius à Patre habet essentiam diuinam, & consequenter à Patre vim spirandi & mittendi, ideò dicit: *Quem mittam à Patre.* Sic dicitur: *Pluit Dominus à Domino.* Hoc est Filius à Patre, vt explicat Concilium Sirmiense. Adde, quod Christus loquens vt homo reverentiæ causa sæpè omnia sua refert ad Patrem. Satis verò significat Christum Spiritum S. à se procedere, dum de illo dicit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Hoc est, sicut à me per productionem habet essentiam, ita & scientiam omnem, cuius vos participes efficiet. Denique clarissimè dictum est propter hunc Græcorum errorem in Concilio Constantinopolitano, *Qui à Patre Filioque procedit.*

Gen. 19. S. Hil. & alij Patres, Ioan. 15.

Sic etiam docuerunt antiqui Patres. Vnde S. Ambrosius existimat processionem Spiritus S. esse indicatam in Apocalypsi, vbi dicit S. Ioannes ostensum sibi *Fluuium aquæ viuæ procedentem à sede Dei & Agni.* Per fluuium designatur Spiritus S. qui animas irrigat & viuificat. Dicitur q; Fluuius & non Fons, quia Fons est id à quo Fluuius procedit: Spiritus autem non dicitur Fons nisi ad extra, in ordine ad creaturas. Dicitur vero procedere de sede Dei & Agni, hoc est à Patre & Filio. Et cùm dicatur *de sede* & non de sedibus procedere, significatur ab illis procedere tanquam ab vno principio, ab eapem spiratiua potentia eademque spiratione.

Apoc. 22.

Secundò, Tertia hæc persona in diuinis *Spiritus Sanctus* nominatur per appropriationem. Vnde cùm Spiritum sanctum dicimus, non intelligimus aut animas beatas aut Angelos, qui etiam Spiritus sunt & sanctitatem habent, neque intelligimus personam Patris aut Filij, licet vtraque spiritus et iam sit, & quidem sanctitatis auctor, iuxta illud: *Spiritus est Deus, & qui eum adorant, adorare oportet in spiritu & veritate:* sed intelligimus hanc tertiam personam per quandam tam Scripturæ quam Ecclesiæ appropriationem. Non enim proprium nomen habemus quo illam personam nuncupemus, aut quo exprimere possimus illam communicationem Patris & Filij per modum amoris; sed spiratio solet appellari, & ideò persona per illam spirationem producta *Spiritus Sanctus* nuncupatur.

Spir. S. per appropriationẽ sic nominatur.

Ioan. 4.

Existimat S. Cyprianus hoc nomen deriuatum esse à flatu, siue à vento quem trahimus & efflamus, ita vt aspiratio, respiratio, suspiratio, inspiratio, exspiratio à Spiritu S. & causam habeat & materiam & proventum, vt dicit ipse Cypr. ser. de Pentecoste. Sic dicitur: *Spiritus vbi vult spirat.* Et certè Spiritus S. habet multas proprietates cum vento communes, vnde Christus illum donans discipulis insufflauit & dixit: *Accipite Spiritum Sanctum.* Nempe sicut ventus aerem infectum mundat, sic & Spiritus S. purgat peccata. 2. Sicut viam venti non ploue agnoscimus, licet ventus auditu & tactu percipiatur, ita Spiritus S. operationem non perfectè assequimur. 3. Sicut ventus pluuias generat, sic & Spiritus sanctus pluuiam deuotionis & lachrymas contritionis menti ingenit: *Flabit spiritus eius, & fluent aquæ.* 4. Sicut ventus naues propellit in portum flans in vela; Sic Spiritus S. necessarius est nauigantibus in hoc mari, vt tendant ad portum Æternitatis: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Denique sicut viator eget refrigerio veni sub Solis ardore ambulans; sic cont a aridorem concupiscentiæ necessarium est nobis refrigerium Spiritus S. qui est in labore requies, in æstu temperies, ideò dicitur: *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Hic est ergò spiritus qui olim ferebatur super aquas, non quasi vehiculo egens, sed quas potius ipse ferebat, inquit S. Cyprian. Huius sempiterna virtus ac diuinitas cùm inuestigari non posset à Philosophis videntibus mirum mundi ordinem, dixerunt animam adesse vniuerso quæ rebus cunctis præstabat vitam & motum. Non agnouerunt hunc diuinum Spiritum, qui hæc efficiebat, qui olim ferebatur super aquas. Hic Spiritus siccarum animas miris fœcundat virtutibus. Hic est qui omnibus Ecclesiæ Sacramentis interest, quę ipse efficit & consummat. Quia ergò omnis sanctitas quæ est in Sacramentis, tamquam in causis continentibus virtutem ad sanctificandum, omnisque sanctitas, quæ est in cœlo & in terra, sin Angelis, & hominibus, ab ipso provenit, ideò Spiritus sanctus nominatur. Et sanctitas ei specialiter tribuitur, quia ipse est amor & charitas: ab hac autem nos sanctificamur. Hinc etiam ab Apostolo vocatur, *Spiritus sanctificationis.* Audi S. Bernardum de hoc Spiritu nos sanctificante & glorificante serm. 20. in paruis sic loquentem: *De Spiritu sancto testatur Scriptura, quia procedit, spirat, inhabitat, replet, glorificat. Procedere dicitur duobus modis: vnde, & quò: Vnde? A Patre & Filio. Quò? Ad creaturam. Procedendo prædestinat, spirando vocat quos prædestinauit, inhabitando, iustificat quos vocauit, replendo accumulat meritis quos iustifica-*

Ioan. 3. Spi. S pro. prietates cũ venio cõmunes. Ioan. 20.

Psal. 147.

Psal. 142.

Psal. 118.

Cypr. ser. de Pente.

Rom. 14.

uit, &

vit glorificando ditat præmiis quos cumulauit meritis.

Cur Spir. Veritatis dicatur

1. Causa.

IDem Spiritus Sanctus Spiritus Veritatis esse asseritur in hoc Evangelio. Inprimis Spiritus Veritatis dicitur, quatenus veritas opponitur ignorantiæ vel errori: eius nimirum officium est illuminare mentes hominum, & caliginem ignorantiæ dispellere, docereque veritatem cœlestem & salutarem Ideo de illo dictum est Apostolis: *Docebit vos omnia*, quæcunque scilicet sunt ad salutem necessaria, *& suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis*: hoc est, reducet vobis in memoriam quæ a me didicistis vel audistis: lumine suo clarius ea vobis cognoscere facier, & ad effectum deducere. Erat ergo necessarius hic Spiritus, ut Ecclesiam novellam in veritate confirmaret, dirigeret, illuminaret. Erat & necessarius toti in caligine ignorantiæ & erroris iacenti, creaturas pro Deo adoranti, innumeros sibi Deos confingenti, scientium veri Dei ignoranti & reprobanti, ex qua ignorantia innumera exoriebantur peccata & crimina. Hoc est quod deplorat Oseas: *Andite verbum Domini, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non enim est veritas, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium, & furtü & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinẽ tetigit.* Nempe ignorantia veritatis & defectus scientiæ Dei, scientiæ cœlestis, faciebat ut vitium pro virtute, impietas pro religione, crudelitas pro prudentia & pietate statueretur, cæcitate invalescente in variis Gentibus. Hinc Persæ, & matres, & filias & sorores sibi matrimoniis iungebant. Schythæ humanis artubus vescebantur, & filios suos immolabant. Massagetæ cognatos senes comedebant. Hircani proijciebant senes suos avibus, Calpij illos dabant canibus devorandos. Lacedæmonij furtum laudabant quasi rem ingeniosam. Alij dabant uxores hospitibus polluendas in symbolum hospitij. Denique etiam tempore Apostoli Pauli Corinthi erat fanum Veneris, in quo erant plus mille puellæ Veneri dicatæ & meretricio vacantes tanquam sacris Deæ suæ, hoc opere eam colentes quasi obsequio sacro. Sic & Ægyptii, Cyprii, & alij populi templa sua habuerunt Veneri dicata, ubi filias suas prostituebant, & tamquam Deæ huius sacrificas per hæc abominabilia sacra reputabant. O tenebræ, ô cæcitas, ô error, antequam veniret Spiritus veritatis, docens scientiam Dei in terra & luce fidei dispellens caliginem tartaream erroris & mendacij, quam spiritus mendax & malignus toto disperserat orbe.

Osee 4.

Nota Gentium cæcitatem.

2. Causa.

Psal. 61.

Vlterius Spiritus Sanctus Spiritus Veritatis dicitur prout opponitur veritas vanitati. Filii enim hominum diligunt vanitatem & quærunt mendacium aggravati corde erga terrena & vana relictis cœlestibus & veris bonis. *Mẽdaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Statera dolosa in manu eorum, in qua plus ponderant bona terræ quam cœli, bona corporis quam animæ, bona temporis transeuntis quam æternitatis permanentis, & ideo decipiunt & decipiuntur miserabiliter. Spiritus autem Veritatis ubi mentem illustrarit, ostendit quam parvi faciendi sint honores, opes, voluptates volubilis huius temporis, quam vana sint hæc omnia & incerta, quomodo conculcanda ut stercora aspirando ad vera & æterna bona, & ad ipsam Veritatem quæ est Deus.

Non absimiles sunt homines huius sæculi cubicularijs illis Darij. Dixerunt hi dormiente Rege inter se: Proponamus unusquisque nostrum sermonem qui præcellat, & cuius apparuerit sermo sapientior, dabit illi Rex Darius dona magna, purpura cooperiri, in auro bibere, super aurum dormire, &c. Tunc scribentes singuli suum verbũ signaverunt & posuerunt subtus cervical Darii Regis. Vnus scripsit *Forte est vinum.* Alius scripsit *fortior est Rex* Tertius scripsit, *fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas.* Sicut isti, sic & incolæ huius mundi in miserandas abeunt de vera excellentia opiniones. Vnus dicit *Forte est vinum.* Quis iste? Omnis scilicet ille qui Epicureorum opinionem sectatus in cibo & potu suum ponit fœlicitatem, carnis curam faciens in desideriis, ventrem pro Deo colens, & illi soli satisfacere curans. Alius dicit, *fortior est Rex.* Quis verò ille: Omnis equidem qui honores ambit & purpuram in aula, Regem plus timens quam Deum, illi soli placere contendens, ut concupitos assequatur honores, in quibus quasi finem suum ponit. Alius denique scribit, *fortiores sunt mulieres.* Hic est qui voluptatibus carnis totus est addictus. Et cum maxima hominum pars vel opes & honores sectetur, vel ventris ingluviem & carnis concupiscentiam; ideo eorum opinio ad aliquam harũ propositionum spectare censetur. Verum optima conclusio est: *Super omnia autem vincit veritas. Benedictus Deus veritatis.* Omnis terra invocat veritatem, cœlum & ipsam benedicit & omnia opera moventur & tremunt eam, & non est cum ea quicquam iniquum; Vinum iniquum, iniqui Rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filij hominum, & iniqua omnia illorum opera & non est in ipsis veritas, & in iniquitate sua peribunt, & veritas manet, & invalescit in æternum, & vivit & obtinet in sæcula sæculorum Benedictus Deus veritatis. Sic probavit ultimus suam conclusionem. Sed quis est Deus Veritatis, nisi ille qui hic nominatur Spiritus Veritatis, contrarius planè spiritui vanitatis qui regnat in hominibus huius sæculi? Adhoc ergo mitti debuit, ut exueret hunc spiritum vanitatis è mente hominum, & disponeret eos ad gustandum saporem veritatis quia ipse est spiritus intellectus & sapientiæ, sive sapidæ scientiæ, per quem in nobis gignitur cognitio & sapor rerum divinarum, sapor primæ & æternæ veritatis. Benedictus ergo Deus hic veritatis, qui omnem à nobis eliminare potest ignorantiam, errorem, mendacium, iniquitatem,

3. Esdræ 3

tatem vanitatem. Vtinam ejus veritas maneat in nobis, & invalescat in æternum, & obtineat in sæcula sæculorum. Vtinam nobis sit Paracletus, sive Consolator in præsenti tempore inter adversa huius sæculi solatium infundens, quia *Fructus Spiritus*
Gal. 5. *est charitas, gaudium, pax, patientia*, teste Apostolo. Vtinam sit & nobis Paracletus in futuro, quando
Apoc. 21. *abstergetur omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, et iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra*, sed æterna pax & æternum gaudium in Spiritu sancto succedet angustiis huius sæculi.

PARS III. *Sp. S. quo modo testimonium de Christo perhibuerit.*

CVm Filius Dei Sapientia sit & veritas, recte Spiritus sanctus ab illo procedens dicitur *Spiritus veritatis*. Venit autem secundum humanitatem in mundum *Plenus gratiæ & veritatis, ut testimonium perhiberet veritati*: sed quia plerique ei credere noluerunt, rebelles lumini & repudiantes vias eius, ideo venit Spiritus Sanctus, Spiritus veritatis, ut testimonium det de ipso. Hoc hic dicit Christus Dominus: *Ille testimonium perhibebit de me*. Et iterum: *Ille me clarificabit*. Nam sicut Patrem Filius clarificavit in terris: *Ego te clarificavi*
Ioan. 17. *super terram*: sic proprium est Spiritus sancti clarificare IESVM. Ad hoc enim Missus est, ad hoc descendit in Apostolos, ut gloriam & divinitatem Domini manifestaret toto orbe, & ad notitiam & amorem ipsius animas attraheret, sive ut in plenâ possessionem animarum IESVM quasi manu introduceret.

Triplex testimonium Sp. dedit Christo.

Triplex porrò testimonium censeri potest Spiritus Veritatis dare Christo Domino. Quia sicut Dominus dixerat de se: *Ego sum Via, Veritas, & Vita*; sic de his tribus testimonium reddidit Spiritus sanctus, ut Christum clarificaret.

1. Quod sit Via dirigens credentes.

Primò testatus est quod Christus sit *Via*, dirigens credentes, quam qui sequitur, aberrare non potest quin ad terminum optatum felicitatis pertingat, à qua etiam quisquis deviat, vel oculos divertit, non potest reperire nisi casum & erroneum gressum, offendiculum & impactionem, circuitum & præcipitium in æternam damnationem. Ipse est exordium, medium, & finis salutis nostræ, ideoque Via rectissima, est & certissima. Ipse est Via in virtutum omnium exemplis gressus nostros securè dirigens: nam humilitatis, mansuetudinis, charitatis, obedientiæ, aliarumque virtutum viam nobis stravit. Ipse est Via per afflictionem & patientiam iter præmonstrans; hæc est regia quam proposit via, eius spinis, clavis, felle, sanguine conspersa, quam vult omnes necessariò sequi. De hac ergo Via vitæ Spiritus testimonium perhibet, dum de Christo dat testimonium.

2. Quod sit veritas, cui adhærendum.

Secundò testatur quod ipse sit *Veritas*, cui adhærere oportet, relictâ vanitate, relicto mendacio & errore. Ipse ita est *Veritas*, ut extra ipsum non reperiatur nisi error & falsitas, insipientia & ignorantia, & misera vanitas. Ipse est *Veritas* non fallens, *Exodus* in promisso *Via* in exemplo, *Vita* in præmio. In ipso solo verum bonum est: ipse verus Deus est, veritas & sapientia Patris secundùm divinitatem, verus Patris Legatus & mentis ejus Interpres secundùm humanitatem, Doctorque Veritatis. Hæc omnia testatur Spiritus, prout S. Ioannes exI. Ioan. 5. presse dicit: *Hic est qui venit per aquam & sanguinem, non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas.* Vbi testimonio obscuro & mortuo aquæ & sanguini superadiungit clarum & vivum testimonium Spiritus S. qui non solum interna illuminatione fidelium (quia eos ad fidem & amorem Christi impulit) sed etiam exterioribus signis & miraculis testatus est, Christum esse Veritatem, verum Deum, verum hominem, Veritatis Doctorem ad nos missum.

3. Quod sit vitæ extra quam nil est, nisi mors.

Tertiò, testatur quod sit ipse Vita, extra quam nõ est nisi ægritudo & perditio, venenum & mors, salutisq; desperatio. Ipse enim est Vita in se secundum divinitatem, Verbum vitæ, Fons vitæ; ipse quoque in nobis est principium novæ vitæ secundum humanitatem: *In ipso vita erat, & vita erat*
Ioan. 1. *lux hominum*. Ipse habet verba vitæ, aquam vitæ, panem vitæ, lumen vitæ: & sic verè vita est fons vitæ, cui oportet in præsenti adhærere toto pietatis affectu. In futuro autem erit præmium vitæ, vita indeficiens: vita beatificans, vita à qua aberit omnis planè timor mortis. Hæc quoque de ipso testatur
I. Ioan. 5. Spiritus, testatur & Pater, prout dicit S. Ioannes: *Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius est.* Meritò ergo hic dicit Christus: *Cùm venerit Spiritus veritatis, ille testimonium perhibebit de me.*

Quomodo Apostoli Christo testimonium perhibuerint.

Postremo addit: *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Apostoli utique testimonium perhibuerunt tanquam organa Spiritus sancti, voce & prædicatione, miraculis & exemplis morte & sanguine. Et hoc testimonium adeo efficax fuit, ut ipse licet pauci innumeros ad fidem convertrint, licet infirmi & ignobiles, tamen fortes & potentes superarint, licet ignorantes visi sint, tamen convicerint sapientes, & persuaserint adorare IESVM cruci affixum tanquam Deum, relictis Diis Patrum suorum, eversis eorum aris & templis. Sic pauci Agni vicerunt lupos multos, paucæ formicæ fortes Leones, paucæ Columbæ Aquilas sublimes, pauci humiles universos superbos dæmones. Vniuersa mundi sapientia & eloquentia, nobilitas & potentia promissa & illecebræ, minæ & terrores, tormenta & persecutiones, non potuerunt prævalere adversus veritatem ab infirmis & ignobilibus, ab illiteratis & pauperibus piscatoribus propositam. Non potuerunt eorum testimonium evertere, quod Christo perhibebant, & veritati tamquam testes electi cœlitus, & à Spiritu sancto corroborati. Huic eorum testimonio ita firmiter inhæserunt Fideles ab eis edocti, ut non veriti sint pro eadem veritate mortem obire; unde & Martyres dicti sunt, id est Testes. Hoc est quod

dixerat

Matt. 10. dixerat Dominus: *Ad Reges & Præsides ducemini propter me in testimonium illis & gentibus* Testimonium fert Martyr multipliciter, inquit Clemens Alexandri lib. 4. Stromat. *In primis sibi, quod sit in Deũ sincerus & fidelis. Deinde persecutori, quod sit frustra æmulatione percitus in eũ qui est fidelis per dilectionem. Testimonium etiam fert Domino quod ab illo sit inspirata doctrina persuasio, à qua nõ deficit metu mortis. Quin etiã ipso facto confirmat veritatẽ prædicationis potentem eum esse ostendens ad quem contendit.* Sic ergo dum Martyr regibus, dum inimicis, dum amicis sanguine suo testatur veram esse doctrinam, hoc ipsum est testimonium Deo acceptissimum, de quo hic dicitur: *Et vos testimonium perhibebitis de me.*

Quomodo Martyr testimonium ferat.

S. Petrus Christi testimonium perhibet. Actor. 4.

Sic & S. Petrus testimonium perhibuit S. Petrus; cui cum à Concilio Iudæorum denuntiaretur, ne ultra doceret in nomine Iesu, respondit: *Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quàm Deum, iudicate: non enim possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.* Ac postmodum cum reversus esset ad suos, & in medio eorum orasset, *motus est locus in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur cum fiducia verbum Dei, & virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Iesu Christi.* Sic adimplebatur quod eis dictum fuerat: *Cum venerit Paracletus Spiritus veritatis, ille testimoniũ perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Testimonium autem Petri adeo efficax fuit, ut uno die tria millia, altero die quinque millia ad fidei veritatem traduxerit.

Actor. 2. Actor. 4.

S. Ioannes Evang. 1. Ioan. 1.

Sic & S. Ioannes testimonium perhibet, testis à Domino electus & dilectus, dum initio, epistolæ suæ pronunciat: *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ testamur & annunciamus vobis.* Cum etiam apparens Angelus noluit ab eo honorem accipere, sed dixit: *Conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu Christi.*

Apoc. 19.

S. Stephanus. Actor. 7.

Sic & S. Stephanus cum esset plenus Spiritu sancto, testimoniũ adeo acriter reddebat de Iesu Christo ut diceret Iudæis incredulis: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus vos semper Spiritui sancto resistitis.* Cumque non possent resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur, stridebant dentibus in eum, ac tandem lapidibus obruerunt, factusque est Protomartyr, hoc est primus testis Christi, qui eius fidem primus cruore suo signavit. *Diaconus erat ab Apostolis ordinatus, sed Apostolos beata ac triumphali morte præcessit, ac si qui erat inferior ordine, primus factus est passione, & qui erat discipulus gradu, Magister cœpit esse Martyrio. Mortem enim quam Salvator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Salvatori,* inquit S. August. serm. 5. de Sanctis. Et quia Christo Domino adeo luculentum testimonium reddiderat, etiam Christus ei testimonium reddidit morienti, ostendens se de cœlo, quia ut idem Augustinus addit: *Ad confutandam Iudæorum incredulitatem factum est, ut ille Martyri ostenderet vivin cœlo, qui à perfidis negabatur in mundo, & illi testimonium cœlestis veritas daret, cui fidem terrena impietas derogaret.*

Sic denique multæ Virgines testimonium perhibuerunt Iesu Christo magna animi fortitudine, quia erant aduitæ à Spiritu sancto: de quibus canimus: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* Inter his sancta Lucia tanta libertate spiritus ne Christo & eius fide tamquam necessaria ad salutem coram Tyranno disserebat, ut ei diceret ipse: *Cessabunt verba, cum ventum fuerit ad verbera.* Cui ipsa: *Seruis Dei deesse verba non possunt, quibus dictum est: Cum veneritis ante Reges & Præsides nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Cumque interrogasset: *Estne in te Spiritus sanctus?* Respondit illa: *Castæ viuentes templum sunt Spiritus sancti.* At ipse *Iubebo te ad lupanar duci, ut Spiritus sanctus te deseras.* Cui Virgo: *Si inuitam me iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Sic immobilis mansit testimonium reddens Christo.

Psal. 118.

Ex dictis patet, Christum Dominum testimonium habuisse à multis testibus. Duodecim enumerat S. Thomas serm. 1. de Pentecoste. Primò, à Deo Patre. Secundò, à Filio. Tertiò, à Spiritu sancto. Quartò, ab Angelis. Quintò à Sanctis. Sextò, à miraculis. Septimò, à cœlo. Octauò, ab aëre. Nonò à terra. Decimò, ab aqua. Vndecimò, ab igne. Duodecimò, ab inferno. Quæ omnia facile possunt hic amplificari. *Sic testimonia eius credibilia facta sunt nimis.*

Conclusio.

EMitte Domine Iesu iuxta promissum tuum in corda nostra Spiritum sanctum tuam, ut illa sanctificet & purificet, dignumque sibi habitaculum efficiat. Emitte Paracletum, qui consoletur nos in omni tribulatione nostra, & in adversis nos dirigat & fortificet. Emitte spiritum veritatis, qui doceat nos omnem veritatem saluti necessariam, & ducat ad te, qui *Via, Veritas, & Vita* es. Emitte illum, ut liberet nos ab omni errore, ignorantia, vanitate, & erudiat in scientia salutis, in timore, in pietate, donec tandem perducat ad visionem veritatis æternæ, ad participationem indeficientis vitæ, ad gaudium fœlicitatis interminatæ. Ibi pe videbimus aperte, nec amplius egebis testimonio ullius creaturæ, quia tuam faciem & speciem revelabis, nec amplius opus erit fide, seu fidei succedet limpida contemplatio, plena fruitio, perennis jubilatio, per quam æternùm canemus: *Benedictus Deus Veritatis.*

LECT. 3. quadripartita.

PRO DIE ASCENSIONIS AVT PENTECOSTES.

Quis ascendit in Cœlum atque descendit?
Quis continuit spiritum in manibus?
Quis colligauit aquas quasi in vestimento?
Quis suscitauit omnes terminos terræ? Prov. 30.

PARS I. *Quis ascendit in cœlum, & descendit.*

QVadruplex hic quæstio proposita à Sapiente nostro est proposito conuenientissima: ideoque singillatim unamquamque explicabimus, & ascensioni Dominicæ applicabimus, Spiritusque sancti missioni.

Primo igitur quæstio quam proponit Sapiens, est ista; *Quis ascendit in cœlum atque descendit de cœlo?* Cui respondere videtur Dominus *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo* Quem locum interpretantes S. Aug. S. Thomas, & Venerab. Beda, dicunt solum Christum in cœlum ascendisse cum suis membris, hoc est cum iustis: ita ut secundum eorum sententiam hic sit sensus. Nemo ascendit in cœlum nisi filius hominis, Caput scilicet cum suis membris charitate & gratiâ sibi unitis. Ipse etiam est ille filius hominis qui descendit de cœlo, qui diuinam naturam de cœlo accepit factus non solum sicut primus homo de terra terrenus, sed sicut secundus homo de cœlo cœlestis, diuinam, & cœlestem habens originem. Et quia semper visione beatifica fruebatur etiam eo tempore quo in terris versabatur, in cœlo erat: ideo dicit *Filius hominis qui est in Cœlo.* Atque ulterius per hoc intelligimus, inquit S. Aug. tract. 27 in Ioan in Christo Deo & homine unicam esse personam *Sic erat Filius hominis in cœlo quando in terra loquebatur, quemadmodum Filius Dei erat in terra. Filius Dei in terra in suscepta carne, Filius hominis in cœlo in unitate personæ.* Eidem quæstioni à Sapiente supra propositæ respondere videtur Apostolus: *Qui descendit ipse est qui ascendit super omnes cœlos ut adimpleret omnia.* Itaque Christus Dominus venit à Patre in hunc mundum, ut ad cœlum nos reuocaret, & de cœlestibus nos instrueret: unde frequenter loquebatur de regno Dei & mysteriis eius, de Patre suo æterno & eius erga nos dilectione: *Omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis*, ait Discipulis suis. *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis & credidistis in me.* Consummato igitur Patris mandato, ad Patrem ascendit, consummatoque redemptionis opere redit ad illum qui opus istud ei commiserat, & fructum ei offert redemptionis iam peractæ, ex omni hominum genere & conditione quasdam velut primitias secum in cœlum vehens paterno conspectui præsentandas: An non Noë, Abraham, Isaac, Iacob, eum comitantur quasi primitiæ Patriarcharum? An non Moyses, Samuel, Ezechiel eum subsequuntur tamquam primitiæ Prophetarum? An non Iosue, Gedeon, Sampson ei adhæret ascendenti tamquam primitiæ Ducum populi? An non David & Ezechias eius cingunt latus tamquam primitiæ Regum: An non Isaias serrâ sectus, Hieremias lapidatus, Ioannes decollatus primitiæ sunt Martyrum cum pureis in eius natiuitate interuecioni datis. Vtique *hi sunt primitiæ Deo & Agno.* An non Abel & Daniel inter eos sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; & quasi quædam primitiæ Virginum: An non Babylonii adolescentes, & septem Machabæi in tormentis inuicti, primitiæ fuit luuenum: An non Eleazarus nonagenarius & Simeon ætate prouectissimus, primitiæ sunt Senum? An non Melchisedech & Iob primitiæ sunt Gentilium: An non Sara, Rebecca, Esther, primitiæ sunt mulierum? An non Iudith & Anna viduæ censentur primitiæ viduarum? Ex nullo igitur genere sexu conditione, desunt quædam primitiæ, Christi ascendentes pedissequæ, Patri ab eo oblatæ, quando cœpit ei tradere suo sanguine acquisitum, integrum autem regnum, integrosque redemptionis fructus tradet in consummatione sæculi, cum adimpletus fuerit numerus electorum. Propterea dicit Apostolus, quod is qui descendit, iam ascendit vt adimpleret omnia, ut scilicet omnes electorum Angelorum & hominum sedes numerumque cõpleret, atque ut omnia de se scripta & prophetata consummaret, inter quæ postrema erant eius ad inferos descensus, & in cœlos ascensus gloriosus.

Apoc. 14.

Ioan. 3.

1. Cor. 15.

Ephes. 4.

Ioan. 15.

Primitiæ redemptionis Deo per Christum oblatæ.

Advertite interim, quod ideo ascendit gloriosissimè & sublimissimè, quia prius descendit humillimè & profundissimè, docens quod quò nos demittimus profundius, eò altius exaltandos fore: & è contra, quò altius volumus præsumendo ascendere, eò profundius deijciendos. Vnde Angelo reprobo, qui propriæ excellentiæ notitiâ & amore turgidus se elevabat cum hac voce: *Dixi ascendam in cœlum, super astra elevabo solium meum, similis ero Altissimo.* Ibidem respondetur. *Veruntamen in infernum detraheris in profundum laci.* Sic quòd altius voluit sese elevare, eò profundius cecidit, & irreparabiliter cecidit. Nec potest vltra in cœlum ascendere, quia non descendit de cœlo, sed corruit & exturbatus est ex illo. Vnde S. Bernardus in medit. c. 11. rectè pronunciat: *Superbia in cœlo nata immemor quâ viâ ceciderit illuc vltra redire nõ potuit.*

Ascendit gloriosissimè quia descendit humillimè,

Isai. 14.

Solus ergo filius hominis in cœlum ascendit, qui de cœlo descendit, sola ascendit cum illo humilitas. Soli humiles eum subsequuntur. Illi scil. qui se filios hominum agnoscentes, agnoscunt etiam infirmitatem suam & indignitatem ad ascendendum, sed gratiæ ipsius & meritis innitentes sperat ab eo in cœlum se evehendos, qui simul est filius hominis & filius Dei. Et quia non potest fieri ut caput ascendat sine membris sine coniunctis, quautumliber infimis: ideo omnis eorum cura est ut adhæreant tamquam membra viva Christo, tamquam capiti per nexum & vitam gratiæ ac charitatis, sicque numquam separentur ab eo. Sciunt ergo illud verũ

esse

esse à S. Leone pronunciatum: *Quò præcessit gloria capitu, eò spes vocatur & corpora.* In hoc firmiter confidunt, & iam illum sequuntur corde, quem adhuc sequi non licet corpore, calcantq; omnia quæ impedire possunt in terra. *Ascensiones in corde suo in valle lacrymarum in locum quem posuit.*

Psal 83.

PARS II.

Quis continuit spiritum in manibus.

SEcunda quæstio quam proponit Sapiens est: *Quis continuit spiritum in manibus?* Cui vt possimus respondere, advertendum est, spiritum varia significatione accipi in sacris literis.

Vox spiritus variè in scripturis sumitur.

Primò quidem accipi potest vox, spiritus, vt idem significet quod vita, est enim vita nostra *spiritus vadens & non rediens*: & hunc spiritum nemo habet hominum in manibus suis, in potestate sua; Deus illum aufert quando vult, etiam quando homo non vult. *Terribilis & is qui aufert spiritum Principum*, ait Psalmista de Deo. At Christus Dominus continuit spiritum in manibus suis, quia habuit potestatem vitæ suæ, posuit eã a seipso quando voluit; nemo eam potuit ab eo violenter auferre ipso inuito, prout dicit diserte verbis: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* An non hoc est continere spiritum in manibus? Neque solùm spiritum suum, sed & nostrum habet in manibus, quia vitam nostram tollere potest, etiam cùm nihil minus cogitamus, etiam cùm in medijs sceleribus improvidi iacemus.

Idē quod vita.

Psal. 77.

Psal. 75.

Ioan. 10.

2.

Pro vento sumitur.

Ioan. 3.

Secundò spiritus accipitur plerumque pro vento. Sic accipi potest: *Spiritus vbi vult spirat, & nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Quamuis enim ab Austrio vel Septemtrione venire ventum quandoque cognoscas, tamen determinata & certa loca vbi & vnde flare incipit, aut vbi desinet, ignoramus. Sic interpretatur S. Chrysost. Cyrillus, Theophilactus & alij. Quasi velit dicere Dominus. Ne mireris si natiuitatem spiritus non intelligis, si enim viam venti, quem auditu & tactu percipis, minimè nosti, quomodò operationem Spiritus sancti assequeris? Sicut ergò vere scis ventum esse, licet nescias viam eius; sic certò crede esse spiritualem regenerationem, licet nescias modum eius. Spiritum ergò sic accipimus pro vento, more scripturæ, hunc habuit Christus Dominus in manibus suis, hunc continuit prout voluit, quia imperauit mari & ventis, obedieruntq; ei: Spiritum quoque procellosum, qui contra Ecclesiam suam quandoque insurgit, in manibus suis continet, compescit, vel moderatur prout vult. Et quis est alius præter eum cui venti pareant? Quis alius cui spiritus malignus obtemperet, cùm eum vult compescere ne salutem nostram impediat? Denique quis alius est, ad cuius nutum obediunt spiritus boni, ad salutem nostram; Nonne ab ipso mittuntur, *qui facit Angelos suos spiritus*, & mittit eos in vniuersum orbem, *propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?*

Psal. 103.

Heb. 1.

3.

Tertiò accipitur spiritus, vt significet Spiritum sanctum & eius dona. Sic dicitur spiritus pietatis habitare in nobis, spiritus veritatis, spiritus sapientiæ, spiritus charitatis & pacis, spiritus castitatis & puritatis, spiritus ardoris. Hunc spiritum continet Christus in manibus suis, quia spiritum participamus secundùm mensuram donationis Christi. A manibus eius beneficis & munificis prouenit in nos omnis gratia spiritualis, omne donum Spiritus: vnde ad illas semper debemus respicere, ab illis dona nobis necessaria requirere, & spiritum veræ vitæ. Hæ sunt manus potentes, & compescunt & remouent à nobis spiritum superbiæ, spiritum impatientiæ, spiritum immunditiæ; & donant spiritum patientiæ, spiritum veritatis & castimoniæ. Hæ sunt manus, quæ quando volunt, continent spiritum pietatis, & inuenimur ardi, languidi, tepidi; quandoque in plenitudine eum spirare permittunt, & inuenimur zelo, pietate, ardore pleni: *Flabit spiritus eius & fluent aquæ*, deuotionis vtique & lachrymarum aquæ, a corde etiam duro & frigido. Vnde & Psalmista: *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur tua bonitate, auertente autem te faciem, turbabuntur; auferes spiritum eorum & deficient, & in pulueres suum reuertentur: Emittes spiritum tuum & renouabis faciem terræ.* O benedictæ manus, quæ spiritum continent! O benedictæ manus, quæ nox ab Ascensione spiritum effuderunt super corda filiorum hominum & dederunt talia dona hominibus, quibus nunquam similia viderat orbis! Hactenus continuerat Christus Dominus hunc spiritum & illius dona superabundantissima, donec per ascensionem suam in cœlum eius agnosceretur potentia & gloria, dicente Euangelista: *Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Idcò mirum ascendit, vt adimpleret omnia, fide, religione, spiritus plenitudine, gloriaque tua & majestate. Ita, ô Domine, exaltare in virtute tua, & nos cantabimus virtutes tuas. Cape imperium in cœlo, aëre, terra, inferis, & nos cantabimus fortitudinem, & potentiam tuam, quam ostendis triumphando de dæmone & mundo, de morte & inferno, quam palam facis ascendendo, Spiritum mittendo, orbem doctrina, donis, miraculis implendo.

Spir. S. & eius dona significat.

Psal. 147.

Psal. 103.

Ioan. 7.

PARS III.

Quis colligauit aquas quasi in vestimento.

TErtia quæstio est: *Quis colligauit aquas quasi in vestimento?* Quasi dicas: Quis est ille, qui omnes aquas potest velut in veste colligare, vt ad nutum suum defluant? Deus initio condens omnia aquas cœli in nubibus ligauit velut in vestimento & pannis infantiæ suæ. Sic dicitur: *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum.* Et de mari dicit Dominus: *Quis concluſit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens? Cùm ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obvoluerem?* Quandoq; igitur Deus aquas in nube quasi in veste colligatas sinit sensim defluere per imbrem vel pluuiam; quandoque etiam per quoddam diluuium totum

Tob. 26.

Iob. 38.

torum sinum videtur aperire, quandoque hunc sinum magnopere stringit & coarctat nihil defluat, sicut tribus annis tempore Eliæ. Hinc tempestates inundantes, vel è contra siccitates & sterilitates, prout ei placet vestem vel laxare vel coarctare. Sic ergò patet responsio ad quæstionem tertiam per Sapientem propositam, si litteraliter & materialiter eam accipiamus. 3. Reg. 17.

Duobus modis Christus colligauit aquas.

Verùm in sensu spirituali & mystico Christo Domino dupliciter intelligi potest aquas in vestimento humanitatis suæ colligasse. Primò enim, quid designant aquæ, nisi peccata quæ nos obruere valent & submergere instar aquarum exundantium? *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam*, clamat Propheta, in persona peccatoris. Et iterum ibidem dicit: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit.* Vel certè quid sunt aquæ nisi passiones & pœnæ peccatis nostris debitæ? Quid aquæ nisi tribulationes & afflictiones per quas transire nos oportet? *Mitte panem tuum super transeuntes aquas*, dicit Sapiens: *Torrentem pertransiuit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem*, dicunt quidem afflicti apud Psalmistam. Itaque Christus Dominus aquas, quibus obruebamur & submergebamur (peccata scil. & pœnas nostris peccatis debitas) in veste humanitatis susceptis, & ne nos penitus mergerent, impediuit. Ipse etiam est qui afflictiones & tribulationes aufert à nobis, easque colligat ne ntmium exundent *In diluuio aquarum multarum &c.* cit vt non approximent ad nos: ipse est *refugium nostrum à tribulatione quæ circumdedit nos*, vt loquitur Rex & Propheta. Clamare quandoque possumus ad eum cum Iona: *Flumen circumdedit me, omnes gurgites & fluctus tui super me transierunt. Et ego dixi abiectus sum à facie oculorum tuorum. Verumtamen rursum videbo templum sanctum tuum.* Hoc Ecclesia in afflictionibus suis dicere potest, quibus videtur obrui, in turbinibus errorum & hæreseon, quibus vndique vallatur: sed sperat in illo, qui colligat quando vult has aquas, & eas coarctat, qui splendorem fidei templique sancti sui sanctitatem restituit quando vult.

I. *Aqua peccata designãt.* Psal. 68. *Aquæ sunt peccatorum pœnæ.* Eccli. 21. Psal. 123. *Peccata & eorum pœnas Christus colligauit.* Psal. 31. Iona 2.

Secundò Christus aquas in vestimento suo colligatas tenet, rorem se. & imbrem gratiæ, quem prout vult, stillare facit aut depluere. Clauserat has aquas Deus tempore antiquo, ita vt nonnisi stillæ defluerent, sterilitasque proinde magna foret. At per Prophetam promittit. *Doctorem iustitiæ qui faciet descendere imbrem matutinum & serotinum.* Hic est Christus Dominus eximius ille Doctor, qui post copiam doctrinæ, tamquam cœlestis aquæ, daturus erat & copiam gratiæ diuinæ, orbemque sterilem perfusurus perabundante plenitudine. Ideò autem ipse dicitur in vestimento has continere, quia per meritum humanitatis eius (quæ velut diuinitatis vestimentum est) ad nos derivantur, non solùm sicut stillicidia è cœlo stillantia super terram, sed etiam tanquam riui aquarum copiosè exundantes ad irrigandum faciem vniuersæ terræ, ad fœcundandam Ecclesiam tamquam hæreditatem Domini. Hoc maximè peractum est in Ascensione Domini, quam secuta est missio Spiritus sancti cũ profusione donorum gratiæ in Apostolos & fideles. Nam ascendente Domino in cœlum, verum illud fuit: *Distillauerunt cœli à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel: Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditatituæ, & infirmata est, tu verò perfecisti eam.* Ipse est Deus Israel, qui pluuiam spontaneam gratiarum & donorum effudit, cùm cœlum eius faciem vidit: & hanc pluuiam particulariter seruarat quasi in sinu suo segregatam, vt hæreditatem propriam fœcundaret, Ecclesiam scil. suam; quæ cum infirma foret propter invalescentem ignorantiam & concupiscentiam, per hanc gratiam copiosam Spiritus sancti roborata est & confirmata. Arq; exinde fortis & fœcunda, protulit eximia germina instar horti electissimi, Martyrum rosas purpureas, Virginum candida lilia, Confessorum vernantes flores, Religiosorum millia, Cœlestesq; animarum electarum violas, ita vt Ecclesia quæ anteà erat deserta velut solitudo: *Lætabunda & laudans germinarit cum gloria Libani & decore Carmeli.*

Rorẽ gratiæ stillauit Christus, ascẽdens. Psal. 67. Isai. 35.

Hoc etiam præfiguratum fuerat in illa visione Eliæ. Iam tribus annis clausum erat cœlum, lugebat humus & regio sterilis, homines & animalia siti emarcida erant. Ascendit Elias in montem, & humilitatis gratia capite inter genua posito misit septies puerum suum, vt respiceret contra mare, an fortè signum aliquod pluuiæ conspicari posset. In septima vice vidit nubeculam ascendentem habentem quasi vestigium hominis, pluuiæ præsagium. Symbolum fuit nubecula ista de mari ascendens Ascensionis Christi Domini, cuius meritis gratia Spiritus S copiosissima debebat defluere de cœlo iam aperto. Illud iam tribus annis clausum fuerat, hoc est, in triplici statu veteris Testamenti, ante legem, sub lege, sub Prophetis, nam eo tempore abundans illa Spiritus gratia necdum fuerat effusa: sed post nubeculæ ascensum in omnes nationes profluxit admirabili copia. Laxauit ergò tunc sinum & vestimentum suum is, qui aquas illas cœlestes in sua habebat potestate, quasi suo gremio continens eas colligatas. Ex his itaque omnibus satis patet responsio ad quæstionem à Sapiente propositam: *Qui colligauit aquas quasi in vestimento?* 3. Reg. 18.

PARS IV.

Quartã explicas quæstionem.

QVarta quæstio: *Quis suscitauit omnes terminos terræ?* Vtique Christus Dominus ipse est qui ipso dicat Pater æternus. *Parũ est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucẽ gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ.* Certè ex his verbis Prophetæ aperta & diserta responsio colligitur in ipsdem quasi terminis ad propositionem Sapientis. Vnde iterum eodem capite subdit *Et seruauit te, & dedit te in fœdus populi, vt suscitares terram.* Quasi dicat: Seruauit te ne moriens interires, & voluit ut

Isai. 49.

mox gloriosè surgeres ut terræ incolas tecum suscitares à morte, à ruina: & ad vitam & cœlestem salutem revocares omnes gentes, pactum & fœdus condens inter me & illas, morteque & sanguine tuo illud sanciens. Itaque multipliciter potest dici Christus suscitasse omnes terminos terræ.

Terminos terræ resuscitauit Christus.

Primò per resurrectionem & ascensionem suam Vnde dicit Apostolus: *Cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo cuius gratia estis saluati) & conresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu, ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.* Quasi diceret Apostolus: Mortui eramus in peccatis, sed Christus qui mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram, novæ vitæ, nos participes effecit, & ad cœlestè vitam suscitauit, imò & quandam nobis initialem possessionem dedit, cœlestis gloriæ per spem certam quam habemus cum ipso sedenti in cælestibus. Per illam spem jam quodammodò ibi sedemus, in ipsoque tamquam Capite glorificati sumus. Nam propter unitatem, qua caput nostrum est & nos corpus eius, cum suscitatus est, nos cum illo suscitamur, cum ascendit in cœlum, nos cum illo ascendimus, cum glorificatur & coronatur, nos cum illo coronamur, ab illo enim non separamur, si simus membra eius. Huc spectat illud S. Aug. *Vbi portio mea regnat, ibi me regnare credo: ubi caro mea glorificatur, ibi me gloriosum agnosco: ubi sanguis meus damnatur, ibi me dominari sentio Et licet peccator sim, de communi gratia non diffido.* Propterea etiam dicitur apud Oseã, ubi de Christi resuscitatione fit mentio: *Post duos dies vivificabit nos & in die tertio suscitabit nos, & videmus in conspectu eius* Per suam nimirum resurrectionem suscitauit nos ad vitam beatam & immortalem, tum quia dedit nobis fidem & spem certam vitæ & resurrectionis, tum quia in ipso suscitatio qui caput nostrum est, vita & resurrectio nostra inchoata est, ut iam diximus.

1. Per resurr. & ascens. Ephes. 2.

Solilog. c. 15.

Osea 6.

Secundò suscitavit omnes terminos terræ per missionem Spiritus S. Hoc scilicet est quod canit Ecclesia ex Sapiente: *Spiritus Domini replevit orbē terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* Replevit enim Spiritus vivificans a Christo missus post ascensionem orbis quatuor partes; replevit hominem qui Microcosmos sive parvus mundus dicitur, illumque vivificavit, & in illo censetur totum orbem vivificasse, quia in homine omnia quadam ratione continentur. Vnde & hominem formatum fuisse initio ex quatuor pugillis terræ desumptis à quatuor orbis partibus, Oriente Occidente, Meridie, Septentrione, tradiderunt nonnulli ex antiquis, inter quos Cyprianus tract. de Sina & Sion, vel quisquis est auctor. Apud Ezechielem invenies quomodo ei mandatū fuerit vaticinari ad spiritum, & dicere: *Hæc dicit Dominus: A quatuor ventis veni Spiritus, & insufla super interfectos istos, & reuiuiscant. Et prophetaui,* inquit, *sicut præceperat mihi, & ingressus est spiritus & vixerunt.* Campus rectè ille in quem eductus erat à spiritu Domini Prophera, qui ossibus aridis plenus erat, mundum istum designabat: qui in eo agebant antequam Spiritus à Christo ascendente missus adveniret, aridi erant & emortui instar ossium siccorum, sed à quatuor ventis venit ille Spiritus, ut suscitaret & vivificaret omnes terminos terræ.

2. Per missionem S. Spiritus Sap. 1.

Exte. 37.

Tertiò suscitavit Christus Dominus omnes terminos terræ per vocem Apostolorum, qui in universum orbem destinati sunt, ut excitarent omnes in peccatis dormientes, ut ad novam vitam suscitarent omnes in mortis caligine jacentes. *In omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Omnibus inclamarunt: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Tuba prædicationis eorum omnibus insonuit tamquam vox vitæ, ut suscitarentur omnes terminorum terræ. Ipsi advocarunt instar Prophetæ spiritum illum vitæ à quatuor ventis, ut insufflaret super emortuos, & reviviscerent. Sed & quotidie Christus Dominus in omnibus terminis terræ suscitat eos qui lethali somno corripiuntur, per vocem suam cœlitus insonantem, per gallum cantantem, per Spiritum vivificantem, per inspirationis interioris gratiam, per prædicationis exterioris tubam, per minacem timoris cor concutientis vocem. Numquam enim cessat illa vox: *Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.*

3. Per vocem Apostolorum. Psal. 18. Ephes. 5.

4. Quotidie inspirationis & prædicationis gratia.

Denique, iterum & postremo suscitabit Dominus omnes terminos terræ per tubam finalem insonantem: *Surgite mortui, venite ad iudicium.* Hæc vox penetrabit Orientem, Occidentem, Meridiem, Septentrionem, qui sunt termini terræ, concutiet cœlum, infernum, terram, abyssos, mare, vt reddant mortuos suos, hoc est corpora & animas quæ apud ipsos detinentur. *Dabit voci suæ vocem virtutis* Christus Dominus, *& audient qui in monumentis sunt vocem filij Dei,* id est, sentient vim vocis illius, & obedient, & vivent, & procedent quidam quidem in resurrectionem vitæ, alij in resurrectionem judicij.

5. Per tubam finalem. Psal. 67. Ioan. 5.

Cōclusio

Tuô Domine Iesu Christe, qui descendisti de cœlo pro nobis, & in cœlum ascendisti visibiliter iterum pro nobis: Fac ut disponamus *ascensiones in corde* nostro *in valle lachrymarum,* in locum quem posuisti nobis. Agnoscimus quod spiritum in manibus ac potestate tua contineas, illum ergo obsecramus ut effundere digneris super nos, tamquam donum optimum de manibus tuis beneficijs, nobis planè necessarium ut in cœlum ipsius ductu contendamus: *Salus nostra in manu tua tantum respice nos.* Agnoscimus quod in veste humanitatis tuæ aquas rorem que gratiæ congregatum teneas, laxa sinum & irriga arentē cordis nostri humum copio sa possessione, ut non sit anima nostra *sicut terra sine aqua tibi.* Denique tu es solus qui potes suscitare

Psal. 83. Gen. 47. Psal. 42.

omnes terminos terræ, & illuminare sedentes in tenebris & umbra mortis: suscita nos igitur per vocem virtutis tuæ à somno peccati, à torpido languore desidiæ & vivificans ac illuminans nos Spiritu vitæ, effice ut non ultra obdormiamus in morte, sed à vita præsentis gratiæ pertingamus ad vitam æternæ gloriæ.

IN FESTO PENTECOSTES.

Legt. 4. tripart. Pars I. De ap. aritione S. Spir. in nube, columba, & igne.

Apparuerunt illis dispertita linguæ tamquam ignis. Actor c. 1.

SPiritus sanctus cùm varias habeat in mentibus hominum operationes, variis etiam symbolis solet illas significare in S. Scripturis. Hinc eius gratia modò significatur nomine aquæ, quia purificat & lavat, sitimque extinguit concupiscentiæ, in anima febricitante: modò nomine roris, quia irrigat & fœcundat animam, ut fructum bonorum operum producat, modò nomine lucis, quia dissipat caliginem mentis: modò nomine venti, quia impellit vehementer hominem: modò nomine ignis, quia accendit animum & inflammat. Tribus autem potissimum sub symbolis in novo Testamento apparuisse legitur, in quibus apparitionibus specialis eius approbatio designatur.

1. Apparuit in specie columbæ. Matth. 3.

Primò apparuit in specie Columbæ in baptismo Christi. Columba autem ob candorem symbolum est puritatis, & ob simplicitatem symbolum est mansuetudinis: sicque significabatur puritas & mansuetudo Christi Domini, puritas quoq; quam productus erat in his qui post ipsum baptizandi erant, & columbina simplicitas quam debebant imitari. Et cum columba pro cantu habeat gemitum, significabatur quoque effectus quem Spiritus sanctus producit in baptizatis, de quo dicit Apostolus: *Quod postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, hoc est, postulare nos facit, & gemitus pios, ad Deum dirigere, instar columbæ. Sic columba solet esse Spiritus sancti instrumentum: nam non solum Christo, sed etiam alijs sanctis in specie columbæ apparuisse frequenter legimus. Sic D. Gregorio ad altare visa fuit columba adstare, quam se vidisse testatur Ioannes Diaconus in eius vita. Sic & S. Remigio columba de cœlo detulit vas sacri Chrismatis. Similiter & Cuniberto sacrificanti apparuit ad altare columba, & sacrificio peracto volitans deduxit eum ad locum ubi S. Vrsulæ corpus sepultum erat Coloniæ. Sic verò Spiritus sanctus elegit, columbam, ut dixerit Hugo Cardin. *Fortassis si permissus fuisset diabolus, ad Evam in specie columbæ venire voluisset, sed hoc vas sibi Spiritus sanctus reseruauit: quia profectò dignum non erat ut spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret, in qua postea Spiritus sanctus apparere debebat.*

Rom. 8.

In Genes.

Admirabile est quod refertur ab auctoribus fide dignis. Quidam Christianus deperibat & ambiebat in matrimonium cuiusdam Saraceni filiam. Consuluit Pater dæmonem in idolo an huic proconsentire deberet, filiamque suam illi tradere. Responsum autem accepit, nullatenus consentiendum, nisi fidem & Christum Christianus abnegaret. Concupiscentia excæcatus abnegauit fidem Christianus, urgente ad id Saraceno: & ecce mox Spiritus sanctus in specie columbæ de ore abnegantis utroque videntè egressus, prope illum circumvolitans morabatur. Iterum consuluit idolum suum Saracenus, quid hoc sibi vellet? Respondit illi ex idolo dæmon. Adhuc prope est, paratus est redire, ne consentias eius petitioni, nisi iuret se nolle pœnitere. Iurauit id carnalis homo, & adeo sublimiter columba evolavit, ut visum effugeret. Paulo post concupiscentia sedata rediit ad cor, & cum lachrymis scelus Confessario aperit. Iste videns eius compunctionem ad omnia paratam, suader ut in solitudinem progrediatur, & tamdiu culpam pœnitentia & lachrymis expiet, donec Spiritus sanctus qui visibiliter recesserat, iterum rediret. Post aliquod igitur tempus pœnitentiæ impensum in eadem specie columbæ Spiritus reversus est, & paulatim appropinquans patenter ingredi visus est. Sic paruit quomodo *Spiritus sanctus effugiat fictum, & auferat se à cogitationibus quæ sint sine intellectu, nec habitet in corpore subdito peccatis*, ut dixit Sapiens. Propterea etiam columba egrediens arcam cum non inveniret locum mundum ubi pes eius quiesceret (terra enim luto, fœcibus, cadaveribus erat conspurcata) in aream reversa est; idque significabat Spiritum sanctum non requiescere in conscientia cadaverosa & lutosa, sed quærere & amare munditiē. Ideo dicebat David: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectū innova in visceribus meis. Ne projicias me à facie tua & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Sic omnes pii & puri sunt filij Columbæ, & de ipsis dicitur, quod sint velut *Columbæ lacte lotæ quæ residēt iuxta fluenta plenissima*, quia iuxta rivulos sacramentorum commorantur, & ibi se dealbant quasi lacteo rore. Ideirco etiā multæ animæ sanctæ visæ sunt egredi è corpore quasi columbæ. Sic de anima B. Quintini, B. Iuliæ, B. Eulaliæ, B. Osvvaldi, & aliis legitur in vita eorum.

Sap. 1.

Gen. 8.

Psal. 50.

Cant. 5.

Secundò Spiritus S. apparuit instar nubis resplendentis, & hoc fuit in Christi transfiguratione apparuit enim ibi Pater in voce, Filius in gloriosa carne, Spir. S. in lucida nube. Per hoc symbolum significatur quod Spiritus S. instar nubis generat abundantem pluviam gratiæ & doctrinæ cœlestis, ad irrigandam & fœcundandam aridam terram nostram. Vnde id significabat nubes illa levis supet quam Dominus dicitur ascendisse, ut ingrederetur Ægyptum. Significabat enim abundantem gratiā Spiritus sanctus cum doctrina cœlesti, quam Christus in Ægyptum intulit, & in hunc mundū. Quocirca, ut alibi diximus, post istam pluviam Spiritus sancti Ecclesia peperit tot Martyrum rosas, tot

2. Apparuit instar nubis S. Spir. ex 2 causis. Matt. 17.

Isai. 19.

Rodoeid Castro.

Confes-

cons. 2. p. æstival. & alijs.

Confessorum violas, tot Virginum lilia, tot Religiosorum millia, tot animas sanctas tamquam flores & gemmas vernantes, ita vt impletum fuerit illud: *Lætabitur deserta, & exultabit solitudo, germinans germinabit sicut lilium.* Gloria Libani data est ei, & decor Carmeli; Quæ erat arida & sitiens, erit in fontes aquarum. Quia scilicet irrigabitur profusissimè *pluuia voluntaria quam segregauit Deus hæreditati suæ*; illa autem pluuia à Spiritu S. tamquam nube profluit.

Isai. 35.

Psal. 67.

Hæc est nubes generalis, quæ produxit & impleuit imbre salutifero nubes illas particulares, quæ missæ sunt ad Orientem & Occidentem, ad Meridiem & Septentrionem velocissimo cursu, ita vt nullus potuerit eas impedire vel retardare; fueruntque velut currus regalis Dei, quo per orbem ferebatur gloriosè, sicut dicitur: *Ponis nubem ascensum tuum.* Et, *Magnificentia eius discurrunt nubes.* Hæ nubes particulares fuerunt Apostoli, à Spiritu sancto impulsi & impleti, vt imbrem ferrent fœcundum per vniuersum orbem, simulque vt gloriam Dei circumferrent quaquaversum. De his: *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis: date gloriam Deo super Israel, magnificentia & virtus eius in nubibus.* Item, *Qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Apostoli discurrentes ad conversionem populorum instar nubium volabant, modò in hanc, modò in illam regionem; prout spiritus impulsus dirigebat & voluntas gubernantis erant; quæ nubes fœcundæ & lucidæ, pluentes verbis, coruscantes miraculis, ad cœlum volantes elevatione mentis. De terrenæ humilitatis humo & de mari huius sæculi eleuatæ in sublime per gratiam Dei cœlestes efficiebantur, fulminaque & fulgorem Evangelicæ prædicationis maxima efficacia emittebant, quo terrenas mentes percellebant, evertebant, converte-bant. Columbis quoque comparabantur, quæ citissimè volant dum nidum repetunt, & ad columbarij fenestras redeunt cum pullis suis. Sic & Apostoli cum discipulis & filijs suis spiritualibus advolabant ad fenestras columbarij: hoc est, ad ingressum Ecclesiæ, per fidem eos adducebant velocissimè.

Psal. 98.
Deut. 33.

Psal. 67.

Isai. 60.
Apostoli prædicando nubes volantes.

Altera quoque ratio cur in nube tanquam symbolo sibi apto Spiritus sanctus apparuerit, afferri potest, quia per nubem significare voluit protectionem quam habet suorum. Sicut enim columba nubis deduxit & protexit Hebræos de die, vt securè in terram promissionis pervenirent: ita Spiritus sanctus deducit Christianos in terram promissam æternæ beatitudinis, eos contra æstum & ardorem concupiscentiæ protegens & obumbrans, eis securum iter præmonstrans, nec deserens donec introduxerit.

Spirit. S. hodie apparuit in igne.

Tertiò apparuit Spiritus sanctus in die Pentecostes in specie ignis, & hoc conuenientissimè factum fuisse, multis potest rationibus declarari.

Prima ratio est, quia ignis solet esse symbolum diuinitatis. Vnde & in veteri Testamento per ignem crebrò Deus gloriam suam manifestasse legitur, vt propterea dicat Moyses: *Ignis consumens Dominus Deus tuus.* Moyses enim dum vidit cum in Horeb, vidit in rubo ardente & flammante. Item dum vidit in monte Sinai; *Erat species gloriæ Domini, quasi ignis ardens in vertice montis.* Sic Israelitis Dux fuit Deus in columna ignis. Vidit quoque eum Daniel, & dicit: *Thronus eius flamma ignis, rota eius ignis accensus. fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie eius.* Per hunc fluuium rectè dixeris designari Spiritum sanctum, qui à Patre procedit non vt genitus, nec vt filius, sed vt impulsus, & vt fluuius: & quidem igneus fluuius, quia procedit vt amor, & amor ignis est; & quia ad nos egreditur, vt flumen quod in Apocalypsi draco vi-sus est mittere post mulierem penitus absorbeat & exsiccet. Hinc etiam factum est, vt multæ nationes ignem coluerint instar Numinis, diuinosque decreuerint honores: Et quia dixerunt illum è Cœlo lapsum, perpetuò conseruandum duxerunt. Sic Chaldæi ignem colebant, idque ex Genesi deducunt Hebræi, & post illos S. Hieronymus. Ibi enim dicitur quod Deus Abrahamum eduxerit de Vr Chaldæorum, Vr Hebraicè ignem significat, & idcò traditio Hebræorum est, quod de igne eductus fuit Abraham miraculosè, quodque in ignem fuerit injectus, quia illum colere noluerit. Quapropter sic legimus: *Deus qui eduxisti Abraham de igne.* Sed siue hoc verum sit, siue non, ex eo saltem colligitur, quod ignem coluerint Chaldæi, & alij gentes, quasi ab eo consecrarentur, tamquam à Numine. Vnde reprehenditur Rex Achaz his verbis: *Lustrauit filios suos in igne, iuxta ritum gentium.* Et, *Insuper & filium suum consecrauit transferens per ignem secundum idola Gentium.* Ægyptij quoq; & Persæ ignem coluerunt vt Deum, & propterea voluerunt illum Regibus suis quocumque irent præferri, in signum cuiusdam diuinitatis, quia hi erant tanquè terrestres quidam Dij. Quod ipsum etiam postea obseruarunt Imperatores Romani sine igne & lumine prævio nusquam procedentes. Sed hoc postmodum Christiani Imperatores vsurpare noluerunt; honoremque hunc ignis & facis ardentis ad Deum transtulerunt & diuina. Hinc Christo Domino & Sanctis ignem & lumina accendimus; illi vt Deo, his vt Lucis æternę consortibus. Apud Romanos quoque erant constitutæ Vestales Virgines, quæ ignem perpetuò conseruarent tamquam numen quoddam. Colebant enim ignem sub numine Vestæ. Hinc illud Ouidij in Fastis:

1. *Quia ignis est symbolū Diuinitatis,* *Deut. 4.* *Exod. 3.* *& 24.* *Dan. 9.*

Apoc. 12.

Ignis pro Numine habitus.

Gen. 11.

2. *Esd. 9.*

2. *Par. 28* 4. *Reg. 16.*

Nec tu aliud Vestam quàm viuam intellige flammam.
Nata, de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur Virgo est, quæ semina nulla remittit.
Nec capit, & comites virginitatis amat.

Itaque ignis licet diuinitatem non habeat, tamen diuinitati aptum est symbolum, perfectionem

& attributa diuina repræsentans; *potentiam, sapientiam, bonitatem, iustitiam, puritatem, actiuitatem, sublimitatem, lucem, incomprehensibilitatem.*

In igne Dei potẽtia repræsentatur.

1. In eo significatur *Dei potentia*, quod ignis sit summæ efficaciæ: ita vt dura quælibet emolliat: & liquefaciat, vel confringat, & in cineres convertat: Sic Dei potentia quædam emollit, quædam confringit.

Dei sapientia.

2. In eo significatur *Dei sapientia*, quod ignis lucidissimus sit, lucem suam latè diffundens vt tenebras dissiper, in caligine ducem se præbens, & delectans; sic & Dei sapientia Beatos illuminat & delectat, nobisque in tenebris affulget, vt caliginem ignorantiæ nostræ dispellat.

Dei bonitas & amor.

3. In eo significatur *Dei bonitas & amor*, quia inter cætera elementa ignis maximè nititur se omnibus rebus communicare, suamque vim, formam, splendorem illis imprimere, & sibi assimilare: ita diuina bonitas in omnia se diffundit, conaturque hominem sibi simílem facere, suæ claritatis & gloriæ participem reddere.

Dei iustitia.

4. In eo significatur *Dei iustitia*, quod ignis terribilis sit, & formidandus, & deuastans quasi zelo iræ suæ id quod sibi contrarium est, vt patet in incendijs & fulminibus. Simulque iustitia & misericordia Dei in hoc designatur, quod quædam ignis obdurat, quædam resoluit & liquefacit: sic Deus *Rom. 9.* *cuius vult miseretur, quod vult indurat.*

Dei puritas.

5. In eo significatur *Dei puritas*, quod ignis sit sine mistione purissimus, simplicissimus, subtilissimus, ab omni alia re secretus, nec in eo quicquam est quod non sit ignis, habet quoque vim alia purificandi, vt patet auro, argento, & metallis. Et quia ignis nunquam est otiosus, sed viuidus semper & actiuus, ideò Dei etiam actiuitatem designat: quia sicut semper Deus est, ita semper agit; & ab æterno non defuit ei actio ad intra siue immanens.

Dei sublimitas & eminentia.

Denique, in eo quod ignis semper sursum in sublime tendat quasi cœlestis foret naturæ, nec patiatur se contrectari, sed exurat contrectantes se & sibi nocentes. Ob hæc igitur omnia dixit rectè Heraclitus, Deum esse Ignem intelligibilem; ab hoc igne immenso tamquam scintillæ innumeræ exsiliunt Angeli & homines, cæteræque creaturæ.

PARS II.

Cur in igne, & igneus lingua apparuerit: Ignis designat gratiam Sp. S.

SEcunda ratio Principalis, cur Spiritus S. in ignis specie apparuerit, est: quia specialiter ignis significat gratiam & effectum Spiritus sancti, ardoremque charitatis, quem producit in fidelium cordibus, dum ad eos venit. Exterius igitur exhibuit in imagine, quod interius operabatur in mentes. *Num. dum repentino sonitu super discipulos venit, mentes carnalium eo sui amore permutauit, & spiritu apparentibus linguis igneis, intùs facta sunt corda flammantia, quia dum Deum in ignis visione susceperunt, intius suauiter per amorem arserunt*, ait S. Gregor. homil. 30. in Euangel. Itaque ignis designat gratiam & charitatem Spiritus sancti, quia illa instar ignis mentes purificat, illuminat, accendit, ad cœlestia elevat, & corda antea dura emollit, liquefacit, & in Deum effluere facit. Sine gratia & charitate quam diffundit Spiritus S. in corda nostra, nullum opus nostrum potest esse meritorium, nulla actio, nullum obsequium, nullum sacrificium Deo potest esse gratum.

Leuit. 6. In huius rei figura iubebat Deus in antiquo altari semper ignem asseruari, & sine igne sacrificium non offerebatur. Igne agnus assari debebat, igne fruges, quæ offerebantur, debebant torreri, igne victima consumi. Quinimò in sacrificio Melchisedech, qui panem & vinum obtulit, partem panis fuisse igne costam quidam existimant; vt non esset simplex oblatio, sed sacrificium perfectum quod requiritur rei oblatæ immutationem. Illud quoque notatu dignum: dum olim Deus indicare volebat sacrificium sibi gratum esse, igne cœlitùs emisso id fecisse. Sic super sacrificium Abel ignis è cœlo descendit, vt multi S. Scripturæ Interpretes tradunt: & ex eo probari potest, quod vbi nostra lectio habet: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*, alia lectio Theodotionis habet: *Inflammauit Dominus super Abel.* Ex illo igitur igne cœlitus super sacrificium Abelis descendente (& non super sacrificium suum) Cain cognouit fratris sui sacrificium Deo acceptum fuisse; suum verò non, quia ignis super illud non descendit. Quomodo enim aliter id scire potuisset? Sic sacrificium Gedeonis offerentis panes azymos assumpsit ignis, quasi de terra ebulliens, sed à Deo immissus ad mysterium. Sic sacrificium Manuë Patris Samsonis, sacrificium Aaronis, sacrificium Eliæ, cœlestis flamma corripuit. Significabat omnis hic ignis charitatis & diuini amoris flammam, quæ debet incendere coram Deo omne sacrificium cordis nostri, vt odoretur Dominus odorem suauitatis. Ignisque ille semper debet conseruari in ardore suo in tabernaculo nostro interiori, quia hic est ignis, de quo Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Hunc ignem copiosissimè misit in terram in die Pentecostes, vnde apparet mysticum eius symbolum, ignis scintillans in vertice Apostolorum: ignis non consumens nec comburens, sed perficiens & consummans, non destruens, sed instruens, non in cinerem, sed in Deum transformans & elevans; ignis vasa electionis conflans, & rubiginem expurgans.

Nullum enim sacrificium sine igne. *Iudicat. 13.* *Num. 16.* *3. Reg. 18.* *Luc. 12.*

De hoc igne mystico in die Pentecostes à Christo cœlitùs misso interpretatur quidam illud quod apud Ezechielem Prophetam in figura legimus, vidisse virum lineis indutum cui cœlitùs dicebatur: *Ingredere in medio rotarum, vbi sunt subtus Cherub.* *Ezech. 10.*

Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, & effunde super ciuitatem. Christus vir per antonomasiam est, de quo dicitur: *Fœmina circumdabit virum.* Indumentum eius lineum sacra est humanitas, quæ multa subijt tormenta, sicut & linum vt ad telam candidam perducatur, multis prius modis atteritur. Pro his ergò laboribus & doloribus dicit ei Pater: *Ingredere in medio rotarum.* Quasi dicat: Ascende à terra in cœlum, & sedem pone in medio orbium cœlestium: & quia scio te ignem velle mittere in regionem vnde venis; *Imple manum tuam prunis, & effunde super ciuitatem.* Fecit id ipse, *cuius,* iuxta Prophetam, *ignis est in Sion, & caminus in Ierusalem.* Hic est magni consilij Angelus, qui impleuit thuribulum de igne altaris (quomodo loquitur S. Ioannes), & in terram misit. Hic est ignis zeli & charitatis, qui non reperitur in terra nisi mittatur de cœlo, non reperitur in thuribulo aut in altari cordis nostri, nisi veniat de thuribulo & altari cœlesti & diuino. Hunc participarunt hodie discipuli in Ierusalem, participant & fideles quotidie in toto orbe, tanquam Filij Sion.

Ieremi. 1. Apoc. 8. Esai. 31.

Tertia ratio, cur Spiritus S. apparuit super Apostolis in specie ignis est, quia sicut olim Prophetas constituit & auctorauit per ignem, similiter voluit & Apostolos inauctorare per ignem. Sic olim Isaiam consecrauit Prophetam tangens, aduens, purgans eius labia per carbonem ignitum, vt linguam os que igneum haberet ad inflammandos Iudæos amore diuino, & ad annunciandum eis eloquia Domini casta, & igne examinata.

Apostoli sint inauctorati per ignē, sicut & olim Prophetæ. Isai. 6. Exod. 3.

Sic *Moysen* Prophetam constituit apparens ei in flamma rubi ardentis, & inde misit eum ad emendum populum de captiuitate Ægypti, dans potestatem vt ignem, fulmina, fulgura posset de sursum è cœlo excitare ad terrorem Pharaonis & Ægyptiorum, dedit que postea columnam ignis vt ducem in terram promissionis.

Sic *Ieremias* fatetur se quodam igne cœlesti consecratum & eruditum, ad prophetandum, dum dicit: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Quamuis enim hoc dicat in persona Ierusalem, de se ipso tamen etiam dicere idipsum recte potest, quandoquidem ipsi dixerit Dominus: *Nunquid non verba mea quasi ignis?* Verba Domini & prophetia erat ei commissa instar ignis ad illuminandum & accendendum pios, ad conterendum & consumendum impios. Vnde de sermone Domini dicit: *Factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens.*

Thren. 1. Ieram. 23. Iere. 20.

Sic dum *Ezechiel* consecratus est Propheta, ostensus est ei currus gloriæ Dei coruscans & igneus, viditque Cherubinos stipatores glorioſi huius currus, *& aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium & quasi aspectus lampadarum.* In hac ergò visione *facta est super eum manus Domini*, hoc est, potentia & efficacia, siue impulsus & virtus præpotens Spiritus Domini, eum elevans & roborans ad videndum mysteria, & ad prophetandum. Hæc refert ipse.

Ezechi. 1.

Sic denique *Elias* consecratus fuisse censetur Propheta per ignem, quandoquidem de eo dicatur: *Surrexit Elias quasi ignis, & verbum eius quasi fasciula ardebat.* Quasi diceretur: Elias accensus erat zelo honoris diuini in corde quasi igne, sicque apparuit & exsurrexit in medio populi quasi fax ardens & incendens auditores: quia verbum oris ipsius ex corde igneo promanabat, & obedientes accendebat diuino, inobedientes autem igne cœlesti consumebat. Ignem enim de cœlo sæpius fecit descendere in vindictam impiorum; & quia zelo igneo ardebat, in cœlum fuit sublatus curru igneo. Imò tradit S. Epiphanius in Vitis Prophetarum, in vita Eliæ, & Dorotheus in Synopsi iam ab incunabulis per flammam fuisse enutritum, in signum ardentis eloquij; non quod vere flamma fuerit enutritus, sed quod illa lamberet vultum & os eius, in illudque videretur ingredi loco lactis, illumque cibare. Audi Dorotheum: *Cùm nasciturus esset Elias, pater eius vidit illum ab Angelis albicantibus salutari, & in igne tam quam fascijs involui, & flamma ignis velut cibo ali. Et Ierosolymam profectum ipsam indicauit, dictum que est illi ex oraculo nemineret fore eum vt puer nasciturus in luce habitaret, & qua diceret firmam sententiam haberent, iudicaret q; Israëlem in gladio & igne.*

Eccl. 44. 4. Reg. 1.

Itaque Apostoli & a Spiritu sancto in specie ignis apparente fuerunt inauctorati, quia mittebantur instar Eliæ ad corda fidelium igneo eloquio succendenda, mittebantur instar Cherubinorum igneorum quos viderat Ezechiel, ad stipandum & in orbem vndeuersum promouendum currum gloriæ Dei, & magnificentiam eius declarandam: *Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur.* Mittebantur instar Ieremiæ cum igne sermonis Dei in medullis exæstuante, & foris se prodente. Mittebantur instar Isaiæ piunis ardentibus de altari diuino desumptis benè purgati, & igniti labijs. Mittebantur instar Moysis à Christo (qui apparuerat in rubo ethnicos, rubo ardente charitatis) cum virga virtutis, hoc est, cum potestate miraculorum, & cum lege ignea, quam toto debebant orbe circumferre zelo ardentissimo. Sicut ergò lex vetus data fuerat Moysi cum igne, fumo, tonitru, fulgure, multò magis lex noua danda fuit hodie per ignem Apostolis à Spiritu sancto. Ignis ille antiquus, typus erat huius ignis; tonitru antiquum typus soni vehementis; fulmina & fulgura, typus miraculorum & concionum per Apostolos coruscantium; fumus erat typus pœnitentiæ Iudæorum & Gentium. Sic idem Deus in vtraque lege ferenda & promulganda cognoscitur per ignem.

Comparatio datæ legis nouæ & veteris

Non ergò iam possumus dicere quod in apparitione Domini facta Eliæ dicitur. Cùm enim esset in monte Oreb, & iuberetur stare coram Domino: ecce Spiritus siue ventus grandis & fortis conterens petras ante Dominum, & subuertens montes:

3. Reg. 19.

& non in spiritu Dominus. Deinde ecce post Spiritum commotio, quasi horribilis terræ trepidatio, *& non in commotione Dominus.* Vlterius post commotionem ecce ignis, *& non igne Dominus.* Denique ecce post ignem sibilus auræ tenuis, & ibi Dominus. Vnde operuit vultum Elias, & egressus stetit in ostio spelunæ, & vox ad eum: *Quid hic agis Elia?* Nempe hic modestè corripitur Elias perturbatus, zelo vindictæ æstuans, optansque vt Deus Iesabelem cum suis perderet, corripitur, inquam, per sibilum auræ lenis. Apparet ergò ei Spiritus sanctus non in vento vehementi, sed leni, vt nimium zelum & nimiam indignationem leniret, eique spiritum patientiæ & mansuetudinis inderet. Quasi diceret ei Dominus. dum offert illius ventum validissimum, terræ motum, ignem, tria certè violentissima: Mihi omnia elementa famulantur, ô Elia, & præsto sunt vt idolatras & Iesabelem illicò disperdere possim; at volo vt elementia & longanimitate, quam tibi per spiritum lenem significo, vt eam imiteris; rigor ille extremus non secundum vsitatum est providentiæ meæ modum. Idcircò ait ad singula: *Non in eo Dominus,* Audi Ienæum de hac re l. 4. contra hæreses. cap. 17. *Docebatur Propheta turbatior & concitatior ad vindictam, agere mitius: & Domini adventus significabatur post legem mitu & tranquillus, & regni Christi mitis & pacifica requietio*

In die porrò Pentecostes, ecce repentè de cœlo sonus grandis, *& ibi Dominus:* ecce spiritus vehemens, *& ibi Dominus:* ecce cœnaculi Apostolici conclusio & repletio, *& ibi Dominus:* ecce ignis dispertitus velut in linguas, *& ibi Dominus.* Sonus ille symbolum erat sonitus Evangelij, qui totum orbem debebat pervadere per prædicationem Apostolorum accepto Spiritu sancto: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Simul etiam sonus ille excitabat animos fidelium ad devotè excipiendum adventantem Spiritum, & Iudæos per vrbem sparsos ad accurrendum ad cœnaculum, in quod ille sonus ferebatur, sicut tonitru cum fulmine quandoque fertur in certam domum. Ventus vehemens repræsentabat efficaciam & vehementem impulsum Spiritus sancti, qui Apostolos validos reddebat & efficaces ad invadendum cum impetu totum orbem, & Christo subjugandum. Sic quoties Sampson aliquod opus heroicæ & supernaturalis fortitudinis erat acturus, dicitur irruisse in eum Spiritus Domini, quasi ad id eum excitans, eleuans, roborans. Linguæ igneæ significabant Apostolicas linguas cœlesti igne imbuendas, ita vt ignito eloquio potentes fierent ad frigida corda inflammanda, imò & ad saxea corda conterenda, sic vt illis conueniret illud: *Numquid non verba mea quasi ignis ardens, & quasi malleus conterens petras, dicit Dominus?* Item & illud Eliæ: *Surrexit quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardebat, & vrebat* Patuit id in Petro, qui surrexit in die Pentecostes quasi ignis, & omnes auditores inflammauit. Sic & toto orbe ignitum eloquium Domini circumtulerunt Apostoli, quasi *sagittas potentis acutas & carbones desolatorios,* ad corda inimicorum Christi inflammanda, odium eorum in amorem convertentes. Sic dicit S. Gregorius Hom 30. in Evang. *In linguis igneis apparuit Spiritus, quia omnes quos repleuerit, ardentes pariter facit & loquentes Linguas igneas Doctores habent, quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant Nam & oto, vis est sermo Doctoris, si præbere non valet incendium amoris Hoc doctrinæ incendium ab ipso veritatis ore conceperant, qui dicebant: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cùm loqueretur in via, & aperiret Scripturas?* Insuper per linguas igneas, quæ dispertitæ insederunt vertici Apostolorum singulorum, acceperunt donum linguarum, vt possent progredi ad omnes gentes: sicque multiplices linguæ igneæ significabant multiplices gentium linguas, quarum cognitionem & habituationem eis Spiritus sanctus indebat. Numerantur autem a plerisque primæuæ linguæ septuaginta, tot enim in diuisione linguarum in structa turris Babel totidem familijs ex Noë progenitis inditas censent. Alij putant fuisse tantum familias 55. & consequenter tot linguas: sed ex illis mulcæ aliæ postmodum sunt ortæ & adinventæ. Imò epistolæ Indicæ testantur in vna tantùm valle Indiæ Occidentalis septingentas numerari linguas, & quamlibet vrbem fere habere propriam linguam, ne ab incolis vicinæ vrbis, cum quibus hostilitatem exercet, intelligatur, neve cum hostibus vel in lingua communicet. Certum interim est, primarias linguas tunc inter gentes ad quas mittebantur Apostoli, vsitatas eis fuisse inditas, cùm fidei deberent esse Doctores in qualibet gente. Vnde S. Augustinus in Psal. 54. *Deus diuisit linguas in fabrica turris Babel, ne je intelligendo perniciosam facerent vnitatem. Per superbos homines diuisæ sunt linguæ, per humiles Apostolos congregatæ sunt linguæ. Spiritus superbiæ dispersit linguas, Spiritus sanctus congregauit linguas. Quando enim Spiritus sanctus venit super discipulos, omnium linguis locuti sunt, ab omnibus intellecti sunt, lingua dispersa in vnum sunt congregata. Gentiles diuisas habent linguas, si volunt vnam linguam, veniant ad Ecclesiam, quia & in diversitate linguarum carnis vna est lingua in fide cordis.* Itaque Apostoli linguis omnium gentium locuti sunt, quia per linguas constat sociatio generis humani, sicq; oportebat per linguas omnium gentium significari societatem istam filiorum Dei, & membrorum Christi futurã in omnibus gẽtibus.

Quidam existimant, Apostolos vnica solum lingua locutos, propria scilicet Syrohebræa, sed à variis variarum linguarum gentibus fuisse intellectos; sicut de S. Vincentio Ferrerio legitur quod Hispanicè concionans, ab Italis, Gallis, Flandris, Anglis intelligebatur. Ita censet S Cyprianus serm. de Spiritu sancto Autor, Oecumenius, Carthusianus. Sed verius est Apostolos & quoscunque in cœnaculo

Psal. 18.

Ventus vehemens est efficacia Spir. S.

Lingua igneæ, ignitum eloquium Ier. 23.

Eccl. 48.

Psal. 119.

Dispertita, donũ linguarũ

Gen. 11.

Vna, & varijs linguis Apostoli locuti.

eulo præsentes (etiam mulieres præsertim Deiparam & Magdalenam) varijs linguis esse locutos, non simul, sed successivè. Hoc enim exprimitur, dum dicitur: *cœperunt loqui variis linguis*, non solum una quam varij intelligerent, alioqui miraculum hoc non tam loquentium quam audientium fuisset, non enim fuisset in Apostolis, sed in Iudæis audientibus; Deus autem dono linguarum voluit glorificare Apostolos. Vnde & Apostolus dicit: *Gratias ago Deo, quod omnium vestrum lingua loquor.* Et hæc est sententia communis SS. Patrum. Non negamus tamen subinde Apostolos una lingua loquentes ab auditoribus diversæ linguæ fuisse intellectos, id enim etiam concessum fuit Apostolicis Viris. Sic *de S. Xaverio* habetur in processu Canonizationis: *Diuersarum gentium inguis quas non didicerat, cùm Evangelii causa eas audiret, ita eleganter loquebatur, ac si sibi natus & educatus fuisset. Et contigit non varò ut eum concionantem diuersarum nationum homines suæ quisque lingua planè & politè loquentē audiuerit: id quod pro maximo miraculo ab ea gente habitum nō solum auxit venerationem Xauerii, sed multos etiam ad fidē convertit.* Sic de *S. Vincentio* diximus, quod ab omni penè natione intelligeretur proprio loquens idiomate, adeoque ab Hispanis per Galliam in Belgium penetrans, convertit octo millia Saracenorum, viginti quinque millia Iudæorum, quadraginta millia publicorum peccatorum, plusquā centum millia aliorum peccatorum ad confessionem induxit. O ignea mens, ignea lingua *Vincentij & Xaverij*, adeo potens in peccatoribus inflammandis! O ignea mens, ignea lingua *S. Dominici* per faculam ardentem matris in utero præsignificata! O ignea mens, lingua ignea *S. Francisci*, ad quem tanquam novum virum mundo cœlitus datum omnis sexus properabat, ad flammam eius ex ore procedentem participandam! O ignea lingua *S. Antonii Paduani* quæ adhuc post mortem à *S. Bonaventura* inventa est integra post triginta annos! O ignea lingua *S. Bonaventuræ*, qui adeo Doctor Seraphicus dictus est, quæ anno 1434. annis post mortem 160. integra & quasi recens reperta est in eius translatione, cum corde & capite etiam integro! Hi imitatores Apostolorum fuerunt in vita & doctrina, & ideo eandem cum ipsis flammam participarunt, à Spiritu sancto magis edocti quam ab hominibus! *O quam velox est sermo sapientiæ, & ubi Deus Magister est, quam cito discitur quod docetur*, ait S. Leo serm. de Pentec. *mox ut tetigerit, mentem docet, solumque tetigisse, & docuisse*, inquit S. Gregor. Hom. 30. in Evang. Patet id in Apostolis, qui non foris apparentibus linguis igneis variis potuere linguis loqui, sed etiam cognoverunt perfectissimè omnia mysteria fidei, omnia Magnalia Dei, docente Spiritu sancto.

Act. 2.

1. Cor. 14.

Diversi Sancti, ignium eloquium habentes

Veni igitur Spiritus divine, illumina, accende, expurga, in sublime erige corda nostra, ut fiant lucida quæ sunt tenebrosa, fiant ardentia quæ sunt tepida & torpida, fiant pura quæ sunt immunda, fiant cœlestia quæ sunt terrena. Tange & linguas nostras igne tuo, quæ inflammatæ sunt ab igne gehennæ, expurga omne vitus, ut non loquamur nisi sancta, &c.

DOMINICA TRINITATIS.

Lect. 3. tripart.

Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt.
1. Ioan. 15.

PRimum Fundamentum Fidei nostræ est, credere Deum esse. Hoc est quod Apostolus dicit ad Hebræos: *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se, remunerator sit.* Deum autem esse non solum supernaturale lumen fidei, sed etiam naturalis ratio docet, nam ex creaturis potest homo usque ad Dei Creatoris notitiam pertingere, eo quo Cœlum, Sol, Stellæ, Aër, Terra, Aqua, Elementa, & omnia mixta Deum esse clamant. Creatura visibilis scala quædam est, per quam ad Dei quamdam cognitionem conscendi. mus quotquot in particulari sunt creaturæ, tot sunt gradus huius scalæ. Ascendebat S. Augustinus per gradus huius scalæ, dum Soliloqu. cap. 31. dicit: *Circuibam omnia Domine quærens te. Interrogavi terram si esset Deus meus, & dixi quod non & omnia quæ in ea sunt, hoc mihi confessa sunt.* Ecce primus gradus quem debuit pertransire. *Interrogavi mare & abyssos, & reptilia quæ in eis sunt, & responderunt: Non sumus Deus tuus: quære super nos eum.* Ecce secundus gradus quem oportuit transilire. *Interrogavi flabilem aerem, & inquit universus aer cum omnibus incolis suis: Fallitur Anaximenes, non sum ego Deus tuus.* Ecce tertius scalæ gradus, in quo necdum oportuit hærere. *Interrogavi Cœlum. Solem, Lunam, & Stellas. Neque nos sumus Deus tuus, inquiunt.* Ecce quartus gradus, sed ultra oportet scandere. *Et dixi omnibus his qui circumstant fores carnis meæ. Dixisti de Deo meo quod vos non estis, dicite mihi aliquid de illo. Et clamaverunt omnes voce magna, ipse fecit nos.* Ecce adiuvant ad ulteriorem ascensum, ut tandem perveniatur ad summitatem scalæ. *Interrogavi deinde mundi molem: Dic mihi si tu es Deus meus, an non: Et respondit voce forti, non sum ego: quem quæris in me ipse fecit me: supra me quære eum, qui regit me, qui fecit me.* Ecce summitas scalæ, qua conscensa, invenitur is qui quæritur. Interrogatio itaque creaturarum, profunda est confidentia earum: Responsio creaturarum attestatio est ipsarum de Deo, quoniam omnia clamant, Deus nos fecit. Quod conforme est dicto Apostoli: *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Antea dixerat Sapiens: *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Sicut qui picturam prænobilem, aut Palatium magnificum attentè intuetur, mox

1. Fundamentum fidei, credere Deū esse.

Deum esse per visibiles creaturas cognosci potest.

Rom. 1. Sap. 13.

Mundus est liber & speculum, Deũ demonstrans.

mox intelligit Pictoris, aut architecti eminentem scientiam, ferturque desiderio ad illius notitiam. sic & pulchritudo creaturarum & ordo earum excitat hominis desiderium ad Creatorem earum.

Propterea etiam Mundus hic visibilis comparatur libro expanso, aut speculo coram nobis posito. Libro quidem, quia sicut per litteras & characteres libro inscriptos animus ad ea quæ significantur, intendit: Sic tot Stellæ & luminaria, tot elementa & creaturæ. Orbis huius visibilis, tot sunt characteres in libro grandi exarati, per quos nobis significatur excellentia Dei. Non ergo esse debemus instar puerorum, qui litteris pictis in aureo codice delectantur, nec quid ultra velint istæ litteræ; attendunt; sed sapienter debemus advertere quid creaturæ, tamquam grandes characteres libri coram nobis expansi, velint significare: in istis visibilibus debemus legere invisibilia Dei. Similiter qui speculum contemplatur, non id facit ut ibi immoretur, & virtum solum conspiciat, sed per illud vult etiam alia objecta repræsentata contemplari. Sic creaturarum contemplatione uti debemus, nõ ut ib: immoremur, sed ut per eas ad bonitatis, potentiæ, sapientiæ divinæ notitiam & amorem (tãquam per speculum) pertingat oculus mentis nostræ. Vnde notant Theologi, quod hæc est differentia huius & alterius vitæ. Ibi videbimus creaturas in Creatore, nunc autem videre debemus Creatorem in creaturis. Ibi Deus & essentia divina nobis erit speculum repræsentans creaturas, non creatura est speculum naturale repræsentans Creatorem.

Hoc speculum, hunc que librum sæpè contemplabantur Sancti in hac vita arguentes. Vnde S. Antonius interrogatus, quomodo sine libris in deserto viveret? Respondit: *Quid mihi opus libris? Ecce mundus iste visibilis, & natura creaturarum, liber coram me expansus est, in quo mihi continuò legere licet, ibi enim se ipsum Deus ad vivum depinxit, & expressit.*

Homo sibi ipsi liber & speculum tale.

Sed & homo ipse sibi ipsi liber esse potest & speculum clarissimum quo agnoscitur Deus, si attente velit se considerare, ita ut non sit necessarium, ut extra se feratur ad cognoscendum Deum. Lumen vultus eius signatum est super nos in potentijs animæ ad similitudinem & imaginem Dei creatæ. Immò sensus etiam corporis, venæ, nervi, arteriæ mira artificio & ordine dispositæ Deum esse clamant

Psal. 34.

& omnia ossa dicunt, Domine quis similis tibi? Propterea dicebat Aug. *Redii ad me: intraui in me, & aio ad me: Tu quis es? Et respondit mihi: Homo rationalis & mortalis. Et incœpi discutere quid hoc esset, & dixi. Et unde hoc Domine Deus meus unde nisi abs te? Tu fecisti me, & non ego ipse mi. Quis Tu? Tu per quem vivo ego Tu per quem vivunt omnia An quisquam sese faciens erit artifex. An aliunde quam à te traditur esse vivere. Nonne tu es summum esse, à quo est omne esse; Quicquid enim est, à te est, quia sine te nihil est. Nonne tu es fons vitæ, à quo fluit omnis vita? Quicquid vivit, per te vivit, quia sine te nihil vivit? Tu ergo Domine fecisti omnia. Num quaram quis fecit me? Tu Domine fecisti me sine qua factum est nihil: Tu factor mei, ego opus tuum.* Hæc S. Aug. Soliloquiorum c. 13. Nec absimili modo etiam antiqui Philosophi & Sapientes, ratiocinando per lumen naturale, concludebant à rebus inferioribus & creatis tandem deveniendum esse ad unum Primum Principium, Primam causam, Primum agens, Primum movens, Primum Ens, Primum vivens; & hoc ipsum est Deus. Recte igitur dixit S. Aug. in Psal. 74. *Deus ubique secretus est, ubique publicus, quem nulli licet ut est cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare.* Soli illi vellent eum ignorare qui vivunt sine Deo in peccatis, sed ipsa conscientia eos quandoque arguit, & Deum esse velint nolint, convincit.

PARS II.

1. Fund. Deum esse infinitum in perfectionibus.

Deus est Æternus.

SEcundum Fidei fundamentum est, non solum Deum esse, sed etiam in eo omnem perfectionem reperiri, ideoque esse Æternum, Immensum, Omnipotentem, Omniscium, & infinitis alijs præditum perfectionibus

1. *Æternus* est, quia semper fuit, semper erit, semper est. Imò necessariò & essentialiter est, sine principio aut fine sui esse, nec propriè habet præteritum aut futurum, sed habet tantum continuum præsens & idem esse sita ut nomen eius sit: *Qui est*, prout dicebat Moyses filijs Israel: *Qui est misit me ad vos* Hoc nomen et soli convenit, quia soli illi impossibile est non esse, & solus habet esse à se esse independens esse necessarium, à quo omnia alia sic dependent, ut sine illo in nihilum redeant. Et ideo etiam de ipso dixit Apostolus: *Qui solus habet immortalitatem.* Solus enim habet ex natura & essentia sua, ut non possit mori, aut deficere. Non succrescit, non crescit, non diminuitur, non mutatur. Cœli peribunt & mutabuntur: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Ipse interim est Rex Cœlorum, Rex sæculorum, Præses temporum, Dominator ævi & æternitatis Dies, menses, anni, tempora, omnesque sæculorum ordines & vicissitudines, ab eius æternitate emanant, sicut radij à sole, sicut rivuli à fonte, sicut scintillæ ab igne; sed ipsa semper eadem fixa & immota sibi constat æternitas Dei, sine ulla vicissitudine, sine principio, sine fine. Finge ergo animo ante mundum milliã millium annorum, iam erat ipse Deus. Concipe tot quot potes millionum millia, adhuc infinita restant, quibus erat, quibus erit, vel potius quibus est: nam eius duratio est unum continuum præsens, non transit in præteritum aut futurum, ut diximus. Recte ergo cum Augustino dixeris: *O æterna Veritas, & vera Charitas, & chara Æternitas, tu es Deus meus, ad te suspiro die ac nocte, tibi inhio, tibi intendo, ad te pervenire desidero: qui novit te, novit Veritatem, novit Æternitatem. Tu Veritas super omnia præsides, quem videbimus sicuti est, quando*

1. Tim. 6.

Psal. 101.

Medit. c. 34.

perfrue-

pertranſierit vita hæc ca & mortalis, in qua dicitur nobis, nòi eſt Deus tuus?

Immenſus. 2. *Immenſus* eſt quoque Deus, qui ubique per eſſentiam, præſentiam, potentiam, ut loquuntur Theologi, verè & realiter omnibus rebus adeſt eius eſſentia, quia *in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus*, & per ſuum eſſe (quod eſt origo omnis eſſe) ſubſtantifico influxu influit & fouet noſtrum eſſe. & omnium rerum eſſe. Verè etiam per præſentiam omnibus adeſt rebus, omnia attentè conſiderans & perſpiciens? non adeſt ibi tamquam dormiens, vel ſoporatus, vel diſtractus; ſed omnia nuda ſunt & aperta coram oculis eius. Verè quoque per potentiam adeſt omnibus rebus, quia in omnibus relucent effectus potentiæ ipſius. Immenſus igitur eſt, cœlum & terram implens, & omnia quæ in eis ſunt; in cœlo oſtendens gloriam, in terris potentiam, in inferis iuſtitiam, poſſidens, regens, implens omnia quæ creavit, non tamen ſic ut contineant eum, ſed ſic ut contineantur ab eo. *Immenſitas diuinæ magnitudinis tuæ iſta eſt, ut intelligamus te intra omnia, ſed non incluſum; extra omnia ſed non excluſum. Et ideo interior es, ut omnia contineas: & ideo exterior es, ut incircumſcripta magnitudinis tuæ immenſitate ōnia concludas. Per id ergo quod interior es, oſtenderis eſſe Creator, per id vero quod exterior es, gubernator omnium demonſtraris. Ac ne omnia quæ creata ſunt ſine te eſſent interior es, exterior vero, ut omnia includantur à te; non locali magnitudine, ſed potentiali præſentia, qui ubique præſens es, & omnia tibi præſentia.*

Act. 17.

S. Auguſtinus.

Medit. cap. 30.

Omnipotens. 3. *Omnipotens* eſt Deus, & quidem eius omni potentia in ſacris litteris ſignificatur variis metaphoris. Illam ſignificat Apoſtolus, dum dicit *Omnia portat verbo virtutis ſuæ.* Quaſi dicat: Nutu & potentiâ ſuâ ſuſtentat totum pondus creaturarum quaſi Athlas mundi, ſimul mouens, gubernans, moderans omnia. Eandem etiam ſignificat Propheta, dum dicit quod tribus digitis appēdit molem terræ, quod menſus ſit pugillo aquas, cœlos palmo, quod libret in pondere montes. Tres digiti Dei quibus cuncta appendit ſunt eius Potentia, Sapientia, Bonitas. Per Sapientiam deſignat id quod faciendum eſt, per Bonitatem vult idipſum facere, per Potentiam autem illud exequitur facillimè: & ſic per illa tria, ſuſtinet, gubernat, dirigit omnia in finem ſuum. Fides noſtra reſpicit eius Sapientiam, Spes Omni potentiam, Charitas Bonitatem. Denique eam ſignificat ipſe Dominus apud Iob, dum dicit ſe concluſiſſe oſtiis mare, ſe illi ponere nubem quaſi veſtimentum, & caligine quaſi pannis infantiæ obvolvere, ſe in manu tenere extrema terræ, & excutere impios ex ea; ſicut ſcil. qui vannum in manu teneret ad excutiendas paleas. Certè maximè hanc omnipotentiam manifeſtavit in rerum creatione ex nihilo, & in diſpoſitione ordinatiſſima, dum omnia quæcunque voluit fecit ſine labore, ſine difficultate, ſine reſiſtentia, ſine auxilio cuiuſpiam, dum omnia conſervat & ſuſtinet manu ſuâ potente, ſine qua in nihilum rediret. Nam nec ſine eius cooperante potentia Sol lucet, nec cœlum volvitur, nec ignis calefacit, nec Angeli ſtant, nec homo conſiſtit. Specialiter quoque elucet hæc potentia dum hominem è luto formar, mulierem è coſta, dum virgam in ſerpentem, mulierem in ſtatuam ſalis, aquam in vinum, panem in corpus ſuum convertit: quia in his omnibus digitus Dei eſt, & mutatio dexteræ excelſi. Hanc divinæ manus potentiam eleganter explicat S. Baſilius Seleucius ut eminentem in formatione hominis, dum dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram, & præſit piſcibus maris.* Sic enim ait: *Vidit hominem non egentem utero, non in natura officina luteum embrionem, non acretionem uteri tumore deſignatam, non tempus manentem quo deuentru carcere captiuus exſoluatur, neque poſt partiēm reticulis faſciarum reformatur: ſed vidit hominem immortali manu editum, & Dei digito ex tempore perfectum, abſolutumq; ſimulacrum, vidit ſimul fictum, ſimul Regem factum.*

Iſa. 40.

Iob. 38.

Hebr.

Soliloq. cap. 9.

Quinimò in minima formica, floſculo, folio, capillo, omnipotentia cernitur Dei, quia ut dicit S. Auguſtinus. *Omnipotens manus tua Domine ſemper tua & eadē creauit in cœlo Angelos, & in terra vermiculos, non ſuperior in illis, nō inferior in iſtis. Sicut enim nulla alia manus Angelum, ita nulla creare poteſt vermiculum. Sicut nulla alia cœlum, ita nulla poſſet creare minimum arboris folium. Nec eī poſſibilius eſt creare vermiculum quàm Angelum, nec impoſſibilius extendere cœlum quàm folium.*

Omniſcius. 4. *Omniſcius* eſt Deus, quia habet perfectiſſimam rerum omnium ſcientiam, quæ in infinitum tranſcendit omnem ſcientiam, Angelicam, vel humanam. Tum quia cognoſcit non ſolùm omnia præterita, præſentia, aut futura, ſed etiam omnia poſſibilia. Tum quia illa cognoſcibilia ſunt, ideoque ea perfectiſſimè comprehendit. Tum quia ea cognoſcit non per ſpecies aut effectus, ſed per ſuam eſſentiam tamquam per ſpeculum clariſſimum, quod omnia repræſentat. Tum quia eius oculus perſpicaciſſimus uno intuitu omnia intuetur & cognoſcit, pervadens & pervidens ab æternitate in æternitatem, à ſæculis in ſæcula. Tum denique quia eius cognitio in variabilis eſt numquam creſcens, & ab æterno eſt, & ſemper eadem eſt, nec ipſi accidentaria eſt ſicut Angelis aut hominibus, ſed eſſentialis & ſubſtantialis: & ab eius cognitione & ſcientia promanat omnis ſcientia aut cognitio, quæ eſt in Angelis aut hominibus. *Omnē-ſcius.*

Itaque, per hanc ſcientiam Deus non ſolum ſcit numerum omnium hominum à primo homine Adamo ad ultimum uſq; e, ſed etiam ſcit numerum annorum, dierum, horarum, momentorum

rum uniuscuiuscunque ac capillorum, ita ut unus non cadat sine eius scientia particulari. Sed hoc sublimius, quod sciat numerum electorum & reproborum in particulari, gradum gloriæ vel damnationis, quia etiam ab æterno novit inclinationes, cogitationes, affectus uniuscuiusque sinemque bonum vel malum: quæ quidem hominibus vel Angelis quandoque vult esse incognita: *Tu cognouisti Domine sessionem & resurrectionem meam, semitam meam & funiculum meum investigasti, & omnes vias meas prauidisti*, inquiebat Propheta. Quasi dicat in persona cuiusliber hominis: Tu scis ab Æternitate iter meum, progressum, consilia. Tu scis metam & finem ad quem perventurus sum. Tu scis media per quæ ad illum finem pertingam. Ps. 138.

Denique ex hac scientia sit, ut omnia nostra cogitata, dicta, facta, quamliber secreta, sic noverit, ut de illis sigillatim rationem sit exacturus, & librum reproducturus: ut propterea dixerit Sapiens, quod stultissimè quidam adulterium meditans alienam uxorem sic sit allocutus: *Tenebræ nos circumstant, Nemo nos videt. Et non intelligit*, inquit ibidem Sapiens, *quoniam omnia videt oculus Dei, cuius oculi sunt lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & corda intuentes.* Eccle. 23.

Infinitus. 5. Deus est *infinitus* in omni perfectione sapientia, potentia, providentia, misericordia, bonitate, pulchritudine, iustitia, sanctitate, clementia, magnificentia, maiestate, gloria, veritate, puritate: ita ut si consideremus omnes perfectiones quæ sunt in omnibus creaturis simul sumptis, tam in Angelis, quàm hominibus, nihil id respectu unicæ perfectionis Dei eò quod superet illa infinita. Sicut enim divina essentia origo est Oceanusque respectu omnis essentiæ creatæ; ita perfectio divina origo est inexhausta Oceanusque infinitus, à quo omnis promanat perfectio creata. Atque ita omnis hominum & Angelorum perfectio nonnisi stilla est respectu omnis abyssi, nonnisi scintilla respectu totius ignis, nonnisi mutatus radiolus respectu solis in plenitudine sua splendentis, & minus quàm pulvisculus respectu totius molis universæ terræ. Non ergo solùm mille gradibus, sed mille millenis, sive infinitis, transcendit omnem perfectionem creatam unica perfectio Dei.

Incomprehensibilis. Propterea dicitur incomprehensibilis Deus secundum omnem suam perfectionem, ita ut nec unicam intellectus vel humanus vel Angelicus possit perfectè concipere & intelligere, quia limitatus est, perfectio autem omnis in Deo illimitata est & infinita. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies. Excelsior cœlo est, & quid facies? Profundior inferno, & unde cognosces? Longior terrâ mensura eius & latior mari.* Quasi dicat, Homo vix aliquid cogitat cœlo excelsius, inferno profundius, terra & mari longius vel latius; sed hæc respectu Iob. 11.

Dei, & immensitatis eius, punctum sunt & nihil.

Non potest ergo homo perfectè cognoscere ne quidem vestigia aut vias eius, multò minùs ipsummet in se Opera Dei non potest comprehendere, multò minùs essentiam & perfectiones ipsius. Vnde Esdræ apparet Angelus, eique dicit: *Excedens excessit cor tuum, & comprehendere cogitas viam Altissimi. Tres vias missus sum ostendere tibi, & tres similitudines proponere. si renuncias veris unam ex his, & ego demonstrabo tibi viam quam desiderat: Vade, pondera mihi ignispondus, aut mensura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem quæ præteriit.* Et respondit Esdras: Quis natorum potest facere, ut me interroges de his? Et dixit Angelus. Si essem interrogans te: Quantæ habitationes sunt in corde maris, aut quantæ venæ in principio abyssi, aut quantæ venæ sunt super firmamentum, aut qui sunt exitus Paradisi? Dicerès mihi fortassis: In abyssum non descendi, neque in infernum adhuc, neque in cœlum unquam ascendi. Nunc autem non interrogavi te nisi de igne, & vento, & die, per quem transisti, & à quibus separari non potes, & non respondisti mihi de eis. Addidit Angelus: Tu quæ tua sunt tecum condolescentia non potes cognoscere, & quomodo poterit vas tuum capere Altissimi viam? Absit itaque ut possit homo comprehendere divinæ essentiæ vel unicam perfectionem, quandoquidem ut dicit Apostolus: *Lucem habitat inaccessibilem*, omni scilicet intellectu increato impervium, immensum omnem nostrum conceptum transcendentem. 4. Esd. 4. 1. Tim. 6.

Propter hæc omnia sacro profundoque silentio post omne nostrum præconium divini Numinis Maiestatem adorandam, celebrandam, laudandam censuerunt antiqui Patres, quia omnium hominum & Angelorum mentem & vocem laudemque infinite superexcellit eius gloria & maiestas. Hoc est quod dicit Ecclesiasticus: *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, super valebit, & admirabilis magnificentia eius. Ne laboretis, non enim comprehendetis. Quis videbit eum & enarrabit, & magnificabit eum sicut est ab initio?* Ideo etiam Regius Propheta canit: *Te decet hymnus Deus in Sion.* Vbi alia lectio ex Hebræo habet: *Tibi silentium laus*, inquit S. Hieronymus. Cuius conforme est illud, *Sileat omnis caro à facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo.* Sic etiam *Factum est silentium in cœlo* Cœlites silent & obstupuerunt ad Dei gloriam, & hæc est eius laus, mortales quoque debent obstupescere, & cum silentio admirari, adorare, glorificare eum. Sileant ergo, ô Domine Deus meus, Angeli, homines, & creaturæ omnes, cœli & terræ in conspectu maiestatis tuæ, quia omnes, creaturæ tuæ in unum collectæ coram te tamquam nihilum sunt reputatæ, & laudem earum in immensum transcendendis, *Laus tua tu es, & laus tua manes in æternùm, etiam silentibus omnibus creaturis.* Eccli. 43. Psal. 64. Zach. 2. Apoc. 8.

Laudes

Laudat te incomprehensibilis potentia tua, incircumscriptibilis sapientia tua, ineffabilis bonitas tua. Laudet te supereminens clementia tua, superabundans misericordia tua, sempiterna quoque virtus & diuinitas tua. Laudet te omnipotentissima fortitudo tua, summa quoque benignitas tua, & charitas tua, per quam creasti nos Domine Deus, vita anima mea, adeat ire-
S. Auguſt Soliloq. ca. 10.
rum eodem capite, vt ostendat quam exilem reputare debeamus laudem nostram in conspectu tantæ maiestatis, quandoquidem tot imperfectionibus, miseriis, peccatis scatemus. Quis ego sum vt laudem te Domine, Deus, qui inhabitas æternitatem? Numquid tenebræ laudabunt lucem, aut mors vitam, aut vanitas veritatem? Tu Lux, ego tenebræ; Tu Vita, ego Mors. Tu Veritas, ego similis factus vanitati. Numquid fœtor laudabit odorem? Numquid laudabit te miseria mea, Homo putredo, & Filius Hominis vermis? Numquid mortalitas hominis, qui hodie est & cras tollitur, laudabit te, homo in peccatis conceptus, natus, nutritus.

PARS III. *Deum esse vnum in natura, trinũ in personis.*

TErtium Fundamentum Fidei nostræ est, Deum non solùm Vnum esse in natura, sed etiam Trinum in personis. Vnum esse in essentia & natura, facilè ex dictis colligitur; quia si Deus habet omnem perfectionem possibilem, rectè sequitur habere vnicam essentiam infinitè perfectam, & vnum esse diuinitatem. Si enim plures essent Dij, deberent aliqua perfectione distingui, quæ in vno esset, & non in altero: & sic non haberent omnem perfectionem. Quapropter in hoc cæcitas magna fuit Gentilium, quod tot Deos sibi finxerint, quasi necessarios ad Orbis totius administrationem, quodque potestatem & imperium mundi inter eos diuiserint, agnoscentes in vno potestatem, quæ non esset in altero. Sic *Marti* ascribebant curam & directionem exercitus, in quo quasi caput præesset. *Neptuno* potestatem super mare dabant, ita vt Puppis & Prora eius suæ esset gubernationi. *Æolo* ventorum curam committebant, velisque nauigantium adesse debere credebant. *Ioui* curam cœli, *Iunoni* curam aëris, Deæ *Vulcano* curam ignis, *Plutoni* curam inferorum, *Cereri* curam terræ, imò cuilibet ciuitati, & cuilibet domui Deum suum attribuebant, in quo etiam errore erant milites Regis Syriæ, dum de Filijs Israël di-
Error Gentilium de pluralitate Deorum.
3. Reg. 20
cebant: *Dij montium sunt Dij eorum, ideò superauerunt nos: sed melius est, vt pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus.* Cæcitatem magnam in his omnibus esse ideò dicimus, quia scire debebant diuinitatem esse primum principium & causam rerum omnium, omnemque potentiam & perfectionem includere: ideoque vnicam esse diuinitatem, cui rerum omnium creatio, conseruatio, prudentia sit adscribenda.

Deus vnus in natura, trinus in personis.

Interim Deus non desinit esse trinus in personis; nam rectè consistit vnitas in essentia cum trinitate subsistentiæ: & ita fit, vt Pater, Filius, Spiritus sanctus vnicam habeant naturam & easdem perfectiones, omnipotentiam, æternitatem, immensitatem, maiestatem, gloriam æqualem. Proinde nec Pater prior est Filio, nec Filius Spiritu sancto, nec Spiritus sanctus posterior vel Filio vel Patre, nec minor aut inferior: sed eadem voluntas, intellectus, memoria est in tribus, eademque diuinitas Pater per intellectum seipsum & suam essentiam perfectissimè intelligens, contemplans, & comprehendens, viuum sui conceptum perfectissimamque imaginem producit, eiusdem secum substantiæ, eiusdemque maiestatis; & hæc imago Patris perfectissima & consubstantialis, à Patre producta per intellectionem, Filius dicitur. Verbum quoque nominatur, quia sicut mens seipsam intelligens format in mente sui imaginem, quam Verbum vocamus; sic quadam ratione in diuinis.

Similitudo à speculo.

Seruit ad hanc rem intelligendam similitudo speculi. Quando quis se in speculo contemplatur, perfectam sui imaginem producit, ita vt vix differentiam agnoscas. Est enim simillima, non solùm quoad lineamenta & colores, sed etiam quoad motum & actionem. Si enim moueatur homo, moueatur & speculi imago: produciturque hæc non cum labore aut cum tempore, nec aliquo instrumento: sed producitur in instanti, & vnico aspectu. Sic considerari potest Deus contemplari seipsum oculo sui intellectus in speculo diuinitatis suæ, & ibi producere imaginem sui simillimam, cui totam suam essentiam & perfectionem communicet, & ideò hæc imago verè filius est. Nos speculum intuendo nostræ imagini non communicamus substantiam propter impotentiam nostram, & ideo non dicitur illa filius.

Vlteriùs, Pater producendo Filium amat eum necessario amore infinito, quia eadem bonitas infinita in ipso reperitur eædemque perfectiones quæ in Patre; Filius quoque reciprocè amant Patrem amore itidem infinito: & hic amor est Spiritus sanctus ab vtroque procedens, ab vtroque spiratus. Procedit enim Spiritus sanctus tamquam amor & vnio inter Patrem & Filium, procedit inquam ab vtroque ab vno principio, ab eadem spiratiua potentia & eadem spiratione æterna. Propter hunc procedendi modum per voluntatem & per modum amoris, appropriatur Spiritui sancto nomen amoris. Accipitur verò tribus modis hoc nomen in diuinis. Imprimis pro amore essentiali & absoluto communi tribus personis. Deinde, pro amore notionali producente, quo Pater & Filius producunt Spiritum sanctum. Denique pro amore notionali producto; sicque est nomen proprium Spiritus S.

Trinitatis mysterium sola naturali ratione cognosci nequit.

Apta est similitudo Solis ad intelligendam Trinitatem in diuinis & processionem personarum. Nam sicut Sol generat radium non liberè, sed naturaliter & purissimè absque vlla mixtione: ita Pater producit Filium non liberè, sed naturaliter, & cum summa puritate. Et sicut à Sole & radio producitur ardor; ita à Patre & Filio procedit Spiritus sanctus. Ex symbolum Trinitatis, Sol, Radius,

dius, Ardor. Sicut etiam Sol producendo radium non est prior radio, sed radius soli est coæqvus; ita Pater producendo Filium non est prior Filio, sed Filius illi est coæternus. Denique, sicut sol semper generat radium, & radius semper est genitus à sole, numquamque separatur radius à sole, vel sola radiosita Pater semper generat Filium, & Filius semper gignitur à Patre, Paterqûe numquam à Filio, nec Filius vmquam separatur à Patre. Ideò ergo Filius dicitur *Lumen de lumine, & Candor lucis aterna.* *Heb. 1.*

altera similitudo à sole.

Interim licet hæc vera sint, apteqúe similitudines hæ à rebus naturalibus deducantur, tamen sola ratio naturalis mysterium Trinitatis non attingit sed opus est simplici & perfectâ fide sine curiosa scrutatione. Nec intelligemus mysterium illud plenè, nisi quando illud videbimus sicuti est perfectâ visione. Nunc audimus illud, & credimus per fidem: sicut autem audiuimus, sic videbimus in ciuitate Domini per speciem. Tunc auferetur velum quod est ante Sancta Sanctorum, & detegetur Arca: in qua tria continentur, Virga Aaronis, Tabulę Legis, Manna solitudinis. In Virga designatur potentia Patris, in Tabulis legis sapientia Filij, in Manna bonitas Spiritus sancti. Modò autem abscondita sunt ab oculis nostris, & non videmus ea nisi per velum vel speculum fidei, tunc autem revelata facie, & quidem facie ad faciem, sed tamen non comprehendemus. Vnde dicebat S. Augustinus: *O Trinitas sola tibi integrè nota! Trinitas sancta, Trinitas supermirabilis, & supernarrabilis, & superinscrutabilis, & superinaccessibilis, superincomprehensibilis, superintelligibilis, supereſſentialis, supereſſentialiter exuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem intelligentiam, omnem essentiam supercælestium animorum, quam nequo dicere, nequo cogitare, neque intelligere, neque cognoscere possibile est, etiam oculis Angelorum. Quam neque Cherubim perfectè cognoscunt, neque Seraphim, sed alis contemplationum suarum velatur facies sedentes super solium excelsum & elevatum clamando: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria tua.* *Soliloq.*

Quibus V.T. cognitum.

Hoc mysterium plerisque in antiqua lege non fuit cognitum nisi implicitè, nec ad illius fidem explicitam tenebantur. Hi tamen, qui perfectiores fuêre temporis illius, etiam habuerunt fidem perfectam & explicitam. Hinc sæpè Propheta Regius illud mysterium in Psalmis suis insinuat. Sic: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* An non hic Trinitatis significatio? dum dicit: *Verbo Domini*, en Patris & Filij nominatio, Filius enim Verbum est, & Pater per quandam appropriationem Dominus vocatur tamquâ principium sine principio; dum addit: *Spiritu oris eius*, quid clarius ad significationem Spiritus sancti? Trinitatem ergò Sanctissimam ad cœlorum creationem concurrisse, hæc verba Prophetæ indicant. Similiter Trinitatẽ videtur indicare dum dicit: *Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra, cantate Domino, & benedicite nomini eius.* Vbi repetit ter vocem Domini, & vocem Cantate, ad insinuationem trium personarum, quibus cantus & laus nostra dedicatur: & in singulari Dominum nominat, ad significationem vnitatis in essentia. Sic & infrà eodem Psalmo: *Afferte Domino Patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius.* Iterum hic tertiò vocem Domini, vocemqúe afferte repetit, quia gentes invitat ad Trinitatis adorationem. Sed clarissimè idem mysterium indicat, dum dicit: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terra.* Tertiò repetitur vox *Deus*, vt significetur Trinitas in personis, & in singulari additur: *Metuant eum omnes fines terra*, (non dicit, *Metuant eos*) vt signetur vnitas essentiæ. Sic Iacob vt dormiret, supposuit capiti tres lapides; cum verò exsurgeret vnum invenit, vt tradunt quidam Hebræi, quia dicit Scriptura: *Tulit de lapidibus & supponens capiti suo dormiuit.* Et postea dicit: *Surgens tulit lapidem quem suppoſuerat.* Vbi quidam ei Trinitatis & vnitatis mysterium putant revelatum. Alij ad Incarnationis mysterium referunt, vbi diuinitas, caro, & anima in vnum coniuncta sunt. *Psal. 32.* *Psal. 95.* *Psal. 66.* *Gen. 28.*

In nouo autem lege manifestum hoc mysterium fuit, tum per doctrinam Christi, qui iubet omnes baptizari, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, tum per apparitionem & designationem, trium harum personarum in transfiguratione & baptismo Domini in diuersis symbolis: ita vt dixerit S. Ioannes: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo* (siue de cœlo) *Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* Hæc est ergo Trinitas quam credimus, quam adoramus in cuius visione glorificabimur, ita vt concludendo dicere liceat: O Sacra Trinitas, ô trina Vnitas, ô vna Immensitas, ô immensa Charitas, ô chara Veritas, ô vera Suauitas, ô suauis Beatitas, ô felix Æternitas, tu es Deus noster, ad te suspirat Trinitas nostra creata; Intellectus, Voluntas, Memoria, Imago tua! Quæ semper erant inquieta & miserabilis, donec tibi locreatæ & supermirabili iungantur in beatitudine, quando Intellectus visione, Voluntas fruitione, Memoria satiabitur Æternitatis continuatione. *1. Ioan. 5.*

EODEM FESTO

Lect. 6. bipart.

Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula. Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio & nunc & semper, &c.

PARS I.

Homo creatus ad benedicendum Deũ trinum & vnum.

OMnes Creaturæ ad benedicendum Deum, & gloriam eius decantandam creatæ sunt. Hoc est quod Rex & Propheta dicit: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti*

Psal. 18. *nocti indicat scientiam.* Quasi dicat: Enarratio gloriæ Dei fit sine intermissione de die & nocte per quandam cœlorum linguam, quam omnes possunt intelligere. Nam de die per Solis pulchritudinem laudatur & benedicitur Deus, similiter & de nocte per ipsam stellarum lucem. Sic dies & nox sunt velut duo chori alternatim prædicantes gloriam Dei, Psal. 44. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Vnus dies peracto cursu & prædicatione tradit diei sequenti verbum laudis diuinæ: sic & nox peracto cursu & quasi hymno decantato tradit nocti sequenti munus canendi, tradit scientiam Deum laudandi. Iugiter ergò dies & noctes choros & choreas agunt Dei Creatoris laudes decantando. Tot stellæ & sidera, tot faces & luminaria vocem habent satis intelligibilem ad excellentiam Dei prædicandum: imò tot quot sunt creaturæ, tot sunt voces eius laudes decantantes, eum benedicentes, ita vt qui earum clamore non excitatur, surdus sit, qui cum eis eum non benedicit, mutus sit. Hoc est quod dicebat Sanctus Augustinus: Lib. 10. conf. c. 6. *Domine amo te, sed & cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt mihi clamant Domine, vt amem te, & omnibus clamant, ita vt sine inexcusabiles.* Dan. 3. Propterea etiam tres pueri in fornace Babylonica omnes creaturas invitant in cœlo, aere, terra, mari & abyssis, ad benedicendum Dominum, vel potius seipsos excitant ad laudandum Deum cum omnibus illis creaturis. Quod ipsum facit Rex Propheta: Psal. 148. *Laudate Dominum de cœlis, &c.* Sic S. Franciscus aues, S. Anton. de Padua pisces invitarunt ad benedicendum Deum.

Angelus & homo creati ad benedicendum Deum.

Interim licet omnes creaturæ Deum benedicere debeant & glorificare: eas tamen nobiles creaturas fecit Deus gloriæ suæ participes, à quibus vult specialiter benedici & glorificari, *Angelum* scilicet & *Hominem.* Quapropter Angeli mox à creatione sua in eius laudes eruperunt, sicut testatur Dominus: Iob. 38. *Vbi eras cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei, quando ponebam fundamenta terræ?* Hi nimirum fuere primogeniti filii Dei, mysticæ stellæ cœli; & iubilus eorum auditus est relonans laudes Dei mox à condito orbe, quia hoc primum eorum negotium, prima occupatio & actio, benedicere Deum rerum omnium Principium & Finem. Sic qui inter Angelos firmi stetерunt, cuiuscumque ordinis sint, non cessant, nec in sæcula sæculorum vel momento cessabunt à laude & benedictione Dei. Propterea cùm vidit Isaias Seraphim circa thronum Dei, audiuit simul vocem eorum, vocem laudis & iubilationis: Isaiæ 6. *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriæ eius.* Atque vnitè sum de omnibus Angelorum chotis verum est illud Regij Vatis: Psal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Sicut porrò Angelus, sic & Homo cùm creatus sit diuinæ particeps gloriæ, etiam ad Deum continuò laudandum & benedicendum creatus esse censetur. Sicut enim datus est ei intellectus, vt Deum intelligat & cognoscat, voluntas vt eum diligat, memoria ut eius beneficia recolat: sic etiam data est ei lingua & os, vt eum non solum interius, sed etiam exterius laudet & benedicat. Pro interiori benedictione dicebat Psalmista: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius: Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Pro exteriori benedictione dicit id quod initio laudis diuinæ repetit Ecclesia: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Et iterum alibi: *Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te. Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.* Itaque sicut nullum est momentum quo Dei non fruitur homo bonitate: ita nullum vitæ nostræ momentum deberet vacuum esse à Dei laude; quæ si non semper sit ore, corde tamen fieri debet & opere, omnia in eius laudem & gloriam referendo, omnem intentionem, omnemque actionem ei dicando. Sic adimplerur illud Psalmistæ: Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Immò non solum faciendo, sed etiam patiendo benedicitur Deus, cùm propter gloriam eius quidpiam patitur Christianus. Laudabant Dominum plagæ & vibices, vulnera & torsiones Martyrum corporibus inflictæ, dum hæc propter gloriam eius animo inuicto sustinebant. Quot guttæ sanguinis profusæ, tot erant voces Deum benedicentes: quot plagæ eorum corporibus impressæ, tot erant characteres Dei gloriam inspicientibus annunciantes. De calice passionis bibitio, nominis Domini erat invocatio. Propterea in persona martyrum dicit Propheta Regius: Psal. 115. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo, & sacrificabo hostiam laudis.* Verè hostia laudis est illa, quæ prælata est in conspectu Domini mors Sanctorum eius.

Christianus benedicere debet S. Trinitati.

Neque verò solum Deum in generali benedicere debet homo Christianus, sed etiam in speciali Sacro-sanctæ Trinitati debet laudes dicere, hoc est, *Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Quia cùm in nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris &c. & Filij & Spiritus sancti omnes nos Christiani baptizati fuerimus, & hoc sit initium Christianismi, profiteri Deum vnum in essentia, trinum in personis, illam professionem debemus frequenter repetere cum fide, amore, & exultatione. Hoc est igitur quod hodie proponitur nobis: *Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu laudemus & superexaltemus eum in sæcula.* Quia Trinitatis sublime istud mysterium primum est mysterium fidei nostræ, ideò solemne fuitum specialiter isti mysterio recolendo est dedicatum, in quo omnes iubilant & exultant qui ad Patris, Filij ac Spiritus sancti visionem adspirant ac fruitionem.

In illa enim beatitudo nostra consistit; & iam quo dammodo inchoatur beatitudo in nobis, dum laudes Trinitatis Sacro sanctæ decantamus cum iubilo: quæ perficietur in cœlo inconsummata eiusdem Trinitatis laude, quæ perennabit in sæcula sæculorum. Illud igitur quod adeò frequenter repetit Ecclesia ex instituto Apostolorum & vsu primæuo discipulorum, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto*, speciali cum affectu & gaudio spirituali repetere debent Ecclesiæ Filij, Sanctissimæ Trinitati devoti.

Gloria Patri Creatori, *Filio* Redemptori, *Spiritui sancto* Sanctificatori.

Gloria Patri qui est à se, *Filio* qui est à Patre, *Spiritui sancto*, qui est ab vtroque.

Gloria Patri cuius est Potentia, *Filio* cuius est Sapientia, *Spiritui S.* cuius est Bonitas & Clementia.

Gloria Patri tamquam Soli æterno, *Filio* tamquam Solis huius Radio coævo, *Spiritui S.* tamquam Solis huius ac Radij ardori.

Gloria Patri qui misit Filium, *Filio* qui misit Spiritum sanctum, *Spiritui S.* qui amor est ab vtroque missus.

Gloria Patri per Seraphim, Cherubim, & Thronos: *Gloria Filio* per Virtutes, Potestates, Dominationes: *Gloria Spiritui S.* per Principatus, Archangelos, Angelos.

Gloria Patri per Patriarchas & Prophetas, *Filio* per Apostolos & Martyres, *Spiritui S.* per Confessores & Virgines.

Gloria Patri per Filij sui Incarnationem, *Filio* per suam Passionem & Resurrectionem, *Spiritui S.* per donorum suorum effusionem.

Gloria Patri per fidem, *Filio* per spem, *Spiritui S.* per charitatem.

Gloria Patri qui beat triumphantes in Cœlo, *Filio* qui adiuvat pugnantes in mundo, *Spiritui S.* qui consolatur patientes in Purgatorio.

Gloria Patri per memoriam nostram, *Filio* per intellectum nostrum, *Spiritui S.* per voluntatem; gloria toti Trinitati increatæ per creatam nostram Trinitatem.

Gloria Patri qui dat nobis esse, *Filio* qui dat nobis viuere, *Spiritui S.* qui dat nobis intelligere & operari.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto in Trinitate personæ, gloria in vnitate eiusdem substantiæ. Illi soli sit gloria, nobis autem non debetur nisi confusio ob peccata. Hæc est laus Deo gratissima, nobis maximè proficua. Hæc est professio fidei nostræ paucis illis verbis ab Apostolis vsurpata, vt ex S. Basilio tradit Baronius anno Domini 325. cui Concilium Nicen. addidit: *Sicut erat in principio & nunc & semper & in sæcula sæculorum*; vt retunderet Arianos dicentes: *Erat quando non erat*, hoc est, erat tempus quando non erat filius. Quos condemnat & S. Ioannes initio Evangelij sui dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio.* Ibi Euangelista quater repetit vocem, *Erat*, vt aduersus hæreticos æternitatem Filij statuat. Vnde peraptè dixit S. Ambrosius: *Verbum ab æterno erat, erat, erat, erat: hæreticus igitur, qui ab æterno non esse blasphemat, errat, errat, errat, errat.* Inuisa etiam erat Arianis hæc professio fidei: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, ob æqualitatem quam tribuit tribus personis. Vnde quidam eorum dicebant: *Gloria Patri in Filio*, vt sic obscurius secundas partes Filio tribuerent. Alij dicebant: *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto.* Quidam etiam dicebant, *Gloria Patri & Filio in Spiritu sancto.* Testis est huius rei Nicephorus lib. 6. cap. 24. At qui consubstantialitatem & æqualitatem Filij & Spiritus sancti cum Patre iunt professi, hunc semper vnanimiter concentum tenuerunt: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.* Et hanc semper conclusionem Psalmis omnibus addiderunt, quia hoc ipsum, quod his verbis comprehenditur, in omnibus Psalmis explicatur siue ampliatur. Ad hoc enim tendit omnis psalmodia, omnisque oratio nostra, vt gloria reddatur Deo Trino & Vni. Sanctus Franciscus ad singula Dei beneficia reddebat gratias Deo per hunc iubilum, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Nec satiabatur repetitione huius versus, illumque omnibus commendabat. Quidam laicus valdè tentabatur, licentiam petens vt litteris operam posset dare. Respondit ei Franciscus: *Addisce Frater versum: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, & sacram omnem scies Scripturam. Fecit, & omnem illam tentationem superauit.

Ioannis 1.

Tract. de Symbolo.

Pium quoque inventum & praxi dignum censetur quod *Corona aut Rosarium Sanctissimæ Trinitatis* nominatur, nec solum à simplicioribus qui psallere non norunt, sed etiam à doctis & pijs omnibus vsurpandum est. Sicut enim in Corona aut Rosario Beatissimæ Virginis ad quinque grossiores globulos quinquies *Pater noster* recitatur; ad minores verò quinquaginta etiam quinquagesies *Ave Maria* repetitur: ita recitando Rosarium Sanctissimæ Trinitatis ad eosdem quinque globulos quinquies *Pater noster*, & *Ave Maria* recitatur, ad minores verò quinquagesies repetitur *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Sic substituitur hæc doxologia ad singulos globulos loco *Ave Maria*: & facilis etiam est simplicioribus. Quod si aliqui obrepens tædium timeant repetitione continua eiusdem versus, poterunt pro deuotione sua alternis decadibus versus alternos substituere. Exempli gratia: In vna decade dicant: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.* in altera decade dicant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*: *Plena est omnis terra gloria eius.* In tertia decade: *Benedicamus Patrem & Filium cum Spiritu sancto, laudemus & superexaltemus eum in sæcula.* Sicq; alternis versibus poterunt mentem & pietatem renouare

Rosarium Sanctissimæ Trin.

vare in laude Sanctissimæ Trinitatis. Eadem enim in dictis versibus doxologia continetur, non sine fructu pietatis crebrò tepetitur. *Primò*, quia est professio fidei Sanctissimæ Trinitatis contra Paganos, Turcas, Iudæos, Arianos veteres & novos. *Secundò*, quia est exercitium religionis, spei, charitatis, aliarumque virtutum. *Tertio*, quia est incitamentum lætitiæ & devotionis spiritualis, præmuniens nos contra adversa & tentationes, & fortes reddens ad difficilia omnia superanda, omnia ad laudem Trinitatis referendo, & illam nocte dieque collaudando, tam in nocte adversitatis quam in die prosperitatis. Denique, facit ut vita nostra, licet multis miseriis intertexta, sit æmulatrix Angelicæ. Quia ipsorum officium hic usurpamus, & inchoamus Trinitatis laudes decantando. Quod officium brevi perfectius cum illis speramus peragere in cœlis per totam æternitatem; ita ut tam vita nostra præsens quàm æternitas succedens non sit aliud quàm assidua Dei laus, gratiarum actio, & glorificatio, & cum Angelis exaltatio in hac laude Dei Trini & Vnius, qui est fons & auctor omnium bonorum in terris & in cœlis. Huc spectat quod B. Ephrem dicit: *Beatus est*, inquit, *qui factus est sicut Cherubim & Seraphim, & in divino ac spirituali officio numquam est segnis. sed semper glorificat Deum. Beatus, qui in cella sua tamquam Angelus cœlestis in Domino castas retinet cogitationes, suo s. ore collaudat eum qui omnium spirituum habet potestatem. Beatus, qui semper omni spirituali gaudio plenus est, nec in portando suaui iugo Domini pigrescit, coronabitur enim in gloria.* Hæc ille

Tract. de Beatitudinibus

PARS II. *Ad laudem SS. Trinitatis provocat nos omnis ordo Sanctorum.*

MEritò itaque hodierna die Sanctissimæ Trinitati consecratâ, imò & omnibus diebus vitæ suæ, sese extimulare debent justi ad decantandam laudem & gloriam supercœlestis illius & superlaudabilis Trinitatis, & dicere: *Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula*, quandoquidem nihil sanctius, nihil dignius & Deo gratius nihil utilius ab homine fieri possit. Sed & huius laudis & benedictionis quæ increatæ Trinitati redditur, habent exemplum & incitamentum in Angelis, in Patriarchis & Prophetis in Apostolis, & Martyribus, in Confessoribus, & Episcopis, in Sacerdotibus, & Religiosis, in Virginibus, & Pueris, in sanctis cuiuslibet Ordinis. Videamus in particulari specialem adorationem & devotionem erga sanctissimam Trinitatem in omni Ordine sanctorum, tum ex sacris monumentis novi & veteris Testamenti, tum ex sacris Ecclesiasticis historiis, ut ad eandem excitemur.

1. *Provocant nos Angeli. Isai. 6.*

Primò quidem nos debemus benedicere Patrem & Filium cum S. Spiritu, quia ut jam antea dictum est, benedicunt eum continua laude Angeli, & dicunt *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Vnde eorum exemplo seipsum nosqs secum excitat sanctus Aug. sicque Deum alloquitur: *Laudant te Domine illi populi Angelorum immortales, & glorificat nomen tuum cœlestes virtutes, qua non habent opus legere hanc scripturam nostram, & cognoscere te sanctam & individuam Trinitatem. Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum quid velit æterna voluntas tua: legunt eligunt, & diligunt, semperque legunt, & numquam praterit id quod legunt. Eligendo & diligendo legunt ipsam immutabilitatē consilii tui, & non claudetur codex eorum, nec plicabitur liber eorum, quoniam tu ipse illa hoc es & eris in æternum. O beata nimirum illa cœlorum virtutes, qua laudare possunt te sanctè & purissimè cum nimia dulcedine & ineffabili exultatione. Inde laudant unde gaudent, quia semper vident unde gaudere valeant & laudare. Nos verò mole carnis pressi, & procul à vultu tuo in hac peregrinatione positi, atq; per mundanas varietates distenti, te dignè laudare nequimus: laudamus tamen per fidem non per speciem, illi verò Angelici spiritus per speciem non per fidem. Tu es Deus Omnipotens, quem trinum in personis, & unum in substantiæ Deitatis colimus & adoramus. Patrem ingenitū, Filium de Patre unigenitum, Spiritum sanctum de utroq; procedentem, & in utroq; permanentem, sanctæ & individuam Trinitatem unum Deum omnipotentem.* Hactenus Aug.

Meditat. cap. 23.

Secundò debemus benedicere Patrem & Filium cum sancto spiritu, sanctam & individuam Trinitatem, quia illam benedixerunt Patriarchæ & Prophetæ. Abraham enim tres vidit & unum adoravit sub arbore in convalle Mambre. Tria sata farinæ jubet commisceri ut tribus instruat convivium, & tamen quasi uni loquitur. *Domine si inveni gratiam in oculis tuis.* Ergo agnovit hic mysterium Trinitatis & Vnitatis, adoravit, benedixit.

Provocat Patriarchæ & Prophetæ.

Gen. 18.

Isaias quoque Seraphico concentu resonante, Sanctus, Sanctus, Sanctus, & majestate Domini templum implente nebula, agnovit hoc idem mysterium, adoravit, benedixit, alijsque formam hanc sibi ab Angelis traditam, quâ Deus Trinus & Vnus benedicitur nobis ad exemplum & imitationem tradidit. Vnde Ecclesia à tempore Apostolorum Trisagion illud Seraphicum repetit in Missæ officio, & in finem usque sæculi repetet, Deum trinum in personis tamquam abyssum sanctitatis benedicendo & dicendo Sanctus sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Sanctus in generatione, sanctus in filiatione, sanctus inspiratione Sanctus in creatione, sanctus in redemptione, sanctus in nostra sanctificatione. Sanctus in cœlo, sanctus in terra, sanctus in gehenna. Sanctus in gloria, sanctus in gratia, sanctus in justitia. Sanctus glorificans Angelos, sanctus justificans homines, sanctus puniens dæmones. Sanctus in Seraphim, sanctus in Cherubim. sanct. in Throno. Sanctus in potentia, sanctus in sapientia, sanctus in providentia. S. in charitate, sanctus in misericordia, sanctus in vindicta. S. in consolatione, sanctus in desolatione, sanct. in jubilatione, Sanct.

Isaias. 6.

circa

circa fideles & infideles, sanctus circa electos, sanctus circa reprobos. Sanctus in omnibus perfectionibus suis, sanctus in omnibus operibus, sanctus in omni tempore & loco, Pater, & Filius & Spiritus sanctus; & ideo, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum benedicendus, laudandus, & superexaltandus.

3. *Provocãt & Apost.* Tertiò debemus benedicere Patrem & Filium cum S. Spiritu, sanctam & individuam Trinitatem, quia eam benedixerunt Apostoli. Hi enim tamquam Patres fidei, Christianæ religionis Fundatores, Evangelicæ doctrinæ Magistri, Trinitatis fidem in universum Orbem tulerunt Trinitatis Legati & Internuncij. Missi enim fuerunt, *ut docerent omnes gentes, baptizantes eos, In nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.* Hi duodecim sunt Musici & Præcones, qui symbolum Christianum Trinitatis gloriam decantans composuerunt, concinnarunt, concinuerunt; & omnibus qui Christianis mysterijs imbuuntur ad eandem Trinitatis gloriam decantandam hanc formulam tradiderunt in finem usque sæculi permansuram. Ac eandem fidem istam & laudem Trinitatis sanguine suo confirmarunt, pro illa mortem cum gaudio subeuntes. Hos secuti sunt & alij Martyres pro eadem fide Trinitaris occumbentes, non solum lingua & calamo, sed & nece & sanguine eam confitentes, eique gloriam dantes. *Matt. 28.*

Exempl. S. Trinit. laudanti. um per Marty. rium. Quam jucundum videre tres pueros Legionenses in Hispania contra Præsidem Romanum pro fide Trinitatis decertantes, illique imperante: *Habemus confidentiam in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, qui in Trinitate unum sunt, & in hac confidentes Imperatores vestros & vos in agone constituti vincimus.* Sic ipsi Deum Trinum & unum collaudantes, pro Trinitatis confessione mortem obierunt, & Tres in uno tumulo sepulti in civitate Legionensi magno in honore habentur. Testis est Lucius Marinæus libr. 5. de rebus Hispanicis. Dicebant ergo illi inter se: *Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula*; & imitati tres pueros in fornace Babylonis creaturas omnes ad Trinitatis laudem invitabant.

Quam jucundum rursus exhibet spectaculum sancta Sophia illustris & generosa matrona tres nobiles Virgines filias suas, quarum uni nomen *Fides*, alteri *Spes*, tertiæ *Charitas*; quæ nomina eis mater sancta indiderat rebus sanè consona. Erat autem Fides annorum duodecim, Spes decem, Charitas novem: quas cùm post flammas & foraminaces Iudex capitis damnaret, exulabat Mater & Tyranno insultans exlamabat: *O me beatam, quæ tribus filiabus Sanctissimam Trinitatem honorare meruí! O summum Dei in me beneficium, qui eas hodie martirii gloria coronatas in suum transferre dignatur regnum.* Testis it Metaphrastes, & alii.

Simile denique spectaculum gloriosum exhibuit sancta Theodula, tres filios per sanctum Episcopum Babylam eruditos in fide & sapientia Christiana consecrans Sanctissimæ Trinitati per martyrium, tormentisque eorum usque ad extremum spiritum assistens, sicque benedicens Dominum, qui ex ore infantium & lactantium perficit laudem suam. De illorum martyrio ex Metaphraste reperies in Candelab. Mystico, tract. 8 lect. 12.

Quartò debemus benedicere Patrem & Filium cum sancto Spiritu, sanctam & individuam Trinitatem, cum sanctis Episcopis & Sacerdotibus, qui nobis in hoc exemplo præiverunt. Sic Eucharius, Valerius, Maternus, Apostolici viri, in Gallias & Germaniam missi fuere tamquam Trinitatis Præcones indivisi. Vnde cum Maternus post longa emensa itinera febre emortuus jaceret, egressi duo alij ad S. Petrum, ejus impetrato baculo, tertium hunc socium die quadragesimâ à morte suscitarunt. Et exinde indefessinata Provincias progredientes, maximo cum fructu tres hi Trinitatis sacro-sanctæ fidem propagarunt, vitæ exemplo, prædicatione, miraculis: Ac postmodum sede apud Augustam Trevirorum fixâ primus Episcopus fuit Eucharius, deinde Valerius, postea Maternus, qui & Colonienses & Tungrenses Diœceses Trevirensi adiunxit, populis illis opera sua ad Christum conversis. Ac cum Coloniæ extremum diem obisset, ejus corpus ejus inde Treviros Rheni fluxu miraculose fuerit conversò translatum est, ut juxta sanctorum sibi sociorum Eucharij & Valerij corpora quiesceret. Sic Tres Trinitatis Legati per prædicationis verbum eam glorificarunt, per eiusdem sedis successivè possessionem eam honorarunt: & ipsi in Trinitatis fruitione exultant modò in gloria, dum tria eorum corpora simul quiescunt in cubilibus suis. 4. *Provocãt Episc. & Sacerdotes.*

Quam jucundum etiam est audire sanctum Ambrosium cum Augustino, post Baptismum ipsius, benedicentes Patrem & Filium cum S. Spiritu alternis versibus ex inspiratione divina compositis in hymno illo triumphante: *Te Deum laudamus Te Dominum confitemur.* Qui quidem hymnus Sacro sanctæ Trinitati devotissimus & acceptissimus in finem usque sæculi in Ecclesia a Filijs ejus devotis cum jubilo decantabitur. Hunc hymnum etiam nonnulli Martyres in extremo spiritu pientissimè & affectuosissimè pronuntiarunt, tamquam cignæam vocem & fidei sacratissimam confessionem, pro qua & in qua moriebantur. Sic fecit Roffensis Episcopus, sic & Edmundus Campianus Sacerdos Societatis IESU, dum pro fide cervicem gladio subjicerent in Anglia. *S. Ambr. & Aug.*

Postremò debemus benedicere Patrem & Filium cum sancto Spiritu sanctam & individuam Trinitatem, quia eius rei nobis exemplum sanctæ Virgines præbuerunt. 5. *Provocãt nos sanctæ Virgines.*

S. Clara de Monte Falco ita huic mysterio Sanctissimæ Trinitatis devota erat, ut frequenti *S. Clara.*

medita-

meditatione illud ruminaret, & adoraret cum affectu pietatis suavissimo. Unde quantum sibi gratum foret istud obsequium voluit Deus speciali miraculo ostendere. Nam in felle dum ejus pectus aperiretur, repertæ sunt tres pelliculæ rotundæ convolutæ instar triplicis nucis; erant autem ejusdem magnitudinis, ponderis, coloris, & una tantum ponderabat quantum altera, & unica seorsum tantum quantum aliæ duæ simul. Hoc autem erat in testimonium hujus mysterii, in quo est æqualitas in tribus personis. Sic quia & ipsa erat devotissima mysterio passionis & crucis Domini inventa fuit in corde ejus impressa imago Crucifixi cum instrumentis Dominicæ Passionis, clavis, lancea, columna, spongia, funiculis, instar nervorum hinc inde in utraque parte cordis dispositis. Quapropter hæc B. Clara pingitur quandoque cum bilance in manu una ponderans hos supradictos globulos, & in altera manu cum Crucifixo insculpto in corde cum instrumentis Passionis Dominicæ.

S. Barbara. Sic etiam *S. Barbara* tanto pietatis affectu Sacrosanctæ Trinitati fuit addicta, ut cum Pater ipsius Dioscorus, vir nobilis sed Gentilis, in alta turri ob egregiam pulchritudinem eam custodiendam inclusisset, balneumque cum duabus fenestris ibi fieri jussisset; ipsa absente Patre tertiam addidit fenestram, & labri pavimentum crucis signo quod Trinitatis professionem continet undique exornari voluit. Cumque reversus Pater de tertia fenestra inquireret, de hisque signis pavimento impressis, Virgo occasionem nacta de Sacrosanctæ Trinitatis mysterio & de fide illius mysterii ad salutem necessaria multis disseruit, ad illam fidem Patrem exhortans calcatis idolis Verum Patrem in impietate permanens, & furore quodam in filiam actus, etjam propriis manus post multa tormenta in eam injecit capite ipsam truncans; ipsa autem constantissima permansit, cum gaudio mortem obiens pro fide gloria SS. Trinitatis.

In medit. Poterat ergo ipsa dicere cum S. Augustino, possumus & nos; *Invocat te Domine Deus meus casta conscientia mea, & suavis amor fidei meæ, quam excussis ignorantiæ tenebris ad veritatis intelligentiam perduxisti. Invocat te Trinitas, beata vox clara & sincerus amor fidei meæ, quam ab ipsis enutriens cunabulis illuminasti semper per illustrationem gratiæ tuæ, & quam adaugens confirmasti in me per documenta Matris Ecclesiæ.* Te invoco beata & benedicta & gloriosa una Trinitas; Pater & Filius & Spiritus sanctus, à quo per quem, in quo omnia: Vivens vita, vita à vivente, viventium vivificator; Unus à se, unus ab uno, unus ab ambobus: à quo, per quem, & in quo beata sunt omnia quæcumque beata sunt. Te decet laus, te decet honor; te decet hymnus. Tibi omnes Angeli, tibi cœli & universæ potestates laudes indesinenter concinunt. Te omnis creatura magnificat, omnis spiritus laudat. Prophetæ & Patriarchæ Apostoli & Martyres, Sacerdotes & Confessores, Virgines & omnes electi tibi laudes dicunt, & ideo & nos cum illis te benedicere peroptamus pro modulo nostro in hac valle miseriæ, & tandem laudare & superexaltare perfectius in sæcula sæculorum.

FESTO VENERAB. SACRAM. LECT. 7.

Iubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia, &c. Psal. 99.

Iubilatio Eucharistica Ps. 99. in tres partes divisa.

SI unquam propter aliquod beneficium Deo debetur gratiarum actio cum jubilo & exultatione, cum humili subjectione & adoratione, maxime hæc debetur propter beneficium nobis præstitum in institutione Sacramenti Eucharistici. Est enim illud beneficium inter primaria recensendum, per quod se ita nobis communicat Deus noster, ut altius, arctiusque non possit. Non potuit se divina bonitas communicare sublimius, quàm naturæ nostræ divinam suam personam uniendo, ut nos divinitatis suæ faceret participes, quod fecit per incarnationem. Ut autem non solum illa natura quam in individuo assumpsit tanti boni participes foret, sed etiam ad omnes divinæ naturæ consortium admirabili modo extendere, vult omnibus uniri & incorporari, seipsumque totum cum tota humanitate & divinitate sua communicat in hoc Sacramento, ut nos deificet & sibi conjungat; incorporeosque & consanguineos efficiat, ad germanissimam usque societatem, ut loquuntur sancti Patres. An poterat magis charitatem exprimere, quàm tali divinâ unione, per quam sua nos reficit substantiâ & divinitate? Ideo cum istud Sacramentum instituit, dicit Evangelista: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*; id que verum est non solum quia in finem vitæ dilexit, sed maxime quia tunc dilectio in Eucharistici Sacramenti institutione sese ita manifestavit, ut Deus sacri amoris & dilectionis eam aliquo majore testimonio declarare non potuerit, nec ultra posset. Hæc est igitur Coronis perfectissima amoris perfectissimi: hæc Columna triumphalis dilectionis, cui sigi illud potest; *Non plus ultra*, ut alibi diximus. *Ioan. 13.*

Meritò igitur cum Propheta Regio hodie omnes invitamus ad jubilum & lætitiam, ad adorationem & reverentiam, ad obsequium servitutis, & gratiarum actionem, ad contemplationem eminentis hic divinæ misericordiæ & suavitatis, ad hymnum & laudem divinitatis. Hoc est quod singulis versibus repetitur; *Iubilate, servite in lætitia, introite in exultatione, confitemini illi, laudate quoniam suavis est misericordia ejus.* Sed videamus, & explicemus singula, hodiernæque festivitati applicemus, sicque nos ipsos ad laudem exhortemur.

PARS I. *Quid sit Iubilus.*

Primò igitur dicit Propheta, & nos cum illo idem hodie dicimus: *Iubilate Deo omnis terra.*

Est autem jubilatio, sive jubilus, gaudium mentis eminens, quod verbis recitari non potest, nec tamen penitus reticeri; unde vox quantum in se est illud manifestare conatur. Hoc est quod dicit S. Greg lib 8. Moral. c. 40. *Jubilum dicimus cum tantam lætitiam corde concipimus, quantam per sermonis efficaciam non explemus, & tamen mentis exultatio hoc quod sermone non explicat vice sonat.* Ob istud ergo Eucharisticum mysterium in ejus solemnitate jubilant piæ animæ; & considerantes amorem divinum incomprehensibili modo in nos hic effusum, erumpunt in vocem exultationis, possuntque dicere cum S Bernardo: *Fratres non me capio præ lætitia; quod summa Majestas naturam suam natura carnis meæ, & sanguinis subvelat* (ipsamque carnem ac sanguinem specie panis & vini iterum velans se totum mihi tradit) *& miserum me in divitias gloriæ suæ non ad horam, sed in sempiternum includit, sitque frater meus, cibusque meus Dominus Deus meus.* *In serm. de Natiu.*

Hæc exinanitio tam dignativa rapit affectum meum, & istorum memoria concalefecit cor meum. Quia verò pietas nostra nescit sufficienter exprimere gaudium quod ex tam ineffabili mysterio oriri debet, ideo cum Angelicis choris Agni solemnitatem in cœlo in perpetuam perfectè & consummatè peragentibus corda & voces nostras jungimus, & cum illis jubilamus dicentes: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* *Apoc. 5.*

Ad jubilum vocatur omnis natio. 1.

Porrò cum dicitur; *Jubilate omnis terra*, invitantur omnes cujusliber nationis; cõditionis, sexus, ætatis, ad hanc jubilationem; non ergo solum Monachi aut Religiosi, Ecclesiastici aut sacerdotes, nòn solum cœlibatum profitentes, sed omnes omnino incolæ terræ invitantur, ut sint de illis, de quibus dicit Psaltes: *Beatus populus qui scit jubilationem: Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt totâ die, quoniam gloria virtutis eorum tu es.* *Psal. 88.* Idem ergo est, Jubilate Deo omnis terra, ac si diceret; *Omnes gentes; Omnes qui habitatis orbem: Quique terrigenæ, ac filii hominum, simul in unum dives & pauper*, ut alibi dixit idem Propheta. *Psal. 48.* Cum hoc Sacramentum non sit institutum pro aliqua Natione, aut Regno aut Gente particulari, sed pro omnibus qui per Baptismi januam ingrediuntur Ecclesiam, non est hic distinctio Judæi aut Græci, Schytæ aut Barbari, Indi vel Ægyptii, Principis aut plebei, servi aut liberi, divitis aut inopis, masculi aut fœminæ; ideo ad ejus festivitatem meritò invitatur. *Omnis terra. A Solis ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & offertur ac sacrificatur nomini meo oblatio munda*, dicit Dominus. *Malac. 1.* Hæc est oblatio Eucharistici & vivifici panis, quia offertur sacrificiũ. & sumitur ut Sacramentum. Et quidem id fit in qualibet plaga mundi quantumlibet insaniant hostes Christi. Nulla enim pars orbis adeo est infecta hæresi, quin aliqui adhuc tamquam reliquiæ & semen sanctum reserventur qui sint de populo Dei, ejusque Deificum panem participent. Velint, nolint persecutores hæretici, adhuc in Anglia, Hollandia, Dania, Suevia, Asia, Africa America, hoc Sacramentum ab aliquibus conficitur & sumitur, & modò per illud usque ad Indiam, Japoniam, Sinas, nomen Dei honoratur. Ideo universim in ejus festivitate dicimus: *Jubilate omnis terra*, in mysterio scil. quod in totius orbis salutem institutum est. Audite hunc jubilum & veritatem resonantem in templis Christianorum omnes Judæi Hæretici, Athei, Infideles & disrupta surditate aperite autem interiorem duricordis huic veritati, quæ tantam vim habet, ut ab Extremis Europæ usque ad extremas novi orbis oras efficaciter pervolarit, aperite, inquam, aurem & oculos voci & luci fidei, & estote particeps illius jubili ad quem invitatur omnis terra.

Ulterius invitatur omnis terra ad hunc jubilum, 2.
quia in hoc mysterio eminet fructus terræ sublimis, de quo: *In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui salvati fuerint de Israel.* *Isai. 4.* An non fructus terræ sublimis hic continetur, è terra virginea Christus, quæ aperta sine apertione germinavit Salvatorem juxta desiderium Prophetæ: *Rorate cæli desuper, aperiatur terra & germinet Salvatorem?* *Isai 45.* An non fructus terræ sublimis corpus Christi è pane & fructu terræ Sanguis Christi de genimine vitis? *Educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis.* *Psal. 103.* Hic est panis qui de terra eductus cor hominis confirmat. Ergo meritò terra ad jubilum advocatur. Hoc est Verbum abbreviatum super terram consummationem continens omnium mysteriorum, de quo Apostolus ad Rom. 9. de quo & Propheta Isaias c. 10. *Consummationem & abbreviationem Dominus faciet in medio omnis terræ.* Si enim Verbum æternum Patris se abbreviasse quodammodo censetur in assumpta carne, jam adhuc magis se abbreviat, dum carnem & divinitatem concludit in Eucharistico Sacramento sub panis specie; dum modico continetur albicante orbe totius Orbis Dominus; dum etiam omnia legis sacrificia abbreviat in unico Missæ sacrificio, in illo victimas omnes consumimus. Cum ergo omnia hæc facta sint super terram & propter terram; non sine causa dicitur: *Jubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia.* Nec immeritò hic dicimus: Venite, & videte prodigia quæ posuit super terram; innumera enim continentur prodigia in hoc mysterio, innumeris prodigiis & miraculis illud Dominus voluit probatum in universa terra. Quia nulla est Provincia aut Regnum, ubi non sit editum aliquod miraculum in testimonium hujusce mysterii admirabilis, quorum omnium simul memoria recoli debet cum jubilo in hac festivitate & celebritate, illique ideo serviendum in lætitia, obsequium omne ser-

ne servitutis offerendo cum omni alacritate & gaudio. Ad hæc omnia invitant hymnidici chori, cerei accensi, flores sparsi, rami condensi, campanæ sonoræ, thuribula odorifera, & alia exteriora interioris alacritatis & devotionis incitamenta, quæ à populis Christianis in hac solemnitate adhibentur plusquam in omnibus aliis, in signum non solum communis lætitiæ, sed etiam in testimonium perfectæ fidei & gratitudinis erga Dominum JESUM Christum hic præsentem.

PARS II. *Psalmi.* SEcundò dicitur, & iterum repetitur : *Introite in conspectu ejus in exultatione. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus. Populus ejus & oves pascuæ ejus introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confitemini illi.* Quid est introire in conspectu ejus, nisi stare tamquam in ejus præsentia, & conspicite eum hic oculis fidei, licet absconditum sub specie Sacramentali, & dicite cum Elia : *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto,* dicite cum Isaia: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator.* Mirabiliter absconditus est hic in Sacramento, sed ab oculis insipientium & infidelium; non est autem absconditus ab oculis eorum qui sunt vere de Israël, verè Fideles. Ipsi enim ideo Israël nuncupantur, hoc est videntes Deum, quia agnoscunt Deum suum & Salvatorem suum hic absconditum, illumque oculis piæ contemplationis intuentur & adorant. Conspiciuntur quoque ab eo, quia oculos misericordiæ & amoris in ipsos jacit per species Sacramentales, quasi per cancellos, ita ut hic verum sit illud : *Ecce ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Nam SS. Patres per parietem intelligunt carnem quam ex nobis assumpsit; appropinquavit enim parieti dum adhæsit carni : & sicut paries occultat eum qui post parietem est, sic caro occultabat divinitatem. Tamen paries ille habeat fenestras & cancellos quibus aliquo modo poterat videri à nobis, actus scilicet multos divinitatis; opera miraculosa, quæ manifestabant eum qui post parietem latebat esse Deum verum, ut notat ibidem S. Greg. Sic etiam modò in hoc mysterio Eucharistico tam secundùm humanitatem, quàm secundum divinitatem latet post parietem specierum Sacramentalium, accidentibus panis vel vini occultantibus divinitatem & carnem, tamen ibi nos respicit per modos subtiles & enarrabiles : & nos quoque eum videmus per cancellos fidei nostræ. Unde quoties intuemur Venerabile Sacramentum, debemus stare in conspectu ejus, & tamquam ab ipso præventi & prius visi reverentiam ei exhibere, simul & aperire oculos fidei & pietatis, quibus recipro[illegible]o modulo eum intueamur. Hoc est ergo quod dicitur : *Introite in conspectu ejus cum exultatione.* Hoc etiam quod additur, introeuntes in conspectu ejus ; *Scitote quoniam ipse est Dominus, ipse est Deus. Nos autem populus ejus & oves pascuæ ejus.*

Quid est aliud dicere : *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus*, nisi admonere nos certitudinis quam debet fides nostra habere, credendo quod is qui ibi continetur, verè Dominus noster est, verè Deus noster? Est quidem scientia fidei nostræ obscura, est tamen certissima, quia nititur testimonio primæ veritatis, quæ nec potest falli nec fallere. *Firmum ergo fundamentum Dei stat*, firmum fundamentum fidei constat ab eo qui est Veritas & Vita pronunciatum : *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus, ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Quid consulis, ô incredule, carnis oculum? Divinum consule oraculum. Quid consulis corporis sensum? Veritatis asserenti præbe sine hæsitatione assensum. *Accedet homo ad cor altum*, volens divina scrutari, *& exaltabitur Deus*, nec quæ voluerit scire homo comprehendet, nec satis apprehendet, nisi intellectum captivet in obsequium Christi, in obsequium fidei : *Defecerunt scrutantes scrutinio.* Cave ergo murmurare cum Capharnaitis & retrò abire dicendo : *Quomodo hic potest nobis carnem suam dare ad manducandum?* Sed potius dic cum Propheta : *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii.* Immò dic cum Apostolis : *Domine verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?* Oculus fidei tibi hic necessarius est, qui omnia penetrat quamlibet abscondita. Ille idem oculus qui ultra parietem humanæ infirmitatis agnovit Deum absconditum in stabulo, in patibulo, in sepulchro, vitam in morte, summum spiritum in exspiratione; orbe nunc clausum modico agnoscit Orbis Dominum in mystica consecratione. Et licet oculus corporis videatur adhuc post consecrationem cernere panem, cernere vinum ejusdem coloris, odoris, saporis, sicut antea; oculus tamen fidei illum corrigit, & docet non esse panem, neque vinum, sed corpus Christi Domini ac Dei nostri, hæcque accidentia non manere nisi ad mysterii ritum, ad meriti augmentum, & sub illis latere divinitatem carni unitam in Verbo & vero Filio Dei.

Scitote igitur ô Fideles, hic adesse illum qui Dominus vester est, qui Deus vester est. *Ipse fecit vos*, ipse redemit vos, ipse vult sanctificare vos, & tandem glorificare. Vos *populus ejus*, ipse Rex vester & Dominus. Vos oves, ipse Pastor qui regit vos, qui ad pascua deliciosa doctrinæ & gratiæ deducit & ad rivulos ex quibus hauritur aqua refectionis ita ut nihil vobis deesse possit ipso regente, ipso ducente, ipso pascente. *Introite* ergo *portas ejus in confessione; atria ejus in hymnis, & confitemini illi* : hoc est, gratias illi agite; corde & ore confitentes ipsum esse Pastorem vestrum, Regem vestrum Dominum & Deum vestrum vobiscum semper in hoc mysterio præsentem. Agnoscite verum esse quod in Apocalypsi voce cœlesti pronunciatum est : *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* An non hoc manifestè agnoscendum est,

dum sacratissimum tabernaculum in medio nostri cernitur (corpus scil. ejus in quo divinitas habitat) illudque tabernaculis nostris vult adornari, ut in illis possit adorari? Ibi *Emmanuel*, hoc est, *Nobiscum Deus*, & nobis specialiter Deus. Utinam & nos specialiter simus populus ejus, speciali subjectione, devotione, servitute, obsequio, adoratione! Non enim taliter fecit omni nationi, & mysteria suæ benevolentiæ specialis symbola non manifestavit eis. Nec enim est alia natio tam grandis ac natio Christiana, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. Nam in nobis manet, & nos in eo per admirabilem unionem & communicationem. Inter nos usque in finem sæculi in hoc Sacramento agit, nullam nostri habens indigentiam, sed solum ut suam nobis demonstret admirabilem charitatem & bonitatem, nostramque reciprocè excitet spem & amorem; hinc unusquisque nostrum coram eo potest dicere: *Ecce Deus meus, fiducialiter agam, & non timebo; quia fortitudo & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Exultet ergo Fidelium cœtus, jubilet, & gratias agat tamquam populus Domini, tamquam grex pascuæ ejus, introeat portas ejus in confessione, atria in hymnis; imò intret usque in sancta sanctorum devotionis sanctissimæ affectibus tamquam sacris pedibus; nec enim jam sicut olim ullus excluditur, quandoquidem omnibus inclametur: *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel.* Magnus utique in medio tui, ô Ecclesia fidelis, quæ habitatio Sion ob contemplationem nominaris! Magnus in medio tui sanctus Israel, is qui in se sanctus est, qui à se sanctus est, qui Sanctificator est, qui Principium est & Fons omnis sanctificationis. Ipse longè sublimius in medio tui est, quàm fuerit in medio Synagogæ, in medio antiqui populi Israël, ideoque strictius ad gratiarum actionem & recognitionem obligaris.

Isai 12.

Ibidem.

PARS III. *Psalmi.*

TErtiò adjicitur: *Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus, & usque in generationem & generationem veritas ejus.* Multiplex est nomen Domini, sic multiplex ei laus debita est, cùm ab Angelis, tum ab hominibus: *Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei nostri in monte sancto ejus.* Non solùm in civitate sua cælesti, sive in Ecclesia triumphante laudes ejus decantantur, dum ibi gloriæ suæ magnitudinem electis clarè manifestat; sed etiam in sua civitate terrestri, hoc est in Ecclesia militante; quia & ibi magnus & laudabilis nimis. Magnus in sanctitate, Sanctus ipse Sanctorum, sanctitatis suæ participationem omnibus offerens in hoc Sacramento, omnes ad eam vocans. Magnus in potentia, dum ejus omnipotenti virtute fit ut quoties Sacerdos verba ab ipso instituta pronunciat, mox panis transubstantietur, & in corpus divinitati unitum commutetur. Verè hic *Digitus Dei est*, verè agnoscitur ibi *Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia.* Magnus ibidem in sapientia; quia admirabili adinventione sapientia ejus fit, ut in finem usque sæculi nobiscum maneat secundùm humanitatem sub speciebus sacramentalibus, & nihilominus secundum eandem apud Patrem sit per præsentiam visibilem. Magnus in bonitate & charitate, quia cum ad bonitatem spectet sese diffundere & communicare, non potuit altiori nes arctiori modo id facere. Magnus in liberalitate, quia omne datum optimum & omne donum perfectum hic gratis offert cuilibet volenti accedere; & tamquam fons inexhaustus patens est omnibus, optatque omnes haurire de se aquam vitæ, exuberantiam Spiritus & gratiæ. Magnus denique in justitia, quia justissimè ordinavit ut eadem via homini restitueretur vita, qua venenum mortis propinatum fuerat. Per cibum homo petierat, per cibum homo vitam recipit. Per escam Satan vicit hominem, per escam hanc Sacramentalem vincitur, & omne damnum reparatur ad ejus confusionem. De prima esca dicitur: *In quacunque die comederis, morte morieris.* De secunda esca dicitur: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Sic cibo mortis vitæ opponitur alimonia.

Gen. 2. *Ioan. 6.*

Multiformis proditoriæ ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde hostis unde læserat.

Magnus ergo Dominus & laudabilis nimis in civitate nostra, in monte sancto ejus, in Ecclesia ab ipso sanctificata & electa: *Date ei magnificentiam, quia ejus perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia.* Laudate ejus sanctitatem, potentiam, sapientiam, charitatem, bonitatem, munificentiam, justitiam: quia omnes istæ perfectiones & infinitæ aliæ eminent in hujus Sacramenti institutione, quæ incepit in monte sancto Sion, & perennabit in monte Sion mystico per alterum illum figurato. Laudate ergo Sion Salvatorem, lauda Ducem & Pastorem in hymnis & canticis. Quantum potes tantum aude, quia major omni laude nec laudare sufficis. Dicit rectè Psaltes Domino: *Secundum nomen tuum sic & laus tua.* Cum ergo ut jam diximus multiplex sit nomen Domini, prout in hoc Sacramento nobiscum se gerit, etiam à nobis laus multiplex debet reddi. Attende multiplex ejus nomen. Ipse hic noster est Salvator & Redemptor; redemptionis applicans pretium & fructis remedium. Ipse est Sacerdos & Sacrificium, seipsum hic mysticè ut Agnum immolans in finem sæculi. Ipse est Dux & Pastor, nos tamquam oves suo pascens cruore, suâ nutriens divinitate. Ipse est Sanctificator & Protector, sui nos hic sanctificans sanguinis aspersione, & in protectionem suscipiens sub umbra sua & tegmine. Ipse est Sponsus & amator nos sibi hic maritans admirabili conjunctione & amore. Ipse est Glorificator, optans nos ad gloriam perducere, & participes facere æternæ coronæ. O quot titulis & nominibus debemus gratias & laudes ejus toto cordis affectu decantare! Omnia hæc nomina, omnes hi tituli, nomina sunt & tituli misericor-

Psal. 47.

Psal. 28.

sericordiæ, indicantque causas varias strictissimæ erga eum obligationis. Nomina sunt suavitatis & dulcedinis, quam exhibuit per bonitatem suam, & in æternum exhibebit, ut meritò dixerit Propheta: *Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus.* Suavis utique in hoc Sacramento, in quo dulcedo & suavitas veluti in suo fonte potatur, ita ut fidelibus jure hic inclametur; *Gustate & videte quam suavis est Dominus.* Manna hic ministratur habens omne delectamentum & omnem saporem suavitatis. Favus cum melle porrigitur; juxta suavissima illa assensi verba ad hoc Sacramentum invitantis: Cant. 5. *Comedi favum cum melle meo.* Quid est favus cum melle, nisi caro Christi cum ejus divinitate? An non favus Corpus virgineum Christi, quod effor-mavit MARIA tamquam apis purissima è floribus sanguinis sui purissimi, ut illius suavitate reficerentur cuncti credentes usque in finem sæculi? Habet favus iste cellulas melle refertas, quia viscera Domini JESU misericordiâ affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Cellæ sunt mellea vulnera ejus plena pietate, dulcedine, charitate; per has cellulas gustare licet, quàm sit melleus, quam delicios & suavis Dominus Deus noster, & id maximè in hoc Sacramento. Per has etiam cellulas licet hic considerare, quanta sit ejus misericordiâ, quæ etiam permanet nobiscum in æternum. Hic memoriam abundantiæ suavitatis ejus eructat cor pium, eructant labia sacra animæ; memoriam quoque perennis misericordiæ ejus, quia Psal. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus*, dum escam hanc dedit timentibus se. Laudent ergo in hoc festivo die omnes fideles nomen ejus, accedant, gustent, agnoscant quoniam suavis est Dominus, & in æternum misericordia ejus.

Postremò addit Propheta noster: *Usque in generationem & generationem veritas ejus.* Nempè veritas qua se asseruit nobiscum verè esse in hoc Sacramento dando carnem suam & sanguinem, de generatione transit in generationem: & à mille jam & sexcentis annis sic credidit omnis generatio sancta, coluit, adoravit, manducavit. Hæc veritas à Domino pronunciata, ab Apostolis tradita, à Martyribus sanguine confirmata, à Doctoribus Ecclesiæ elucidata, miraculis innumeris sigillata & comprobata, transivit de ore in os, de animo in animum, de fide in fidem; de fide docentis in fidem audientis, de fide Ecclesiæ in fidem filiorum ejus, qui sunt generatio sancta, ita ut hic verum sit illud Domini: Isai. 59. *Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus amodò & usque in sempiternum.* Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus.

Psal. 77. Sola ergo generatio incredula, *quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus ejus, generatio prava & exasperans* huic obnititur veritati. Hæc est generatio hæresim sectans cum pertinacia, ideoque in errores varios abiens, quia non audit Ecclesiam quæ est *Columna & firmamentum veritatis*; Interpresque fida verborum sponsi sui & promissionis ejus. Hæc est generatio illa de qua verum est, quod dicit Sapiens: *Generatio quæ Patri suo maledicit, & quæ Matri suæ non benedicit.* Prov. 30. *Generatio quæ sibi munda videtur & non est lota à sordibus suis. Generatio cujus excelsi sunt oculi, & palpebræ ejus in altum surrectæ. Generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.* Singula enim ista nostris conveniunt hæreticis. Ipsi Patri suo maledicunt, Deo scilicet Christoque, auctorem eum peccati dum faciunt: & Matri suæ non benedicunt, quia Ecclesiæ Matris vocem non audiunt. Ipsi sunt generatio quæ videtur sibi munda, quia per externam quandam & imputativam justitiam & per specialem fiduciam mundari se putant & justificari; sed quia inanis est hæc justitia & fiducia, manent in sordibus suis illoti & immundi. Ipsi sunt generatio cujus excelsi sunt oculi, quia in ipsis superbia omnis hæresis mater est, & illa semper ascendit, ita ut se erigat contra Deum & Ecclesiam ejusque doctrinam & sacramenta. Ipsi denique pro dentibus gladios habent, & commandunt molaribus suis, quia gladio linguæ omnia sacra conscindunt: & comedunt inopes & pauperes de terra, dum audientium animos simplicesque fideles veneno suo inficiunt, & quasi deglutientes in infernum absorbent. Sed quicquid moliantur & occlament, quantumlibet ut canes rabiosi oblatrent, ringantur, mordeant hanc veritatem Eucharisticam, non deficiet umquam illa. De generatione in generationem transibit hæc veritas: & invenientur semper aliqui qui verbis & scriptis, lingua & calamo, imò morte & sanguine eam confirment & obsignent; etiam tempore Antichristi, cujus hi Pseudo Christiani Præcursores sunt & Metatores, ut loquitur S. Cyprianus; quia *Veritas Domini manet in æternum.*

Concludamus igitur & dicamus: Excita Domine JESU Christe per gratiam tuam corda fidelium, ut in hac die solemnitatis tuæ coram te jubilent in universa terra, & serviant tibi in lætitia, in recordatione tot beneficiorum à te mediante hoc Sacramento perceptorum. Introeant in conspectu tuo in exultatione, quia tu es fortitudo, spes, & gloria eorum. Sciant te Dominum suum & Deum suum, & ut talem adorent; quia tu Creator es, qui fecisti eos cum non essent; Tu Redemptor & Salvator es, qui redemisti eos cum venditi essent, revocasti ad salutem cum periissent; Tu Pastor, & Dux, ipsi populus tuus & oves pascuæ, quia errantes reduxisti, & tua divinitate tuaque substantiâ pascere dignaris; Tu Glorificator es, ad æternitatis beatæ eos dirigere viridantia pascua peroptas. Fac igitur ut modò atria tua ingrediantur in hymnis, & confitentur tibi per humilem gratiarum actionem. Continuo.

Laudent nomen tuum, & ex præcordiis sonent præconia, agnoscentes quia usuavis es suavis misericordia tua, in æternum permanens super eos qui nunquam deserunt veritatem quam perennare voluisti. de generatione in generationem, donec eam plenius sine volo contemplemur, quando mysticis symbolis ablatis faciem tuam nobis revelabis, & in illa limpidè mysteria nobis jam abscondita agnoscemus.

THEMATA PER OCTAVAM VENERAB. SACRAMENTI.

Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. Isaiæ. 45.

Explicatur in Candelabro Mystico, Tract 4 Lect 1

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus. Psal. 110.

Explicatur ibidem fusè Lectione secundâ, item Lectione quartâ.

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Luc. 2.

Explicatur de hoc Sacramento, & de præsentia reali Christi; cui hic contradicunt hæretici. Vide Lectionem tertiam ibidem.

Flecto genua ad Patrem, ut positis comprehendere quæ sit longitudo & latitudo, sublimitas & profundum Ephes. 3.

Explicatur id de dimensionibus amoris divini, & quæ in hoc elucent Sacramento, Lectione 4.

Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris, & dicit? Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te Psal. 117.

Explicatur hoc de eodem Sacramento, Lectione 6. Propositione 2. ubi multa de institutione hujus Festi.

Quod bonum ejus, & quod pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines? Zach. 9.

Explicatur de hoc Sacramento Lectione 8. per totam, cum exhortatione ad juvenes & virgines.

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat. 1. Cor. 11.

Explicatur Lect. 9. ubi fusè de dispositione requisita ad hoc Sacramentum.

Ecce panis Angelorum factus cibus viatorum, verè panis filiorum non mittendus canibus. S. Thomas in officio.

Explicatur per totam Lectionem decimam copiosè & moraliter.

TRACTATUS III.
DE DOMINICIS POST PENTECOSTEN.

LECT. I. tripartita.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos, &c. Luc. 14.

PARS I. *De qualitate cœnæ & patrefamilias invitante.* 1. Reg. 3

DE multis convivis mentio fit in sacris litteris, quæ infelicem sortita fuere exitum, multisque attulerunt exitium. Quid infelicius convivio Absalonis? In illo temulentus Amnon interemptus est, filius Regis, frater Absalonis: sicque fœdavit frater impius fraterno sanguine convivium suum quasi Regium, non sine acerbo luctu Parentis, ac eorum qui fuerant invitati de comitatu Regio, quos fugâ sibi oportuit consulere. O funestum convivium! De Absalone illud dicere possumus:

Fastidit vinum, quia jam sitit ipse cruorem:
Tam bibit hunc avidè, quam bibit ante merum.

Quid infelicius iterum convivio Balthasaris? in illo manus cœlestis in pariete regio funestum exarat decretum: *Mane, Tecel, Phares*; quod interpretatur Daniel: *Numeravit Deus regnum tuum & complevit illud: Appensus es in statera, inventus es minus habens. Divisum est regnum tuum, & datum Medis & Persis.* Eademque nocte Rex interfectus est, & successit in regnum Darius Medus. O funestum convivium! Dan. 5.

Quid magnificentius convivio Assueri? Ad illud invitatus est omnis populus, à maximo usque ad minimum, septemque diebus præparatum fuit in vestibulo horti & nemoris, quod regio cultu & manu consitum erat. Verùm quàm infelix illius exitus, dum ibi Vasthi Regina, pulchra valde, à Rege irâ & furore succenso ignominiosè repudiata est? Similiter convivium quod Esther eidem Regi, & ejus primo Principi Aman præparârat festivum erat, deliciis & jucunditate refertum; sed infelix illius fuit exitus, dum ab illo Aman rapitur & erigitur in patibulum corvis futurus pabulum. O funestum convivium! Sic & de aliis multis conviviis notum est. Esth. 1. Esth. 7.

Felicius his convivium illud & cœna magna de qua

qua in hoc Evangelio, ad quod invitantur non soli magni aut divites, sed etiam pauperes, debiles, claudi, cæci, & ex pauperibus fiunt divites, ex infirmis fortes, ex claudis benè gaudentes, ex cæcis clarè videntes, ex miseris beati & æternùm felices. Soli illi infelices, qui invitati noluerunt venire, de quibus dicitur servis ab irato Patrefamilias: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.* Quam ergo cœnam gustabunt ab hac magna cœna exclusi: Illam in qua apponitur *Ignis, sulphur, spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Illam in qua propinatur Calix iræ Domini, cujus *Fex numquam est eximanita.*

Luc. 14.
Psal. 10.
Psal 74.

Duplex porrò est cœna illa magna & felix à magno Patrefamilias præparata, ad quam multi invitantur. Una præparatur in hoc sæculo, altera in futuro. Non enim alius est hic Paterfamilias, nisi Dominus Deus noster, qui nobis in hoc sæculo præparavit mensam gratiæ in futuro mensam gloriæ, ad quã omnes nos sincerè invitat, ut ejus fruamur deliciis & ferculis copiosè apparatis. De utraque mensa potest intelligi illud: *Faciet Dominus exercitum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ.* In quonam monte? In monte Ecclesiæ Militantis, in monte quoque Ecclesiæ Triumphantis. Utrobique deliciæ, & cibi lautissimi, vinumque purissimum si oculo mundo inspicere, si palato depurato gustare volueris.

Cœna magna duplex.

Isai. 25.

Ex quibusnam apparatur convivium, à Domino in Ecclesia militante? Utique ex ferculis pretiosissimis. Nempe ex Christi Corpore & Sanguine, ex ejus anima & divinitate, ex Sacramentis, ex gratiis variis, ex Spiritus sancti donis, ex meritis Christi. An fercula lautiora & pretiosiora posses exoptare? Ibi comeditur panis vitæ, sal sapientiæ, favus & mel suavitatis internæ, agnus assatus charitatis igne: ibi oleum pingue, fructus quoque dulcissimus apponitur decerptus ab arbore vitæ, & manna cœleste. Ibi bibitur aqua saliens in vitam æternam, aqua viva de vivo fonte, vinum amoris purissimi de cellariis Sponsi: lac candidissimum profusum de uberibus Sponsæ. Hoc est convivium de quo dicebat Petrus Abbas Cellensis lib 3. epist. 4. O Jesu convivatoribus tuis quis sapor in faucibus, quis ordor in naribus? Quis splendor præ oculis? Quæ auditus modulatio, quæ cordis jubilatio? Nihil infra votum, supra votum omnia abundant gaudia. Explicat se voluntas ad volendum, immò ad volandum; & non solùm sufficit, sed supercurrit oleum, quia vasa deficiunt. Hic manus dantis largior, & accipientis carior. Sola hæc ministrorum indignatio, quia pauci sunt quibus fiat ferculorum distributio. Felix qui cordis palatum præparat, ut possit gustare & percipere has delicias, hunc panem, hunc salem, hoc oleum, hoc mel, hoc manna, hos fructus, hoc lac, hanc aquam, hoc vinum & mel. Pauci sunt qui cum sapore id faciunt, quia palatum habent infectum humore terreno, aliis hujus sæculi, cepis Ægypti. Malunt convivia mundi quàm convivium Dei; ideo ibi comedunt, bibunt & lætantur, sed eos postmodum consequitur fames & sitis æterna, ita ut cogantur aquæ guttam petere, nec umquam possint invenire. Sic de eis potest dicere mundus illud *Nutrivi eos cum jucunditate dimisi eos cum fletu & luctu.* Corpus enim eorum fit esca vermibus, anima flammis. O funestum convivium mundi! ô faustum convivium Dei.

Cœna militantis Ecclesiæ fercula.

Dan. 5.

Esth. 1.

Esth. 7.

Baruc. 4.

Sed convivium Filiis Dei in Ecclesia militante apparatum nonnisi innitum est & prægustus convivii apparati in Ecclesia triumphante. Unde non tàm cœna dicitur quàm prandiolum & jentaculum respectu illius æterni convivii: quod proprie cœna est, tum quia in sero paratur, tum quia post illud nullum aliud restat convivium. Magnus Paterfamilias, Magnus Rex illud parat in cœnaculo amplissimo, in quo locus est omnibus venire volentibus. Ibi portio non minor singulis, licet innumeri confluant, non est enim in cœna Dei sicut in cœna mundi. Ibi ubertas est omnes satians, & de consortio lætitiam generans; ita ut quo plures sunt convivæ, eo major sit lætitia & exultatio: quia cibus non minuitur, nec torrens quo potantur, exhauritur, originem habens semper profluentem. Ibi apparata sunt ad epulum illa, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, quæ nec in cor hominis ascenderunt. Ibi eximius cibus visio divinæ claritatis, amor & fruitio divinitatis, laus sonora ineffabilis jubilationis, continuatio æternitatis. Magna ergo cœna, non solùm ob magnitudinem apparantis, nec solùm ob numerum sine numero populi epulantur, nec solùm ob magnitudinem loci innumeros complectentis, nec solum ob eximium cibum ineffabilis delectationis; sed etiam magna cœna, quia æternæ est durationis. Mundi convivia ad unum aut alterum diem perdurant, & mox fastidium & nauseam ingenerant: illud non habet finem, & in satietate non habet satietatem. Beatus ergo qui manducabit panem in regno Dei. Una mica huc decidens miram excitat orexin & appetitum. Beatus qui bibet vinum novum amoris divini cum Christo in regno Patris de genimine vitis. Una stilla huc decidens mirum in modum reficit, & quodam modo inebriat. Unam micam illius panis gustata Petrus, unamque stillam illius vini & adeo in monte inclamat: *Domine bonum est nos hic esse.* Una gutta si posset decidere in infernum, etiam acerbissimas illas pœnas dulcoraret, inquit quodam loco S. Aug. Meritò ergo inclamat vox cœlestis Joanni: *Scribe, Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Hæc est eadem cœna de qua hic, ad quam suspirant omnes Sancti de hoc sæculo.

Cœna triumphantis Ecclesiæ fercula.

Apoc. 19.

B Dorothea cum post dira tormenta sententiam mortis à Præside acciperet, dixit cum jubilo: *Benedico te Domine, caste amator animæ meæ, quòd immeritam ad nuptias agni immaculati me vocare*

vocare dignatus sis, & ad thalamum cœlestem invitare. Sic paulò post exspiravit ad cœnam illam suspirans in mediis tormentis.

8. Lurgardis ad illam etiam cœnam continuò suspirabat: unde cuidam Sorori sibi familiari prædixit diem mortis suæ fore illum in quo canerentur: *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.* Hoc verò prædixit annis quinque ante mortem. Et ita ut prædixerat factum est: nam mortua est in Dominica infra octavam Sacramenti, quando istud Evangelium in Ecclesia canitur. Incidebat autem in decimam sextam Junii. Sic certò prædixit se vocatam ad illam cœnam, certoque illa fruituram, quia ei Dominus id revelasset.

Ad illam ergo cœnam multi vocati sunt à servis Patrisfamilias, ab ipso Patrefamilias prius invitati. Nemo verò ad cœnam illam æternæ pertingit gloriæ, qui prius non adfuerit in prandio & mensa gratiæ hic præparatæ. Unde ad hanc prius vocantur quàm ad illam: *Quos vocavit, hos & justificavit, hos & glorificavit.* Vocantur autem per inspirationem particularem, per Angelorum suggestionem, per Pastorum instructionem, per librorum sacrorum lectionem, per ministrorum verbi Dei missionem, per beneficiorum in corda eorum congestionem, imò quandoque per flagellorum accumulationem. Multiplices enim Deus habet servos, multiplices vocandi modos. Voce, nutu, manu, epistolis vocat & invitat. Manu elevata ostendit nobis cœlum & vocat blandè ad illud. Manu demissa ostendit infernum, ut ab illo per terrorem nos abstrahat, & ad viam cœli reducat. Manus extendit vocans, ut auxilium præbeat. Voce interiori ad cor loquitur & invitat, voce exteriori & quasi litteris per Apostolos & alios ministros suos voluntatem suam benevolentissimam indicat. Sic nulli deest, sed omnibus sufficienter gratiam suppeditat; quosdam etiam quodammodo compellit & attrahit: *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui,* dicit apud Prophetam. Et iterum alibi: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Omnibus inclamatur: *quia jam parata sunt omnia,* ut nulla sit excusatio, vel tergiversatio. Ab æternitate præparavit illam cœnam, & quidem magnis sumptibus, pretio sanguinis unigeniti filii sui. Nobis verò specialiter dicit per Apostolos servos suos, & per dispensatores quoslibet mysteriorum suorum, *parata sunt omnia.* Quia dum vocabantur antiqui justi, nondum erant omnia parata: necdum Agnus erat occisus, aula cœli necdum aperta, necdum exhibita Christi merita; nec gratia & auxilia ad veniendum adeò liberaliter & copiosè ministrabantur. Nos ergò feliciores sumus, quia Agnus immolatus est, cœnaculum cœli apertum in sanguine Agni, in illud ascendit ille qui debet se præcingere & nobis ministrare, & locum mansionesque disponere in cœna illa & beatitudine. Ait enim: *Vado parare vobis locum.* Et: *Ego dispono vobis sicut dispositit mihi Pater regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.*

Rom. 8.

Diversis modis ad mensam gratiæ vocamur.

Ierem. 31.

Osea 11.

Ioan. 14. Luc. 22.

Interim illi qui invitati fuere, & quibus à servis Patris familias dicitur: *Omnia parata sunt,* imparati fuerunt, & cæperunt se simul omnes excusare. Primus dixit: *Villam emi, & necesse habeo exire & videre illam, rogo te, habe me excusatum.* Et alter dixit: *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum.* Et alius dixit: *Uxorem duxi, & ideo non possum venire.* O infelix Adæ genus, quod terrenis ita immergitur, ut præillis cælestia negligat! *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Res caducas, fallaces, pereuntes cur adamatis præ æternis, solidis, veris bonis? Vocat mundus ad labores & dolores, ad cibos & fructus amaros comedendos, post quorum comestionem nihil nisi stupor manet dentium & inanitas ventris, remorsus scilicet conscientiæ, & mens insatiata: & nihilominus mundum plerique sequuntur, & frequenter ab eo decepti ab ejus sequela non divelluntur. Vocat dæmon ad pœnas & infernum; aurem ei pedesque multi offerunt, sequuntur, & obsequuntur. Vocat caro ad turpia & immunda, ad fœtida & cadaverosa; illi acquiescitur, & cibis ejus fœtorem exhalantibus multi vescuntur, Deus verò vocat ad requiem & sinceram voluptatem, cibum offert lautum & pretiosum, ad cœnam fælicitatis æternæ invitat & vocat; at vox ejus non agnoscitur, vel agnita contemnitur, aut negligitur, & excusatio præ rexitur. O infelix Adæ genus, natum ad quærendas excusationes in peccatis, æmulando excusationem primi sui parentis, quærendo folia ficus, perizomata consuendo ad cooperiendam nuditatem. Interrogatus Adam cur se gratiâ & veste immortalitatis denudasset? *Mulier,* inquit ipse, *quam dedisti mihi sociam dedit mi hi de fructu, & comedi.* Interrogata mulier, *Serpens decepit me,* inquit ipsa. Ecce uterque se excusat, quod potius pomum elegerit prohibitum, quam Paradisi voluptatem & immortalitatis vestem. Sic se excusant Filii Adæ, quod potius præsentem voluptatem sequantur quam vocem Dei vocantis ad æternam illam magnam cœnam: Caro quam dedisti mihi, appetit carnalia, & consensi: Diabolus decipit me: Mundi consuetudo me in errorem abripuit. Hi quorundam fallaces prætextus, non satis cooperientes nuditatem in peccatis. Sed honestiores sunt, ut apparet, excusationes tres hic in Evangelio expressæ: *Villam emi, Iuga boum emi, Uxorem duxi.* Interim hæc etiam adhuc sunt perizomata veteris Adæ, foliaque ficus filiorum ejus; prætextus inanes sunt. Si fuisset vocatus primus antequam villa foret empta, secundus antequam juga boum coëmisset, vel mercatus esset, tertius antequam uxorem duxisset; excusasset se primus, & dixisset, sibi offerri villam aliquam ad emptionem, sibique de illa transigendum esse, ne forte alius præveniat & assequatur. Similiter & secundus, si necdum sibi provisum fuisset de bobus,

Gentium excusationes.

Psalm. 4.

Gen. 3.

dixis-

dixisset sibi curam illius rei incumbere; ideoque non posse modò invitanti acquiescere. Tertius etiam dixisset, se vereri ne alter procaretur uxorem quam sibi conjungere sperabat. Sic excusationes non desunt filiis hujus sæculi, in quibus adhuc vivit vetus Adam. Jam villa erat empta, jam boves coëmpti, jam uxor ducta, non est excusatio opportuna propter villam, propter boves, propter uxorem frivola excusatio, velle solùm hæc videre, aut affectu horum detineri, à cœnaque adeo pretiosa retardari vel excludi; quandoquidem tanta benevolentia & sollicitudine invitet optimus Paterfamilias; & quandoquidem etiam illa tantis ei constet impendiis & sumptibus. Ideo meritò concipit contra adeo ingratos gravem indignationem, potestque eis dicere: *Vocavi & renuistis, extendi manum & non fuit qui aspiceret; ideo ego interitu quoque vestro ridebo, &c.*

Prov. 1.

PARS II. *De excusatione 1. & 2 vocatorum.*

SEd videndum quid in particulari significent hæ excusationes, & quosnam designent illi qui eas afferunt. Rectè S. Augustinus serm. 33. de verb. Dom. has tres excusationes tria illa vitia designare dicit, quæ homines hujus sæculi detinent, & à beatitudine solent excludere, de quibus Joannes: *Omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*: Inde cepit S. Joannes ubi Evangelium terminum posuit, inquit S. Augustinus. Nam concupiscentia carnis est, *Uxorem duxi*; concupiscentia oculorum, *Quinque juga boum emi*; ambitio sæculi, *Villam emi.*

1. Joan. 2.

Villa, boves, uxor, cœnam clausere vocatis:
Mundus, cura, caro, cœlum clausere renatis.

Excusatio 1. superbiam significat.

Prima itaque excusatio, dominandi cupiditatem superbiamque significat. Unde Augustinus ait; *Villa empta dominatio notatur ergo superbia castigatur. Habere enim villam tenere, possidere homines sibi in illa subdere & dominari delectat: vitium malum, vitium primum. Villam emi, habe me excusatum, inventa superbia venire voluit*, hæc ille. Villam ergo emerat ille, non necessitatis, sed voluptatis & honoris causa: unde non dicit se exire ut colat illam, vel utatur illa, sed ut videat illam. Hoc adhuc inter Christianos in usu videmus, quod non contenti commodissima in urbe habitatione, villas in agris & dominia sibi comparant, ad quas videndas interdum exeant, & à quibus nomen aliquod sortiantur ipsi, vel filii eorum. De quibus dicitur: *Vocaverunt nomina sua in terris suis*; hoc est: Vocaverunt nominibus terras suas, suas appellationes & vocabula illis indiderunt, ut sua nomina & titulos redderent immortales. Sicut de Absalon legimus *Porrò Absalon erexerat sibi titulum, dum adhuc viveret, dixerat enim: Non habeo filium*, in quo scilicet remaneat memoria mea, *& hoc erit monimentum nominis mei, vocavitque titulum nomine suo, & appellatur Manus Absalon, usque in hanc diem.* Sic & illi vocant nominibus suis Dominia coëmpta, ædificata ibidem aliqua domo splendida, tamquam monimento perenni,

Psal. 48.

2. Reg. 18.

Sed rectè (ut de Absalonis monimento dictum est) Dominium istud & Villa vocaretur. Manus talis Consiliarii. Manus talis divitis. Manus talis Capitanei, quia frequenter manu sua adunca corradunt, & alienas rapiunt opes, quibus superbiam suam amplificent, injustè se gerendo in officio & stipendia extorquendo majora æquo, usuris & aliis vitiis, accumulando divitias divitiis, pauperes opprimendo, bona publica vel privata depeculando. Melius ergo nomina sua vocarent & scriberent in cœlis, per administrationem opum suarum in operibus pietatis, memores non tam se esse terræ quam cœli filios. Nam recedentes à Domino, in terra scribuntur; adhærentes autem Domino calcatis rebus terrenis, scribuntur in cælo, tamquam hæredes Dei & Cœli. Attendere itaque deberent, nè incidant in illud væ, quod Isaias minatur terrena nimium ambientibus: *Væ qui conjungitis domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci.* Quid agitis, ô ambitiosi & terreni, quibus septem pedes terræ sufficiunt, & lapis unus ad regendum miserum corpusculum? Quare tam ardenter tot fundos quæritis, impedimenta æternæ beatitudinis accumulatis, ita ut propter hæc ad cœnam illam venire nequeatis?

Ser. 17. Luc. 10.

Isa. 5.

Cupidorum miseria magna.

Sed tanto miseriores sunt quidam ex illis ambitiosis & cupidis, quod frequenter non alium fructum referant, quam videre fundos, possessiones, dominia quæ acquisierunt; imò sæpe rapiuntur ex hoc sæculo antequam illa bene viderint. Quam multi superbè ædificant, & illis ædificiis postmodum non gaudent? Quam multi honores & officia adipiscuntur, & mox ea dimittere coguntur per mortem, antequam illis fruantur? Possunt ergo dicere: *Necesse habeo exire, & videre illa.* Imò potiùs, cum necesse sit eis exire illico ex hac vita, non erat necesse emere, nec videre illa. Sed etiam si longiori tempore supervivant emptis jam possessionibus, nonne verum est illud Eccles. *Quid prodest possessori, nisi quod cernit divitiis oculis suis?* Quanti inferuntur reditus in Principum & Nobilium domos? Ex his autem omnibus quid habent nisi victum & vestitum, & quæ his continentur; quæ etiam sæpe habent æquè mediocris fortunæ homines? Reliqua expenduntur in Pensionarios & ministros, in famulos, in coquos, muliones, halebardarios, equos, canes, &c. Apponebantur in mensa Salomonis triginta corisimilæ, & sexaginta cori farinæ, decem boves pingues, & viginti pascuales, centum arietes, excepta venatione & altilibus. Quid ex his habebat pro portione Salomon? An forte crustulam similæ, & coram aliquam alicujus avis altilis? Reliqua poterat oculis cernere, pauca ei sufficiebant. Quid igitur opus agrum agro, villam villæ, dominium dominio copulare, maximè his quibus de honestis opibus juxta sortem & statum suum provisum est? Nonnisi vanitas & ambitio eos impellit ad altiores titulos, altioresque opes assequendas dominium dominio conjungendo. Unde verum est

Eccl. 4.

3. Reg. 4.

de illis illud Oseæ: *Facti sunt quasi assumentes terminum*, sive ut S. Hieronymus & LXX. Interpretes legunt: *Facti sunt quasi transponentes terminum*. Quid est transponere terminum, nisi transferre signum illud quod fundum meum ab alio dividit, ut de aliquo mihi partem vendicare valeam? Hoc fuit prohibitum sub maledictione in Lege Deuteronom. ubi dicitur: *Maledictus qui transfert terminos proximi sui, & dicet omnis populus, Amen.* Sic quidam terminos transferre censentur, dum usurpant titulos & jurisdictiones sibi non debitas, statuique suo non congruentes, ad quod non impelluntur nisi ambitione. Sic mercatores & negociatores ubi opes aliquas acquisiverint, non contenti sorte & statu suo altiora ambiunt. Nobilium more vivere volunt, Domini titulo gaudere; villas, quibus Domnii titulus sit annexus, emere; idque sæpe fit cum parum prospero successu, & cum damno conscientiæ, ita ut necesse habeant Deo per servos suos ad æternam cœnam invitanti respondere: *Villam emi, rogote, habe me excusatum.* Humilitas est in voce, ambitio in emptione. Poterant securius Deo servire, & conscientiæ suæ consulere, si fuissent contenti honestissima sua sorte. Nunc autem variis implicati dicunt: *necesse est exire* Ecclesiam, conciones, sacramenta non ita frequentant, ne id videantur agere vulgi more. Victus vestitus mediocritatem in cæterisque frugalitatem & parsimoniam haud licet eis retinere; quia vivendum est secundum adeptam conditionem splendidè & honorificè, serviendum tempori, locis, personis juxta consuetudinem eorum qui ejusdem sunt status; huicque rei providendum qualibet arte, etiam gravando sæpe alieno ære, etiam cum dispendio conscientiæ. An non ergo similibus congruit illud: *Villam emi, non possum venire?* Item & illud: *Habeo necesse exire.* Sed heu infelices, qui exeunt à se, & à Deo, salutis suæ immemores & Dei, propter villam, propter dominandi desiderium, propter vanitatem & superbiam.

Insipientia primi vocati.

Notant etiam aliqui insipientiam hujus, quod priusquam viderit villam, emisse videatur. In quo designantur plerique hujus sæculi, qui emunt officia, status, honores, antequam ea plenè viderint & considerarint. Non enim expenderunt obligationes his annexas in pondere sanctuarii, non perviderunt pericula conscientiæ, non servitutem emptam & libertatem venditam, non spinas latentes sub rosis. Propter hæc dicebat Rex quidam de suo diademate. *O Regium diadema, gemmis tu quidem rutilans, es, sed quicunque nosset quas sub his gemmis spinas tegis, nequidem de humo dignaretur te tollere!* Sic nihil emendum de his quæ ingerit mundus, quamlibet speciosum, quamlibet pretiosum videatur, nisi usque ad fundum pervideatur, nisi & de pretio plena fiat interrogatio. Quia vendit opes, honores, voluptates, sed pretio incomparabili animæ; vultque postmodum hæc persolvi sempiterni ignis toleratione. O quàm multos cæca emptione & ambitione decepit pessimus ille & fallax mercator!

Oseæ 5.

Deut. 19. & 27.

1. Excusatio prima ad ambitionem; Juga boum emi quinque.

Secunda excusatio spectat ad avaritiam, sicut prima ad ambitionem; *Juga boum emi quinque.* Jugum emunt qui divites fieri volunt; jugum enim *Satio jugum* sunt durissimum, onera, curæ, anxietates; cupidi- *stat ad avaritiam.* tas & servitus, quæ divitias comitantur. Cum hoc jugo difficile est ingredi viam angustam quæ ducit ad vitam; difficile est cum illo ingredi per portam quæ ducit ad cœnam Patrisfamilias. Divitiæ equidem magnum sunt æternæ salutis impedimentum. Primò, quia desiderium terrenorum impedit desi- *Divitiæ* derium cœlestium, dum enim terrenis acquirendis *salutis impedimentum.* cogitationes inhiant, vix aliqua pars desiderii relinquitur quæ contendat ad cœlestia. Quis non videat quod is qui ad cœnam lautam est invitatus, si ingurgitet se prius vilibus cibis, non relinquat locum lautioribus, nec illorum percipiat appetitum? Sic est de his qui temporalia nimis appetunt, illisque se ingurgitant: omnem quippe appetitum perdunt æternorum, illaque fastidiunt. Sic filii Israel qui ad Ægypti cepas & allia respirabant, manna cœleste & bona terræ promissionis non appetebant: *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem,* inquit Propheta. Secundò terrenis præpediti licet aspirare vellent ad cœlestia, non possunt; quia res spirituales requirunt tranquillitatem in anima; temporalia autem secum vehunt inquietudines, & animam reddunt vagam & disperdam; ideoque homo conqueri cogitur. *Cor meum dereliquit me;* non enim invenit illud ut Deo vacare possit. Cor suum habet in bobus & jugis; ita ut dicat Ecclesiasticus: *Qui stimulo boves agitat, cor suum dabit adversandos sulcos, & vigilia ejus in sagina vaccarum.* Ideo excusat se invitatus ad cœnam, & dicit: *Juga boum emi, eo, probare illa.* Debeo vacare rei meæ, non est mihi otium nec cor ad alia. Sic quadam consuetudine prava assueverunt inquietudini tales, ut ne quidem ad vitam quietam desiderandam moveantur. Hi sunt quasi bos, aut quasi *vitula docta diligere triturare*, sicut de Ephraim dicit Propheta de his enim eleganter explicat id S. Greg. 20. Moral cap. 26. ubi dicit: *Vitula triturat laboribus assueta, relaxata plerumque ad eundem laboris usum etiam non compulsa revertitur. Ita pravorum mens hujus mundi servitiis dedita, & rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi sibi libere vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat: & usu miseræ conversationis triturum laboris quærit, ut à jugo mundanæ servitutis cessare non libeat, etiamsi liceat.* Vide ergo excusationem miseram hujus hominis, qui propterea non sequitur Deum vocantem, propterea recusat à nuptiis, quia juga boum emit. Hæc est stoliditas eorum qui suave & leve jugum Christi excutiunt, quia jugum onerosum mundi stolidè amant; nam dum à jugo rationali abhorrent, in plura juga gravissima tamquam boves eunt, & illis colla submittunt. Hos rider S. Bernardus, & maximè hunc Evangelicum boviarium. Quid juga, inquit, subiisse causamur?

Satio jugum emunt qui divites fieri volunt; jugum enim stat ad avaritiam.

Divitiæ salutis impedimentum.

Psal. 105.

Psal. 39.

Eccl. 33.

Oseæ 10.

Argua-

Arguamus magis emisse ; illud enim stoliditatis est miserandæ, istud extremæ dementiæ. Quid ergo miser pro jugo boum distrahis animam tuam, qui jugum Christi suscipiens emere poteras regnum Dei, & mercari vitam ? Invenit Elias Elisæum arantem. *Et ipse in duodecim jugis boum erat unus*, inquit ibi Scriptura ; sed hæc erat miseranda conditio, ideo Elias se sequi jubet, & boves relinquere. Sic & Christus multos post se vocat, sed ipsi nimium bobus suis affectu inhærent, & sic se excusant ab ejus sequelâ, & cœna. Amant gravari potius jugo hujus sæculi & jugo peccati, quam cum libertate epulerii in regno Dei. An non meritò his irascitur ? 3. Reg. 19.

Neque tamen dicimus omnes qui inter juga boum versantur à delitiis æternæ mensæ excludendos. Nam etiam Amos Propheta fuit Spiritu Sancto impletus, sicut & Elisæus ; dum boves sequeretur : armentarius enim erat, & stimulo boves agitans cor suum dabat ad sulcos versandos, sed non ita ut illud Deo denegaret aut se excusaret à sequela Dei, & mandata vocationemque ipsius negligeret. Sic inter noviſſimos sanctos in Canonem Ecclesiæ relatos celebris est S. Isidorus Madritensis, edoctus educere boum juga ad arandum tamquam famulus conductitius cujusdam Patrisfamilias circa Madritum. Sed licet famularetur, attamen non fastidiebat aut repudiabat mensam æterni Patrisfamilias : quinimò orationi & deliciis vacabat mentis frequentissimè ; ita ut dum orationi intentus foret Missæque Sacrificio, relictis in agro arando animalibus. Angeli visi sint animalia cum aratro ducere : & Isidori famulatum supplere. Accumbit ergo nunc mensæ æternæ, quia propter juga boum divinam vocationem non neglexit, & Dei servitium hominum servitio semper antepositi.

PARS III. *De tertii vocati excusatione.*

TErtia excusatio spectat ad luxuriam & concupiscentiam carnis sicut prima ad superbiam, & secunda ad avaritiam. Sic verum ostenditur esse illud Poëtæ :

Ambitiosus honos, & opes, & amica voluptas,
Hæc tria pro trino Numine mundus habet.

Vinculum concupiscentiæ maximè implicat.

Dicit ergo hic tertius : *Uxorem duxi, non possum venire* : nec cum ea verborum gratia respondet, cum qua cæteri. *Rogo habe me excusatum* ; sed apertè & non satis gratiosè dicit : *Non possum venire* ; Quo loquendi modo ostenditur, vinculum concupiscentiæ magis simplicitate & detinere hominem quam alia vincula, ita ut propter illud cogatur dicere ; *Non possum venire*. Neque tamen hic reprobatur conjugium ; sed solum insinuatur, quod nimius mulierum amor grande sit & forte impedimentū, quo animus detinetur ne se erigat ad cœlestia & divina. Propterea de muliere dixit Ecclesiastes : *Laqueus peccatorum est, & sagena cor illius.* Hac duplici metaphora significatur, quod per mulierem lubricam non tantum capiantur illi qui tamquam pisces totos se mundanis aquis immergunt, pro quibus mulier dicitur sagena, sed etiam illi qui tamquam aves in cælum quibusdam quasi alis videbantur ferri, pro quibus dicitur laqueus. Indicatur etiam quod sicut pisces in nassa & avis in laqueo existens nequit sese extricare, ita nec lubricus fœmineo amore captus ; ideo sine excusatione dicit : Non possum venire. Sensualitas in illis quasi ebria rationem obnubilat, excæcat, & sibi colligat, ac colligatam ita secum rapit, ut verum sit illud : *Assumit ebria sitientem.* Eccl. 7. Deut. 24.

Quamvis verò hæc maximè vera sint in illegitimo amore mulierum extra conjugium ; tamen etiam insinuatur quod conjugium quandoque sit impedimentum æternorum bonorum ob illius pravum usum, ita ut conjugatorum nonnulli possint dicere : *Uxorem duxi, non possum venire.* Contingit enim non rarò quod uxor causa sit peccati causaque perditionis viri : sic quæ data est viro in adjutorium non solum ad gubernationem domesticam prolisque procreationem & educationem, sed etiam ad salutem, in naufragium vertitur & ruinam. Propterea forsan ubi nos legimus : *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Hebræa lectio (teste Cajetano) habet : *Faciamus ei adjutorium contra ipsum.* An fortè indicare voluit ex tunc Spiritus Sanctus hoc obscuro loquendi modo ; mulierem quæ à Deo data erat in adjutorium viri, propter peccatum fore adjutorium contra ipsum ; Nimirum Eva induxit Adam ad peccatum & propter illam perdidit Paradisum ; sic post peccatum mulier sæpè origo est ruinæ æternæ viro suggestione sua. An non Jezabel Achab viro suo ruinæ est occasio ? An non Salomonis cor deceptum fuit ab uxoribus suis, ita ut ad idololatriam virum sapientiæ pellexerint ? Forsitan & ab æternis deliciis propter illas exclusus est, ita ut potuerit propter uxores dicere : *Non possum venire.* Ille cheu non potest venire qui alios antea invitarat. Unde S. Augustin lib. 3 de doctrina Christiana cap 21. dicit. *Salomonis initia desiderio sapientiæ flagraverant, quam cum more spirituali adeptus esset, amore carnali amisit.* Certè promisit ipse contra seipsum testimonium, dum dicit : *In malevolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis.* Cujus verò corpus magis manciparum fuit peccatis & libidini ? Addit : *Spiritus Sanctus corripietur à superveniente iniquitate*, hoc est, dehonestabitur & fugabitur abilla, quasi columba à sordibus, quasi apis à fumo. Sic & David Pater ejus propter mulierem cecidit ; sed mox vincula disrupit, nec à mensa æterna exclusus est. Unde differentiam inter Salomonem & Davidem assignans S. Augustin. loco citato dicit. *In David immoderata libidinis non permansio sed transitus fuit. Propterea ab arguente Propheta ille illicitus appetitus hospes vocatus est : at verò in ejus Filio Salomone non quasi hospes transitum* Sap. 1. *Exempla sanctorum per uxores.* Gen. 2.

habuit, sed regnum ista libido possedit. Itaque propter
Eccles. 47. uxores alienigenas *dedit Salomon maculam in gloria sua, & profanavit semen suum.* Hoc, est maculavit & deturpavit tantam suam gloriam indelebili nævo ignominiosæ libidinis & idololatriæ; & propterea æternum periisse multi putant, nec æternis nuptiis accubuisse, quia stola ejus nuptialis deturpata fuit fœda & indelebili macula, quam non legitur pœnitentia abluisse, nec idola nec idolia à se fabricata destruxisse, quia usque ad Josiam per
3. Reg. 23. multa sæcula permanserunt, quiea destruxit.

Feliciora habes exempla in Ecclesiasticis Historiis; eorum scilicet qui propter uxores non deseruerunt æternam cœnam sibi à Domino præparatam, ad quam illicò invitabantur, sed omne vinculum & omne impedimentum ab eis objectum forti animo disruperunt.

Exempl. propter uxores non pereuntium.

Saturus domus Hunerici Regis Wandalorum Procurator invitabatur ad cœnam æternitatis, per viam Martyrii & per confessionem fidei & veritatis. Ariani enim eum urgebant fidem deserere catholicam, aut suppliciatormentaque subire. Accurrit uxor cum liberis; advolvitur genibus mariti, & per omnia sacra obsecrat ut misereatur sui, & pendentis à lacte filiolæ aliarumque prolium; nec committatur ut quos generis nobilitas reddit claros servili conditioni subjiciantur, & ipsa turpi matrimonio copuletur Camearii servo, ad quod urgebatur; Deum haud dubiè respecturum quod invitus faciat. At ille ex Job ei respondet. *Quasi una ex insipientibus mulieribus locuta es. Si verè maritum diligeres, non conareris insidiosis blanditiis illum in secundæ mortis præcipitare exitium. Age, distrahant liberos, auferant uxorem, diripiant facultates; ego de Domini promissione securus fixumque mente tenebo. Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros propter nomen meum, non potest meus esse discipulus.* Sic uxor discedit, & ipse spoliatus omnibus, & suppliciis debilitatus mendicus relinquitur. Non potuit uxoris vel alterius rei affectus ejus constantiam labefactare.

Victor Vicensis de persecutione Vandal.

Similiter se gessit *B. Thomas Morus, Angliæ olim Cancellarius.* Ad eum jam in carcere detentum mittebatur à Rege *Henrico Octavo Aloysia uxor*, ut ejus animum tentaret, si fort è Regis tandem voluntati, & libidini consentiret. Itaque advenit illa ejulans miseram suam & totius familiæ sortem, alia ex parte asserens magnas opes & honores à Rege promitti, si ei Morus subscriberet. At ipse: *Quamdiu ô Aloysia hisce opibus fruemur?* Respondit illa: *Facilè fruemur ad viginti annos, ô dilecte mi marite.* Mox ipse indignans sic concludit: *Vnde ô stulta mercatrix; Egone pro viginti annis modicæ felicitatis, vendam annos æternæ beatitudinis? Non ita despio. Malo carcerem totâ vita, bonorum omnium confiscationem imò ipsam pati mortem, quàm hanc prodigere beatam æternitatem.* Hoc potuit dicere quod Æneas apud Virgilium,

Desine meq; tuis incendere teq; querelis;
Fata vocant.

Noluit ipse jam invitatus ad æternam cœnam dicere ficutille: *Vxorem duxi, & ideo non possum venire*; sed disruptis omnibus vinculis, paratus est uxorem, & proles, opes & honores deserere, ipsamque vitam, quam deesse vocationi divinæ. O pectus nobile! O generosum animum! Itaque cum agitur de
1. Cor. 7. Dei causa, & gloria, & de salute animæ attendendum illud Apostoli: *Tempus breve est, reliquum est ut qui habent uxores tamquam non habentes sint, & qui flent tamquam non flentes, & qui gaudent tamquam non gaudentes, & qui emunt tamquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.* Quasi dicat: Breve est tempus hujus vitæ, ideoque non immorandum sæculi voluptatibus, sed de æterna salute ad quam invitamur, seriò cogitandum. Animus & amor magis in Domino quam in uxoribus defigendus, nec propter opes aut honores acquirendos multum gaudendum est. Nec propter illa deperdita multum flendum, sed moderatè agendum, tam in adversis, quàm in prosperis, quia sibi mutuò succedanea sunt, & brevitas est cum in prosperitate, tum in adversitate. Adversa ergo æquanimiter sunt toleranda, nec prosperis cum gaudio adhærendum est, utendum hoc mundo sine adhæsione affectus quantum fert necessitas, non abutendum. Propter res mundi, honores, opes, voluptates, propter villam, boves, uxores, non est negligenda æterna salus, æterna cœna. Præterit enim figura hujus mundi tamquam cœna in somnio apparata variis deliciis, quæ evanescit dum quis expergescitur, & manet homo mo fame elusus: *Sicut somniat esuriens & Isai. 29.*
comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus: & sicut somniat sitiens & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima ejus vacua est. Ecce figura cœnæ quam præparat mundus dum honores, opes, voluptates proponit. De
Psal. 75. quo dicitur: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis: velut somnium surgentium imaginem ipsorum ad nihilum redigent.* Quare igitur propter cœnam quasi phantasticam, præstigiosam, imaginariam & in somnio transeuntem, æternitatis cœnam homines hujus sæculi perdere volunt? Propter opes & honores, voluptates que fallaces, quare se privant veris divitiis & honoribus, vera voluptate & felicitate, ad quam adeo benigne adeoque sollicite invitantur? O insipientia! O cæcitas deploranda! Cui meritò indignatur acerbè is qui cœnam illam opiparam instruxit, dum dicit: *Dico vobis, nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.*

Conclusio

AVerte, ô Domine; à nobis dementiam illam & cæcitatem. Aperi nobis aures, oculos, cor. Aures, ut audiamus vocem tuam nos vocantem & invitantem. Oculos, ut agnoscamus servos tuos ad nos missos, benevolentiam tuam nobis indicantes. Cor, ut afficiamur cœnæ quam præparasti diligen-

tibus

tibus te. Effice per gratiam mentibus nostris infusam, ut nec propter villæ emptionem & ambitionem nec propter bovitariam servitutem, nec propter malesuadam voluptatem, retardemur ab illa felicitatis cœna. Quinimò nostras compelle ad te propitius rebelles aut targigradas voluntates; ut dissolutis omnibus vinculis & compedibus tandem sequamur servos tuos nobis viam ostendentes, & simus de illis qui implent domum tuam, qui gustant cœnam tuam, qui in illa collætantur perpetuò fruentes, qui *in voce exultationis & confessionis, in sono epulantis* sunt perpetuò te collaudantes.

Lect 2. bipart.

EADEM DOMINICA.

Exi cito in plateas & vicos civitatis, &c.
Luc. 14.

Pars I. *De vocatis ex vicis & plateis.* Luc. 7. Matt. 11.

LOquens Dominus de Prophetis & Joanne, desse & de Apostolis suis, conquerebatur de Pharisæis, quod vocationem & consilium Dei spreverint: *Cantavimus vobis, & non saltastis: lamentavimus vobis, & non planxistis.* Quibus verbis vult significare, quod nec ad pœnitentiam & luctum verbis & exemplo lugentium Prophetarum (maximè Joannis) inducti fuerint; nec ad gaudium invitati, sive per antiquos Prophetas, sive per ipsum & Apostolos suos audire voluerint vocem eorum, impigræ mentis religiosa agilitate exultando. An non cantaverunt Prophetæ spiritualibus modulis publicæ salutis oracula resonantes? Cantavit Moyses, quando mare rubrum transitum dedit Israëlitis, unda divisa instar duplicis muri eos circumstante, Exod. 15. Deut. 34. sed mox in Ægyptios transeuntes sese refundente & eos demergente. Flevit, & lamentum dedit idem Moyses super cæcitate & ejusdem sui populi, contestans cœlum & terram contra eos tamquam generationem exasperantem, in cantico suo lugubri & pleno acerbæ reprehensionis; quod paulò edidit ante mortem. Cantavit Isaias dilectæ vineæ Domini canticum, quam plantaverat Dominus in loco uberi fœcundo, quamq; imbre fœcundaverat cœlesti, muro circumdederat, torcular ornaverat & Isai. 5. munita turri. Sed etiam lamentum edidit, quod exspectata ut faceret uvas, non faceret nisi labruscas; quodque ideo diruenda esset macheria ejus, & deserenda ut in spinas & vepres exeresceret, mandando nubibus cœli ne ultra darent imbrem super eam. Hoc lamentatur ob suæ Prophetiæ, & multoties væ ibidem ingeminat super variis peccatis populi sui, qui magis optasset canere canticum suave vineæ Domini, si vinum suave cultori suo dare voluisset. Cantavit & Abacuc lamentans super iniquitate & injustitia tunc regnante, super legis conculcatione, super hoc quod impius devoret justiorem se, ira ut sint homines tanquam pisces maris, ubi major devorat minorem. Sed & postea jucundiori cantico publicam doctus mulcere tristitiam, Abac. 1. & 2.

prophetavit dulcem Domini futuram fidelibus incarnationem & redemptionem. Lamentationes edidit Hieremias, dura populi ingrati corda mulcere volens. Cecinerunt pueri in Babylone in medio ignis, ad laudem Dei advocantes omnem creaturam, ut & homines ad eandem laudem excitarent. Denique Ezechieli Prophetæ cœlitus liber demittitur. Quid verò in eo scriptum erat, nisi *lamentationes, & carmen, & væ.* Quia modò suavibus monitis quasi carmine dulcisono, modò lamentis, flebilique voce, modò minis acerbioribus populum debeat ad meliora impellere; ideo hæc tria inscripta erant libro quem jubetur devorare, lamentationes, & carmen, væ. Sed quia Prophetæ his omnibus adhibitis parum profecerunt, ideo potuerunt dicere: *Cecinimus vobis & non saltastis, lamentavimus & non ploraſtis.* Non profecistis in bonis operibus exultantes in Domino: Nec adducti estis ad compunctionem & pœnitentiæ lamenta. Ideo dicitur: *Vocavit Dominus Deus exercituum in illa die, ad fletum & ad planctum, & ad calvitium, & ad cingulum sacci: & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, bibere vinum.* Sic nimirum prædicatio Prophetarum facta est *velut æs sonans, aut cimbalum tinniens*, aërem solum verberans.

Dan. 3. Ezech. 2. Isai. 22. 1. Cor. 13.

Similiter, venit Joannes *non manducans, neque bibens*, id est, nihil delectabile sumens in cibum & potum, non manducans panem, nec bibens vinum, nec utens cibo usuali Pharisæorum, sicque ad pœnitentiam inducebat & luctum; mortem, judicium, ignem proponens æternum. Sed parum profecit, nec est emollita duritia Judæorum ad plorandum, sed aucta potius malitia ad detrahendum. Dicunt enim; *Dæmonium habet.* Quia scilicet solitariam vitam agebat, & ab ordinariis cibis abstinebat. Nam quidam dæmoniaco spiritu afflati solitudines quærebant, ut patet de illis qui egressi è sepulchris venerunt ad Christum. Sunt etiam quædam dæmonum genera quæ corpus ab esurie vendicant. Poterat ergo Joannes dicere; *Lamentavimus vobis, & non ploraſtis.* At Christus venit ad eos, liberè cum eis conversans, utens communi eorum cibo & veste, assidens in conviviis, ut divini verbi suavi sono eos demulcet, ad fidemque & gratiam invitet. Insinuat se in eorum familiaritatem, & prandio accumbens cum eis disserit de pane comedendo in Regno Dei, & innuit à se paratam cœnam magnam beatitudinis æternæ, ad quam invitat omnes. Sed vocem & benevolentiam invitantis aspernati sunt, & unus quidem excusat se propter villam, alius propter boves, tertius propter uxorem. Ideo dicere potest: *Cecinimus vobis & non saltastis.* Omnia media tentata sunt, sive per comminationem asperam indicendo, sive per benignitatem læta omnia promittendo, sed nihil profuit. Quid igitur facto opus, ô Pharisæi, Scribæ, & Legisperiti, quando quidem sapientia divina nihil eorum prætermisit, quæ ad procurandam salutem vestram spectabant,

Matth. 8. Luc. 8.

quandoquidem ab illa præparatam cœnam negligitis & contemnitis? Invitandi certè sunt alii qui locum vestrum teneant. Ideo ergo dicitur servo cui commissa est invitandi cura: *Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos ac claudos introduc huc.* Sed videamus qui sint isti.

1. *Ex vicis & plateis vocati, sunt gentes Apoc. 13.*

Primò: Significatur hic vocatio Gentium, dum Judæi noluerunt venire prius vocati. Unde dicunt Paulus & Barnabas: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus.* In plateas ergo & vicos civitatis, hoc est per omnes orbis regiones & provincias mittuntur servi Patrisfamilias, Evangelicæ scilicet doctrinæ promulgatores, ut homines cujuscumque conditionis vocent ad cœlestem cœnam. Gentiles isti ad quos exeunt, vere pauperes erant & egeni, nullas virtutis aut charitatis opes, nullas adhuc legis vel gratiæ divitias habentes; ad eos autem defertur per servos Patrisfamilias aurum illud de quo in Apocal. *Suadeo tibi emere aureum ignitum, ut locuples fias.* Aurum istud eis erogatur, ut relicto vili centone, sordida & lacera veste, vestem sibi splendidam ad hoc convivium possint præparare. Erant & ipsi debiles, quia erant viribus spiritualibus destituti, quibus obsistere possent vitiis: in languore & quadam velut umbra mortis jacebant, sed vires eis suppeditantur, ut possint venire ad cœnam hanc cor infirmantem contra omnem languorem & debilitatem. Erant & cæci, quia lucem veritatis haud poterant adspicere, sed eis oculi aperiuntur ut possint viam agnoscere. Erant denique & claudi, quia per iter divinorum præceptorum nesciebant incedere; sed adjuvantur & reformantur eorum gressus, ut huc possint pertingere, & gradu quidem festino, quia cito eos vult venire, qui servum cito ad eos vult exire.

Gentiles erant pauperes.

Apoc. 3.

Debiles.

Cæci.

Claudi.

Benignitas ergo Dei providentiaque ejus hic mire elucet. Benignitas quidem quia neminem despicit, nemini gratiam denegat, nemini januam misericordiæ claudit. Non contemnit Æthyopem, non Indum, non Barbarum. Omnibus viscera pietatis aperit, omnes quoad in se est in sua præcordia introducit; quia pro omnibus venit, pro omnibus sanguinem fudit, pro omnibus brachia extendit, pro omnibus latus aperit, pro omnibus cœnam æternæ felicitatis præparavit. Iterum benignitas in hoc se manifestat, quod cum offensus foret (ob ingratitudinem illorum qui primi vocati renuerant venire, & primitias gratiæ ejus non veriti sunt repudiare) non statim domus suæ seras obserat, & quibuscumque fores occlusas tenet. Sic enim solent homines, mox ubi ingratitudinem eorum quibus benefecerunt, experiuntur, nolle ultra aliis beneficas manus extendere, omnemq; favoris januam occludere etiam exquirentibus & pulsantibus? E contra Deus quorundam ingratitudine & perfidia offensus, alios requirit quibus gratiam clargiatur, quibus fluenta dividat fontis sui inexhausti, quibus portionem impertiatur opulentissimæ suæ cœnæ. Neque solum benignitas, sed & providentia ejus promicat, dum quibusdam deficientibus à gratia & gloria præparata, alios statim surrogat qui locum eorum suppleant. Hic est enim ordinarius providentiæ ejus modus; quia non potest falli ejus dispositio, nec numerus electorum à se prædefinitus potest quaqua via fieri imminutus hominum vitio vel pravitate.

Summa Dei vocationis benignitas.

Dei vocantis prudentia.

Sic loco Angelorum cadentium & ab æternis illis nuptiis excisorum homines substituuntur. Ejus sapientia & providentia hac ratione voluit implere ruinas cœlestis Jerusalem.

Electorum numerus non potest imminui.

Sic loco Judæorum Gentes eliguntur, ingrediunturque in cœnam & regnum. Nam Christus ait. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum.* *Matt 21.*

Sic auferens ab *Heli* Sacerdotium providit sibi de *Samuele*; & regnum auferens à *Saule* providit de *Davide*.

Sic auferens Apostolatum à *Juda* providit de *Matthia*, non solum pro ministerio, sed etiam pro corona.

Sic deficiente uno è quadraginta militibus præ frigore, mox subrogavit ipsum Janitorem & Martyrum custodem, Martyrium cum eis subeuntem intrepida confessio.

Sic deficiente *Sapricio* substituit illico *Nicephorum*, qui se loco illius obtulit generose ad mortem pro fide.

Sic *Tertulliano Cyprianum*, *Origeni Cyrillum*, *Ruffino Hieronymum*, *Pelagio Augustinum* suffecit: ita ut merito Episcopum Philadelphiæ, & in illo omnes non moneat Dominus: *Ecce venio cito, tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam* Hoc est, interprete Ruperto: *Tu in humilitate firmo pede consiste, ne moto pede corruas, corruendo coronam præparatam tibi amittas, & alius tibi succedens eam accipiat.* *Apoc. 3.*

Ideo S. Franciscus anxius initio Ordinis (quod pauci adhuc forent & nonnulli deficerent) audivit à Domino. *Quid turbaris Francisce, quid angeris, cum quispiam tuorum vel ordinem deserit, vel scandalum fuscitat? An forte existimas te illius ita rectorem, ut non intelligas me esse superiorem? Quis eum plantavit? quis ad pœnitentiam prater me vocat, & vocatis perseverantiam suppeditat? Ego eos perduxi, ego eos servabo. Ego illis cadentibus alios erigam. Si unus ad vomitum redeat, ego in ejus locum alterum excitabo qui illius coronam accipiat; si nondum natus fuerit, ego Iob. 34. efficiam ut nascatur.* Ita refert S. Bonaventura. Sic ergo verum est quod Job pronuntiat, idque ad nostrum propositum interpretatur S. Greg 25. mor. c. 10. & 11. *Conteret multos, & stare faciet pro eis innumerabiles; novit enim opera eorum*, & ideo induxit nocem & conterentur.

Hoc

Hoc visum etiam fuit nostro sæculo, quia eodem tempore quo fides exultare cæpit per hæreses introductas in varias Europæ regiones, illam Deus transtulit in novum orbem ad Japones, Indos. Sinas; voluitque cum gaudio ab illis incolis barbaris excipi hospitio. Ablatum est Regnum Dei à nobis, & datum genti facienti fructum. Ablata sunt spiritualia dona (fides, & vera Dei cognitio, per quæ regnat in animabus Deus) à populis tepidis & ob peccata sua indignis, & alteri genti data sunt; quia uberior fructus apud illam exsurgere debebat ex his Dei donis. Et quia Christiani quidam ad cœnam æternam vocati se ingratos & indignos exhibuerunt, missi sunt servi qui claudos illos & cœcos, pauperes & debiles ad illam cœnam vocarent, & introducerent abstersa cæcitate, sublata paupertate. O Dei benignitatem! ô providentiam admirandam?

2. In locum divitum vocati pauperes &c.

Secundò, non est alienum à proposito Evangelii, per pauperes & debiles, cœcos & claudos secundo loco vocatos, intelligere corporaliter pauperes & variis calamitatibus affectos. Postquam enim excusarunt se honorati, & divites, ac voluptuarii (adhærentes affectu villæ, hoc est honoribus acquisitis; bobus, hoc est opibus congerendis; uxori, hoc est voluptati lenocinanti) rectè in eorum locum vocantur pauperes & calamitosi, quibus non est occasio affectum in rebus hujus sæculi affigendi, cum illis careant, & sint denudati & afflicti. Huc facit illud, *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, hæredes regni?* Quare pauperes & miseros elegit? Quia hoc requirere videbatur apta bonorum distributio, ut qui carent terrenis, abundent cælestibus bonis, & vice versa qui abundant terrenis, careant cælestibus. *Difficile, immo impossibile est, ut præsentibus quis & futuris fruatur bonis, ut hic ventrem & sibi mentem expleat, ut de delitiis transeat ad delitias, ut in utroque sæculo primus sit, ut in cælo & terra appareat gloriosus.* Deinde divitiæ sunt vomites & illecebræ superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, aliorumque vitiorum quæ retardant & excludunt à cœna & regno, ut jam dictum est. Paupertas vero suggerit materiam humilitatis, contemptus sæculi, castitatis & aliarum virtutum, quæ sternunt iter ad cœnam & gloriam. Divitum corda quæ plena sunt divitiis & vitiis, non ita sunt capacia fidei, gratiæ, gloriæ. Pauperum corda quia vacua sunt, horum sunt capacia; & quia eorum corda non sunt in ære, facilè fit ut sint in æthere. Denique, ut tanto magis Deus extimularet pauperes ad gratitudinem, humiliatem, amorem; divitias eis suæ bonitatis, misericordiæ, magnificentiæ voluit ostendere & impertiri, eos eligendo, vocando, justificando, & glorificando. Itaque Christus Dominus hic videtur significare se quidem primum vocasse ad suam cœnam, ad gratiam & gloriam, honoratissimos quosque, & ditissimos, populique Primarios, Pontifices, Sacerdotes, Levitas, Scribas, Phari-

Luc. 21.

Divitiarum & paupertatis fructus.

sæos. Seniores Judæorum; at illi se excusarunt, neglexerunt, contempserunt, ambitionis, avaritiæ, voluptatis gratia. Vult ergò pauperes in vicis & plateis agentes venire, & neglectam ab aliis gratiam suscipere; ideo pauperes evangelizantur ab eo, cæci illuminantur, claudi sanantur, leprosi mundantur, ægri sanitati restituuntur, & ab eo percipiunt notitiam Regni Dei, Primoribus exclusis.

NEque verò solum contentus est Dominus invicos & plateas mittere, ut pauperes & debiles adducantur; sed cum nunciasset servus adhuc locum esse, dicit ei: *Exi citò in vias & sepes, & compelle intrare ut impleatur domus mea.* Quidnam autem ulterius velit dum in sepes & vias mittit, non una est interpretum explicatio.

PARS II. *De vocatis ex viis & sepibus & intrare compulsis.*

Primò dicere possumus cum *S. Augustino*, tres hic indicari vocationes. *Prima* est Judæorum, qui vocati venire renuerunt. *Secunda* Ethnicorum, qui ad cœnam venerunt non compulsi. *Tertia* autem est hæreticorum, qui ut veniant compelluntur, & propter hos servo dicitur; *Exi in vias & sepes & compelle intrare.* Postquam vocati fuêre Judæi, & postmodum Ethnici, multi ex vocatis abierunt in diversas hæreses quasi in vias erroneas, & in schismata varia, quasi in sepes spinosas quæ divisiones. Audi S. Augustin. serm. 39. de verbis Domini. *Venerunt de vicis & plateis gentes, veniant de sepibus hæretici. Nam qui construunt sepes, divisiones quærunt. Cogantur intrare: Foris inveniatur necessitas, nascitur intus voluntas.* Et iterum epist. 50. ad Bonifacium Comitem. *Dominus ad magnam cœnam prius adduci iubet convivas, postea cogi. Si potestate quam per religionem & fidem accepit Ecclesia divino munere, illi qui inveniuntur in viis & sepibus (id est in hæresibus & schismatibus) coguntur intrare, non quia coguntur reprehendant, sed quo cogantur attendant.* Qui putat invitos ad veritatem non esse cogendos errat, nescit scripturas, nec virtutem Dei, qui eos facit violentes dum coguntur inviti, inquit. Nempe Ecclesia ratione characteris baptismi jus in illos habet, ideoque potest eos cogere ad fidem retinendam suppliciis & pœnis; immò & flammis. De qua re latius S. *Thomas* & Theologi qui etiam docent baptizari posse filios hæreticorum invitis parentibus, quamvis filii infidelium ex utroque parente iis invitis non debeant baptizari, nec directè hi ad fidem cogi. Ita passim sectatores *S. Thomæ Aquinatis.*

1. Vocatorum signification.

2. 2. q. 10. art. 8.

Secundo, per id quod servus mittitur in vias & sepes, significari rectè dixerimus, vocandos esse ad hoc convivium non solum Ethnicos qui Judæis vicini erant, sed etiam remotos quoslibet. Ita ut hic dicatur servo, quod non satis sit vicina loca civitati peragrasse ad vocandos pauperes; sed etiam quod remotiora debeat loca petere extra vicos & plateas, & exire in vias, in itinera quovis

2. significatio.

ducen-

ducentia, in longè latèque patentes regiones; in sepes, sive in loca sepibus cincta, in pagos & domus rusticas, ad nationes barbaras à limitibus Judæorum mari etiam totoque orbe divisas. Indicatur itaque quod non solum Samariam habitantibus, aut Damascum, aut Antiochia (quæ loca propinqua sunt Judæis) Evangelium foret prædicandum; sed etiam in Africam, Æthiopiam, Schytiam, Indiam; in populos ignotos & distantissimos progrediendum esse. Hoc mandatum impleverunt Apostoli, & præsertim S. Thomas, (in cujus die sacro hæc scribo) qui Parthis, Medis, Persis, Hircanis, & Bactris Christianæ fidei & vitæ præcepta tradidit. Postremo ad Indos se contulit, & eos in Christiana Religione erudivit, atque ad beatitudinis cœnam invitavit. Ita verò verbis, & exemplis vitæ sanctissimæ, miraculorumque magnitudine apud eos prævaluit, ut quodammodo hac ratione eos compulisse censeatur: ad fidem, gratiam, amorem Christi amplectendum. Hoc etiam mandatum implevit S. Xaverius, & alii viri Apostolici, qui ad orbem novum progressi sunt, ad populos in spinis & sepibus hærentes & dilaceratos, de quibus rectè

Isaiæ 18. intellexeris illud Isaiæ: *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam & dilaceratam, ad gentem exspectantem & conculcatam.* Quasi diceret dominus: O Legati mei, ministri mei, servi mei, exite ad sepes & vias, exite cito in ignotum orbem: ibi invenietis gentem dilaceram à sepibus & vepribus, à peccatis & dæmoniis convulsam; hanc vocate, hanc adducite, & si necesse est, eam compellite, ut domus mea tandem impleatur.

3. Significatio. *Tertio* dicamus, per eos qui vocantur & compelluntur intrare, intelligi posse illos qui calamitatibus, & quibusdam quasi Dei flagellis impulsi ad Deum se convertunt, & ad mensam æternæ beatitudinis pertingunt. Nam morbi, fames, pestis, aliæque calamitates (quibus exterius interiusque admonet, increpat, urget Deus) oculos non infrequenter aperiunt, ut rerum hujus sæculi miseriam & vanitatem perfectius considerent. Hac ratione fit ut homo ad cor reversus, ad Deum quoque revertatur despectis terrenis, sicque vitia deserat, & spinas conscientiæ pravæ, quæ faciebant sepem & divisionem inter ipsum & Deum. Hoc est quod dicit S. Gregorius 4 Mor. cap. 8. *Eos quos voluntas prava pervertit, plerumque adversitas corrigit.* Patuit id in filio prodigo, qui compellitur reverti ad epulum & domum paternam ob famem, ob quam prius in se reversus fuerat. Sic oculos pœna aperit, quos culpa clausit. Et hic quoque verum est illud Augustini serm. de verb. Dom. *Foris inveniatur necessitas, intus nascitur voluntas.* Ex necessitate foris patiendi, intus nascitur voluntas peccatum deserendi. Felix necessitas, quæ ad meliora compellit. Propterea

4. Genera regnum cœlorum possidentium. dixit S. Bernardus in Sententiis suis cap. 4. *Quatuor sunt genera regnum Cælorum possidentium. Aliqui violenter rapiunt, alii mercantur, alii furantur, alii ad illud compelluntur. Illi rapiunt qui reliquerunt omnia, & sequuntur Christum per voluntariam paupertatem; pœnitentiam, austeritatem, de quibus verum est;* Regnum cælorum vim patitur. *Alii mercantur, qui in præsenti pauperibus temporalia largiuntur, ut in futuro percipiant æterna. Alii furantur, qui bona in occulto faciunt, quibus illud regnum merentur. Furari verò illud dicuntur, qui laudem humanam vitantes occultè rapiunt Regnum cœlorum. Alii compelluntur, scilicet pauperes necessarii, quos nunc ignis paupertatis Deo dispensante purgat, ne in futuro ignis judicii puniat. De quibus scriptum est;* Compelle intrare ut impleatur domus mea. *Compelluntur multi variis necessitatibus & oppressionibus afflicti, qui mira Dei providentia dum temporalem pœnam, si non libenter, tamen patienter sustinent, vitam consequuntur æternam.* *Matth. 11.*

Postremò dicendum nobis, cur adeò sollicitè Paterfamilias se gerit hac in re; ita ut cum ei nunciaret servus adhuc locum esse, velit non solum vocari, sed etiam compelli aliquos, ut impleatur domus sua? Hoc nimirum significat providentiam quam habet Deus, ut prædestinatorum numerus impleatur, sicque nullus locus vacuus relinquatur ex illis quæ ipse in cælesti illa cœna præparavit. Nam cum dicat Christus. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt, vado parare vobis locum,* fiet ut ex illis mansionibus nulla sit vacua habitatore. Implevit illas multitudo penè innumera Angelorum, implebit & multitudo magna hominum, ex omnibus gentibus, & populis, & linguis, qui succedent in locum Angelorum qui ceciderunt. Et si draco traxit in terram cauda sua tertiam partem stellarum, è terra reducet Deus similem numerum stellarum in cælesti solio restituendarum, quæ fulgeant in perpetuas æternitates. Hinc Abrahæ dicit Deus: *Multiplicabo semen tuum, ut stellas cœli* quod de prædestinatis intelligit S. Hilarius. Hæ sunt stellæ de quibus. *Stellæ vocatæ dixerunt, adsumus, & cum jucunditate luxerunt illi qui fecit illas.* Vocat ergo eas de die in diem, ut postquam per gratiæ lucem luxerint in hoc sæculo, tandem per lumen gloriæ luceant in cælo. Ipse scit multitudinem stellarum harum, & omnibus eis nomina vocat. Ipse novit numerum prædestinatorum & convivarum suorum, & tamdiu mittet servos, quamdiu eorum numerus sit completus, mittet inquam, ut vocent eos, quia *quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit, & quos justificavit, hos & glorificavit.* Exploro autem numero, non ultra erit opus servorum missione, mundique finis aderit, & generatio ulterior hominum cessabit; quæ non est nisi ad hoc hactenus perseverans, ut numerus iste adimpleatur. Tunc ergo adimpleta erit domus Dei. Olim in templo Hierosolymitano mirabilia gesta fuere; inter cætera narrant Hebræi, templum istud (quod domus Dei in sacris litteris nominatur) numquam ita hominibus impletum fuisse, quin locus superesset, licet in tribus solemnitatibus Paschæ, Pentecostes, Scenopegiæ sive Tabernaculorum,

De sollicitud. patris fam. ut domus impleatur.

Joan. 14.

Gen. 22.

Baruc. 3.

Rom. 8.

rum, undique concurrerent Judæi ex tota Palæstina propter obligationem legis: imo & ex omni natione quæ sub cœlo est, ut factum est in die Pentecostes Parthi, Medi, Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Cappadociam, Pontum, & Asiam, Act. 2. Phrygiam, & Pamphiliam, Ægyptum & partes Lybiæ, & advenæ Romani, Cretes, & Arabes. In Jerusalem enim quasi matrice & metropoli Synagogæ, erant collegia & hospitia omnium gentium: & Judæi qui per gentes toto orbe erant dispersi ob persecutiones, præsertim Antiochi Epiphanis, & Proselyti qui oriundi ex Gentibus Judaismum erant amplexi, confluebant in Jerusalem, & in templum ejus religionis gratia. Hoc ergo miraculo ascribunt, quod numquam templum istud impletum ita fuerit, ut propter loci angustias aliquis excludi debuerit, Figura, hic erat, tum Ecclesiæ, tum Domus Dei æternæ. Ad Ecclesiam concurritur ex omni populo & lingua, ex omni quæ sub cœlo est Apoc. 21. natione, nec ullus excluditur. Ad domum quoque Dei æternam concursus fit ab Oriente & Occidente, à Meridie & Septemtrione per portas tres in no- Baruch. 3. mine Trinitatis, & adhuc locus est, *O quam magna est domus Dei & ingens locus possessione ejus*: Tandem autem janua claudetur, censebiturque domus illa impleta, quando impletus erit numerus convivarum, de quibus Dominus: *Multi venient ab Oriente &* Matth. 8. *Occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac & Iacob in regno Cœlorum: Filii autem regni ejiciuntur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium*; quia scilicet vocati noluerunt venire.

Deus numerum salvandorum cito compleri optat.

Optat porro Deus, optant etiam ipsi Beati hunc numerum quantocyus impleri; ideo dicit Patersfamilias; *Exi citò* in plateas. Vult festinare servum qui mittitur, ut etiam festinent qui vocantur. Non solum molesti sunt invitanti qui tergiversantur, vel se excusant, sed etiam aliis invitatis qui jam venerunt: Sicut enim in cœna hujus sæculi à Patrefamilias multis præparata, molestum est his qui primo advenerint, si cogantur diu expectare alios morose venientes; & molestius quidem, si instante jam hora cœna oporteat aliquibus se excusantibus huc illuc mittere, quia non vult Paterfamilias accumbere, nisi mensa sit plena accumbentibus: ita quadam ratione in cœna Dei censetur Sanctis importunum, quod invitati se excusent, quodque numerus invitatorum quantocyus non adimpleatur, quia differtur per id gloria corporis eis debita; sicque non est consummata & plenissima refectio, donec advenerit ultimus electorum. Attende responsum da- Apoc. 6. tum animabus Martyrum conquerentibus: *Usquequo Domine non judicas & non vindicas sanguinem nostrum?* Respondetur enim eis, *ut requiescant adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum.* Animæ illæ non tam ex zelo vindictæ queruntur, quam ex zelo justitiæ, quod sanguis injustè effusus, & corpora injustè occisa non restituantur eis, sed adhuc in morte detineantur; & respondetur eis, quod numerus conservorum ipsorum prius debeat compleri, antequam corpore glorioso vestiantur; sic plenam beatitudinem corporis & animæ non sunt habituri, nisi compleatur numerus electorum. Merito ergo Deus quasi ea de re sollicitus mittit servum, qui cum festinatione advocet eos qui hunc numerum impleant; & si qui videantur oscitantes & tardigradi, jubet ut eos compellat, hoc est urgeat, trahat, obsecret oportune, importune; & omnem in hoc impendat operam & diligentiam, voce & exemplo, ut veniant, ita ut videatur quodammodo cogere; & id quidem ne nimium alii retardentur, expectantes fratres suos ut accumbant convivio plenissimo. Unde locum citatum ex Apocal. sic explicat, & huc applicat S. Augustinus sermone 11. de Sanctis, ubi sic ait; *Tali modo loquitur Deus Sanctis, velut quilibet Paterfamilias habens multos filios, singulique de agro revertentibus, & rogantibus ut cibum sibi tribuat, respondet: Refectio quidem vestra parata est, sed expectate fratres vestros, ut cum in unum positi fueritis, omnes in commune comedatis.* Hæc Aug.

Itaque festinemus & nos quandoquidem festinare jubet Dominus servos suos nos vocantes; festinemus, inquam, ad illam vocati cœnam, nec vanas quæramus excusationes. Relinquamus vias erroneas, lutosas, lubricas, tritas à plebe pereunte; abstrahamur à sepibus, à vitiis & peccatis spinosis, sequamurque Domini vocationem, & servorum ejus institutionem, quæ nobis viam securam præmonstrat. Non inveniamur increduli, non rebelles, non exasperantes, non ingrati illi qui dignatur nos vocare, & servos suos ad nos mittere. Nec molesti & importuni inveniamur fratribus nos expectantibus, quorum differtur gloria, dum tardamus, dum non pie vivimus, dum gratiæ vocanti non respondemus; si enim vocem & manum ducentis sequeremur, mox conservorum numerus impleretur; & sequendo fratrum nostrorum vestigia, ejusdem cœnæ & gloriæ particeps efficeremur. Dicam ergo cum Apostolo. *Festinemus* Hebr. 4. *ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum; & non simus de illis quibus non prosuit sermo auditus, non admixtus fidei ex iis quæ audierunt.* Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Ad suam vocem aures nobis aperiat & corda, qui est benedictus in sæcula.

Conclusio.

DOM. III. POST PENTECOSTEN.

LECT. 3. tripart. PARS I.

Hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Luc. 15.

Recte peccatores ad Christum appropinquasse.

CHristus Dominus ingrediens Synagogam reperit librum Isaiæ Prophetæ: quem & ubi revolvit, invenit locum ubi scriptum erat: *Spiritus Domini super me propter quod unxit me; Evangelizare pauperibus misit me sanare contritos corde prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimit-* Luc. 4. Isa. 61.

s, confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium oculi erant intendentes in eum. Cepit autem dicere ad illos: *Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* Equidem Spiritus suavitatis & benignitatis unxerat Jesum quapropter repletus unctione suaveolente, facile ad se attrahebat peccatores & publicanos, ut mederetur eis, ut sanaret contritionem cordis eorum, ut vincula eorum dissolveret, ut annuntiaret ipsis nuntium acceptabile remissionis peccatorum, ut spiritus & unctionis suæ faceret eos cum lætitia consortes. Propterea in hoc Evangelio dicitur: *Erant appropinquantes ad Jesum publicani & peccatores*; & ipse officium nominis sui, munus missionis suæ absque dubio erga nos exercebat. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*, inquit Apostolus. Hoc ita fuit ejus officium, hæcque missionis causa, ut dicant plerique Theologi, quod Christus non venisset, nisi peccatum fuisset. Saltem, consentientibus omnibus Theologis, Filius Dei in carne mortali & passibili tot miseriis obnoxius nullatenus advenisset, nisi Adam peccasset, & in eo ejus posteri involuti fuissent peccato. Omnia enim quæ in carne passus est, ad peccatorum nostrorum ordinata fuere medelam: *Tolle morbos & vulnera, nulla erit medicina causa*, inquit S. August. serm. 9. de verbis Domini, non descendisset Pastor relinquens nonaginta novem oves in deserto, nisi centesima aberrasset, quæquærenda erat, sananda, reducenda. Accedite igitur ægri ad Medicum, accedite oves ad Pastorem, appropinquate publicani & peccatores ad Jesum. Immò potius accedat ad vos benignus Medicus, accedat Pastor pius, accedat ad vos Salvator Jesus nec enim potestis ad eum appropinquare, nisi ipse prius sua ad vos accedat pietate & gratia.

Benignitas Iesu, peccatores addu-xit.

1. Tim. 1.

S. Th. 3. p. q. 1. a. 3.

Christus peccatores prævenit.

Non potest peccator ex se venire ad Dominum, oportet præveniat Dominus, quærat, vocet, illiciat, attrahat. Unde si appropinquantes erant publicani & peccatores, ipse prius appropinquabat & trahebat eos. Dum ferrum videtur currere post magnetem, non est vis in ferro ad appropinquandum, & sese magneti conjungendum: sed in magnete est vis ad trahendum, & efficacia talis ut huic attractui obediat ferrum. Magnes est mysticus Christus Dominus. Si peccatores duri ferreaque corda ad eum accedunt, certe ipse est qui trahit occulta virtute sua, ipse est qui animum & vires suppeditat ad veniendum. Hoc tibi persuade factum in his peccatoribus & publicanis, quia non tam gressu corporis quam gressu cordis eum sequebantur Evangelizantem, ejus cordi appropinquabant per conversionem, ejus vestigiis inhærebant per humilitatem, ejus monitis obtemperabant per obedientiam & pietatem. *Erant* enim *appropinquantes ut audirent illum*, inquit textus Evangelicus. Non erant appropinquantes ut caperent eum in sermone, ut Verbum in verbo reprehenderent, ut insidias ei struerent, sicut soliti erant Pharisæi; sed ut verba vitæ ejus ex ore perciperent. Viderant & audierant quanta cum mansuetudine quoslibet ad se accedentes susceperet, alliceret, instrueret; quanta cum efficacia spiritus sermo divinus ab illo prodiret: adeo in ejus se gratiam & familiaritatem insinuare conantur, poterantque dicere sicut Apostoli, *Domine verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?* Meritò igitur appropinquabant ut audirent illum: & qui per peccatum longè à Deo recesserant, per Christum rursus Deo prope fiebant. Peccatum infinitam distantiam quodammodo inter Deum & peccatorem constituit, per Christi gratiam distantia illa tollitur, & Deo appropinquatur, dicente Apostolo: *Eratis aliquando longè, nunc autem in Christo Iesu facti estis propè, in Sanguine Christi.*

Intentio appropinquantium.

Dignum verò notatu est, quòd Publicani ad Christum converterentur, eique appropinquent; Pharisæi vero tanto magis avertuntur ab eo, & retrorsum abeunt. An non & hi peccatores sunt sicut & illi? Cur ergo fastidiunt Medicum? Cur deteriores fiunt ad ejus verbum? Hæc nempe differentia erat, quod Pharisæi erant occulti peccatores, alii vero erant publici. Pharisæi exterius apparebant justi, interius invidia, superbia, ambitione erant pleni. Hoc autem ferè contingit, quod illi qui exterius patent ut probi & pii, & nihilominus interius sunt depravati & impii, tardiores sint ad conversionem, quam qui palam improbi habentur. Unde S. *Augustinus tract. de conflictu vitiorum* asserit, peccatum publicum licet sit gravius secreto, facilius tamen quandoque curari quam secretum. Quia secretum & occultum peccatum nemo reprehendit, publicum vero reprehendunt, tum superiores, tum alii, quibus cura incumbit: immò & omnes quadam publica voce illud arguunt; sic fit ut qui publicè peccarunt, tandem tot impulsi reprehensionibus, & à propria conscientia redarguti ad cor redeant & resipiscant, finemque felicem consequuntur. Cernere id licet in Samaritana, quæ ibi vidit peccata sua Christo esse nota, ad illorum pœnitentiam est conversa. Item in Rege Davide: ipse enim quamdiu ejus fuit secretum peccatum pœnitentiam non egit, immò illud celare cupiens homicidium adulterio junxit, occidens Uriam gladio filiorum Ammon. At postquam vidit suum detegi peccatum, & à Nathan cognitum, illo se verè arguente ejus culpam, peramata ductus est pœnitentia. Hæc est ratio, cur crebrò Deus permittat quædam publicari peccata, ut scilicet hac ratione confusi qui ea patrarunt, convertantur. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum.* O quam multi putantes latere in fæcibus suis nihil minus quam de resipiscentia cogitabant; illico autem prodente se peccato, illud detestati sunt & deseruerunt! Hoc permittit justa Dei providentia, quia mavult ut cum

Cur peccatores converfi, Pharisæi averfi.

2. Reg. 12.

Pſal. 82.

ut cum famæ dispendio hi salventur, quàm cum opinione pietatis æternis flammis mancipentur. Unde possunt dicere; *Justus es Domine & rectum judicium tuum. Vivet anima mea & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me.* Et iterum: *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Priusquam humiliarer ego deliqui.* Humiliatio & confusio per manifestationem latentis delicti exorta, calcar est ad salubrem pœnitentiam; ita ut sicut equus generosus qui impegit mox sentiens calcaria alacriter resurgit, & ferventius pergit, sic etiam nonnullis contingit.

Psal. 118.

PARS II. *De injusta Pharisæorum querela.*

PHarisæi igitur pessimi CHRISTI gesta interpretantes, ipsius erga peccatores beneficium vertunt in veneficium; hoc facit invidia quæ de melle sugit venenum. Murmurabant dicentes, *quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Impium sanè murmur, & venenatum; idem enim est ac si murmurarent contra Solem, quod veneficos suos radios diffundat; aut contra fontem, quod rivulos dispergat & pateat *in ablutionem peccatoris & menstruata*: aut contra medicum, quod cum ægris conversetur ut eos sanet, aut contra Pastorem, quod ovem perditam requirat: aut contra Deum, quod benignus sit & misericors, suæque bonitatis aut misericordiæ nos participes efficiat. O ergo impium murmur de corde venenato procedens, non solùm in homines, sed etiam in Deum se refundens! Erratis planè, ô Scribæ & Pharisæi, dum murmuratis, *quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*; hoc enim non in ejus vituperium, sed in ejus cedit encomium.

Matth. 13.

Nempe hic est titulus honorificus Jesu Christi: HIC PECCATORES RECIPIT. Hic est Titulus quo semper gloriatur, & quem vult sibi omni in loco, inscribi & affigi, tamquam Elogium quo maxime delectatur. Vernaculè diceremus: *C'est sa devise.* Sive enim consideretur matris gestatus in utero, sive jacens in præsepio, sive docens in templo, sive agens in deserto, sive stans in loco publico, sive conversans in privata domo, sive accumbens in cœnvivio, sive sedens in agro, sive prostratus in horto, sive pendens in patibulo, sive jacens in sepulchro, sive existens in cœlo sive absconditus in Sacramento, de illo ubicumque verum est; *Hic peccatores recipit.*

Luc. 1.

1. Cur de solio cœlesti in hunc mundum descendit, nisi ut effectu adimpleat hoc Elogium suum; *Hic peccatores recipit?* Cur in utero Matris conceptus mox adit Joannem adhuc infantem in peccato originali existentem; Quia; *Hic peccatores recipit*

Luc. 2.

2. Cur in præsepio fasciis colligatus jacet? Sic peccatorum nostrorum vincula dissolvit, & pec-

Matth. 2.

catores recipit. Nonne a Judæa Pastores, ab Oriente Reges idolatras in cunis & fascis existens recipit?

3. Cur enim Anna & Simeon eum in templo adorant? Quia; *Hic peccatores recipit.* Ideo enim loquebantur de eo omnibus qui expectabant redemptionem Israël. *Luc. 2.*

Cur in eodem templo vel Synaga postea docens dicit se à Spiritu sancto unctum juxta vaticinium Isaiæ? Quia; *Hic peccatores recipit, & sanat contritos corde.* *Isai. 61.*

4. Cur etiam in desertum concurrunt ad ipsum turbæ? Quia: *Cic peccatores recipit.*

5. Cur in loco publico stans inclamat quodam festivitatis die: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat?* Quia, *Hic peccatores recipit.* *Ioan. 7.*

6. Cur in privata domo per tectum demittitur ad eum Paralyticus? Quia; *Hic peccatores recipit.* Quapropter ait ipse Paralytico huic; *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* *Luc. 5.*

7. Cur jacet ad ejus pedes lacrymis illos rigans mulier in civitate peccatrix, nec veretur esse importuna accumbenti in convivio? Quia: *Hic peccatores recipit.* *Luc. 7.*

8. Cur apud puteum in agro adeo prolixo sermone alloqui dignatur Samaritanam adulteram? Quia; *Hic peccatores recipit.* *Ioan. 4.*

9. Cur alteram adulteram in templum eripit ab accusantibus & eam lapidare volentibus? Quia; *Hic peccatores recipit.* Unde ei dicit; *Vade jam noli amplius peccare.* *Ioan. 8.*

10. Cur in Horto prostratus jacet, & cruore suo terram rigat? Quia, *Hic peccatores recipit*, & peccatis nostris terram impiatam expiat, & exosculatur. *Luc. 22.*

11. Cur in cruce habeat brachia extensa, caput inclinatum? Quia; *Hic peccatores recipit*, amplexatur, & in osculo pacis eis reconciliatur. *Ioan. 19.*

12. Cur latus habet apertum? Quia; *Hic peccatores recipit* janua aperta, & usque ad cor suum introducit. *Ibid.*

13. Cur post resurrectionem Petro apparet in solitudine deploranti crimen suum, & in Apostolorum Collegio apparere erubescenti? Quia, *Hic peccatores recipit.*

14. Cur in Apostolos insufflans post Resurrectionem Spiritum sanctum eis donat cum potestate remittendi peccata? Quia; *Hic peccatores recipit*, & vult ut Apostoli vice ejus eos recipiant. *Ioan. 20.*

15. Cur cum in Cœlo existentem intuens S Stephanus ei suos commendat persecutores in extremis agens? Quia; *Hic peccatores recipit*, quantumlibet exasperantes. Unde virtute illius orationis receptus est Paulus qui dicit: *Christus venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* *Actor. 7.* *1 Tim. 1.*

Denique; Cur in carne existens, & modò etiam sub sacramentali velo absconditus dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos?* Quia scil *Hic peccatores recipit.* Merito ergo erant appropinquantes ad eum publicani & peccatores. Immeritò etiam & injustè ea de re conquerebantur Pharisæi. *Matt. 11.*

Si oculo pietatis inspicere voluerimus Jesum, inveniemus illum tamquam librum intus & foris

scriptum; & si legere noverimus, hæc est scriptura exarata toto hoc libro mystico: *Hic peccatores recipit.* Hoc gestat in fronte scriptum, in manibus, in pedibus, in oculis, in corde, in toto corpore. Hoc vulnera tamquam characteres, hoc clavi tamquam calamus aut penicillus, hoc sanguis ejus instar atramenti aut colorum, vivaciter exprimere censentur omnibus legere volentibus. O igitur felix, ô suave, ô melleum verbum: *Hic peccatores recipit!* O verbum quod suaviter animum afficit, reficit; & nunquam deficit benè ruminatum, sed semper sapidum est peccatori, millies licet repetitum. Et quid esset de nobis miseris & infirmis, qui adeo lubrici sumus & propensi in peccatum, si hic peccatores non reciperet? Hoc igitur confirmat, solatur, erigit nos in spem, ne in profundum desperationis labamur & absorbeamur, quia *Hic peccatores recipit.* Ideo possumus dicere & cum Psalte: *Adjutor & susceptor meus es tu, & in verbum tuum supersperavi.* Quasi diceremus cum illo: Audivi Domine quia misericors & miserator, patiens & multæ misericordiæ & verax, & quod non solùm adjuves peccatores vocando, inspirando, illuminando, excitando, ut à peccatis surgant, sed etiam excitatos & surgere volentes, mirè amanter suscipis, deducis, amplexaris, veniam & perfectam reconciliationem cum amore eis exhibendo. Ideo in verbum tuum supersperavi, adjeci semper quamdiu spiro ad sperandum in te & in verbo tuo: & licet sæpe sæpius cadam, tamen non desispero, quia tu non fastidis, sed dignaris recipere peccatorem etiam frequenter cadentem. Suscipe ergo me Domine peccatorem secundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea, quia copiosa apud te est redemptio & propitiatio. Tu es Deus pœnitentium, & non posuisti pœnitentiam pro justis, sed propter me peccatorem, aut Manasses orans.

Psal. 118.

Psal. 118.

PARS III. *Cur Christus manducarit cum peccatoribus.*

NEque verò solum hic peccatores recipit, sed etiam *manducat eum illis.* Epulum ei gratissimum præpararunt peccatores in conversione sua, epulum equidem spirituale, quod tamen adumbrari voluit corporali epulo sibi sæpe permissu & annutu ipsius met ab eisdem præparato. Sic ubi Matthæum se sequi jussit, instruxit ei convivium Matthæus, de quo S. Ambr. in Luc. *Toto post Dominum vestigio incedit, convivii quoque magni exhibet apparatum. Qui enim domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum. Dominus libenter illuc ingreditur, & in ejus quæ credit recumbit affectu.* Et quia cum eum Matthæus recepit, iterum idem a Pharisæis murmur exivit *Quare cum Publicanis & Peccatoribus manducat & bibit?* Respondet his verbis S. Ambr. *Serpentina vox ista est. Hanc primam vocem serpens emisit dicens Evæ: Quid utique vobis dixit Deus; Nolite manducare de omni ligno? Ergo Patris sui venena effundunt quid dicunt; Quid cum Publicanis, Peccatoribus manducat & bibit?* hæc S. Ambr.

Similiter cum Zachæum ad gratiam & salutem vocaret hic idem qui peccatores recipit, voluit manducare cum illo: *Hodie,* inquit, *in domo tua oportet me manere, festinans descende.* Cumque excepturus fuisset hospitio & convivio, dixit: *Hodie huic domui à Deo salus facta est.* Quod autem ipsum non tam cibum corporalem, quam spiritualem quæreret cum peccatoribus conversando, perspicuum est ex responso quod dedit Apostolis suis, cibum ei afferentibus quando alloquebatur Samaritanam. Dixit enim: *Ego alium cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Quis verò ille cibus? Audi ex ejus ore: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei;* Cibus ergo ejus electus & ferculum gratissimum, conversio peccatorum erat; & hæc erat voluntas Patris ejus, ut illos ad lucem & fidem adduceret, & ad vitam æternam per fidei viam introduceret, sicque non perderet quemquam ex omni eo quod dedit ei Pater.

Luc 19.

Ioan. 4.

Ioan. 6.

Quodsi ejus cibus est & epulum deliciosum, conversio peccatorum, jam non solùm cum peccatoribus manducat, sed etiam de peccatoribus sibi cibum acceptissimum præparat. De cinere enim pœnitentiæ nostræ admixto lacrimis contritionis panem sibi conficit delicatissimum; & cor contritum ac humiliatum mensæ suæ apponit tamquam ferculum igne doloris & amoris excoctum, & palato suo sapidissimum. Sic ergo divina gratia fel amarum peccatr nostri per pœnitentiam condire novit & excoquere, ut pro deliciosis dapibus illud ejus mensæ ferviat.

Cibus Christi peccatorii Conversio.

Gen. 27.

Audi figuram hujus rei. Dum Isaac Rebeccæ maritus de venatione cibum expeterer, illa mox jussit sibi afferri duos hædos per manus filii sui Jacob. Quid de hædis agere velit, miratur Jacob. Respondet ipsa: *Ve faciam ex illis Patri tuo escas quibus libenter vescitur.* Sicque per hunc cibum volebat Patris gratiam & benedictionem conciliare filio suo Jacob. Hœdi in Scriptura peccatores significant, ex illis escas parat Patri æterno acceptissimas sapientia divina, tamquam de venatione sua. Ipsa est instar Matris Rebeccæ, quæ novit condire per gratiam, quod insipidum est per naturam; unde Franconius Abbas de hac sapientia divina sic loquitur. *Verè sapiens mulier quæ sic novit hœdos coquere, sic condire, ut etiam gratiam cervorum coaquent aut superent. Gaudium enim est Angelis super peccatore magis quam super nonaginta novem justis. Sic, sic satagit gratia.* hæc ille. Epulum ergo Deo, epulum filio Dei, epulum Angelis Dei gratissimum præbet conversio peccatoris. Ideò etiam prodigo revertente instruitur convivium, ad quod convocantur amici, & in illo non solùm dapes deliciosissimæ apponuntur, sed etiam resonat dulcisona harmonia. Sicut ergo non sufficit tantùm Christo recipere peccatores, sed jucundum etiam ei est epulari cum illis, & ex peccatis eorum ac lacrimis cibum potumque sibi conficere. *Lacrimæ pœnitentium vinum sunt Christi & Angelorum,* dicebat S. Bernardus.

Iniquum Pharisæorum murmur.

Vide ergo quàm iniquè murmurant Pharisæi, quod Dominus cum peccatoribus conversetur. In peccatore enim tria considerandasunt, natura, peccatum, pœnitentia. Natura compatiendum est. Peccatum odio dignum est. De pœnitentia gaudendum est. Isti Pharisæi solum peccatum respiciebant: hominum qui peccarant fragilitati non compatiebantur: eorum resipiscentiam nolebant attendere. Propterea eos despiciebant præsumptione & superbia inflati, & temere de Christo judicabant cum eis conversante, & ad eorum conversionem incumbente. Quod ipsum adhuc nonnulli faciunt, facilè in temerarium judicium prosilientes, dum vident Religiosos, pioſque viros alloqui, & inire gratiam cum peccatoribus, in eorum bonum & salutem.

Exempli temeraris judæi.

Vitalius Monachus (ut habetur in vitis Patrum, parte 1.) quandoque agebat circa prostibula. Existimavit quidam & temere judicavit illuc eum divertere ob libidinem: unde illi quadam die de prostibulo egredienti colaphum impegit, & dixit: Usquequò illusor Christi, non emendas te ab his nequitiis? Illicò vero à dæmone obsessus fuit. Adibat enim Vitalius illa loca, ut meretrices à quæstu meretricio & turpi corporis usu revocaret: pecuniaque paciscebatur vel unius noctis continentiam: ipse vero in angulo orans pernoctabat, & sic multas convertebat ad Deum. Quæres planè patuit cum percussorem suum à dæmone liberavit, ubi culpam suam agnovit. Unde in cellula viri sancti inventa est hæc scriptura: *Viri Alexandrini nolite ante tempus judicare quoadusque veniat Dominus.*

Conversationis cum impiis effectus.

Neque tamen dicimus unicuique cum pravis sicere conversari; quia consortium pravorum quantumlibet bonos quandoque corrumpere potest. Etiam Medici qui ægros contagiosos visitant, nonnumquam periculum incurrunt. Christus Dominus sciebat securitatem suam ab omni ægritudine, sciebat quod sine periculo venam illis posset tangere & secare, educendo corruptum sanguinem ad eorum sanitatem. Noverat perfectam suam lucem, quodque tamquam Sol lucens in virtute sua posset per sterquilinium radios fundere sine inquinatione. Hoc non omnium est, quia tria sunt quæ homines solent perdere, malum consilium, malum consortium, malum exemplum: sicut exemplum bonum, consortium bonum, consilium bonum multos adjuvant ad salutem consequendam. Sed quia magna est infirmitas, & ad malum pronitas in hominibus, facile fit ut iter multitudinis lubricum sequantur, & abripiantur consuetudine & exemplo pravo, ita ut illud videatur efficacius ad malum, quàm exemplum pium ad bonum. *Facile manum dat seductori, qui dare dissimulat Præceptori*, inquit S. Bernard. serm. 77 in Cant.

Malum consilium, consortium & exemplum hominem perdunt.

Non immeritò senior quidam, ut refertur in Vitis Patrum, cernens quemdam juniorem Monachum ingredientem tabernam indoluit, & foris expectans quærebat occasionem cum alloquendi, zelo salutis ejus impulsus. Illum igitur egredientem advocans, & in locum semotum à turba ducens, sic affatus est. *An nescis frater quod Angelicum gestes habitum? An ignoras te ætate juvenem esse? An te latet quod hostis nobis semper retia tendat? Interim tu pompinas ingrederis, ubi multa audis quæ nec licet audire, multa cernis quæ nec decet cernere, sedesque ibi inter viros & mulieres. Obsecro te in Christo, desine his in locis commorari, sed redi ad locum tuum, ad cellam pœnitentiæ, ubi possis salvare animam tuam.* Indignatus juvenis respondit, & malè respondit; *Vade senex in viam tuam, Deus non quærit nisi cor mundum & purum.* Tunc in cœlum tollens manus senex exclamavit: *O Domine Deus tibi sit gloria, jam quinquaginta annis in solitudine dego, & necdum cor mundum habeo; hic vero juvenis in locis dissolutis frequenter agens cor illibatum conservat.* Ita sapienter & efficaciter perstringebat omnes qui sine necessitate in consortio agunt dissolutorum hominum; nec putant id officere cordis puritati, cùm sit tamen facile maculam contrahere à pravis consortiis & exemplis.

Sic contingit etiam quandoque Confessarios, Concionatores, Pastores, Sacerdotes, & Religiosos viros (quibus conversandum est cum hominibus hujus sæculi ad salutem eorum procurandam) quandoque abripi ad mores sæculares, mundanos erroneosque, quasi ad cursum fluvii. Contingit, inquam, ipsos qui tamquam sal alios condire debuerant, cum illis evanescere, putrefieri, infatuari conculcarique tandem, & foras projici. Sal enim insipidum, evanidum, & *infatuatum ad nihilum valet, ultra, nisi ut projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus*, dicit Dominus. Nempe tanta est fragilitas humanæ mentis, tanta etiam vis pravæ consuetudinis in malum trahentis, malique exempli ad vitam multitudinis pellicientis animas instabiles. *Matth. 5.*

Cur Religiosi à primo flore decidering.

Notat Abbas Linriacensis in Roseto 1. ca. 3 causas varias cur à primævo splendore & sanctitate Ordines Religiosi deciderint. Cluniacenses, inquit, defecerunt propter otium, Cistercienses propter negotia animia ruralia, Præmonstratenses ob nimia Missarum & chori onera, Benedictini ob nimias opes; *Filia ample Religionis suffocavit Matrem devotæ Religionis.* Ordines autem Mendicantes ob nimiam cum sæcularibus familiaritatem, quia nimis se populo immiscuerunt: *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & factum est illis in scandalum.* Hoc ferè etiam de aliis Ordinibus verum est, quod conversatio nimia cum sæculi hominibus eos conspurcarit aliqua fæce, vel consperserit aliquo sæculi pulvere. Unde dictis conformiter Seneca sapienter pronunciat: *Inimica est multorum conversatio. Nemo non nobis aliquod vitium, aut commodat, aut imprimit, aut nescientibus illinit. Socrati, Catoni, Lælio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset. Adeo nemo nostrum, qui maximè concinnam sibi ingeniam, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest. convictor delicatus paulatim enervat & emollit, vicinus* *Psal. 105.* *Seneca ep. ad Lucil. c. 7.*

vicinus dives cupiditatem invitet malignos omnes quantumvis candido & simplici animo rubiginem suam affricat. Hæc itaque omnia nos monent (quibus quandoque instar Christi incumbit cum peccatoribus agere & conversari) ut nobis advigilemus, ne nos potius illi trahant ad sæculi ad multitudinis viam, quam nos ad viam Domini, & Cœli eos trahamus.

Conclusio. COncludamus & dicamus: Ita, ô Domine Jesu, fac semper hanc cum hominibus misericordiam, ut trahantur à te peccatores, & currant post te: quære eos ut quærant te, appropinqua eis ut appropinquent ad te. Recipe peccatores, quantumlibet ringatur malignus animus invidorum, quantumlibet fremat invidia malignorum, & dæmonum. Sit semper & agnoscatur ab omnibus titulus iste tuus honorificus: *Hic peccatores recipit.* Recipe peccatores, ut desinant esse peccatores. Recipe confitentes, ut redeant ad te mundi & pœnitentes; quia quando eis appropinquas, sanctificas. Tu non recipis peccatores adhuc peccantes, sed recipis peccatores pro venia peccantes: nec enim criminis susceptores, sed hominis, non peccati, sed peccatoris, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie tua. Pereant, sed bene & feliciter pereant, dum perit peccatum, & corda eorum liquefiunt à facie ignis contritionis; dum sic perierint ut peccatores, suscipies eos ut pœnitentes, & fient justi, & manducabis cum eis; epulabuntur in conspectu tuo. Apponant tibi cor contritum conditum lacrimis, tu non despicies ferculum istud gratissimum; appone tu eis vicissim gratiæ tuæ & misericordiæ cibum verè miseris sapidum, sicque epulare cum eis, & ipsi tecum, donec pertingant tandem ad beatitudinis tuæ æternum epulum, ubi nullum amplius patientur murmur, nullam contradictionem; sed resonabit jugiter sola vox exultationis & confessionis.

EADEM DOMINICA.

LECT. 4. Tripart. *Quis ex vobis habens centum oves, si perdiderit unam ex illis, &c.*

PARS I. *De 99. ovibus & una perdita.* DIgnatus est Christus Dominus Pharisæis obtrectantibus respondere, eosque suaviter & efficaciter redarguere, ostendendo triplici similitudine, quam Deo sit accepta peccatorum conversio, & Angelis ejus; quodque quærendi sint illi cum eis conversando, ut ad pœnitentiam & ad Deum adducantur. Proponit primò similitudinem Pastoris ovem exerrantem sollicitè requirentis, & ea inventa amicos & vicinos ad gaudii societatem advocantis. Proponit deinde similitudinem mulieris drachmam perditam quolibet domus angulo accensa lucerna in vestigantis, & illius tandem repertæ lætitiam similiter communicantis cum suis consodalibus & vicinis. Proponit denique similitudinem Patris filium prodigum revertentem exosculantis, amplectentis, festivoque epulo eum gentali plausu excipientis. Explicabimus autem hic paucis parabolam Pastoris ovem quærentis: & quoniam super Evangelio, *Ego sum Pastor bonus*, Dominicæ III. post Pascha sufficienter dedimus rationes, cur Christus Pastor dicatur, nosque oves gregis ejus, ideo hic non repetemus, sed Lectorem illuc remittimus.

Quæritur autem hic primò, quid significent nonaginta novem oves, quæ in deserto dimissæ dicuntur, quid etiam unica illa quæ aberrans requiritur? Inprimis rectè dicitur cum Theophylacto, & aliis Interpretibus per centenarium numerum (qui perfectus est) intelligi numerum perfectum electorum; qui Christo tamquam pastori instar ovium rationalium committuntur. Per nonaginta novem oves quæ in deserto, sive in pascuis relinquuntur, significari justos qui in gratia vivunt, & ibi dimittuntur quasi in solitis pascuis; per unam vero ovem significari peccatorem, qui licet electorum sit ex numero, adhuc tamen aberrat, & propterea à Pastore sollicitè requiritur; hoc est à Christo, qui sollicitam habet curam, ut impleatur numerus electorum; quia & ideo venit in hunc mundum, nec destitit quærere, donec ovem erraticam reperiret, & reportaret. Itaque ipse est similis homini, cui grex esset centum ovium, & licet una solum ex illis erraret, magnâ tamen sollicitudine illam requireret, magnoque gaudio de illa reperta exultaret. Igitur parabola hoc sensu intelligenda foret de grege hominum justorum, comparando illum cum uno peccatore societatem justorum relinquente; non verò de grege Angelorum, comparando illum cum homine sive cum humana natura tamquam ove errante. Unde Christus Dominus concludens dicit: *Ita dico vobis, gaudium erit Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Ubi indicat Angelos potius intelligi per vicinos illos qui advocantur ad congratulandum Pastori de ove reperta, quàm per nonaginta novem oves.

1. 99. Oves *sunt justi in gratia viventes.*

Secundò nihilominus dicendum, etiam rectè intelligi per 99. oves Angelos in Cœlo relictos, per unam autem quæ perierat naturam humanam in Adam perditam, ad quam requirendam venit Christus infatigabilis. Hæc est concors multorum antiquorum Patrum sententia, Cyrilli, Ambrosii, Hilarii, Gregorii, Bedæ, Auctoris Glossæ utriusque, & aliorum. Hanc etiam sententiam confirmat altera parabola, quæ agit de decem drachmis, & de una perdita ex illis; ita ut novem drachmæ nõ perditæ, sint novem Chori Angelorum, una autẽ perdita, sit humana natura, quæ etiam sicut Angelica imaginem & signaculum Dei tam quam ejus drachma impressam habeat. Centum ergo oves habuit Deus cum homines & Angelos creavit; una periit ex illis, homo scilicet qui respectu magni numeri Angelorum nonnisi unum conficere censetur respectu

2. 99. Oves *sunt Angeli in cœlo relicti.*

ſpectu centum; relictis autem iſtis in ſolitudine in ſupremo loco cæleſti, venit ad unam illam pereuntem. Neque tamen illas 99. ſic reliquit, ut ab illis abeſſet, aut ita ut illis proviſum non eſſet. Reliquit enim eas in paſcuis ubertimis ſine periculo ullo. Audi S. Cyrillum: *Numquid ſavientis in reliquas motus eſt pietate unius? Nequaquam. Sunt enim illæ in tuto circumſpientè eas potentiſſima dextera: ſed magis oportebat miſereri pereuntis, ne imperfecta videretur rediviva multitudo, una enim reducta ſortitur centenarius propriam ſpeciem.* Similiter loquitur etiam Sanctus Ambroſius in Pſalm 118. ubi Propheta quaſi in nomine totius humani generis rogat ut Dominus veniat tamquam Paſtor, ovem quæ periit reportaturus: *Erravi ſicut ovis quæ perit, quære ſervum tuum.* Sic loquitur ibi Sanctus Ambroſius: *Veni Domine* JESU, *quære ſervum tuum, quære laſſam ovem tuam. Veni Paſtor, quære ſicut oves Joſeph. Erravit ovis tua, dum tu moraris in montibus. Dimitte nonaginta novem oves tuas, & veni unam quærere, quæ erravit. Veni non cum virga, ſed cum charitate, ſpiritu que manſuetudine. Noli dubitare relinquere in montibus nonaginta novem oves tuas, quia in montibus conſtitutæ lupi rapaces incurſare non poſſunt. In Paradiſo ſemel nocuit ſerpens, amiſit ibi eſcam, poſtquam Adam inde expulſus eſt, illic jam nocere non poterit. Ad me veni, quem luporum gravium vexat incurſus. Ad me veni, quem ejectum de Paradiſo ſerpentini diu ulceris venena pertentant, quia erravi à gregibus illis tuis ſuperioribus. Nam & me ibidem collocaveras, ſed ab omnibus tuis lupus nocturnus avertit. Veni ad me, quia erraticam ſolus es qui revocare poſſis, & quos reliqueris non mæſtificabis. Et ipſi enim peccatoris reditu gratulabuntur. Quære me, quia ego te requiro. Quære me, inveni me, ſuſcipe me, porta me.* Hactenus S. Ambroſ. per ovem perditam intelligens humanum genus, per 99. in deſerto relictas intelligens Angelos conformiter aliis Patribus.

Duplex itaque videtur eſſe ſcopus Domini in hac allata ſimilitudine. Primus eſt, obſtruere os Phariſæorum loquentium iniqua, & inique, obmurmurantium. *Hi enim non minus inviati quàm ſuperbi malitiam de Dominica bonitate capiebant, de pietate Dei impii reddebantur, ſiebant de Chriſti miſeratione crudeles, ſumebant de cæleſti curatione languorem, & pœnitentium venam vertebant in ludicris reatum.* Sic loquitur de illis S. Chryſolog. ſermone 108. Hos autem ſic convincit Dominus: Si Paſtor tanto amore proſequitur oves, quas tamen non creavit; quod plus illi ſit curæ de una perdita, quam de nonaginta novem, pluſque gaudeat de illa inventa, quam de toto grege; & nemo murmurat, nemo obloquitur, quod inventam tamen non percutit, nec indignabundè aſpereve tractat, ſed humeris ſuppoſit benignè eam ſuſcipiens. Quare ego animas rationales quas creavi, & quæ mihi tamquam oves concreditæ ſunt, non requirerem amanter & ſollicitè? Cur igitur obmurmuratis, dum eas requiro & ad me allicio, dum humeris meis eas imponere aveo? Oppilet iniquitas os ſuum, quandoquidem potius congaudere debetis de converſione ovis errantis, de pœnitentia peccatoris ad me appropinquantis.

Duplex ſcopus Domini in hac parabola.

1. Arguere Phariſæos.

Alter ſcopus Chriſti in hac ſimilitudine proferenda, fuit non ſolùm arguere & ſilentium imponere contradictioni injuſtæ Phariſæorum, ſed etiam manifeſtum facere omnibus amorem ſuum & charitatem nimiam, qua dilexit nos, dum in hunc mundum per incarnationem venit, & naturam noſtram ſuſcepit, è cælo, ubi Angelos reliquit, deſcendens ad nos, ut in cælum nos revocaret. Sicque hoc amore tamquam efficaci illice corda omnium ad ſe optat pellicere, & correſpondente illos amore accendere; Magnes enim amoris amor eſt. Unde dicebat Apoſtolus: *Qui non amat* JESUM *Chriſtum, ſit anathema*: hoc eſt, ſit ſeparatus à Deo, eique exoſus. Rationem ſubjungit, dum addit; *Sit anathema Maranatha.* Quid eſt, *Maranatha*, id eſt, *Dominus venit.* Idem igitur eſt ac ſi diceret: Talis non poteſt excuſari, quia jam Dominus venit amorem ſuum oſtendens, & ſuo amore noſtrum illectans, noſtramque ingratitudinem condemnans, ſi eum non redamemus poſt tot amoris certiſſima manifeſtiſſimaque indicia. Hujus porrò amoris indicia elucent in hoc Evangelio, in quo agitur de Chriſto ut Paſtore ovem requirente. Quapropter ſingulæ circumſtantiæ in particulari expendendæ & premendæ ſunt, quia ex ſingulis liquor amoris exprimi poterit.

2. Manifeſtare ſuum amorem.

1. Cor. 16.

PARS II.
De paſtore ovem quærente.

DIcamus ergo primò, in hoc eluceſcere amorem Chriſti, quod ipſe ut Paſtor ad ovem venerit, & illam quæſierit. Quare quæſivit ipſe ovem errantem, hoc eſt, peccatorem à Deo vera via & vita deviantem? Numquid egebat Deus peccatore, aut ei commodum aliquod conferebat, ſi reverteretur? Paſtores pecorum ideo illa requirunt, quia illis indigent. Non ita Deus. Quia etiamſi pereant omnes homines, immò & omnes Angeli, nihil ei damni evenit, ipſe ſibi totum ſuum bonum eſt, & quidem infinitum bonum, cui nihil deeſt. Numquid indiget creaturis ſuis Deus; Immo ideo Deus eſt, quia illis non eget. Hoc enim aſſerit & agnoſcit Propheta: *Deus meus es tu, quoniam bonorum non eges.* In ſe & ex ſe ab æterno beatus eſt, antequam ullam conderet creaturam. Et hoc erat ipſe Deus antequam creati eſſemus, quod etiam nunc eſt; & nihil ei attulimus à nihilo ad eſſe producti; quod ſi ad nihilum redigeremur, nihil illi detraheremus. Ideo verò Angelos & homines creavit in tempore, non ut majorem aſſequeretur beatitudinem, ſed quia vidit beatitudinem & felicitatem ſuam ſine diminutione & defectu in æternum poſſe communicari creaturæ à ſe producendæ; ideo duas principales creaturas creavit bonitatis ſuæ & felicitatis ſpecialiter participes, Angelos

Peccatorem quæſivit Chriſtus ex amore.

1. Quia venit ad illum.

Pſalm. 15.

ſelicet

scilicet & homines. Non ergò ex indigentia eas creavit, quasi eorum egeret obsequio, aliasab æterno eas creasse debuisset.ne cujus piam rei indignus remaneret à principio. Sicut verò hominem non creavit ex indigentia, sic nec peccantem requisivit quasi patiens damnum, rectè enim dicit Eliphaz Themanites: *Quid prodest Deo si justus fueris, aut quid ei confers si fuerit immaculatavia tua?* Nobis scilicet prodest, non ipsi nosmetipsos juvamus,non eum in hoc quod benè agimus, ut ibi interpretatur S. Gregor. Quare igitur quærit peccatorem Deus? Nempe quia illum amat,illius miseretur. Hoc est quod canit Zacharias: *Per viscera misericordiæ visitavit nos oriens ex alto.* Hoc est quod dixerat per Prophetam: *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui.* Ergo benedictus Pastor qui visitavit & fecit redemptionem gregis sui puro ex amore, pura ex charitate, per viscera misericordiæ suæ. Non enim merita peccatoris potuerunt eum ad id impellere, nec suamet indigentia, sicut nec ad creandum. Hinc S. Augustin. cap. 11. Soliloq. *Ego creatura tua sperabo in bonitate tua qua creasti me; non enim merita mea, non mea gratia coegerunt te ut creares me, sed benignissima bonitas tua. Ipsa Domine Deus meus qua te ad creandum coegit, ipsa quæso modò cogat te ad regendum. Non pereat in malitia mea, quod operata est bonitas tua. Non pereat in miseria mea, quod operata est misericordia tua. Ipsa te charitas vincat ad salvandum qua te vicit ad creandum,quia nec nunc minor est,tu es enim ipsa qui semper idem es.*

Job 22.

Luc. 1.

Ierem. 1.

2. Quia relictis angelis in cælo venit quærere hominem. Heb. 2.

Dicamus secundò, in hoc Pastoris nostri elucescere amorem, quod ad hominem venerit, Angelis in cælo relictis. *Probatio dilectionis exhibitio est operis.* inquit S Gregorius. Illa autem dilectionem maximè exhibuit erga hominem opere maximè admirabili dum non assumpsit Angelicam naturam sed humanam *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit,* inquit Apostolus. Certè in lapsu hominis & ejus reparatione longè magis claruit charitas Dei, quàm in lapsu Angeli. Poterat Deus naturam humanam relinquere in massa damnationis, sicut & Angelicam: poterat Angelicam liberare sicut & humanam: utrobique ovis erraus, utrobique gravis ingratitudo, sive dum Angelus peccat in cælo, sive dum Homo peccat in paradiso, tot beneficiis donisque adornatus & præventus Utrobique servus fugitivus;interim hunc quærit Deus, & sibi novo fœdere adstringit ejus naturam assumens, sicque reducitur ovis errans: alterum servum non quærit, sed mox à peccato æterno præcipitio collidit, æternisque flammis addicit. Sic centum oves (hoc est magnus Angelorum numerus) in lapsu & damnatione relinquuntur, nec requiruntur ab eodem Pastore, qui eorum etiam poterat naturam assumere & reducere. An non ergo hic mira erga homines dilectio? An non mira erga Angelos cadentes justitia? *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine;* misericordiam erga hominem peccantem, quem reducis & tibi unis; judicium erga Angelum cadentem, qui non adjicies ut resurgat: *Videbam satanam tamquam fulgur de cælo cadentem.* Et quidem vidit eum è cælo irreparabiliter cadentem, quia numquam poterit viam repetire pœnitentiæ, nec veniæ, ideoque nec locum tuum unquam repetere. *Domine quid est homo quia magnificat eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Nonne homo putredo, & filius hominis vermis? Quid verò Angelus? Numquid spiritus prænobilis, plenus sapientia, & perfectus decore, positus in monte sancto tuo in deliciis paradisi, in medio lapidum ignitorum, omnis lapis pretiosus operimentum ejus,opus decoris tui? Verumtamen cum ejicis eum de monte tuo sancto, & perdis eum de medio lapidum igaitorum, haud indoluisse aut ingemuisse visus es. At verò de hominis perditione tactus es quasi quodam dolore cordis intrinsecus, ideo venis, & deploras, & requiris eum de ejus salute mirè sollicitus. O bonitatem & dilectionem Pastoris ovem unicam requirentis!

Luc. 10.

Iob 7.

Ezech. 28.

Rationes verò aliquot adferunt SS. Patres, cur potius hominem Deus requisiverit & reparavit, quam Angelum, & cur potius homo dignus fuerit compassione quam Angelus. 1. Quia minor pars Angelorum cecidit & periit: At verò tota humana natura erat in damnationis massa in Adam tamquam radice vitiata, ideoque cum deserioribus Angelis supplicio obnoxia Sic ex toto periret creatura illa nobilis,gloriæ capax,cujus gratia cuncta erant creata. Hæc est ratio *S. Augustin. in Enchirid. ca. 29.* quam sequitur *Magister sentent. in 2. dist. 21.* 2. Quia Angeli omnes propria voluntate peccaverunt; homines verò unius voluntate quasi alienæ: ideo decuit ut unius etiam beneficio liberarentur, ut ei quem aliena supplantaverat malitia charitas prodesset aliena. 3. Quia homo minore malitia peccarat,imbecillior enim est homo Angelo;ideoque magis divinam provocabat misericordiam ejus miseria. Hæc utraque ratio affertur à Sancto Bernardo sermone 1. de Adventu. Ubi sic Deum alloquitur in persona hominis lapsi: *Obsecro Domino complaceat tibi ut eruas me, quoniam infirmus sum, quoniam de terra mea furtim sublatus sum, & hic innocens missus sum: non penitus quidem innocens, sed quantum ad eum qui me seducit aliquatenus innocens.* Addit S. Leo sermone 2. de Nativitate. Decuisse ut Deus redimeret hominem, ne gloriaretur dæmon se quodammodo vicisse contra Deum, & explevisse desiderium invidiæ suæ dum homo non assequitur gloriam à qua dæmon exciderat,ad cujus tamen locum occupandum Deus hominem creavit. Denique Theologi hanc afferunt rationem: Quod homo sit ex natura sua flexibilis voluntatis & arbitrii, longumque tempus viæ habet quo possit pœnitere, ideo conveniebat eum vocari ad pœnitentiam: Angeli verò voluntas quodammodo ex natura sua inflexibilis est, & natura quoque

Cur homo, & non angelus reparatus.

1.

2.

3.

Psal. 110.

quoque sua requirit viam brevissimam ut ad terminum perveniat. Ideo mox ut peccavit, ad terminum pervenit, & in malo confirmatus est, sicque damnationi addictus est, ob pravum superbiæ motum, cui consensit, illi magis adhærere volens quam Deo. Sic & Angeli boni pro uno solo motu pio vel pro morula perseverantiæ in gratia fuere confirmati, & mox gloriam assecuti.

3. Quia humeris inventam cum labore ovem imponit.

Dicamus tertio in hoc promicare Pastoris nostri amorem, quod non solum descendens requirat ovem suam, sed etiam quod inventam grandi labore & fatigatione dignetur humeris suis imponere. Per spinas & vepres aberrantem requisivit, non sine vulnere & sanguine. Testantur ejus manus pedesque laniati: testatur & caput spinarum adhuc cruenta ostentans vestigia. Non potuit salire in montibus, transilire colles, sine gravissima fatigatione & copioso sudore. Non potuit per loca vepribus obsita pertransire sine læsione. Nec tamen propterea indignabunda voce terreto viculam hærentem in spinis. Non percutit eam minaci virgâ, non aspero suscipit vultu, sed gaudens eam cum suavitate humeris imponit, obliviscitur que omnis propter eam suscepti laboris, fatigationis, læsionis. Nec novum onus reputat dum humeris imponit, sed potius alleviamentum & quietem, quia gaudet tali sub onere. Hoc est quod dicit S. Ambr. in Psal. 118. in persona peccatoris: *Quare me Domine, inveni me, suscipe me, porta me. Potes invenire quem tu requiris, dignare suscipere quem inveneris, impone humeris quem susceperis. Non est tibi pium onus fastidio, non tibi onerosa est vectura justitiæ.* Sed numquid repertam ovem poterat curare reduci per alium? Equidem poterat; sed ipse dives in amore & misericordia beneficium beneficio vult æmulare, vult ipsemet reducere, & propriis ulnis excipere, propriis humeris revehere;

Cant. 2.

Barcina sit quæ cura fuit, neque quærere tantum.
Illa satis cælestis habet clementia Christi.

Ita de hac ove & hoc Pastore loquitur Alcimus. Adverte quoque, quod non dicatur Pastor post longam fatigationem inventâ ove paululum requievisse, ut resumptis viribus facilius posset hoc onus piamque hanc sarcinam portare; sed mox inventam humeris imposuisse indicatur. Quid ita? Quia nostri divini Pastoris fatigatio non tollitur sessione, se potius novis laboribus pro ove assumptis. Sic nulla ei requies, nisi laborando pro nobis. Audi S. Basilium Seleucum orat. 26 *Montes & silvas obire non recusat, obit præcipitia, cumque deerrante venit in partem deerrationis, & subjiciens humeros proprio labore oviculam curat laborantem; gaudet ipsa fatigatione, ovium inventionem ratus lassitudinis levamentum.* Sic etiam advertit S. Chrisologus, quod dum Pater cecidit super collum prodigi revertentis & languentis præ fame, Pater ei non fuit oneri, sed levamento: quia onus erat amoris, non erat onus gravaminis. Textus sic ait *Cum adhuc longè esset, vidit eum Pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* In quæ verba sic S. Chrisologus serm. 3. *Accurrit non progressu corporis, sed pietatis affectu. Cecidit super collum eius, ut erigeret sic jacentem. Cecidit super collum eius, ut amoris onere onus tolleret peccatorum. Filius juvatur istius Patris onere, non gravatur.* Ut ubique ergo amor & in Pastore erga ovem errantem, & in Patre erga filium revertentem. Pastor non præbet ovi minacem baculum, sed exhibet compatientem humerum. Pater faciem exhibet & dat oscula, non flagella. *Delicta non videt vis amoris*, inquit idem *& ideo Pater peccata filii redemit osculo, clausit amplexu, ne nudaret Per filii crimina: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & tecta sunt peccata.* Sed cum sit magna clementia Patris erga prodigum, nonne major adhuc apparet erga ovem clementia Pastoris? Pater filium non requirit peregrinantem, sed recipit revertentem; Pastor ovem requirit errantem, & nescientem reverti humeris revectat balantem. An non tibi major videtur his bonitas Pastoris quam Patris? Sed idem est Pater, idem est Pastor. Quosdam ut filios vult redire ad cor, paternam bonitatem rememorando, paternæ domus abundantiam cordate recogitando; sicque ad paterna brachia reverti, suam agnoscendo insipientiam quâ discesserunt. Alios verò quia videt magis ac magis aberrare quo magis procedunt, instar ovium exerrantium, ideo dignatur requirere magnâ sollicitudine, & manus eis humerosque commodare revertantur; quia pedes eis deficiunt præ lassitudine, dum multum errando laborarunt, dum in via iniquitatis lassati sunt, dum gratiam perdiderunt, quæ ad rectè & forti gressu pergendum in itinere cæli eis vires præbebat. Vade ergo jam secura, ovis timida, Pastor te portat. Noli timere, quia fortis ejus est humerus. Qui prius onus crucis pro te sustinuit, nunc eosdem humeros tibi supponit novo cum gaudio. Non vult vel unius oviculæ detrimentum, integrum vult gregem suum, & ideo nec labori parcit ad requirendum, nec humeris ad reportandum. Quærit errabundam, sanat vulneratam, pascit macilentam, humeris sustinet lassam, gregi restituit reintegratam. Nihil ei grave est, nihil onerosum, postquam propter eam onus crucis sustinere dignatus fuit, in qua Pater omnium iniquitatem posuit. Unde dixit Propheta: *Omnes quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Jam ergo ex tunc oves suas in humeros suscipiebat, qui ovium omnium peccata portabat. Ibi Adam suam inobedientiam, Eva concupiscentiam & infidelitatem, Noë intemperantiam, Moyses diffidentiam, Aaron idololatriam, David adulterium & homicidium in ejus transtulit humeros, quia pro eis bonus Pastor satisfecit. Et ideo forsitan cum diceret David ex imo cordis sui contriti, *Peccavi Domino*; mox respondit Propheta Nathan. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Sed quo transtulit? Certè in

Luc. 15.

Isaiæ 53.

2. Reg. 12.

humeros Christi Pastoris boni, quia pro ovium peccatis omnibus satisfecit. *Sutrâ dorsum* ejus *fabricaverunt peccatores, dum prolongarunt iniquitatem suam*; sed lubenter id sustinuit, dummodo relinquerent iniquitatem suam, quia pro illis *proposito sibi gaudio sustinuit crucem*. Cum gaudio supposuit humeros ut imponeret tunc sibi omnem ovem errantem.

Psal. 128.

Nemo ergo despondeat animum considerata Pastoris hujus tantâ bonitate & amore. *Non erit tristis, neque turbulentus. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet*, inquit Propheta Isaias animans peccatores. Quasi dicat: Tantæ mansuetudinis est, tantæque patientiæ, ut calamum quassatum & linum fumigans, in quo adhuc aliquid luminis est & ignis, hoc est, infirmos & imbecilles peccatores, non abjiciat, nec contentiosè & clamorosè increpet & opprimat; sed suâ bonitate sustentabit, fovebit, accendet, reparabit. Idem igitur est ac si diceret: Ovem erraticam non asperè tractabit, ut in desperationem adduci possit; sed infirmam suscipiet benignè ut in spem erigat. Propterea dicit S. Augustin. Medit. cap. 2. *Animant me publicani, meretrices, & latrones, qui à fautibus hostis momentaneè erepti sinu excipiuntur Pastoris. Tu enim Domine licet sis in cunctis operibus tuis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis. Miserationes tuæ super omnia opera tua. Neminem enim spernis, neminem abjicis. Si pœniteo parcis, si revertor suscipis, dum diffiro præstolaris. Revocans errantem, invitas repugnantem, exspectas torpentem, amplexaris redeuntem, doces ignorantem, mulces mœrentem.*

Isaiæ 42.

Exemplo Christi Pastores animas quærant & trahant.

Imo hic quoque proponitur Pastoribus omnibus imitanda, ut magno desiderio, ardentique zelo quærant oves errantes, hoc est, animas in peccatis agentes, & magnâ charitate ac mansuetudine suscipiant reverti volentes. Ipsorum est eas humeris imponere, & ad ovile divinæ gratiæ reportare, intuendo in Christum tamquam primum Pastorem & exemplar Pastorum omnium dulci onere ovis suæ cum gaudio oneratum. Ideo olim teste Tertulliano l. de pudicitia cap. 6 in calicibus, immo & in vestibus sacris, solebat depingi Pastor hic Evangelicus in humeris ovem gestans, ut illum semper præ oculis sacerdotes sacrificantes haberent ad imitationem. Ideo & Pallium Episcopale ex lana contextum est, teste Isidoro Pelusiota epistol. 136. *Illud* inquit, *amictulum quod Sacerdos humeris gestat, atque ex lana non ex lino contextum est, ovis illius quam Dominus aberrantem quæsivit, inventamque humeris sustulit, pellam designat.* Episcopus enim Christi typum gerit, ipsius munere fungitur; atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit se boni ac magni illius Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit. Hanc charitatem & suavitatem supremi Pastoris imitati sunt multi, qui ab ipso ad animarum conversionem destinati fuere: Apostoli scilicet & eorum in hoc munere successores viri Apostolici, in partem ejusdem sollicitudinis erga oves Domini vocati, conversantes quando oportunum erat cum peccatoribus, ut eos ad Dominum reducerent & reverterent. Audi quod de S. Xaverio refert Turselinus l. 2. c. 17.

S. Xaverii modus agendi cum peccatoribus.

B. Xaverius quorumdam animos adeò perditos ut nec scelera sentirent, nec remedia ferrent hac arte adjuvit: Comiter primo consueverat se in illorum familiaritatem insinuare, in peccatis connivere, medendi voluntatem dissimulans; indeusu & comitate devinctis animis, sensim ad inveterati morbi curationem, sibi viam faciebat, modo divinis legibus propositis flagitia ostendens, modo intentatis variis humanæ vitæ casibus, Dei terrorem incutiens. Sic mentibus præparatis manum admovebat, illecebras removens ab eis, & recrudescentia conscientiæ vulnera divinæ misericordiæ oleo delinens. Audi in particulari. Scelestum militem qui jam duodevigesimum annum confessione abstinuerat socium navigationis habere voluit: comitate in eum uteus maximâ ludenti assidebat, omnibusque obsequiis demerebatur, ut illum ad confessionem induceret, & in viam salutis revocaret. Quid accidit. Militem confessione peractâ semel Pater & Ave recitare jussit, pollicitus se pro illo Deo satisfacturum; & ita aculeato flagello se pro illo vir sanctus ad sanguinem usque verberavit. Quâ re ita flexus est militis animus, ut studium pœnitentiæ amplexus, voluntariis se pœnis addiceret ad elevandas antecactæ vitæ sordes. Sic ergo beatus vir instar Pastoris Evangelici hanc ovem errantem suis humeris reduxit, ejus onera portans.

Similiter *S. Carolus Borromæus* cum numerosam prolem haberet in sua diœcesi inter montes & silvas demorantem, considerabat esse gregem & oves à supremo Pastore sibi concreditas: & ideo sollicitudine pastorali eas requirebat, personaliter invisebat, ut instrueret, & lucem & benedictionem eis importiretur. Unde visitans diœcesim suam per Helveticas partes aliaque loca prærupta & invia oberrabat, sæpius coactus potius repetare quam itinerari, coactus quoque sarcinas propriis vectare humeris, ut ad inaccessos illos populos pertingeret, ut sacerdotes & plebem in montuosis locis demorantem propriis monitis stimularet, & gratiæ auxiliis adjuvaret. Testis est auctor vitæ ejus lib. 6. cap. 45.

Quid non fecit *Abraham Eremita*, ut neptem suam Mariam à se fugitivam à turpi vita ad castitatem & pietatem reduceret? Mutavit habitum, ingressus est tamquam miles hospitium, incognitus petiit ejus alloquium, quasi rem nefariam cum ea commissurus. Sed tandem se illi detegens, pro ejus anima spopondit si reverti velle; peccatis ipsius se onerare paratus fuit, si monenti patruo illa pareret. Sic ovem errabundam & perditam humeris suis cum gaudio reportavit. O charitatem! O

benigni-

benignitatem imitatricem Evangelici noſtri Paſtoris!

PARS III *De gaudio vicinorum.*

DIcamus poſtremo ſingularem Paſtoris noſtri affectum manifeſtè nobis teſtari gaudium quod ex ove inventa concepit, & advocationem illam amicorum ad ſibi congratulandum & congaudendum: *Congratulamini mihi*, inquit, *quia inveni ovem meam quæ perierat.* Ubi notat S. Gregorius homil. 34. in Evangelio: *Non dicit, congratulamini ovi invente, ſed mihi, quia ſcilicet eius eſt gaudium vita noſtra, & cum nos ad cælum reducimur, ſolemnitatem lætitiæ ipſius adimplemus.* Damnum oviculæ tamquam proprium ſentit pius Paſtor, & gaudet inventam qui deploravit pereuntem. Jacob plorat Joſeph filium ſuum quaſi nullum alium haberet, nec ab aliis filiis vult ullam recipere conſolationem. Ubi autem audivit, *Ioſeph filius tuus vivit*, revixit ſpiritus ejus, & ait; *Sufficit mihi, ſi adhuc Ioſeph filius meus vivit, vadam & videbo illum antequam moriar.* Sic quadam ratione Dominus videtur maximè indolere quando vel unus perit, quaſi alios non haberet; gaudet autem maximè quando vel unus convertitur. Propter unam Samaritanam accedit ad puteum grandi labore fatigatus. Propter unum Zachæum perambulat Jericho ſollicitus. In illorum converſione magna dat ſigna lætitiæ, quaſi inventâ ove, quia & in cælo gaudium eſt ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Unde Origenes hom. 23. in lib. Num, ſic ait: *Ego puto quod per ſingulos quoſque credentium, per ſingulos qui convertuntur ad Deum, qui proficiunt in fide, feſtivitas oritur Domini. Quomodo putas lætificat eum, cum is qui fuerit impudicus, fit caſtus, & qui fuerat injuſtus juſtitiam colit, & qui fuerat impius efficitur pius. Iſte omnes ſingulorum quorumque converſiones feſtivitates generant Deo.* Hoc ergo voluit Dominus indicare, dum gaudet repertâ ove, dum ſibi vult congratulari, dum dicit: *Gaudium eſt ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.*

Gen. 37.

Gen. 45.

Ioan. 4.

Luc. 19.

Quomodo majus gaudium ſuper uno pœnitente quam 99. juſtis.

Sed dubium remanet, cur dicat quod gaudium ſit in cælo majus ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis qui non indigent pœnitentiâ.

Reſp. 1.

Reſp 1. per 99. Juſtos deſignari ſuperbos Phariſæos, qui ſe juſtos exiſtimabant, nec putabant ſe egere pœnitentia. Quaſi illos perſtringens Dominus dicat: Majus eſt gaudium ſuper uno peccatore, quam ſuper vos, ô Phariſæi ſuperbi, qui alios deſpicitis, & cum arrogantia exiſtimatis vos juſtos, & ſecundum inflatam illam opinionem bonam de vobis non indigetis pœnitentia. Ita nonnulli Interpretes.

Reſp. 2.

Reſp. 2. Intelligi etiam id poſſe de verè juſtis; dicantur autem illi non egere pœnitentia, quæ ſcilicet deleat mortalem culpam, & à ſtatu peccati ad gratiæ ſtatum illos transferat. Majus autem gaudium dicit eſſe de uno pœnitente, quam de multis juſtis, ad illum modum quo in hac eadem parabola dicit apud Matthæum hominem aliquem magis gaudere ſuper errabunda ove reperta, quam ſuper 99 quæ non erraverunt. Quia ſcilicet magis actuale eſt, & magis ſenſibile gaudium de unius pœnitentia, quam de multorum innocentia: quomodo Pater aliquis magis gaudet de unius filii reſtituta valetudine, quam de multorum filiorum qui non fuerunt in periculo integrâ ſanitate, etſi jam ſi omnes filios ex æquo diligat. Sic ex inventione ovis perditæ actuale quoddam oritur gaudium in Paſtore, quod non naſcitur ex ovibus quæ permanſerunt in paſcuis. Loquitur ergo Dominus vulgari quodam modo de rebus divinis, tamquam de humanis; In rebus autem humanis amiſſa res cum reperitur, eſt occaſio & materia novi gaudii. Hoc latius explicat *S. Auguſt. lib. 8. confeſſ. cap. 3.* ubi ait: Deus bonè quid agitur in homine, ut plus gaudeat de ſalute deſperatæ animæ, & de majori periculo liberatæ, quam ſi ſpes ei ſemper affuiſſet, aut periculum minus fuiſſet? Etenim tu quoque miſericors Pater plus gaudes de uno pœnitente, quam de nonaginta juſtis quibus non eſt opus pœnitentia. Et nos cum magna jucunditate audimus quam exultantis Paſtoris humeris reportetur ovis quæ erraverat: Et drachma referatur in theſauros tuos, collætantibus vicinis mulieri quæ invenit: Et lachrimas excutit gaudium 1 ſolemnitatis domus tuæ, cum legitur in domo tua de minore filio, quia mortuus erat & revixit, perierat & inventus eſt. Gaudes quippe in nobis & in Angelis tuis ſanctâ charitate ſanctis. Nam tu ſemper idem, qui ea quæ non ſemper nec eodem modo ſunt, eodem modo ſemper nôſti omnia. Quid ergo agitur in anima, cum amplius delectatur inventis rebus quas diligit, quam ſi eas ſemper habuiſſet? Conteſtantur enim & cætera, & plena ſunt omnia teſtimoniis clamantibus: ita eſt. Triumphat victor Imperator, & non viciſſet niſi pugnaſſet & quanto magis fuit periculum in prælio, tanto majus eſt gaudium in triumpho. Jactat tempeſtas navigantes, minaturque naufragium, omnes futura morte palleſcunt. Tranquillatur cælum & mare, & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger eſt charus, & vena ejus malum renunciat, omnes qui eum ſalvum cupiunt ſimul animo ægrotant. Fit ei rectè, & nondum ambulat priſtinis viribus, & fit jam tale gaudium quale non fuit cum antea fortis ambularet. Hæc ibi Aug. ad noſtrum propoſitum aptiſſimè.

Reſp. 3.

Reſp. 3. cum S. Gregorio, poſſe id intelligi de juſtis tepidis, & de peccatore magno animi fervore reſurgente. Majus ergo gaudium eſt ſuper uno peccatore pœnitentiam ardenter agente boniſq; operibus inſudante, quâ ſuper 99 juſtis qui pigri remanent ad exercitium bonorum, quia ſibi ſecuri videtur quod nulla commiſerint graviora mala. Alii vero ex ipſo ſuo dolore cõpuncti nar deſcunt in amorem Dei, & damna præcedentia lucris ſequentibus recompenſant, quia ſe errâſſe à Deo conſiderant.

Reſp. 4.

Declarat id sanctus Gregorius appositis similitudinibus per hæc verba : *Majus de peccatore converso quam de stante justo gaudium sit in cœlo, quia & dux in prælio plus illum militem diligit, qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam illum qui numquam terga præbuit, & numquam aliquid fortiter gessit: Sic agricola illam amplius terram amat quæ post spinas uberes fruges profert, quam eam quæ numquam spinas habuit, & numquam fertilem messem producit.* Hæc S. Gregorius hom. 34 in Evang. Hæc omnia dicta confirmans S. Cyprianus lib. de duplici martyrio sic loquitur. Non hoc sic accipiendum est, quasi Deo & Angelis ejus gratius sit post lapsum redire ad pietatem, quam citra lapsum perseverare in innocentia. Sed scriptura suo more loquitur secundum affectus humanos, illud testatum esse volens gratissimam esse Deo peccatorum conversionem Atque interdum piorum lapsus quamvis enormes divina dispensatione vertuntur in summum Ecclesiæ profectum. Sic lapsus est Apostolorum Princeps, sic Paulus Doctor Gentium, sic Maria Magdalenæ, quibus Ecclesia maxime gloriatur: quorum lapsus cesserunt in stabilimentum & solatium domus Dei. Præterea non hic loquitur de vere justis, sed de justitia Pharisaica, sicut alibi dicit. Non est opus sanis medico, sed malè habentibus. Hæc S. Cyprianus paucis complectens tres nostras responsiones.

Cur gaudeant Angeli peccatore pœnitente.

Resp. 1.

Cæterum, Angeli habent occasionem gaudii in conversione nostra triplici de causa. *Prima* est, quia agnoscunt tunc officium suum & ministerium circa pœnitentem non fuisse frustratum suo fine. Cum enim sint nobis constituti tamquam duces & tutores, ut nos à malo abstrahant, & ad bonum excitent, ad salutemque æternam perducant per pœnitentiæ viam; non potest non eis esse gaudio, dum eorum monitis homo pertingit è tenebris peccati ad gratiæ lucem. Sicut enim Medicus gaudet quando cernit ægrum suæ curationis fructum: similiter & Angelus gaudet quando videt ergà hominem suæ curationis affectum. *Secunda* est, quia vident ex peccatoribus conversis suum adimpleri numerum, dum adimpletur numerus electorum. Sive enim tot ascendant de hominibus ad gloriam quot Angeli ceciderunt, ut aliqui dixerunt Theologi, sive plures, ut alii volunt, quia tam principaliter creatus est homo ut Deo fruatur, quam Angelus, & licet non peccasset Angelus, fuisset homo creatus & post lapsum reparatus, ut docet *Magister Sentent. in 2. d. 9.* Tamen certum est ex creatione & reparatione hominis hoc consecutum esse boni Deo ordinante, ut instauraretur ruina Angelica per homines; *Ita ut illa civitas nulla numerositate civium sit fraudanda, sed aliquis addendi super numerum*, secundum mentem Augustini. Exinde ergo gaudent Angeli in conversione peccatorum.

Resp. 2.

Resp. 3.

Tertia causa est, quia dum per pœnitentiam veniunt homines ad vexillum Christi de castris diaboli, gloriam Dei plures celebrant: veniunt enim hi ut cum illis collaudent bonitatem & misericordiam Dei. De tali ergo gaudent consortio, quando cum Angelica natura etiam laudat Dominum humana creatura Sic enim *laudant astra matutina*; hoc est Angeli: *& jubilant omnes Filii Dei*, hoc est Angeli cum hominibus. *Iob. 38.*

Exemplum habemus quomodo Angeli gaudeant in conversione peccatorum in libro doctrinæ Patrum de providentia numer. 5. ubi sic legimus. Beatæ memoriæ Paulus simplex discipulus S. Antonii gratiam habebat à Deo ut unumquemque cujus conscientiæ esset, agnosceret, sicut nos facies videmus invicem. Quodam die sedens ad ostium Ecclesiæ intuebatur ingredientes, quo animo intrarent. Ingredientibus omnibus clara facie cum Angelo suo, vidit unum obscurum toto corpore, & dæmones, utraque parte eum trahentes ad se, Angelum vero à longe sequentem tristem. Paulus lacrimans & pectus tundens eum deplorabat. Interrogabant vero eum alii quid illæ lacrimæ, rogabantque ut ingrederetur ad missam cum eis. Illæ autem sedebat foris tacens & plorans, nolens ingredi. Paulo post dimisso Ecclesiæ conventu attendebat singulos exeuntes, ut quorum cognoverat introitum sciret quales exirent. Et vidit virum illum exeuntem splendidum vultu & corpore, & Angelum circa ipsum gaudentem valde, dæmones autem à longe sequentes. Tunc Paulus cum gaudio exsiliens inclamabat: *Venite & videte opera Domini, quomodo vult omnes salvare, & quomodo potens est peccata remittere.* Cumque plures accurrerent ut eum audirent, referebat quæ viderat. Mox interrogat virum illum unde ei tanta mutatio? Ille convictus à Paulo aperte dixit: Ego homo peccator sum & usque nunc in fornicatione vixi, ingrediens autem Ecclesiam audivi vocem Dei per Isaiam: Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur In hoc sermone compunctus sum; & ingemiscens dixi. Tu qui venisti peccatores salvos facere, & qui hæc promisisti per Prophetam, comple illa effectu in me, Amodo abrenuntio iniquitati meæ, & servio tibi in conscientia munda. In hac ergo hora suscipe pœnitentem, & omni peccato abrenunciantem. Sicque egressus sum Ecclesiâ cum promissione firma Hoc audientes cæteri benedixerunt Dominum. Sic scilicet eum pœnitentem subito bonus Pastor humeris suscepit. Sic Angelum suum antea tristem lætificavit. *Isaï. 1.*

Propterea unicuiq; possumus dicere cum *S. Bernardo medit cap. 5.* Væ tibi quicumque es qui desideras redire ad vomitum, reverti ad lutum. Putasne placatos eos habebis in judicio quos tanto vis privare gaudio? Exultaverunt super his quos ab inferi porta cernebant revocari. Quid ergo erit, si ab ipsa paradisi janua viderint retrorsum abire, qui jam alterum pedem in cœlo videbantur habere?

Tu

Conclusio.

TU bone Pastor, qui in cœlo tamquam deserto (quod deseruerunt quidam Angeli, & homines omnes per Adæ peccatum) relictis Angelis quasi 99 ovibus, venire dignatus es ad hominem tamquam ovem errantem, ut humeris impositam reduceres eam; fac nos intelligere & redamare charitatem, quam exhibuisti sic veniendo, pellem ovis assumendo, per spinas & dumeta non sine sanguine transeundo, humeros pio onêri supponendo. Fac ut simus ovis illa à te quæsita, à te revecta, ut lætificemus cœlum & Angelos conversione nostrâ, & tandem audiamus vocem illam cum ovibus, quæ sunt à dextris: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum præparatum vobis à constitutione mundi*; sicque collætemur in æternum, te Ducem sequentes, & Pastorem per æterni viroris pascua.

Matt. 25.

Lect. 3. tripartita.

DOM. IV. POST PENTECOSTEN.

Irruebant turba, ut audirent Verbum Dei. Luc. 5.

Pars I. *De turba irruente, ut audirent Christum.*

MAgnus omnino elucescit fervor populi Jesum quocumque sequentis per urbes & castella, per agros & montes, per lacus & maria. Nec exiguo numero, sed turmatim ad eum ita accurrere visi sunt, ut Evangelista fervorem eorum volens describere dicat, quod *Turbæ irruerent in Iesum*, quasi cum impetu urgentes & prementes eum. Hoc quidem irreverentiæ cujuspiam videri posset, sed ut dicit S. Bonaventura; Desiderium verbi Dei tanti apud Deum est meriti, quod ipsam quoque irreverentiam turbæ in eum irruentis excuset. Vehementi enim desiderio movebantur, considerantes magis Domini bonitatem quam majestatem. Sic adimplebatur ex parte illud: *Omnes sitientes venite ad aquas, properate, audite audientes me. Quasi dicat.* O vos omnes veritatis & sapientiæ salutiferæ avidi, venite ad aquas doctrinæ & salutis, properate, premite, irruite cum fervore, sitim animi vestri, sitim veritatis, sitim sapientiæ cœlestis & salutiferæ sedatæ. *Sitit sitiri Dominus*, inquit S. Nazianzenus, *& si tanto bono sine labore petiri possumus accedendo tantum ad fontem, cujus dementiæ est tantum bonum differre?* Hâc ergo siti pressi premebant se populi fluentes ad Dominum, premebant & ipsum Dominum, ut de fluentis ejus hauirent, biberent; aviditatemque suam explerent, ipso non invito, sed invitante.

Bon. in cap. 5. Luce.

Isai. 55.

Ob triplicem causam turba in Christum irruentis.

Tres porro causas possumus adferre tantæ multitudinis tanto cum fervore ad eum concurrentis & irruentis.

Prima, ut audirent eum.
Secunda, ut viderent eum.
Tertia, ut tangerent eum.

1. Prima hic exprimitur disertis verbis. *Irruebant in eum, ut audirent verbum Dei.* Quodnam illud verbum Dei? Christum audire avebant, qui est verum & æternum Patris Verbum. Quia ut ait Apostolus, Deus qui *multifariam multisque modis olim loquens erat in Prophetis, novissime nobis locutus est in filio.* Antea obscure & imperfecte loquebatur in Prophetis, & per Prophetas, super quos sæpe ut dicit scriptura, *Factum est verbum Domini*: & loquebatur eis Deus per revelationes, vel sensibiles, vel intellectuales, vel imaginarias. Postea autem per verbum suum incarnatum manifestè loqui dignatus est, & perfecte quando illud suum. Verbum quod conceperat ab æterno ipse manifestavit nobis in tempore, in assumpta carne: tunc enim proprie loqui dictus est, quia habet se hoc Verbum incarnatum ad Verbum increatum, sicut verbum vocis ad verbum cordis, ut ex S. Augustino docet S. Thomas in cap. 1. ad Hebr. Christus ergo verbum Dei est, quod suscipiebant cum omni aviditate turbæ; & ipsum verbum Verbi, hoc est sermonem ejus sermonem sapientiæ æternæ similiter ardenti excipiebant desiderio, ad eum irruentes, eique adhærentes propter efficacissimam, suavissimamque gratiam verborum ejus.

Heb. 1.

Hier. 1.

De hac ejus gratia ac verborum suavitate & efficacia, quâ alliciebat turbas, testimonium habemus tum in veteri, tum in novo testamento. In veteri quidem de ea prophetice dixit David: *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* An non hæc est gratia sermonis cœlestis propter quam a Deo & hominibus æternum est benedictus? Unde mulier illa Evangelica verborum ejus suavitate quasi extra se rapta extollens vocem in medio turbarum in hanc benedictionem erupit: *Beatus venter quite portavit, & ubera quæ suxisti.* At ille *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* De eadem gratia labiorum loquitur sponsa. *Labia illius lilia distillantia myrrham primam.* Ubi comparat labia sponsi cum liliis purpureis in Syria laudatissimis, propter suaviloquentiam ejus. Dicitque labia illa fuisse quasi stillantia myrrham primam, sive myrrham electam & probatissimam, quia peccatores increpabat & hortabatur ad pœnitentiam & crucem ferendam, & hoc erat stillare myrrham amaram; quia tamen hic sermo de cruce & pœnitentia procedebat de ejus ore melleo, amaritudo illa non erat amaritura, ob suavem gratiam labiorum ejus. Huc etiam spectat quod dicit ipse de se Christus *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo.*

Suavitas verbi turbas allicicbat.

Psal. 44.

Luc. 11.

Cant. 5.

Isai. 50.

In novo testamento notissima sunt testimonia ejusdem rei expressa in plerisque locis Evangelii. Unde dicitur: *Mirabantur omnes in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus.* Idem ipsemet adversarii qui missi fuerant ad eum, apprehendendum, stupefacti redeunt, & dicunt. *Numquam sic locutus est homo.* Item dicit de eo Petrus: *Domine verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?* Cœlesti ergo suo sermone quasi *vitta coccinea*, purpureoque funiculo ad se trahebat turbas, illasque sibi colligabat tantâ efficaciâ, ut vix possent ab eo divelli. Ideo quando-que triduo secutæ sunt eum neglecta familia, ne-

Luc. 4.

Ioan. 7.

Ioan. 6.

Cant. 4.

neglecta fame. Sic irruunt hic in eum, ut audiunt verbum ejus.

Exempla sanctorū, opere, & sermone potentium S. Franciscus.

Hanc gratiam labiorum non soli sibi reservavit, sed etiam communicavit nonnullis quibus verbum suum commisit, ut & ipsi potentes opere & sermone ad Deum attraherent multitudinem & adducerent ad salutem.

S Franciscus ita hac gratia donatus erat, ut de eo scribat S. Bonaventura c. 12. vitæ ejus: *Omnis etas omnisque sexus properabat, virum novum mundo cœlitus datum & cernere & audire; erat enim verbum ejus velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentis admirationes replebat. Propter quod omnes cujuscumque conditionis quos vel in aperto vel in occulto reprehendebat, tanta eum veneratione suspiciebant & exaudiebant, ut interius compuncti vel vitam componerent, vel tum re & horrore correpti contra corripientem murmurare non audirent.* Ita S. Bon. Sicut vero nostrum hodiernum Evangelium testatur quod Christus juxta stagnum stans ut turba facilius eum audiret, ascendit in navjculam à terra paululum semoram, idem & testantur Chronica à S. Francisco non sine miraculo factum. Cum enim quodam die ageret circa littus maris, magnaque multitudo populi concurreret ad eum videndum, audiendum, ejusque benedictionem implorandum, ipse fugitans auram popularis honoris sese in navicula, quadam abscondere conatus est: at mox persensit naviculam sese a portu miraculosè removentem; foret aliquantum distans à littore, stetit illa immobilis in mediis undis, quasi columnis sustentata marmoreis. Agnoscens igitur Franciscus divinam voluntatem per hoc miraculum (ad cujus etiam intuitum populus stupefactus ibi adstabat) divinum eis verbum ibidem maximè cum fructu annunciavit, impertitaque benedictione cum monuisset ut descenderent, ipsa navicula nemine manum admovente littori iterum appropinquavit. Eadem ergo ad verbi divini prædicationem cathedra uti voluit Franciscus miraculo admonitus, qua hic usus fuit & Christus.

Chron. Gallica. l. 2. c. 35.

S Antonius de Padua.

Similiter gratiâ labiorum tantâ pollebat S. Antonius de Padua, ut omnes attraheret ad se, & in admirationem raperet; adeo ut cum eum quodam die concionantem cum admirabili sapientia & suaviloquentia Summus Pontifex audiret, *Arcam testamenti* publicè nominarit. Innumera autem eum sequebatur multitudo, imò perveniebat, & locum certatim præripiebat in templis concioni designatis; nec templa sufficiebant, sed in agros quandoque necesse fuit ipsum exire, ut irruentibus turbis satisfaceret. Deus vero etiam post ejus mortem voluit ostendere quomodo ejus lingua fuerit plectrum & organum Spiritus S quia per miraculum incorrupta mansit annis triginta duobus post ejus obitum. Quapropter *S. Bonaventura* Ordinis Franciscani Generalis, cum tunc corporis Sancti hujus fieret translatio, invenit eam vividam & rubicundam, plenam succi & sanguinis, quasi esset lingua hominis adhuc viventis; ideoque à Cadavere jam exeso & assumpto illam eximens, osculisque & lacrimis magnâ cordis sui devotione irrigans, exclamavit: *O benedicta lingua quæ semper Deum laudasti, causaque extitisti ut eum alti laudarent, nunc miraculo integritatis tuæ ostendis quanti meriti sis apud Deum, quis te ad sublime adeo officium prædicationis verbi Dei efformavit & destinavit!* Sic & lingua ipsiusmet Bonaventuræ, quæ Seraphico igne fuerat inflammata, ut alios etiam ad amorem Dei inflammaret, integra & recens est reperta 160. annis post mortem anno 1434. cor quoque & caput; in corporis scil. ipsius translatione tunc facta. Hoc utique fuit præmium sapientiæ, zeli, virtutis, quasi sancti auditores innumeros cognitione Dei illustratunt, & amore succenderunt. Poterant ergò hi dicere illud. *Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum.* In mercedem sapientiæ & igniti eloquii quod ad aliorum conversionem profuderunt, dedit eis Deus linguam incorruptam, tandemque illam resument immortalem & gloriosam, & per ipsam eum laudabunt in sæcula sæculorum.

Cornel. in epist. Iacobi ex Chron. Minorum.

Eccli. 51.

Sic quoque *S. Vincentius Ferrerius, Ord. S. Dominici*, virtute verbi sibi à Deo commissi ab Hispaniis per Galliam in Belgium, & alias Europæ regiones pergens, tantam attraxit multitudinem, ut quandoque quadraginta millibus auditorum dicatur fuisse stipatus. Asseriturque convertisse Judæorum viginti quinque millia, Saracenorum octo, Publicorum vero & infamium peccatorum, sive homicidarum, prædonum, usurariorum, meretricum 40. millia ad publicam pœnitentiam, aliorum vero peccatorum supra centum millia ad confessionem Sacramentalem adduxisse. Sic irruebant turbæ in eum, & post concionem diverberantium se innumera erat multitudo.

S. Vincentius Ferrerius.

Itaque Christus Dominus, Apostoli, Apostolicique viri fuerunt in veritate potentes illi Oratores Amphion, Orpheus, Arion, de quibus fabulantur antiqui, quod suo carmine & suaviloquentiâ moverint saxa, arbores, sylvas, feras ad ædificandas civitates & muros construendos. De quo Horatius l. de arte Poëtica canit:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
Saxa movere sono testudinis, & prece blandâ
Ducere quò vellet.

Nimirum hi viri sancti homines duros instar saxorum & rupium, homines rudes & sylvestres instar arborum, homines feros instar belluarum, pellexerunt ad se gratia labiorum suorum & virtute verbi Dei; ex eisque lapides electos, lignaq; polita confecerunt, quibus ædificaretur civitas Dei in terris sanctâ societate, in cœlis æternâ compaginatione & beatâ conjunctione. Hæc est enim *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum, ad quam ascenderunt tribus & tribus ad confitendum nomini Domini*, quæ attractæ fuerant verbo Domini & servorum ejus.

Psal. 121.

PARS II. *Turba irruerunt, ut Christum viderent. Cant. 5. Psal. 44.*

SEcunda causa quare irruerent turbæ in Christum, fuit ut viderent eum, & de propinquo conspicerent. Erat facies ejus amabilis & desiderabilis nimis. Hinc dicitur: *Totus desiderabilis*, sive ut Hebræa lectio habet, *Totus desideria*, objectum scilicet & scopus desideriorum. Et de eo canitur quod *Speciosus sit forma præ filiis hominum*; quod non solum de interiori pulchritudine per sanctitatem intelligendum, sed etiam de exteriori pulchritudine & gratia, & ut interpretantur SS. PP. Unde S. Hieron. dicit quiddam in vultu Christi sydereum promicuisse, quo ad se poterat rapere peccatores. *Fulgor ipse & majestas divinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo adspectu videntes ad se trahere poterat. Sicenim in magnete & succinis hæc esse vis dicitur, uramulos, & festucam, & stipulum sibi copulent; quanto magis Dominus creaturarum ad se trahere poterat quos volebat?* Ita S. Hieron. Matt. 9. Similiter S. Chrysost. Hom. 13 in Marcum ait: *In vultu Salvatoris aliquid fuit divinum, quod videntes homines sequebantur.*

Gen. 49. Propterea etiam de CHRISTO ex tribu Juda oriundo prædixerat parens ejus Jacob: *Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Pulchriores dicuntur oculi Messiæ vino, qua illustriorem & pulchriorem colorem præferunt quàm vinum & sunt illo rubicundiores, ardentiores, magisque fulgidi & radiantes. Præterea conferuntur cum vino oculi Christi, quia mire intuentes se cum pietate lætificabat ejus benignus aspectus; magis quam vinum recreet cor hominis. Laudat etiam eũ ab oris & dentium candore. Quæ omnia quidem intelligi possunt de externa oris, oculorum, & faciei promicante in Christo gratia: sed tamen maxime respiciebat Jacob & oculos dentesque mystico s. Oculi ejus mystici acutissimi, efficacissimi, radiantissimi sunt ipsius perfectissima scientia & providentia; scientia quâ nos intuetur; providentia quâ nos tuetur. His oculis respicit electos suos; sunt que illi oculi lucidiores super Solem & omne malum dissipant intuitu suo. Oculi quoque ejus mystici sunt Apostoli, qui lucidiores & pulchriores sunt vino, per claritatem suæ sapientiæ, per puritatem vitæ per fulgorem & ardorem zeli. Dentes ejus candidiores lacte significant cœlestem & candidam doctrinam, per quam panem suavissimum mundo dividebat; quod ipsum prævideratJacob. Candor ergo dentium doctrinæ ejus puritas est perfectio. Nulla in dentibus ejus macula, nulla inerat putredo, nullus defectus. Nulla in doctrina ejus falsitas, nullus fucus, nulla imperfectio: omnia erant purissima, omnia cœlestia & divina. Dentes etiam mystici ejus sunt verbi Dei prædicatores; qui quasi dentes escam doctrinæ fidelibus præmandunt & dividunt, eorumque vitia præmordent, resecant & abjiciunt. Hic candidiores sunt lacte, ob doctrinæ suavitatem, puritatem, splendorem; ob lac quod parvulis tradunt cœleste.

Oculi & dentes Christi mystici.

Itaque ad Christum turmatim concurrebant populi, tum ut ab ejus ore aureo verbum sapientiæ exciperent, tum etiam ut faciem ejus amabilissimam contuerentur. Si de Salomone dicitur: *Universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus.* 3. Reg. 10. Certè plusquam Salomon hic; & ideo universa Galilæa merito desiderabat vultum ejus videre, & sapientiam ejus audire. Non ergo mireris, si irruant in eum turbæ; ita ut cogatur in naviculam conscendere, tum ut omnes facilius conspiciat, tum ut ab omnibus conspiciatur. Voluit enim benignus Dominus quos docebat videre, & non solùm audiri, sed etiam vicissim ab eis videri. Sic asserit S. Chrysostomus in hunc locum his verbis: *Volens autem diligenter congregare spectaculum, ut nemo remaneret post, sed omnes facie ad faciem cerneret, ascendit in navim.* Enim verò non solum pro benedictione olim promissa fuerat doctrina Christi in lege gratiæ auditio, sed etiam ipsiusmet tamquam Doctoris & Præceptoris facilis visio. Nonne hoc est quod per Isaiam pro summo beneficio promissum fuerat: *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum?* Isai. 30. Nonne id ipsum est, quod dicitur: *Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illum Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus.* Baruch. 3. Quasi dicat: Postquam filiis Jacob, Israëlitis scilicet legem dedit per Moysen, viamque salutis docuit per Prophetas ipsemet sese eis exhibere dignatus est, & se videndum tamquam Doctorem præberet; quod certe maximum fuit beneficium. Nonne etiam Simeon ideo exultat in cantico suo quod ei datum fuerit videre oculis propriis Salvatorem ante defunctionis suæ diem? *Viderunt oculi mei salutare Dei, quod parasti ante faciem omnium populorum.* Luc. 2. Propterea etiam Christus ipse pronunciavit discipulos & sectatores suos beatos, non solum quia audirent quæ audiebant ab ipso, sed etiam quia videbant ipsum & opera ejus. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Amen dico vobis, quod multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Luc. 10.

Videre faciem Christi, amabile.

Profectò non erat parvæ consolationis & lætitiæ, dum devotæ animæ Christi faciem poterant cernere tantopere antea à Patribus desideratam, ex qua etiam Beati in cælis hauriunt specialem gloriam, dicente Prophetâ: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Psal. 15. Si de Rege Assuero dicit Esther. *Videte Domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.* Esth. 15. *Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* Quanto magis id dicere de Christi Domini majestuosa facie poterant qui devote eum audiebant & intuebantur? Sic de S. Stephano dicitur: *Intuentes eum omnes qui sedebant in concilio viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli*; quia scilicet augustum aliquid & cœleste in vultu ejus resplendebat, & exterior fulgor faciei indicabat fulgorem & pulchritudinem interiorem animi: quantò magis id verum fuit de illo qui absconditam intus habeba-

Act. 6.

habet divinitatem, cujus radii quando volebat etiam in faciem redundabant, quique non solùm os Angelicum, sed & divinum præferebat? Olim non poterant in faciem Moysis intueri filii Israël, ob radiantem gloriam vultus ejus ex consortio sermonis
Exod. 34. Dei. Majore pollebat Christus gloriâ & fulgore ex consortio divinitatis, sed illum temperabat, & piè intuentibus faciem suam sic accommodabat, ut non in terrorem verteretur, sed in amorem; non in metum, sed in desiderium.

Videre Iesum multi desiderarunt.

Propterea tantopere desiderabat Zachæus, & quærebat videre JESUM. Atque licet ipse dives foret & honoratus, nihilominus non veretur in plarea instar vilis homuncionis ascendere in arborem
Luc 19. Sycomorum, ut videret illum, quia statura pusillus erat, & præ turba non poterat cum intueri. Poterat certè cum propheta dicere: *Tibi dixit cor meum, ex*
Psal. 26. *quisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram,* Sed sciens ipsius desiderium & suscipiens JESUS prius vidit illum, & oculis fulgidissimis in eum conjectis, fusit ipsum descendere, & faciem suam benignissimam dignatus est ei exhibere; ut sicut fluit cera à facie ignis, sic cor Zachæi à facie Domini flueret per conceptum ignem contritionis & amoris, gaudii & exultationis. Suscepit enim eum gaudens in domum suam, & cum exultatione audivit? *Hodie huic domui salus à Deo facta est.*

Ioan. 12. Propterea etiam quidam Gentiles qui ascenderant adorare in die festo, accesserunt ad Philippum, & rogabant eum dicentes: *Domine, volumus* JESUM *videre.* Hoc est, optamus magnopere illum propiùs cernere, & cum illo colloqui. Adumbratur autem in desiderio isto horum Gentilium desiderium omnium nationum totum orbem incolen-
Aggai 2. tium, quia de Christo dictum erat: *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Et hæc erat vox quædam omnium gentium: *Volumus Videre Iesum.* Unde etiam Christus Dominus occasione horum Gentilium suam faciem quærentium, respondit discipulis: *Ve-*
Ioan. 12. *nit hora ut clarificetur filius hominis.* Quasi dicat: jam tempus adest, quo ego à Pharisæis abjectus & neglectus, à populis Gentilium qui in me credent, agnoscar & glorificabor. Atque etiam hanc faciem suam aliquibus Gentilibus dignatus est exhibere. Nam & Reges Orientis & Centurio Gentiles erant, Chananæa quoque Gentilis, fuit, quibus amabilem se adeò exhibuit. Et ad Abagarum Edessæ Regem imaginem faciei suæ linteo impressam misisse dicitur, ut ejus desiderio satisfaceret, quo ardebat videre JESUM. Cùm enim, ut refert Nicephorus & Evagrius, auditis Christi miraculis morbo detentus, ejus præsentiâ frui non posset, pictorem misit qui accurratè ejus vultum delinearet. Et ille quidem in loco sublimiore stans conatus est pingere Christi vultum, sed cùm cœptum opus non succederet: quia divinus splendor & gratia in vultu coruscans impedimento erat, re eâ cognitâ Salvator linteum candidum petiit, in eoque faciem suam expressit, & ad Regem misit. Hæc ex Archivis civitatis Edessæ desumpta esse testatur Nicephorus l. 2. c. 7. Item Evagrius l. 2. c. 26 & alii. Quod certè non est absonum à ratione, cum etiam traditione Ecclesiasticâ vulgatum sit, Christum impressisse linteo Veronicæ imaginem faciei suæ cruentæ, in monumentum pietatis futuris Christianis. O ergo facies desiderabilis, ad quam meritò concurrunt turbæ cum fervore & pietate!

In horum omnium confirmationem, in Revelationibus S. Brigittæ legitur Deipara Virgo ei dixisse, quod quicumque desolatus seu tristis vultum filii sui aspexerat, mox relevamen sensisset: adeo ut qui perturbationibus his comprimerentur dicerent: Eamus *ad* MARIÆ *Filium, ut ejus consolemur aspectu.* Quod si de B. V. Deipara tradit S. Ambrosius & alii classici Scriptores, tantam ejus fuisse in exteriori facie gratiam, ut etiam aliis quos conspiceret, castitatis & integritatis gratiam conferret: quantò majorem putas efficaciam Christi facies piè inspecta habere potuit, cùm ab eo MARIA omnem gratiam participarit?

Gerson Major. Carth. Amb. c. 7. de instit. Virg.

TErtia causa cur turbæ in eum irruerunt, erat, ut tangerent eum, quia ut ait in hunc locum Doctor extaticus Dionysius Carthusianus; *Desiderabant non solum ipsum inspicere & audire, sed etiam tangere; & posteriores impellebant priores, ita ut cum impetu in eum irruerent.* Hoc ipsum est quod dicitur: *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Tanta erat Christi sanctitas & potestas ut diffunderetur per vestem, quæ licet in se virtutem sanandi non haberet tamen inquantum erat operimentum corporis Christi virtuosa fuit & efficax ad curandum, interiori virtute scilicet redundante ad exteriora. Sic unguentum pretiosum *à capite descendit in barbam,* *Psal 132.* *barbam Aaron, & in oram vestimenti ejus;* hoc est, gratia Christi & virtus in ipso descendebat & profluebat à divinitate in humanitatem, & à carne etiam in vestimentum. Hoc optimè agnovit illa quæ dicebat intra se: *Si tetigero tantum fimbriam vesti-* *Matth. 9.* *menti ejus, salva ero.* Unde cum à turbis Christus itinerans comprimeretur, irruit & ipsa in eum, & venit retro & tetigit fimbriam vestimenti, & stetit fluxus sanguinis quem à duodecim annis patiebatur. Interim ut ejus fidem omnibus manifestam faceret Dominus, conversus ad turbam ait: *Quis est* *Luc. 8.* *qui me tetigit?* Negantibus autem omnibus dixit Petrus, & qui cum illo erant: *Præceptor turba te comprimunt & affligunt, & dicis; Quis me tetigit?* Verum alius est corporis tactus, & alius tactus fidei & pietatis. Tetigerat eum mulier tactu perfectæ fidei & devotionis, ideo senserat Christus virtutem ex se exisse quia aliquis tetigit eum. Vide ergo ubique turbam comprimentem, turbam irruentem in eum, tum ut audiret eum, tum ut videret eum, tum ut tangeret eum & aliquam ab ipso benedictionem & virtutem exeuntem persentisceret, vel solam vestem contingendo. JESUS enim fons erat salutis,

PARS III *Turba irruerunt, ut Iesum tangerent.* *Luc. 6.*

salutis quamdam efficaciam participabat. Sanabat faciei ejus visus, vocis & sapientiæ ejus auditus, corporis & carnis ejus vivificæ tactus, imò & salivæ, ut patuit in cæco illuminato & surdo sanato, imò & solius vestis exterioris. Propterea etiam milites crucifigentes sortiti sunt eam, quod illi virtutem ineſſe opinarentur, ut tradit Euthymius. Itaque hæ sunt tres potissimæ causſæ tanti concursus popularis ad Christum: ex quibus tria documenta ad nostram instructionem desumenda sunt.

Primò enim, ad imitationem populi hujus concurrentis cum fervore ad Christum ut audirent verbum ejus, docemur & nos excitare in animis nostris fervens desiderium & aviditatem audiendi verbū Dei. Qui enim cum desiderio & aviditate ad illud accedit, multum ex illo proficit, habetque signum electionis Dei in se. Unde pronunciat Dominus: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Et iterum: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Cibus illi magis proficit qui famet, ita & cibus animæ: & sicut signum est bonæ valetudinis, dum homo esurit; ita etiam signum est bonæ valetudinis animi dum esurit verbum Dei. Sic dicitur de quibusdam, *Susceperunt verbum cum omni aviditate.* Susceperunt autem tanquam verbum divinum, non cum sola curiositate (sicut de Athenienſibus dicitur; *Ad nihil aliud vacabant quàm audire vel dicere aliquid novi*, quibus non pauci sunt similes inter Christianos) sed cum reverentia, obedientia, & promptitudine. Hoc enim necessarium est ut proficiat verbum Dei. Debemus, inquit S. Bonaventura, verbum Dei audire, ut proficiamus in intellectus lumine, & simul in Dei amore. Sic similes erimus apibus, quæ ex diversis floribus argumentosè conficiunt favum mellis. Ceram scilicet instar apum conficere debet mens pia ad illuminandum intellectum, & mel amoris ad reficiendam voluntatem. Quod si solum audivimus Verbum Dei ex curiositate, nec cum ea qua decet reverentia, si nec custodimus illud cum observantia, jam potius contra nos verteretur in testimonium. Propterea de quibusdam conqueritur Dominus: *Et tu filii hominis: Filii populi tui qui loquuntur de te juxta muros, & in ostiis domorum, & dicunt unus ad alterum: Venite & audiamus quis sit sermo egrediens à Domino. Et veniunt ad te, & sedent coram te populus meus; & audiunt sermones tuos, & non faciunt eos, & ea quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* An non hoc verum est de plerisque Christianis? Audiunt verba Concionatorum, & eis delectantur, & sese incitant mutuò ad concionem adeundam, dicuntque in plateis & ostiis domorum: Quàm diserte concionatus est noster Prædicator. Interim nihil corrigunt pravorum morum, videturque nonnisi voluptatis & recreationis gratia adire concionem; audiunt & non faciunt. Sunt similes illis qui audirent Cytharedum instrumentum musicum scite pulsantem solo concentu delectati; transit concentus & sonus, nec alius est fructus: sic etiam apud eos nihil operatur sermo Dei nisi oblectationem transeuntem infructuosè. Aliqui etiam reperiuntur qui negligunt Verbum Dei, quia satis periti sibi videntur, nullíusque doctrinæ indigi. Sed fallunt hi semetipsos, quia licet scientia omni sint instructi, tenentur tamen audire quandoque Verbum Dei, tum ut refricent memoriam eorum quæ sciebant, tum ut excitentur ad ea facienda quæ sciunt & audiunt, tum ut aliis bono sint exemplo, & eos excitent pari studio ad audiendū. Sed & hoc omnibus persuasum esse debet, semper ex omni concione fructum aliquem posse elici. Ideo S. Theresa fatebatur se quamlibet indocti sermone profeciſſe sermone. Quod ipsum asserebat de se Michaël Bajus celeberrimus olim scientia & pietate in Lovanienſi Academia Doctor Theologus. Licet igitur quis in Scripturis eruditus sit, & in fidei mysteriis, fructuosius tamen illa percipere poterit ad salutē ex ore proponentis in persona Christi, & fungentis officio Apostolico, imò & Angelico salutares erant aquæ probaticæ piscinæ; sed debeant prius ab Angelo volvi & moveri, sic est & de verbo Dei, à Concionatore revolutum vim habet salutarem. Alia similitudine idem declarat S. Nazianz. carm. 2. de Virginitate. Sicut silex ip se ignem continet, non tamen scintillas emittit nisi extrinsecus percussus; sic & in cordibus nostris latent scintillæ pietatis sed non exsiliunt nisi verbo Dei corferiatur. Verba ejus sunt ista:

Pietatis namque sepultæ
In nobis scintilla latet, velut igneus ardor,
Inclusus saxis: ut porrò sæpè revulso.
Ferrum de rigido solet ignem extrudere saxo,
Haud aliter pietas latitans sermone salutis
Attrita in medium prodit clarèq; refulget.

Secundò docemur exemplo irruentis turbæ ad videndum eum, adspirare ad faciem Christi, eamque mentis & fidei oculo pie contemplari; quia ab illa omnia bona nobis prodeunt, & in illa tandem conspicienda complebitur beatitudo nostra. Nihil nobis dat Pater Æternus, nisi respiciens in faciem Christi sui, nec nos respicit nisi per illam, ergo etiam vult ut ipsam & nos respiciamus. Lumen salutis & gratiæ oritur in nobis dissipans peccati tenebrosam caliginem, dum illuminat vultum suum super nos, dum illustrat faciem suam super servos suos: nihil nisi tenebræ remanent in nobis, dum averit faciem suam à nobis. Ideo docet nos orare Prophetа, & dicere: *Ne avertas faciem tuam à me & similis ero descendentibus in lacum.* Et iterum: *Illustra faciem tuam super servum tuum.* Et rursus: *Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.* Qui pio affectu accedunt ad faciem Christi contemplandam, ita illuminantur ut facies eorum non confundantur. Felix ergo qui potest dicere cum Psalte: *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Felix qui cum Apostolo dicere potest: *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ*

Joan. 10.
Act. 17.
Verbum Dei quomodo audiendum.
Ezech. 33.
Disparitas verbū Dei audientium.
2. *Morale Aspirandum ad faciem Christi.*
Psal. 142.
Psal. 30.
Psal. 66.
Psal. 26.
2. Cor. 4.

claritatis Dei, in facie Iesu Christi. Tandem autem si hic cum desiderio contemplati fuerimus faciem
2. Cor. 3. Domini, *nos revelata facie gloriam illius speculantes, in eandem imaginem transformabitur à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu.* Quasi dicat: Nos divinam gloriam & claritatem quasi specula recipientes, participes efficiemur ejusdem claritatis in eandem transformati, sicut speculum claritatem & imaginem Solis recipit. Et transibimus à claritate in claritatem, à claritate Christi in claritatem nostram; ut fiamus clari ejus fulgore radiante in nobis, faciente id spiritu Dei in nobis. Hoc ex parte fit in hac vita, perfectè autem
Exod. 33. fiet in altera, quando perfectissimè adimplebitur petitio Moysis: *Domine si invent gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Tunc enim ostendet nobis sicut & Moysi faciem sine velo & nebula, faciem divinitatis contemplandam oculo mentis, faciem humanitatis contemplandam oculo corporis, ut interius exteriusque objectum inveniamus consummatæ beatitudinis. Tunc felicius quàm Moyses in foramine petræ intuens transeuntem Domini gloriam ex humeris ejus resultantem, nos in divini vultus splendore gloriantes inclama-
Exod. 34. bimus: *Dominator, Domine Deus misericors, & clemens, patiens & multæ miserationis, & verax, qui custodis misericordiam in millia.*

3. Morale Aspirandum ad spirituale Christi tactum. Tertiò, exemplo irruentis turbæ ad tangendum eum, docemur accedere ad Christum desiderio contractus spiritualis qui fit per fidem & pietatem. Si tangamus eum, tanget & ipse nos; & virtus de illo exibit, & sanabit languores nostros. Felices fuere qui Christum retigerunt; felices quos tetigit Christus Maria & Joseph, Simeon & Anna tetigerunt eum brachiis reverentiæ & devotionis, & quantam ab ipso gratiæ abundantiam consecuti sunt? Tetigit ejus fimbriam Hemorroissa, & non solùm sanitatem corporis nacta est, sed etiam spiritus. Tangit ejus sinum Joannes in eo requiescens, & quantam sapientiæ & amoris inde copiam hausit? Tetigit Magdalena pedes ejus, & nonne ex hoc contactu sortitur plenissimam remissionem & dilectionem? Tetigit Thomas vulnera, & omne per hoc reducitur ad fidem, it aut illius professionem faciens inclamet, *Dominus meus & Deus?* Multos & ipse Christus voluit beneplacito suo tangere, ut eis impertiretur sanitatem & vitam, benedictionem & gratiam. Tenet puellam emortuam per manum, & suscitat. Apprehendit hydropicum, & sanat. Tangit manum aridam, & illam in vigorem revocat. Tangit oculos cæcorum & aperiuntur. Tangit linguam & aures muti & surdi, audit & loquitur. Tangit loculum adolescentis qui efferebatur è civitate Naim mortuus, loculusque mortis fit lectus & locus resurgentis. Ubique igitur felix Domini contactus, sive prius tangatur, sive ipse præveniat & tangat. Oportet & nos accedere, ut eum tangamus; oportet ei supplicare ut dignetur nos tangere. Possumus cum Simeone & Anna, cum Joseph & MARIA eum ulnis caritatis amplecti cum Hemorroissa vestem & fimbriam salutiferam exosculari, cum Magdalena ad pedes sedere, & eos irrigare cum Joanne in sinu ejus requiescere, cum Thoma vulnera palpare. Nequimus id contactu corporali, sicut olim quando in terris conversatus est in carne mortali, nam hoc negat, dum Magdalenæ dicit post resurrectionem. *Nolime tangere*; illa enim (interprete Ruperto, & aliis nonnullis Patribus) gerebat figuram Ecclesiæ, quæ jam sublimiori attactu ad eum pertingere debeat, nec decebat amplius (instar Synagogæ) eum palam hic cernere, audire, palpare. Possumus tamen tangere contactu vero, reali, substantiali, quia ei reipsa unimur admirabili modo in Sacramento, concorporei & ejus consanguinei effecti. Ibi non solùm concedit nobis tangere fimbriam & vestimentum, sed etiam præbet manus & pedes, os & latus, & osculandum, ad ingrediendum, ad sugendam gratiam, benedictionem, vitam, salutem. O felix contactus, in quo possumus cum Thoma exclamare; *Dominus & Deus meus!* Irruamus ergo ad eum cum desiderio ardente, ut audiamus ibi eum, ut fidei oculo contemplemur, ut tangamus, ut ipsi conjungamur, ut transformemur in eum, ut reformemur renovemurque spiritu mentis nostræ, ut nostra cogitatio non sit nisi *de eo quod audivimus, quod vidimus,* 1. Joan. 1. *quod contrectavimus, de verbo vitæ*; ut vitam tandem æternam ab eo participemus, in qua videbimus eum sicuti est audiemusque ejus vocem & sapientiam loquentem sine obscuritate, fruemur ipso plenissimè tota æternitate. Quod nobis donet qui est benedictus in sæcula.

EADEM DOMINICA.

LECT. 6. quadrig.

Duc in altum, & laxate retia in capturam. Luc. 5.

PARS II. Navicu-lam dispo-gnare Ec-clesiam.

CHRISTUS Dominus ascendit in navim, quæ erat Simonis, non solùm ut sic à turbis paululum semotus eas è navi commodius doceret, easque cerneret coram se, & cerneretur ab illis; vetum etiam hic sublimior ratio quædam reperitur. Nempe navis illa, quæ erat Simonis, Ecclesiam præsignabat à Christo committendam Simoni Petro ex qua Christus tamquam Cathedra in finemusque sæculi docebit turbas fidei & morum veritatem. Sic sedes & navis Petri sedes est & navis Christi, in altum ducenda, in profundum pelagus Romani Imperii; quia in ipsa Roma tamquam Veritatis sedes & cathedra est collocanda. Vis ergo scire quid sit Romana Ecclesia?

Quid sit Romana Ecclesia.

1. Hæc est Ecclesiarum Mater & Magistra, cujus doctrinæ omnes aliæ debent adhærere.

2. Hæc est Tabernaculum sacratum Domini, à quo decreta fidei petuntur.

3. Hæc est Oraculum Christianorum, à quo infalli-

infallibiliter omnis de veritate dubitatio resolvitur.

4. Hæc est Tribunal Christi, à quo omnis erroris & hæresis condemnatio procedit.

5. Hæc est Civitas Solis, a qua lux veritatis toto orbe diffunditur.

6. Hæc est Fons purissimus, in varias orbis Regiones diffundens aquam sapientiæ salutaris.

Eccl. 51. 7. Hæc est Domus Disciplinæ, de qua : *Appropinquate ad me inducti, congregamini in domo Disciplinæ.* Extra navem Petri, extra Romanam sedem, omnis doctrina repudianda est, tamquam vel dubia & suspecta, vel erronea & falsa : quia extra illam non docet Christus, sed Satanas & Antichristus. Sic dum navem sibi particularem non colligatam Romanæ fabricant sibi Arius, Lutherus, Calvinus, agnoscitur in eis Satanas docens & ille malignus Spiritus qui est Christo adversus, nam & eorum quandoque humeris etiam insedisse visus est, & societati adhæsisse. Sic fatetur Lutherus se plusquam modium salis cum dæmone comedisse. Sic & S. Fulbertus Carnotensis Episcopus vidit dæmonem humeris Berengarii primi Sacramentari insedisse. Sic fatetur Zvvinglius hæreticus sibi nocte affuisse spiritum qui suggereret interpretationem istius, Hoc est corpus meum, id est; Hoc

Exod 12. significat corpus meum ; sicut illud : *Hoc est Phase*, id est transitus Domini. Sive Agnus est *Phase*, id est, Agnus significat transitum Domini. An autem ater fuerit ille spiritus, an albus, dicit se nescire.

Quæcumque Regiones infideles Verbum fidei audierunt, & susceperunt primitus, illud è Petri navi tamquam Christi cathedra susceperunt. Petrus enim à Christo constitutus fuit ut gentes per os ejus fidem susciperent; & Orbis Ecclesias principales ipse fundavit in fide & doctrina, vel per se vel per illos quos misit, vel per suos successores, & vicem gerentes. Nulla enim Regna ad fidem adducta sunt è tenebris infidelitatis, quin intervenerit auctoritas Romani Pontificis. Sic ipsemet Petrus fundavit in Oriente Ecclesiam Antiochenam, & ibi reliquit Episcopum Evodium ; ideo olim totius Orientis Episcopi parebant Antiocheno Ad Meridiem transmisit Marcum Discipulum, Alexandriam scilicet, cujus civitatis Episcopus præerat Ægypto, Arabiæ, Æthiopiæ, & parti Africæ. Ad Occidentem etiam præcipuas Galliarum, Hispaniarum, Africæ, Italiæ, & adjacentium Insularum Ecclesias constituit, ut ex ipsismet diversarum Regionum Historiis & Traditionibus apertè colligitur. Ad Septemtrionem quoque primarias Ecclesias fundavit in Ponto, Cappadocia, Bythinia, Græcia, Dalmatia, Germania, ad quam misit Eucharium, Valerium, Maternum. Sic & modo per Petri potestatem communicatum ejus successoribus, suscipiunt in Indiis, in Japonia, in Sinarum Regno innumeri fidem Romanæ Ecclesiæ, ex qua docet Petrus, docet & Christus usque in sæculi finem.

Notandum porrò, quia ex navi turbas docuit Christus, ideo templa nostra in quibus eadem Christi doctrina proponitur instar Navis solent strui & effomari. Nam Portale habet se instar Puppis : Chorus autem & pars ubi altare majus constituitur, desinere solet in acumen, Proramque designat : Campanile prominens Navis Malum erectum significat. Illud autem cruce signari solet, quia in Ecclesia Christi, quæ est Navis Petri, Crux pro Arbore & Malo nobis servit, Fides pro anchora, Spes pro velo, Charitas pro funibus colligantibus, Spiritus sanctus pro zephyro; nos autem in ea remigantes sumus & ad portum æternitatis tendimus Duce Petro sive ejus successore.

Notandum ulterius quod cum Petro hic dictum fuisset, ut *Naviculam reduceret pusillum à terra*, postea eidem mandatur ; *Duc in altum.* Tunc vero Petrus & Apostoli à terra pusillum reduxisse censendi sunt Naviculam, cum in Judæa docuerunt; tunc vero in altum duxisse, cùm inter Ethnicos Evangelium promulgarunt. Primò enim vicinos populos è navicula docuerunt ; Deinde in remotiores gentes progressi sunt, ac in imperium Romanum turbulentissimæ profunditatis pervenerunt Oceanum, ubi erat diligentissima superstitione collectum, quicquid usquam fuerat vanis erroribus institutum. Ita interpretatur S. Aug. Haymo, & plerique interpretes. At S. Ambros. ideo Petro Archinavarcho dictũ fuisse putat, *Duc in altum*, quia in profundissimum Trinitatis & Incarnationis pelagus debebat intrare ante cæteros, quod Matt. 16. patuit in responso illo suo ; *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Audi verbi S. Ambrosii : *Soli Petro dicitur ; Duc in altum, hoc est in profundum disputationum. Quid enim tam altum, quam altitudinem divitiarum videre scire Dei Filium, & professionem divinæ generationis assumere ? In hoc altum disputationis Ecclesia à Petro ducitur : ut videat hinc resurgentem Dei Filium, inde Spiritum sanctum profluentem.* Propterea sacræ Scripturæ & fidei nostræ profunda mysteria semper ad Petrum referuntur, ut ejus fides & auctoritas ad illorum solidam veritatem nos ducat. De hac re Innocentius in decretali ad Patres Concilii Milevitani sic loquitur : *Per omnes Provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanant. Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres & Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris auctorem referre debere, quod per totum orbem possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse.*

S. Gregorius etiam advertit ex eo quod non statim dictum est Petro, *Duc in altum*, sed prius monetur reducere naviculam pusillum à terra, admoneri Prædicatores verbi divini ut rudibus populis, nec alta nimis, nec tamen terrena prædicent: sed se capacitati auditorum accommodent, paulatim eos à terrenis reducendo, nec statim in profunda Sacramenta ita ducendo, ut non intelligant. Unde illud : *Aquis ligat in nubibus, ut non* Iob. 26.

erumpant deorsum pariter, eidem accommodans, dicit quod in Concionatoribus Deus doctrina ligarit, ne totam effundant, sed pro auditorum captu illam communicent. Hunc sensum moralem amplificat S. Greg.

Nota 3. Denique hic notandum, quod cùm potuerit Dominus imperare, voluit tamen rogare Petrum, ut intelligamus quod non tyrannico imperio ad suam nos adigit servitutem, aut executionem eorum quæ mandavit; sed ut nostræ salutis amantissimus nos sæpius amore & quibusdam velut precibus inducit. Rogat, dum nos eum rogare deberemus urget nos, cum potius nos sollicitè eum urgere deberemus in negotio salutis nostræ. Rogat ergo omnium Dominus, ne coactum obsequium illi gratum esse putemus. Voluntatem requirit, cor postulat, nulla enim necessitas homini posita est, sed ita medius inter ignem & aquam positus est, ut ad quodcumque voluerit, porrigat manum suam. Non trahit ipse nolentem, sed rogat & inducit ut velit. Magna sanè dignatio & mansuetudo Christi apparuit, quod pro adeo exigua re Petrum roget nolens illi molestus esse. In quo etiam (teste S. Bonaventur.) Prælatis exemplum dare voluit, ut malint amore suos continere, aut errantes in gregem revocare, quàm furiis & fulminibus absterrere, & ut semper cupiant magis amari, quam timeri. Verùm è contra multi imperiis suffocant sibi subditos, quibus & Deus per Ezechielem improperat: *Cum austeritate imperabatis ovibus meis, & cum potentia.* Sapiens sic nostro congruè proposito loquitur Deo: *Cum magna reverentia disponis nos.* Cur sic loquitur Sapiens? An reverentia alteri debetur, quam Superiori? Ergo Deus erga creaturam videtur non posse habere reverentiam, cùm sit omnium Dominus. Tamen in exterioribus quibusdam effectibus sic se gerit erga homines, moderans & disponens illa quæ eos concernunt, ut videatur quandam habere erga eos reverentiam, quasi metueret ipsos offendere. Exemplum dat Superioribus, ut non cum elatione & feritate se gerant erga subditos, sed quantum fieri potest, cum quadam reverentia disponant quæ disponenda sunt circa illos, suamque verbo & petitione potius inducant, quam austero imperio. Hoc ergo etiam Christus Dominus videtur voluisse insinuare, dum rogavit Petrum naviculam à terra ut reduceret pusillum, sicque commodiùs docere ex illa paululum semota à turbis. Cùm autem non exprimat Evangelista quidnam tunc docuerit Christus, rectè contra Hæreticos colligimus multa Ecclesiæ à Christo & Apostolis fuisse tradita, quæ in sue conscripta. De quibus traditionibus fusè nobis tractatum est in Horto Pastorum tract. 1. lect. 1. prop. 3.

Ezech. 34 Sap. 12.

Pars II. Quid sit laxare rete in verbo Christi

POstquam Christus è navicula docuisset turbas, & jussisset Petrum in altum, sive profundum mare descendere cum navicula, etiam mundavit ut laxarent retia in capturam piscium. Petrus licet nocte tota fatigatus sine successu prospero piscationis fuerit (cum tamen nox sit commodior piscationi quam dies, quia pisces de die in profundum abeunt, nocte autem enatant in superiorem aquæ partem) tamen non abnuit, nec contradicit jubenti, sed mox obtemperans dicit: *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.* Quasi dicat; Tanti facio verbum tuum, illique adeo confido, ut parendo credam me non posse spe frustrari. O efficacia divini verbi & præcepti! Ovis & fructus obedientiæ; Cum hoc fecissent, conclusérunt piscium multitudinem copiosam. Sic quantumlibet difficilia nobis imperentur, si modo à Dei verbo, aut ejus gloria & honore proficiscantur, dicendum est: *in verbo tuo laxabo rete.* Abrahæ dicit Deus: *Exi de cognatione & terra tua, faciamque te in gentem magnam*; nihil abnuit, nihil reluctatur, sed verbo Dei obediens laxat rete, & cum spe profectus, spe non fuit frustratus. Iterum audit à Domino, immolandum esse filium suum, cum tamen sibi dictum fuerit: *In Isaac vocabitur tibi semen.* Interim verbo Domini obtemperans, *credidit in spem contra spem*, inquit Apostolus, nec frustratus est. Sic Propheta Elias à muliere Saraptana tempore famis petit paululum panis & olei, quod sibi & filio suo pro necessitate supererat: credidit ipsa sermoni & verbo, & factum est, ut lycethus olei & farina in ejus domo non deficeret. Sic illi quibus dicit: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus & sequere me*, si sine tergiversatione morem gerant, non defraudantur, quin accipiant centuplum in hoc sæculo, & copiosam mercedem in cælo. Itaque cum Petro obsequendum est Domino Jesu, sive roget, ut navicula nostra paululum reducatur à terra, hoc est, ut anima nostra à terrenis affectibus & illecebris removeatur, ut locum commodum doctrinæ ejus interiori demus, sive jubeat, ut in altum naviculam ducamus, adspirando & connitendo ad sublimitatem perfectionis longè à nobis relicta terra & terrenis omnibus; sive mandet laxare rete, ad adducendum ad salutem nobiscum alios. Totus enim scopus noster esse debet, ut in nobis Dei voluntas adimpleatur, & à nobis; ideoque ad hunc effectum ejus voluntati & potestati nos & omnia nostra sunt committenda. Hoc docet nos S. Petrus: *In verbo tuo laxabo rete.* Hoc post ipsum docet S. Augustinus, dum sic orare nos monet *Domine da quod jubes, jube quod vis.*

Magnus obedientiæ fructus.

Gen. 12. Gen. 12. Gen. 25. Rom. 4. 3. Reg. 17. Matt. 19.

Porrò hæc laxatio retium in verbo Domini facta & conclusio multitudinis copiosæ piscium consecuta, designabat Evangelii prædicationem per Apostolos, & eorum vicem gerentes expandendam per orbem, cum copiosa animarum conversione ad Deum. Cum enim Apostoli ex professione & arte forent piscatores, non mutavit Dominus artem & officium, sed objectum, volens ut fierent piscatores hominum, qui piscatores erant piscium marino-

Laxatio retium, & copia piscium quid significet.

marinorum. Unde auctor Glossæ ordinariæ de hac re sic loquitur. *Mutatur intentio, non piscatio, mutantur retia in doctrinam, cupiditas in amorem animarum. Fit mare sæculum, navis Ecclesia, pisces homines.* Multi tamquam pisces in mari perniculoso hujus sæculi natant, hoc est, in voluptatibus, opibus, sceleribus vitam ducunt; sed per sagenam Apostolicam & per rete prædicationis feliciter educuntur de profundo errorum, de luto vitiorum, de tenebroso statu, de amaris fluctibus voluptatum, ut ad lucem gratiæ veniant, nec pereant; sed reserventur ad vivendum, & natandum in fluentis aquæ vivæ cum tranquillitate & securitate. Unde S. Ambrosius. *Benè Apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quæ non captos perimunt, sed reservant, ut de profundo ad lumen extrahant, & fluctuantes de interno ad superna perducant.* Primum igitur ipse Christus piscatores reti suo circa mare piscatus est; ac deinde per illos toto orbe pisces ad se adduci voluit, quasi è profundissimo & latissimo sinu maris. De hac re S. Augustinus serm. 4. de Petro & Paulo sic ait: *Dum insidiaretur Petrus gregibus aquoreis, ipse in rete incidit Salvatoris. Christus homo verbi ipsum tenuit Piscatorem. Qui latebat in salo, verbi retia sparsit in mundo. Tunc pisces induxit, nunc homines sagenis spiritualibus irritivit.* Sagena autem Apostolica nihil potest nisi in verbo Domini, quia ipsum Domini verbum rete & sagena est, & nonnisi virtute illius captura fit piscium: unde qui antea nihil ceperant totâ licet nocte fatigati, mox in verbo Domini concludunt copiosam multitudinem. Cum autem dicat Dominus: *Verba mea non transibunt*, semper ipsius manet rete cum efficacia. Audi hac de re S. Basilium Seleucum Orat. 29. *Audivit Publicanus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, eamque vocem sui causa prolatam ratus currebat: Vnus sum, inquit, qui publicanorum gravantur oneribus, jugum tuum subeo, retia tua exsolvor; & factus est Publicanus Publicanorum expiatio. Neque verborum Christi efficacia hactenus stetit: sed quemadmodum lata sagena in fusum mare explicata undequaque piscium convertit, examina: sic & peccatorum & turba in salutarem vocis illius sagenam incurrunt.* Hæc eleganter S. Basilius.

Verba Christi fuere retia.

Certè quod Christus protulit verba tot fuere retia, quæ adhuc modo laxantur & explicantur in mari hujus sæculi, ut piscibus capiendis serviant, hoc est, ut serviant conversioni peccatorum.

Exempla captorum per rete verbi Dei S. Antonius.

Sic rete fuit Antonio illud verbum Domini ex Evangelio repetitum: *Vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus, veni, & sequere me.* Mox enim ut audivit illud in Ecclesia pronunciari, quasi sibi dictum existimans, obtemperandam Christo existimavit: venditaque re familiari pecuniam omnem pauperibus distribuit, & dissolutis omnibus impedimentis cælestis vitæ genus in terris colere instituit.

S. Franciscus.

Sic idem rete S. Franciscum è mari hujus sæculi ad litus adduxit, & ad Apostolicæ vitæ imitationem induxit. Cum enim audito missæ sacrificio Missale aperiri à Sacerdote optasset, primo occurrit illud: *Si vis perfectus esse, vende quæ habes, da pauperibus, veni, & sequere me.* Cum secundo aperiretur, occurrit illud: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Cum tertio aperiretur, occurrit illud: *Non portabitis, neque peram, neque calceamenta.* Quo quidem triplici reti ita attractus est, ut exinde perfectæ & Apostolicæ vitæ fundamenta jecerit. Et quia hoc rete inciderat, etiam per illud ipsum alios attraxit ad eandem perfectionem, Piscator factus coram Domino. *Matt. 19. Luc. 9.*

S. Augustinus. Rom. 13.

Sed etiam rete fuit Augustino illud ab Apostolo in nomine Domini laxatum verbum: *Non in comessationibus & ebrietatibus non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, sed induimini Dominum IESVM Christum.* In illud enim incidens cum adhuc amaris jactaretur sæculi fluctibus, mox ex illis attractus est, & lucem vidit, ac securitatem invenit. Deinde etiam ipse piscator factus, Alipium fidum sodalem secum traxit, cum iterum codicem Apostoli aperuisset, ubi & in verbo Domini laxatum erat illud rete pro Alipio: *Infirmum in fide assumite.* Vide lib. 8. Confessionum S. Augustini. *Rom. 14.*

Denique voces Evangelicæ & Apostolicæ quotidie pro reti serviunt animabus ad exeundum de mari hujus amari mundi, ut serviant Christo, & in cœnobiis quasi in piscinis aquæ vivæ pascantur felicius & securius, fiantque cibus Domino delicio-sus. Ideo de voce illa: *Venite ad me omnes qui laboratis, &c.* dicebat supra S. Basilius Seleucus orat. 29. *O verbum terram captivam agens! Orbem pervasit ea vox, insulas occupavit, sine vi captæ sunt civitates, provinciæ concurrerunt. Cessit in prædam Græcia, admisit eam Barbaria, Reges adoravere, Imperatores cervicem subjecere:* Hoc quidem initio fidei verum fuit, sed adhuc quotidie illa vox in quorundam animis invalescit, & ad perfectionis littus eos adducit, congregans eos sicut sagena pisces. *Matt. 11.*

Cur sæpe sine fructu piscatio Evang.

Interim advertendum, non rarò contingere ut retia Evangelica laxent Concionatores in Ecclesia, & tamen exiguum referant fructum, quia non tam in verbo Christi (ejus gloriam purè quærendo) hæc retia laxare videntur, quam proprium commodum propriamque laudem aucupando. Piscantur hi non in dextra navigii, sed in sinistra, per intentionem quadam ratione sinistram, nec ita rectam: sic in vanum tota nocte laborant, nec eorum Deus laboribus benedicit, quia oculus ipsorum tenebrosus est, nec est lucidus totus. His dicitur à Domino: *Vide ne lumen quod in te est, tenebræ sint.* Feliciter autem semper illis succedit, qui nihil suis meritis, nihil suis laboribus, sed Christo totum adscribunt, qui nec propria cupiditate aut gloria impelluntur, sed dicunt: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, & cum fecerint *Luc. 11. Psal. 113.*

omnia quæ debent facere, seservos inutiles pronuntiant. Nam licet exiguus fortè sequatur fructus, ipsis tamen multum meriti accrescit, ita ut dicat S Augustinus libro 1. contra Cresconium cap. 8. *Sicut malignus suasor peccati, etiamsi non persuaserit, meritò pœnam deceptionis incurrit, ita fidelis justitiæ Prædicator, etiamsi ab hominibus respuatur, absit ut apud Deum officii sui mercede fraudetur.* Itaque in verbo Domini laxandum est rete, sibi Dominum Jesum proponendo tamquam principium influens, nihil optandò dicere quod ipse non posuerit in ore. Et ideo obnixè obsecrandus est, ut inspiret & influat virtute & spiritu suo, ut nihil nisi quod ad ejus amorem, timorem, cultum spectet, intendatur in verbi Evangelici tamquam retis cælestis explicatione & expansione. Lux ejus imploranda est, ut non cogatur quis dicere cum Petro: *Præceptor tota nocte laborantes nihil cepimus.* Nam ut rectè advertit in hunc locum Beda: Nisi Dominus corilluſtret adjutorium, Doctor in nocte laborat, nisi in verbo gratiæ supernæ laxata fuerint instrumenta disputationis, frustra vocis jaculum Prædicator mittit; quia fides populorum non sapientia verbi compositi sed divinæ vocationis munere provenit. Idem asserit Ambrosius, sic super captura copiosa piscium inclamans: *Oppræsumptio vacua! O humilitas fructuosa! Qui nihil ante ceperant, magnam in verbo Domini multitudinem concludunt. Non hoc facundiæ humanæ est opus, sed superna vocationis est munus.* Quia verò semper ita sibi advigilare potest mens humana, quin aliquando opus divinum exequens aliquid humani patiatur; ideo monendi sunt piscatores, ut postquam retia expanderint, descendant illa lavare. Quid est post piscationem descendere? hoc est, post concionem cordis humilitate se inclinare. Quid retia lavare? Hoc est, si quid jactantiæ aut vanitatis concioni sese inspersérit, mox illud advertere & abluere humili compunctione & oratione.

PARS III. *Homines hujus sæculi in nocte laborant.*

Neque verò solum Concionatores infructuosi possunt dicere illud Petri, *Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus,* sed idem etiam possunt usurpare omnes qui in tenebris hujus sæculi agentes quasi totâ nocte hujus vitæ in vanum laborant, quidam quidem piscantes honores, alii opes, alii voluptates, alii beneficia pinguia & præbendas, alii sublimiorem statum. Certè hi nonnisi telas aranearum expandunt ad captandas muscas, & sæpè nihil capiunt, nihil proficiunt; scopa mortis mox adventans evertit & evolvit araneos istos cum suis subtilibus filis & telis, ignique tradit. O infelix piscatio ista! O captura infructuosa hominum mundanorum inhiantium voluptatibus, honoribus, opibus, in caligine deplorandâ! De his sæpè fit mentio in scriptura sub nomine aranecæ, ad insinuandum grandem eorum laborem, & tamen omninò infructuosum. *Sicut tela aranearum fiducia ejus,* fiducia scilicet quam impius ponit in operibus, voluptatibus, honoribus, mox a vento flante dissipabitur & peribit. Sic *in aranearum telas erit vitulus Samariæ, quia ventum seminabunt & turbinem metent, culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam, quod etsi fecerit, alieni comedent.* Homines hujus sæculi ex auro & argento sibi idolum quoddam fabricare censentur quasi vitulum quem adorent, sicut Samaria Deum Apin sub figura vituli aurei colebat, sicut etiam Ægyptii & olim Hebræi egressi ex Ægypto Sed idolum eorum opus est inutile, vile, & evanidum ac invalidum, unde & disperdetur spes eorum, quam in auro ponunt, aut honore instar telæ aranearum; nec hæc tela eos in Dei judicio & morte vestire poterit, aut tegere Quinimo similes erunt illis qui ventum seminantur, & postmodum turbinem metunt, hoc est qui inani se labore fatigant, & nonnisi calamitatem colligunt. Similes quoque erunt manipulo spicarum carentium granis, quæ inutiles sunt ad conficiendum panem. Hoc est omne studium eorum nihil boni eis pariet, nullum fructum feret tota licet vita laborarint. Item de his sub nomine aranecæ loquitur Psaltes *Tabescere fecisti sicut aranearum animam eius* Item: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Iterum Isaias. *Telas aranearum texuerunt, tela eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis, opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.* In multis itaque mundani similes sunt araneæ texenti opus suum futile, idcirco adeo frequenter hæc similitudo aranecæ à Prophetis producitur. Vis videre particularius in quibus ipsi aranecæ similes sint?

Exod. 12.

Psalm. 38. Psalm. 89. Psalm. 89.

Mundani similes aranea.

Primò meditantur & tabescunt instar aranecæ. Annì eorum quid sunt nisi continua exercitatio, & laboriosa meditatio? Tempus vitæ eorum vano labore, multo dolore, varia sollicitudine exercetur; sicut cum aranea filis fila nectit, continuus est labor & sollicitudo.

1.

Secundò, aranea non solum laboriosè telam suam orditur, hac illac discurrens in idem sæpè rediens atque circumiens; sed ipsam seipsam consumit, exenterat, eviscerat, ut texturam suam absolvat. Sic nonnulli ut opes accumulent, non solum sollicitudinem ordinariam adhibent, sed etiam totos se eviscerant & exhauriunt labore indicibili, & sæpè valetudini suæ ac animæ non parcunt. Ideo de ipsis dicitur: *Tabescere fecisti sicut aranearn animam eius.*

2.

Psalm. 38.

Tertiò, aranea sæpè non absolvit opus suum, sed vel illi immoritur, vel vento flante dissipatur, vel alio casu dissolvitur, vel levi scoparum ductu interciditur; & aranea ipsa interficitur sua tela involuta, pedibusque obteritur. Sic textile ejus opus fit ei quasi linteum funebre quo involvitur, aut quasi restis qua enecatur. Sic homines cupidi, ambitiosi, mundani sæpè suo immoriuntur operi, quod jam vel inchoarant, vel cogitatione versabant, &

3.

Iob 8.

antequam

antequam fruantur rebus speratis, deficiunt; dies quos sibi felices sperabant, inveniunt fatales; domum amplam quam ædificabant, inveniunt suum mox sepulchrum. Ventus est mors ipsa, dissipans omnia eorum opera, vel vota in medio cursu. Scopa est judicium Dei, illos involvens & conterens, flammisque adjudicans. Unde S. Gregor. lib 15. moral. cap. 9. *Telas aranææ texere est pro hujus mundi concupiscentia temporalia quælibet operari, quadam nulla sodalitate stabilita sunt, ea procul dubio ventus vitæ moralis rapit.*

Quartò, ut jam dictum est, textile illud opus araneæ nonnisi sordida est tela, nec nisi muscis, aut culicibus captandis tanto labore & sollicitudine adaptata. O stultitia texentis, & sese evisceranti pro adeo exili mercede! Sic homines mundani corpus & animam eviscerant, & perdunt, pro muscis, pro re vili & futili.

Meritò ergo possunt ipsi dicere: *Per totam noctem laborantes nihil recipimus.* Sol intelligentiæ non luxit eis, in tenebris ambulant, in tenebris laborant, in caligine ignorantiæ versantur, lassati in via perditionis & iniquitatis sine fructu; quia nec id quod ambiebant, plene assequuntur, & licet assequerentur, inane plane esse, inanemque pro illo laborem agnoscere postea coguntur. *Dormierunt somnum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis*: Quapropter tunc exclamant: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Psalm 75.

Si posset resurgere Alexander, si Pompeius, si Cæsar, si innumeri alii honoribus, opibus, gloria clari, absque dubio inclamarent nobis: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus; Lux & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Diceret Alexander, tantane laborum assidua fatigatione orbem totum oportuit circuire & mihi subjicere, ac tandem misere occumbere, & inglorie in tenebris loculo septem pedum contentum esse? Verè tota nocte laborans nihil cepi; sceptra omnia & regna omnisque gloria somnii instar abiit. Diceret Pompeius, itane totum Romanum concutere oportuit imperium, ut tandem spiculatorem perfidum reperirem, qui mihi caput amputaret, & gloriam omnem meam demeteret? Verè tota nocte laborans nihil cepi, inanibus umbris nocturnis delusus & infeliciter deceptus sum; dum illas apprehendere putavi, periit. Diceret Julius Cæsar Pompei Æmulus, itane commiscenda erant omnia civilibus bellis, & patrio cruore, & tandem infortunatissime in medio Senatus à Sicariis perimi & conculcari, ludibrioque hostium meorum exponi? Verè tota nocte laborans nihil cepi, nihil messui nisi ventum & turbinem, nihil nisi caliginosam calamitatem. Diceret Absalon, itane totam Patris Regiam, totumque Israëlis regnum in discrimen vocare oportuit, inexplebili ambitioni locum dando, paterno etiam cruore eam exsatiare nitendo, ut tandem reperirem infelicem arborem, cui aurei cincinni adhærescentes strangularent mihi pro infausto laqueo vitam & ambitionem præfocante? Verè tota nocte laborans nihil cepi, nihil nisi æternam infelicitatem inveni. Sic qui pro mundo laborant, de nocte laborant, & in tenebris laborant, & fatigati nihil fructus consequuntur. Qui vero pro Deo laborant, de die laborant, luce gratiæ ejus adjuvantur & diriguntur, ac numquam sua merce de frustrantur; veras enim opes & delicias, verum honorem & gloriam assequuntur. Magna ergo cæcitas tota nocte laborando nihil capere, cum quis possit tantundem de die laborare, & magnum fructum reportare. Deus enim pro eodem labore regnum cœlorum exponit venale, quo mundus & diabolus ementitam hanc felicitatem, quam æterna infelicitas consequi solet. Immò minori vendit labore, ita ut erubescere debeat homo tantillum pro Cœlo & Deo derectans laborem, eum pro mundo & diabolo longè majorem non solum infructuose, sed etiam infelicissimè subeat. Unde Thomas à Kempis Lib. 3. de Imitatione Christi cap. 3. hac de re loquens adducit illud Isa. 23. *Erubesce Sidon ait mare.* Addit ipse: *Si causam quaris, audi quare. Pro modica prabenda longa via curritur, pro æterna vitæ à multis vix semel pes levatur. Promittit mundus temporalia & parva, & servitur ei aviditate magna: Promittit Deus summa & æterna, & torpescunt mortalium corda.* Erubesce ergo & serve piger & querulose, quod sæculi homines inveniantur paratiores ad vanitatem & perditionem, quam tu qui te dicis servum Dei ad veritatem & salutem: cum illi spe sua frustrentur frequentissimè, Dei autem promissio neminem fallat, neminem dimittat inanem. Unde sanctus Gregorius 31. p. Pastor. cap. 24. de allegato ex Isaia loco sic dicit: *Quasi per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitæ sæcularium in hoc mundo fluctuantium ejus qui Deo dedicatus est, & quasi stabilis, ac munitus cernitur, vita reprobatur.* At sanctus Ambrosius alium moralem sensum ejusdem sententiæ propheticæ afferens, dicit quod quadam ratione mare accuset inquietudinem, fatigationem, importunitatem mercatorum avaritiæ studentium. Audi ejus verba. *Hæc est vox maris, quasi fatigati elementi; Erubesce Sidon. Quasi dicat: Meos fluctus negotiator arguis, cum sis ipse inquietior; erubesce velut pudore, quoniam periculi nihil moveris. Verecundiores venti sunt quam vestra cupiditates. Illi habent otia; numquid vestra quærendi otia soriantur? Cum otiosa tempestas est, numquam vestra otiosa sunt navigia. Versatur unda sub remige, quando quievit à flamine. Non parturivi, nec peperi, nec nutrivi juvenes, quid me inquietans quos nescio, de Eliæ quos non cognosco?* Hæc sanctus Ambrosius. Quæ quidem omnia spectant ad declarandum quomodo tota nocte vitæ suæ homines laborent, sed in tenebris & caligine, in fluctibus & amaritudine, ita ut in aqua labores suos seminent, & pericula metant; cum tamen laborare possint in die, & in littoris soliditate, & sic cum tranquillitate

S. Ambr. de Elia cap. 19.

litate & securitate æternum fructum tandem metet.

PARS IV. *Multitudo piscium rumpens rete quid signet.*

NOn sine mysterio tanta dicitur concluſa piſcium multitudo, ut rete rumperetur & grauaretur, peneque mergeretur naviçula. Sequamur interpretationem S. Auguſtini ſerm. 4. de diverſis, & dicamus tria hic ſignificata eſſe. 1. Mixtura bonorum & malorum in Eccleſia. 2. Preſſura multitudinis ſecundum fidem non converſantis. 3. Schiſmata & hæreſes poſtmodum exortæ.

1. *Baronis malos per mixtos.*

Quantum ad *primum*, bonis ſcilicet malos in Eccleſia permixtos eſſe, multis ſimilitudinibus Evangelica doctrina declarat. Ideo enim Eccleſia comparatur Ovili, in quo ſunt oves & agni, Areæ in qua ſunt paleæ cum tritico, Agro in quo ſunt zizania cum bono ſemine. Vineæ in qua ſunt cum frugiferis palmites infructuoſi & abſcindendi, Domui in qua ſunt vaſa in contumeliam cum vaſis in honorem, Arcæ Noë in qua eſt corvus cum columba, cum mundis animalia immunda. Sed quod maxime noſtro congruit propoſito, comparatur. *Sagenæ miſſæ in mare ex omni genere piſcium congreganti.* Uſque ad conſummationem igitur ſæculi piſces mali bonis permixti manent; tunc autem Angeli quibus res commiſſa erit bonos in vaſa electa colligent, malos autem foras mittent: tunc purgabunt ovile, & hœdos ab ovibus ſeparabunt: tunc purgabunt agrũ, & zizania in faſciculos colligabunt: tũc purgabunt aream, & aſſervato frumento paleas igni tradent: tunc purgabunt vineam, & omnem palmitem non ferentem fructum abſcindent: tunc agnoſcetur perfectè. *Hortus concluſus* ex quo omnis plantatio quam non fecit Pater, eradicabitur: tunc purgabitur domus à ſordibus, & non erunt neceſſaria vaſa in contumeliam: tunc ſolus erit numerus electorum, nec amplius erunt eis mali utiles ad exercitium. Dicebat Pſalтes in perſona Domini per ſe & per Apoſtolos ſuos verbum annunciantis, & rete Evangelicum laxantis jam ab initio: *Annunciavi & locutus ſum, & multiplicati ſunt ſuper numerum.* In quem locum ſic loquitur *Sanctus Auguſtinus* ad propoſitum noſtrum: *Eſt numerus ſuper numerum, & eſt numerus certus pertinens ad cœleſtem illam Ieruſalem; novit enim Dominus qui ſunt ejus, Chriſtianos ſcilicet Dei vitas ambulantes, præcepta ſervantes, à peccatis abſtinentes. Ipſi ad numerum pertinent; ſed numquid ſoli ſunt? Sunt & aliqui ſuper numerum. Quanti fideles agglomerantur? quanta turbæ concurrunt? Multi vere converſi, & multi falsè converſi annunciante Chriſto mittente annunciatores ſuos in univerſum orbem;* ideo dicit; *Annunciavi & locutus ſum, & multiplicati ſunt ſuper numerum.* Hæc S. Auguſt. Nempe hoc eſt rete quod congregat copioſam multitudinem piſcium (ſed mixtim bonos cum malis) annunciatio ſcilicet Chriſti & Apoſtolorum, donec ſeparationis tempus advenerit. Hanc etiam mixtionem probat *S. Auguſtinus* ex eo quod Dominus non jubeat in dextram vel ſiniſtram naviculæ partem rete mitti, ſed ſolum dicit: *Laxate retia in capturam.* Quaſi diceret: comprehendite omnes piſces, bonos & malos. At poſt reſurrectionem ſignate dicit: *Mitte in dextram navigii,* quibus verbis deſignabatur captura bonorum piſcium. Audi ipſius Auguſt. verba: *Iuſſit mitti retia, & non dixit in quam partem, ſed tantum ut mitterentur, præcepit. Miſerunt diſcipuli, non dixit in dextram, non dixit in ſiniſtram. Piſces enim homines ſignificant. Stergo diceretur in dextram, ſoli boni futuri erant; ſi diceretur in ſiniſtram, ſoli mali. Quia vero permixti futuri erant in Eccleſia & boni & mali, ſine differentia, miſſa ſunt retia ad ſignificandum mixturam bonorum & malorum.*

Matt. 13.

Pſal. 39.

Ioan. 21.

2. *De preſſura multitudinis ſecundum fidem non viventis.*

Quantum ad *ſecundum*, preſſuram ſcilicet multitudinis non ſatis fideliter converſantis aggravare Eccleſiam, ita ut quandoque videatur ſubverſioni & ſubmerſioni proxima, indicat illud ipſum quod hic in Evangelio dicitur; *Impleta ſunt duæ naviculæ, ita ut penè mergerentur*; duæ autem naviculæ Eccleſiam ex gentibus & Synagogam converſam deſignant. *Deſignatum eſt hinc* (inquit Auguſtinus ſerm. 4. citato) *quod per multitudinem quam collectura erat Eccleſia periclitatura erat diſciplina.* Namque, ut idem Auguſtinus dicit 2. de quæſt. Evang. *Eccleſia turbis carnalium impleta, & eorum moribus penè ſubmerſa regnum ſpiritualium in quibus maximè Chriſti perſona eminet, à ſe quodammodo repellit.* Nempe ſolent in multitudine vitia irrepere, nec poteſtita diu vigor fervorque perfectionis in illa conſervari, ut ipſa docet experientia in omni gradu & ſtatu: Sic cum pauci forent fideles, erat illis corunum & anima una, communia erant omnia: poſſeſſiones vendebant & pretium afferebant ad pedes Apoſtolorum, Meumque & Tuum, frigida illa verba quæ diſſenſionem ſolent inter homines parere exulabant. Auctus eſt numerus, & mox imminuta eſt pietas; fervor paulatim defecit eo magis quo major eſt numerus additus. Quinimo numerus Apoſtolorum vix ad duodenarium pertigit, & unus invenitur inſidus, unus fuit & proditor. Numerus Diaconorum ad ſeptenarium venit, & unus advena Antiochenus inter illos profligatiſſimæ hæreſis auctor fuit. Idem videre eſt in ſtatu clericali & ſacerdotali, quod ei multitudo ex parte obfuerit. Nam quando numerus Clericorum non ita fuit amplus, ſanctiores longè fuerunt, & collegialiter vivebant, ut ſtudio perfectionis incumberent: nunc autem cum unuſquiſque ad gradum clericatus admittitur, & ad Eccleſiaſticum ſtatum, videmus quod multi irrepant, ſuperbi, avari, lubrici, contentioſi; & non tam propter Deum veniant, quam propter lucrum & patrimonium crucifixi, quo aburuntur ad ſuperbiam, luxuriam, gulam fovendam. Sic cogimur conqueri: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt*

In multitudine vitia in omni gradu & ſtatu. Act. 4.

Inter fideles.

Inter Apoſtolos. Act. 6.

Inter Diaconos.

Inter Clericos.

Thren. 4.

sunt lapides Sanctuarii per plateas? Filii Sion inclyti reputati sunt in vasa testea, denigrata est super carbones facies eorum. An non pravis etiam Sacerdotibus prægravatur Navicula, ita ut penè mergatur? Certè sicut peccatis fidelium, sic & maximè peccatis Sacerdotum Ecclesia ita oneratur, ut propterea periclitari videatur in mediis fluctibus & turbinibus persecutionem: Si propter unum *Iudam* turbatur navicula *Petri* & periclitatur, teste *Sancto Ambrosio* quanto magis ubi plures Judæ sunt, hoc est discipuli perfidi? *Turbatur navis quæ Iudam habet: etsi mulea ibi discipulorum merita navigabant, tamen eam perfidia proditoris agitabat? Petrus erat, sed qui in suis meritis firmus est, turbatur alienis*, inquit sanctus Ambrosius. Denique, quod de multitudine Fidelium, & de multitudine Ecclesiasticorum, idem dicendum est de multitudine Religiosorum. In multitudine non ita viget mortificatio, humilitas, pax, morum concordia; ideo facilè irrepit contentio, æmulatio, elatio, & exinde scandala. In exiguo numero facilius hæc impediuntur, quocirca etiam Navicula Religionis ob multitudinem nonnumquam fluctibus agitatur, prægravatur, periclitatur; ita ut verum sit illud Bernardi, sive de Fidelibus, sive de Clericis, sive de Sacerdotibus, sive de Religiosis vocationi suæ non satisfacientibus: *Etsi multiplicasti gentem Domine, non magnificasti lætitiam, dum nihil minus apparet decessisse meriti, quam numeri accessisse. Neque enim signum sinent occupare Regni cœlestis, illi in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia, iniquitas & luxuria principatur.* Ita Bernardus.

Lib. 4. in Lucam.

Inter Religiosos.

De convers. ad Clericos.

Quantum ad *tertium*, schismata scilicet & hæreses in Ecclesia postmodum oriundas esse, significatum fuit (interprete S. Augustino) in eo quod dicitur: *Rumpebatur rete eorum.* Quid enim aliud significant disrupta retia, nisi futura schismata, inquit ipse? Et specialius id explicans serm. 5. de diversis subdit: *Retia per totum expanduntur, qui rumpunt autem, per loca rumpunt. Donatistæ ruperunt in Africa, Ariani ruperunt in Ægypto, Manichæi in Perside, &c.* Sic & nos videmus quomodo retia ruperint Lutherani in Germania, Zvvingliani in Helvetia, Anabaptistæ in Westphalia, Calvinistæ in Gallia, Anglia, Hollandia, scissuris variis, & erroribus ab Ecclesia & Ecclesiæ doctrina tanquam a Petri sagena, sese subtrahentes. Nempè illud Augustini verum est: *Tanta erat carnalium multitudo in Ecclesia, ut etiam disruptione pacis per hæreses & schismata scinderentur.* Quod de tempore Lutheri & Calvini manifestè patuit; nam libido & voluptas carnalis primaria causa fuit hæresis & dissessionis eorum ab Ecclesia. Unde ut suam hæresim stabilirent, hanc carnalem felicitatem & voluptatem proposuerunt, ut secum plurimos attraherent, & è claustris viros & mulieres evocarent sub titulo licitæ eis voluptatis, non obstantibus votis. Ideoque disrumpenda esse hæc retia religionis persuaserunt, & ad conjugii libertatem convolandum duxerunt. Hæc fuit prima eorum propositio, hæc prima discissio & discessio. Primi Duces Ecclesiæ eorum noviter stabiliendæ fuerunt illi qui primam fidem Deo datam & vota irrita fecerunt. Nam relictâ austeritate, paupertate, disciplinis, ciliciis, (quæ tamquam sacratissima retia eos collegerant, concluserantque primitus intra suum felicissimum Religiosæ Pietatis & Perfectionis) statim autem præbuerunt novitati hujus Religionis voluptatem & libertatem annunciantis, pertæsi prioris vitæ carni blandimenta negantis. Hi sunt primæ Columnæ Synagogæ vestræ, ô Novatores, incesti Monachi vel Sacerdotes, incestæ Religiosæ & Moniales. Hi sunt Apostoli vestræ doctrinæ, Tibicines Evangelii vestri, Tribuni & Duces vestræ reformationis, qui inter brachia impuræ mulieris, inter Venerem & Bacchum edisecbant quæcumque vos docere volebant, macerantes ibidem carnem suam ad prophetandum. Ibi illuminati sunt novi Pastores, & invenerunt novam viam eundi ad cœlum, quam ipsi primi inierunt, & postmodum multorum trita fuit vestigiis. Sed de his potest Ecclesia, potest & Religio dicere, quod quod de similibus dicit sanctus Joannes. *Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis.* Quomodo humores mali quando evomuntur, tunc relevatur corpus, sic & mali quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur; & dicit quando eos evomit corpus & projicit: Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est non erant ex me? Non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant cum inessent. Ex nobis exierunt, sed nolite tristes esse, non erant ex nobis. Ita loquitur sanctus Augustinus illam Joannis sententiam explicans. In eandem sententiam multa producit sanctus Cyprianus l. 1 epist. 8. & lib. de Unitate Ecclesiæ, ubi inter cætera sic ait: *Cohærere non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Nemo existimet bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solidâ radice fundatam procella subvertit: inanes palea tempestate jactantur, invalidæ arbores turbinis incursione evertuntur. Hos execratur & percutit Ioannes Apostolus dicens: Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis. Hinc Hæreses factæ sunt frequenter, & fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem.* Hæc S. Cyprianus.

3. Schismata & hæreses exorta.

Rete scissum per Lutherum & Calvinum.

Thren. 4.

Sed concludamus cum *Ven. Beda*, qui apposite ad nostrum propositum interpretans hoc caput quintum sanctæ Lucæ in hoc Evangelio productum, ostendit non esse verè de piscibus Christi, sive de ejus electis, qui rumpunt rete & elabuntur è sagena Ecclesiæ; sed esse de numero super numerum, de numero indigno numerari, ideoque eorum loco alios vocari & suscipi. *Rumpitur rete, inquit, sed non labitur pisces, quia suos Dominus inter scandala persequentium servat. Novi qui sunt ejus, &*

Rational. Evang.

2. Ioan. 2.

apud eum certus est suorum numerus electorum. Quando rumpitur rete, vocantur alii, alii retro abeuntibus. Quando Judas proditor, Simon Magus, Ananias & Sapphira, & multi discipulorum abierunt retro, Barnabas & Paulus ad gentes missi sunt, ut navicula piscibus impleretur electis. Notat autem S. August. (lib. de consensu Evang.) ad mare Tyberiadis post resurrectionem Domini retia in dextram navigii partem missa attraxisse centum quinquaginta tres pisces grandes, & signate dixisse Evangelistam non sine mysterio, quod cum tam magni essent, retia non sunt disrupta: hic verò nec de numero, nec de magnitudine piscium fit specifica mentio, sed retia rupisse significantur. Nempe illic significata est Ecclesia qualis in fine sæculi futura est in ultima resurrectione, cum ad littus trahentur soli electi, qui ad dextram pertinent & ad resurrectionem vitæ. Ibi soli magni pisces capiuntur certo numero numerati: quia omnes electi magni sunt apud Deum, licet parvi sint apud mundum, & omnes numerati sunt, & scripti in libro vitæ. Signanter autem sub tribus illis numeris *centum quinquaginta tribus* continentur; quia centenarius significat observationem mandatorum, quinquagenarius remissionem peccatorum, ternarius fidei, spei, & charitatis observationem. Aliqui etiam dixerunt, quod in mari tot sint species piscium quod hic pisces attracti sunt, scilicet centum quinquaginta tres; quodque totidem populis debuerit annunciari ipsu Christi Evangelium. Signanter quoque ibi rete non rumpitur, quia post electorum congregationem in resurrectione vitæ nulla amplius erunt schismata, sed erit summa pax sanctorum. In hac vero piscatione, cujus in nostro Evangelio fit mentio, significatur Ecclesia, prout adhuc modo est: unde adhuc Jesus hic in navi est, non stat in littore, ut stabat Joannes. Et indifferenter retia mittuntur in unam vel alteram partem quicquid invenerint congregatura, nec fit mentio de numero piscium expresse, tamquam fiat illud per Propheram prædictum: *Annunciavi & locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* Nec exprimitur an magni fuerint, an parvi, quia multi fuere parvi & lubrici magnis commissi. Sed asseritur quod rete rumpebatur, ad significandum aliquos fidei unitatem disrupturos, ut jam ex dictis patet. Utraque ergo mystica piscatio fuit, utraque jussu Domini facta, utraque copiosam multitudinem concluſit, felix utraque; sed felicior selectiorque secunda, quæ extra omne periculum pisces selectissimos ad littus æternæ securitatis adduxit, ut mensæ Domini æternum serviant glorioſi.

Disparitas piscationis. Luc. 5. & Joan. 21.

Palatius in cap 43. Eccli.

Joan. 21.

Psal. 38.

Conclusio. Impertire Domine Jesu hanc gratiam piscatoribus tuis, hoc est, Pastoribus & Concionatoribus, quos succedere voluisti Apostolis tuis, ut laxare semper possint rete in verbo tuo, & multitudinem copiosam piscium concludere. Non sint piscantes honores, gloriam, opes & commoditates; sed verbo tuo piscentur homines, piscentur animas quas ad te adducant. Non laborent de nocte, vanâ & tenebrosâ intentione quæ sæculum caliginosum respiciat, sed laborent de die cum gratiæ tuæ luce, ut non frustra tandem se laborasse cognoscant. Fac ut pisces quos capiunt verbo tuo, sint de dextra, sint dilecti & electi, non sint lubrici, ut è reti erepant: non sint rebelles, ut erumpant, & rete effringant, aut discindant: sed in unitate fidei, spei, & charitatis sua sponte cum gaudio permanentes, tandem ad littoris æterni securitatem pertingant, & ad beatam tuam mansionem.

DOMIN. V. POST PENTECOSTEN.

Legit. 7. tripartita.

Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum. Matth. 5.

ANtiquo tempore in lege & Prophetis non fit mentio expressa regni cœlorum, sed Christus Dominus & illius Præcursor illud primo annunciavit, & appropinquare significavit, scalamque erexit ad intrandum in illud, & viam monstravit. Non ergo jam amplius possessio terræ fluentis lacte & melle, aut bonorum terrenorum, neque prolis fœcunditas, aut longa vita, seu victoria de inimicis promittitur: sed cœli hæreditas, bonorumque cœlestium, & Dei adoptatio, ac fraternitas cum Unigenito ejus, victoria quoque contra dæmones, & perpetui regni communicatio offertur. Ideo merito majora requiruntur certamina ab his qui talia sunt accepturi præmia. Nec mirum esse debet, si major exigitur justitia & perfectio ab his quibus promittitur regni cælestis adeptio, quam his quibus regni terreni fiebat promissio. Propterea igitur Christus Dominus, qui advenit ut Doctor justitiæ & Dux regni, hodie in monte sublimi & celebri sedens inclamat suis discipulis, suisque auditoribus: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* In monte perfectionis decreta condebat & promulgabat, quia & in monte lex Moysis licet imperfectior data fuerat. Attamen cum lex vetus daretur, juxta montem populus prohibebatur accedere: nunc Domino docente in monte nemo prohibetur, immò potius omnes invitantur atque audiant. Quia in lege severitas est, in Evangelio gratia; illic terror incredulis incutitur, hic credentibus benedictionis munus infunditur. Hoc est quod sanctus Leo his asserit verbis. *Qui locutus fuerat Moyse, locutus est & Apostolis, & in cordibus discipulorum velox scribentis verbi manus nova decreta condebat. Nulla ut quondam circumfusa nubium crassitudine, neque per terribiles sonos atque fulgores populo à montis accessu absterrito, sed patente ad aures*

De justitia Christiana, contra externam Pharisæorum.

In Festo omnium Sanctorum.

ad aures circumstantium tranquillitate colloquii. Vt per gratiæ lenitatem removeretur legis asperitas, & spiritus adoptionis auferret formidinem servitutis. Audiamus Doctoris nostri verba, Ducis nostri monita, eaque attendamus, expendamus. Quid ergo sibi vult dum dicit: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum.*

Dicamus *primo*, quod justitia Scribarum & Pharisæorum exteriori specie abundans visa sit, sed in veritate defectuosa fuerit in multis & vacua. Quam abundans fuerit ex *Iosepho l. 13. & 17. antiquit. ex S. Hieronymo in cap. 8. Isaiæ ex Epiphanio & aliis* satis colligitur. Jejuniis enim & orationibus instabant, ita ut dicat quidam illorum, *Jejuno bis in Sabbatho*, id est, in hebdomada; nam soliti erant feriâ secundâ & quintâ jejunare. Orationi autem & vigiliis instantes ne fortè somno obruerentur, in asseribus angustis sese componebant sine fulcris, ita ut somno obruti decidentes ex collisione excitarentur. Dormituri substernebant sibi acutos lapillos, vel spinas, ut brevis esset somnus: sic verò solebant pernoctare in orationibus. Minutissima quæque sollicitè decimabant, eleëmosynas elargiebantur, in potu quoque & cibo parci erant. Addit S. Hieronymus intexuisse extremitatibus rogarum spinas, quarum punctione continuâ cruenta vestigia terræ imprimebant. An non tibi fuisse videtur abundans ista justitia, & superasse justitiam Christianorum? Sed defecuosam nihilominus vacuamque fuisse eorum justitiam; ex illis quæ in Evangelica Historia traduntur, facilè colligitur. In primis, plus externa quam interna curabant; unde sepulchris dealbatis comparantur, quæ exterius speciosa, intus ossibus emortuis & fœtudis sunt plena. Deinde, per hæc exteriora opera aucupabantur laudem humanam & gloriam sæculi, imo & lucrum. Ulteriùs, confidebant in suis operibus tamquam justi, & alios despiciebant. Denique parva magni æstimabant, magna autem parvi faciebant, colantes culicem, camelum glurientes: exteriores lotiones sollicitè adimplebant, lotionem à peccatis internis negligebant. Non ergo mirum si Christus vult justitiam Christianorum abundare super justitiam Scribarum & Pharisæorum. Sienim ipsi externam faciem manusque adeo frequenter lavabant; vult ipse ut nos internam animæ faciem lavemus & manus, id est, opera emaculemus, & magis interiora cordis, quam exteriora corporis curemus. Si ipsi ex vanitate diu orabant, eleëmosynam palam erogabant, opera sua coram hominibus faciebant: vult ut nos ex veritate, ex sincero corde, ex spiritu & humilitate in ejus solam gloriam hæc omnia præstemus. Si ipsi confidebant in operibus suis tanquam justi; vult ut nos nostris non innitamur meritis & operibus, sed gratiæ ipsius divinæ, ipsiusque meritis; quia inde omnia nostra opera valorem suum sortiuntur. Denique, si ipsi in parvis solliciti graviora legis negligebant; vult ut nos conscientiæ securitati consulentes, ejus voluntatem graviter in omnibus adimpleamus, & justitiam perfectam ex recta fide & pura Dei charitate sectemur. Hæc minimum vera est justitia quæ Dei voluntatem in omnibus attendit, quæ illi se conformat, illam exequitur. Id enim justum dicitur, quod regulæ suæ adæquatur; sic justum pondus, ulna justa dicitur, quæ minor aut major debito non est. Regula autem nostra Dei voluntas est; sic homo justus est qui cum illa concordat, justa sunt opera quæ ejus sunt legi conformia. Justitia ergo Pharisaica non erat vera justitia quandoquidem regulæ suæ, hoc est, legi divinæ in multis erat dissona: & si exterius illi conformis videbatur, benè intus inspecta difformis reperiebatur.

Sed, cheu! dolendum planè est, quod quorum dam Christianorum justitia Pharisaicæ consimilis inveniatur post tot Christi monita. Nonnulli enim speciem præferunt pietatis & devotionis; orant, eleëmosynam largiuntur, jejunant quandoque, sacrificiis intersunt, festa observant, audiunt verbum Dei, speciosa sunt eorum opera & verba exterius: at interius inanis & vacua est eorum justitia, quia intus pleni sunt invidiâ vel vindictâ ambitione & superbiâ, injustitia & dolo, aut alio scatent vitio occulto & interno, nec sunt in gratia aut charitate, ideoque carent interiori justitiâ, quæ sola vera est. Ita verum est de illis: *Labiis me honorant, cor autem eorum longè est à me.* Similes quoque sunt isti Ficulneæ à Christo maledictæ quæ folia tantum ostentabat viridantia, carebat autem fructu; exterius frondosa erat, sed sterilis & fœcunda manebat. His dicitur: *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es. Esto vigilans, non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.* Quasi diceretur: Nomen habes Christiani, quod nomen te justitiæ & perfectionis admonet. Interim mortuus es, nec spiritu Dei duceris, spiritu veritatis, sed potius spiritu sæculi, spiritu vanitatis. Ideo non invenio opera tua plena coram Deo meo, licet homines de illis benè judicent, qui solum vident quæ exterius parent. Ego autem scio cor tuum, scio opera tua; & agnosco in te & in operibus tuis defectum, vacuitatem imperfectionem. Considerent igitur monitum istud, & revertanturad cor suum interius, ut arguente Domino agnoscant se; sicque adspirent ad perfectionem interiorem statui suo congruam, & ad charitatem Dei puram, ex qua omnia eorum prodeant opera. Ad hoc certè tendit & hoc Domini Evangelicum verbum: *Nisi justitia vestra abundaverit plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cœlorum.* Attendant quoties væ fulminat Dominus in Pharisæos, ob inanem & fucatam solùm justitiam, cum veram & solidam ab eis requireret; & videant ne illas maledictiones incurrant, cum eorum sint imitationes. Etenim sicut octo beatitudines quasi octo bene-

Justitia Pharisæorum vana.

Externa.

Imperfecque defectuosa.

Nostra interna debet esse.

Et perfecta.

Pharisæi justi prò dolor hodie in Christianis.

Matt. 23.

Matt. 21.

Apoc. 3.

Matth. 5.

dictiones, protulerat Dominus projustis in virtute solidatis, sic etiam octo maledictiones fulminat contra Pharisæos, & eorum sectatores, simulatam justitiam profitentes. Matth 23.

Contra 8. Beatitud. justorum, sunt 8. maledictiones Pharisæorum.

1. Prima est ista: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines: Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Nempe cum deberent Pharisæi doctrinâ & exemplo aliis aperire regnum Cœlorum viamque præmonstrare, è contra claudebant, & impediebant alios, avocando eos à fide Christi, qui ostium erat per quod intrandum erat; ejus enim doctrinam & miracula pessimè interpretabantur. Similes sunt hæretici, qui specietenus justi videntur & pietatis sectatores: interim solo nomine Christiani, doctrinæ veræ Christi & miraculis obnituntur, sicque multis claudunt regnum cœlorum, quia doctrina Catholica unica est janua ad illud Regnum.

2. Secunda maledictio est ista: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes; propter hoc amplius judicium accipitis.* Simulabant illi longas se peragere preces, ut captarent favorem viduarum; sicque earum domos, hoc est facultates exhauriebant, & ad se attrahebant. Utinam non reperiantur adhuc similes illis inter Christianos, vel Sacerdotes, vel Religiosos. Sed eheu, in omni statu aliqui ficti reperiuntur.

3. Tertia maledictio est ista: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam ut faciatis unum Proselytum, & cum factus fuerit, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.* Proselytus dicebatur, qui ex gentilismo noviter convertebatur ad Judaismum, in quam rem Pharisæi multos labores exantlabant. Nec propterea eis væ dicit Dominus; sed quia quem tanta diligentia & labore in suum consortium pellexissent, pravis exemplis, pravaque conversatione gehennæ reddebant obnoxium & pejores ipsis efficiebantur, quia in Præceptorem sortitur malum, non in illius sistit malitia, sed ulterius progredi solet. Videant ne his similes sint illi qui indifferenter quoslibet ad suam introducunt religionem; & postea eis pravo exemplo præeuntes, disciplinæque religiosæ neglectum foventes, eos gehennæ reddunt obnoxios qui in sæculari vita piè agentes regnum erant ingressuri.

4. Quarta maledictio est ista: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui decimatis mentham, & anetum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, misericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Similes sunt quotquot inter Christianos diligentius humana observant præcepta, quam divina, magisque solliciti sunt de quibusdam cæremoniis minoris momenti, quam de re gravi ad conscientiam spectante. Sic aliqui solliciti sunt, ne preces aliquas quotidianas sibi consuetas omittant, magis quam de odio & invidia in proximum vitenda. De detractione & judiciis temerariis, de fraude & injustitia, de oppressione pauperum exiguam sibi formant conscientiam, & similia graviora negligunt; de levioribus autem quibusdam anxiam sollicitudinem subeunt.

5. Quinta maledictio est ista: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapinâ & immunditiâ.* Hos imitantur qui magnam præferunt in exterioribus puritatem, in corpore, in veste, in cubiculis, in vasis domesticis, in lineis, in mensis, in cyathis & catinis; immunditiam verò animi parvipendunt, impuritatemque cordis & cogitationis negligunt. An pauci tales sunt? Væ illis.

6. Sexta maledictio est ista: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum.* Utinam hoc considerent illi qui exterius ornati & candidi prodeunt, corporis curam gerentes ut effulgeat: intus verò cadaver gerunt animam (scil. mortuam coram Deo & Angelis fœtidam: immò & coram seipsis, si oculos mentis intus velint intendere, & sepulchrum reserare. Nam non potest non fœtorem exhalare mortua conscientia, si introspiciatur. De his dicebat S. Chrysol. *Recedente anima mox eor* *Serm. 9.* *pore fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia visu detestanda succedunt: Discedente Deo (qui est vita animæ per gratiam infusam) confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror; & fit in corporis sepulchro vivo funus animæ jam sepultæ.* Hæc S. Chrysol.

7. Septima maledictio est ista: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum & ornatis monumenta justorum, & dicitis, si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socii in sanguine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui Prophetas occiderunt. Implete mensuram Patrum vestrorum.*

8. Octava maledictio est ista: *Væ vobis Duces cæci, qui dicitis: Qui juraverit per templum, nihil est; qui autem juraverit in auro templi, debet, &c.*

Ex his ergo omnibus satis colligitur quam inanis & imperfecta, imò quam ficta & falsa fuerit Pharisæorum & Scribarum justitia, ut merito Dominus à nobis requirat veriorem & abundantiorem si ingredi volumus regnum cœlorum.

PARS II.

Veram pharisæorum justitiam Christianis superare debent.

Dicamus secundo, frequentes mentem & interpretationem S. Chrysostomi, justitiam Christianorum non solum debere superare justitiam illam fictam Pharisæorum, sed etiam justitiam veram quæ in quibusdam ipsorum reperiebatur. Vult enim S. Chrysost. hunc esse sensum Domini: Dico vobis, quia nisi virtus vestra virtutem superaverit Pharisæorum & Scribarum, etiam illorum qui legem custodiunt, non intrabitis in regnum cœlorum. *Scribas ac Pharisæos hic non iniquos,*

iniquos, ut putatur, appellat, sed eos qui legis præcepta custodiunt, neque enim illos qui non custodirent, diceret habere justitiam ait hic Chrysost. Nec tibi mirum videatur, si Dominus plus requirat à Christianis quam ab antiquis Pharisæis etiam justitiam veram sectantibus; quandoquidem ipse adveniret tamquam Doctor justitiæ perfectioris, afferens legem gratiæ & perfectionis. Et ideo quantum lex gratiæ legem veterem videtur præcellere, tantum etiam Christiani antiquos debent in perfectione præcedere: *Lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per IESVM Christum facta est.* Status ergo legis novæ status est ad perfectionem obligans: status antiquæ legis adhuc imperfectus erat, nec tantam exigebat perfectionem: *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.*

Ioan. 1. Lex nova ad perfectionem obligat. Hebr. 7.

Propterea dicit Apostolus, quod antiqui illi erant servi habentes *spiritum servitutis in timore*, nos autem sumus filii, accipientes *spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba Pater.* Quod si filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Rom. 8.

Hæc non satis considerant passim Christiani, qui existimant perfectionem claustris concludi sive muris Religionis, nec ad eos spectare qui in sæculo agunt inter negotia & occupationes, inter uxorem & proles. Ideò ipsi vivunt secundum morem sæculi, sibique satis esse putant si modò gravioribus vitiis non sint obnoxii, nec ad aliquid perfectius se obligari aurumant. Hinc fit ut scandalosam quidem vitam vitent, linguam autem frænare, mortificationi carnis studere, jejuniis & orationibus frequentioribus vacare, injurias patienter tolerare, inimicos diligere, in humilitate se continere, sobrietatem colere, ad eos spectare dicant qui sæculo renunciarunt, & strictioris vitæ genus in religione professi sunt. Hic sanè error grandis est, ab eorum mente eliminandus, quia & perfectioni Christianæ viam obstruit & multis vitiis illum adaperit.

Obligat non solum religiosos, sed etiam seculares. 6. 7. 8.

Primò quidem Christianos quoslibet ad perfectam vitam obligari satis indicat S. Paulus, qui scribens non solum ad Religiosos aut Sacerdotes, aut voto aliquo consecratos, sed ad omnes fideles, appellat eos Sanctos, sive *Vocatos Sanctos.* Hinc scribens ad Corinthios dicit: *Sanctificavit in Christo IESV vocatis sanctis, gratia & pax à Deo Patre nostro & Domino IESV Christo.* Hoc est gratia sit, ô Corinthii, omnibus vobis vocatione sanctis sive ad sanctimoniam vocatis. Omnes ergo Christianos ita dicti sunt *Sancti*, non actu, sed vocatione, professione, obligatione. Hinc iterum: *Paulus Apostolus IESV Christi universis Sanctis qui sunt in Achaia; gratia & pax.* Et in fine illius epist. dicit: *De cætero fratres gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis ac dilectionis erit vobiscum. Salutant vos omnes Sancti.* Rursus: *Paulus Apostolus IESV Christi Sanctis qui sunt Ephesi: Benedictus Deus qui nos elegit ut essemus Sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate.* Vocat etiam tantum Christianum, *Sortem Sanctorum in lumine.* Sicque eos urget ad perfectionem: *Induite vos sicut electi Dei sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, modestiam, potentiam, Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Denique cum sic scripsisset: *Paulus & Timotheus servi* JESU Christi *omnibus sanctis cum Christo IESU qui sunt Philippis gratia & pax.* postea ad perfectionem eos exstimulans, juxta vocationem suam ad sanctitatem, sic concludit: *De cætero fratres, quæcumque sunt verâ, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.*

Probatur ex S. Paulo. 1. Cor. 1. 2. Cor. 1. Ephes. 1. Coloss. 1. Coloss. 3. Philip. 1. Philip. 4.

Secundò S. Petrus, Christianorum post Christum Dux primus, eos ad perfectam justitiam & sanctitatem obligari satis apertè declarat, dum dicit: *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, perfectè sperate in eam quæ vobis offertur gratiam in revelationem IESV Christi, quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis; sed secundum eum qui vocavit, vos sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est, sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Nonne hic Petrus omnibus loquitur Christianis? Nonne omnes ad perfectionem vult contendere, tamquam sanctificator per sanctificationem spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguinis JESU Christi? Ubi ergo sunt illi languidi, tepidi, torpidi Christiani, qui se conformant huic sæculo, configurantque ignorantiæ & concupiscentiæ desideriis? Hi filii Adæ sunt, terreni & animales, non verò filii obedientiæ, nec filii illius qui est *Pater futuri sæculi*, & Deus omnis gratiæ qui *dedit eis potestatem Filios Dei fieri, quia non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Hoc ipsum est quod eis iterum inculcat: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuncietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Qui quidem tituli, ab Apostolorum Coriphæo & Christianorum omnium Doctore & Doctore recensiti, eorum obligationem ad perfectionis viam sectandam planè indicant. Quare enim vocat eos *Genus electum*, nisi quia elegit ipsos Pater consortes fieri imaginis filii sui? Quare, *Regale Sacerdotium*, nisi quia Reges uncti sunt in baptismo, ut imperent passionibus suis & affectionibus inordinatis? Simul quia etiam Sacerdotes sunt nonne electi censentur, ut continuò sacrificium laudis offerant tamquam hostiam pacificam, cor contritum tanquam hostiam pro peccato, cor amore incensum tanquam perfectum holocaustum? Quare *Gens sancta*, nisi quia ad perfectam sanctimoniam sunt vocati, & per gratiam JESU ad hoc sanctificati, ut semper ad perfectionem connitantur? *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*, inquit Apostolus. Denique, quare *Populus acquisitionis*, nisi quia

1. Ex 2. Petro. 1. Petr. 1. Isai. 9. Ioan. 1. 1. Petr. 2. 1. Thess. 4.

empti sunt pretio magno, sanguine agni immaculati, ut illi serviant in spiritu & veritate, in conscientiæ puritate? Ergo ipsorum est annunciare virtutes illius qui eos redimet, qui acquisivit, qui vocavit & elegit, qui vocatos sanctificavit, & in admirabile lumen gratiæ suæ cooptavit de tenebris peccati & interni. Propterea conformiter Apostolo Petro eos monebat S. Leo, Petri hæres & successor, ut memores forent generis sui, & gratiæ à Christo acceptæ: *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis & membrum, quodque ereptus de potestate tenebrarum translatus es in Dei lumen & regnum. Noli te iterum Diaboli subjicere servituti, quia pretium suum sanguis Christi est.* Sed immemores generis, vocationis, obligationis suæ pleriique, sectantur tenebras, indigni vel nomine Christiano. Unde illos sic perstringit S. Chrysost. *Unde poterote deprehendere Christianum? An à loco? An à veste, à sermone? à cibo? à negotiis? Non à loco, quia locus Christiani est templum Dei, tua autem frequentatio in ludo est, platea, taberna. Non à veste, quia indumenta profana & cum luxu vana geris. Non à sermone, quia gaudes juramentis, detractione, adulatione. Non à cibo, quia in mensa intemperiem magis sectaris Epicuri, quam Christianam sobrietatem. An ergo à negotiis? Minimè; quia qua tractas plena sunt dolis, quibus proximum circumvenire soles.* Audiant ergo tales arrectis meatis auribus hoc Domini minax pronunciatum; *Nisi abundaverit, justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Non sperent ad illud regnum pertingere, qui se indignos reddunt impurâ conversatione.

Leo serm. de Nat.

Chrysost. ad populii Antioch.

3 Ab ipso Christo. Matth. 5.

Tertiò; Ipsemet Christus claris verbis Christianos omnes ad perfectionem obligati alibi demonstrat, dum dicit: *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* An forte solum loquitur his qui à sæculo se sequestrant per vota Religionis? Immo verò omnibus loquitur qui Patris cœlestis filii esse & dici peroptant. Quis verò non optet recenseri inter filios Dei? Sequatur ergo perfectionis viam, anhelet ad justitiam perfectam, ut posit in sorte filiorum Dei certiùs computari. Suavis & benigna Patris cœlestis compellatio, ad ejus sectandam perfectionem eum urgeat & compellat; nam proprium est filiorum imitari parentes. Unde & S. Paulus conformiter Christo Domino dicit: *Fratres estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit vos.* Quasi dicat: Non solum estote hæredes nominis, sed & imitatores sanctitatis. A Christo si vocamini Christiani, ejus humilitatem, patientiam, charitatem, aliasque perfectiones consequi satagite; ne vos non agnoscat ille, cujus nomen geritis, sed ut degeneres, repudiet, quando eum ut Patrem invocatis. Solebant olim nobiles filii parentis imaginem in Numismate aureo insculptam, in modum cordis formatam, ad pectus suspendere; eratque eis instar Monilis, quo admonebantur heroicas parentum virtutes imitari. Unde Senatus Romanus dicitur sustulisse Scipionis filio Numisma ejusmodi, in quo sculpta erat Patris ejus effigies, quia degener fuit à virtute paterna, ideoque Scipio ignobilis dictus Indignus nimirum fuit tali Monili, quandoquidem indignis moribus Patris nomen & virtutem in honorabat. Sic Christianus Christi nomen non solum cordi debet imprimere, sed etiam ejus virtutem moribus exprimere, si vult vocationi & nomini suo respondere. Unde S. Basilius Christianæ perfectionis colores & lineamenta nobis coram oculis ponens, sic interrogat. 1. *Quid est proprium Christiani?* Fides quæ per charitatem operatur. 2. *Quid est proprium Christiani?* Ut unus fiat spiritu cum Christo; & sicut Christus semel peccato mortuus est, ita & ipse mortuus sit, & peccato immobilis. 3. *Quid proprium Christiani?* Mundari ab omni inquinamento carnis & spiritus, & perficere sanctitatem in timore Dei & charitate Christi. 4. *Quid proprium Christiani?* Quotidie & singulis horis vigilare, & assidue paratum esse ad illam perfectionem per quam placeat Deo, illud sciendo venturum esse Dominum horâ illâ quâ non sperat.

Basil. in moral. regul. 80. c. 21.

Christianus Christum ut repræsentet necessum est

Hæc igitur est justitia abundans, quam requirit Dominus ab illis qui intrare volunt in regnum cœlorum. Nec enim illud regnum dormientibus & torpidis, negligentibusque defertur, sed ut dixit Dominus; *Vim patitur & violenti rapiunt illud.* Violentiam appellavit assiduam, & acrem corporis in laboribus fatigationem. Quod discipuli Christi faciunt, cum & voluntatem propriam, & corporis omne laxamentum abnegant, & Magistri sui omnia præcepta conservant. Matt. 11.

Quocirca si tibi in animo est rapere regnum Dei, violentiæ te dato, cervices tuas Christi jugo submittite, labore illud virtutis atterito, jejunando, vigilando, taciturnitatem servando, orationibus & lacrymis operam dando. Hæc S. Basilius ser. de Abdicat. rerum. Neque hæc solum ad Religiosos spectant, sed suo etiam modo ad omnes. Nam cum Dominus inclamat: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me;* non solum alloquitur Antonios, Franciscos, Dominicos, aut Monachos alios ad perfectionem conitentes, sed expresse dicitur: *Dicebat autem ad omnes si quis vult venire, &c.* Imò Dominus peculiariter & seorsum suos discipulos alloquens, cùm hanc sententiam vellet proferre, convocavit turbam. Ergo illud omnes concernebat, etiam eos qui de turba erant. Luc. 9. Marc. 8.

Non itaque mirentur conjugati, si etiam inter negotia & occupationes sæculi, inter liberorum, uxoris, & familiæ curam ab eis perfectionem requiramus, cum ipse Dominus ab eis requirat abundantem & perfectam justitiam, perfectamque sui

Quomodo practicè quilibet perfectus esse possit.

sui sequelam, cum crucis tolerantia & abnegatione propria conjunctam. Quod si hæc tamquam sublimiora non capiunt, dicamus eis familiariter & practicè ad cujuslibet captum. Paterfamilias perfectus esse potest, si ab omni injustitia se & suos familiares coërceat: si exemplum pietatis ipsis det frequentando divina: si ad confessionem frequentem eos exhortetur. Si timorem Dei sibi proponit, ita ut nolit quoad in se est in statu peccati mortalis agere. Si patienter tolerat adversa, si ad Deum refert omnia. Si à juramentis, ebrietate, ira sibi temperat, & suos avertit. Si concordiam in matrimonio fovet, & charitatem cum proximo.

Similiter filius familius perfectus erit, si erga se castus, erga proximos exemplaris & modestus erga Deum pius, erga parentes obediens erga conscientiam timoratus, erga pauperes si benignus. Sicut initio Deus in paradiso produxit arbores omnis generis, & voluit ut unaquæque ferret fructum juxta genus suum: Sic ab omnibus vult produci fructum in Ecclesia tamquam horto à se electo, sed juxta statum & vocationem suam; ideo nemo se excuset, quia hæc est justitia quam hic requirit, quæ necessaria ad intrandum in regnum cælorum à se promissum.

PARS III. *Malos Christianos gravius puniendos quam Iudæos aut infideles.* 2. Petr. 2.

DIcamus tertio, Christianos qui justitiam professioni suæ congruam sectati non fuerint; non solum non ingressuros regnum cælorum, sed etiam gravioribus suppliciis plectendos. Hoc est quod S. Petrus asserit: *Melius enim erat non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod traditum est sancto mandato.* Quasi dicat: Minor est infidelis ignorantis quam fidelis cognoscentis culpa, ideoque minor erit & pœna. Quod etiam verum est de pereuntibus in veteri lege, quod scilicet minor sit eorum culpa, minorque pœna, quam pereuntium in lege nova, quia his major data fuit gratia per baptismum & sacramenta, per Spiritum Sanctum & ejus dona, quam olim antiquis; ideoque major est eorum gratitudo, majusque judicium sibi cælitus attrahunt. Melius ergo illis erat non cognoscere viam justitiæ, hoc est, religionem & institutum Christianissimi (quod tamquam vera via homines ducit ad veram virtutem & justitiam perfectam & deinde ad cælestem patriam) quam illo suscepto & initiata via recta retrorsum converti à sancto mandato. Quod est sanctum mandatum? Lex est Evangelica, cujus auctor est Christus & Spiritus Sanctus. Eius mandata sanctissima sunt, quia omnem puritatem & sanctimoniam docent, omnemque impuritatem & impietatem resecant. Per doctrinam & divina quæ tradit Sacramenta, omnes sibi obedientes sanctificat, sanctæque doctrinæ illi servari debet, quia eius finis est justitia & sanctitas. Qui ergo per baptismum se legi Evangelicæ obedientem promisit & sancto mandato se astrinxit (professus renuntiare satanæ, & omnibus operibus eius, & adhærere Christo, & omnibus mandatis eius) postea verò immemor promissionis & chirographi sancti quod in cælo scriptum tenetur, vitiis se tradit, sanctificationemque & gratiam divinitus acceptam negligit, eheu, quam gravi judicio se obnoxium reddit! Hos monet acriter S. Ambros. *Lib. 3. de Sacram. cap. 2.*

Reserata sunt tibi Sancta Sanctorum, ingressus es Sanctuarium Dei. Repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renuntiasti diabolo & operibus eius, mundo, luxuriæ & voluptatibus eius. Memor esto sermonis tui, & nunquam excidat tua series cautionis. Si chirographum homini dederis, tenoris obnoxius ut pecuniam eius accipias teneris obstrictus, & reluctantem te fœnator astringit. Si rerusas, vadit ad Iudicem, atque illic tuâ cautione convinceris. Vbi promiseris considera, vel quibus promiseris. Levitam vidisti, sed minister est Christi. Ergo chirographum tuum tenetur, non in terra, sed in cælo. Est ergo votum quoddam & professio communis in baptismo, sive declaratio solemnis quâ profitemur non quidem novam obligationem, sed eam quæ iure divino inest nos acceptare, & paratos esse ad omne obsequium Christi, & ad fugiendum omne consortium diaboli, omne contagium peccati, tamquam qui sumus in familiam Dei solemniter recepti. Hoc est ergo *Sanctum mandatum*, à quo non oportet retrò converti: & cum ibi abundantem gratiam ex pacto divino acceperimus, longè magis obligamur ad viam justitiæ quam antiqui in lege. Unde fit ut transgredientes illud fœdus & pactum solemne, maiori reddamur supplicio obnoxii quam illi? & multò magis quàm infideles, qui notitiam veræ viæ & vitæ, veræque justitiæ nullam habuerunt.

Ad huius rei confirmationem facit quod in Vitis *PP. p. 4. legimus de S. Macario Abbate.* Procedebat ipse per desertum meditabundus, invenit autem in itinere suo calvariam quandam, sive cranium hominis defuncti. Impellente spiritu interrogat, & adiurat in nomine Domini, ut edicat, num caput istud sit hominis Christiani, an infidelis, an reprobi, an verò electi? Mox verò responsum istud de cadaverosa accepit calvaria: *Homo fui Gentilis Deinotitia & fide carens, ideoque modo eius carei gloria, æternis inferni tenebris & tormentis addictus.*

Nec verò hic stetit S. Macarii interrogatio; sed ulterius interrogat: *Quid ibi agitur de Christianis impiis, quemque ibi locum sortiuntur?* Responsum denuo accipit: *Christiani damnati infra nos sunt profundiori loco, & longè gravioribus torquentur suppliciis quia fidem Deo datam irritam fecerunt, fœdusque sanctum cum illo sanctum violarunt.* O igitur infelicitatem Christianorum, qui divinam gratiam & viam iustitiæ neglexerunt, contempserunt! *Baptismi circumstantiæ eius malitiæ Christiano in augmentum pœnæ cedunt.*

Certè quicquam erga nos in baptismo, ubi ad Christianismum initiatio est, exterius interiusve peragitur, erit contra nos in testimonium & in pœnæ augmentum, si gratiam & salutem postmodum repudiaverimus. Character indelebilis quo in baptis-

baptismo signati sumus, velut signaculo SS. Trinitatis, nobis in maximam cedet confusionem, quo discernemur ab infidelibus, tamquam majori culpæ, majorique pœnæ obnoxii: hæc enim erit nota ingratitudinis, quæ numquam expungi poterit, sed conscientiam mirè in æternum torquebit. Unctio quoque sacra adeò frequenter, in pectore, in humeris, in capite baptizati repetita (quæ significat unctionem interiorem gratiæ Christianæ) vocem contra nos dabit, & ad ignem ardentiorem adaptabit. Nempe sicut lignum aridum cumbustioni desè aptum est, sed si ulterius olei unctio ei adjungatur, impetuosius flamma in illud solet desævire: Sic infideles sunt velut ligna arida, quia nullius umquam fuere participes unctionis, nec chrismatis. At verò fideles Christiani toties perunCti & chrismati, toties unctionis gratiæ & misericordiæ divinæ consortes effecti, nonne majorem debent exspectare ignis in se efficaciam? Hoc est quod dicit Apostolus: *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur hostia pro peccatis; terribilis autem quædam exspectatio judicii & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.* Rectè comparaveris Christianos hos impios, toties unctione perfusos, malefactoribus illis qui ob atrocia facinora tunicam decreto Judicis induuntur oleo & pice perfusam, sicque igni traduntur ardenti. Hi enim in igne devorante terribilius & asperius torquebuntur ob oleum gratiæ, quo interius aspersi fuere sine fructu ullo, sicut & isti malefactores de quibus agimus ob oleum materiale, quo perfusi sunt exterius.

Hebr. 19.

Denique, Cereus ille luminosus qui datus fuit cum in altari tamquam sacra victima offerentur Domino, eis in memoriam reducetur, & exasperabit conscientiam, cum se videbunt in æternis tenebris propter neglectam lucem gratiæ, per cereum illum designatam. Sic & candida vestis eos mirè torquebit, quâ iam privati suis demeritis in tenebras proiiciuntur ligatis manibus & pedibus, ubi nihil nisi fletus & stridor est dentium. Hæc ergo vestis, Christianæ puritatis conservandæ symbolum, acerbum dabit contra eos testimonium.

Exempl.

Propterea *Muritta*, quidam *Diaconus* (de quo *Victor Viticensis, in libro de persecutione Vandalica*) albam vestem quâ quidem Elpidophorus ab ipso fuerat indutus in Baptismo, illi repræsentabat gratiam fidei repudianti, & coram omnibus illam expandens & ventilans forti spiritu, & voce inclamabat: Hæc sunt lintea Elpidophore quæ te accusabunt, dum Majestas venerit iudicantis, quæ custodivit diligentia mea ad testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abyssum putei sulphurantis. Hæc te vestis immaculatum cinxerat de fonte surgentem. Hæc te acrius persequetur, cùm flammantem gehennam ceperis possidere; quia induisti maledictionem sicut vestimentum, scidens atque amittens veri Baptismatis & fidei Sacramentum. Quid facies miser, cùm servi Patrisfamilias ad cœnam congregarint invitatos? Dicet tibi Rex: quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Non video vestem quam tibi dedi; perdidisti militiæ chlamidem, quam aquâ mundavi, & purpurâ sanguinis mei decoravi. Ligatis ergo pedibus, & manibus projicite in tenebras eum qui sese separavit à Fratribus Catholicis. His & similibus ignem conscientiæ accendebat in corde ejus, quo urebatur cum robore ante ignem æternum, quo infelix ille ob scelera & defectionem à fide erat comburendus.

TU, Domine, qui ad nos venisti tamquam Doctor veritatis & justitiæ, doce nos veram semper justitiam, & remove à nobis fictam & Phatisaicam, inanem & externam. Immò da Christianis discipulis tuis gratiam, per quam Te Præceptorem sequentes perfectionis viam sic sectentur, ut abundet justitia eorum super omnem justitiam antiquorum; ut sic gratiæ tuæ & vocationi sanctæ justis operibus respondentes, certò sibi sternant viam & ingressum in cælum. Attendant & rememorent per sanctam illuminationem & inspirationem tuam, Baptismum suum, characterem sacratum, cereum luminosum, vestem candidam, unctionem tertio repetitam sponsionemque coram te factam: ut hæc eis non cedant in testimonium contra se, & in pœnæ & supplicii incrementum, sed potius in perfectionis calcar, & gratiæ conservandæ augendæque stimulum.

Conclusio.

EADEM DOMINICA.

Lect. 8, tripartii.

Omnis qui irascitur fratri suo, reus eris judicio.
Matthæi 5.

CHRISTUS Dominus primùm quidem generaliter nos monet & extimulat ad virtutem & perfectionem, requirens à nobis justitiam perfectiorem & abundantiorem, quam à Scribis & Phariszis, ut certior nobis pateat aditus in regnum cælorum: Postea in particulari aliqua proponit & explicat, ut ostendat in quo illa justitia & perfectio à se requisita, consistat.

Pars I. Iram posse est justam & sine vitio.

1. Jubet rescindi omnem iram immoderatam ad radicem usque, hoc est etiam usque ad internum malevoli animi motum.

Diversos Christus in Evangelio docet.

2. Vult concupiscentiam comprimi, & resecari usque ad pravam cordis cogitationem.

3. Imperat omnem occasionem peccati eliminari, ita ut si dextra scandalizet, ejuenda sit & projicienda, hoc est, quamlibet sit nobis quippiam conjunctum & necessarium, si peccandi periculum nobis ingerat, vult procul à nobis removeri & repudiari.

4. Ut linguæ frænum injiciat, quæ labilis est in juramenta, vult ut sermo noster sit simplex: Est, Est; Non, Non; & quod his abundantius est, dicit à malo esse.

5. Docet

5. Docet patientiam ita tenendam esse, ut nolit nos resistere malo, sed si quis percusserit dextram maxillam, dicit alteram præbendam esse; & si quis tulerit tunicam, dimittendum illi & pallium, potius quam per impatientiam peccando, vindictam sumere periculosam.

6. Docet liberalitatem & promptitudinem ad benefaciendum, petenti mutuando cum benignitate.

7. Docet dilectionem erga inimicos, & eos qui oderunt nos, illis benefaciendo, pro illis orando. An non propter hanc doctrinam Christo titulus ille glorioſus merito congruit *Doctor Iustitiæ*? Hæc omnia docuit ipse in sermone illo in monte. Ex quo desumptum est Evangelium hodiernum, quod specialiter primum illius documentum repetit, de ira funditus extirpanda & compescenda. Audiamus ergo & ponderemus Doctoris nostri & Legislatoris novi verba, singula enim efficaciam habent & emphasim. Sic exorditur: *Dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis. Omnis qui iratscitur fratri suo, reus erit judicio.* Matth. 5.

Nota, quæ sit Ego dico.

Attende illa verba: *Ego autem dico vobis.* Quasi dicat: Ego officium meum peragO, legem non solvo sed impleo, expono, perficio, & ad sufficientem justitiam perduco. Et ego quidem id facio, qui Moysi & Prophetis antiquitus locutus sum, ego, inquam, qui sum Veritas & Sapientia Patris, qui tanto magis præ Moyse habendus & audiendus sum, quanto differentius præ illo nomen hæreditavi; ipse enim servus, ego filius in domo Dei. Siantiquitas dicebant vobis Prophetæ: *Hæc dicit Dominus*, Ego qui loquebar ecce absum. *Et ego dico vobis*, loquor que nunc in persona, & demonstro apertius vobis viam cæli, qui olim loquebar in Prophetis obscurius. Animis ergo nostris diligentissimè inserenda est ejus lex & doctrina, nec solum auribus corporis excipienda, quandoquidem tantus talisque Doctor & Legislator proprio ore eam expromat & exponat: *Dominus Legifer noster. Et nullus ei similis in Legislatoribus*, ait Job. Nationes quælibet suos habuerunt Legislatores, Hebræi Moysen; Athenienses Solonem, Ægyptii Mercurium Trismegistrum, Lacedæmonii Lycurgum, Romani Numam Pompilium. Hi præclari fuere quidem Legislatores, potentes auctoritate & sermone; sed Christus Filius Dei noster dignatur esse Legislator, Veritas & sapientia Patris dignatur nos docere. Nullus ergo ei similis in Legislatoribus, sive ut alia lectio habet: *Nemo sicut ille docet.* Merito ergò proloquitur, *Ego autem dico vobis.* Quasi rursus dicat. Licet difficilè videatur quod doceo & præcipio, statim tamen aurem & observantiam præbebitis, si majestatem & auctoritatem, si sapientiam nec falli nec fallere potentem attendatis. Ego enim præcipio is cujus Angeli nutum illicò exsequuntur, cujus voci cælum mare & terra obediunt, qui vitæ & necis imperium habeo, qui observantes æternis præmiis remunero, desides & reluctantes æternis pœnis afficio. An non hæc omnia implicitè hoc in verbo insinuantur, *Ego autem dico vobis*? Nunquid propterea ante singula quæ præscribit documenta in eodem ipso sermone idipsum repetitur, *Ego autem dico vobis*? Sexies enim hoc repetitum reperies, si animum advertere velis. Esai. 33. Iob. 36

Verbum autem quod nobis primo dicit est istud: *Omnis qui iratscitur fratri suo, reus erit judicio.* Ubi advertE nonnisi iram inordinatam hic à Domino prohiberi, & condemnationi obnoxiam censeri. Est enim ira quædam quæ potest esse recta & justa, de qua *iratscimini, & nolite peccare.* Imo vitiosum esse potest non iratsci, punitionemque, delinquentis non expetere vel inferre. Hoc advertit S. Chrysostomus sic dicens in cap. 5. Matthæi. *Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur. Qui cum causa non iratscitur, peccat. Patientia enim irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solum malos, sed & bonos ad malum quodammodò invitat.* Hac ergo ratione convenit quandoque in familiam iratsci Patres. Matresque familias, & sibi subditos secundum rectæ rationis judicium plectere. Nam justa ira mater est disciplinæ. De hac ira dicitur. *Melior est ira risu, quia per tristitiam corrigitur animus delinquentis.* Certè Heli graviter arguitur, & postmodum celeri morte punitur, eo quod non satis iratsceretur filiis suis discolis, vitiisque eorum publicis & privatis. Ira inordinata damnatur. Psalm. 4. Ira justa, mater disciplinæ. Eccl. 7. 1. Reg. 3.

Hoc idem concernit Superiores omnes, quos quandoque iratsci oportet inferioribus, sicut Præceptores discipulis, Dominos servis, ne nimiâ lenitate iram excludente viam sternant vitiis, aut illa fovere censeantur in sibi subditis. Cum in Dei injuriam aliorum gesta redundant, ita locum habet. Nam in propriis injuriis esse patientem laudi ducitur, Dei autem injuriam dissimulare, probo aut impietati adscribitur. Vide hujus iræ justæ exempla, tum in antiquo, tum in veteri testamento laudatissima. Concernit Superiores. Iræ justæ exempla Moyses.

Moyses licet mitissimus inter homines, ubi tamen advertit populum descivisse à Deo, & vitulum conflatilem sibi fabricasse adorandum, an mansuetum se exhibuit? Imò verò iratus valdè projecit è manibus tabulas Dei digito conscriptas, illasque confregit ad radicem montis. Fuit Moysis hæc ira laudabilis, quæ justè iratscebatur vitiis; quæ etiam laudabilis est in aliis Superioribus dum divinam imitatur iram. Nam divina bonitas ideo peccantibus iratscitur in hoc sæculo, ut non iratscatur in futuro: & misericorditer temporalem exhibet severitatem, ne æternam inferre cogatur ultionem. Num. 12. Exod. 33.

Sic S. Paulus iratscitur Galatis à rectitudine fidei à se traditæ in obliquum declinantibus; & licet dicat Dominus: *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis*; tamen inclamat ipse iratâ sed justâ S. Paulus

Gal. 3. vocè : *O insensati Galatæ, quis ex vobis fascinavit obedire veritati?* Sic etiam Propheræ Populum Dei vocabant. *Populum Sodoma & Gomorrhæ*, quæ gravissima videbatur contumelia ; sed à justa indignatione & ira proficiscebatur propter eorum scelera.

S. Ioan. Bapt. Quomodo & S. Joannes Baptista vocat suos auditores *Genimina viperarum* ; immò & Christus ipse

Ipse Christus. iratus non solum verbis, sed & verberibus ejicit

Ioan. 2. ementes & vendentes de domo Patris sui, & numulariorum mensas evertit, tenens dexterâ flagellum de funiculis iræ suæ instrumentum mysticum.

Hæc ergo ira convenit Superioribus, & verbi divini Præconibus, vocaturque ira per zelum, ut distinguatur contra iram per peccatum. De hac sic ait Isidorus lib. de summo bono cap. 3. *Ira recta*

Ira justa, rationis ager gubernaculo. *data est homini naturaliter ad cohibendum vitia sua vel aliena sine mentis perturbatione, sola charitatis intentione, ne homo serviat peccatis.* Eget tamen & hæc ira gubernaculo ne limites excedat ; quia fieri potest dum justo plus irascimur, & volumus aliena coërcere peccata, quod graviora committamus. Illa præpositorum sollicitudo cautelaque est laudabilis, in qua totum agit ratio, & furor nihil sibi vendicat. Restringenda ergo est potestas sub ratione, nec agendum quippiam priusquam concitata mens ad tranquillitatem redeat, quæ commotionis tempore justum putat omne quod facit. Sic eleganter docet S. Gregorius epist. ad Regem Visigothorum,

S. Reg. 3. ubi hæc habet : *Ira cum delinquentium culpas exequitur, non debet menti quasi Domina præire, sed post rationis tergum velut ancilla famulari, ut ad faciem justa veniat. Nam si semel possidere caperit, justum esse deputat etiam quod crudeliter facit.* Hinc scriptum ex ira viri justitiam non operatur.

S. Propheta Elisæus cum vellet prophetare dicitur vocasse prius Psaltem, sive Cantorem aliquem ex Levitis, qui divinas laudes psalleret. Dum verò Psaltes caneret, facta est super eam manus Domini. An fortè erat necessaria musica ad spiritum Propheticæ? Non equidem. Sed tamen id ab eo factum putant, ut ad tranquillitatem rediret animus iracundia concitatior. Paulò enim antè in

Ab ira justa ad mansuetudinem redeundum. Regem Israel iratus valdè & dixerat : *Quid mihi & tibi est? Vade ad Prophetas Patris tui, & Matris tuæ.* Postmodum addiderat : *Vivit Dominus in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat Regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.* Et licet optimo zelo id pronuntiasset, tamen spiritus Domini, qui tranquillitatis est amator, statim noluit descendere, nisi jam sedatiori foret animo. In quo & Superiores edocentur etiam à justa ira mox ad tranquillitatem & mansuetudinem redire, ne fortè limites aut mensura excedatur, quod ipsum debent ad cor redeundo examinare.

Propterea S. Augustin. dans exemplum Pastoribus in hac re, sic dicit hom. 24. ad plebem ex quinquaginta homiliis : *Diversarum curarum æstibus ac difficultatibus conturbatus, si quem fortè non ut poscebat audivi, si quem tristius quàm opus erat adspexi, si in quem verbum durius emisi, si quem opis indigum responso incongruo contristavi & conturbavi, si quis in sua conscientia non agnovit quod humanitus de illo suspicatus sum, vos quibus pro his offensis me fateor debitorem, simul me vestrum credite amatorem. Nam pullos quos fovet, sæpè in angustiis, sed non toto pedes pondere, calcat mater ; nec ideo desinit esse mater.*

Sic Apostoli Jacobus & Joannes justè indignantur & irascuntur Samaritanis, quod Christum repulissent, sed limites excedunt & modum, dum dicunt : *Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cælo, & consumat illos ?* Unde Dominus illos reprimens dicit : *Nescitis cuius spiritus estis ; Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Non ab simili modo dicitur de Jona quod cum videret contra oraculum suum Dominum parcere Ninivitis, afflictus & afflictione magnâ, & iratus est ; ita ut dixerit ei Dominus : *Putasne benè iratus es tu ?* Postmodum subitò hederâ exarescente cum sub solis ardore æstuaret, & peteret à Domino potius mori quam vivere, tædio quodam afflictus vehementer, iterum interrogavit eum Dominus : *Putasne benè iratus es tu super hederâ ?* Tunc que respondit. *Benè irascor ego usque ad mortem.* Hoc est, justè & merito irascor, eo usque ut mori cupiam. Attamen modum excedebat ira Jonæ. Justè quidem poterat optare Propheta ut peccata præterita Ninivitarum punirentur sicque oraculum ejus non foret irritum, & irridendum à Ninivitis. Sed nimius fuit hic ejus zelus ; nam amor honoris proprii (quo cupiebat potius mori quam haberi falsus Propheta, si non subverteretur Ninive secundum suam prædictionem) impulit eum ad nimiam afflictionem & impatientiam unde redarguitur à Domino per exemplum hederæ. *Tu doles super hedera in qua non laborasti, nec fecisti ut cresceret, quæ sub una nocte nata est, & sub una nocte perit : Et ego non parcam Ninive in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram ?* Quasi dicat. Si adeò doles ob hederam vilem, quæ citò nascitur citò petit, eo quod succisam eam videas : Quantò magis mecum dolere deberes de interitu tantæ urbis, & de tot centenis millibus ; ideoque petere deberes ut eis parcam & misereri ? Ex his ergo omnibus patet justam quidem esse quandoque iram, propter peccata aliorum, sed tamen intra limites suos coërcendam & moderandam.

PARS II.

LOquitur autem Dominus non de ira quæ justa sit, dum dicit ; *Omnis qui iratus fuerit fratri suo, reus erit judicio* ; sed de ea quæ tendit in nocumentum grave proximi. Hæc definiri potest immoderata cupiditas puniendi vel vindicandi, sed de eo à quo quis se læsum arbitratur. Est ergo irrationabilis perturbatio mentis, ideoque judicio, hoc est, condemnationi est obnoxia. Hujus iræ damna

recen-

recenſet S. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 31. Primum quidem ait ipſe: *Per iram patientia perditur, ut quid & quo ordine agendum ſit, neſciatur; quia nimirum intelligentiæ lucem ira ſubtrahit, cum mentem permovendo confundit.* Deinde addit: *Per iram juſtitia relinquitur, quia dum perturbata mens judicium ſine ratione exaſperat, omne quod furor ſuggerit, rectum putat.* Ulterius pergit & dicit: *Per iram manſuetudo amittitur, & ſuperna imaginis ſimilitudo vitiatur.* Deus enim tranquilliſſimus eſt, & tranquilliſſimè judicat, homo autem iratus longè à tranquillitate abeſt. Denique proſequitur dicens: *Per iram lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundia confuſionis tenebras incutit, huic Deum radium ſuæ cognitionis abſcondit.* Poſtremò addit & concludit: *Per iram Spiritus Sancti ſplendor excutietur, qui ſuper humilem & quietum requieſcere dicitur, quia cum ira ſubtrahit quietem, Spiritui Sancto habitationem claudit.* Hæc S. Gregor.

Iniuſta ira damna.

Vitioſa ira Emblema Martis eſt.

Iræ vitium cum ſuis perniciosis effectibus ob oculos nobis ponebant antiqui, depingentes illud ſub ſpecie Martis ſive hominis furentis in curru ſedentis, galeam in capite gerentis, cum flagello in dextera, quem etiam Lupus præcedebat. Nempe Mars furibundus, Deus belli dictus eſt, & Stella iſta quæ Mars nominatur, complexionis cholericæ dominatur, ad iramque commovere dicitur. Vide igitur aptam comparationem hominis irati cum Marte aurea deſcripto. In primis Mars hominis inſtar furibundi deſcribitur; ſimilis eſt & iratus, quia nulla celerior eſt via ad inſaniam & furorem quam fervens ira, prout ex motibus & geſtibus hominis irati ſatis colligitur. Nam ira cor accenſum palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, in ore eſt clamor, & intus quid loquatur iratus ignorat. Sic qui iratum bene inſpicit, perturbatum, clamantem, mordentem, percutientem, non aliud dicere poteſt quam iram eſſe brevem inſaniam. Secundò, Mars in curru depingitur, & per hoc etiam irati animus deſignatur, quia in eo nulla eſt ſtabilitas. Volubilitati enim ira ſubjecta eſt cholera in irato dominante, & quia igneæ & volubilis eſt illa naturæ, idem & ipſe de uno in aliud volutatur. Sic verum eſt de illo qui infatuatur per iram: *Præcordia ſatui quaſi rota carri, & quaſi axis verſatilis cogitatus illius.* Confuſæ enim & volubiles ſunt ipſius cogitationes, ex confuſo & turbido corde prodeuntes. Et ſicut rota currus ſuo motu ingratum edit ſonum, ita & intima hominis irati inconditum ſermonem reſonant auditorum auribus ſtridentem. Quis ergo currus eſt, cui iratus inſidet? cholera eſt qua vehitur, & prava opinio cui adhæret, & inſidet. Quænam ſunt illius currus rotæ quibus volvitur? Paſſiones ſunt, quibus ad vindictam impellitur, inquietudo, impetuoſitas, præſumptio, audacia. Sic verum eſt. *Rota ejus quaſi impetus tempeſtatis.* Tertiò, Mars habet caput galea coopertum, flagellumque in manu gerit.

Mars ſuriens.

Mars in curru

Eccli. 33.

Iſaiæ 5. Mars galeatus & flagellum gerens.

Sic iratus judicium rationis habet obtectum & obnubilatum; hæc eſt caliginoſa galea, quæ impedit ne poſſit cernere verum. Deinde flagellum cum ſit inſtrumentum ultionis, ſignificat iram ad percuſſionem & ultionem promptam eſſe. Quod ſi manu non poteſt, linguâ percutit: *Flagelli plaga livorem facit, plaga linguæ comminuit oſſa,* inquit Sapiens, & vult ſignificare, quod lingua injurioſa ſæpè plus flagello nocet; quia ictus flagelli facit in cute exterius livorem, linguæ autem ictus intima comminuit quaſi oſſa dura. Maledicta lingua irati, vitæ & moribus vibices & livorem infligit; flagellum cicatrices citius curandas cuti ſolum imprimit. Quartò depingitur Lupus Martì adjunctus, quia olim ſolebat Lupus Martì conſecrari. Lupus autem animal vorax deſignat eos qui ira furentes nulli parcunt, omnes devorant, oves dilaniant. Hæc igitur fuit apud antiquos iræ deſcriptio ſatis apta ſatis aperta.

Eccli. 28.

Lupus Martis præcurſor.

Porrò tres iræ gradus deſignat Dominus in hoc Evangelio illique tres ſupplicii gradus correſpondentes enumerat. Primus gradus eſt, cum quis adverſus fratrem ſive proximum deliberata voluntate iram interius concipit; & hunc dicit reum eſſe judicio. Secundus eſt, cum conceptam iram exterius manifeſtat voce confuſâ hâc aut ſimili, *Raca*; & hunc reum eſſe dicit concilio. Tertius eſt, cum in injuriam apertam prorumpit, & vocat fatuum; & hunc dicit eſſe reum gehennæ ignis. Supponendum autem ſemper eſſe mortalem iram quando eſt conjuncta cum animo nocendi, aut cum gravi injuria proximi, alias ſolet eſſe venialis. Ideo Chriſtus Dominus videtur loqui de ira mortali, ſive tendente in grave nocumentum proximi. Et quia nonnulli Judæi, voluntatem interiorem vindictæ parvi faciebant, ſicut & interiora alia peccata (quia legem putabant cohibere manum, non animum, hoc eſt opera externa, non internos actus) ideo Chriſtus ſuam de ira prohibitionem exorditur ab ira interiori. Hanc ergo pronuncians condemnationi obnoxiam, id eoque planè ab animo eliminandam, quia ipſa eſt radix multiplicis ſubſequentis mali. Ira enim intus concepta facilè in clamorem omninò inordinatum & confuſum, & poſtea in contumelioſa & injurioſa verba rumpit, ut experientia quotidiana docet. Unde hos iratos in clamorem & contumelias erumpentes, quia iram animo conceptam mox ſuffocare & exſcindere non ſunt conniſi, eleganter comparat S. Chryſoſtomus homil 31. ad populum Antioch ebriis voventibus. Si videris, inquit vomentem ebrium diſtrahi, diſſipari, oculos habere diſtentos, immunditia menſam implere, omnes eum fugere, & poſtea ſi in eadem incidas, nonne eris magis odioſus? Talis eſt iraſcens, inſtar vomentis, venas intendit, oculos inflammat, diſtrahit inteſtina, verba cibis illis immundiora eructat, indigeſta loquitur omnia, Sed ſicut illic humorem immoderatio ſtomachum

Tres iræ gradus, totidem habent ſupplicia.

Ira quando mortalis, aut venialis.

Gradus ira interior.

Interior ira an ſit mala.

Iraſcens inſtar vomentis eſt.

machum vexans omnia ejicit: itidem & hic immodicus servor animum vexans ea tegere quæ tacere bonum est non permittit; sicque multa effundens, non tam audientes quam seipsum dedecorat. Sicut igitur à vomentibus fugimus, sic & ab irascentibus fugiamus: pulverem vero eorum vomito injiciamus. Quid agemus? Tacentes, canes vocemus ut ipsa devorent vomita. Novi quod audientes nauseam patimini; sed cum hæc fieri videtis; hoc volo vos tunc pati, non autem superfacto delectari. Cane sordidior est contumeliis gaudens, qui revertitur ad vomitum suum. Hæc ille. Itaque radix pessima interioris iracundiæ perimenda mox est, ut amputentur & germina virulenta quæ solet producere? Quæ sunt illa germina? Tumor, clamor, furor, credulitas, contumelia, calumnia, blasphemia, vindicta sanguinolenta, odium, & similia. Hæc omnia iræ proles tam quam infelicissimæ Matris à SS. Patribus appellantur. Suffocamatrem, si filias vis perire. Quomodo autem suffocare possis, docet hic Christus Dominus dum dicit: *Qui irascitur fratri suo, &c.* Si nimirum consideres in ipso iræ motu te in fratrem irasci, insurgentem motum comprimes. Frater tibi est omnis Christianus, ab eodem Patre Deo, ab eadem Matre Ecclesia genitus, ad eandem adspirans hæreditatem, eodem cibo spirituali convescens, eodem utero baptismi regeneratus, iisdem fruens sacramentis, eosdem fratres habens in cœlis, ejusdem fidei & spei cohæres, ejusdem spiritus consors. Hæc ergo sunt conjunctionis intimæ signacula, quæ disrumpi non debet per iracundiam. Quia si quid in te deliquit, qui frater est indulgendum, est humanæ infirmitati, & charitate prosequi eum convenit, ac patientiâ, non prosequi odio & iracundiâ. Considera ergo fratrem, ante quam irascaris; & vide ne fraternitas illico depereat. Hoc vult te considerare Christus, ipse quoque Frater & Pater, & Dominus tuus, dum dicit expresso nomine fratris; *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*; hoc est condemnationi erit, obnoxius coram Deo. Quod ipsum debes serio considerare, & sic iram insurgentem prævertere, & evertere. Non enim parum est judicio se divino reum facere ob appetitum vindictæ, & officium judiciumque Dei invadere, qui dicit: *Mihi vindictam & ego retribuam.* Si injuria tibi facta est, ipse ulciscetur; noli tu judex esse & velle ulcisci in præjudicium Dei.

Ira germina.

Quomodo ira mitiganda.

Rom. 12.

Hic est ergo primus iræ gradus à Domino condemnatus à nobis proprerea caute vitandus; quando scilicet ita in intimis adhuc delitescit, nec foras prodit.

2. Grad. Ira per vocem erumpens.

Secundus gradus iræ est, quando jam foras per vocem confusam erumpit, quem sic exprimit Dominus; *Qui dixerit fratri suo Raca, reus erit concilio.* Quid autem significet vox *Raca*, non omnium una est sententia.

Raca quid significet.

1. S. Augustinus dicit se ab Hebræo quodam perito didicisse vocem hanc non esse aliquid significantem, sed indignantis animi motum exprimentem: quam sententiam sequuntur *S. Gregor lib. 11. moral. cap. 5. S. Anselmus, Rupertus,* & alii hunc locum interpretantes. Et certè satis consonat verbis Christi, qui primo loco videtur condemnare illum qui solo animo irascitur, secundo loco eum qui iram mortiferam manifestat indignabundâ voce, non tamen apertè contumeliam significante, tertio loco eum qui erumpit in verba manifeste contumeliosa. Cum itaque condemnat Christus eum qui dixerat Raca, intelligendum est damnari qualiacunque iracundi & malevoli animi signa quovis illa modo prorumpant, sive murmurando, sive frendendo, sive expuendo, sive faciem indignanter avertendo, sive frontem rugando, sive nasum suspendendo.

2. S. Chrysostomus putat significare idem quod; *Tu*; pronunciatum cum contemptu, ita ut prohibeatur hic quod vernaculè dicimus *a'tuer*, Latinè posset dici, *Tuizare*, quando id animo alterum contemnente procedit. Sic vulgò dicunt; *Ila tué cet homme comme un chien.* Audi verba Chrysostom. hom. 16 *Raca non grandis est sermo convicii, sed magis de contemptu veniens impatientinque dicentis, ut ipsi nonnunquam, vel servulis, vel inferioribus quibusque aliquid imperantes dicimus; Vade tu.* Chrysost. secuti sunt *Theophylactus, & Euthymius*, putantque Syrorum linguâ id significari.

3. S. Hieronymus existimat idem significare quod inanis & vacuus, putatque significari vacuum cerebro, ira tamen ut aliquid minus indicat quam *Fatuus*, sitque minus convicium. Aliqui verò etiam interpretantur, ut sit idem quod inanis, aut vacuus; sed non id cerebrum referunt, nec coincidat cum fatuo; sed idem significare volunt quod vacuus opibus & abjectus. Quomodo si quis dicat contemptu ductus in fratrem vernacule: *Tu n'és qu'un gueux, un brimbeux.* Alii denique ad mores referunt, ut idem sit quod levis & inanis, sive etiam vanus. Homo nihili, vernacule: *Vaut neant.* Huic sententiæ accedit S. Basilius in Regulis brevioribus respons 51. *Vernaculum*, inquit, *nomen est contumeliæ levioris, quæ adversus levitusculos usurpatur.* Cui consonat S. Hilarius in Matth. dicens; *Raca vanitatis opprobrium est. Et qui Spiritus Sancti plenum, convicio vacuitatis insimulat, fit reus concilio Sanctorum contumeliam Spiritus Sancti, Sanctorum judicium animadversione luiturus.*

Iansenius, Paguinus, Mercerus, & alii.

Interim quacumque in significatione accipiatur Raca, hoc hic à Domino edocemur, quod qui animi iram mortalem cum impetu verbo manifestat, majori condemnationi sit obnoxius, quam qui solum interius eam concepit; hunc enim dicit reum judicio, istum reum pronuntiat concilio. Judicium erat tribunal minus apud Judæos viginti trium virorum Concilium erat tribunal majus septuaginta duorum virorum, & Synedrim vocabatur. Ad hæc ergo tribunalia alludit solum Dominus, & sub illorum metaphora vult dicere, quod ubique; erit quidem

Iudicii, & Concilii differentia.

quidem condemnatio, sed cum sit gradus in peccatis, gradus etiam in pœnis.

3. Grad. In contumeliam erumpens.

Tertius iræ gradus est, cum in apertam contumeliam iratus prorumpit. Quod sic exprimit Dominus: *Qui dixerit fratri suo fatue, reus gehennæ ignis.* Sub contumelia ista alias omnes complectitur; supponit autem procedere illam ab ira mortifera, & animo conviciandi & dedecorandi alterum esse prolatam. De hac re sic sanctus Hilarius in Matthæum. *Piaculi magni periculum est, quem salem Deus nuncupaverit, eum contumelia insatuati sensus lacessere, & sapientum intelligentiam salientem stulta intelligentia exasperare maledicto.* Hunc autem dicit obnoxium gehennæ ignis, metaphora sumpta à valle quadam dicta Gehennon, in qua impii Judæi filios devovebant igni comburendos, & consecrabant idolo Moloch. Hoc idolum pro Saturno colebatur, & dum pueri in brachiis idoli positi igne idolo supposito cremarentur, pulsabantur tympana, ne puerorum ejulatus audirentur. Unde & locus ille Tophet dictus est, à Toph, quod est tympanum. De hac valle est frequens mentio in scripturis. Christus ergo nomen loci transtulit ad significationem inferni, sive loci in quo impii æternum cruciantur igne. Sic dicitur. *Præparata est ab heri Tophet, à Rege præparata, profunda & dilatata. Nutrimenta ejus ignis & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succedens eam.* Est igitur translatio à valle Ennon, & ab igne quo ibi pueri cruciabantur, ad ignem quo animæ impiorum post mortem torquentur: de qua relatus Interpretes in illum locum Isaiæ, & in hunc locum Matth.

Iosue 18. 2. Reg. 23. Ierem. 7. Isaiæ 30.

Quod autem dicit Dominus hunc qui dixerit fatue reum esse gehennæ ignis, non negat etiam eum qui irascitur, & eum qui dicit *Raca*, reum esse gehennæ, quia ut frequenter diximus loquitur ubique Dominus de ira mortifera. Pœnam tamen gehennalem, sive inferni, quam meretur omnis qui peccato mortali se obstringit, per hostres gradus, per *Judicium*, *Concilium*, *Gehennam* significat, alludendo ad judicium minus, ad concilium majus, ad pœnam gehennæ gravissimum. Et quia iracundiæ genera fuerunt disparia, sic etiam supplicia dispariter ab illo sunt significata, quamvis omnia ignis sint supplicia. Hic interim exclamamus cum S. August. *Fratres, quis nostrum promittat sibi regnum cœlorum, si is qui fratri suo dicit Fatue, reus est gehennæ ignis.*

Iansenius, Pagnanus, Mercerus, & alii.

PARS III. *Preces & vota iram gerentium Deo non esse grata.*

POstquam Dominus iram erga proximum, contemptum, convicium, tamquam homicidii radices compescuit & condemnavit; nunc ostendit quid illi faciendum sit qui alteri injuriam fecerit, aut fratrem in aliquo læserit, aut à fratre injuriâ affectus fuerit. Nempè ad reconciliationem utrumque admonet: quia eorum vota precesque irritas esse declarat, qui iram odiumque fovent. Est autem odium ira inveterata, sive ira perdurans; unde si iram divina manet ultio, multo magis odium. Ira est quasi festuca in oculo, odium verò instar trabis. Ita turbat oculum mentis, odium illud excæcat, & lumen omne extinguit. Hoc ergo vult insinuare Dominus, ut interpretatur S. Augustinus cum S. Chrysostomo, si ne verbo quidem fratrem lædere liceat, nec in eum irasci, aut dicere Raca, vel Fatue, multo minus licere corde fovere iram, ita ut in odium convertatur. Nam sicut acetum si diutius in vase permanserit, illud corrumpit; sic & ira cor funditus inficit, si perseveraverit: & hoc est quod Joannes dicit: *Qui odit fratrem suum, in tenebris ambulat, & homicida est.* Sic ergo ait Dominus: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ad altare, & vade prius reconciliari fratri tuo & tunc veniens offeres munus tuum.* Non concedit Dominus paululum quidem differre ne hujusmodi anima impleto absque reconciliatione sacrificio, desidiâ majore capiatur; dissimulsetque quotidie in pacem reverti. Novit enim talem esse hujusmodi passionem, quæ satis velocis curationis indigeat. Facilè festuca in trabem crescit; & parvus ignis augetur, nisi mox intinguatur, & ligna subtrahantur. Propterea istud dat Dominus præceptum accelerandæ post iram reconciliationis.

Differentia odii & iræ.

1. Ioan. 2.

Attende igitur hic quantum Deus diligat pacem & charitatem; illam mavult quam sacrificium, quam obsequium, quam munus quodcumq; tuum. Cum sacrificium sit in obsequium servitutis nostræ, & in agnitionem majestatis, augmentumq; gloriæ divinæ, mavult Deus pacem & charitatem quam gloriam suam. Et cum ipsa voluntaria peremptio iræ & passionis acerbæ in fratrem propter Deum facta, sit quædam illius immolatio & sacrificium Deo oblatum; illud sacrificium prius requirit Deus super ara cordis tui offerendum, quam quodlibet in ara sua aliud munus vel sacrificium. Hoc est quod S. Augustinus sermone sexto de verbis Domini dicit: *Te quærit Deus magis quam munus tuum. Offers munus tuum, & tu non es munus Dei. Plus quærit Deus illum quem redemit sanguine suo, quam quod tu offers de horreo tuo.* Solebant antiquitus, ut patet ex Canonibus Apostolorum, offerre ad altare, panem, vinum, messis primitias, oleum pro luminaribus: omnia ista haud sibi grata dicit Deus cum odio in proximum. Sic nec eleëmosynam, nec cultum Dei, nec orationem, nec ipsum martyrium acceptat ut gratum sine charitate. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, inquit Apostolus. Propter hanc rationem non placuit olim sacrificium Cain, Abelis autem oblatio Deo fuit acceptissima; quia Cain in corde fovebat indignationem, Abel fovebat charitatem: *Respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus, ad Cain autem non respexit.* Unde Chromatius perantiquus auctor serm. 1. in Matth. c. 5 sic dicit: Quid tam gratum Deo, tam

Deus magis vult pacem, quam sacrificium.

Oblationes primitiarum Christianorum.

1. Cor. 13.

Gen. 4.

Iudicii, & Concilii differentia.

necessarium nostræ saluti, quam quod Dominus præcepit iram non retinere, pacifico animo ac simplici conscientiâ Deo munus offerre, sicut obtulit primus Abel? Et ideo munera ejus susceptа sunt à Deo, Cain reprobata, quia Abel purâ ac simplici mente munera offerebat; Caïn autem adversus fratrem iram tenebat in corde. Quapropter si volumus munera nostra placere Deo, excludere iracundiam de corde debemus, tenere pacem fraternam, servare charitatem, diligere unanimitatem, custodire concordiam, ut placere Dominum mereamur, qui est benedictus in sæcula. Hæc ille.

Pacificus animus, gratum Deo munus.

Apes & opera earum olim à Sacrificio exclusa & Quare.

In figuram hujus rei putant nonnulli, quod olim Deus apes & opera earum voluerit excludi à sacrificio; nec enim voluit offerri mel, nec ceræ lumen sed olei lucebat in templo, cum tamen mundior sit ceræ lux quam olei. Nimirum apis, quia vindicativorum symbolum est, a sacrificio & templo rejicitur. Est enim adeo avida vindictæ, ut morte suâ alterius vulnus videatur appetere. Tales sunt & vindicativi, qui proprio damno animæ & corporis, vindictam non desinunt quærere. Un-

Psal. 117. de de inimicis sibi infestis dicebat David: *Circumdederunt me sicut apes*, quæ dum aculeum figunt, propriam mortem incurrunt. Hoc etiam dicit Propheta de Judæis, in persona Christi loquens

In novæ legis sacrificio, ut hoc Dominicum Præceptum rememoremur, multoties fit mentio pacis. Nam & ideo repetitur Hymnus ille Angelicus in

Luc 2. Nativitate Domini decantatus; *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* Et in Canone orat Sacerdos, ut Ecclesiam suam pacificare & coadunare dignetur Deus toto orbe terrarum Et mox post Canonem orat; *Libera nos Domine ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris Da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, & à peccato simus liberi, & ab omni perturbatione securi.* Postmodum repetitur. *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem* Denique iterum subditur: *Domine qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, Ecclesiam tuam secundum voluntatem tuam pacificare digneris.* Exinde solebant mutuò sibi Fideles dare osculum pacis, cui postea successit tabella pacis, & hæc salutatio amico amplexu facta ante Synaxim dicendo, *Pax tecum*; erat Christianis symbolum mutuæ reconciliationis, & remissionis omnis injuriæ, ac charitatis tessera; ut si fortè aliquid interfuisset dissidii vel indignationis, adimplerent Dominicum Præceptum in hoc Evangelio datum, & omnem amaritudinis germinantem radicem amputarent, antequam ad Communionem accederent. Propterea etiam olim post consecrationem apud Græcos, teste S. Basilio & Chrysostomo in suis Liturgiis, Diaconis omnibus inclamabat: *Ne quis adversus aliquem.*

Pax tecum est symbolum fidelium.

S. Ioannes Eleemosynarius celebre rei hujus exemplum dedit, in cujus vita sic legimus. *Ioannes Patriarcha Alexandrinus* incruentum offerens sacrificium, eâ ipsâ horâ in qua sacrum velum à sanctis donis aufertur (id est post consecrationem, dum Oratio Dominica recitanda erat) recordatus cujusdam Clerici contra eum offensi propter suspensionem injustam, significat Diacono ut connexam refumat petitionem, & sæpè dicat donec ipse redierit. Ipse autem necessitatem prætexens, egressus est ab altari, & jubet celeriter ad se vocari Clericum illum: quo veniente procidit Patriarcha ad pedes ejus, coram omnibus veniam poscens. Sic fratri reconciliatus ad altare redit, & cum fiducia canit. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, memor verbi Salvatoris. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, vade reconciliare fratri tuo, &c.*

Exempl. poscentis veniam & remittentis.

Adverte vero quod is qui offendit, teneatur adire fratrem offensum, vel per se, vel per alium, vel pedibus cordis, si pedibus non possit corporis, vel denique prout locus, tempus, personæ, aliæque circumstantiæ exposcunt. Ad id non tenetur qui læsus est, ideoque hic dicitur, *Si recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te*, justè scilicet expostulans quod à te læsus fuerit; non vero dicit Dominus, *Si recordatus fueris quod aliquid habes adversus eum*, justè de illo tamquam offendente conquerens Attamen magni erit apud Deum meriti, si is qui læsus est primus reconciliationem petat & offerat, ut à peccato alterum eruat. Sic enim ostendit se verè filium Patris æterni, quia ipse est qui primus manum offert ad fœdus renovandum post offensum, primus nos vocat & urget ad reconciliationem & gratiam: *Vocavi*, inquit, *& renuistis, extendi manum meam, & non erat qui aspiceret.* Quasi dicat. Vocavi vos ad gratiam voce internâ & externâ, extendi manum sicut is qui reconciliationem petit ab altero & firmam in posterum amicitiam optat inire; sed nec vocem dignati estis audire, nec manum protensam adspicere, ideo de vobis conqueror justissimè. Cæterum tenetur qui læsus est petenti fratri reconciliationem, injuriam dimittere, sicut sibi dimitti postulat à Domino cum veniâ petit ab illo. Nec tergiversationes quærens dicat, quod offendens hoc non mereatur: nec enim etiam ipse à Domino veniam aut gratiam quam postulat, promeretur. Nec dicat quoque quod jam frequenter ab eo læsus sit & offensus, quia Petro petenti quoties peccanti in se fratri dimitteret; An septies? Respondit Dominus. *Non dico tibi septies, sed usque septuagies septies.* Hoc est, usque ad quadringentas nonaginta vices, tot enim constituunt septies septuaginta Est autem numerus definitus pro indefinito, quasi diceret, toties quoties in die potest peccare in te, toties et parcendum esse, ut interpretatur S. Hieronymus. Alludit verò ad id quod dicitur. *Septuplum ultro dabitur*

Offendens offensum adire debet.

Offensum offendentem adire meritorium.

Offensus remittere tenetur petenti fratri.

Matt. 18.

bitur de Cain, de Lameth verò septuagies septies Hoc verò consideratione dignum est, quod qui libere & ex animo fratri dimittit offensam, magnam apud Deum in fine vitæ inventurus sit fiduciam.

Exemp. Hoc docet exemplum quod refertur in vita *S. Anastasii Sinaitæ*, ubi ita legimus. Vir unus ex illis qui Monachi insigniti sunt schemate, cum negligentissime vitam omnem exegisset, infirmitate ad mortem cœpit infirmari. Cumque jam ultimum spiritum duceret, mortem nequaquam perhorrescens, magna voluptate cum gratiarum actione exonutus vinculis excedebat. Ad quem assidentium Patrum unus: Frater, persuasum tibi habeto, nos & putasse & vidisse summâ negligentiâ & animi remissione te vixisse ad hoc usque tempus. Unde tibi nunc tanta securitas? Respondet æger: Ita est, Patres mei, per summam negligentiam vitam duxi. Sed Angeli Dei hac ipsâ horâ peccatorum meorum ad me chyrographum attulerunt, & cum legissent ea quæ feceram peccata, postquam renunciassem sæculo, rogarunt num ea agnoscerem? Quibus ego respondi: Maximè vero agnosco, sed ex quo renunciavi sæculo, non judicavi quemquam, nec ab ullo mihi factam injuriam meminisse volui: Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto & oro: *Nolite judicare, & non judicabimini: Dimitte, & dimittetur vobis.* Quæ postquam Angelis dixi, chyrographum peccatorum meorum consciderunt, & inde nunc cum lætitia & securitate proficiscor ad Dominum. Hæc ubi Frater ille Patribus enarrasset, magnæ ædificationis causa extitit. Hæc apud Baron. tom. 8. 599.

Notari postremo potest ex hoc Evangelio contra hæreticos nostros negantes sacrificium novæ legis, quod Christus Dominus novam legem condens altaris meminerint: *Si offers munus ad altare.* Ergo nobis altare relictum est, & consequenter sacrificium, sunt enim correlativa. Quocirca enim
Heb. 13. altaris meminit S. Paulus: *Habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* De hac re pluta dixi Candelabri Mystici tract. 4. Lect. 13. Prop. 2. Vide ibi.

Conclusio. COncludo, & ad te Domine vota converto, obsecrans misericordiam tuam & pietatem, ut omnem iram immoderatam, injustam, peccato & perturbationi conjunctam, à nobis avertas; faciasque ut si quando irasci oporteat vitiis limites non excedamus, nec irascamur fratribus. Da nobis veram charitatem, verumque zelum secundum scientiam veritatis. Aufer tumorem, indignationem, contentionem erga fratres, auferque contumeliam, convitium, opprobrium; auferque odium omnemque vindictam, ne nos judicio, concilio, gehennæ ignis hæc reddant obnoxios. Denique præcepti tui memoriam nostris imprimens cordibus, fac ut numquam ad altare tuum accedamus, vel ad sacro-sancta Mysteria corporis & sanguinis tui, cum alienatione animi & disruptionis fraternæ charitatis & pacis cum ea institueris tanquam symbola sacratissima perfectæ concordiæ & unionis. Hanc unionem & concordiam da nobis sic colere in terris, ut tandem perficiatur, & indissolubilis fiat in cœlis.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Misereor super turbam, &c. Marc. 8.

Lect. 5. tripartita.

MIsericordia in Deo fons est omnium donorum ab eo procedentium; propterea enim sua Deus hominibus distribuit dona, quia eorum miseretur. Et quidem fons ille inexhaustus est, quia ejus misericordiæ infinitæ potentia pariter infinita conjuncta est. Hinc fit ut quando vult, & quomodo vult, & quibus vult misericordiam exhibeat. Non sic autem est in hominibus, quia quandoque misericordiâ moventur, & corde miserentur; sed ob impotentiam effectu nequeunt & opere exhibere misericordiam conceptam corde. Hæc porro Dei misericordia ita se diffundit, ut dixerit Propheta: *Misericordia Domini plena est terra.* Et iterum: *Magnificata est usque ad cœlos misericordia tua.* Nempe fons ille misericordiæ inexhaustus in cœlis irrigat Angelos, in terris homines; estque instar fontis primævi Paradisi in quatuor flumina divisi ad irrigandam universam faciem terræ. Habet enim quatuor flumina mystica in quæ dividitur, scil. flumen Creationis, flumen Conservationis & Gubernationis, flumen Redemptionis, flumen Glorificationis. A flumine Creationis profluunt omnium rerum Essentiæ. A flumine Conservationis impletur omne animal benedictione, omnisque creatura dependet in conservatione sui esse. A flumine Redemptionis fluunt rivi & dona gratiæ. A flumine Glorificationis procedunt dona gloriæ. Quæ ergo Deus creavit per potentiam, conservat per providentiam, gubernat per sapientiam, ad finem suum deducit per bonitatem, attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter. Potentiæ autem ejus, Providentiæ, Sapientiæ, Bonitati, indivisonexu conjuncta est Misericordia: immò illa inter omnia ejus attributa divitia ac opera elucet, dicente Propheta: *Miserationes ejus super omnia opera ejus* Elucet autem maximè erga homines, sive in creatione & conservatione, sive in redemptione & glorificatione: quia quò major fuit hominum miseria, eò magis superabundavit & misericordia. Quapropter quod hic dicit Dominus: *Misereor super turbam*, Elogium est præclarum quod Stemmatibus & Insignis Domini Jesu semper & ubique inscribi potest. Multitudinis enim pereuntis & deficientis miseria eum induxit ad mira & heroica misericordiæ opera, & induxit usq; modo Si enim eum interroges cur in hunc mundum descenderit, & adeo se exinanierit, quid aliud tibi

PARS I. *Proprium Deo misereri, maximè in ipso confidentibus.*

Psal. 118. Psal. 56.

Flumina 4. mystica fontes misericordiæ.

Sap. 8.

Psal. 144.

respon-

respondere poterit pro ratione quam istud, *Misereor super turbam*? Peritura enim erat omnis hominum multitudo, nisi ei subvenisset misericordiæ ejus altitudo. Si eum interroges cur tot miracula edat, ægros sanans, cæcos illuminans, leprosos mundans, mortuos suscitans, peccatores convertens an non tibi illicò respondebit, *Misereor super turbam*? Si eum inspicias columnæ alligatum, spinis coronatum, cruci suffixum, in Columna, in Corona, in Cruce scriptum reperias, *Misereor super turbam*. Verè enim ibi ex misericordia & compassione languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, ac propter iniquitates nostras ipse vulneratus est. Si ulteriùs scisciteris ab eo cur Sacramentũ pœnitentiæ instituat in remissionem peccatorum, cur etiam Sacramentum Eucharistiæ quod conservat gratiæ vitam? Tibi satisfaciet respondendo, *Misereor super turbam*. Nam pœnitentiæ Sacramentum instituit propter commiserationem erga imbecillitatem nostram & pronitatem ad peccandum; Sacramentum vero Eucharistiæ propter debilitatem nostram ad ambulandum, ne deficeremus in via si jejunos nos dimitteret. Denique si inquiras cur tot peccatores in flagitiis vitam agentes cœlesti ultione mox non plectat, tamquam voluntati suæ rebelles? Respondet, *Misereor super turbam*. Ex compassione enim tantæ multitudinis peccantium differt vindictam; nec vult eorum mortem, sed exspectat conversionem. Neque multoties irritatus desinit parcere & expectare, quia misericordia ejus non est cito transiens sicut misericordia hominum, de qua conqueritur Dominus: *Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens.*

Misereor super turbam omnibus operibus Christi præfigitur.

Osee. 6.

Tandem si interrogemus eum quare voluerit tam admirabili miraculo, secundùm Evangelii nostri recitationem, paucos panes, paucosque pisces ita potenti suâ benedictione multiplicare, ut quatuor millibus hominum sufficerent? Respondet: *Misereor super turbam*: Hæc turba jam triduo sequebatur eum sine domo, sine lecto, sine cibo, pondus diei & æstus ferens, & super nudam humum noctis intemperiem cum parvulis & uxoribus sustinens; ideo illius misereturur Dominus de cibo & alimonia necessaria cœlesti virtute providens. Promiserat ipse: *Quærite primùm regnum Dei & justitiam Dei, & omnia hæc adjicientur vobis.* Non poterat hic suæ promissioni deesse, quia turba ista de illis, quæ ad regnum Dei spectabant, sollicitâ erat, familiæ curam ob id deserens omniaque alia negotia parvipendens. Inhiabat enim dulcedini verbi ab ore sapientiæ promanantis, & regnum cœlorum annuntiantis; ideoque perseveranter ejus sectabatur vestigia quocumq; is, & individuse ei adhærebat. Digna ergo erat compassione, digna remuneratione pia isthæc perseverantia. Unde dicit Dominus: *Triduo sustinent me.* Nimirum enumerat ipse singullatim dies quibus illi servimus, imò & calculat horas suo in obsequio impensas; momenta quoque non præterit, ut remunerationem reddat singulis. Propterea dixit Job, quod hominis dies sint *quasi mercenarii dies.* Sicut enim mercenarii pro quopiam laborantis dies vel horæ diligenter annotantur, ut juxta tempus laboris impendum, suam ipse sortiatur mercedem: Sic & Deus multo certius dies & horas laboris nostri computat, gressusque nostros dinumerat, ut nihil sine mercede præteat.

Matth. 6.

Job. 14.

Hoc docet (præter exemplum hodierni Evangelii) id quod refertur in libro doctrinæ Patrum lib. de patient. & fortit. num 5. Ubi de quodam Anachoreta dicitur, quod cùm in eremo deserta & horrida ageret, solis Angelis Deoque notus, multa milliaria conficere debeat, ut vel aquam sibi compararet. Quodam ergo die ad aquam hauriendam adveniens, tædio affectus, dixit: *Quid necesse est ut hunc laborem patior? Veniam & habitabo circa aquam hanc.* Cum vero hoc dixisset, retro conversus vidit quemdam sequentem se, & enumerantem vestigia sua. Interrogat, quis iste foret suis sic inhærens vestigiis? Respondet: *Angelus Domini sum, & missus sum enumerare vestigia tua, dareque tibi mercedem.* Hoc cum audiret Senex, forti animo factus est, cellamque adhuc longiùs posuit, ut tanto amplius meritum sibi acresceret. Hæc ibi.

Præcum necessitati Deus non deest.

Similiter turbæ se triduò sequentis dicit Dominus vestigia & gressus dinumerabat, retributionem daturus pietati & perseverantiæ. Et cùm sequerentur ut verbum quod ex ore ejus procederet, tamquam panem vitæ participarent, ipse de utraque alimonia providet, corporis scilicet & animi, mentis & ventris. Atque per hoc indicat numquam se deesse necessitati eorum qui pietatem sectantur, & in ipso fiduciam collocant. Quod variis exemplis, tum ex sacris litteris, tum ex Ecclesiasticis historiis declarari potest.

Exempl.

Sic Eliæ gressus dinumerat, eumque in deserto reficit per Angelum, pascit per corvum. *Præcepi corvis ut pascant te.* Quem locum interpretantes antiqui Hebræi, dicunt corvum certis horis è culina Regis Achab carnem & panem abstulisse, & ad Eliæ alimentum attulisse. Sic factum est, ut Vates cibo regio vesceretur, ipso Rege invito & ipsco, cum fames orbi dominaretur, & Achab Prophetam Eliam persequeretur. De hoc etiam corvo subtiliter dicit Sedulius l. 1. Pasch. 13. *Nunc Elia corvus bonus ac fidus, qui Noe quondam malus, abluit culpam inundatione aquarum contractam.* Quam dicat. Corvus ad Noë non fuit reversus, nunc ad Eliam revertitur, quasi pristinam ingratitudinem castigans & emendans. Debuisset enim per aliquod symbolum (per olivam aut quid simile) referre nuncium Noë qui eum aluerat, sicut fecit columba; sed ingratitudinem ostendit, dum cadaveribus adhærens, prioris sui nutritoris amplius non meminit; Columba autem non obliviscitur ejus, ideo gratitudinis symbolum est, Corvus autem ingratitudinis;

3. Reg 17.

titudinis ; nisi quod eam apud Eliam expurgarit, dum Animal ex natura sua rapacissimum, cibum ei communicavit.

Dan.14. Sic etiam Danielem pavit in lacu leonum, per Abacuc Angelica manu in aëra evectum, quia prandium messorum attulit ad Prophetam famelicum, Deo sic ejus remunerante pietatem. De qua re sic loquitur B. Zeno Episcopus Veronensis ser.3. de fidei veritate *Daniel inter frementium leonum rabidos ritus intrepidus, cœlesti prandio satur reperiatur. Jonas inter æstuantes procellas sollicitique maris fluctus insanos tutior est alvo piscis, quàm alveo navis.*

Sic quoque Israëlitæ Dominum secuti per desertum ex Ægypto eos educentem cùm panem non invenirent terrenum, adipiscuntur cœlicum. Nam quotidie eis manna pluebat, ita ut annis quadraginta non opus fuerit ut seminarent, aut meterent, aut coquerent aut furno, vel macello uterentur, imò nec vestibus aut medicina. Vestes enim eorum non fuerunt attritæ, nec in tribubus eorum quispiam fuit infirmus. Ac insuper de nocte eis lampas effulsit ignis, de die dux fuit columna nubis.

Sic denique ex historiis Ecclesiasticis exploratum est, multos magna cum fiducia Domini vocem ad deserta inhabitanda vocantem secutos, in remunerationem perseverantiæ & pietatis à Domino alimenta non sine miraculo accepisse. Quis pavit S. Paulum primum Eremitam per annos sexaginta nisi Corvus ordinatione Dei dimidium quotidie ei afferens panem? Quis S. Ægidium in solitudine Deo solùm & Angelis cognitum nutrivit, nisi Cerva quædam quæ Deo providente statis ad eum horis veniebat, & lac suum in alimentum ei præbebat? Quis Mariam Ægyptiacam aluit in horridis & sterilibus locis ultra Jordanem? Emit ipsa tres panes, & divinæ se committens vocationi & providentiæ, in desertum perrexit, ubi quadraginta septem annis his tribus panibus vitam sustentavit.

Itaque, ut hanc fiduciam Christus Dominus in Sanctorum suorum cordibus etiam futuris sæculis excitaret, turbam in deserto secum perseverantem miraculosa panis multiplicatione reficit, & satiat. O felix turba, quæ Dominum per solitudinem tanto fervore est secuta? O quam suavis panis in solitudine exhibitus, à benedictione Christi vim habens reficiendi, & alendi! O felix perseverantia, quæ tantam Domini gratiam & remunerationem tantam est consecuta! Quis in bono perseverans misericordiam Domini non invenit? Perseveravit Magdalena ad tumulum & invenit Dominum. Perseveravit apud eum Chananæa obsecrans ob filiæ morbum, & invenit remedium. Perseveravit Sara uxor Tobiæ triduo in oratione, & post mortem septem virorum, nacta est virum sanctissimum. Perseveravit amicus pulsans ad ostium, & panes accepit necessarios in amici subsidium. Perseverat S. Hieronymus orans & pectus percutiens ad pedes Jesu propter tentationem, & reperit tranquillitatem. Perseveravit & hæc turba ob fervorem, & allexit Domini commiserationem. O si & nos quandoque perseveraremus vel unica hora cum Deo, qui integras noctes vel in poculis, vel in ludis perseveramus! Oportet non cum mundo vel cum diabolo perseverare, sed cum Christo in cordis & corporis solitudine, si velimus ejus misericordiam attrahere, & cœlestis gratiæ alimentum reperire.

In bono perseverans, Deus habet misericordem.

Exempl.

3. Reg 17.

Priorum necessitati Deus non deest.

Job.x.4.

PARS II.
De differentia discipulorum & imitantium.

SEd videamus seriem hujus miraculi. Cùm indicasset discipulis Dominus se misericordia commoveri super turbam de longè venientem (quæ facile ad propria non erat regressura, cum imbecillis foret ex inedia) responderunt discipuli: *Unde istos quis poterit saturare panibus in solitudine?* Ubi tarditas discipulorum non satis opera Christi rememorantium annotanda venit. In suam solum penuriam oculos conjiciunt, cum illos ad potentiam & benignitatem Domini convertere debuissent. Nam paulo ante viderant quinque millia hominum in solitudine à Domino satiata ex quinque panibus, & superfuisse nihilominus duodecim cophinos. Hoc rememorare debuerant, & ut cooperatores operum Domini (cum quibus ideo sua non dedignabatur communicare consilia) poterant respondere: Nihil tibi Domine impossibile, nihil difficile, Tu majorem longe turbam paucis panibus pavisti, potes & minorem. Immo totum pascere potes orbem, quia *omnium oculi in te sperant, & tu das escam illorum in tempore opportuno.* Tempus jam opportunum est, aperi manum tuam, sicque implere potes omnem hanc turbam benedictione & alimenti corporalis saturitate. Tu claudis, & cæcis, & mutis, aliisque ægris in conspectu totius turbæ sanitatem tua donasti benedictione & benigna ac potenti voluntate; quidni possis eorum sublevare inopiam & inediam? Sed discipuli horum omnium obliti videntur; nec tantam quantam deberent concipiunt in Domino fiduciam; ideo difficultatem oppununt & impossibilitatem panes tantæ turbæ necessarios suppeditandi in solitudine.

Psal.144.

Non absimiles his discipulis sunt nonnulli, qui ubi agitur de eleëmosyna liberaliter eroganda ob copiosum numerum pauperum & indigentium, deque illis reficiendis & pascendis, prætendunt difficultatem, impotentiam, impossibilitatem, propter indigentiam familiæ & liberorum. Hanc vero excusationẽ ex eo patet calvam esse & inanem, quod ubi agitur de epulo instruendo adulatoribus, de ludo & aleis, omnia abunde suppeditant pauperatis & inopiæ nulla est memoria, nullus metus. Ad hos meritò dirigimus illud: *Væ qui ponitis fortunæ mensam!* Ibi multam pecuniam offertis ludis fortunæ; pauperibus autem mensam ponere detrectatis vel ex solo cibario pane. Iterum dico: Væ qui ponitis Veneri mensam, in luxurias venereasque delectationes substantiam & facultatem omnem exhaurientes; cum vero agitur de subveniendo inopi,

Isai.65

corde & marsupio estis inopes. Rursus repeto: Væ qui ponitis mensam omnigenis ferculis refertam, quasi Cereri & Baccho aram: Christo autem in paupere stipem petenti vos indigos esse simulatis. Denuo & hoc adjicio. Væ qui ponitis superbiæ & vanitati mensam in vestes superfluos ornatus, in parietes & equos copiosum impendentes aurum, ut vestræ satisfaciatis ambitioni: interim pauperes repellitis asperius, vel neglectui habetis, prætextu quod familiæ & liberis sit providendum. Hæc omnes paucis & apertis verbis perstringit S. Chrysost. homil 19 in epist. 2. ad Corinth. 10. ubi sic loquitur: *In ventrem & ebrietatem, & intemperantiam insumens nullius paupertatis memor es. Vbi autem paupertatem juvare oportet, omnibus es pauperior. Et quidem adulatores quasi ex largis fontibus fovens, gaudes. Si autem pauperem alicubi videas, tunc tibi paupertatis metus incidit.* Similiter & S. Basilius hom. 6 variorum argumentorum hos alloquens qui ut à se propulsent egenum poscentem suæ necessitati aliquod subsidium, se difficiles ostendunt, & sequoque pauperes dicunt, sic respondet: *Pauper profecto es, paupir & omnium egens bonorum; pauper inquam charitate, pauper æterna spe.* Addit ipse contra eos qui respondent se non posse omnibus sufficere, sicque inopem à se rejiciunt: *Cum lingua tua sic loquendo deieres, etiam manu perjurus efficeris. Mendacium enim tuum deprædicat annulus quem indigito geris; ille enim multis posset sufficere. Vna tuarum vestium arcula hos qui frigore rigent posset vestire. Verum quia non te miseret aliorum, misericordiam non invenies.*

Utinam Christi Domini misericordiam attenderent isti, quos modo allocuti sumus. Ipse ut ex hodierno constat Evangelio, ubi vidit indigentiam, cum nec quispiam ex tot millibus postulasse reperiatur, nec ullus ex Apostolis postulationis vices suppleviisse legatur, ex proprio cordis motivo dicit. *Misereor super turbam.* Promptissimum deinde se exhibet ad succurrendum occurrendi inopiæ sciscitans ab Apostolis quot panes haberent, eosque mox multiplicans & distribuens. Hoc autem fecisse intelligendus est, ut suo nos exemplo doceret super egenos & pauperes intelligere. Hoc factum Domini ita interpretatur S. Augustinus ex quinquaginta homiliis hom. 39. ubi sic loquitur: *Festina succurrere, ne audias rogantem. Imitare Deum tuum, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, pluit super justos & injustos. Ecce venit tibi pluvia antequam roges, descendit uberias nocte dum stertis; dum adhuc in lecto es, ex præcepto excubat dies, elementa vigilant, fructus te nescientè effunduntur. Iactat cælum & parturit terra tot cellaria messium, & tantas opes accipimus antequam rogamus. Quid tu homo? Modicus est panis, & precibus vendis? Non rogaverunt* IESUM *quatuor millia in deserto septem panes, ut infinita agmina pranderent.* Hæc eleganter ad nostrum propositum appositissimè S. Augustinus. Cui conformiter dixit antea Psaltes misericordiam erga inopes commendans ex proprio cordis proveniente, non aliorum rogatu vel importunitate exortam: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Hunc versum sic interpretatus est S. Leo serm. 4. de eleëmosyna: *Beatus qui intelligit super egenum, ad quem intelligendum sollicita benignitate vigilandum est, ut quem modestia tegit, & verecundia præpedit, invenire possimus. Sunt enim qui palam poscere ea quibus indigent, erubescunt, & malunt miseria tacitæ egestatis affligi, quam publica confessione confundi. Intelligendi ergo sunt isti, & ad occulta necessitate subievandi, ut hoc ipso amplius gaudeant, cum & paupertati eorum consultum fuerit & pudori.* Hæcille. Sic Booz providebat pudori, ubi dicit suis messoribus: *Si vobiscum metere voluerit ne prohibeatis, & de vestris manipulis projicite de industria, ut absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat.* *Psal. 40.* *Ruth 2.*

Itaque Christus Dominus commiserescens super turbam inedia afflictam, eximis cordis sui penetralibus depromit misericordiam quam impendat, nemine rogante; imò Apostolis suis nihil minus cogitantibus, & rei difficultatem objectantibus. Quid ergo facit? Interrogat: *Quot panes habetis?* Cui dixerunt: *Septem.* Et tunc præcepit turbæ discumbere super terram. Obtemperat illa promptè, & majori fiducia videtur prædita, quam Apostolorum chorus, quia nulli sciscitantur hujus rei causam nec de ulla re diffidere videntur, cum tamen foret numerus quatuor millium exceptis mulieribus & parvulis. Exinde acceptis septem panibus gratias agens fregit, & dabat discipulis suis ut apponerent, & apposuerunt turbæ. Et habeat pisciculos paucos, & ipsos benedixit, & jussit apponi. Hæc est series Historiæ mysterio plena Declaremus in particulari nonnulla hic considerationedigna.

PARS III. *De mysteriis, multiplicationis panum & piscium.*

INprimis dignum est consideratione, quod se panis & piscis in manibus Christi multiplicat per efficaciam benedictionis ejus. Sic nempe creaturæ obediunt Deo ad ejus verbum, ad ejus nutum: & ideo illas ad benedicendum Deo invitant tres Pueri in suo Cantico in medio fornacis exæstuantis decantato. Nam licet præter Angelum & hominem, qui ratione præditi sunt, nulla creatura voce & mente Deum benedicat & laudet, tamen omnes creaturæ excitativè & objectivè laudant Deum, quia hominem ad laudandum excitant, & sunt materia laudis. Unde S. Augustinus lib. 50. homiliarum, homil. 32. sic hominem alloquitur de omnibus Dei mirabilibus *Erige rationalem aspectum, oculis utere ut homo: intende cœlum & terram, ornamenta cœli, fœcunditatem terræ, volatus avium, natatus piscium, vim seminum, ordinem temporum. Intende facta, & quære factorem; aspice quæ vides, & quære quem non vides. Miran sunt homines Dominum de quinque panibus saginasse tot millia. Et non mirantur per pauca grana, impleri segetibus terras.*

Quæ

Psal. 40.

Ruth. 2.

PARS III. *De mysteriis, multiplicationis panum & piscium.*

Quæ aqua erat, viderunt vinum factum homines, & obstupuerunt, Quid aliud fit de pluvia per radicem vitis? Ipse illa fecit, ipse ista; utraque miranda sunt, quia opera Dei sunt. Videt homo insolita, & miratur. Unde est ipse homo qui miratur? ubi erat? unde processit? unde forma corporis & membrorum distinctio? Unde habitus iste speciosus, de quibus primordiis, de quam contemptibilibus? Et miratur alia cum sit ipse mirator magnum miraculum. Hæc S. Augustin. Excitativè igitur est objectivè Deum laudat, & benedicit creatura omnis; sed etiam laudat quadam ratione obedicatialiter, dum ordinem sibi à Deo constitutum servat; imò dum ad opera supernaturalia servit, & obedientiam ostendit. Hanc obedientiam viderunt pueri illi in creaturis rationabilibus & irrationabilibus, in Angelo descendente in fornacem, in igne actionem respondente, in vento flante ad nutum Dei, in rore in fornacem influente, & refrigerium præstante. Sic Angelus, ignis, aër, aqua, obediebat Creatori; ideo ad benedicendum omnem invitant creaturam. Similiter & hic obedit panis de terra productus, obedit piscis de mari eductus, dum per benedictionem in manibus Domini sese multiplicant, ut ad quatuor millium alimentum sufficiant. Sic suo modo laudant Deum mare & terra, Deo obediendo, quia mare piscis, terra panem produxit. Procul ergo Ceres, procul Neptunus; factitii fictitiique Dii sunt. Hanc excæcati homines finxerunt Deam terræ & frugum ejus: Hunc dixerunt stolidi homines Deum maris & piscium ejus, sed stolidè. Christus Dominus verè Deus maris est & piscium ejus quandoquidem hic ei ad nutum obediunt. Ipse Deus terræ est frugum ejus, quandoquidem ad benedictionem & voluntatem ejus hic obtemperant panes, ut ei devotè serviant homines. Sed postea in aliis miraculis paruit, & quomodo mare & venti, ægritudo & mors, cœlum & terra, Sol & luna ei obediunt; dum fluctibus maris, & ventis aëris imperat; dum ægritudo & mors ab ægris & mortuis ob ejus imperium fugiunt, dum in ejus passione petræ & inferorum portæ tremunt, Sol & luna deficiunt, ut agnoscatur ab omnibus Deus cœli & terræ, Deus maris & aëris, Deus inferorum, Deus omnium creaturarum.

2. *Christus temperantiæ & paupertatis sectator.*

Secundò dignum est consideratione, quod Christus paupertatis semper sectator fuerit & temperantiæ, eam ubique commendans. Nam cibus ejus est panis ordinarius, & pisciculi pauci; & cùm in deserto carnes & alios cibos ad pascendam turbam posset producere, vinumque pretiosum (sicut semel fecit ad honorandas nuptias) nonnisi panes & pisciculis, aquaque deprompta è fontibus eo reficit. Quia verò Dominus ordinariè vescebatur piscibus sobrietatem insinuans, ideo piscium privilegia spiritu Dei impulsus explicabat S. Antonius de Padua concionem ad illos habens, & ad laudem divinam ipsos adhortans. *Cum enim quodam die Arimi prædicaret, & multi obdurati & hæretici verbum ejus contemnerent, excusso in eos pulvere pedum secundum mandatum à Domino Apostolis datum fecisset. Accedens autem ad flumen proximè in mare fluens, pisces advocavit ad audiendas laudes Dei, & ad audiendum Verbum Domini quod contemnebant obdurati. Illico autem visa est multitudo piscium gestientium locum præripere ad audiendum, & extra aquam capite erecto stantium. Tunc ad eos S. Antonius: Fratres mei pisces multum debetis Creatori. Primò. Quia adeo limpidum vobis præparavit elementum in habitaculum.* Secundò. *Quia escas vobis in illo elemento præparat necessarias.* Tertiò. *Quia in creatione benedictionem accepistis multiplicationis;* Quartò. *Quia in diluvio cæteris animalibus pereuntibus servati estis.* Quintò. *Quia vobis est datum servare Ionam, & post tertium diem incolumem eum reddere:* Sextò. *Quia censum Domino obtulistis & Petro, quem solveres Cæsari.* Septimò. *Quia vos in alimentum quinque & quatuor millium multiplicavit.* Octavò. *Quia in cibum ejus post resurrectionem benedicti fuistis. Propter hæc omnia plurimum obstricti estis Domino ad benedicendum eum, qui vos creavit, qui vos reservavit, qui vos toties benedixit. Hic auditis, capite inclinato, & quo poterant externo signo reverentiam Dei verbo exhibebant, & benedicebant Dominum.* Ad hanc reverentiam, in spiritu exhilaratus Antonius, inclamabat: *Benedictus Deus, quia magis Deum honorant pisces, quoniam homines.* Ad hoc autem miraculum confluens populus, & hæreticorum turba, cum compunctione sedit ad pedes Antonii; & tanta efficacia tunc concionatus est, ut plerosque eorum virtute Verbi converteret, & pios credentes in fide roboraret. Pisces quoque, quasi ab eo licentiam accipientes, in varias orbis Provincias cum gaudii cujusdam testificatione abierunt. Ita Chronica Minorum, & vita S. Antonii.

Concio S. Ant. Pad. ad dipisces.

Tertiò consideratione dignum est quod dicitur hic Christus Dominus acceptis panibus gratias egisse, & pisciculos benedixisse. Filius enim æterno Patri gratias agit, & cibum benedicit, suo nos exemplo erudiens, numquam ad cibum accedendum nisi cum benedictione, & gratiarum actione. Quapropter inter Christianos semper solet benedictio præmitti sumptione cibi, & gratiarum actio subsequi. Et quidem benedictio ista non est inanis.

Christus Patri gratias agens, instruit nos, &c.

1. Quia per illam profitemur nos de manu Domini cibum nostrum accipere tanquam à bonorum omnium Largitore, *qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione, datque escam omni carni.*

Ad quid benedictio cibi.

2 Per illam benedictionem significamus nos ad honorem Dei cibo velle vesci, & tacitâ illum Deo offerimus; sicque non irruimus in cibos tamquam pecora, vel tamquam infideles sine ulla Dei cogitatione, sed illius meminimus qui nos mensæ cœlestis faciet participes, & dabit panem edere in Regno Dei, si ad ejus honorem si fuerimus pane terreno, & mensâ frugali ad subveniendum corporis

necessitati. 3. Per illam benedictionem petimus, ut cibus noster animæ & corpori sit salubris, quasi à Deo sanctificatus. Nam fieri potest ut noxia aliqua qualitate, aut mixtione, vel etiam diabolica potestate sit infectus; quibus quidem malis vel sola benedictio potest efficaciter succurrere. Sic dum *S. Benedictus* poculum sibi à malevolis exhibitum venenо infectum benedixisset, illico vasculum illam fensit benedictionem, sponteque sua disruptum virus omne in terram profudit nulli nociturum. Hic ergo verum est illud: *Sanctificatur creatura per orationem & verbum Dei.* Quia hanc benedictionem & sanctificationem neglexerat quædam sanctimonialis ex aviditate lactucam carpens & comedens, arrepta fuit à dæmone qui insidebat lactucæ, ut testis est *S. Gregorius* Dialog. lib. 2. cap. 4. Non ituque benedicimus cibos more Manichæorum, sed exemplo Christi & more Christianorum. Manichæi putabant carnem esse malam, & à malo Deo. Imò ex illis quidam existimabant quicquid vivit vivere anima rationali. Hinc nec segetes metere, nec pinsere, aut coquere panes volebant; sed tantùm coctos ab aliis comedebant prævia hac protestatione & benedictione: *Ego non te seminavi, seminetur seminans te. Ego non te messui, metatur metens te: Ego non te coxi, coquatur coquens te. Hæc alius fecit & attulit mihi, ego sine culpa comedo.* Sic testatur S. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 62. Imò existimabant quod ille in panes mutandus esset & comedendus, qui aliter panem comederet, intrepidè. Sic & reum esse dicebant qui carnem comederet, ita ut si taurum comederet taurus fieret, si porcum, porcus, ut testatur S. Epiphanius Hæresi 66. Sed hæ stolidæ sunt, Christi exemplo & doctrina satis manifestè condemnata. Qui si nos docuit cibum benedicere, non ob aliud nos id vult facere, quam ut corpori & spiritui sit salubris Deo oblatus & ab eo sanctificatus.

Benedictio cibi Manichæorum.

4. Quartò consideratione dignum est, quod omnibus satiatis septem sportæ de fragmentis residuæ fuerunt. Quod quidem factum est à Domino, ne hæc putaretur phantastica cœna vel refectio; qualis olim fuit illa quam Passeres præstigiator suis apparabat convivis, ut refert Agrippa in Retractione de Magia. Advenientibus enim hospitibus mensam opiparè instructam demonstrare solitus erat; quæ cum illi lubebat rursum evanescebat, discumbentibus omnibus fame elusis. Hic etiam docuisse videtur Dominus, in distributione eleëmosynæ nihil amitti, sed Deo fie ordinante quod erogatum est hilari mente, compensari cum fœnore. Sic dicit Apostolus: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Advertit etiam S. Chrysostomus hic superfuisse septem cophinos, ut correspondererent septem panibus, differentiaque foret cum altero miraculo, ubi duodecim cophini residui sunt, ut correspondeant duodecim Apostol. Sic enim loquitur S. Chrysost. *Ne reliquiarum æqualitas miraculum confunderet, & oblivionem obduceret, hoc discrimine & differentia utriusque signi memoriam voluit confirmare. Propterea tunc quidem discipulorum numero corbium numerum, nunc verò panibus sportas exæquavit.* Sed utriusque hujus miraculi differentiam in multis circumstantiis ostendit S. Hieronymus his verbis: *Legimus supra* (inquit ipse) *quod vespere facto accesserunt ad eum dicentes: Desertus est locus, &c. Hic autem discipulis convocatis ipse Dominus loquitur, Misereor super turbam, quia triduo jam perseverant. Ibi quinque panes erant & duo pisces; hic septem panes & pauci pisciculi. Ibi super fœnum discumbunt, hic super terram. Ibi qui comedunt quinque millia sunt, juxta panum numerum quos comedunt; hic quatuor millia. Ibi duodecim cophini replentur de reliquiis fragmentorum, hic septem sportæ.* Ita S. Hieronymus in cap. 15. Matth.

Septem sportæ repletæ denotant fructum Eleemosynæ.

2. Cor. 9.

Postremò dignum est consideratione, quod in hac benedictione panum adumbrata fuerit Eucharistici Sacramenti institutio. Sed de hac re fusè dixi in Evangelium Dominicæ 4. Quadragesimæ; ideo non repeto, sed illuc Lectorem remitto: quia pleraque ibi dicta ad hoc etiam Evangelium spectant. 5.

TU, Domine, respice semper turbam deficientem oculis misericordiæ tuæ quia tibi proprium est misereri & ad hunc finem in hunc mundum venisti, ut nostri miserearis, & rursus ideo ad Patrem es regressus. Fac nos etiam hanc imitari misericordiam tuam, compatiendo egentibus, subveniendo inopibus ex ea quam nobis impertiris substantia, eam in subsidium fratrum nostrorum sine diffidentia communicando. Denique, sic nobis gratiam tuam impertire; ut jugiter tibi adhæreamus, & tecum semper perseveremus cum fiducia, sicque post quam pane terreno & pane spirituali ac Eucharistico nos refeceris in via hujus vitæ, digni inveniamur comedere panem illum qui numquam deficit, quo electos tuos reficis in æternitate. Scimus enim te dixisse: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Ad illum ergo respiramus, illi inhiamus, illum esurimus, in hac solitudine miserat tecum perseverantes, exspectantesque promissum tuum quo dicis? *Vos estis qui mecum permansistis in tentationibus meis, & ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Hoc nobis concede, ut te benedicamus in sæcula sæculorum. Conclusio.

DOM. VII. POST PENTECOSTEN.

Lect. 10. tripart.

Attendite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, &c. Matth. 7.

MAgni momenti quidpiam indicatur, quoties Dominus in Evangelio nobis dicit, *Attendite.* Significatur enim subesse aliquod periculum in abscondito, ita ut pervigilem ad custodiam nostram animæ lucem præferre oporteat, ut circumspicia- *Vox. Attendite, periculum in abscondito signifi-*

spiciamus nobis undequaque, & gressus nostros actusque consideremus, ne in periculum latitans incidamus. Sic: *Attendite ne faciatis justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis.* Nempè ibi latet periculum vanæ gloriæ & elationis in mente, ideo vult nos huic rei diligenter advigilare, & prospicere. Unde S. Chrysostomus in eum locum sic dicit: *Cor nostrum attendere debemus. Invisibilis enim est serpens, quem observare jubemur, quia latenter ingredi-tur & seduxit. Vbi enim res gloriosa agitur, ibi gloriatio facilius locum invenit.* 2. Similiter dicit Dominus: *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Nihil enim occultum quod non reveletur, neque absconditum quod non sertatur.* Fermentum absconditum latet in farinæ massa, & quod exiguum videbatur, crescit in majus, & ad saporem suum universam conspersionem trahit; unde si nimis acidum sit, acore suo massam corrumpit. Sic & hypocrisis occultè inficit, ideoque advigilandum ne se commisceat operibus bonis. 3. Rursus, cùm dixisset Domine impossibile esse ut non veniant scandala; Væ autem illi per quem veniunt, subjicit: *Attendite vobis.* Hoc est; Cavete à scandalis tanquam à re maximè noxia, ne vel aliis illa objiciatis, vel objectis ab illis lædamini; in hoc vigilantia opus est, ne impingatis, aut alios impingere faciatis. 4. Iterum: *Attendite vobis, ne graventur corda vestra crapula & ebrietate, & curis hujus sæculi, & superveniat in vos repentina dies illa.* Ubi periculum est, & quidem latens & obtectum periculum, perspicaci ibi opus est attentione; in his autem omnibus jam dictis advertens Dominus grave periculum, & nihilominus incuriam magnam plurimorum, ideo repetit & inculcat, *Attendite*, sive *Attendite vobis.*

Sic igitur in hoc nostro Evangelio non sine speciali ratione dicit: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium.* Unde sic in hunc locum loquitur S. Chrysostomus. *Quia falsi Prophetæ erant futuri non manifesti, sed absconditi, ideo consulens dicit,* Attendite. *Non dicit,* Aspicite. *Vbi enim res certa est, aspicitur, ideò simplicitur videtur. Vbi autem incerta attenditur, hoc est, cautè consideratur.* Sic etiam consulit Sapiens attendere à pestifera societate. *Attende tibi à pestifero fabricat enim mala.* Similiter & Apostolus omnino sese conformans verbis his Domini, majores natu Ecclesiæ sic alloquitur de periculo imminente: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Si quæras quod illud periculum à quo ita cautè erat attendendum? Respondet: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Hoc igitur grande periculum erat, quod præviderat Apostolus, cui & providere satagebat, excitans suâ præmonitione attentionem & curam in illis qui Ecclesiæ præerant.

Matth. 6.

Luc. 12.

Luc. 17.

Luc. 21.

Eccl. 11.

Act. 20.

Sed quæstio est, quinam sint hi falsi Prophetæ qui in vestimentis ovium veniunt, & intrinsecus sunt lupi rapaces? Ad hujus rei plenioremexplicationem multa ex Sanctorum Patrum doctrina proponi possunt.

Dicamus primò hic specialiter designari hæreticos & doctrinæ pravæ disseminatores. Hi enim ideo falsi Prophetæ dicuntur, quia falsa nuntiant, falsaque docent, suntque similes mendacibus illis Prophetis, qui commentitia doctrina populum seducebant à via veritatis & vitæ. Olim Pseudoprophetæ induebantur pallio saccino, ut exteriori habitu mendacia sua tegerent, sicut de illis dicitur. *In illa die confundentur Prophetæ falsi, unusquisque ex visione sua cum prophetaverint. Nec operientur pallio saccino, ut mentiantur.* Sic & hi externo habitu, externaque pietatis specie se veritatis præcones mentiuntur, cum sint impostores. Dicit autem Dominus de illis: *Veniunt ad vos*, quia non sunt missi; sed proprium est illorum sponte sua venire, nec à legitimis Ecclesiæ Prælatis missionem possunt ostendere. Sic de ipsis verum est, quod de ipsorum antecessoribus dicitur. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant. Non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Mittit eos Spiritus ambitionis Spiritusque mendax, Spiritus ille qui in Angelum lucis novit se transfigurare, cum sit Angelus tenebrarum. Et sicut novit se transfigurare, sic etiam idipsum docet suos ministros. Unde de illis dicit S. Paulus. *Ejusmodi Pseudo apostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum, ipse enim Satanas se transfigurat in Angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur, velut ministri justitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum.* Quia igitur veniunt sine legitima missione, ideo cautela opus est & attentione quam ob causam dicit Dominus: *Attendite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos.* Si missi forent legitimè, non opus esset tanto examine, tanta cautione. Unde quod monebat S. Cyprianus Epistola 40. ad plebem, hoc etiam modo nobis attendendum est. Sic enim ipse ait: *Admoneo & consulo ne fallacibus verbis consensum facilè commodetis, ne pro luce tenebras, pro die noctem, pro cibo famem, pro potu sitim, venenum pro remedio, mortem pro salute sumatis. Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. Procul ab hujusmodi hominum contagione discedite, & sermonem eorum velut pestem fugiendo vitate. Vitate lupos qui oves à Pastore secernunt, vitate linguam diaboli venenatam.* Hæc Sanctus Cyprianus, idem paulò explicatius dicens quod hic dicit Dominus: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces.* Cur autem lupis comparentur hæretici, explicat S. Ambrosius lib. 7. in Luc. cap. 10. variis analogiis.

PARS I.

Qui sint falsi prophetæ, & lupi.

1. *Hæretici, & pravam doctrinam disseminantes.*

Zach. 13.

Ierem. 23.

2. Cor. 11.

Hæretici ut lupis comparentur.

Resp 1. Prima est. Lupi bestiæ sunt quæ insidiantur ovilibus, circa pastorales casas versantur, habitacula domorum intrare non audent, somnum canum, absentiam aut desidiam Pastoris explorant. Sic ergo hæretici lupis comparantur, quia insidiantur ovibus Christi, fremunt circa caulas nocturno magis tempore quam diurno. Semper enim perfidis nox est, qui lucem Christi scenæ nebulis interpretationis fuscare conantur. Versantur ergò circa caulas, stabula tamen Christi intrare non audent. Explorant Pastoris absentiam, & ideò Pastores Ecclesiarum vel necare vel in exilium agere contendunt, quia præsentibus Pastoribus oves Christi incursare non possunt.

Resp. 2. Secunda est. Lupi ovium guttur invadunt, ut ciò strangulent, feri, rapaces, iidemque natura corporis rigidiores, ut se facilè non possunt inflectere, impetu quodam suo feruntur, ideo sæpè luduntur. Sic & hæretici miseram plebem dispergunt, dilacerant, discerpunt, guttur invadunt, quia vocem veræ fidei veræque confessionis eripere conantur, nec nece animarum satiantur. Et quia mentis intentione duri sunt ac rigidi, nequaquam solent à suo errore deflectere. Ideo dicit Apostolus. *Hæreticum hominem post unam correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est.* Hoc scripturæ verus interpres illudit ut inanes suos in vanum effundant impetus, & nocere non possint.

Tit. 3.

Resp. 3. Tertia est. Lupi si quem priores viderint hominem, vocem ei quadam naturæ vi feruntur eripere; si autem homo prius eos viderit, non nocent, imo exagitari memorantur. Sic & de hæreticis dicere possumus, inquit S. Ambrosius. *Si quem versuta mentis suæ circumscriptione prævenerint, faciunt obmutescere: si autem commenta impietatis ejus agnoverit, jacturam piæ vocis timere non poterit.* Cave ergò ne tibi vocem tollat hæreticus, si prior ipse eum non deprehenderis, serpit enim dum latet ejus perfidia. *Cave versuta disputationis venena; animam petunt, guttur invadunt, vitalibus vulnus affigunt*, inquit idem. Quamvis autem omnes hæretici lupi sint, & quidem rapaces; nostri tamen temporis hæretici specialiter dici possunt. *Lupi Vespertini*, de quibus illud. *Velociores lupo Vespertino, Lupus ad vesperam vastavit eos.* Hi lupi, teste S. Hieronymo, magis sunt famelici quam illi qui manè discurrunt. Sic nostri hæretici majori furore feruntur quam priores, quibus satis etiam in uno vel altero articulo hæresim movere, hi omnes lacerant, & veteres non solum hæreses suscitant, sed etiam novas addunt. Hi vastant ad vesperam; nunc vespera est, nunc novissima hora, & multis occidit modò Sol justitiæ, quia magis amant tenebras quam lucem eo quod mala sint opera eorum.

Abac. 1. Jerem. 50.

Itaque dum hæretici hæresesque grassantur, vigilandum est, cauteque unicuique sibi attendendum est, sicut cum & lupi. Maximè verò tunc Pastoribus vigilia & vox clamorosa commendatur. Hoc docet S. *Chrysostomus orat. 1. adversus Judæos* his verbis: *Pastores quamdiu noxia bestia molesta non est, sublimem aut populum porrecti fistula canunt, sinuntque oves pro suo arbitratu pascere. Verum simul ac senserint alienæ luporum incursionem imminere, mox abjecta fistula funalem arripiunt, & omisso calamo, fustibus ac saxis armant se, proque septis consistentes, ingenti ululatu vociferantes, frequenter ipso clamore feram abigunt. Itidem & nos facimus.* Ita ille. Hoc ut attendant peroptatim Leodicensis nostræ Diœcesis Pastores contermini hæreticis, qui paucis ab hinc annis ditionem Trajectensem Luxenburgensemque invadentes, Ecclesiasticam, etiam jurisdictionem, & Catholicam doctrinam pervertere in vicinia conantur, & ovibus Christi veræ confessionis vocem eripere. Vigilandum igitur, attendendum à falsis Propheris, obsistendum lupis, contra eos vociferandum voce sonora prædicationis. Quod quidem hactenus factum à Pastoribus ibidem agentibus, non sine animi gaudio audimus; ideoque parum proficere Pseudoapostolos regionis illius, licet aridam circumeant ut faciant unum Proselytum. Jam commenta impietatis eorum agnita sunt; ideo jacturam piæ vocis solidæque fidei non facilè poterit Christi Grex perdere. Ut eo porrò fervore quo cœperunt, pergant Pastores, & eorum Cooperatores lupis obsistere, adhortamur & nos qui in partem sollicitudinis Pastoralis vocati sumus à Domino.

Rom.

Neque verò solum comparantur lupis hæretici, sed etiam vulpibus. Unde de illis verum est illud. *Væ Prophetæ insipientibus qui sequuntur spiritum suum.* Non sequuntur spiritum Dei, sed vendidant pro Dei oraculis suas adinventiones, opiniones, interpretationes erroneas. Additur autem de iisdem: *Quasi vulpes in desertis Prophetæ tui Israel.* Hæretici qui lupis comparantur ob rapacitatem & ferociam, vulpibus etiam assimilantur ob calliditatem & fraudem; furtim enim irrepunt in urbes & provincias, & cum multo dolo sese gratiam insinuare conantur, ut paulò pòst omnia vastent. Dicunturque quasi *vulpes in desertis*, sive ut ex Hebræo vertunt Interpretes, *in macerias, vineæ ruptæ*, quia sæpem verè doctrinæ rumpunt, sepem & macerias Ecclesiæ, ut ingrediantur in vineam, & eam reddant desertam & conculcatam. Hæ sunt enim vulpes de quibus in canticis dicitur, quod *demoliantur vineas*. Nec absimiles sunt vulpibus Sampsonis: quia in cauda gerentes facem & ignem ambitionis ac doctrinæ pessimæ, invadunt messem & vineam Ecclesiæ, omniaque in combustionem & confusionem redigunt. Et quidem dentibus sese invicem mordent colligatæ caudis vulpes istæ, sed tamen quadam colligatione, & confœderatione in Ecclesiæ exitium conspirant. Attendendum ergo ab his vulpibus, ab eorum fraudibus & dolis.

Exech 3. Hæretici, vulpes.

Cant. 2. Isa. lib. 15.

PARS II.
De vestimentis hæreticorum quibus se tegunt.

DIcamus secundo de vestimentis ovium, quibus se tegunt lupi & vulpes. Si igitur quæris, quæ

quæ sint vestimenta ovium, quibus se contegunt & abscondunt hæretici? 1. Vestis ovina est nomen Christianum. Interprete Chrysost. hom. 19. oper. imperf. ubi sic dicit: *Oves propriè Christiani dicuntur: Vestimentum autem ovile est species Christianitatis.* Sic etiam interpretatur Tertull. lib. de Præsumptionibus c. 4. ubi ait: *Quæ sunt istæ pelles ovium nisi nominis Christiani extrinsecus superficies?* 2. Vestes ovium sunt blandimenta verborum. Quia, ut ait Apostolus: *Per multas benedictiones & dulces sermones seducunt corda innocentium.* Rom. 16. Assentiuntur & adulantur quibusdam, ut eos attrahant ad se & sua castra; promittuntque eos obligant quos veritate non possunt. Unde de illis dicebat Tertullianus lib de Præscript. cap. 41. *Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes; nunc Neophytos collocant, nunc sæculo adstrictos, hoc est conjugio: nunc Apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quos veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est.* 3. Vestimenta ovium sunt opera quædam externa simulatæ pietatis; exhibent enim superficietenus quandam mansuetudinem, humilitatem, zelum honoris divini, & sic contegunt falsam suam doctrinam & intentionem perversam. Sic solent idola & figmenta sua virtutis specie convestire. Hoc semper eis in more fuit. Unde Origenes de antiquis Marcionis & Valentini discipulis sic dicit hom 7. in Ezech. *Vide mihi aliquem Marcionistam, sive discipulum Valentini, aut cujuslibet hæresis defensorem, & considera quomodo idola sua, id est, figmenta quæ ipse composuit, mansuetudine & castitate vestiat, ut in aures audientium facilius ex vitæ bonitate ornatus sermo subrepat.* Ezech 3. Hæretici, vulpes.

Denique vestimenta ovium sunt eloquia scripturarum, quibus hæretici falsam suam doctrinam convestiunt, ut decipiant. Hoc eleganter docet Vincentius Lirinensis in aureo suo libello contra profanas veritates, ubi inter cætera hæc habet: *Qui sunt vestitus ovium, nisi Prophetarum & Apostolorum prolegia? Qui sunt lupi rapaces, nisi sensus hæreticorum feri & rabidi? Sed ut fallacius incautum ovibus obrepant, lupinam deponunt speciem, & sese divinæ legis sententiis velut quibusdam velleribus obvolvunt. Ut cum quisque lanarum mollitiem præsenserit, nequaquam dentium aculeos pertimescat.* Cant. 2. Ita lic. 15. Imitantur sanè hæretici hac in re Patrem suum Satanam, qui ad Filium Dei decipiendum dum advenit, auctoritate Sacrarum Scripturarum fallaciam suam velare voluit. Sic adhuc modo per os nostrorum hæreticorum dicit: *Si Filius Dei es: mitte te deorsum.* Quasi dicat alicui Catholico. Si vis Filius Dei esse, & hæreditatem regni cœlestis accipere, mitte te deorsum; hoc est ex istius te sublimis Ecclesiæ quam templum Dni nominant doctrina & traditione te dimitte. Quod si ab eis quæras cur velint re antiquam Ecclesiæ fidem dimittere? Statim respondent; *Scriptum est enim:* multaque tibi testimonia de lege, de Psalmis, de Prophetis, de Evangelio producent, quibus novo & malo more interpretatis, ex arce catholica in hæreseos baratrum infelix anima præcipitetur. Sic nempe Scriptura Sacra in vita volat per ora hæreticorum illam in diversa trahentium. Sive enim privatim, sive publicè, sive in sermonibus, sive in libris, sive in conviviis, nihil unquam penè de suo proferunt, quod non etiam scripturæ verbis adumbrare conentur. Qui tanto magis cavendi & timendi, quanto occultius sub divinæ legis umbraculis latitant, & sub fuco & colore scripturæ pravam doctrinam absondunt. Sciunt ipsi fœtores suos nemini facilè placituros, si undi & simplices exhalentur; & ideo eos cœlestis eloquii velut quodam aromate aspergunt, ut ille qui facile humanum errorem despicerer, divina non facilè contemnat oracula. Itaque faciunt quod hi solent qui paryulis austera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumlinunt, ut incauta ætas cum dulcedinem præsenserit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam illis curæ est, qui mala gramina & noxios succos medicaminum vocabulis præcolorant, ut nemo ferè ubi scriptum suprà legerit remedium, suspicetur venenum. Similis.

Itaque cavendum & attendendum est ab his Pseudoprophetis & Pseudoapostolis, eloquio scripturarum animum fallacem conregentibus; cavendum & attendendum ab eorum blandis sermonibus, cavendum & attendendum maximè ab eorum libris, quia in illis lupina rabies sub veste ovium callidissimè & accuratissimè occultatur. Ad fallendum compositi prodeunt verborum lenocinio ornati, sophismatibus elaborati, è scripturis adulteratis & diminuis concinnati, è Patrum sententiis corruptis constructi. Oves fuerunt Prophetæ, oves & Apostoli, oves omnes Ecclesiæ Doctores; illorum sententias pelle & litteratenus accipiunt, detruncant, immutant; sed si quis sapiens & perspicax omnino fuerit, pellem tollet, & lupos agnoscet, non oves. Cum autem omnes hoc possint, ideò sapienter Ecclesia eorum libros non omnibus permittit. Immò sub excommunicationis pœna prohibet, quocumque id prætextu faciant vel colore, ob periculum subversionis. Cum enim nova, placentia, curiosa afferant, cum blandiloquentia quæ aures scalpit carnales (non esse jejunandum, continentiam Clericis nequaquam esse indicendam, confessionem non esse necessariam nec satisfactionem, cum Christus satisfecerit abunde, hisque similia libertatem carnis resonantia) facile imbelles involvunt, & ut verbis S. Leonis loquar, *ut serpentes humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter lingant, latenter occidunt.* Sub floribus & eloquentia verborum latet serpentinum hoc venenum, mox influens in animum. Sic fit, ut qui vel sola curiositate ducti explorare volunt, quid eorum libris contineatur facile inficiantur, & similes sint cuidam curioso, qui aconitum sumpsit ut virtutem ejus exploraret, cognovit autem eam, dum ac-

Hæretici Satanam Patrem suum imitantur. Matt. 4.

PARS II. De vestimentis hæreticorum quibus se tegunt.

nis

Simile.

niro sumpto mortem sibi conscivit subitam. Similes quoque sunt his qui natant in littore quasi recreationis gratia, & mox vix id cogitantes à fluctibus involvuntur. Sic enim & hi qui libris hæreticorum legendis animi gratia vacant, in altos frequenter errores abripiuntur, quia periculo se commiserunt, & vanitatis vento. Hoc experientia nos docuit Hæreticorum lingua & calamus, sermones & libri, ita venenum traducere nati sunt; ut Sancti Patres Cypr. Augustinus, Leo & alii solebant dicere eos similes esse linguæ serpentis illius, qui Evam seduxit. Sicut enim serpens ille scientiam boni & mali promisit, sed pro scientia falsitatem, mendacium, mortem venditavit: sic & hæretici, & eorum libri scientiam rerum divinarum, scientiam scripturæ sacræ pollicentur, sed pro scientia & veritate is qui eos legere præsumit nonnisi impiam falsitatem & mendacium invenit, cui si deceptus adhæret, tandem mortem sibi conficit. Hoc his asserit verbis S. Leo: *Sicut decipiendis primis hominibus ministerium sibi serpentis assumpsit hostis noster: ita hæreticorum linguas ad seducendos rectorum animos veneno suæ falsitatis armavit.* Certè ipsi sunt filii Satanæ & serpentis interrogantis. Cur præcepit vobis Deus non comedere de ligno? Ideo solent Fideles aggredi per Cur & Quomodo. Cur tot præcepta? Cur tot jejunia & abstinentiæ? Cur carnes vetitæ diebus Veneris? Cur tot in Ecclesia cæremoniæ? Quomodò Christi corpus sex pedum potest esse sub exigua panis specie? Quomodo idem corpus potest in pluribus locis simul esse? Quomodo potest justè lectio vobis prohiberi Sacræ Scripturæ? Hæc & similia crebrò replicant simplicioribus, ut fallant, & injustitiæ Ecclesiam accusent. An non hæ voces sunt serpentinæ? Interim sermones & libelli eorum, similibus scatent maliguis interrogationibus, quibus millies responsum est ab his qui fidei tenentur rationem reddere.

Porrò librorum hæreticorum lectio quibusdam non solum permittitur, sed etiam committitur, quia satis in fide firmi, satisque eruditi errores eorum verbo vel scripto discutere possunt, & ab animis infirmis excutere, ovinamque pellem possunt auferre, & lupinam rabiem latentem ostendere. Ob eam causam Dionysius Alexandrinus cœlesti oraculo jussus est libros hæreticos legere, ejusdemque oraculi testimonio idoneus ad id judicatus est. Historiam hanc habemus ex ipso Dionysio; *Epistola ad Philemonem Presbyterum Romanum.* *Tametsi hæreticorum libros & traditiones perlegebam, & meum ipsius animum ad tempus scelestissimis eorum opinionibus quodammodo inquinari videbam: hoc tamen ab illis capiebam commodi, ut non modo eos interiore animi cogitatione condemnarem ac refellerem, sed multo vehementius in posterum detestarer. Ac cum quidam ex numero Presbyterorum me deterreret à legendo, ne perversa doctrina eorum cæno contaminarer, cumque vera meo judicio dicerent, visio quædam calitus ad me demissa me confirmavit, & vox ad aures dilapsa manifestè præcepit:* Omnes libros quos fumis in manus evolve seduld: nam satis habes firmitatis ad quæque tum convincenda, tum exploranda. Atque hæc causa fuit cur initio ad fidem vocatus fueris *Visionem utpote consentienem voci Apostolicæ ad potentiores dicenti;* Omnia probate, quod bonum est tenete, *lubens equidem approbavi* Hæc ipse Dionysius Alexandrinus in dicta Epistola. *1. Thess. 5.*

PARS III.

A Quomodo à fructibus hæretici cognoscantur.

Discamus tertio; quomodo à fructibus cognoscantur hæretici sicut hic dicit Dominus, *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Hoc explicans *Vincentius Lirinensis cap. 36.* Id est, inquit ipse, cum cæperint divinas illas voces, non jam perferre tantum sed etiam exponere, nec adhuc jactare solum sed etiam interpretari, tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligitur, tunc novitium virus exhalatur, tunc profanæ novitates aperiuntur, tunc primum scindi sepem videas, tunc transferri Patrum terminos, tunc Ecclesiasticum dogma laterari. Hic non est fructus fidei, sed perfidiæ. Hic non est *fructus lucis in omni bonitate, justitia & veritate*, sed est fructus tenebrarum, cum malitia, injustitia, & mendacio conjunctus. Sicut arbor ex fructu, si ex doctrina hæreticus agnoscitur, qui ex vestimento non agnoscebatur. Quamdiu enim profert Matthæum, Marcum, Joannem, Lucam, Paulum Apostolum, & sententias eorum, non agnoscis lupum: at verò ubi contra communem interpretationem interpretatur illas, & educit conclusionem ex eorum verbis contra Ecclesiæ communem sensum & fidem, tunc facile est animadvertere lupum rapacem. Ulterius agnosci possunt à fructibus, hoc est ab operibus; licet enim exterius se ut mites, pios, pacificos, misericordes ostendant; tamen non ita se possunt abscondere, quia aliquid malitiæ, vel verbo, vel facto statim ostendant. In primis superbia eorum mox se prodit, dum de proprio ingenio & judicio præsumunt; dum alios præ se contemnunt sapientia sua tumidi; dum gloriæ popularis auram captantes novam & pernicioſam doctrinam à se excogitatam plebi curioſæ proponunt ut inter populares nomen obtineant & admirationem venerationemque. Unde S. Augustinus *Diversa diversis locis sunt hæreses, sed una mater superbia omnes genuit.* Avaritia quoque se in eis manifestat, quia multi inter eos docent quæ non oportet turpis lucri gratia ut loquitur Apostolus. Libido etiam plerosque eorum vel induxit ad hæresim vel in ea eos fovet; ideo enim ab Ecclesia desciverunt, ad eam idcirco non revertuntur, quod connubia incesta inierint; nec possint deserere. Sic & maledicentia se illico patefacit, dum eos qui ipsorum doctrinam non sectantur, miris conviciis insectantur, cujuscumque gradus sint aut dignitatis. Denique eorum ficta manſuetudo mox evanescit, & in crudelitatem apertam vertitur, ubi rerum dominantur. Deponunt tunc ovinam pellem, & lupinam ostentant rabiem.

Resp. 1. à malacia-ptura interpretatione.

Ephes. 5.

Resp. 2. Ab operibus.

Tit. 1.

Notum id fuit toti orbi in Lutheranis & Calvinistis,

nistis, qui primo quidem venerunt in vestimentis ovium: quia nihil aliud in ore videbantur habere quam purum Dei cultum, puram & meram Evangelii restitutionem, ipsum Christum, ipsam salutem. Profitebantur se non sua sed quæ Dei essent quærere, omnia pro Christo expendere, humillimos Principum subjectos esse; nihil aliud spirare quam cum cultu divino Reipublicæ candorem, pacem unionem. Cumque hac ovium pelle non solum plebeiorum, sed etiam minus cautorum Principum oculos fascinassent, & aures deliniissent, quodam tempore tolerati sunt. At verò ubi sibi in caulam Christi pedem oblatum viderunt, statim personam quam simularant, exuerunt, larvam ovinam rejecerunt, neque jam amplius oves, sed lupos agere voluerunt. Tunc ululatibus suis cæteros lupos evocare, exercitum conflare, ovibus insidiari, dispersas devorare, seque sanguine pascere cœperunt. Tunc ferro & igne per omnia grassati sunt, templa disturbarunt, urbes diruerunt, sacra & prophana diripuerunt, & effuderunt sanguinem electorum fidelium circuitu Jerusalem, adeò ut non esset qui sepeliret. In puteos dejecerunt vivos: alios verubus confixos igne vistularunt; aliis pudenda amputarunt. Presbyteris summas manus, & capitis verticem præsciderunt, veteros aperuerunt, intestina eduxerunt, cor manibus moribundorum imposuerunt, nares absciderunt. Infinita sunt tormenta quibus lupi isti satanico spiritu Catholicos persecuti sunt.

Beatus amus in Harmonia.

Sic igitur doctrina nova ejusque satores agnoscuntur ex fructu suo. Vere infelix arbos, quæ ab eo tempore quo enata est & increvit, nonnisi fructus amaritudinis piraque angustiæ progeneravit, de quibus verum est illud. *Fructus eorum inutiles, & acerbi ad manducandum, ad nihilum enim apti sunt.* O quam amari & acerbi fructus fuere, tot crimina ab ejus prodeuntia, tot seditiones, rebelliones, parricidia. Sic hæresi & hæretico nullum perniciosius est, non solum in Ecclesia, sed etiam in Republica malum, quia seminarium est omnis discordiæ, nec enim unquam exorta aperte fuit hæresis sine seditione & sanguine, nova introducta Religione. Status Religionis ac Reipublicæ ita coalescunt sacro fœdere, ut si minima interjiciatur divisio in Religione & fidei confessione, statim resultet in exitium Reipublicæ. Hinc est quod fidei diversitas regna antea florentissima maxime disturbarit. Nam sicut verum est, quod Camelus non solet bibere nisi turbet aquam, sic nec Hæresis solet ingredi nisi turbando Rempublicam Religio sancta & antiqua fundamentum est felicitatis regni; hoc fundamento emoto, status etiam emovetur & felicitas in regno. Religio à religando dicta ligat corda, unit voluntates, fovet societatem publicam, leges servat in vigore. Si ergo ea mutatur, nonnisi divisio oritur, confusio, caligo. Hæc omnia experta est Germania, Anglia, Gallia Belgium; & adhuc modo experitur cum luctu in tot bellis, & tot rebellionibus. Sic igitur verum est, fructum hæresis valde amarum esse. Neque enim illa solum bellum inducit Reipublicæ bene ordinatæ, sed etiam Deo & cœlo omnique penè creaturæ. O fructus detestabilis! Vix id specialibus videre? Attende sequentia.

Sap. 4.

Nullum malum pernicio-sius hæresi.

Hæresis Deo, cœlo, & omni creaturæ bellum inferre.

1. Quidem bellum Deo inferunt nostri hæretici eum factorem peccati asserentes sicque ejus bonitati sunt infensi.

2. Sanctis & Ecclesiæ Triumphanti, dum denegant ejus debitum honorem & venerationem.

3. Animabus purgatorii, dum privant eas suffragiis virorum.

4. Ecclesiæ Militanti, dum auferunt ei caput visibile Pontificem supremum, item & ordines Ecclesiasticos, omnia in confusionem redigentes.

5. Sacramentis, quia ea tamquam columnas à Christo stabilitas evertere nituntur.

6. Ipsemet Christo adversantur in Eucharistico Sacramento, quia ibi ponitur ab eis in signum cui contradicitur.

7. Septimo. Hominis naturæ bellum inferre volunt, dum ei liberum negant arbitrium, & bona opera.

Epist. Iudæ.

8. Inimici sunt Regibus & Principibus, quia *Dominationem spernunt, & majestatem blasphemant.* Armant subditos contra suos Superiores, contra Reges & Principes. Notissimum enim fuit, cum Lutherus intrò doceret Superioritatem & Magistratum esse contra libertatem Evangelicam, mox à plebe arma districta fuisse contra Nobiles, ita ut diruta fuerint ab insaniente plebecula ultra trecenta castella, magno etiam numero Comitum, Baronum, ac Nobilium neci dato. Sed resumptis à Nobilitate viribus & armis, ultra ducenta millia rusticorum ferro & igne absumpta legimus. O quanto sterit sanguine vox ista turbulentorum hominum, *Vivat Evangelium!* Sic dicebat Svvinglius hæreticus suis Helvetiis oportere ignem sanguine extinguere. Sic & Rex primus Anabaptistarum dicebat gladium suum aspersum sanguine eorum, qui se doctrinæ suæ opponerent, esse gladium Gedeonis sibi à Deo commissum. Sic Lutherus ridebat & dicebat esse naturam Evangelii bella movere. Sic Beza solitus erat dicere se optare tria extincta, Nobilitatem, Romanam Ecclesiam, Jurisprudentiam. Videsne fructus acerbissimos enasci solitos ab hæresi, & nova religione; Attendendum ergo ab his Pseudoprophetis & Pseudoapostolis, qui cum veniant intrò in vestimentis ovium, postea agnoscuntur lupi rapacissimi & crudelissimi ex fructibus sive operibus suis. Habent supra se Regem Angelum abyssi, *cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè Apollyon, Latinè, Exterminans.* Exterminare enim conantur omnia à Christo sancita, Pontificatum, Ecclesiam, Purgatorium, Pœnitentiam, Jejunia, Vota, Festa, Sacramenta, Imagines, &c.

Addamus & hoc, à fructibus eorum hæreticos agnosci, quia in eis qui eorum sectantur doctrinam

Fructus haret. in-teriores spinæ & tribuli.

non pariunt nisi conscientiæ spinas & tribulos, ut hic Dominus dicit : *Nunquit alligunt de spinis uvas, &c.* Fructus eorum fluctus, sunt inquietæ syndereseis & tribuli interius pungentes. Unde eos iterum eleganter describens Vincentius Livinensis lib. contra profanas novitates, sic dicit ? Heu miseranda conditio ! Quantis illi turbinibus interius agitantur ; Nunc enim qua ventus impulerit, incitato errore, rapiuntur ; nunc in semetipsos reversi tamquam contrarii fluctus reliduntur. Nunc temeraria præsumptione, & ea quæ incerta videntur, approbant : nunc irrationali metu etiam quæ certa sunt, expavescunt, incerti quo eant, qua rediant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quæ quidem dubii & male penduli cordis afflictio, divinæ erga se est miserationis medicina, si sapiant. Idcirco enim extra tutissimum Catholicæ fidei portum diversis cogitationum quatiuntur procellis, ut excussa in altum elatæ mentis vela deponant, quæ malè novitatum ventis expanderant ; seseque intra fidissimam stationem placidæ & bonæ matris reducant & teneant, & amaros illos & turbulentos fluctus primitus revomant, ut possint deinceps vivæ & salientis aquæ fluenta potare. Hæc Lirinensis.

Attendant ergo ipsi, si ficus suavitatem experiri volunt, expunctis tribulis & spinis conscientiæ malè sanæ, illud

Jer. 6. *State super vias antiquas, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit viabona, & ambulate in ea, & invenietis requiem animabus vestris.* Quæ sunt viæ illæ antiquæ, & semitæ rectæ per quas oportet ambulare, ut quies reperiatur ? Antiqua est doctrina Ecclesiæ, sive per scripturam, sive per traditionem nobis demonstrata. Hanc qui sequitur, securus est, & tranquillus. Hanc qui deserit, in circuitu ambulat, in semitis deviis, in variis errorum diverticulis ; nec requiem aut securitatem invenit animæ suæ, sed ambulat, cum æstu anxietate conscientiæ. Unde de tali possumus dicere illud Proverb. *Deservit viam vineæ suæ, & in semitis agelli sui erravit.* Viam scilicet deserunt universalis Ecclesiæ veræ vineæ, & per varias erroneas opiniones, quasi semitas propriis judiciis exerrant, sed non sine spinis & tribulis,

Osee 2. quia dicit Dominus similibus : *Sepiam viam tuam spinis*, ut revertaris.

Thren. cap. 1. De his quoque verum est illud : *Migravit Iudas propter afflictionem & multitudinem servitutis, habitavit inter gentes, nec invenit requiem : apprehenderunt eum persecutores ejus ibi inter angustias.* Fugiunt nimirum quidam ab Ecclesia ad hæreticos, & pro ratione afferunt multitudinem servitutis, hoc est multiplicitatem mandatorum Ecclesiæ præcipientis festa, jejunia, confessionem annuam auricularem, & multa alia cæremonialia. Atque ita dicunt ipsi se ab hac servitute confugere ad libertatem Evangelicam. At postmodum non inveniunt requiem, sed majoribus animæ & conscientiæ angustiis perturbantur ; nec vermis eorum moritur, donec resipiscant & redeant. Rectè direximus illos esse similes iis qui se in aliquo spatio in gyrum commoverunt, quibus nihil firmum & constans, sed omnia inquieta & rotabilia videntur propter vertiginem capitis. Sic enim accidit istis qui se novis doctrinis circumferri sinunt : nam postquam sunt imbuti erroribus, nullum deinceps dogma eis firmum videtur, quia habent spiritum vertiginis & erroris. Sic nonnulli inventi sunt à fide nostra deficientes, & ad Lutheranam transeuntes : postmodum à Lutherana ad Calvinianam traducti, nec ibi steterunt, sed omnia incerta reperientes conscientiæ stimulis agitati ad primam fidem coacti sunt regredi, ut fructum suavem ficus & uvæ in horto & vinea Ecclesiæ veræ progenitum iterum manducarent cum tranquillitate, remotis spinis & tribulis.

Porro semper fluctuare eos qui antequam Ecclesiæ viam & vineam deseruerunt, exemplis variis possemus demonstrare.

Philippus Melanchton (primus inter Lutheri sectatores) mortali infirmitate decumbebat anno 1560. Mater autem ejus senio confecta sic cum sepulchro tunc vicinum est allocuta : Fili, tu scis me ætate grandævam propediem ex hoc sæculo migraturam, ut Æterno Judici reddam rationem fidei meæ. Nosti enim cum in Catholica fide educata fuissem, me à te inductam, ut fidem majorem cum nova hac religione commutarem. Itaque per Dei veritatem te adjuro in hac ægritudine tua, ut nunc mihi clarè edicas quænam melior sit, & sincere mentem tuam mihi aperias. Tunc ille aperta voce & mente dixisse dicitur : *Hac plausibilior, illa securior.* Sic in morte quoque dubius fuit, qui toto ævo suo fluctuarat, crebrò mutans doctrinam.

Exempl. fluctuantium in hæresi.

Sic *Bernardus Okinus*, cum ad Calvinianam Religionem transfugisset, indignatus se frustratum Episcopatu Florentino, nec vivebat, nec moriebatur in ea securus. Cum enim à quibusdam Catholicis commiserantibus super ejus exitio moneretur, ut rediret ad cor, & reverteretur ad Ecclesiæ Catholicæ gremium cum misericordia recipiendus ; Respondit. Quid vultis uxagam ? uxor mihi nunc est, & liberi, nec eos possum repudiare. Quid dicam : Hi causa erunt perditionis & damnationis meæ. Videsne spinas & tribulos eorum qui hæresi adhærent, & Ecclesiæ fidem deserunt ? Pungunturque, & non compunguntur. Anxianturin vita ; anxianturin morte. Quodsi dissimulant, vel opprimunt conscientiam quadam infœlici libertate, & sæculi voluptate ; non possunt eam non per sentiscere reclamantem in fine : adeo ut verè dixerit quadam : *Si bonum est cum Luthero vivere ; haud bonum est cum Luthero mori.* Martinus Lutherus conscientiæ suæ remorsus solitus fuit commessationibus quotidianis, ebrietate carnali voluptate sopire. Et segregatus à consortio commessantium, crebro sibi ipsi dicebat ; *Martine, Martine, jam agis voluptuose, sed quid erit post hæc ?*

Obsecro

Conclusio. OBsecro Domine, ut fidelibus qui de tuo sunt ovili sapientiam infundas & gratiam ad agnoscendum oves a lupis, ad detegendum lupinam feritatem & fraudem sub vestimento ovium latentem, nec incautè decipiantur à Pseudoapostolis & Pseudoprophetis gregem tuum dispergere nitentibus Obsecro etiam, ut Pastoribus gregis tui des zelum & scientiam ad obsistendum omni incursioni luporum & tenebrionum hoc maximè tempore grassantium in gregis perniciem, ut voce & institutione, exemplo & conversatione præsint & advigilent securi à negotio perambulante in tenebris. Sic tandem effice, ut ad Te primum Pastorem animarum nostrarum eorum ductu convertamur & reducamur, à pascuis doctrinæ salubris & gratiæ ad pascua transeuntes æternæ veritatis & gloriæ. Ibi nulla amplius incursio, nulla fictio, nulla luporum erit formido; sed æterna erit securitas, & secuta æternitas, in qua te benedicimus per sæcula sæculorum.

Exempli fluctuantium in hæresi.

Historia recens. QUomodo hæretici tamquam lupi subdoli se velent vestimento ovium, ut decipiant & dilacerent oves, etiam nobis sit manifestum ex his quæ recenter gesta sunt à ministris Calvinianis Mosæ-Trajectensibus, falsitate profectò satanicâ. Res sic se habet: Vicarius Episcopi Leodiensis approbarat libellum, cui titulus; *Abregez de la voye de salut*, à Catholico pro captu vulgi compositum. Hunc ægris oculis conspicientes ministri isti hæretici, sumunt libellum istum, & putidis suis hæresibus farciunt, denuoque typis excudunt, & Patribus Societatis oppidi Trajectensis adscribunt, dedicatque ab illis eidem Vicario Leodiensis Diœcesis affingunt, cum approbatione ejusdem frontispicio libri falsissimè appensa. An non erant hæc vestimenta ovium, sub quibus latere volebant lupi isti, & gregi Catholico pessime nocere? Nempè teste S. Gregor. l. 5. mor. cap. 10. Hoc habent hæretici proprium, ut malis bona permisceant, quatenus facilè sensui audientis illudant. Si enim semper prava dicerent, citiùs in sua pravitate cogniti, quod vellent minimè persuaderent. Rursum si semper recta sentirent, profectò hæretici non essent, sed dum fallendi arte ad utraque deserviunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala ut recipiantur, abscondunt.

Sed nec hic stetit dictorum luporum malitia. Serenissimus Episcopus ac Princeps Leodiensis edictum publicum dederat, ne sub gravibus pœnis etiam censurarum subditi sui libros hæreticos retinerent, legerentve, juxta Tridentini Concilii decretum, & nominatim librum dictum corruptum ab hæreticis *l'Abregez de la voye de salut*. Edictum istud 24 Maii 1634 publicatum fuerat. Vix octiduispatio elapso. Minister quispiam simile fabricat edictum, præloque mandat, ac ei nomen dicti Principis & Episcopi in fronte ponit, eosdem etiam typos, eundem Typographum, eandem signaturam Vicarii generalis Episcopi dicti effingit. Interim quod in illo priori edicto interdictum erat, isto permittebatur, scilicet librorum interdictorum usus, & maxime libri pernicioſissimi & corruptissimi: *l'Abregé de la voye de salut*. Item lectionis Bibliorum Genevæ impressorum dabatur facultas, & tollebantur censuræ priori edicto comminatæ. Videsne iterum sub ovina pelle lupinam rabiem & subdolam artem, velataque commenta? Verum debebat attendere, quisquis hæc effinxit, ut tamquam lupus lateret, & noceret gregi, illud Cypriani: *Vera dementia est non cogitare, nec scire quod mendacia non diu fallant, noctemque tamdiu esse quamdiu non eluxerit dies, clarificato autem die & sole oborto lucis tenebras, & caliginem cedere, & quæ grassabantur per noctem latrocinia cessare.* Itaque mox detectum fuit commentum perfidum, & quò magis agnosceretur, decreto altæ Justitiæ Scabinorum Leodiensium ordinatum fuit ultima mensis Junii 1634. Programma istud falsum igne in publico foro sub patibulo manu tortoris comburendum. De qua relatius scribit R. D. Joannes à Chokier, Episcopi ac Principis Leodiensis Vicarius Generalis, in sua erudita ac diserta Paræneſi ad Hæreticos c. 7.

Sic nimirum falsi isti Prophetæ omnia falsificant, Edicta Principum, ut ostensum est, Edicta sive oracula Dei. Scripturas scil. sacras, Libros Catholicos, ut jam etiam declaravimus, Scripta SS. Patrum, ut de suis scriptis conqueritur S. Dionysius Corinthiorum Episcopus apud Euseb. l. 4 in fine. Denique, sigillum amoris & testamentum veritatis in Eucharistiæ Sacramento, Claves quoque Petro ad aperiendum cœlum datas per remissionem peccatorum falsificare conantur. O falsarii! O mendaces! O impostores!

EADEM DOMINICA.

Veniunt ad vos in vestimentis ovium, &c.

Appendix.

De variis lupis sub ovina pelle

DIctum est in præcedentibus per eos qui in ovium vestimentis accedunt, & intrinsecus sunt lupi rapaces, specialiter designati hæreticos. Addimus & hic, omnes eos ex mente S. Hieronymi intelligi posse; qui aliud sermone, aliud demonstrant opere, quippe nocumentum inferunt cum dissimulatione. Hoc fere ingenium mundi, & commune malum multorum, sub ovina pelle animum gerere lupinum, aliud habere in ore, aliud in pectore. Idcoque & hunc rei attendendum, ne quandoque decipiamur cum periculo peccati & perniciei animæ. Exemplis aliquot id demonstremus.

1. *Exemplum sub ovina pelle. Gen. 4.*

Primò. An non Cain sub ovina pelle lupinum gerebat intus animum, sicque fratrem innocuum fefellit? Dicit ei: *Frater ingrediamur foras in agrum?* Qua de causa? Anim. & recreationis, sive deambulationis & colloqui fraterni gratia. Ea pellis ovina. Vis animum ejus pervidere lupinum? satis eum effectus declaravit. Cur egredi

in agrum petebat, nisi ut à Patris & Matris adspectu fratrem seduceret, & ut lupus rapax nemine arbitro aut conscio agniculum adoriretur & devoraret? Quod fecit mortalium infelicissimus infelicissime, primus innoxium fundens sanguinem rabido & parricidali animo. At ut videretur occasionem aliquam nanciscì, quâ tantum facinus obtegeret, cœpit cum Caino conqueri de Dei providentia & æquitate, disputare contra judicium extremum, contra mercedem bonorum, & vindictam malorum. Nam ut habet Chaldæa translatio quam Hebræi recipiunt super illud; *Dixit Cain & Abel, egrediamur foras*, cum soli essent dixit Cain Abeli: Non est judicium, neque judex, neque aliud sæculum, nec merces bona pro justis, nec pœna pro impiis, nec Dei misericordiâ regitur mundus. Hæc omnia dixit, quia non erat accepta ejus oblatio sicut fratris; & cum Primogenitus foret, maximâ exinde in fratrem indignatione commotus est. Impiæ autem ejus assertioni contradixit Abel veritatis defensor, & dixit; *Frater ne sic asseras erronè, est enim judicium, est judex, est aliud sæculum, est merces ibi pro justis, est pœna pro impiis.* Exinde conceptâ jam antea invidiâ exarsit in cædem lupus ergo qui aliquamdiu latere voluerat animum quem gerebat, ostendit, queu si attendisset Abel, à parentum adspectu & tutela haud se secerneret. *Gen. 4.*

2. *Dalila. Judic. 16.* Secundò, An non & Dalila, sub veste ovina lupum se exhibet Sampsonii? *Dic mihi*, ait ipsa, *obsecro, in quo sit maxima tua fortitudo, & quid sit quo ligatus erumpere nequeas?* q. d. Hoc mihi indica per amorem conjugalem, decet enim conjugem consciam esse secretum Viri. Unde & postea, rem celante Sampsone, iterum instat, & dicit ei: *Quomodo dicis quod amas me, cùm animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, nec dixisti in quo maxima tua sit fortitudo?* En pellis ovina, amor conjugalis, quo se contegit Dalila, ut viri secretum exploret. Interim lupinum gerebat animum, quod exitus toties ostendit, dum virum in manibus hostium tradit, illudendum, excœcandum, enecandum. O infelix Sampson! Debebas tibi attendere à lupina mente in Dalila, quæ latebat sub ovina pelle, ut non abraderetur tibi spiritus septiformis latens sub septem tuis crinibus, sive crinium septem floccis mysticis. Sic fugisses hostile opprobrium, si vitasses mulieris illecebrosum & fallax blandimentum. Sic etiam attendite vobis, ô Juvenes, à blanditiis & illecebris mulierum meretricantium. *Psal. 54.* *Molliti sunt sermones earum, & ipsi sunt jacula.* Mollities in eis contrectandis est, quasi in pelle ovina & agnina, sed latet lupina rabies, unde & ipsæ lupæ dicuntur, & earum domu *Lupanaria*. Vorant enim vobis cor, vorant substantiam & animam, vorant mentis oculos, & excœcant. Sicut verum est de Sampsone, quod occasionem blandimentorum negligens, & in sinu obdormiscens suæ Dalilæ, variis funibus colligatur, crines ei abscinduntur, hostibus traditur, oculi eruuntur, illuditur, & ad molam circumducendam infeliciter pertrahitur. Sic & de vobis verum est, quod dum illecebras negligitis, à sermone ad fixos intuitus, ab aspectu ad leves contactus, à contactu leviad oscula, denique ad consummationem peccati facilè sit pertrahi. Ac tandem crines vobis abscinduntur verecundiæ, oculique evelluntur; quia cœli & inferni consideratio vobis eripitur, & ad molam tandem æterni doloris circumducendam perducimini.

3. *Garrula mulier. Prov 7.* Tertiò. Vultis videre lupam sub agnina pelle? Invenietis eam per Sapientem suis delineatam coloribus: *De fenestra domus mea per cancellos prospexi, inquit ipse, & video vecordem juvenem, qui transit per plateam juxta angulum advesperascente jam die, in noctis caligine. Et ecce occurrit ei mulier ornatu meretricio preparata ad capiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians. Apprehensumque deosculatur juvenem, & procaci vultu blanditur, dicens: Victimas pro salute vovi, hodie reddidi vota mea, idcirco egressa sum in occursum tuum desiderans te videre & reperi. Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto, asperſi cubile meum myrrha, & aloë, & cynammomo. Veni inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies.* Ecce agnina pellis, blanda omnino & levis, quâ nihil suavius & candidius. Sed subsequitur rapacitas lupina. Unde, subditur: *Irreti eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & nescit quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus, velut si avis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ ipsius agitur.* Attendite igitur, ô juvenes, & inspicite non tam pellem ovinam, quam latens sub illa periculum à lupa & consortio lupanari.

4. *Iuvenes dissoluti.* Quartò. Attendite & vos, ô Virgines & puellæ nubiles, à juvenum dissolutorum consortio & accessu. Frequenter veniunt & ipsi sub vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Simulant se prætendere matrimonium, nihil nisi honestum initio præferunt verbis & gestis; at ubi se in familiaritatem vestram, & in animum insinuarint, jam illecebras & conatum omnem adhibent ad rapiendum & decipiendum. Lupi sunt rapaces intrinsecus; non tam conjugium ambiunt, quam castitatis naufragium, thesaurum pudicitæ vobis eripere nituntur ad satiandum famem libidinis suæ; sicque & honorem vestrum voraturi veniunt. Attendite & cavete ab eorum lingua blandiloquia, sub qua latet serpentinum venenum, ab eorum promissis sub quibus fraus & falsitas latet animi. Sicut serpens non venit nisi ad decipiendam Evam; blando eam irretiens sermone; sic frequenter & hi ad eundem tendunt scopum. Non sibi satis attendit. Eva improvida & incauta; estote vos cautiores & prudentiores. Attendite, & videte ne semotis arbitris moram cum eis trahatis. Nam & Ammon, qui deperibat Thamar sortem suam, postquam simulasset 2. *Reg 3.*

lasset ægritudinem: ut illam in conclavi sibi posceret ministrantem, cum neminem vereretur præsentem, oppressit invitam. Sic sub ovino vellere ægritudinis, lupus rapax factus est pudicitiæ & castitatis.

5. *Absalon. 2. Reg. 15.* Quintò. Nonne & Absalon sub ovina pelle se lupum tandem ostendit rabidissimum: *Stabat juxta introitum portæ*, ubi juxta morem illius ævi judicia exercebantur, *& omnem virum qui habebat negotium, ut veniret ad Regis judicium, vocabat Absalon ad se, & dicebat, de qua civitate es tu?* Scisitabanturque quid ei negotii foret. Et respondebat: *Videntur mihi sermones tui boni & justi. Sed non est qui te audiat constitutus à Rege.* Sic faciebat indiscriminatim & sine delectu, ut ostenderet se non respicere personam hominum, sed tantum de bono publico esse sollicitum. Sed & cùm aliquis ad eum accederet, ut salutaret, extendebat manum, illam humanissimè erigebat, complectebatur, osculabatur, Sic sollicitabat, sive ut Hebræi habent, furabatur corda virorum Israël. An non vides in his omnibus pellem ovinam, operimentum delusorium, sub quo delitescit vulpinus lupinusque animus? Furabatur ille occultè tot blandis auliscismis corda virorum Israël, ut tandem furaretur vi apertâ sceptrum è manu paterna, fuso ejus si potuisset cruore plusquam lupinâ rabie. Hoc postmodum declaravit rei eventus. Vide etiam quomodo Patrem fefellit sub agnino tegumento lupus iste crudelissimus. Venit ad Regem, & dicit: *Vadam & reddam vota mea quæ vovi Domino in Hebron. Vovens enim vovit servus tuus, cum essem in Gessur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Jerusalem sacrificabo Domino.* Dixitque e Rex, Vade in pace. Ecce prætextus & operimentum fallax sub specie pietatis. Fallax inquam, quia dudum reversus erat ab exilio, & vota si quæ conceperat dudum persolvisse debuisset. Adibat ergo illum locum, ut ibi in Hebron, ungeretur in Regem, & impium animum in Patrem manifestaret, consiliaque sanguinolenta ad effectum deduceret. Unde ibi unctus, & regalibus insignibus adornatus misit exploratores in universas tribus Israël dicens: *Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnavit Absalon in Hebron.* Ac illicò persecutus est plusquam lupina feritate Parentem, fugitantem è Hierusalem à facie lupi devorantis, & dispergentis gregem. O ferox ingenium anteà vellere ovino obtectum! O parricidalem animum!

6. *Susurrones & detractores. Prov. 26.* Sextò. Ulterius dicere hic possumus venire in vestimentis ovium, sed intrinsecus esse lupos rapaces, susurrones, & discordiarum seminatores, à quibus omnino attendendum est, & cavendum. De his dixit Sapiens: *Verba susurronis quasi simplicia; & ipsa penetrant usque ad intima ventris.* Sub specie simplicitatis agninæ multa enarrat, quasi compatiens, interim more lupino devorat famam alterius, amicitiamque dissolvit. Sic *In labiis suis indulcat, & in corde insidiatur:* Susurro enim fallax est ut blandiatur, sagax ut insidietur; procax ut noceat, quia obloquendo malignatur; nam falsa in aurem oblocutione nititur se amicitiæ illius cui loquitur insinuare, & alium de quo susurrat in odium adducere. Sic aliud in pectore, aliud habet in ore; alius est in occulto, alius in manifesto; intus lupus, exterius ovis apparet. Hoc jam satis patuit in Absalone, qui contra Patrem malignissimè insusurrabat? *Non est qui te audiat constitutus à Rege*; cùm tamen pateat, quod per se audiret Rex, judiciaq; exerceret, vel judices idoneos constitueret: *Faciebat David judicium & justitiam omni populo suo.* Sic igitur in odium vocare volebat Patrem, & se in amicitiam insinuare malignus susurro: *Quis me constituit Judicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, & justè judicem?* Sic ipse loquitur labiis suis indulcando, & corde insidiando. Attendendum igitur prudenter ab his susurronibus, ut rabies lupina detegatur, sublatâ pelle ovinâ. Cui quidem rei advigilare debent, qui in Superioritatis gradu collocati sunt, quia apud ipsos non raro irrepunt susurrones, ut subditorum sibi gratiam malignè evertant. Quia non satis sibi cavit ab illis Rex David, in errorem etiam ipse incidit. Nam ipso fugiente à facie Absalonis, occurrit ei Siba servus Miphiboseth cum ducentis panibus, centum alligaturis uvæ passæ, centum massis palarhatum sive ficuum siccatarum & utre vini. Cumque interrogasset David de Miphiboseth Domino suo Filio Jonathæ, malignus susurro Dominum suum in invidiam vocans, dixit: *Remansit in Jerusalem dicens; Hodie restituet mihi domus Israel regnum Patris mei.* Quod quidem audiens Rex ait Sibæ: *Omnia sint tua quæ fuerunt Miphiboseth.* Nimia sane fuit ea in re Davidis credulitas; nam & fraus postea detecta fuit, & sub ovina pelle lupus agnitus. Non attendens autem sibi satis David, putans virum qui calamitate jam sibi presso opem ferret virum bonum esse, nec velle in re adeo gravi mentiri, hæreditates Mephiboseth ei adjudicavit non satis caute, nec ovinum tegumentum illico examinavit, ut lupum agnosceret rebus alienis inhiantem. 2. Reg. 16.

Aliqui Principes cum suis Officiariis. Addamus & hoc jam dictis, Principes nonnullos, Magnates, Dominos terrarum, eorumque Officiarios, Ballivos, Judices, in vestimentis oviũ crebrò lupos esse rapaces, Prætextu specioso officii, protectionis, defensionis, aliisque variis rationibus coloratis devorant pauperem in abscondito, & plebis exhauriunt facultates. Et cũ peregerint ea ad quæ ex officio & obligatione tenentur, nihilominus jura & salaria expetunt indebita titulis quibusdam ingeniosè effictis. Hic est *Turnus Baculi* apud Politicos nominatus, melius appellaretur *Præda Lupi sub veste Agni.* Sic etiam inter negotiatores & concives non pauci accedunt in veste ovium, petentes mutuum, vel mercimonia ad creditum, vel sponsionem in sui gratiam; tempusque certum determinant, quo istud mutuum, vel mercem, vel sponsionem exolvent sine alterius ullo detrimento,

interim sciunt haud sibi suppetere ad persolvendum. An non hi etiam lupi sunt, altenum deripientes sub variis subdolis promissis, quasi sub pelle ovina? Hoc quotidie videmus experientiâ, familiasque inde exhaustas & devoratas cernimus, quod ab his lupis sub vestimento ovium delitescentibus paxum sibi attenderint.

Hic ergo sunt varii lupi ovina pelle absconditi, de quibus Concionator fusius differere poterit occasione hujus Evangelici dicti prout locorum, temporum, personarum, oportunitas feret.

EADEM DOMINICA.

Lect. II. tripartita.

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matt. 7.

PARS I. *Quæ sint bonæ arbores.*

HÆc sententia de arboris infructuosæ excisione, in sacro Evangelii Codice frequenter repetitur, ideo notatu digna est. Hanc enim non solum hic pronunciavit Dominus, sed etiam ante ipsum eandem protulit ejus Præcursor sic ait: *Matth. 3.* *Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Sic consentiunt Præco & Judex, Joannes & Christus. Idem vult iterum dicere Dominus, cum ait: *Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum.* *Ioan. 15.* Quid verò de eo fiet? *Mittetur foras, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* *Luc. 13.* Sic etiam idipsum intendit, dum dicit quemdam habuisse arborem sici plantatam in vinea sua, & venisse ut quæreret fructum in illa; nec invenisse jam tribus annis, ideoque jussisse ut succideretur, ne frustra terram occuparet. Denique, cùm vidisset à longe sicum habentem folia, accessit, si quid forte inveniret in ea; & cum veniset ad eam, nihil invenit præter folia, non enim *Marc. 11.* erat tempus ficorum. Et respondens dicit ei: *Iam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet.* Nunquid de arboribus cura est Deo quod adeo frequenter dicat infrugiferam esse excindendam & in ignem mittendam, quodque etiam dignetur alloqui arborem, & eam maledicere, æternumque fructu privare? Utique in omni jam dicto de arbore sermone aut in hoc facto & maledictione, non illi cura arborum sed hominum; nec cum arboribus ei negotium, sed cum hominibus per arbores istas designatis. Insensibilis creaturæ excidium vult servire ad nostrum subsidium & documentum, ad conversionem animarum nostrarum. Sic Propheta quidam qui missus erat ad Re- *3. Reg. 13.* gem Jeroboam prophetare, alloquitur lapides altaris, Dei iram hominibus imminentem fundit super altare, inclamans; *Altare; Altare, hæc dicit Dominus, &c.* Altareque excisum est ipso prophetante. Quod interpretans S. Chrysost. hom. de S. Hierone sic dicit? *Vides ut omisso eo qui ratione præditus est, in quod rationis expers est Propheta allocutus est, ut per istius obedientiam, illius stuporem & malitiam corrigeret? Fractum est altare, & Regis malitia fracta non est:* Simili nempe modo in excisione & & maledictione arboris indicatur excisio & maledictio infrugiferi hominis.

Itaque, sicut duplicis generis arbores reperiuntur: quædam enim frugiferæ sunt, & fructum bonum utilemque proferunt: quædam verò vel nullum fructum, vel certè malum & acerbum inutilemque producunt; sic est etiam in hominibus. Justi sunt velut bonæ arbores producentes fructum bonum, suavem, & utilem. Unde de unoquoque ipsorum dicitur: *Erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Expende ibi expressas conditiones bonorum. *Arbores sunt duplices genere frugiferæ & infrugiferæ.* *Psal. 1.*

Inprimis dicuntur plantati & benè radicati instar arboris. Quare plantati, & radicati? Quia per voluntatem constantem & firmum propositum animi in bono ita fixi sunt, ne ad omnem tentationis adversæ procellam stent fortes. Sed ubinam est radix eorum? in cœlo, & in Deo. Sunt enim homines velut arbores in versæ quarum radices in cœlum tendunt, ita ut etiam inde nutrimentum sugant & humorem, indeque accipiant firmitatem. *Conditiones bonorum.* 1. *Homo arbor inversa.*

Secundò, dicuntur agere secus decursus aquarum, quia rivis gratiæ & Sacramentorum aqua vitali irrigantur. Immò irrorantur sanguine Christi Domini, & Matris ejus fœcundo lacte, ut fructum possint electum producere. Sic apud Ezechielem *Ezec. 47.* fit mentio ligni pomiferi, cujus non defluit folium, & non deficit fructus ejus; sed per singulos menses affert primitiva. Redditur vero hujus rei ratio, quia aquæ de Sanctuario egrediuntur ad irrigandum illud. Hic etiam justi designantur irrigati aquis de Sanctuario, hoc est, ex latere Christi egredientibus. Hic est enim fons sanctitatis, quo aspergi necesse est omnes ad sanctimoniam adspirantes. Similiter describitur lignum ex utraque parte *fluminis* afferens *fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum.* Ubi sub nomine ligni intelligit plures arbores vitales, vivos fructus producentis irrigatæ à flumine; & possunt designari electi, tam in hac vita, quam in altera. In hac quidem vita sunt citra ripam, & producunt duodecim fructus Spiritus, quos enumerat Apostolus: *Fru-* *Galat. 5.* *ctus autem Spiritus sunt, charitas, pax, gaudium, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* In altera vita sunt ultra ripam, & producunt fructus perfectissimos omninoque maturos gloriæ & fructionis divinæ, qui etiam duodecim dicuntur, numerus duodecimus, perfectionis est numerus. *Apoc. 22.* 2.

Tertiò. Producit fructum suum. Sicut enim ficulnea ficum, vinea uvam, pirus pira producit. Sic & justi quilibet juxta vocationem & statum quem in Ecclesia Dei sortiuntur, debent fructum producere, conjugatus juxta statum & vocationem con-

conjugii, Ecclesiasticus juxta vocationem cleri & cœlibatus, Religiosus juxta vocationem ordinis sui, Vidua juxta statum viduitatis, Virgo juxta statum virginitatis. Sicut enim Deus in Paradiso voluit & jussit ab initio ut unaquæque arbor ferret fructum juxta genus suum; idem vult & de arboribus consitis in Ecclesiæ suæ horto, quas cum voluerit esse diversas, diversum ab eis fructum exposcit.

4. Quartò vult ut illum dent in tempore suo. Et quidem arbores habent certa tempora, quibus folia, flores, fructus producant; Homo habet totam suam vitam. Producat ergo fructum ab se expectatum in adolescentia & juventure, producat illum in virilitate, producatin senectute & decrepita ætate. Arbores quæ solùm sub exitum æstatis florere incipiunt, vix solent fructum perducere ad maturitatem, quia frigore præveniuntur. Sic nonnulli qui differunt bene agere in juventute & perfecta ætate, præveniuntur morte, & excidunt tanquam hybernali frigore in peccatis agentes vel in solis propositis tanquam floribus sine fructu. Felix ergo illa arbor, quæ per singulos menses, immò per singulos dies, fert fructum suum. Dicitur Palma ad singulos lunæ ortus singulos etiam ramos procreare, ita ut duodecim ramorum productione annus expleatur. Quocirca Ægyptii annum indicantes pingebant Palmam, inquit Horus Apollo in Hierogl. cap 3. Sic igitur homo quasi palma multiplicet se, per singulos menses producendo novos virtutum ramos versus cælum. Det fructum omni tempore, in hyeme & æstate, in adversis & prosperis. Det etiam specialem fructum in tempore suo, quando scilicet opportunitas boni operis specialis occurrit, opportunitas confitendi, opportunitas communicandi, opportunitas jejunandi, opportunitas eleëmosynam egenti largiendi, opportunitas injuriam pro Christo patiendi. Tunc enim est tempus suum, tempus fructuum, cum boni alicujus operis sese suggerit occasio. Hæc quantum ad bonas arbores, quæ quidem transplantandæ sunt ex hoc solo postquam gratiæ fructum protulerint, ut in cælo & paradiso Dei fructum proferant gloriæ immarcessibilem.

De arboribus malo igni dandis.

DE pravis autem aut infrugiferis arboribus sic à Domino sermo est, quibus minatur excisionem & ignem. Unde singula etiam ejus verba à nobis sunt expendenda, & exponenda.

1. Primò quidem dicit generaliter sine exceptione. *Omnis arbor* quasi dicat sive procera sit sive humilis, sive curva sive recta, sive speciosa, sive deformis, sive in monte sit posita sive in valle: denique cujuscunque sit generis & conditionis, si sit infrugifera, non est à securi secura, excisionem timeat necesse est. Quantumlibet homo sit vilis conditionis, quantumlibet ut honoratus & in sublimi positus, quantumlibet sit sapiens & opulentus, vel idiota & egenus, sibi advigilet: si fructum non ferat exspectatum à Deo, attendat securim. Vis videre arborem proceram excisioni obnoxiam? Attende, repræsentatur nobis magna arbor & fortis, & proceritas ejus cælum contingens, aspectus ejus erat usque ad terminum universæ terræ, folia ejus pulcherrima, in ramis ejus conversabantur volucres cæli. Fructus ejus erat nimius, ita ut sub terram habitarent animalia ad vescendum. Sed quia non erat fructus ille qui à Deo exspectabatur, ecce vigil & sanctus descendit de cælo, & clamavit fortiter; *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia, & dispergite fructus eius, fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius.* Hæc arbor significabat potentem Monarcham, qui à securi Dei liber non erat, nec ejus folia & fructus, hoc est opes & gloria, quæ jubentur excuti & dispergi. *Dan. 4.*

2. Secundò dicit, *quæ non facit fructum bonum.* Non dicit fructum speciosum, splendidum, magnificum exterius. Hoc enim non est satis. Quam splendidus erat fructus, quàm speciosus & magnificus, qui Evæ fuit præsentatus? Sed ei venenum fuit, mortem attulit. Quam pulchra sunt poma Sodomæ circa mare mortuum enata? Sed intus cinere & fœtore sunt referta. Sic quidam videntur exterius opera aliqua producere speciosa, sed cum ea ad complacentiam hominum referant, coram Deo non sunt bona, nec ei grata, qui sunt cinere vanitatis & verme istus scatentia. Requiritur ergo fructus solidus & bonus, hoc est opus Deo acceptum, proximoque proficuum. Non etiam sufficit folia & corticem floremque habere vernantem: fructum maturum exigit Dominus. Non sufficiunt exteriora quædam signa, vel bona verba, nec sola bona proposita, aut initium quoddam bonorum operum; folia sunt hæc & flores qui à vento mox excutiuntur, vel à pruina decoquuntur & marescunt quantocius, suntque inanes. Eheu quan. multi sola producunt folia vel flores, totam vitam in bonis propositis sine effectu traducentes! Sic tandem infeliciter exscinduntur, quia fructus nullus maturus in eis reperitur. Adverte quoque hic de arbore non dici in præterito, *quæ non fecit*, aut in futuro, *quæ non faciet* fructum bonum. Non enim sufficit fecisse, aut in futuro velle facere fructum, piè aliquando vixisse, vel in posterum piè velle vivere. Sed in fructu pietatis oportet continuum esse, & omni tempore salutis fructum producere. Unde in præsenti dicit; *quæ non facit fructum*, offerens scilicet perseveranter Deo opera meritoria.

3. Tertiò, cum emphasi dicit de arbore infrugifera *Excindetur.* Quid est exscindetur? Hoc est, ante præfixum à natura terminum tolleret. Quod frequentissimè contingit; quia impii plerique non dimidiant dies suos. Unde monet eos Ecclesiastes: *Ne timeas agas multum, ne moriaris in tempore non tuo.* Hoc est ne moriaris priusquam deberes mori cursu naturali, & ne moriaris imparatus; vere- *Eccl. 7.*

verè enim moritur tempore suo, qui paratus est reddere rationem; moritur verò tempore non suo, qui ad id planè est improvidus. De impiis sic excisis sexcenta sunt exempla in sacris & profanis litteris; in Saule, Absalone, Achitophel, Aman, Amon, in diluvio, in Sodomis, in Nerone, Juliano, Antiochio, alisque tyrannis. Excisi sunt isti quasi arbores infructuosæ, & quidem tempore quo minimè id præcogitabant. De illis verum est illud: *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viventes, sic in ira absorbet eos*, quasi dicat secundum interpretationem S. Hieronymi: Priusquam spinæ vestræ crescerent in rhamnum & pervenirent ad duritiem & lacumen spinarum graviter lædentium, vos abscissi estis. Hoc est, antequam posseris implere malitiam & crudelitatem vestram, cum adhuc esseris in mediis sceleribus, absorbuit vos ira Dei, sicut olim Chore, Datan, & Abiron. Significatur etiam per hanc vocem, *Excindetur*, non fore eis mortem facilem, sed planè violentam, quemadmodum etiam violenta est arborum excisio. Hoc est quod de impiis dicitur. *Impii de terra perdentur & auferentur ex ea.* Alia lectio habet: *Evellentur & eradicabuntur ab ea.* Nempè sicut arbos quæ altas egit radices, difficilè revellitur renitentibus radicibus, idem verum est de improbis. Planè, violentè & invitè exscinduntur & divelluntur, quia sentiunt se revelli ad ignem. Ulterius per illam vocem, *Excindetur*, designatur pœna damni quæ est separatio à Deo & Christo, & à Sanctorum consortio, idque in æternum: quæ quidem privatio visionis divinæ major est omnibus pœnis testè S. Chrysost. 24. Matth. ubi dicit: *Novi quia plurimi pertimescant gehennam, ego tamen illius gloriæ amissionem multò amarius quàm gehennæ ipsius dico esse supplicium: si verò id non possunt sermone monstrare, nihil mirum. Neque enim novimus illorum beatitudinem præmiorum, ut infelicitatem quoque de eorum amissione scire possimus.* Idem asserit ad Theodorum lapsum Paræneſi primâ, & alibi.

Sicut verò in illa voce, *Excindetur*, pœna damni significatur, exterminatio scilicet à Deo, ab ejus gloria & facie, in qua omne bonum consistit: Ita per id quod subditur, *Et in ignem mittitur*, pœna sensus exprimitur, quæ malorum continet cumulum. Ignis enim horribilis est & æternus, ad quem justè condemnantur qui suarum cupiditatum tenebrosum ignem semper foverunt. O igitur infelices arbores, è paradiso Dei æternum exterminandæ! O infelices arbores, igni perenni, horribili instrumento iræ & vindictæ divinæ, æternum adjudicandæ! Per hunc enim ignem haud rediguntur in favillam & cinerem, sed in illo sortiuntur immortalitatem & perennantem cruciatum.

Videat ergo unusquisque, quem fructum tulerit hactenus, quemque fructum in præsenti ferat, ut agnoscere possit an inter arbores electas, an inter reprobas excisioni & igni obnoxias connumerandus sit. Examinet usque ad radicem, usque ad cor; suam exploret voluntatem, & intentionem, ut illam exigat & fœcundam reddat. Examinet corticem, hoc est exteriorem conversationem suam; examinet fructus bonorum vel malorum operum à se prodeuntium. Si fructus Spiritus in se reperiat, amorem purum erga Deum, charitatem veram erga proximum, compassionem & misericordiam erga egenum, sobrietatem & castitatem erga seipsum, patientiam in adversis, humilitatem in prosperis, gaudium & pacem in conscientia, contemptum rerum terrenarum, pietatem & promptitudinem rebus in divinis, conformitatem cum divina voluntate, displicentiam peccati omnis; non est quod timeat excisionem infelicem, aut ignem immortalem. Si verò non repetit nisi fructum superbiæ & vanitatis, luxuriæ & impuritatis, avaritiæ & tenacitatis, gulæ & carnalitatis, impatientiæ, invidiæ, æmulationis, si nonnisi reperem & tædium rebus in divinis, timeat sibi, advigilet exscindendos ramos infelices, palmites luxuriantes; & ipsam purget & excolat radicem cordis & voluntatis ad meliora contendens.

Attendite igitur, ô infortunati peccatores, ô filii hominum executientes! attendite, inquam, ad securim judicii, indignationis ac ultionis divinæ, quæ ad radicem arboris infrugiferæ posita est, ut cum maledictione eam exscindat, & in ignem mittat.

Primò. Vos equidem, ô superbi & arroganter, estis elevati sicut *Cedri Libani*, cælum properitas vestra videtur contingere, & nubes transilire. Sed quem fructum producitis; fructum Deo ingratum, contemptum aliorum cum propria præsumptione conjunctum. Interim audite Isaiam: *Dies Domini exercituum super omnem superbiam & excelsum, & super omnem arrogantiam, & humiliabitur. Et super omnes Cedros Libani sublimes & erectas.* Audite etiam Psaltem, & timete excisionem: *Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut Cedros Libani. Et transivi, & ecce non erat, & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.* Nempè excisus erat ab ira Domini vindice, & disperierat ipsius fulmine. Vobis quoque dicitur, ô Sapientes hujus sæculi, qui nimium in scientia & ingenio vestro arroganter fiditis; *Nolite altum sapere, sed timete. Non alta sapientes sed humilibus consentientes.* Vos equidem estis velut Arbor scientiæ boni & mali, sed vanos & fallaces fructus producitis, vobisque perniciosos, si illos Deo non offertis: Propterea dixit Bonaventura: *Arbos scientiæ multos privat arbore vitæ.*

Secundò; Vos ô avari, estis *Quercus Basan*, id est quercus ignominiæ, escam porcis & inferni belluis producentes. Quæ injustè acquisitas accumulatis, quæ vobis in ignominiam & dedecus cedent eruntque fomentum ignis perenniter vos devoraturi. Audite ergo & vos Isaiam: *Dies Domini exerci-*

Psalm. 57. *Prov. 2.*

Per vocem exscindetur, significatur pœna damni quæ est gravissima omnium pœnarum.

Per ignem denotatur pœna sensus continens malorum omnium cumulum.

Adhortatio ad omnis generis peccatores.

Luc. 1.

Isai. 2.

Psalm. 36

Rom. 11.

Isai. 2.

exercituum super omne, quercus Basan. In quem locum sic dicit S. Basilius: *Profert ea arbos fructum, sed qui cedit in alimentum porcorum, ob hoc nominavit arborem ignominiæ & dedecoris, Basan enim interpretatur ignominia.* An non magna vobis ignominia est (cum ad cælestia bona spectanda & exspectanda mens vestra nata sit, illucque sit erigenda) nihilominus eam ad terrena totam deprimere, illis incubando, illis inhiando? *O curvæ in terras animæ, & cælestium inanes!* O quam felicius ferretis fructum charitatis & eleëmosynæ, pietatis erga egenos & abundantis misericordiæ! Attendite quam ignominiosè compellatur avarus ille à Domino: *Luc. 12.* *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ parasti cuius erunt?* Ipse erat quercus Basan, quercus dedecoris exscindenda, nec id attendebat: vos idipsum timete, & felicius fructificate; opes non terrenas, sed cælestes accumulate, ut fructus vester maneat gloriosè, & non pereatis ignominiosè & dedecorosè.

3 Tertiò; Vos verò, ô gulosi & luxuriosi, estis instar vineæ *uvam fellis & botrum amarum* producentis, *Fel draconum vinum vestrum venenum aspidum insanabile*, ut cum Moyse vos alloquar, immò, ut *Deut. 32.* ibidem addit Moyses, *de vite vinea Sodomorum* vinea vestra *& de suburbanis Gomorrhæ.* Ebrietas & luxuria, per quam imitamini Sodomitas & Gomorrhæos, suavis vobis & delectabilis ad tempus videtur: sed fellea est; amarissima, pessima, venenata & lethifera, ideoque ob fructum istum amarum & virulentum securis vobis ad radicem posita est. Exscindemini tandem ut sitis esca ignis, non enim lignum vitis excisum ad illud est proficuum, ut restatur Dominus: *Ezech 15.* *Fili hominis quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nimirum quæ sunt inter ligna silvarum? Numquid tolletur de ea lignum ut fiat opus, aut fabricabitur ex ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumque vas. Ecce igni datum est in Escam.* Quomodo lignum vitis quod datur igni ad devorandum, sic tradit Dominus luxuriosos. *De igne egrediuntur, & ignis consumet eos.* De igne scilicet luxuriosæ concupiscentiæ, ad ignem æternum egrediuntur. Audite ergo, ô gulosi & luxuriosi, Dominum, audite Ezechielem, audite Moysen, audite S. Gregorium Moysis supra posita verba interpretantem. *Vinearum appellatione mentis concupiscentia figuratur, quia reproborum corda inebriant, & à cognitione Dei alienant ex Sodomorum quippe vinea vitem, ex Gomorrha ducit propaginem, qui nefandissimis concupiscentiis replet mentem. Vnde hujus vineæ fructus sunt uva fellis & botrus amaritudinis: uva quippe in visu est, fel in sapore; visum oblectans gustum amaricans: quia nimirum reproba menti valde placet quod concupiscit, sed in æterna pœna quod sibi modo est dulce amarescit.* Hoc attendite, & profœtido acerboque fructu luxuriæ suavem & odoriferum fructum castitatis & continentiæ Domino & Cultori vestro producite.

4. Quartò Vos quoque, ô invidi & vindicativi impatientes & iracundi, timete excisionem, timete ignem. Quid enim aliud estis vos quam rhamni & spinæ infructuosæ, nonnisi ad lædendum, cruentandum, & pungendum aptæ, ideoque igni post excisionem destinandæ? In vos ergo tamquam spinas crepitans gehennæ ignis tandem exardescet, quia cædem, vindictam, cruenta & lædere nata consilia radix aspera cordis vestri producit Verbis & factis, quoad in vobis est, alios pungitis, laceratis, eorum honorem, famam, nomen læditis & cruentatis. Immò in ipsum Deum spinosum linguæ vestræ acumen vertitis procacibus impatientiæ verbis, juramentis, blasphemiis. Ad vos ergo spectat illud. *Prævaricatores quasi spinæ evellentur, quæ* *2. Reg. 32.* *non tolluntur manibus. Sed si quis eas tangere voluerit armabitur ferro, igneque succensæ comburentur usque ad nihilum.* Ad vos spectat & illud Apostoli. *Terra profe-* *Hebr. 6.* *rens spinas & tribulos reprobæ est & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.* Vos instar spineti opaci estis, in quo umbra caliginosa est, latibulum dans serpentibus. Non lucet enim veritas in corde vestro, sed tenebræ interiores vos circumdant, quia *qui odit fratrem, in tenebris est,* Cor vestrum cali- *1. Ioan. 2.* ginosum, & obcæcatum invidia aut vindicta, receptaculum est malignorum spirituum, qui vos ad omne scelus incitant. Sicut hic dicit Dominus; *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus.* Sic etiam de vobis verum est, nihil à vobis colligi posse uvæ aut ficus; hoc est, nullum fructum mansuetudinis & benignitatis, nullam dulcedinem charitatis. Omnes fructus à radice vestra prodeuntes acerbi sunt, & attingentium se dentes obstupescere faciunt. Ergo merito timere debetis avulsionem & securim ad radicem, flammamque exardescentem.

5. Quintò. Ad vos etiam tandem hic sermo converrendus est, ô acedioси! *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excinditur, & in ignem mittetur.* Hæc vos à vobis omnem deberet excutere desidiam, animique torporem, & sterilitatem bonorum operum. Nolite errare: etiam si nō sitis adulteri, raptores, fures, maledici, ebriosi, invidi, blasphemi, non estis securi. Nec enim hoc satis est, quod neminem lædatis, graviaque mala non operemini: quia necesse est fructum bonum producere, oportet virtutibus & piis operibus fœcundum esse. Maledicta est quædam ficulnea à Domino. Qui ita? An quia venenatum forte fructum producebat? Absit. Cur ergo? Quia nullum esurienti ficum præbuerat. Ergo qui exspectatum à Domino fructum producere negligit, maledictioni proximus est, etiam si non nocuerit. Si iterum dicit Dominus cultori vineæ suæ inveniens ficulneam non ferentem fructum: *Succide eam, ut quid etiam terram occupat?* Ut *Luc. 13.* quid vos occupatis locum in horto Domini, si ferre renuitis fructum congruum vestræ vocationi & *Ioa. 15.* insitioni? *Ego eligi vos, ut fructum afferatis, & fructus vester maneat,* inquit Dominus. Quod si post imbrem & rorem de cælo, post solis calorem, post culturam & stercoris injectionem (hoc est, post

eam correctionem, quæ vobis pudorem deberet injicere) adhuc estis infructuosi; certè securis vobis timenda est, & ignis. Ut quid enim terram sanctorum occupatis, steriles *quasi myrica in deserto?* Illud ergo de unoquoque vestrum dici potest, *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini: Scribe virum istum sterilem, qui in diebus suis non proſperabitur.* Quod si in diebus vitæ vestræ sterilitas fuerit, & à bonis operibus vacuitas; in die mortis nonnisi asperitas erit in excisione & condemnatione ad laborem in gehenna continuum. Tunc enim de vobis verum erit; *Laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem.*

Jerem. 22.

Psalm. 48

PARS III. *De auferendo fructu suo adhortatio.*

POstremo addit Dominus: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Hic designari videntur arbores, quæ nonnisi flores aut folia ferent, sive homines speciosa verba in ore habentes, fructum verò nullum, nulla opera. *Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* Non sola attendit Deus verba; amat opera. Hominibus hujus sæculi potest quis complacere adulando, & ut loqui solent, aquam benedictam aulæ exhibendo; non sic res se habet apud Deum. Non ergo sufficit devotio quædam superficialis, quam aliqui exhibere videntur in oratione dicendo, *Domine, Domine*, interim nihil emendando peccata & affectus vitiosos: hæc enim folia sunt, & quidem folia ficus, quibus absconditur nuditas filiorum Adæ quasi quodam exteriori velamine. Vult Deus fructus veritatis, fructus bonæ conscientiæ, fructus veræ pietatis, per quam adimpletur voluntas sua. Unde de justo, cum dicitur lignum fructiferum plantarum secus decursus aquarum, ibidem ratio adjicitur, quia *in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* De illo etiam ibi testimonium perhibetur, quod *folium ejus non defluet*, quia nec ejus proposita, nec verba sunt inania, nec oratio in terram cadit, aut vacua defluit.

1. Cor. 4.

Psalm. 1.

Virgines illæ fatuæ inclamabant, *Domine, Domine, aperi nobis.* Numquid propterea sunt admissæ in aulam nuptialem sponsi? Non sunt admissæ. Quidita? Quia nonnisi folia protulerunt, nonnisi verba, fructu caruerunt & oleo, ut advertit B. Paschasius dicens. *Non enim dicitur quod oleum haberent, & si haberent, non ita dici posset: Nescio vos.* Sic ergo multis à Domino dicitur, Nescio vos, licet dicant, Domine. Quasi dicat Dominus. Nescio vos ut filios, qui nescivistis ut Patrem per affectum filialem. Nescio vos ut servos, quia licet dicatis, Domine, Domine, non agnovistis me ut Dominum per obedientiam perfectam. Nescio vos ut sponsas aut Sodales Sponsæ, quia non agnovistis, ut Sponsum per vigilantiam & amorem. Nescio vos ut oves, quia nescivistis me ut Pastorem per vocis meæ obauditionem: sed hædi & hirci fœtidi effecti estis per peccatum & rebellionem: Denique, Nescio vos ut arbores electas aut manu meâ plantatas, sed spurias estis vitulamina, & adulterinæ plantationis, quia non tulistis fructum à me, & à Patre meo exspectatum. Non est ergo quod solis foliis verborum mihi putetis satisfactum, dicendo, Domine, Domine, ut intretis in regnum cælorum. Sic falluntur non pauci, qui in fine vitæ post traductam vitam in flagitiis, sibi facilem aditum putant ad regnum cælorum. Quidam facinorosus, cum ei stimulus ad meliorem vitam ineundam per admonitionem piam subjiceretur, solebat dicere se tribus verbis Deum in fine vitæ sibi redditurum placatum. Contigit autem quodam die arctum pontem in equo illum transire, & impingentem equum in fluvium ruere cum suo equite. Quid ipse? An fortè tribus verbis Deum sibi conciliare potuit? Immò verò nec trium quidem verborum suorum meminit; nec si meminisset, verborum foliis Deo satisfacere potuisset. Sed in pœnam suæ præsumptionis, hæc tria prompsit verba; *Rapiat omnia dæmon.* Sic arbor infructifera cum acerbo suo fructu, excisa fuit, & igni æterno adjudicata, in exemplum futuris sæculis profutura. Ita habetur in vita B. Thomæ Mori Martyris Anglicani.

Matth. 25

Exempl.

Non tamen negamus quin aliqui dicendo: *Domine, Domine*, salutem inveniant, & regni ingressum, etiam in fine vitæ flagitiosæ. Ideò dicit Dominus: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Ergo fortasan aliquis intrabit dicendo, *Domine, Domine*, Equidem is intrabit, qui cum his verbis, quasi cum foliis, fructum protulerit perfectæ conversionis. De his & similibus dicit Apostolus, *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* Sic introivit ille qui in fine dixit Domine, *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Sed id non dixit perfecta contritione, fine perfecta fide, spe, & charitate. Igitur non solum dixit, *Domine, Domine*, sed etiam fecit voluntatem Patris & Domini. Non solum fuit arbor fronde & foliis virens, sed etiam subitò maturum fructum produxit perfectæ conversionis, perfecti amoris, vitali arbori Crucis & Crucifixi inserta. Cæterum, quomodo oporteat Dei adimplere voluntatem, ut ingrediamur regnum cælorum, latè à nobis tractatum est in Horto Pastorum super petitione tertia Orationis Dominicæ, *Fiat voluntas tua.* Vide ibi.

1. Cor. 12.

Luc. 23.

Concludo, & homines cujuslibet status, gradus, conditionis adhortari libet (quandoquidem Dei manu plantati, rore cælesti & sanguine Christi irrigati, ac Spiritus Sancti calore vivificati sunt per baptismum, & divina sacramenta) ut fructum producant vocationi suæ & gratiæ acceptæ correspondentem, sintque arbores fœcundæ & utiles in horto Domini, si non volunt exscindi. Et quoniam juxta genus suum ferre debent fructum varium, ideo variis debent assimilari arboribus frugiferis.

Adhortatio ut omnes fructus facient.

Vos,

1. Clerus instar amygdali. Jean. 15.

Vos, ô Sacerdotes & Ministri Domini, de quibus specialiter dicit, *Ego vos elegi ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat*; Vos, inquam, si non velitis infeliciter exscindi, estote floridi & frugiferi instar Amygdali; sic enim correspondebitis vestræ vocationi. Amygdalus prima evigilat inter arbores, primaque floret, sic & vos præflorere oportet aliis arboribus in horto Dei plantatis, hoc est omnibus Christianis eosque ad florem perfectionis exemplo vestro decet excitare. Amygdalus primo florens multa debet frigora, grandines, pluvias, ventos patienter sustinere: sic & vita vestra, ut sit florida & frugifera, debet esse cum patientia conjuncta; quia non est libera à flatu malignantium & infestatione improborum. Fructus amygdalinus exterius in cortice amaritudinem habet & duritiem: sic & vita vestra debet continere austeritatem & mortificationem. Propter hæc omnia Virga Aaroni data in symbolum sacerdotii amygdalina fuit.

2. Optimates instar thebinti. Eccli. 24.

Vos, ô Nobiles & Domini terræ, quasi Therebintus expandite ramos, & producite *fructus honestatis, fructus gratiæ & honoris*. Sub vestra umbra protegite plebem cui Deus vos præfecit. Nidulentur in ramis vestris volucres cæli, hoc est, pauperculi & egeni; pascantur & illi à fructibus vestris, ut cantillent & laudent Dominum orantes pro vobis. Producite non solum folia & frondes exterioris cujusdam ornatus; sed etiam fructus ferte eminentes boni exempli, bonique operis, juxta eminentiam status vestri: fructus dare nobilitati vestræ correspondentes. Nolite producere fructum superbiæ, Deo ingratum, & coram illo ac hominibus fœtentem, nec fructum acerbum crudelitatis, nec fructum amarum oppressionis. Sic securi eritis a securi infeliciter sublimes arbores exscindente, illasque in ignem dejiciente.

3. Divites instar olivæ. Psalm. 51.

Vos, ô divites plebis, producite fructum olivæ, oleum devotionis erga Dominum, oleum abundantis misericordiæ erga proximum ope vestrâ indigentem. Estote fœcundi in operibus pietatis & charitatis, ut possitis dicere cum Prophera: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, & in sæculum sæculi.* Lignum olivæ nec tempestas, nec caries, nec vetustas labefactat, & ideo æternitatis est symbolum. Sic & vos solidi estote in virtute, ut post fructum gratiæ quem hic tuleritis, proferre valeatis fructum gloriæ in æternitate.

4. Afflicti instar palmæ. 2. Cor. 4.

Vos verò, ô pauperes & afflicti estote fortes instar palmæ, quæ quo magis ab onere opprimitur, eo magis sursum cælum versus erigitur. Sic & vos contra omnia adversa in cælum eniti & eluctari oportet, ut possitis dicere: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, aperiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus.* In mediis ergo afflictionibus & oppressionibus, spei & patientiæ dactylos producite instar palmæ, ut possitis dicere cum patiente, *Dixi, in nidulo meo moriar, quasi palma multiplicabo dies meos.* Job. 29.

Pressa sub ingenti cessu pondere palma virescit;
Sub cruce sic florent dedita corda Deo:

Vos quoque ô filii familias sub parentum tutela agentes, estote sic *novella olivarum in circuitu eorum.* Estote plantæ ductiles, frondosæ, floridæ, frugiferæ, per humilitatem & obedientiam, per mansuetudinem & castitatem: ne fi rebelles sitis, asperæ, & curvæ plantæ, exscindat vos Deus, & abjiciat à se. Vos quoque adolescentulæ esse debetis *sicut novellæ plantationes in juventute sua.* A vobis maximè requiritur fructus castimoniæ & puritatis, fructus modestiæ & humilitatis, ut fructum securius proferre valeatis: manete inter domesticos parietes, quasi sepibus spinis natali solo conclusæ & circumsitæ, ne quis vos attingat. Sic eritis lilia inter spinas candida & immaculata. Vos verò, ô Patres, Matresque familias, dum teneri sunt surculi adolescentum vel adolescentularum vestrarum, advigilate ut cum fructu adolescant, tandemque perfectæ & maturæ arbores efficiantur ætate progrediente; ut suaves fructus possitis ab eis in senecta vestra cum solatio decerpere, delectati piis eorum conversatione. Psal. 127. Psal. 143.

Vos denique Christiani omnes, cujuscumque sortis vel conditionis, attendite vocem minacem Domini: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Vos estis palmites vineæ ejus, quam circumcluxit maceria, quam irrigavit pluvia, quam exornavit turris eminentia, quam excoluit manu propriâ. Nolite ergo ferre labruscas, cùm à vobis exspectet uvas; nolite producere peccati uvas acerbas, cum exspectet suaves pietatis botros. Vos estis inserti Christo tamquam viti vitali, ut succum & humorem gratiæ ex ejus meritis participetis, & fructum optimum & opimum proferatis. Nolite ergò umquam ab eo separari per peccatum, ne separari contingat in æternum. *Unum enim palmiti congruit, aut vitis, aut ignis, ut ergo non sit in igne, in vite sit.* Tandem contingat vos in Dei hortum cælestem ex hoc solo transplantari, ut florem fructumque æternæ gloriæ omni cum securitate proferatis. Hoc efficiet is qui vos plantavit, qui vos elegit ut fructum efferatis, & fructus vester maneat, qui vos benedixit, & in sæcula sæculorum vos benedicere disponit, à vobis per æternam laudem benedicendus. Matth. 7. S. Augustin. in Ioan. Ioan. 15.

***

LECT. 12 ripar-it.

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam habebat villicum, &c.
Luc. 16.

PARS I. *Quomodo omnes homo villicus.*

ABsque dubio homo ille dives, de quo hoc in Evangelio, Deum designat, qui omnium rerum Dominus est, *dives in omnes qui invocant illum*, de quo dicit *Domini est terra & plenitudo ejus. Et Gloria & divitiæ in domo ejus.* Atque ita dives est, ut nullus præter ipsum absolutè dives dici possit, cum nullus sit qui sibi sufficiens & nullius egens sit, ideoque ejus vultum deprecantur omnes divites plebis. Hinc etiam unum ex decem propriis Dei nominibus est *Saddai*, ut notat S. Hieronymus epist. 13. 6. ad Marcellam. *Saddai* autem idem est quod *Sufficiens, & abundans*, omnemque sufficientiam & abundantiam tribuens. Hoc nomen legitur Exodi 6. ubi dicitur: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob, in Deo omnipotente.* Hebræa habent in Deo, *Saddai*, sive in Deo divite & liberali. Quasi dicat: Ego Deus cum Patribus vestris Abraham, Isaac & Jacob egi, & conversatus sum tamquam Deus Saddai; ego porrexi me & munificum me eis exhibui, & ostendi mihi abunde esse divitiarum ut illos ditarem: abstuli enim, Cerarritis, Sodomitis, Esau, & aliis, easque dedi Abrahæ, Isaac & Jacob. Ipse igitur, Herus unus omnium est præpotens & prædives qui dicit, *Mea est universa terra.* Abraham autem, Isaac, Jacob, & alii qui divites fuere dicti in possessione terræ & animalium, in possessione auri & argenti, nonnisi sunt ejus villici; & quidem sicut inquilini & peregrini, sicut advenæ & coloni. Unde ipsis, sive eorum posteris & hæredibus Israëlitis dicit Dominus. *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos advenæ & coloni mei estis.* Hoc etiam de omnibus nobis verum est. Villici enim sumus, Deique Coloni. Advenæ & Peregrini, res terrenas possidentes, vel potius illis utentes, donec nobis assignatum vitæ tempus à sero exantlaverimus, quasi tempus villicationis nostræ.

Ps. 23. Rom 10. Levit. 25.

Villicatio hæc divitiarum contemptū docet.

Hoc si considerarent homines, stimulus eis foret ad divitiarum contemptum, & ad fidelem illarum administrationem. Primò quidem consideratio hujus villicationis inducit ad divitiarum contemptum, quandoquidem adeo brevi tempore illis hic frui datur, & quidem quasi commodato & precario. Villa quam possides, hodie tua est, cras filii tui, vel alterius hæredis, cujus nec per somnium meministi. Sic domus, sic pecunia, sic præbenda, sic pinguis & honoratus status, quem tot adeptus es laboribus & sollicitudinibus. Nihil horum te sequetur, nihil efferes. Recte Sacerdos quidam vitæ honorabilis (ut refert Thomas à Kempis in hospitali pauperum cap. 1.) post mortem Comitis Hollandiæ illustris Domini sui sermonem habens ad populum, dicebat: *Dominus noster Comes Hollandiæ mortuus est charissimi, orate pro eo. Fuit hic parvo & brevissimo tempore, habens aliquos usus fructus & reditus annuales quos jam amisit, & secum sumere non potuit. Si modo haberet aliqua manentia hæreditaria bona, maximè ipsi convenirent.* Hoc ipsum est, quod Apostolus omnibus vult serio inculcatum, ne eos pœniteat sero. *Hoc itaque dico fratres, Tempus breve est. Reliquum est; ut qui emunt, sint tamquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi.* Quasi dicat. Tempus vitæ nostræ contractum est, & brevi finiendum; ergo non sint homines nimis solliciti, nimis inhærentes affectu rebus humanis & possessionibus suis, ne videantur potius possideri ab illis quam illas possidere. Immo qui solliciti sunt ad emendum & acquirendum, emant, tamquam non possidentes, hoc est sic se gerant in emptione, non ut futuri perpetui possessores, sed potius quasi usufructuarii & administratores pro brevi spacio vitæ. Qui utuntur hoc mundo, sint tanquam non utentes, sive ut græca habent, *tamquam non abutentes*; non sibi promittant usum firmum & tenacem, cui animus nimium adhæreat in eo confidens; sed utantur mundo qualis est, cum mundus fluxus sit & transiens, utantur transeunter & obiter quasi non utentes. Sic monet etiam S. Augustin. *Vtere nummo quemadmodum viator in hospitio utitur mensa, cathedra, urceo; dimissurus, non permansurus.* Cui conformiter dixit Seneca. *Quicquid circa te jacet rerum tamquam hospitalis loci sarcinas spectа, transeundum est.*

1. Cor 7. Dan. 4 Villica fidelem minist tionem fruitur. Tract. 40 in Ioan.

Ob hæc igitur merito dicit Dominus, *Terra mea est; vos advenæ & coloni mei estis*, significans se proprie rerum omnium esse Dominum & Possessorem; hominum vero dominium adeo breve esse & dependens, ut potius usus fructus dici debeat, quemadmodum id interpretatur Philo lib. de Cherubim, ubi dicit. *Hinc liquet nos alienis uti possessionibus: nec gloriam, nec divitias, nec honores, nec imperia: nec aliud quippiam vel corporis vel animi proprium, quasi jure & dominii nostri sint, possidemus, sed eorum usum fructum dum hic vivimus habemus solum.* Hanc etiam ob causam dicit S. Chrysostom. *Satius nisi testamenta legens dicentia: Ille quidem habeat agrorum vel domus dominium, usum vero alius. Omnes enim usum habemus, dominium autem nemo.* Atque eandem ob rationem in hoc nostro Evangelio comparamur villico, aut sciamus nos potius dispensatores alienæ rei nobis concreditæ, quam Dominos & possessores: ita ut eleganter dixerit hic S. Chrysologus. *In terra nos debemus sentire villicos, Dominos non putare; provocationis temporariæ ministerium suscepisse, non invenisse jus perpetuum possidendi.* Hoc utinam attendant divites, attendant Nobiles qui se terrarum Dominos dicunt, & vocant nomina suæ in terris suis, attendant quoque Principes & Re-

Levit. 25.

ges.

ges. Villici sunt, administratores sunt, œconomi & dispensatores sub Deo. Dicebat Nabuchodonosor: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* Cum autem sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit: *Tibi dicitur: Regnum tuum transiit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, & cui voluerit det illud.* Agnovit tandem Nabuchodonosor se administratorem esse regni sub Rege supremo, post septem scil. tempora; agnovit se villicum, & restitutus est in villicationem, cum ab illa prius amotus fuisset justâ voluntate ejus, qui eam ipsi concrediderat. Unde superbus antea dominator, postea ut humilis administrator & orator dicit: *Levavi oculos ad cœlum, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimum benedixi, & viventem in sempiternum, & laudavi, & glorificavi, quia potestas ejus potestas sempiterna, & regnum ejus in generationem, & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt, juxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ.* Dan. 4.

Villicatio fidelem ad administrationem postulat.

1. Consideratio hujus villicationis inducit ad fidelem administrationem, quandoquidem secundum voluntatem Domini illius qui concessit bona hic nobis concessa, administranda sunt, nec pro libito dissipanda. Contemnendæ ergo divitiæ, quia villicum mox deserent: fideliter tamen administrandæ, quia Dominum habent, qui ad calculum vocat villicum infidelem. Sicut affectus illis nimium inhærens & avara coacervatio, tenaxque asservatio culpæ est obnoxia: ita prodigia dissipatio non sine reatu est, multorumque malorum crebro est occasio. Sic dum nonnulli in luxum conviviorum sua dissipant bona, alii in luxum vestimentorum, alii in aleas & ludos, quidam in impudicitias, & mulierum illecebras: quid non inde postmodum malorum oritur? Ad illicitas vias confugiunt, ut sibi provideant. Si enim sunt justitiæ administri, illam vendunt & corrumpunt, auro, & muneribus corrupti. Si magnates sunt & Nobiles, plebem sibi subditam expactionibus indebitis onerant. Si milites sunt, & militiæ Præfecti, concussionibus vacant, ut marsupium vacuum repleant. Si mercatores sunt & negotiatores, in pondere, mensura, aliisque fraudibus decipere conantur. Si filii-familias sunt jam etiam ad aperta furta viam sibi sternunt. Sic prodiga dissipatio his omnibus est exitiosa.

Patet id ipsum luculenter in nostro villico qui accusatus est, quod dissipasset bona Domini sui, cumque videret jam ad reddendam rationem vocari, & villicationem à se auferri, cum fodere non valeret, mendicare autem erubesceret, sibi providendum existimavit etiam viâ illicitâ cum gravissimo Heri sui dispendio, defraudando quinquaginta cados olei, viginti coros tritici annui reditus, ut sibi amicos pararet callidâ iniquitate. Si considerasset se villicum & dispensatorem, non facile prodegisset bona Domini sui contra ejus voluntatem, & prævenisset cavisseque diffamationem; Sed suæ conditionis videtur oblitus, donec rumore & accusatione invalescente à Domino suo est vocatus. Sic & plerique cum Deo agunt; obliviscuntur Dei, obliviscuntur sui, donec invalescentiam peccatis & in cœlum vocem quandam, & accusationem emittentibus, exigit Dominus severè rationem ab ipsis trepidis, & imparatis, ô insipientiam hominum!

Peccator est infidelis villicus.

Porro peccator per infidelem villicum designatus (qui ideò apud Dominum suum diffamatus sive accusatus dicitur) à variis potest intelligi accusari. 1. Accusatur ab his qui eum ad dissipandum bona Domini sui impulerunt; hoc est à dæmonibus, qui postquam suggerunt peccatum, accusant peccatorem. Unde dicitur: *Accusator fratrum diabolus, qui accusat illos ante conspectum Dei die ac nocte.* Dicit ipse judici (inquit Augustin.) *Æquissime Iudex judica ipsum esse meum ob culpam, qui tuus esse noluit per gratiam.* Accusatur quoque ab Angelis bonis, quia eorum consilio noluit acquiescere, ut ritè dispensaret bona sibi à Domino concredita, quorum etiam bonorum cura & tutela eis erat commissa. 2. Accusat hominem, & infamat propria ipsa conscientia, sicut ait Apostolus. *Testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium in die cum judicabit Deus occulta hominum.* Uniuscujusque conscientia non secus est ac liber continens universa scelera, quem quisque ad judicium secum deferet. 3. Accusat ipsa facti evidentia. Non potest quicquam Deum latere, omnia nuda sunt & aperta oculis ejus, non eget voce accusatoris. Sed tamen quæ occulta sunt peccata adhuc solet Deus dissimulare, sed ubi in publicum prodeunt, tunc non vult sinere inulta. *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator. Et verum de quibusdam illud: Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. Væ animæ eorum, ideo reddita sunt eis mala.* Phinees conspicatus quemdam suæ gentis post profana sacra ad meretricem ingredi, non furtim ut mos est verecundis scortatoribus, sed propalam erecta cervice, quasi ostentantem multitudini suam turpitudinem, nec minus sibi placentem, quam in aliquo præclaro facinore, exasperatus irâ justâ invasit jacentem in complexu mulieris adamatæ, & utrumque peremit. Similiter non tardat divina vindicta in eos qui peccatum suum non abscondunt, quia & ipsa facti evidentia eos accusat, contra eos clamat, & vindictam attrahit: *Quorundam peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium,* inquit Apostolus *quædam etiam subsequuntur.* Peccata manifesta præcedentia ad judicium sunt peccata clara, & publica, condemnata voce hominum communi priusquam in judicium adducantur; peccata vero quæ peccatores subsequuntur in judicio quasi pedissequi, sunt peccata occulta quæ

Apoc. 12.

Rom. 2.

Psal. 9.

Isai 3.

Num. 25.

1. Tim. 5.

non patent in publico, sed in mente vel tenebris latent; postea tamen prodest se larvata vel occulta impietas, & pœna sequitur impios vindex, quia ut ait Poëta:

Ravò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Peccata illa manifesta specialem dicuntur edere vocem ad accusandum peccatorem, etiam nemine loquente. Unde quod hic dicit Dominus villico iniquitatis: *Quid hoc audio de te*, ad peccati evidentiam referri potest, quæ ipsum apud
Sap. 1. Deum infamabat, *Auris zeli audit omnia*, inquit Sapiens de Deo. Audit zelosa ejus auris vocem peccati ad vindicandum; sed specialiter audit vocem quorundam gravium scelerum, quæ mirum in modum infamant peccatorem, & illum manifestant præcedentia ad judicium & vindictam à Deo postulantia. Sic poterat dicere de
Gen. 4. Cain. Quid hoc audio de te, ô Cain! Vox sanguinis à te profusi clamat ad me de terra, & diffamat te. Unde sanctus Chrysologus: *Ergo Deus fama credidit? famâ nuntiante cognovit? Absit. Sed quia illa quæ noverat, quæ pietate velabat, quærere tunc cœpit, quando accusabat terra. Clamabat terra, clamabat cœlum, dolebant Angeli, quando jam tota sæculi fama loquebatur.* Sic etiam poterat dicere de incolis Sodomæ & Gomorrhæ. Quid hoc audio
Gen. 18. de te, ô Sodoma, ô Gomorrha? Nam *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicans est, & peccatum eorum aggravatum est nimis.* Quasi dicat: Clamant ad me eorum flagitia, & eos diffamant. *Deus excitatur flagitiorum nostrorum clamoribus, ut aliquando vindicet quod libenter ignojcit*, ait sanctus Ambrosius. Similiter quoque poterat dicere de Pharaone:
Exod. 3. Quid hoc audio de te, ô Pharao? Oppressio quâ filios Israël premis, & perimis, clamat ad me, & te diffamat, ideo descendi ut eruam eos, & te disperdam. Denique de quolibet divite mercedem operariorum defraudante dicere potest: Quid hoc audio de te? Ecce merces operariorum, qui
Jacobi 5. messuerunt Regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat ad me, &c. Possumus dicere, quod etiam creaturæ insensibiles quandoque accusent & diffament peccatorem. Unde dicitur;
Iob 20. *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, & terra consurget*
Iob 31. *adversus eum.* Et iterum de se idem. *Si adversum me terra mea clamat & cum ea sulci ejus deflent*, quasi scilicet injustè possessa, aut aliquo scelere violata. Si ita est Deus vindicet, & me disperdat. Sic
Dan. 13. arbores insensibiles quadam ratione accusant se-
Dan. 5. nes Susannæ, dum per illas convincuntur. Sic paries accusat Regem Balthasarem, dum manus divina inscribit decretum contra eum parieti. Sic quoque paries accusat Saulem, dum in illa lanceam figit putans transfigere Davidem. Stat pa-
1. Reg. 18. ries accusator Saulis æternus, teste sancto Basilio Seleuco orat. 15. ubi ait: *Ictum paries excepit, omnibusque facinus indicat: ita David periculo exemptus est, & lapis funestæ manus monumentum telis sustinuit impressionem, atque audacis facti accusator in natura sensus experta cædis tulit symbola.* Sic
Luc. 11. sanguis Zachariæ inter altare & ædem trucidati perennes cruoris sui maculas silicibus assignat, ut sit perpetuus accusator, ut dicit Tertullianus contra Gnosticos. Huc etiam referri potest illud *Lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter junctura est, respondebit.* Hoc est, lapides & ligna,
Abacuc. 2. etiam abdita in juncturis, quæ vel rapuisti, vel pecunia rapta coëmisti ut muros tuos erigeres, injustitiæ accusabunt te, & testimonium dabunt contra te.

Sic ergo & hunc villicum accusabat & diffamabat apud Dominum injustitia manifesta. Hæc autem licet nullâ tergiversatione posset celari, tamen inauditum Dominus non vult condemnare, sed vocat eum, & dicit ei: *Quid hoc audio de te?* Quæ tuæ fidei commissi audio te infideliter dissipasse; accusationes sunt penes me; ac nec te voluit condemnare, sed vocare, ut si habeas quippiam quo possis te justificare, in medium producas me audiente. Sic igitur non mox sæviens furem vocat hunc villicum suum, aut quasi in prædonem vociferatur iracundè: sed Judicem agit cum tranquillitate, secundum quod scriptum est. *Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate judicas.* Quia ut ait sanctus Gregorius lib. 8.
Sap. 12. epist. 51. ad Leontium. *Ira in vindicta malorum sequi debet rationem animi, non præire: ut quasi ancilla justitiæ post tergum judicis veniat, & non ut Domina lasciva ante faciem prorumpat.* In hoc quoque quod villicum vocat & examinat Dominus instruit Judices, ut in sententia ferenda non sint præcipites. Quod ipsum jam ab initio sæculi docuit, ante interrogationem pœnam non irrogans aut ultionem. Sic vocat Adam & interrogat,
Gen. 3. antequam condemnet & puniat. Similiter inter-
Gen. 4. rogat Cain & convincit, antequam sententiam
Gen. 11. vindicem in eum ferat. Ædificatores quoque Babel non mox confundit, sed prius descendit ut videret turrim & civitatem. Denique ante-
Gen. 18. quam ultricem ignem in Sodomam emittat, dicit. *Descendam, & videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint.* Non erat ambiguus Dominus de horum omnium scelere, sed voluit examinare is qui non egit probatione, ut alios compesceret à judicii præcipitatione: quia propter incertitudinem rebus in humanis frequentem maturo uti debent examine. Proptereà etiam veteres depingebant nobis Justitiam quasi currui triumphali insidentem: at hunc currum non equi præcipites, non cervi celeres, non leones feroces trahebant, sed duæ mulieres annosæ & imbelles lento gradu incedentes; unaque earum baculo ad progrediendum innitebatur;

Justitia, quomodo olim picta.

tur, altera innitebatur gladio retuso. His certe omnibus lentum justitiæ progressum designabant, quando agitur de cujuspiam condemnatione, maximè si vita in discrimen vocatur. Hoc ipsum notat sanctus Chrysostomus in nautis circa Jonam : *Non illico eum præcipitare festinant, sed audi interrogantes. Unde tibi profectio? quo festinas? De qua plebe es productus? Accusant eum maxia sinctibus inquieta, sors attestatur, reus omnibus declaratur; & hi dissimulatâ inquietudine procellarum servant judiciariam disciplinam.* Ita Chrysost.

Hom in Jonam.

PARS II. De reddenda ratione Villicationis.

POstquam villicum interrogasset & increpasset herus suus dicendo : *Quid hoc audio de te?* Sicine verum est, post tot favores a me tibi præstitos, & post tantam fiduciam quam in te collocavi, te non dispensatorem sed dissipatorem reperi? Adjicit duo verba plena rigore, plena & tremore. Primum est; *Redde rationem villicationis tuæ.* Secundum est; *Iam non poteris amplius villicare.* O verbum tremendæ discussionis, *Redde rationem villicationis!* O verbum asperæ divulsionis, *Iam non poteris amplius villicare!* Examinemus id particularius.

Imprimis non parum tangere & angere nos debet ratio stricta quæ à nobis tanquam villicis de omnibus Deo est reddenda, tam de bonis corporis quam animæ, tam de beneficiis acceptis ab illo quam de malis commissis. Ad hunc salubrem timorem excitandum & incuriam multorum increpandam hæc parabola à Domino est proposita. Unde etiam electi non sine timore vitam hanc exegerunt, ob rigorem rationis reddendæ. Dignum existimo consideratione, quod sanctus Job rationem exactam reddit vellicationis suæ, & tamen adhuc sibi timet. *Vere*, inquit, *scio quod ita sit, quod non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere unum pro mille. Si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.* Vide interim in particulari quam exacte conetur rationem reddere de corpore, de anima, de bonis temporalibus.

Job 9.

Exemplii reddendæ rationis Iob. Iob. 31.

1. Reddit rationem de oculis & cogitationibus, quomodo ab impuritate eas refrænarit : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.*

2. Reddit de pedibus & viis suis rationem, dum addit : *Si ambulavi in vanitate & festinavit in dolo pes meus; appendat me Deus in statera, & sciat simplicitatem meam.*

3. Reddit rationem de corde : *si secutum est oculos meos cor meum*, sive ut 70. legunt, *si oculo obsecutum est cor meum* : hoc est, si interius optavi quæ oculis meis exterioribus vidi Item : *Si deceptum est cor meum super muliere, & scortum alterius fuit uxor mea.*

ibid.

4. Reddit rationem de manibus : *Si manibus meis adhæsit macula, serviam, & alius comedat, & eradicetur progenies mea.* q. d. Nec concupivi bona aliena quæ oculis vidi, nec manus meas rapiendo illa maculavi; unde nec corde, nec manibus nocens alteri fui. Et iterum infra reddens rationem manum adjicit : *Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem, Humerus meus à junctura sua cadat, & brachium meum ossibus suis confringatur.* Optat ut plectatur in membro per quod peccavit, si vel ad percutiendum, vel ad miuandum, manum vel brachium, levavit, maxime in portis urbium ubi judicia ipse exercebat, & se aliis potentiorem ostentare poterat.

Iob. 31.

5. Reddit rationem de servis & ancillis suis, quod eos in nulla re offenderit, vel oppresserit : *Si contempsi judicium subire cum servo meo, vel ancilla, cum disceptarent adversum me.* Adeo se æquum fuisse dicit mancipiis suis, ut si illi haberent quod conquerentur de ipso, paratus fuerit judicio sese aliorum submittere, vel etiam ipsemet Judicem justum, & non adversarium agere sese condemnando.

ibidem.

6. Reddit rationem de egenis, & quomodo se se erga illos gesserit tamquam fidelis dispensator & villicus bonorum Domini : *Si negavi quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam solus, & pupillus non concedit ex ea.* Si despexi pereuntem, eò quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerint mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus est. Supplendum in omnibus jam dictis; Non habeat Deus partem mecum, nec ego cum ipso; non habet hæreditatem in me Omnipotens de excelsis, nec ejus ego umquam hæreditatem æternam valeam adire. Ecce de frumento suo & pane reddit rationem; de ovibus & velleribus earum; quàm pie hæc impenderit in egenos, viduas, pupillos, tam in cibum, quam indumentum.

ibidem.

ibidem.

7. Reddit rationem de auro, pecuniis, & aliis rebus pretiosis, & de divitiis omnibus quod numquam vanè lætatus sit super illis, nec elatus; quodque in his fiduciam numquam fixerit : *Si putavit aurum robur meum, & obrizo dixi fiducia mea. Si lætatus sum super multis divitiis meis.* Ergo numquam peccavit ob nimiam concupiscentiam auri, sive obrizi, quod est aurum purissimum & pretiosissimum; nec propter alias opes superbivit, verè fidelis villicus & bonus dispensator secundum voluntatem primarii Domini sui.

ibidem.

8. Reddit rationem de honoribus : *Si vidi Solem cùm fulgeret & Lunam incedentem clarè. Et lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo.* Licet enim hoc litteraliter intelligatur, quasi rationem reddat Job fidei suæ, quod numquam seductus fuerit, ut Solem vel Lunam tamquam Deos adoraret, & in signum adorationis

rationis illorum manum ad os admoveret, sicut solebant olim adorantes protensa manu idola tangere, deinde manum ad os reducere osculando eam: Tamen etiam rectè intelligitur significare, quod licet fulserit ei omnis gloria & honor tamquam Soli, & prosperitas ei illuxerit quasi luna plena, tamen se in hac re vanè non fuisse corde exaltatum & lætatum, nec osculo manus suæ sibi aut aliis propterea fuisse minimum ablanditum.

Ibid. 9. Reddit rationem interioris suæ conscientiæ erga proximum, & exterioris linguæ refrænatæ à maledictione etiam erga inimicum; *Sigavisus sum ad ruinam ejus qui oderat me, & exultavi quod invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus.* Sic reddit charitatis, ac postmodum reddit rationem humilitatis, per quam confitebatur peccata sua, maximè coram Deo suo, & quandoque ubi opus erat, coram proximo suo: *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celavi in sinu iniquitatem meam.* q d. Nolui videri quod non eram: ideo quando peccavi, non studui quærere excusationes, sicut homines solent, aut sicut Adam fecit, nec mendacio celare conatus sum culpam meam.

Ibid. Denique, tanta fiducia conscientiæ suæ hæc omnia enuntiat Job, ut pro epiphonemate audeat dicere: *Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens, & librum scribat ipse qui judicat: Ut in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pronunciabo illum, & quasi Principi offeram illum.* q d Utinam sit Deus adjutor causæ meæ, immo scribat ipse librum processus mei, non vereor confundi, quin potius illo gloriabor per singulos passus; & offeram ipsi tamquam Principi, ut absolvat potiùs, quam condemner.

Audi hæc Christiane, & attentè considera, scitoque tibi de his omnibus reddendam rationem: immo etiam de pluribus, quia post Christianismi gratiam tibi multò plura dona concessa sunt, quàm fuerint olim ævo quo vixit Job. Reddenda ergo ratio de corpore, & omnibus ejus membris, an servierint illa peccato, an verò justitiæ in sanctificationem; quia exigetur stricta ratio etiam usque ad *iniquitatem calcanei, quæ circumdabit te.* *Psal. 48.* Reddenda ratio de anima, & omnibus ejus potentiis, intellectu, voluntate, memoria. Reddenda ratio de toto tempore villicationis, de pueritia, adolescentia, juventute, virilitate, senecta, & decrepita ætate; non solum confuse & generatim, sed etiam distinctè & speciatim, de annis, mensibus, hebdomadis, diebus, horis, momentis. Quapropter dixit Job veritus ætatem lubricam, peneque adhuc cæcucientem: *Scribis contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, & observasti omnes semitas meas; & vestigia pedum meorum consideraſti.* *Iob. 13.* Reddenda ratio de donis naturæ, & donis omnibus gratiæ, de sanitate & robore, de scientia & ingenio, de sensibus corporeis, de animi talentis, an impensa sint hæc omnia secundum voluntatem ejus quia ea nobis impertivit. Reddenda ratio Baptismi fideique nostræ, item sacramentorum toties perceptorum, tot confessionum, tot communionum, tot concionum & exhortationum? tot monitionum & inspirationum quibus Deus pulsavit ad cor nostrum, tot denique adjumentorum in via salutis neglectorum. Quid ultra? Reddenda ratio crucis & sanguinis Christi, pro nobis fusi, mortis & passionis pro nobis tolleratæ, Conqueritur enim ipse: *In vacuum laboravi, sine causa & vanè fortitudinem meam consumpsi: ergo judicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo.* *Isai. 49.* Quasi dicat: Fruſtra omnes vires meas in salutem hominum consumpsi: sed tu, ô Pater, nosti quod nihil intentatum reliquerim, judica inter me & ipsos, cujus culpa sit quod adeo pauci salventur. Reddenda quoque ratio de donis fortunæ, de divitiis & opibus, de honoribus & prosperitate, quomodo in illis quis se gesserit, quomodo ad Dei gloriam ipse usus fuerit. Denique, reddenda ratio non solum de peccatis propriis, sed etiam de alienis, eorum scilicet qui nostræ sunt curæ commissi, sive sint filii familias, sive domestici & famuli, sive aliâ quapiam ratione subditi. Si enim negligentiâ nostrâ aut nimiâ indulgentiâ, vel etiam malo exemplo eis occasionem peccandi exhibuerimus, id in caput nostrum revertitur; illiusque ratio à nobis exigetur, quia spectat ad rationem villicationis nostræ. Hoc est quod adeo sollicitè deprecatur David: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.* *Psal. 18.*

Itaque, si is qui Domino suo de rebus temporalibus fidei suæ concreditis propediem redditurus est rationem, vigente imperio sui Domini, multoties cumputat, reputat, disputatque secum, inspectans libellos suos, ne infidelis dispensator inveniatur, & ergastulo aut compedibus tradatur, novissimum quadrantem redditurus. Sic etiam serio nobiscum recogitandum est frequentius, quam rationem villicationis & dispensationis Domino & Judici severo reddere valeamus. Dicendum cum Job: *Quid faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus, & cum quæsierit, quid respondebo illi?* *Iob. 31.* Pauci sunt qui dicere possint, quod tandem concludens adjicit ipse ex plenissima integræ conscientiæ fiducia: *Quis mihi tribuat ut desiderium meum audiat Omnipotens, & librum scribat ipse qui judicat, & circumdem illum quasi coronam mihi?* *Ibid.* Felix qui id in fine vitæ dicere potuerit, sive in termino villicationis suæ.

SEd plerisque durum est verbum; *Iam non poteris amplius villicare; Redde rationem villicationis tuæ.* PARS III. *Quid sit non amplius villicare.* Quid est autem, jam non poteris amplius villicare? Certe usque ad vesperam vitæ *plus posse villicare,* nostræ perdurat villicatio: in morte autem omnis villica-

villicatio à nobis auferatur, ita ut exinde bene quis nec male valeat operari. Instante autem illa hora, non sine angustiis audit anima, *Iam non poteris amplius villicare.* Tunc ultra pœnitentiæ spatium non prorogatur; sed reddenda est ratio villicationis exercitæ, sic Domino jubente, & urgente: ipse constituit terminos qui præteriri non poterunt, ipse moram omnem excludit, & dilationem, dum expetit a nobis rationem: *Qui sedulò sinenda villicationis ac rationis reddenda tempus præviderint, facile terrenorum omnium delectatione, & dilectione, nudati, plus sibi de amicis conquirendis in futuro, quàm de divitiis in præsenti colligendis prospicere curabunt*; inquit Venerab. Beda. Brevis ergo est villicatio nostra, & incertum est tempus ejus, cùm minus cogitaverimus forte finienda est. Fideliter ergo, & ignaviter adimplenda est, ne præveniamur desides & incogitantes, ne deprehendamur incurii & infidii. O si possent adhuc villicare hi qui ad cruciatus infernalis ergastuli amandati sunt à villicatione amoti! Quos non labores vellent suscipere? quam non diligentiam impendere? quam non curam, & circumspectionem adhibere pro fideli administratione? *Quis mihi tribuat ut sim secundum menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me. Quando lucebat lucerna ejus super caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris. Quando lavabam pedes meos butiro, & petra fundebat mihi rivos olei.* His verbis maximè possent ut in inferno infideles donorum Dei administratores, qui revocare peroptarent tempus gratiæ, & lucis divinæ, tempus pœnitentiæ & misericordiæ, tempus unctionis sive olei sacrosancti in Sacramentis Ecclesiæ contenti, quod de Christo tamquam petra mystica fluit in unctionem animarum, in unctionem pedum, sive affectuum nostrorum. Illud enim inaniter eis præterfluxit; ideo æternùm gemunt, & villicationem suam deplorant præterlapsam.

Tempus villicationis breve.

Iob. 29.

Felix qui dum adhuc tempus est, cogitat de villicatione sua. Felix qui consilium salutis intra se sollicite inquirens, dicit: *Quid faciam quando Dominus auferet à me villicationem? quomodo illius reddam rationem?* Felix qui de fine cogitat & de morte, ut felicius incipiat vivere, & merita accumulare, utendo donis gratiæ sibi à supremo Domino cõmissis, ut de illis possit rationem reddere Felix qui providè considerat; quod post hanc vitam non valebit ultra fodere, & quod mendicare erit inutile & confusibile, sicut villicus hic agnoscit: *Fodere non valeo, mendicare erubesco.* Inopes duobus modis suæ solent consulere necessitati, operando aut mendicando. Ad tempus operandi ultra non dabitur tunc.

Eccl. 9.

Nam dicitur: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare*, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia est apud inferos, quò tu properas. Ideo Angelus habens pedem unum super mare, alterum super terram; *Levavit manum suam ad cœlum, & juravit per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius.* Tempus scilicet quod quis suæ possit saluti impendere, ultra non datur à morte uniuscujusque; nec ultra erit tempus divinæ misericordiæ, nec ultra tempus parandæ alimoniæ. Sed erit tempus inediæ perpetuæ pro his qui non paraverunt præcedenti tempore; *Transiit messis, finita est æstas*, in qua oportuit sibi victum parare. Frustra ergo *gemunt intra se*, & frustra *pœnitentiam agunt insensati.* Nec gemitus prosunt; nec lachrymæ. Neque etiam mendicare tunc quicquam proderit, quia mendicantibus nihil erogabitur. Tunc preces Sanctorum, aut patrocinium Angelorum emendicare non proderit, immo nec merita ipsius Christi. Qui non habuerit meritum proprium, non participabit alienum. Propterea mendicare erit confusibile.

Apoc. 10.

Hier. 8.

Sap. 5.

Sic Virgines illæ fatuæ emendicant oleum ingruente jam tempore nuptiarum: *Date nobis de oleo vestro*, inquiunt ipsæ Virginibus prudentibus; sed remittuntur cum confusione ad dementes & vendentes; *Ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Sic majori adhuc affectæ sunt pudore & derisione, dum reverti coguntur oleo vacuæ, & nihilominus optant intrare.

Matt. 25.

Sic & dives Epulo frustra emendicat guttam aquæ; quia illam licet tota ex poscat æternitate, non poterit impetrare. Juravit enim Angelus per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius, nec operandi, nec emendicandi nec merita propria colligendi, nec alienis communicandi. *Pro hac orabit omnis sanctus in tempore oportuno*, ait Psalmista. Pro hac scilicet gutta aquæ gutta misericordiæ, gutta gratiæ divinæ; pro hac peccatorum remissione, omnis homo debet orare, sed tempore (inquit ipse) oportuno. Nunc oportunum est tempus orandi & impetrandi, quando nec calix aquæ frigidæ sua caret mercede, quando micæ cadentes è mensa possunt mercari regnum cœleste, quando lacryma profusa ex corde totius vitæ potest sordes eluere. At hac oportunitate transacta, licet quis se totum in lacrymarum fontem verteret, licet tot lacrymas fundat damnatus, quot Oceanus undas, non potest vel unius peccati venialis maculam eluere. Licet exclamet, & emendicet cum gemitibus inenarrabilibus tota æternitatis duratione, non potest vel guttam aquæ, vel micam panis gratiæ impetrare. Infelix Epulo jam tot annorum millibus efflagitavit guttam à Lazaro, vel ab Abraham Patre suo, nec quicquam accepit. Quicumque ergo sapis, opportuno tempore tibi provide, salutique tuæ prospice: veniam peccatorum participationemque divinæ gratiæ in tempore oportuno deposce.

Luc. 16.

Psal. 31.

Sic & Chrisaurius infelix (de quo S Gregorius) cum vitæ suæ tempus vitiis penitus addixisset, exactus tandem rationem villicationis suæ urgente Domino & accusante eum diabolo, frustra in fine clamabat: *Inducias vel usque mane, Inducias vel usque mane.* Ablata enim ab eo villicatione, qua abusus fuerat non impleta Domini sui voluntate, ra-

puerunt eum dæmones tanquam tortores, ad flammas perennes; ubi frustra in æternum clamabit, *Inducias vel usque mane*: quia juravit Angelus per viventem in sæcula sæculorum, quod tempus non erit amplius. *Hæc qui pavet, cavet; qui negligit, incidit*, inquit S. Bernardus serm. de convers. ad Clericos. *Orate* ergo *ne fiat fuga vestra sabbato vel hyeme.* Matt. 25. quando non licet ambulare. Fugite dum licet effugere.

Concludamus exemplo quod refert Hector Boetius in historia Scotorum lib. 18. Ibi enarrat quendam Joannem Cameron, virum potentem, cum Principem ac regni gubernatores ad innocentium quorundam necem impulisset, varias que exactiones injustas, in nobiles ac plebejos suasisset, divisoque numini multimodis injurius fuisset, tandem horribilem finem sortitum fuisse. Nocte enim Nativitatis Domini, cùm in arce sua quiesceret, vox horrisona è cœlo intonuit: *Cameron, Cameron, veni ad Dei tribunal & redde rationem villicationis tuæ.* Ipse experrectus & extertitus hæret, & horret attamen existimans non fuisse veram vocem, evocat famulos suos lumenque deposcit. His cum lumine adventantibus animum recipit; moxque jubet eos recedere, & librum in manus sumit, ut noctis tædium fallat. At paulo post iterum, eadem vox inauditur; *Cameron, Cameron, veni ad tribunal Dei, & redde rationem villicationis tuæ.* Audiunt eam & domestici trementes, & præ metu silentes, malumque aliquod expectantes. Spatio rursus aliquo interjecto, vox eadem terribilior longe quam antea insonat, *Cameron, Cameron, veni ad tribunal Dei, & redde rationem villicationis tuæ.* Sic divina in eum ultione ruente, mox ipse exerta in immensum lingua animam sceleratam ad divinum tribunal emisit, reddituram exactam rationem infidelis dispensationis & villicationis suæ. O verè vox tremenda & terribilis peccatoribus omnibus: *Redde rationem villicationis tuæ, jam enim amplius non poteris villicare.*

Illumina, Domine, oculos mentis nostræ, luce gratiæ tuæ, ut nos semper agnoscamus villicos tuos, & dispensatores bonorum tuorum, tam spiritualium quam temporalium, de quibus ratio nobis est reddenda. Infunde salubrem timorem: ut nobis prospiciamus, & præcaveamus, ne diffamemur & accusemur apud te quod dissipatores simus, & non fidi dispensatores. Fac ut præ oculis semper habeamus finem vitæ & villicationis nostræ Repræsentabo autibus cordis nostri illam discussionis tuæ tremendam vocem, *Redde rationem villicationis, jam non poteris amplius villicare.* Cumque illam tandem in vespera & termino vitæ audire necessum erit, da ut cum fiducia reddere valeamus rationem temporis nobis concessi, rationem donorum corporis & animi, rationem baptismatis, & fidei, rationem vocationis nostræ & gratiæ illi correspondentis, rationem conscientiæ nostræ, & curæ proximo nobis commissæ impensæ: sicque possimus audire vocem illam tuam suavissimam: *Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Matt. 25.

EADEM DOMINICA.

LECT. II. tripartita.

Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, &c. Luc. 16.

SCopus hujus parabolæ à Domino prolatæ non solum fuit præmonitio rationis reddendæ, sed etiam exhortatio de eleemosynam erogandam in pauperes, qui nobis possunt opitulari, ut in æterna tabernacula recipiamur. Cùm ergo de ratione reddenda priori lectione disseruimus, de eleemosyna elargienda, ejusque efficaci auxilio, cum in vita, tum in morte, hic disseremus. Rem autem tribus quæstionibus inverbis Domini involutis absolvemus.

PARS I. *Cur divitiæ Mammon iniquitatis dicantur.*

Prima quæstio est: cur Dominus divitias vocat *Mammona iniquitatis*; dicens: *facite vobis amicos de Mammona iniquitatis*? Ac in primis sciendum (interprete S. Hieron. ep. 151. ad Algasiam) *Mammonæ* verbum esse Syriacum, idem significans quod divitiæ. Sic etiam S. August. l. 2. de serm. Dom. in monte c. 22. dicit *Mammon* lingua Punica lucrum significare. Addit Elias Hebræus, utramque significationem Chaldaicè involvere nomen Mammon, vel Mammona, ut idem sit quod lucrum & quæstus, substantia & divitiæ. Hinc etiam Deus divitiarum Mammon à Veteribus est nominatus: *Non potestis Deo servire & Mammonæ.* Quod autem hic dicitur, *Mammona iniquitatis*, idem est quod Mammona iniquum, sive divitiæ iniquæ; sicut *filius iniquitatis*, filius iniquus, *Villicus iniquitatis*, Villicus iniquus, *filius perditionis*, filius perditus, sive perditæ vitæ, *Vir fortitudinis*, vir fortis; hic enim est mos loquendi Hebræis. Sed cum divitiæ possint esse bonæ & justæ, sanctèque expendi valeant, cur divitiæ iniquitatis, quasi proprio quodam sibi nomine, à Domino vocitantur? Varias hujus nominis rationes afferunt SS. Patres Scripturæ sacræ fœcundi Interpretes, paucas hic attingamus.

Resp. 1. *Quia plerumque iniquè acquiruntur.*

Rationem primam reddit S. Hieronymus cum S. Chrysost. quia ut plurimum iniquè acquiruntur & congregantur, & ab iniquitate descendunt. Audi verba S. Hieron. ep. 150. ad Hebidibiam: *Pulchrè dixit Christus de iniquo Mammona? omnes enim divitiæ de iniquitate descendunt; & nisi alter perdiderit, altera non potest invenire. Unde & illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima: Dives aut iniquus, aut iniqui hæredes.* Sic dixit & Menander: Nunquam vir æquus, dives evasit cito. Audi & verba S. Chrysost. hom. 12. in ep. 1 ad Tim. ubi hanc rationem sic explicat: *Necesse est, inquit, divitiarum initium ac radicem ex aliqua iniquitate manasse. Unde id constat? Ex eo quod Deus ab initio non fecit alium quidem divitem, alium pauperem, sed eandem omnibus aperuit humum. Quo pacto igitur cum illa communis*

omnis sit, tu illius per multa jugera possides, proximus nec amius glebæ possessione latatur ? Pater (inquies) *mihi ista reliquit. Ille autem à quo ea suscepit ? A majoribus scilicet. Sed necesse est profectò per successionis lineam ascendendo invenire principium. Id autem injustitia vacare non potuit.* Hæc S. Chrysost. Itaque iniquæ sunt divitiæ, quia saltem a peccato originali originem ducunt; in statu innocentiæ omnia fuissent communia.

2. *Quia in possessoribus suis iniquitas seu germinant.*

Rationem secundam affert S. Ambrosius, & S. Chrysost. hom. 7 de pœnit. scilicet divitias iniquitatis appellari ab affectu, quia solent germinare iniquitatem in suis possessoribus. Sunt enim incitamenta & fomenta omnium pene peccatorum. Si iniquos faciunt divitiæ suos possessores cur non merito divitiæ iniquitatis appellentur ? Societas quædam & rei & nominis est divitiis & vitiis. Non ergo solum (ut prima dicit ratio) ideo iniquitatis divitiæ vocantur, quod ex iniquitate sint collectæ, vel colligi soleant, scil. ex usuris, ex furtis, ex emptionibus & venditionibus parum æquis, sed maximè quod sint origo omnis iniquitatis. Vis id videre in particulari?

Superbiam Inprimis superbiæ materiam suggere solent. Paupertas hominem in officio continet & humilitate; dives autem mox extollitur, superbit, inflatur. *Prov. 18.* *Cum obsecrationibus loquitur pauper, & dives effabitur rigidè*; inquit Sapiens. Ideo etiam dicebat *1. Tim. 6.* Apostolus suo Timotheo : *Præcipe divitibus non sublime sapere.* Non dicit : *Præcipe pauperibus.* Unde & locum illum interpretans S. Augustinus dicit : *Omne pomum, omne granum, omne lignum habet vermem suum : & alius est vermis pomi, alius grani, alius ligni, vermis autem divitiarum superbia est.*

Avaritiam. Ulterius, causa sunt aviritiæ ; quia *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Sicut enim ignis tanto amplius augetur, quanto plura in illum conjiciuntur ligna : sic & appetitus divitiarum quasi ignis in corde multorum ardens, magis augetur, *Eccli. 3.* quò magis accrescunt divitiæ. Unde dicit: *Beatus dives qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum ? Fecit enim mirabilia in vita sua.* q. d. Ratus omnino est dives talis qui post aurum non habeat, qui cor in divitiis non figat, & semper ad accumulandum progrediatur appetitu insatiabili. Hic est enim *Ignis qui nunquam dicit, Sufficit*, appetitus scil terrenis inhians. Hæc est Terra quæ à Sapiente adnumeratur inter insaturabilia, Terra arenosa semper parata aquam suscipere, semper sitiens. Hæc est Sanguisuga quæ semper dicit; *Affer, affer*, numquam contenta.

Luxuriam & gulam Amos 9. Deinde causa sunt Luxuriæ & Gulæ. Unde Propheta Amos ad divites exclamat. *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ*, sive in agris vestris fœcundis. *Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciviitis in stratis ; comeditis agnum de grege & vitulos de armento ; bibentes vinum in phialis, unguento optimo delibuti, & nihil compatiebantur super contritione Ioseph.* Hoc est, Væ illis divitibus qui omni voluptati indulgentes nulla misericordia moventur super contribulibus suis inopia pressis ; comessantur, luxuriantur, occasionemque omnis dissolutionis eis divitiæ ministrant, & interim pauperum obliviscuntur. Addit ibidem Propheta : *Qui canitis ad vocem Psalterii ; sicut David putaverunt se habere vasa cantici.* Hoc est ad sonum instrumentorum cantitant, saltitant ; & conantur vasa cantici, hoc est instrumenta musica defendere exemplo David ; cum tamen David illis usus fuerit ad Dei laudem ipsi verò utuntur ad corporis voluptatem, & lætitiam inanem.

Invidiam discordiam &c. Denique, divitiæ causa sunt invidiæ, iræ, discordiæ. Pauci enim sunt qui se ditioribus non invideant; pauci qui propter divitias jurgia, & lites non habeant, & discordias etiam letales foveant. Quid enim replet tribunalia litigiis, Respublicas homicidiis & fratricidiis, imo & parricidiis? Nonne pecunia? Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? Pauper lacessitus ab alio tacet, in patientia agit, tolerat etiam injuriam, quia impotentem se sentit vindictæ. At dives confisus in pecunia sua omnia se posse facile credit; ideo litem aggreditur vel vindictam, & pervicaciter eam prosequitur apertè, aut in corde fovet occultè. Unde sicut superbia ex opibus oritur, ita & ira, eaque sæpè irreconciliabilis.

Divitiæ omnium vitiorum origo. Sic omnium vitiorum quæ capitalia dicuntur divitiæ sunt origo, vel materia, superbiæ scil. avaritiæ, luxuriæ, gulæ, invidiæ, iræ, atque etiam accediæ. Comitatur enim illa divites, quia ludis vacant, poculis, venationibus, otiosisque deambulationibus & recreationibus, dum interim pauperibus necessitas incumbit laboris, si esurientem velint pascere ventrem, & familiam alere, & vestire egentem & algentem. Imo, quod deterius est, dum pauperes labore & sudore continuo conficiuntur, divites otiosi, & desides eorum laboribus pascuntur & reficiuntur. *Nonne divites per potentiam opprimunt vos*, inquit S. Jacobus, *& ipsi trahunt vos ad judicia.* Ad tribunalia Judicum trahuntur pauperes à divitibus: & quidem ad illorum Judicium quos vel amicos habent vel muneribus corruptos: Unde Sapiens dicebat: *Venatio leonis onager in eremo; sic & pascua divitum sunt pauperes.* q. d Sicut Leo prædatur onagrum, & sic dives pauperem. Illum sibi subjicit; illi dominatur, illius opes devorat; non aliter quàm piscis major devorat minorem illius sudore, & labore pascitur acedus, & desidiosus. Unde monet Sapiens: *Si videris calumnias egenorum, & violenta judicia, & subverti justitiam in provincia, ne mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alii, & insuper universa terra Rex imperat servienti.*

Iacobi 2. *Eccli. 13.* *Eccles. 5.*

Ex divitiis Dei & fidei abnegatio. Postremo, adjiciamus, etiam ex divitiis abnegationem Dei, agnegationemque fidei exoriri, tam quam malorum omnium coronidem. Hoc est

quod dicebat Sapiens : *Divitias ne dederis mihi, ne*
Prov. 30. *fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus?* Quam multi occasione divitiarum à fidei confessione recesserint, & quomodo patrimonii amor cæcus, opesque quasi compedes eos ligarint, etiam nostro sæculo grassantibus hæreticis nimis notum fuit. Sic verum fuit illud Apostoli: *Radix*
1. Tim. 3. *omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt à fide.* Hic est ergo cumulus malorum à divitiis proeuntium, naufragium fidei. Ergone sine causa Dominus hoc in Evangelio *divitias iniquitatis* appellat?

Rationem tertiam affert *S. Augustinus*, qui vult ideo divitias iniquitatis appellari, quia divitiæ iniquorum sint: aurum enim & argentum nonnisi ab iniquis divitiæ reputantur, qui in illis constituunt spem & partem beatitudinis. A justis autem licet possideantur, non sunt illis divitiæ, quia non æstimant nisi spirituales & cælestes opes. *Ita S. August. in lib. quæst. Evang. q. 34. & ser 35. de verb. Domini.* Solæ ergo divitiæ cælestes verè divitiæ sunt, quia solæ indigentiam & egestatem miseriæ nostræ supplent, beatos nos solæ efficiunt. Divitiæ autem hujus sæculi undecumque sint, undecumque congregentur, sive justè sive injustè, non sunt vere divitiæ, neque tales reputantur, nisi ab hominibus hujus sæculi iniquis. Quos sic compellat S. Bernardus: *O Filii Adam, genus avarum, quid vobis cum terrenis divitiis, quæ nec vere sunt, nec vestræ sunt? Si enim vestræ sunt, tollite eas vobiscum; alioqui si non potestis eas tollere, intelligite nec vestras esse.* Verè etiam divitiæ dici nequeunt, cum nec quietem dent, nec satietatem; si eam promittere videntur, inique ea in re hominem fallunt. Postquam magno sunt labore comparatæ, hominem mox deserunt: & injustè se sensentur gerere erga suos possessores, quia malè eis persolvunt pro labore impenso: ideo ergo divitiæ iniquitatis sunt & injustitiæ, quia divitiæ plenæ deceptionis & fallaciæ. Hoc agnoscunt justi:
Job 31. Unde dicit Job: *Si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea.* Sic & Sapiens monet: *Quid pro-*
Eccles. 2. *derit homini de universo labore & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cuncti dies ejus laboribus & ærumnis pleni sunt.* Addit in eandem sententiam alibi:
Eccles. 5. *Avarus nunquam pecunia implebitur.* Et iterum: *In*
Eccli. 14. *insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis non satiabitur, donec consumet arescatiens animam suam.* Ubi divitias vocat etiam ipse Patrem *iniquitatis*. eodem sensu quo in hoc Evangelio Dominus; sive quia iniquum est, quod homo adeò nobilis tam ardenter amet opes terrenas, eisque mentem & cor suum defigat; sive quia ad iniquos contractus lucri causa ineundos, & ad fraudes stimulant divitiæ, ut augeantur; sive quia ad alia peccata, & alias iniquitates materiam & occasionem suggerunt, sive quia iniquæ sunt & fallaces, spem quietis illarum cupido pollicentes, inquietudinem autem semper augentes, animumque semper augentes.

Quartam rationem affert S. Gaudentius, dieitque illas maximè divitias vocari divitias iniquitatis (sive Mammona iniquitatis) quas iniquitas humanæ avaritiæ sibi vendicat, nec dispensat secundum Domini illas dantis intentionem & præceptum in usum egenorum. Eandem rationem adfert Theophylactus hunc locum interpretans. Sic enim dicit; *Illæ dicuntur opes nequitiæ, quascumque Dominus dederit ad impendia necessitatu fratrum ac conservorum, nos autem nobis depositas tenemus.* Quia igitur alloquebatur Dominus nonnullos divites tenaces & avaros pauperum curam negligentes, exhortatur & præcipit, ne nequiret & inique deti- neant quod ad aliorum etiam subventionem eis impartitus est Deus; sed faciant sibi amicos liberaliter elargiendo pauperibus, ut cum defecerint, recipiantur in tabernacula æterna. Cum defecerit scilicet eis vita cum defecerit eis mundus & amici mundani, cum defecerint eis opes & facultates; tunc eis proderit quicquid impertiti fuerint egenis in eleemosynam tanquam providi & prudentes dispensatores.

PARS II.
An eximat justè aliquis, & per iniquitatem collectis amicos facere jubeat: certè Dominum, hic loqui de opibus injustè ceat.

SEcunda quæstio quæ ex verbis Domini hic proponi potest, est ita: An ex iniquè acquisitis eleemosynas facere liceat, quandoquidem hic Dominus ex mammona iniquitatis, sive (ut interpretatur S. Hieronymus & alii SS. Patres) ex divitiis iniquis, & per iniquitatem collectis amicos facere jubeat: certè Dominum, hic loqui de opibus injustè partis, etiam confirmat parabola ab eo allata de villico iniquitatis: nam villicus iste ex illis quæ defraudavit, & quæ iniquè largitus est, amicos sibi comparavit, à quibus reciperetur dum à villicatione foret amotus. Sic quosdam intellexisse verba Domini refert S. Augustinus serm 53. de verbis Domini, sed imperite & injustè; unde eos corrigit, & sic ait: *Quânam malè intelligendo rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere quod præceptum est; dicunt enim. Rapere res alienas, Mammona est iniquitatis; erogare inde aliquid egentibus sanctis, hoc est sibi facere amicos de Mammona iniquitatis.* Addit ibidem S. Augustinus apertè eos reprehensus. *Hic verborum Christi intellectus corrigendus est, & de tabulis cordis vestri omnino delendus est. Nolo sic intelligatis, sed de justis laboribus vestris facite eleemosynas, & ex eo quod rectè habetis, date.* Nihilominus videmus adhuc modò non paucos, usuris, rapinis, deprædationibus & oppressionibus pauperum deditos: existimare satis esse, si bonis injustè via ista acquisitis aliquas eleemosynas locis sacris elargiantur, vel cum ea secum in morte deferre nequeant, si testamento in pias causas relinquant. Sic ut vulgato Proverbio dicitur. *Putant sibi licitum esse discooperire S. Petrum, ut cooperiant S. Paulum;* quosdam enim concutiunt & opprimunt, ut ab aliis egestatem excutiant, & eos sublevent.

Hos asperè reprehendit Sapiens, dum dicit:

Qui

Eccli. 34. *Qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi qui victimas filium in conspectu Patris.* quasi dicat. Similis est illi qui occidit filium coram patre : quia scilicet ex substantia pendet vita pauperum ; ut sic qui eam aufert pauperi, vitam eidem auferat. Hoc idem est quod mactare filium in conspectu patris, quia pauperes filii Dei sunt speciali dilectione, & protectione, hos enim ab aliis desertos sibi adoptat Deus instar Tutoris & Patris : *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Unde S. Gregorius in cujus sacrato die hæc scribo, sic in eandem sententiam loquitur, lib. 7. epist. 13. *Quantus dolor patris sit perpendimus, si in ejus conspectu filius victimetur: & hinc facilè cognoscemus quantus apud Deum dolor exasperatur quando ei sacrificium ex rapina tribuitur.* Sic etiam *Chrysost.* homil. 33. ad populum, ad eleëmosynam suos incitans, sed à rapina avertens, hæc habet : *Audi Scripturam dicentem, sicut qui occidit filium coram patre, ita offert sacrificium ex pecuniis pauperum. Hanc itaque comminationem mente scribentes habeamus, hanc in parietibus, hanc in manibus, hanc in conscientia, hanc ubique, ut vel hic timor vigens in cordibus nostris manus nostras à quotidianis cohibeat cædibus, cædemque pejor est rapina paulatim pauperem devorans.*

Psalm. 9.

Oblationes ex iniquè partu sunt Dei irrisiones.

Idem Sapiens eodem capite oblectationes ex rebus iniquè partis dicit potius esse quasdam Dei irrisiones & subsannationes, quam veras oblationes; ideoque potius irritare, quàm placare Deum. Audi ejus verba : *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, & non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum.* Tarat nimirum impios illos qui rapinis, fraudibus, usuris, oppressionibus diditi sunt, interim oblationes Deo offerunt, quasi per illas scelera sua expient, aut Deo oculos excæcent, suisque muneribus corrumpant, ut ea dissimulet, nec puniat, quæ est stolida blasphemia, & irrisio quædam tacita Dei.

V. Cornelium in illum loc.

Hoc est enim facere Deum præsidem vel participem, & laudatorem furti, & rapinæ, aliarumque iniquitatum, sicut faciebant Gentiles qui singulis cupiditatibus, & vitiis suis Deum aliquem præficiebant, ut ejus ope per invocationem vota & victimas sibi conciliata liberè plenèque eas explerent. Sic libidini præficiebant Venerem, fraudi Mercurium, furtis Priapum, rapinæ Martem, cui spolia offerebant, ut ab eo plura rapiendi fieret ei facultas, voluptati Voluptam, ebrietati Bacchum, petulantiæ Salaciam. Videri potest S. Aug. lib. 4. de civit. c 11. & l 7 cap 21. & 22.

Itaque honorandus est Deus, sive per oblationem, sive per eleemosynam, non ex alienis, sed ex propriis, sicut dicit Sapiens : *Honora Dominum de tua substantia.* Sic & Tobias monebat filium : *Ex tua substantia fac eleemosynam* Non ex aliena, sed ex tua. Si Cain reprehensioni fuit obnoxius, & munus ipsius repudiatum à Deo, quia pejora de suis obtulit, quanto magis à Deo rejicitur qui offert de alienis ? Displicet sanè talis oblatio, nec eam probat Altissimus, tum quia offerens est injustus, tum quia res oblata injusta est ; sic gratiam apud eum non merentur donaria injustorum, nisi restituant injustè parta. Hinc Zachæus primò restituit aliena, deinde pauperibus dedit bona sua. *Dimidium,* inquit, *bonorum meorum do pauperibus & si quid aliquem defraudavi, reddo centuplum.* Unde S. Ambrosius lib. 8. in cap. 19. Lucæ sic ait : *Dives Zachæus & electus à Christo, sed dimidium bonorum suorum largiendo pauperibus, reddendo etiam in quadruplum, qua fraude sustulerat : alterum enim non satis est, nec habet gratiam liberalitas, si iniuria perseverat, quia non spolia sed dona quæruntur.* Sic loquitur quoque B. Isidorus l 3. sentent. cap. 60. De rapinis eleemosynam facere, non est officium miserationis, sed emolumentum sceleris. Qui enim injustè tollit, justè numquam distribuit; nec bene præbet alteri, quod ab alio malè extorquet. Ita ipse. Quapropter monet etiam *S. Basilius* Monasteriorum Patres, ne malorum eleemosynas acceptent, sed bonorum, cum scriptum sit ; *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Audi notabilia hujus rei exempla.

Luc. 19.

Psal. 140.

Exempla Sanctorum eleemosynas malorum nolentium suscipere.

B. Laudomarus Carnotensis Abbas, cum nobilis quidam *Ermenaldus* graviter ægrotans per famulum quadraginta solidos misisset rogans, ut sibi jam cum morte conflictanti vellet opitulari, & apud Deum sanitatem impetrare ; oravit quidem, sed pecunias cum numerasset, famulo reddidit dicens; *Hæc pecunia per iniquitatem conflata est, nec potest muta re sententiam Dei, nec vita spatia producere, nec peccatorum veniam impetrare. Tu ergo celeriter annuntia Domino tuo, ut pro anima sua cura sollicitus, aliis iniuste ablata restituat, noveritque se vitam amissurum temporalem.* Dictum, factum Famulus namque domum repetens invenit eum agonizantem, ita ut mox exspiraret. Videri potest Surius 19. Januarii.

Aliud exemplum refert *Thomas Cantipratanus* his verbis. Accidit in *Vaucellensi Monasterio*, ut congesta cujusdam defuncti fœneratoris de *Atrebato* pecunia in eo Cœnobio servaretur. Igitur die quadam cum famosissimæ sanctitatis Monachus *V Valderus de Bellemonte* prope scrinium, in quo pecunia servabatur, oraret, diabolum desuper sedere vidit. Tertius se signo crucis munivit, & interrogavit. Quid hic exspectas iniquissimè generis humani inimice? Respondet ille: Juste hic sedeo, quod meum est, conservo. Nec mora. Monachus Abbatem adiens, exponit quid viderit. Mox verò Abbas scrinium remisit Arrebatum. Ita ille.

In *Villariensi Monasterio* idem contigit. Summa librarum mille sexcentarum mortuo *Namureti* usurario illuc delata est; & multæ possessiones emptæ. Sed postea quidam arctæ conscientiæ Abbas electus ubi id comperit, venditis ovibus, aliisque mobilibus, pecuniam Namurcum remisit, ut redderetur singulis damnum passis. Nemine autem volente assumere negotium restitutionis, pecunia iterum ad Monasterium est delata. Abbas repor-

tantibus indignatus, iterum jussit eam referri, & in foro coram civibus deponi, dicens; Pecuniam qui vult accipiat, injustè acquisitam non recipio. Sic cives hoc exemplo ædificari; communi consilio per manus fidelium virorum pecuniam damnum passis reddiderunt. Monasterio autem Deus paulò pòst decuplum restituit. Ita lib. 2. Apum cap. 36.

Neque tamen negandum est posse pauperibus dari bona aliena, aut in pias causas impendi fraude collecta, si reperiri nequit Dominus, aut is cui fraus facta est, nec agnosci ejus hæredes. Tunc enim quædam est interpretativa & tacita voluntas talium, ut pietati hæc impendantur. Et hoc est quod vult S. Chrysostomus homil. 5. in Matth. ubi dicit: *Acquisivisti male, impende jam bene; collegisti hactenus iniquè, disperge nunc justè. Et certè quæ virtus est donare de talibus? Sed tamen amans hominem Deus, eo usque descendit, ut ista faciamus, bona nobis magna promittat.* Similiter intelligi debet S. Augustin serm. 35. de verb. Domini *Qui habetis de malo, facite inde bonum. Qui non habetis de malo, nolite acquirere de malo.* Atque etiam verisimile est illos quos Christus Dominus alloquebatur, dum dicit, *facite vobis amicos de Mammona iniquitatis*, divitias aliquas possedisse iniquas & injustè partas quæ Dominis restitui non poterant; ideoque illos admonuisse ut pauperibus eas elargirentur, tamquam his qui eos possent recipere in æterna tabernacula.

PARS III. *Quomodo eleemosyna, & pauperes, nos in æterna tabernacula recipiant.*

Quæstio tertia est, quomodo eleëmosyna in pauperes erogata nos recipiat in æterna tabernacula?

Dicamus primò, eleëmosynam in pauperes factam removere obstacula quæ remorantur nos ab ingressu regni & cælestis tabernaculi. Quænam enim nos impediunt nisi peccata & pœnæ peccatis debitæ? Eleëmosyna autem extinguit peccatum, & redimit pœnas peccatis debitas. Hinc consilium dat Daniel Nabuchodonosori. *Rex consilium meum placeat tibi, Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsitan ignoscet delictis tuis.* Sic etiam Sapiens dicit: *Aqua extinguit ignem ardentem, sic eleemosyna resistit peccatis.* Ideo Sancti Patres solent eleëmosynam baptismo comparare, dicuntque quod sicut aqua baptismi gehennæ restinguit incendium, ita & eleëmosyna extinguit peccata quasi animarum aliud lavacrum. Ita loquitur S. Ambr. serm. 2. S. Leo serm. 2. de Collect. S. Hieron. in Psalm. 133. Cyprianus in libro de opere & eleëmosynis, ubi sic ait: *Dicit Ecclesiasticus, sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. Hic ostenditur & probatur, quia sicut lavacro aquæ salutaris gehennæ ignis extinguitur: ita eleemosynis atque operibus justis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in baptismo remissio peccatorum datur, assidua & jugis operatio Baptismi instar imitata Dei rursus indulgentiam largitur.*

Neque tamen hæc sic intelligenda sunt, quasi eleëmosyna sola prosit illi qui pœnitentiam non agit ad peccati extinctionem, notum est enim illud Apostoli: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Hoc explicans amplius S. Gregorius in Job 15. sic monet, *Tunc eleemosyna pretium nos à culpis liberat, cum perpetrata plangimus & abdicamus. Nam qui & semper peccare vult, & quasi semper eleemosynam largiri, non redimit animam, quam à vitiis non compescit.* Exemplum alibi retulimus de quadam muliere, quæ operibus pietatis & eleëmosynæ dedita erat, sed peccatum quoddam in anima gerebat, quod numquam confessione ausa fuit expiare; ideo omnis ei eleëmosyna inutilis fuit, damnationisque suæ decretum post mortem filiæ suæ apprehensa peruit. Quod ergo Dominus Pharisæis dixit. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*, intelligi debet si eleëmosyna rectè fiat, & adsint reliqua ad salutem necessaria, ut pœnitentia; sic enim intelligendæ sunt similes sententiæ quæcumque sæpe autem promittunt. Peculialiter autem hoc dicit Dominus Pharisæis de eleemosyna, quia illa purgat ab avaritia & rapina quæ erant vitia Pharisæorum; qui enim largitur sua, facilè abstinebit ab alienis. Christus ergo eis eleemosynam specialiter præscribit, ut contraria contrariis curet. Atque etiam nonnulli intelligunt id dictum Pharisæis hoc sensu; *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*, eleemosyna enim erit vobis instar omnium vestrarum lotionum, mundiores vos faciet illa quam omnes vestræ ablutiones, quas adeò superstitiosè & frequenter usurpatis.

Itaque, si quæratur quispiam, quomodo eleemosyna extinguat peccata, & cur hoc speciatim de ea dicatur? Primò extinguit peccata, si sit cum pœnitentia conjuncta, extinguit & peccatorum pœnam, quia opus est efficaciter satisfactorium. Secundo extinguit peccata venialia illius qui in gratia Dei existit, quia à peccatis & delictis sine quibus hæc vita non ducitur, mundantur homines per eleemosynas, inquit S. Augustinus. Tertiò extinguit peccata, quia est dispositio ad gratiam justificantem ex divina motione & auxilio peculiari facta, impetrat enim sibi misericordiam qui ex animo aliorum miseretur. Quartò extinguit peccata, quia propter eleemosynas in gratia factas, Deus hominem si in peccatum incidat à peccato liberat; immo & ne incidat in peccatum, propter eleemosynam Deus ei speciale confert auxilium, & occasiones abeo depellit. Unde dicitur. *Conclude eleemosynam in corde pauperis (vel ut alii legunt absconde in sinu pauperis) & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Quintò extinguit peccata, quia peccatorum vindictam impedit. Audi Joannem Moschum in prato spirituali, cap. 175. de Zenone Imperato. Narravit nobis, inquit, quidem Patrum de ipso, quod mulierem quandam in filia injuriosè tractaverit. Hæc autem vacabat in templo S. Dei Genetricis

Eleemosyna variis modis peccatum extinguit.

oranis

orans cum lacrimis, & dicens. *Vindica me de Zenone Imperatore* Cum ergo multis diebus id faceret, apparuit ei Dei Genitrix, dicens: *Crede mihi mulier, ultionem tuam sæpè facere volui, sed manus ejus prohibet me.* Erat enim valde misericors, & eleëmosynas faciens. Hæc ille.

Resp. 2. Eleemosynæ ædificat nobis æterna tabernacula.

Dicamus secundo eleëmosynam in pauperes erogatam ædificare nobis vel emere æterna tabernacula, ideoque rectè nos à Domino hic moneri, ut de Mammona iniquitatis faciamus nobis amicos, qui in æterna nos tabernacula recipiant Sed numquid pauperes inter sordidos pannos, & illuviem corporis habere possunt æterna tabernacula, qui nec præsentia possident, nec futura, domunculamque lutosam vix habent, ut se ab æris inclementia tueantur? Utique hoc sensu pauperes illa æterna habitacula tribuere nobis posse censentur, eaque possidere & vendere, quia misericordia in pauperes gloriam illam cœlestem promeretur, si sit gratiæ, & charitati conjuncta. Unde à pauperibus quodammodo eam emere censemur, vel à Christo qui eam propter ipsos nobis tribuit Audi Sanctum Chrysostomum hom. 9. de pœnitentia: *Mercatura negotiatioque tua cœlum est: da panem, & accipe paradisum: parva da & magna suscipe: da mortalia, & recipe immortalia.* Sic etiam S. Chrysologus serm. 8 de jejunio, & eleëmosyna loquitur: *Manus pauperis sinus est Abrahæ, ubi quicquid pauper accipit, mox deponit. Thesaurus cœli est manus pauperis; quod suscipit ne pereat in terra, reponit in cœlum. Dolgitur, ô homo, pauperi terram, ut accipias cœlum; da nummum, ut accipias regnum; da micam, ut accipias totum.* Si ergo prudenter fecisse dicitur villicus iniquitatis, quod sibi providerit ut amoto à villicatione, inveniret, tabernacula quamlibet caduca, & peritura (peribit enim hoc seculum, peribunt filii hujus sæculi cum hoc sæculo, peribunt eorum opes, & tabernacula) quanto magis debent filii lucis, qui non sunt filii hujus sæculi, sed filii æternitatis, in hoc solliciti esse, ut tabernacula sibi ædificent, vel comparent æterna, si filii lucis esse volunt & non tenebrarum? Cum autem id facere possint pauca erogando quæ sunt hujus temporis, cur huic negotiationi quæ tuosissima non incumbant? Si filii hujus sæculi caduca bona tam ardenti studio quærunt, tanto labore, tantis vigiliis & sudoribus, tantis periculis, itinerando, navigando, orbem universum peragrando? Cur filii lucis vera bona & perennatura eodem studio & ardore non perquirant, cum multo majoribus sudoribus sint digna? Sed vide, quod hic Dominus non graves ab eis labores exigat, sed solum contemptum rerum caducarum, & misericordiam animum in pauperes, qui ex eleëmosynis erogatis ædificare eis possunt domum nunquam ruituram. Undemonet S. Chrysost. hom 7 de pœnitentia *Æterna*, inquit, *sunt tabernacula finem non habentia in hanc structuram pecuniam impendamus. Non architectorum aut operariorum nobis magna fuerit cura pauperum manus nobis hujusmodi domos construunt.* Addit ibidem idem Chrysost. similitudinem, qua perstringat eos qui in hoc mundo paulo post deserendo, & ruituro, quasi æternum victuri domos sibi extruunt. *Dic mihi*, inquit, *si quis tibi prænuntiaret post annum ipsam casuram urbem, num in casura urbe ædificares? Nequaquam ergo in hoc ædificemus mundo. Cadet enim paulo post, & cuncta peribunt. Quid dico cadet? Ante ipsum casum ipsi peribimus Quid in arena ædificamus? Ædificemus supra petram, quantumcumque impetus fiet inconcussa erit ædificatio.*

Cæterum, quomodo eleëmosynæ nobis comparent æterna tabernacula, æternamque mansionem, manifestum nobis facit prælarum illud exemplum, quod in vita sancti Joannis Eleëmosynarii Patriarchæ Alexandrini habemus. Hic sæpè visebat ægros & pauperes, quandoque secum assumens Troilum Episcopum. Quodam die dixit: *Frater Troile obsecro juvemus amicos Christi.* Ille ea hora ad pietatem incitatus sermone Patriarchæ curat distribui triginta libras. Verùm, quia magis nummorum, quam ægrorum erat amator, cæpit avaritiæ postea cogitatione turbari, & inde ei orta est febris, ita ut super lectum jaceret. Audiens de ejus morbo Patriarcha, & conjiciens causam, invisit eum, tantumque argenti retulit, quantum largitus erat Troilus, & excusans se dixit: Nuper cum te pro pauperibus stipem rogabam, jocabar, & nonnisi mutuò eam quæ tibi aderat, pecuniam volebam, quia non ita mihi ad manum erat quantitas pauperibus distribuenda. Unde eam referens gratias ago. Illæ ad hæc exhilaratus, melius cœpit habere, invitatusque fuit à Patriarcha ad prandium; ubi numeratis nummis petiit ab eo conscriptionem renunciationis mercedis eorum. Hanc autem his verbis fecit: *Deus Domino meo Ioanni Patriarchæ da mercedem triginta librarum quæ datæ sunt tibi, quia recipi eas.* Post meridiem incidit in somnum, & ostendit ei Deus qua mercede privatus foret. Vidit enim domum cujus pulchritudinem nulla imitari posset ars humana, & in ejus janua aurea scriptum. *Mansio æterna & requies Troili Episcopi.* Gaudebat summopere, ob hanc mansionem sibi præparatam. At mox quidam Regius Cubicularius ait operariis: Deponite titulum istum & hunc suffigite; *Mansio Ioannis Archiepiscopi empta libris 30 argenti.* Horruit ipse, & excitatus venit ad Patriarcham visa referens, & exinde ex avaro factus est eleëmosynarius magnificus ut mensionem æternam posset sibi emere operibus misericordiæ juxta ostensam visionem. Ita Leontius in vita S. Joannis Patriarchæ Alexandrini.

Resp. 3. Eleemosynæ patrocinantur nobis in morte.

Dicamus tertiò, eleëmosynam in pauperes erogatam efficaciter patrocinari, cum auferetur à nobis vitæ hujus villicatio, in morte scilicet. Cum deficimus nos cumque deficit à nobis mundus & amici mundani, illa nobis alios amicos facit; Angelorum Sanctorumque amiciciam nobis conciliat, imò & ipsius Judicis ut protegamur & eruamur

mur ab omni malo. Est enim misericordia in pauperes quasi potens Aulica, Sanctis, Deoque gratissima & familiarissima, quæ ubi videt suos clientes aliquo premi malo, statim abest ad patrocinandum, & Sanctorum gratiam secum trahens, Deo supplex quicquid orat, exorat; quicquid rogat, impetrat. Hinc ille beatus pronunciatur, *qui intelligit super egenum & pauperem.* Ratio ibi additur, cur felix & beatus dicendus sit, *In die mala liberabit eum Dominus.* Quænam est dies mala, nisi dies languoris & angoris, dies mortis & caliginis? Tunc autem liberabit eum Dominus, quia eleëmosyna & misericordia in egenos *non patietur animam ire in tenebras*, ut dixit Tobias. Quapropter dixit S. Hieronymus epist. ad Neopotianum. Numquam memini me legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit: habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri. Propterea etiam dictum est à Sapiente: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Si illa efficaciam habet exorandi & protegendi à malo corporeo & temporali, certè etiam habet potentiam eruendi à malo spirituali & æterno; si à malo præsenti, etiam à malis futuris liberabit, quia hæc præcipuè dicuntur mala. Dies mortis, dies que judicii, dies est in quo egemus protectione & patrocinio. Unde S. Gaudentius Episcopus Brixianus tract. 13. dictam sententiam Ecclesiastici explicans, & ad eleëmosynam adhortans, sic dicit: *Vende patrimonium, & eme patrocinium, cujus inter ventu certus de impetratæ veniæ ventura Iudicem liber merearis aspicere.* Eandem ob causam dicit S. Chrysost. hom 7. de pœnit. *Eleemosyna pennata est & levis, aureas habens alas, ipsos supra modum delectans Angelos, apud ipsum regalem thronam persistit cum judicatur, imminet, tormentisque nos eripit, suis complectens & protegens alis.* Hæc Chrysostomus.

Psal. 40.

Tob. 4.

Eccl. 39.

Huc etiam referri potest quod dicit Psaltes: *Iucundus homo, qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in judicio* Ubi singula ponderari possunt. Cur enim dicit: *Iucundus homo*, nisi ut ostendat eleëmosynam cum hilaritate esse peragendam? *Hilarem datorem diligit Deus* 2. Cor 9. Si panem dederis tristis, & panem, & meritum perdidisti, ait Augustin in Psal. 42. Non ergo exasperandi sunt pauperes, eos otiosos, vagabundos, perditos appellando, sed propter Christum cum hilaritate dandum est illis, quod dare congruit. Cur etiam dicit: *Qui miseretur*, nisi ut ostendat à misericordiæ visceribus debere eleëmosynam procedere? Hæc est radix optima eleëmosynæ, à qua omne meritum procedit: Magnifacit Deus non tam liberalitatem tuam, quam viscera pietatis, à quibus illa promanant. Cur addit, *& commodat*? Quia qui elargitur egenti, Domino mutuo dare censetur & commodare, recepturus cum fœnore. Unde Evagrius Philosophus conversus ad fidem, cum audisset in Ecclesia centuplum in Cœlo reddi pro eleëmosyna, dedit sexaginta libras Synesio Episcopo pro pauperibus, accepta ab eo syngrapha, quod pro una centum in Cœlo esset accepturus, jussitque moriens filiis, ut syngraphum illam manui suæ dum sepeliretur, inseterent. Quo facto die tertio apparuit Episcopo in somnis, dicens: *Ade sepulchrum meum & chyrographum tuum recipe, nam debitum & centuplum recepi à Christo, & à te promissum* Manè Episcopus cum Clero adit sepulchrum, & ex manu Evagrii recepit chyrographum sic ab eo inscriptum. *Evagrius Philosophus Episcopo suo: Noluit te Pater ignorare, quod pecuniam omnem quam vivens tibi dedi, centuplicatam sicut promiseras recepi, quare nulla mihi debiti obligatione astringeris.* Sophron. cap. 95. in Pratospirit. Cur denique adjicit Psaltes; *Disponet sermones suos in judicio*, nisi quia largitor hilaris & misericors se disponit ad respondendum in judicio curam tribuali justi & æterni judicis ubi illa proponetur quæstio; An esurientes paverimus, an nudos vestierimus, &c. Unde subjicitur de tali: *In æternum non commovebitur*; quia non turbabitur in die calamitatis & miseriæ, in die mortis & judicii: lætus erit in vita, lætus & in morte, Audi mirum ea de re exemplum.

Vide Stellam in Luc. c. 16.

Exemplū Evagrii Philosophi.

S. Xaverius venit ad quendam *Petrum Belleium* *Aliud.* poscens eleëmosynam pro conjugio puellæ, cujus pudicitia periclitabatur. Petrus occupatum se prætendens lusu, tradit Xaverio claves arcæ in qua triginta millia aureorum erant, dispositionemque ei relinquit liberam. Vir sanctus subduxit trecentos aureos, claves ei reddens cum gratiarum actione. Cui Petrus: O virum pusillanimem! Nisi animo medietatem congestorum tibi resignassem, quomodo claves tibi credidissem? Tunc Xaverius. *Ex parte Dei tam hilari datori promitto nunquam defuturam misericordiam, futurumque ut extremum vitæ diem latus cognoscas Deo præmonente* Quæ omnia sic contigerunt: nam post inundam vitam secutæ morti separans, curat in vitatis amicis funebre sacrificium celebrari, cui ipse jam mortuis se annumerans interfuit. Amici dilirium suspicantur; quibus S. Xaverii prædictionem enarrans, ut morituro dent operam rogat obnixe; & statim repentina non tamen improvisa mors eum abstulit, cœlo æternaliter regnaturum. Ita Histor. Societatis, parte prima lib. duodecimi num. 100.

Concludo, & cum S Chrysost hom. 32. in epist. ad Hebræos hactenus dicta compendio repeto: *Eleemosyna vincula peccatorum dissolvit, fugat tenebras, extinguit ignem, mortificat vermem, expellit stridorem dentium. Huic cum multa fiducia portæ cœli aperiuntur, & velut regina intrante nullus janitorum, nullus custodum, qui portis assistunt, audet dicere. Quæ tu es: velunde? Sed cum omnes suscipiunt. Sic etiam misericordia; verè enim regina homines faciens similis Deo* Felix qui hanc colit reginam, & de Mammona iniquitatis eam sibi reddit propitiam,

DOM.

Exemplis Evangrii Philosophi.

Aliud.

Lect. 14 tripartita.

DOM. IX. POST PENTECOSTEN.

Videns Civitatem flevit super illam, dicens; Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die quæ ad pacem tibi Luc. 19.

Pars I. *Quomodo in his verbis Domini misericordia cum justitia eluceat.*

PRophetæ olim non solum verbis, sed etiam factis; sive exterioribus quibusdam signis coram populo palam exhibitis, calamitates populo ingruentes soliti sunt prænunciare.

1. Cur Isaias nobili de stemmate oriundus incedit discalceatus, & ignominiosè nudus in Jerusalem per triduum? Ut signum & portentum daret (inquit sacer textus) super Ægyptum & Æthyopiam. *Sicut ambulavit nudus & discalceatus, sic mittet Rex Assyriorum captivitatem Ægypti, & transmigrationem Æthiopiæ juvenum & senum nudam & discalceatam discooperto natibus ad ignominiam Ægyptii.* Isa. 20.

2 Cur Hieremias accepit lagunculam figuli, & & convocatis senioribus Israël in oculis eorum eam allidit & conterit? Quia, inquit ipse, *hæc dicit Dominus: Sic conteram populum istum & civitatem, sicut vas figuli, quod non potest ultra instaurari.* Ier. 19.

Cur idem funibus collo impositis quibus jugum cornibus boum alligatur, & catenis ligneis quæ collum stringebant instar compedum, incedit per Jerusalem, & postea mittit eas ad varios Reges? Quia sic oportuit prædicere captivitatem futuram sub jugo Nabuchodonosor Regis Babylonis. Ier. 27.

3. Cur Ahias Propheta cum inveniſſet Jeroboam in via, cumque opertus esset ipse Propheta pallio novo, illud apprehendens scidit in duodecim partes, & decem scissuras dedit Jeroboam? Sic non solum verbis, sed etiam ipso facto voluit pronunciare regnum Salomonis scissum esse, & decem tribus ad Jeroboam pertinere. 3. Reg. 11.

4. Cur Ezechiel assumit novaculam acutam, & ducens per caput, & barbam radit omnes pilos, tresque partes faciens, unam comburit igni, secundam conscindit gladio, tertiam dispergit in ventum; Hoc signo voluit indicare partem populi peste & fame interituram, partem gladio, partem in captivitatem quasi in ventum dispergendam. Ezech. 5.

Sic igitur Christus Dominus, ut non solum verbis, sed etiam portentoso signo prædiceret ruinam Jerosolymitanæ urbis & plebis, in medio triumpho, mediisque acclamationibus gloriosissimis, lacrimas copiosas ex benignis suis oculis educit, testes veri amoris & compassionis, indices fletus futuri, calamitatisque omnibus sæculis deplorandæ. Quamvis verò Judæi hostes ipsius capitales calamitatem istam futuram omnino peccatis suis promererentur, eam tamen suis voluit deflere lacrimis ex amoris, & doloris fonte intimo fluentibus, ut suam ostenderet Misericordiam Justitiæ nexu indivisibili adsociatam. Numquam enim est adeo rigida Dei punitio, quin etiam aliqua pietatis divinæ inveniatur admistio. Unde in hac prædictione, & commination acerba verum esse reperies illud. *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi, justitia, & pax osculatæ sunt.* Os Domini Justitiam pronunciat & Veritatem; Oculi ejus mox intercurrunt & obviant, ut offerant Misericordiam & Pacem. Vox ejus est instar tonitrui comminantis & fulgurantis: Oculi ejus pluviam effundunt, quâ incidant flammam ignis & fulguris, tonitruique acerbitatem mitigare conantur. Ex ore ejus procedit gladius acutus vibratus ad internecionem: Cor & oculi gratiam immiscent & compassionem; ita ut possit dicere Dominus idem modo, quod olim de populo suo tamquam dilecto filio: *Ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor ejus; idcirco conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserebor ejus.* Quasi diceret: Licet obliget me justitiæ æquitas, ut horribilia comminet, & prædicam populo meo; tamen ita tenerè eum amo, ut non possim ejus meminisse, quin viscera mea commoveantur ex intima commiseratione. Atque ita hodie hanc commiserationem, & viscerum commotionem associant lacrimæ: solet enim tenera viscerum commotio mox ad oculos mittere lacrimas, ut etiam patuit in Joseph, de quo dicitur: *Attollens oculos vidit Beniamin fratrem suum uterinum & dixit: Deus misereatur tui fili mi. Festinavitque quia commotæ sunt viscera ejus super fratre suo, & erumpebant lacrimæ, & introiens cubiculum flevit.* Joseph flet in occulto ex amore erga Beniamin, quia uterinus frater erat. Christus flet in propatulo, ex amore & dolore simul erga Judaicum populum fratrem suum uterinum: quia non erat futurus ultra Beniamin, hoc est filius dexteræ, sed futurus erat Benoni, hoc est filius doloris. Unde dolores ei superventuros pronunciat & condolet, quia intime amat. Sic ergo, ut dixi, Misericordia & Veritas obviaverunt sibi, & osculatæ sunt; quia lacrimæ copiosæ ab oculis profluentes (quæ effectus erant misericordiæ ipsius) veniunt usque ad os Veritatis justiam pronunciantis, & ibidem sese complecti & exosculari censentur.

Misericordia Dei in puniendo. Hier. 31. Gen. 43.

O quam diversæ sunt, quamque adversæ viæ Dei, & viæ hominum *Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, ait Dominus.* Homines cum de sibi inimicis vindictam sumere valent, ipsi lætantur & exultant. Hinc Semei cum David ascenderet clivum olivarum, nudis pedibus incedens, & operto capite plorans (ex scil. loco ex quo descendens modo Dominus flet, contemplans inde civitatem) egrediebatur in occursum ejus; & inclamabat. *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial, reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, quoniam invasisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absolon filii tui; & ecce premunt te mala tua, qui vir sanguinum es.* Ecce quomodo exultat mittens lapides contra eum cum maledictione, spargensque terram vin-

Crudelitas hominis se vindicantis. 2. Reg 16.

dictæ avidissimus. Sic solent filii hominum exsilire in ultione inimicorum. At è contra Deus tristitia affici videtur, dum hostes suos plectere cogitur, & sese ulcisci. Unde dicit: *Heu vindicabor de inimicis meis!* Isai. 1. *Heu*, signum est dolentis, & ingemiscentis. Doletigitur, quia accingere se debet ad vindictam. Sic immissurus generale diluvium ob peccata in cœlum clamantia, dicitur *tactus dolore cordis intrinsecus*; Gen. 2. jamque centum annis expectaverat homines ad pœnitentiam; cujus Præco fuerat Noë fabricans Arcam. Nonnisi etiam coactis immittit ignem, & sulphur in Sodomam, & alias nefandas civitates. Quapropter Abrahæ secretum istud communicat, & dicit: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis.* Gen. 18. Declaratque postmodum sibi invotis esse misericordia uti & venia, si modo in quinque illis civitatibus decem forent justi. Sic diversæ sunt hic, & adversæ viæ Dei & viæ hominum; quia homines passione abrepti non obstantibus mediatoribus & intercessoribus citato gradu feruntur ad vindictam: Deus vero & differt eam diu, & quærit qui se interponant inter ipsum & peccatores, ut iram deponat placatus, qui eam haud infert ultroneus. Unde protestatur: *Indignatio non est mihi. An gradiar super eam: succendam eam pariter.* Isai. 27. Vineam scilicet meam? *An potius tenebit fortitudinem meam? Pacem faciet mihi, faciet mihi pacem.*

Indignatio & vindicta est contra naturam Dei.

Quasi dicat: A mea natura alienum est indignari, & vindictam exserere, à clementia in iram & punitionem ire mihi quodammodo est vim facere. Opto ergo magis ut placatum me reddat plebs mea humilitate, & teneat fortitudinem meam, ac brachia quodammodo mihi liget, pacem poscens supplici prece. Sic rursus ait: *Quomodo dabo te Ephraim* Osea 11. *sicut Adama, ponam te ut Seboim: Conversum est cor meum in me pariter, conturbata est pœnitudo mea.* Quasi dicat. Quid de te vel tibi faciam populemi? Obstinata tua aversio, & rebellio à me vindictam efflagitat, & tamen cupio misereri; luctatur amor cum dolore, misericordia cum ira. An perdam te ut Sodomam, Adamam, Seboim, urbes Pentapoleos? Paternus certè in te affectus vix id permittit; cor meum magis quam tuum dolore sauciatum videor. Cor mihi contrahitur, convellitur, dissecatur, & viscera omnia mea concutiuntur, dum de tua vastatione cogito; itaque opto immutare decretum quasi me pœniteret, si modo tu te converteres, vitam mutes, & gratiam pœnitendo efflagites. Rationem subdit: *Quia Deus ego sum & non homo.* Quod idem est ac si diceret. Dispar est sensus meus à sensu hominum. Illi vindictam moliuntur quacumque via; ego illam comminari cogor, ut ad reconciliationem inducam. Illi puniunt, ut perdant; ego si quandoque punio, id facio ut emendem. Illi passione commoventur & ira; ego ratione urgeor & justitia. Illi putant sibi dedecori fore si reconciliationem primi poscant; ego hoc ipsum mihi duco honori. Illi exultant cum sese vindicant; ego fleo & contristor cum ulcisci debeo, & quantum possum eam differo.

An non hæc omnia perspicua sunt in hoc nostro Evangelio, dum sceleratæ civitati appropinquat cum benignitate, dum eam respicit oculis misericordiæ, dum super eam flet intima compassione? An non iterum hoc manifestum est, dum Hierosolymæ exitionem (quam nunc prænunciat) annis pene quadraginta differt, diversis interim prodigiis plebem suam admonens ad conversionem, ut iram imminentem placare valeat? Certè tamdiu dilatam fuisse eversionem & vindictam in populum suum ob Christi lacrimas & preces, tum hic, tum in cruce fusas, dum pro inimicis deprecaretur, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, testis est S. Cyprianus in serm. de Passione.

Felix certe foret Hierosolyma, si ad eam appropinquante Domino per gratiam, appropinquasset & ipsa ad eum per resipiscentiam. Felix, si eam intuente Domino tanta cum pietate intueretur, ut ipsa Dominum reciproco amore cum perfecta cordis conversione. Felix si intueretur etiam ipsam omni depulsa caligine & cæcitate Felix, si super eam flente Domino, super se & ipsa fleret, & causam tantarum lacrimarum agnosceret. O Jerusalem collyrio inunge oculos tuos, ut videas & fleas! Sic cervici tuo incumbentem advertere poteris ultionem: sic poteris & eam avertere, iramque Domini ipso te ad hoc invitante placare. Sed, *ut provocatrix & redempta civitas columba. Non audivit vocem, & non suscepit disciplinam, in Domino non est confisa, & ad eum appropinquavit.* Illa quæ ex Ægypto & duro servituris Pharaonicæ jugo olim à Domino educta fuit & redempta, & quasi columba adamara; nunc facta est amaricatrix (ut legunt Hebræi) ad amaritudinem & fletum Deum suum ob peccata provocans; & facta est quasi columba non habens cor, sine prudentia & intellectu sinens se decipi, ultro in laqueum & necem ruens, non audiens vocem flentis & invitantis ad resipiscentiam & gratiam, nec appropinquans per reconciliationem ad illum qui fœdus offert & pacem. Exultavit quidem ad horam in luce & voce ejus, sicque ad eum appropinquare visa est dum inclamat, *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel*, dum sternit vestimenta sua in via honoris gratia, dum palmis & olivis vult eum coronare, dum ramos de arboribus triumphatori detulit. Sed paucis exinde diebus repudiat eum, è civitate sua ejicit, probris & ignominia afficit, arundine inaugurat, spinis coronat, cruce onerat, veste exspoliat, maledictum & cruci suffigendum proclamat. Væ, væ provocatrix & amaricatrix civitas! *O quam dissimiles sunt flores tui & spina! O quam disparia verba, Benedictus Rex Israel, & non habemus Regem nisi Cæsarem! O quam dissone voces, Benedictus qui venit, & tolle, crucifige eum!* Vere provocatrix & amaricatrix civitas, lacrimis amaris sui Redemptoris merito deploranda.

Sophon. cap. 3.

Bern. serm. de ramis.

Mul-

PARS II. *De causis lacrimarū Christi.*

MUltoties Christus Dominus lacrimatus reperitur, numquam tamen nisi propter peccata, aut pœnas peccatis debitas.

Primo lacrimatus est in suis incunabulis, sicut & alii infantes; non tamen ob eam solum causam, qua ipsi: *Vagit infans inter arcta conditus præsepia*: sed vagit propter hominum peccata, pro quibus satisfacturus advenit. Unde si cor ejus postes introspicere, scriptum reperires: *Nunc lacrimans fundo pro te, paratus postmodum sanguinem etiam fundere.* *Sæpe Christum flevit.* *Ioan. 11.*

Secundò flevit super Lazarum à mortuis resuscitandum, cum jam fœteret post quatriduum, quia ipse repræsentabat inveteratum peccatorem in sepulchro vitiorum jacentem quem difficile est ad vitam gratiæ revocare: quod quidem lacrimis, & fremitu & oculorum in cœlum jactu, & vocis clamore grandi ostendit tunc Dominus. Similiter etiam istæ Christi lacrimæ humanæ mortis amaritudinem è peccato originali exortam protestantur; sicut & ipsius recenter in stabulo nati lacrimæ miserandam carnis conditionem à peccato Adæ enatam proclamant; ita ut possit dicere illud. *Primam vocem similem omnibus emisi plorans. Sum namque & ego mortalis homo, ex genere terreni illius qui prior factus est, & ego natus accepi communem aerem & in similiter factam decidi terram.* *Sap. 7.*

Tertiò flevit super Judam, dum ei pedes lavat, ut insinuat S. Augustinus. Cor enim ejus induratum conatus est emollire non solum verbis, sed etiam humili adgeniculatione, pia ablutione, osculoque cum lacrimis pedibus ejus dato.

Quartò flevisse in cruce, & sanguini lacrimas addidisse, testis est Apostolus dum dicit: *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque cum clamore valido, & lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* *Hebr. 5.*

Denique antea (ut hoc Evangelium testatur) flevit super civitatem Jerusalem, dum illi in die ingressus sui triumphalis appropinquaret. Certum est autem propter peccata potius, quam propter muros Jerusalem flevisse, nec tam ædificiorum jacturam deplorasse, quam animarum. Sic docuit nos nihil dignum esse lacrimis nisi peccatum, cui etiam solæ lacrimæ medelam afferre possunt & remedium. Quapropter dum mulieres flerent super ipsum ad crucem procedentem, dixit aperte: *Nolite flere super me, sed flete super vos ipsas.* *Luc. 23.* Quasi diceret: Cum lacrimæ ad eluenda & deflenda peccata sint à Deo homini datæ, magis vobis convenit flere super vos, quia peccatis estis obnoxiæ, quam super me, quia sine peccato ego sum. Quod si miserandam meam sortem plangitis, scitote peccata vestra unicam illius causam existere, & ideo super vos plangite. Sed plenius & particularius causas harum lacrimarum è Christi corde & oculis manantium explicemus.

1. *Caussa fletus* Dicamus primo, Christum considerasse inundantia tunc peccata in populo suo, & quidem in omni statu & conditione; ideoque hæc ei lacrimas excussisse. Eadem nimirum scelera tùc regnabant in Jerusalem quæ describit Sophonias. *Principes ejus in medio ejus quasi Leones rugientes: Judices ejus lupi. Vesperè non relinquebant in manè: Propheta ejus vesani, viri infideles: Sacerdos ejus polluebant sanctum, injustè agebant contra legem.* Ubi à primoribus, tum in sæculari, tum in Ecclesiastica dignitate constitutus, scelera & corruptelam Jerosolymæ describit. In primis dicit, Principes fuisse crudeles, populum expilantes & devorantes leonum instar. Nam sicut Leo in medio animalium grassatur, & nunc hoc discerpit, nunc illud; ita Principes Hierosolymæ, nunc hos, nunc illos cives & pauperes deprædari soliti erant. Deinde descendit ad Judices, quos Principum in injustitia & rapacitate dicit asseclas fuisse, similesque lupis vespertinis, qui scilicet tamquam lucifugi vespere grassantur, & ex divina inedia fame rabidi prædantur, totamque ita prædam devorant, ut nihil relinquant. Sic nimirum & Judices inique suis injustis judiciis diripiebant bona pauperum tanta aviditate, ut ex illis nihil relinquerent. Ulterius descendit ad Prophetas, dicitque eos fuisse vesanos, hoc est non tam spiritu Dei, quàm spiritu diaboli agitatos; additque eos fuisse viros infideles, hoc est mendaces, quia cùm essent contemptibiles & ignorantes, fingebant se agi spiritu prophetico fingebantque se à Deo mitti ad annuntiandum prospera, cùm Deus nonnisi excidium minaretur. Denique transit ad Sacerdotes, eorumque duplicem impietatem arguit, quod sanctum scilicet prophanarent, quodque legem opprimerent audacter, & libere eam transgredientes, sanctum prophanasse dicuntur, hoc est templum & sanctuarium ejus, sacra & sacrificia indigne tractando, ea non ad Dei sed ad suum usum luxumque convertendo, exercendo usuras, si monias, rapinas, sacrilegia; denique prophana ibi tractando, & scandalosè vivendo Legem dicuntur oppressisse, vim ei afferendo, & eam violando, quæ eis tamquam custodibus commissa erat & concredita, sicut Virgines olim Eunuchis committebantur ad custodiam. Majus ergo erat peccatum eorum quam aliorum, sicut de quibusdam conqueritur Sapiens: *Concupiscentia spiritus devirginavit juvenculam, sicqui per vim subvertit judicium & legem.* Ipsi igitur Duces erant & auctores populo ad legem violandam. Imò & opprimebant legem per falsas suas & ad lucrum conflictas expositiones, sicut eis improperat Christus, Matth. 5. & 23. *Christi superlerusalem.* *Soph. 3.* *Eccli. 20.*

Addit postmodum Propheta Sophonias: *Dominus justus in medio ejus non faciet iniquitatem; Mane, mane judicium suum dabit in lucem, nescivit autem iniquus confusionem.* Quod ad propositum nostrum sic possumus interpretari, quasi dicere velit. Interim Christus Dominus justus & justitiæ Rex, non obstantibus tot flagitiis quasi feculentâ colluvie inundâte, dignatur visitare Jerusalem præsentiâ suâ, *Sophon. 3.*

& in medio ejus agere familiariter, conversando, ut ei curam impendat & medelam, protectionem & misericordiam, ut ei offerat gratiam & salutem. Sed quia Hierosolymæ ita sunt iniqui & impii, ut non pudeat eos nec pœniteat scelerum, etiam si audiant sibi instare vindictam & judicium, sed nescientes confusionem accumulant peccata peccatis; ideo *Manè, Manè*, id est, quantocyus judicium suum, sive justum supplicium quo castigaturus est Jerusalem, dabit in lucem, & manifestum faciet. Quia tamen non id faciet ex odio ejus, sed amore justitiæ, eo quod non possit iniquitatem facere, nec eam inultam tolerare, ideo cum lachrymis cogitur jam id prænuntiare.

2. *Causa Populi Judaici ingratitudo, & cæcitas.*

Dicendum igitur secundò, inter scelera Jerusalem maxime deplorasse Dominum ejus ingratitudinem & cœcitatem. Ingratitudinem quidem cæcitati conjunctam in hoc ostendebat Hierusalem, quod sibi oblata tot pretiosa cœlitus dona amplecti noluerit, vel agnoscere; scil. Christi Salvatoris sui doctrinam & gratiam, exempla & miracula: quinimmo post tot beneficia crucem ei fabricat, & necem acerbissimam molitur. Illam ergo ingratitudinem obortis deplorat lachrymis, quam postea Sol & Luna, saxa & elementa luxisse & detestata fuisse leguntur, dum interim Jerusalem, saxis insensibilior, in obstinatione permaneret & caliginosa cæcitate. Quapropter de ea merito inclamat Dominus: *O si cognovisses & tu!* Si cognovisses quæ ipsa astra & elementa insensibilia agnoscent, & deflere cogentur! De hoc frequenter conqueritur per Prophetas, modò ad Patrem suum vota convertens, modò ad populum obcæcatum & ingratum, ingratitudinem ei istam exprobrans. Sic in ejus persona dicit Hieremias: *Recordare Domine quod steterim coram te ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis.* Atque ad populum iterum in persona eis hanc querelam diriget: *Populе meus quid feci tibi, aut quid molestus fui? Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ?* Patientissimus quod Job videtur in persona Christi tremendam vocem erigere, & ingratitudinem detestandam populi sui alto clamore condemnare, dum dicit: *Terra ne operias sanguinem meum, & non habeat in te locum latendi clamor meus.*

Jerem. 18.

Job. 16.

Hinc & illæ voces Ecclesiæ in die Veneris sancto, non solùm nova, sed & antiqua beneficia improperantes, ad ingratitudinis humus & cæcitatis rememorationem & deplorationem.

1. *Populе meus quid feci tibi, aut quid molestus fui? Numquid redditur pro bono malum?* Quia eduxi de terra Ægypti per desertum 40. annis, & manna cibavi te, & introduxi te in terram fluentem lacte & melle, ideo parasti crucem Salvatori tuo.

2. *Populе meus quid feci tibi, aut in quo contristavi te? Numquid redditur pro bono malum?* Quia plantavi te vineam speciosissimam, factus es mihi nimis amara; aceto namque sitim meam potasti, & lanceâ latus perforasti Salvatoris.

3. *Populе meus quid feci tibi? &c.* Ego propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis, & tu me flagellatum tradidisti: ergo te eduxi de medio Pharaone & ejus Principibus, & tu me tradidisti Sacerdotum Principibus, Ego ante te prævi in columna nubis & ignis, & tu me ad columnam ligasti, & ad prætorium Pilati duxisti.

4. *Populе meus quid feci tibi?* Ego ante te aperui mare, & tu aperuisti lancea latus meum: Ego potavi te aquâ salutis de petra, & tu me felle & aceto.

5. *Populе meus quid feci tibi?* Ego propter te Reges Chananæorum percussi, & tu percussisti arundine caput meum: Ego dedi tibi sceptrum regale, & tu dedisti capiti meo spineam coronam: Ego te exaltavi magna virtute, & tu me suspendisti in patibulo.

Postremò dicamus: *Populе meus quid feci tibi, aut quid molestus fuit? Numquid redditur pro bono malum?* Ego te quadraginta annis veste non tritâ conservavi, & ideo me denudasti: Ego exaltavi serpentem in deserto, cujus conspectu sanareris, & tu me quasi serpentem & venenatum erexisti in ligno: Ego te omnibus populis prætuli, & tu me cum iniquis deputasti, & Barrabam latronem mihi prætulisti.

Ex his igitur omnibus manifesta est ingratitudo & cæcitas populi Judaici post tot beneficia specialissima: & hæc ingratitudo merito lachrymas excutit ejus benefactori, etiam in medio triumphi.

3. *Causa imminens urbi vastitas.*

Dicendum tertiò fleviſſe Dominum propter civitatis destructionem futuram, ejusque horribilem vastitatem, quam prævidebat. Dolebat ergo etiam humano quodam affectu Urbem regno, & templo pridem decoratam, civibus potentissimam, opibus circumfluam, ædificiis splendidissimam, sacrificiis inclytam, sacerdotio gloriosam, (nobile adeo emporium, orbisque prodigium) post indicibiles calamitates excindendam, penitusque evertendam. Unde nec siccis oculis eam potuit intueri ex monte Oliveti descendens, ex quo loco auspicanda erat obsidio. Et quia ista calamitas abscondita erat ab oculis infelicis hujus plebis, manifestanda fuit per immadentes oculos sui Regis & Salvatoris & prænuntianda per vocem cœlestis ad se missi Doctoris & præconis. Ideo in particulari prædicit: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique: & ad terram prosternent te, & filios qui in te sunt; & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Hic summariè, & compendiosè futuram urbis desolationem complectitur, quam fusè per singulas partes consequitur Josephus lib. de bello Judaico, præsens & oculatus testis, ex ipsa gente Judaica Sacerdos. Atque in prologo lib. belli hujus sic dicit: *Ex omnibus quæ Romano Imperio passæ*

rent solam nostram civitatem contingit ad summum felicitatis fastigium procedere, eamque ad ultimum calamitatis casum deponi. Denique, omnium post condita sæcula res adversas si cum Iudæorum calamitatibus conferantur, has superare non ambigo. In libro autem sexto in has irruisse calamitates ob impietatem, & scelera tunc inundantia his verbis fatetur. *Non recusabo dicere quæ dolor jubet. Puto si Romani contra noxios venire tardassent, aut hiatu terræ devorandam esse civitatem, aut diluvio perituram, aut fulgura, aut Sodomitana incendia passuram. Multò enim magis impiam progeniem tulit, quàm illa pertulerat.* Hæc ipse. Ex quo collige non solum singulos homines, sed etiam urbes integras & regiones ob peccata disperdi à Deo.

Sic sapienter Rex quidam respondisse fertur civibus cujusdam potentis civitatis, missis ut auxilium ab eo deposcerent contra hostem recenti obsidione eos aggredientem. Cum enim ipsi exponerent Regi civitatis suæ vires ad obsistendum muros altos, turres munitas, aggeres validos, fossas profundas, & alia bellica quæ ad sustinendum hostilem impetum plurimùm valerent, interrogavit ipse: *Esine etiam civitas vestra benè tecta desuper, ut divinæ in illam iram non valeat ruere, eamque disperdere?* Sic sapientissimè indicavit, loca quædam munitissima etiam in prædam, & ruinam quandoque cedere infirmiori hosti ob peccata cœlitus punita.

Itaque Jerusalem, viris viribusque ac muris fortissima & munitissima, miseranda clade de hostibus afflictata fuit, ita Deo ordinante propter ejus peccata, & maximè propter sanguinem Christi, & necem acerbam innocuo inflictam. Unde dicit de ea: *Venient dies in te.* Quinam dies? Illi scilicet dies Prophetæ vaticinio prænunciat, dum ait: *Civitas effundens sanguinem in medio sui, ut veniat tempus ejus, quæ polluta es in sanguine qui à te fusus est. Appropinquare fecisti dies tuos.* Illos dies distulit Dominus annis pene quadraginta expectans ad pœnitentiam, & portentis horrendis cives admonens ad resipiscentiam, sed surdi & cæci permanserunt. Sicut enim his Christi præviis lachrymis, & deplorandis vocibus non sunt commoti, sic nec subsecutis postea prodigiis profecerunt, nec cœlestibus monitis.

Admirabile est quod refert Josephus lib. 7. c. 17. Quidam, inquit Jesus, filius Anani plebejus, & rusticus quadriennio priusquam belli calamitas incideret, in summa civitatis pace atque opulentia, cùm ad festum diem venisset, repente cœpit exclamare: *Vox ab Oriente, Vox ab occidente, vox à quatuor ventis, Vox in Hierosolymam & templum, Vox in maritos novos novasque nuptas, Vox ad omnem hunc populum.* Atque hæc interdiu noctuque omnes urbis vicos circumibat clamitans. Nonnullis autem virorum insignium adversum omen indigne ferentes, corripientes hominem multis eum verberibus affecerunt. Illud vero nec quicquam loquutus ad eos, eadem quæ priùs vociferans perseverabat. Magistratus autem rati divinum esse hominis motum, ducunt eum ad Romanorum Præfectum. Ubi plagis usque ad ossa laceratus, nec cuiquam supplex fuit, nec lachrymatus; sed ad singulos ictus respondebat; *Væ, væ, Ierosolymis.* Sic quasi furens dimissus ab Albino (qui tunc Præfectus & Judex erat) noluit judicare quis esset, vel unde ortus, vel cur ista diceret. Dimissus autem, nec quemquam civium, nec cuiquam male imprecatus est, cum verberibus afficeretur, nec victum offerentibus benedicebat, sed eandem semper vocem repetebat; *Væ Ierosolymis.* Maximè autem diebus festis vociferabatur: & licet continuis pluribus annis id fecerit, non tamen voce raucior fuit nec quievit donec obsidionis tempore murum circumiens, & voce magnâ inclamans: *Væ civitati, væ populo, væ templo,* tandem addidit: *Væ etiam mihi,* sicque lapis tormento missus eum peremit.

An non hæc cœlestia erant monita cladi futuræ multis annis prævia, quæ ad eam præcavendam per pœnitentiæ lamenta debeant civitatem istam commovere? An non hæc cum his Christi verbis & lachrymis concordabant: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui, & coangustabunt te? O si cognovisses & tu, & quidem in hac die quæ ad pacem tibi!* Sed quoniam improviderant & immemores horum dierum, harumque angustiarum, ideo meritò deplorantur.

Adverte autem, à Domino sub his paucis verbis, *Coangustabunt te inimici tui,* multas & indicibiles angustias comprehendi & deplorari. Quæ enim major angustia, quam foris undique concludi, intus fame & peste omnia depascente, sine ulla fugæ facultate, vel subsidii spe? Quæ major angustia, quam cibum quemlibet sibi mutuo detrahere & diripere sine ullo pudore? Nam & uxores viris, & filii parentibus, & matres cibum pueris ex ipsoore rapiebant, & marcescentibus inter manus charissimis nemo parcebat, quin vitæ guttas eriperet. Quæ major angustia, quam videre abstractos infantes à matrum sinu & uberibus saxis & parietibus, videreque tecta mulieribus examinatis & infantibus plena, viarumque angusta repleta senibus mortuis. Etenim domus & plateæ sepulchra erant, quia multitudo funerum non poterat efferri, sed ipsi sepelire volentes intermoriebantur super aliorum cadaveribus, & semivivi ad sepulchrum cum ipsis properabant. Quæ major angustia, quam cernere fossas circa muros plenas cadaveribus, & altâ sanie tabefactis corporibus defluentes, ita ut sexcenta millia cadavera è muris præcipitata dinumerari potuerint? Quæ major angustia, quam cernere apertos ventres transfugientium quorundam, & ferro rimata eorum viscera ad scrutandum, si forte deglutissent aurum prout fama ferebat? Una enim nocte duorum millium patefacta sunt hanc ob causam viscera. Quæ major angustia, quam audire

Promeretur in summa Pradicantium V. ira Dei.

Exod. 22.

Summæ civitatis Ierusalem angustiæ.

numerum eorum qui fame, peste, gladio perierunt; excreviſſe ad undecies centena millia; numerum autem eorum qui in mancipia vendebantur, nonaginta ſeptem millia exceſſiſſe, adeoque vili pretio venditos fuiſſe, ut prò denario uno darentur triginta homines, eò quod Chriſtum denariis triginta à proditore emiſſent? Denique, quæ major anguſtia urgente fame, quàm non ſolum vel folia; vel cortices arborum, vel partem corii comedere, ſed etiam cloacas rimari ut veterem ſimum, & ſtercus ibi collectum ſumerent in alimentum? Sed & illa anguſtia omnes ſuperare videtur, quâ matres ipſæ fructum uteri ſui crudeliſſime devorare cogebantur. Quod ipſum longe ante Moyſes prædixerat: *Obſideberis intra portas tuas, & comedes fructum uteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus, in anguſtia & vaſtitate, quâ opprimet te hoſtis tuus.* An non igitur merito, & cum emphaſi dicit Chriſtus Dominus: Inimici tui coanguſtabunt te? Audi hujus rei teſtimonium ex Joſepho l. 7. c. 13. *Deut. 28.*

Mulier quædam Maria nomine, filia Eleazari genere & divitiis nobilis, cum cæteris obſidione premebatur. Huic cum à ſeditioſis irrumpentibus omnia direpta eſſent, ſpeſque victus adempta, fame viſceribus & medullis irrepente vi animi & neceſſitate compulſa, adverſus naturam excitata eſt. Unde rapto filio quem adhuc lactentem habebat, ſic ait: *Cur infelicis matris infelicem filium te in bello, fame, ſeditione, & direptione ſervavero? Eſto igitur mihi cibus, & ſeditioſis furia, & humanæ vitæ fabula, ut nihil deſit calamitati Judæorum.* Hoc dicens filium occidit: coctumque medium comedit: adopertum autem reliquum ſervavit. Mox adfuere ſeditioſi & nidoris odore capti mortem minantur, niſi cibum oſtendat quem odorabantur. Illa verò bonam partem ſe ex eis reſervaſſe reſpondit, & mox filii ſui reliquias oſtendit. Illos autem è veſtigio horror invaſit viſuque ipſo diripuerunt. At mulier: *Hic*, inquit, *verè filius meus eſt, comedite, nam & ego comedi. Nolo ſitis fœmina molliores, aut matre miſericordiores. Quod ſi meum ſacrificium repudiatis, ego quidem comedi reliquum ejus me manebit.* His auditis illi tremente exierunt. Mox autem eo ſcelere tota repleta eſt civitas, & unuſquiſque ſibi ante oculos cladem illam proponebat, & horrebat. O materna viſcera, quæ ad pariendum, & educandum dilatata fuerant, ad quam anguſtiam tunc redacta fuere, ut iterum emortua & dilaniata carne filii uterus qui genuit repleretur! O quam merito dixit Dominus: *Inimici tui coanguſtabunt te undique, & filios tuos qui ſunt in te?*

PARS III. *Quavis mala civitas & anima peccatrix*

POſtremò hic dicendum, Chriſtum non ſolum modò amaris lachrymis defleviſſe peccata, & ſortem miſerandam civitatis Hieroſolymitanæ; ſed etiam in typo Jeruſalem defleviſſe civitatem omnem flagitiis, & criminibus deditam, divinæ gratiæ dona, & ſupernæ viſitationis tempus reſpuentem & aſpernantem, ſique ad ſe ultionem cum temporalem, cum æternam ultrò accerſentem. O quam verè de multis civitatibus, & provinciis dici modò poteſt illud flebili voce olim à Domino pronunciatum: *Si cognoviſſes & tu, & quidem in hac die quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Multæ enim nunc abundant pace & proſperitate, & flagitiis immerſæ, immemoreſque futurorum, mala ſibi poſt annos aliquod imminentia non conſiderant; quæ ſi prævideren; ſeſe ad lachrymas componerent, & ſuos collacrymarentur Salvatori. O utinam ſaperent, & intelligerent & novisſima providerent! Utinam collyrio humilis pœnitentiæ oculos cæcutientes inungerent, ut futura mala præviderent & averterent. At verò in mediis ſceleribus rident & ducentes in bonis dies ſuos ad inferos clauſis oculis properant. Certe ſi cæcitas, & ingratitudo populi Judaici ita arguitur, & adeo amaris à Domino lachrymis deploratur, non minor eſt cæcitas, & ingratitudo populi Chriſtiani, poſt tot dona & beneficia quæ per verbum Dei accipit, per Sacramenta & ſacrificia, per pretioſum corpus & ſanguinem Chriſti ſibi teſtamento legatum, per tot auxilia ſupernæ vocationis & gratiæ, ad tot ſcelera, & flagitiorum portenta projectum eſſe. O ſi in talem poſſemus ſpeculam conſcendere, ex quo inundantia in civitatibus Chriſtianis crimina ſpectare poſſemus? O ſi daretur fodere parietem cum Ezechiele Propheta, & reperire abominationem ſub multorum [illegible] latitantem impoſſibile certe foret hominem [illegible]mentis hæc inſpectantem temporare à lachrymis, quandoquidem, & hæc commoverint viſcera ipſius Dei Judicis & Vindicis. *ſub typo Jeruſalem defletur.*

Inſpice Regum Principumq; palatia, quàm perverſa ibi agitantur conſilia, conſpirationes, depeculationes, ex avaritia, ambitione, invidia originè ducentes? Univerſitas ibi iniquitatis. Academia impietatis, quia iniquitas & impietas ibi ſedet, & decernit quæcunque vult, ibi Cathedra peſtilentiæ erecta crebrò cernitur, decreta & placita ferens in perniciem fidei, in jugum & jugulum populorum. An non hæc omnia digna ſunt lachrymis?

Inſpice tribunalia Judicum, & in illis juris legumque per verſionem, pauperum oppreſſionem, falſorum teſtimonium, & perjurorum aggregationem, juſtitiæ per munera excæcationem & corruptionem, & videbis adhuc modò verum illud eſſe: *Vidi ſub ſole in loco judicii impietatem, & in loco juſtitiæ iniquitatem.* An non iſta digna ſunt lachrymis? *Eccleſ. 3.*

Inſpice plateas publicas negotiatorum officinas privatorum domos: avaritia & falſitas: uſuræ & fraudes in pondere & menſura; juramenta mendaciis aſſociata ibi dominari reperies. Præterea ebrietas, & rixæ cum blaſphemiis, fornicationes, & adulteria cum nefandis impudicitiis ibi reperiuntur, de quibus etiam nonnulli audent gloriari, peccatum ſuum velut Sodoma prædicantes, bibentes quaſi aquam iniquitatem. An non & hæc ſunt digna lachrymis.

Inſpice

Inspice denique, quæ crimina in Ecclesiastico, & Sacerdotali statu serpant immò etiam in religioso; & invenies in multis libertatem & dissolutionem ingluviem & asotiam, luxuriam & invidiam, quæ tanquam pestes sanctitatis locum contaminant, & pietatis statum depascuntur. O quam frequenter maculata conscientia sacrilegisque manibus filii Dei pretiosa pignora in altari pertractantur? Quidam enim de nocte filiam Veneris, de die non verentur attingere filium Virginis ore impudenti. Avaritiæ quoque spurcitiam & simoniacam labem plerumque in clero reperies, ita ut verum sit de multis civitatibus populosis illud: *A planta pedis usque ad verticem non est sanitas: vulnus & livor & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Item illud ibidem: *Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, deliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* An non hæc digna lachrimis?

Isai. 1.

Hæc omnia deplorabat Christus amarissimis lachrimis, quia omnia hæc prævidebat omniscius benignissimis oculis. Considerabatque ingratitudinem, & cæcitatem non solum Judæorum, sed etiam Christianorum illorum, de quibus Apostolus: *Rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes, & sanguinem testamenti pollutum ducentes.* Atque propterea sæpius super civitates & provincias ultio divina incumbit, quod ipsum commiseratione dignum est & lachrimis Salvatoris; qui quidem semel flevit super Jerusalem, sed etiam modò adhuc fieret super civitates sceleratas criminum ejus imitatrices, & ærumnarum hæredes, si in carne passibili ageret.

Hebr. 6. & 10.

Audi mirabile hujus rei exemplum ex Baronio tom. 10. Anno Dom 888. est enim memorabile & formidolosum portentum quod eo Anno contigit in urbe Aureliana Galliarum. Ibi Monasterium constitutum antiquitus fuit in honorem Principis Apostolorum, in quo primitus Collegium Sanctimonialium Virginum omnipotenti Deo deservisse cognoscitur. In hujus Monasterii medio defixum stabat vexillum præferens imaginem Salvatoris pro salsitate humana patientis. Ab hujus autem imaginis oculis per aliquot dierum spatium continuè, multis cernentibus, rivus emanavit lachrimarum. Ad id terribile spectaculum maxima convenit multitudo hominum, quorum plerique animadverterunt divinum esse quoddam præsagium calamitatis urbi superventuræ. Sicut enim Salvator præferens civitatis Hierosolymitanæ detrimentum, flevisse illam perhibetur, sic & hanc civitatem Aurelianam, imminentem cladem passuram, per expressam suæ imaginis figuram flevisse comprobatur. Contigit & aliud ejusdem eventus prodigium. Nam cùm una noctium custodes majoris Ecclesiæ Episcopalis ex more exsurrexissent, & portas aperuissent ad matutinales laudes, subitò lupus adfuit, Ecclesiamque ingressus funem signi ore arripuit, & agitans illud insonuit. Custodes autem stupore concussi, clamore tandem emisso, quo potuere conatu, illum ab Ecclesia exturbarunt. Quid autem lachrimæ imaginis Salvatoris, & prodigium illud indicarent, eventus satis significavit. Nam subsequenti Anno tota civitatis habitatio cum domibus Ecclesiarum terribili igne cremata est. Ita ex Glabro lib. 2. c. 5. Baronius.

Exempl.

Non multum ab simile est quod circa Andronicum Orientis Imperatorem gestum est Anno Domini millesimo centesimo octuagesimo quinto, teste Niceta Choniate qui ævo illo vixit, & historiâ hanc texuit. Hic Andronicus miserabilem cladem passus est, regno exturbatus, fortunæ ludibrium factus, orbisq; spectaculũ prodigiosum per necem acerbissimam & ignominiosissimam. Cum autem esset fidei catholicæ tenacissimus, & Apostolo Paulo devotissimus, cujus epistolas semper præ manibus apertas habebat, id obsequii gratis sibi deferri non est passus Apostolus, sed curam sui gessit cultoris. Nam cum ei exitium immineret, imago Apostoli auro exornata, & in Oratorio sacro collocata, ubertim lachrimari visa est. Quas quidem uberes lachrimas sacræ imaginis tamquam cæleste ostentum & venturæ cladis nuntiũ Andronicus accepit. Paulò ergò pòst ab Isaacio Angelo victus, ferreis catenis collo & pedibus injectis ad eum perductus est, factâ omnibus licentiâ in eum quidlibet audẽdi. Itaque impinguntur ei colaphi, barba vellitur & capilli, dentes excutiuntur, à mulierculis cæditur, omnium ludibriis exponitur. Paucis exinde diebus dextra præciditur, oculus unus suffoditur, & sic oculo uno & manu deformis scabioso, Camelo imponitur, & per forum triumphi forma deducitur. Ibi plebs petulans nullâ habitâ ratione Imperatoriæ dignitatis antea adeptæ, & juramenti ei facti impetũ in ipsum fecit, furore omnibus arma ministrante. Clavas quidam in caput impegerunt, alii spongias hominũ pecudumq; excrementis plenas in faciem expresserũt, verubus alii latera pupugerunt. Illi lapidibus, hi luto petiverunt, cũ dicteriis & improperiis nefariis. Impudens mulierecula ollâ bullientis aquæ de culina raptam in caput ejus effudit: nemo erat qui ei non malefaceret. Postea Camelo detractus inter duas columnas pedibus suspẽsus fuit. Sed nec suspenso furibunda turba pepercit; unus ensem per pendentis alvum ad intestina adegit alii duo aversum corpus transfixerunt. Sic misere vitam abrupit. Verè tamen se gessit christianũ. Non est auditus lamentari, aut fortunam accusare; sed cum Deo cepit rationes ponere, & peccatorum veniam orare, illud solum ingeminans: *Domine miserere. Domine miserere.* Miser Andronice, lachrimis digne, quòd tanta ferre cogaris; Felix quòd patienter feras, & agnoscas peccata tua sic esse expianda! Quantam tibi Deus gratiam fecit, quam precatio Apostoli impetravit, dum hæc pati datur paucis diebus, ne pereas omnibus diebus; brevi etenim tempore hic miser fuisti; ne fores æternum miser.

Drexel. ex Nicetæ libello de Æternit.

Com-

Concludendo dicamus, quod sicut Christus Dominus dum flevit super Jerusalem & calamitatibus ejus, rectè etiam flevisse dicitur super quemlibet populum & civitatem similibus peccatis & pœnis obnoxiam; sic etiam censetur flevisse super quamlibet animam peccatricem & impœnitentem, ad miserias æternas præcipiti & cæco gressu properantem. De quolibet enim peccatore impœnitente verum est, quod tristitiæ & lachrimarum materiam copiosam Domino dederat, quia venerat peccatores salvos facere, & gratiæ divinæ rebelles sanguineis etiam lachrimis deflere. Sed & eorum unicuique illud Domini convenit: *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die qua ad pacem tibi. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Dies hujus vitæ (ut notant. SS. Patres) dies nostri vocantur, in qua quicquid nobis libet, Deo permittente operamur, in qua etiam indulgere datur propriæ voluntati, libidini, ventri. De illa dicebat Hieremias Propheta Domino: *Diem hominis non desideravi tu scis.* Dies hominis est ille quo homo prosperatur, & pogens est, quo honoratur & laudatur, in quo gloriatur & deliciatur propriæ indulgens voluntati & voluptati. Idem ergo est ac si diceret Propheta: Non desideravi prosperitatem, opes, honores, delicias, plausus hominum; sed tu scis Domine, quod tibi in omnibus placere soli conatus sim; & scio ego quod homo cum omnibus quæ desiderare potest in hac die sua, & in hac fœculi prosperitate, brevi sit interiturus, & diem tuam subiturus. Est ergo dies præsentis vitæ velut dies hominis; subsequetur dies aliena, dies Domini, in qua unicuique juxta justitiam suam retribuet. Unde S. Paschasius lib. 2. in Threnos sic dicit: *Suam diem habet anima perversa, quo transitoriis lætatur bonis. Cui ea quæ sunt, ad pacem sunt; quia dum rebus temporalibus gaudet, dum in honoribus extollitur, dum in carnis voluptate resolvitur, dum nulla pœnæ formidine terretur, pacem habet in die sua qua gravem damnationem habebit in die aliena.* Plangenda ergo est illa anima quæ seipsam non plangit, & quæ tota est in die sua, ut diei Domini non meminerit. Talis est, inquit S. Gregor. hom. 39. in Evang. quæ rebus præsentibus dedita, abscondit sibi mala sequentia, quia prævidere futura refugit, quæ præsentem lætitiam perturbent, dûque in præsentibus delectationibus se deserit, quasi clausis oculis ad ignem vadit. Huic igitur dicitur: *O si cognovisses & tu.* ruinam scilicet tibi imminentem, haud utique exultares, sed lachrimis Salvatoris tui lachrimas tuas conjungeres, & peccata per pœnitentiam defleres, ut flammam ignis minacis extingueres; nec pacem fallacem terrenæ voluptatis improvidus adamares, sed quæ pacis sunt æternæ sollicitus quæreres. Hoc est quod Urbanus IV. in Psalm. dicit: *Verè si cognovissem sicut & tu, Domine, poterem à te ut aperientur cataractæ capitis mei, & diluvium lachrimarum marum faceres abundare, ita ut anima mea tota esset lachrimis liquefacta, & iniquitas mea in hoc diluvio deleretur.* Certè magna Dei pietate agitur, ut cùm adhuc futura est, dum adhuc caveri potest sua homini ruina reveletur, ut prævideat & agnoscat quid cavere debeat, ne nimis sera providentia sit & sollicitudo, dum jam periculum non potest evitari. Sic lachrimæ Domini, lachrimæ sunt pietatis erga Jerusalem, & erga quamlibet peccatricem animã, dum ei quadam admonitione interna repræsentat periculosum statum suum, & ipsi dicit: *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die qua ad pacem tibi.*

Ierem. 17. Quis dies hominis dicatur.

De anima quoque peccatrice verum est illud quod sequitur: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te.* Hæc enim contingunt peccatori instante jam morte. Dæmones enim tunc vallum injiciunt, ut animam suæ potestati subjiciant. Objiciunt omne quod possunt salutis impedimentum, aggeresque conficiunt ex peccatis præteritis, eorum multitudinem, fœditatem, ingratitudinem exaggerantes, ut hominem illis opprimant, & in desperationem adducant. Qui antea viam salutis latam esse & apertam persuaserunt, in agone eam clausam & angustam reddunt. Adest ibi spiritus superbiæ, ambitionem arrogantiam, præsumptionem, inobedientiam, obstinationem proprii judicii objiciens. Adest spiritus invidiæ cum suis asseclis, objiciens detractiones, susurrationes, odia, gaudium de alieno malo. Adest spiritus iracundiæ cum suis, calumnias convitia, rixas, contentiones, vindictas exprobrans. Adest spiritus avaritiæ, fraudes, perjuria, furta, usuras, injustitiam omnem coacervans, quasi densum contra te lutum; ut non possis evadere. Adest spiritus gulæ & luxuriæ, in memoriam revocans quicquid carnis voluptati indulsit animus contra Deũ peccans. Adest spiritus accidiæ, tædium inducens, & oblivionem cum corpore, ut homo jam obliviscatur sui, qui antea oblitus est Dei. Sic vallum impenetrabile, & intransmeabile conficitur, quo anima tremula circumcingitur, & includitur desperabunda. Unde, & tunc verificatur: *Coangustabunt te undique.* Quis enim angustias recensere possit, quibus peccator in agone premitur? Supra se Deum videt iratum, infra se infernum apertum, intra se conscientiam lancinantem, extra se spiritum malignorum cohortem circumstantem & prædæ inhiantem. An non etiam eo tempore verum est: *Ad terram prosternent te, & non relinquent lapidem super lapidem?* Quid est ad terram prosterni, nisi bonis consiliis, & sanctis inspirationibus dimissis temporalia solum & terrena respicere, conjugem, liberos testamentum, spem vitæ cogitare, & de cælo ac animæ salute sollicitum non esse? Ad hoc autem toti incumbunt dæmones, ut terrenis tunc cogitationibus animum opprimant, ne ad cælestia se surrigat. Conantur quoque non relinquere lapidem super lapidem, hoc est omnia bona opera, & proposita destruere, dissipare, exinanire inclamantes illud Babylonium: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Fundamentum enim omnium bonorum operum est fides, quam nunc etiam dæmo-

Anima peccatrici coangustatio.

Psal. 136.

demoliti nituntur, infidelitatem cum desperatione persuadentes, ut sic nullus lapis sacri ædificii in anima permaneat. Et cur hæc omnia permittit Deus, nisi quia non cognovit infelix homo tempus visitationis suæ, tempus gratiæ sibi oblatæ ad resipiscentiam, tempus misericordiæ ad vitam, tempus pacis, & reconciliationis ad iram avertendam? O verè angustiæ inexplicabiles ingrati & infelicis peccatoris, qui tempus repudiavit divinæ visitationis! O infelicitas, & cæcitas, digna lachrimis Filii Dei & Salvatoris nostri!

Ne immemores nostri, immemoresque moniti divini, in hanc deplorandam infelicitatem decidamus. etiam usque in hodiernum diem reliquias lachrimarum quas pro peccatoribus effudit Christus Dominus in Ecclesia adservari voluit, tanquam suæ pietatis sacratissimum monumentum, & contra pereuntes animas acerbum amarumque testimonium. Non enim in uno solum loco, sed in variis eas pretiosè conservari sacris est traditum historiis Unde inter sanctas reliquias celebris Monasterii S. Laurentii juxta Leodium sic legimus: *Lachrima Christi Salvatoris, quam Honorius tertius Hugoni Petraponte Episcopo Leodiensi sudario exceptam, dedit Anno 1216. Hugo autem Ottoni ad Divum Laurentium Abbati, individuo suo Comiti servandam reliquit* Sic & in Vendocimensi Cœnobio asseritur servari quædam lachrima Christi, teste Joanne Baptista Signio in Reliquiario capite 1. Item in Artesiaiu vico Vagnensi inter Berthuniam & Liserium ostenditur una ex Christi lachrimis, ad quam venerationis causa multi è longinquis partibus confluunt, ut vel solo tanti pignoris intuitu & sacrosancto attactu oculorum firmitatem, & contra eorundem acres dolores levamen à Christo consequantur. Unde & vicus in tanti pignoris honorem nunc *Sancta lachrima* nuncupatur.

Conclusio.

O Domine, qui dignatus es non solùm super Jerusalem, sed etiam super nos flere, & super nostra ingratitudine & cæcitate; aperire digneris nobis oculos, ut tuas lachrimas cum affectu consideremus tantâ pietate manantes. Aperi oculos nostros, ut futuras calamitates cum timore sancto advertamus, & dum adhuc tempus est avertamus. Aperi nobis oculos, ne de illorum numero inveniamur, qui clausis oculis ad ignem tendunt, & postmodum illos sed serò & infructuosè in tormentis aperiunt. Aperi oculos nostros, & lumen infunde ac lachrimas, lumen quo intueri valeamus peccata nostra, lachrimas quibus ea defleamus & eluamus; sicque quæramus non quæ ad pacem spectant mundanam & ad sæculi prosperitatem, sed quæ ad pacem æternam, ubi absterges lachrimas ab oculis Sanctorum tuorum, & jam non erit amplius neque luctus, neque dolor, quoniam priora transierunt; quando jam non erit amplius peccatum vel peccati occasio, aut calamitatis timor, sed pax regnabit perennis in Jerusalem in visione pacis.

EADEM DOMINICA.

LECT. 15. bipartit.

Videns Civitatem flevit super illam, dicens; Si cognovisses & tu, &c.

PARS I. *Quantum sit odium Judæorum adhuc in Christum Act. 2. & 4.*

IUdæorum alicui parti profecerunt Christi Domini piæ lachrimæ, tum hic, tum in cruce profusæ, quando fundens sanguinem simulque lachrimas, Patrem orabat pro suis persecutoribus & crucifixoribus. Nam propter Christi lachrimas & preces nonnulli reversi sunt percutientes pectora sua, agnoscentes eum Filium Dei. Ac propter easdem, Petro in die Pentecostes in pœnitentiam eis annunciante, mox tria millia, ac subsequente die quinque millia fidem susceperunt & gratiam. Hi fuere semen electum, de quo dicitur: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus* Non ergo Dominus ex toto gentem suam reprobavit, sed seminis electi partem ex Israel deprompsit Major tamen pars Israëlitarum ad lucem Evangelii & fidei oculos clausit, unde eis nihil profecerunt Christi preces & lachrimæ. Quocirca etiam hos deflebant Apostoli, de quibus dicitur: *Angeli pacis amare flebant.* Hoc est Apostoli qui destinati erant tamquam Pacis Angeli, sive Legati & Nuncii salutis, præ compassione flebant super cæcitate populi Israëlitici pacem istam atque salutem rejactantis, & instar vespertilionum ac noctuarium lucem radiantem repudiantis & odientis; ideoque ad Gentilem populum, relicto Israële in caliginosa nocte, progredientes, *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua*

Isai. 1.

Isai. 33.

Psal. 125.

Atque etiam modo digni sunt lachrimis Judæi, quia in illo odio quod semel adversus Christum à se crucifixum conceperunt, etiam usque nunc contumaci furore perseverant. Statim enim à morte ejus eum in membris suis persecuti sunt, Apostolos & discipulos insectantes, Petrum & Joannem flagellantes, Jacobum Majorem gladio percutientes, Jacobum Minorem è templo præcipitantes & enecantes, Paulum & Stephanum lapidantes. Quod si eis adhuc facultas daretur, rursus ipsum Christum & ejus mystica membra, hoc est fideles, crucifigerent, unde non mirum si sanguis Jesu usque modò ab eis exquiritur. Neque id ex conjectura dicimus, sed plurimis historiis per varias sæculorum revolutiones facilè possumus comprobare.

Judæorum odium in Christum è templis docetur.

Notum est de Simone puero Christiano ab eis crudelissimè crucifixo, de quo Socrates. *In loco,* inquit, *inter Chalcedonem & Antiochiam Iudæi ludicra quædam pro more suo celebrantes temulentia abrepti, Christum irridendi gratia & Christianos qui super Christo crucifixo quot annis plangunt, puerum quendam Christianum interceperunt, quem quidem cruci alligarunt, &*

Lib. 16. Hist. Eccl. cap. 16.

aliquamdiu subsannârunt, nepostmodum tamdiu verberarunt donec intermoreretur. Ob eam causam gravis inter eos & Christianos conflictus ortus est, & ab Imperatore scriptum fuit Provinciæ Præfectis, ut auctores facinoris inquirerent & punirent; sicin eodem loco pœnas dederunt.

2. Notum est secundo de Wernero puero, de quo Surius 19. Aprilis. Hic ex pago Wammenrato, qui à Baccarato unius dieiitinere abest ortus est stirpe quidem rustica, sed cultu sanè nobili, religione Christianus, & puritate virgineâ ornatus. Matrem habuit pietati deditam, sed vitricum, tum matrem, tum ipsum persequentem. Cujus ille infestum sibi animum devitans, fugam iniit; & veniens inde Trevericam Vesaliam à perfidis Judæis ibi commorantibus callide sæpè ad laborem vocatus est. Ille verò promptum se exhibens puerili simplicitate, jussus est ab illis humum deportare in profundum quendam terræ locum. Adventante autem Paschæ solemnitate sæpè monitus est ab hospita sua, ut ab impiis Judæis sibi caveret. alias procul dubio ab illis laniandus & devorandus. Respondit puer, ego me omniaque mea Deo committo, cui cura est de nobis. Adventante interim Dominicæ cœnæ die puer devotus confessione præmissa sacram communionem magnâ pietate percepit. Eodem verò die à Judæis infidiosè invitatus est: ac deinde sacro Parasceves die quando Christiani passionem Christi cum pietate commemorant, in innocentem puerum animi sui furorem effunderunt, & odium in Christum ostenderunt. Imprimis eum omni clamandi facultate privarunt impresso in os globo plumbeo, inde suspenderunt ad columnam ligneam sursum, erectis pedibus, capite deorsum pendente, ut corpus Christi eo die sumptum ex ejus corpore educere possent. Sed cum id frustra conati essent, totos se contulerunt ad membrum Christi atrocissimè excarnificandum flagellis multa & profunda ei impressere vulnera, atque etiam cultro quodam, qui hodie apud ejus reliquias adservatur, totius corporis venas barbarica immanitate inciderunt, forficibusque ex omnibus corporis partibus sanguinem expresserunt, corpusque totum vulneribus concisum triduo suspensum reliquerunt.

Habebant autem Judæi illi famulam Christianam, quæ clam hæc visa nefaria crudelitate Judicem Vesaliensem accivit, & in locum introduxit ubi sic puer tractatus erat. Obstupescentes Judæi ad ejus adventum inopinatum, statim muneribus magnis eum ab officio obduxerunt, sicque puer à Judæis interfectus fuit. Atque ut facinus adeò nefarium silentio tegeretur, corpus clam per muros tractum ad naves Moguntiam ituras detulerunt. Sed omnipotens Deus elusis eorum conatibus navem totâ nocte errabundam ne uno quidem milliari ab urbe recedere permisit. Orto inde sole, timore & tremore correpti anxia inter se consilia ceperant, quomodo corpus Martyris absconderent. Tandem conspiciunt propè Baccaracum cryptam vepribus obsitam? ubi nunc conditum cernitur Willelmitarum Cœnobium: in eam ergo cryptam illud projecerunt, sed variis miraculis Deus postea illud manifestavit, quæ lusè prosequitur Surius.

Notum est tertiò ex Thoma Cantiprato de Apibus lib 2. cap. 29. Anno 1271. in villa Teutoniæ Pfortzheim, quod anus quædam inveterata malorum puellam septennem orbem parentibus vendiderit Judæis: Hanc igitur in secreto super plura paria linteaminum obstructo ejus ore, ad singulos ferè membrorum articulos inciderunt, & sanguinem diligenter exprimentes in ipsis linteaminibus receperunt. Postmodum exangue corpusculum juxta oppidum in profluentem projiciunt, lapidumque congerie obruunt. Verum tertio exinde die manus ad cælum erectæ indicio à piscatoribus inventum in oppidum infertur. Horret populus, & à Judæis id perpetratum inclamat. Erat in vicinia Marchio Badensis, qui re cognita ad triste spectaculum advenit, statimque ipsum corpus erectum in pedes tendit ad Principis manus, sive vindictam, sive misericordiam implorans, & post horæ dimidiæ spatium iterum se defuncti more supinum deponit. Adductis igitur impiis Judæis, statim in testimonium horrendæ necis omnia corporis vulnera copiosum sanguinem effuderunt: ex quibusdam autem indiciis fuit capta vetula & convicta, maximè quod eam filia ejus parvula prodiderit. Itaque Judæi sceleris machinatores cum anu nefaria in crucem acti sunt & suspensi, duo etiam se mutuo jugularunt.

Notum est quartò id quod in civitate Tridentina accidit Anno Domini 1475. 24. Martii quod conscripsit Joannes Matthias Tiberinus medicus, his verbis. Joannes Tiberinus Senatui Populoque Brixiano salutem. Rem miram qualem à Passione Domini adhæc usque tempora nulla ætas audivit, ad vos scribo. Crudeles Judæi non solum res Christianorum rabiosa usurarum fame consumunt, sed in capita nostra perniciemque conjurati, filiorum nostrorum vivo sanguine pascuntur. Nuper in civitate Tridentina tres familiæ Judæorum confidebant, quorum capita fuere. Tobias, Angelus, Samuel: hi in sancta hebdomade die Martis 12. Calend. April. Anno 1475. convenerunt in domum Samuelis, ubi eorum erat Synagoga & templum; dum autem inter se varia conferrent, Angelus ex corde rabido hanc vocem effudit: Inista Parasceve, & carnes & pisces nobis abunde sunt, unum tantum deest, Cui Samuel; Et quid tibi deficit? Tunc conjectis oculis ad invicem taciti intellexerunt quod de Christiano infante immolando loqueretur, quem in contemptum Domini nostri Jesu Christi maclant atrociter, & exhausto sanguine vescentes in azimis suis à fœtore quo graviter olent, Christiano se sanguine præservant, hunc que suum appellant Jobel,

Jobel, sive Ibilæum. Die autem Jovis omnes in Synagoga congregati Tobiæ dixerunt: Nemo nostris votis satisfacere potest præter te, quia quotidiè cum Christianis versaris familiariter: cumque ipse se excusaret, minantur se et perpetuo interdicturos Synagoga, nisi pareat. Tobias videns in se omnes conspirasse, præmiumque sibi propositum esse, cæca auri cupidine captus promittit se rem aggressurum, dicitque Samueli: Nulla clave postes tui claudantur, ut si mihi quispiam opportunè obtigerit, intro possim leviter illum impellere. Transactis autem vesperis egressus cæpit totam viciniam solus obambulare. Postquam verò locum illum attigit quem Fossatum vocitant incolæ, insignem puerum ante fores Patris super ligno sedentem conspexit nomine Simonem nondum 29. menses natum. Accedens lustrat, si fortè nemo in puerum advertat, blandusque infanti digitum porrigit; mox itaque sequitur puer ductantem. Cum verò patentes domum pertransissent, puerque vagitus & lachrimas ederet, & argenteum ei denarium porrigens cum blanditiis, tandem in domum Samuelis introducit, qui velut tygris sitiebat, & exspectabat sanguinem Christianum. Tandem dies cum nocte conjungitur variisque donariis, & blanditiis demulcetur puer, ne clamorem edat. Interea mater ut eum abesse vidit, una cum marito totam urbem explorat. Multi apud Judæos requirendum esse asserebant, feciissentque, nisi ob densas noctis tenebras domum sese recipere coacti fuissent.

Silentium nox indixerat, quando Moyses cum reliquis atrocissimis Judæis ingressus est vestibulum Synagogæ foribus adjunctum, ibique in scamno juxta caminum residens puerum suis genibus excepit. Porro circumfusi omnes vestem ei usque ad umbilicum, & cubitos verso ordine detraxerunt, colligentesque fluentem tunicam succinxerunt lateri, ita ut à femore usque ad talos detractis caligis nudaretur. Et apprehendens sudarium Samuel quod ejus pendebat à cingulo, & collo pueri circumvolvens comprimebat clamorem. Tunc producto Moyses cultro, summum virgæ perforavit infantis, correptaque forfice cæpit maxillam dexteram dilaniare, & particulam carnis abscissam in cratere reposuit. Colligebant adstantes sanguinem, & alternè forfice porrectâ quilibet sibi frustulum vivæ carnis exscindebat. Hoc peracto Moyses dexteram tibiam confestim elevans, infanti eodem ferro cepit convellere exteriorem partem quæ inter cavillam & cruris musculum interjacet; & forfice carnem vivam vivo cum sanguine lacerare. Postmodum brachia ejus instar crucifixi extendentes cæperunt sacrum corpus duris acubus transfodere, dicentes: *Sicut Jesum Deum Christianorum trucidemus istum, ut inimici nostri confundantur in æternum.* Jam plusquam per horam miserandus puer in hoc horribili perdurarat supplicio, tandemque attollens oculos in cœlum superos videbatur advocare in testes, & fatigatam cervicem mox demittens emisit Spiritum. Tunc Judæi manus elevantes in cœlum, Deo gratias egerunt, quod de Christianis vindictam simul & sacrificium obtulissent, plausumque & lætitiam maximam ostenderunt. Cum verò jam ad cœnam descendere oporteret, præcepit Samuel ut sub cadis vinariis corpus occulerent: timebant enim proclamationes Antistitis, & furorem populi, ne ad torturam raperentur. Altero die qui erat dies Veneris Passioni sacer parentes infantis (restrictis in urbem labentibus fluviis) una cum cohorte Prætoria infantem ubique quærentes, non invenerunt. Die autem Sabbathi convenientes Judæi in Synagoga, cadaver super Almomor (sic vocant mensam ubi Psalmos, Hymnosque decantant) extenderunt, & perfecta oratione rursus in priorem locum restituerunt. Tertio die in quo Pascha celebrant Christiani, ut præsenserunt Judæi omnium oculos in se esse intentos, inito consilio dixerunt: Projiciamus illud vestitum in flumen quod nostra subterfluit domo, & cantes ad Antistitem dicamus illud in domum nostram ab aqua deductum, & crate ferreâ detentum non potuisse una cum flumine delabi. Placuit sententia, & ad Antistitem res sic relata est. Ipse autem Prætorem & Præfectum Tridentinæ accersens accedit locum ubi jacebat puer, extractum autem annotatis diligenter vulneribus in Basilica S. Petri collocarunt, ubi maximâ languentium confluente frequentia, multis in dies fulget miraculis. Ob hoc interim scelus Judæi gatenis fuêre constricti, & debitas luerunt pœnas.

Notum est postremo, quommodo anno Domini 1510. Judæi aliquot ob Venerabilem Eucharistiam indignè tractatam comprehensi in Marchionatu Brandeburgensi, facti sunt se intra aliquot annos Christianorum infantes septem trucidasse, & acubus enecasse. Testis est Fontanus rerum memorabilium lib. 1.

Sic quando in pueros sævire nequeunt, in ipsam Eucharistiam, ubi Christum Jesum crucifixum adoramus, sævire solent cum protervia & atrocitate. Cujus rei aliquot historias admirabiles recensuimus, cum de Sacramento Eucharistiæ in Candelabro nostro mystico tractavimus. Atque unum exemplum pro mille notissimum est & celeberrimum, quod in Urbe prænobili Bruxellana gestum est. Cujus memoria quotannis rememoratur cum solemnitate perillustri, confluentibus undique populis; de qua re ibidem dixi. Sic notissimum est odium pervicax & protervum Judæorum in Christum Dominum, quod suis, etiam hodierno in Evangelio lacrimis deplorare censeturipse, cujus perspicax oculus omnia futura providebat.

PARS *Cur Judæorum*

SEd quæritur; cur Judæorum gentem adeo nefariam ex toto deleri non vult Dominus, ut

gens non delata sed dispersa.

sicut de templo eorum non remansit lapis super lapidem, sic nec de ipsis reliquiæ sint ad propagandam impietatem? Respondeo, id nolle Dominum ob varias causas providentiæ suæ agnitas; nos autem probabiliter aliquas conjicere possumus.

Resp. 1.

Primò, id non vult Deus propter pia merita Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum Christi, qui secundum carnem ex illo populo sunt progeniti. Adhuc ergo memor est Dominus priscæ illius gratiæ: quam obtinuit hæc gens, ut peculiaris Dei populus dilectus & electus existeret; & hujus rei oprat eos esse memores, sicque peccatum suum agnoscere, & ad Deum suum reverti. Tandem verò in fine sæculi, non obstante eorum ingratitudine & cæcitate, recordabitur Dominus misericordiæ suæ, & suscipiet Israël puerum suum, restituet tribus Israël, eas ad se convertet, ædificatque Jerusalem cœlestem, dispersiones Israëlis congregabit, ut testantur eloquia sacra. Frustra vero ipsi expectant Messiam suum quasi quodam temporali regno regnaturum, quasi venturum cum triumpho, pompa, aut magnificentia externa, aut armis victricibus orbem suo subjiciat imperio. Malè utique interpretantur oracula antiqua, quæ asserunt regnaturum eum à mari usque ad mare, fessurumque superfolium David; hæc enim intelligenda sunt tum de regno spirituali per fidem & gratiam in Ecclesia nova; tum etiam de regno ejus consummato & perfecto post resurrectionem, quando sedebit non in Jerusalem terrena, sed in Jerusalem cœlesti & superna, ubi regnabit super Israël in æternum in pace opulenta & gloriosa.

Resp. 2.

Secundò, ideò voluit Dominus gentem illam non deleri, sed in omnes gentes dispergi, ut simili pœna mulctaretur qua Cain, qui fratrem suum innocuum Abelem nefarie peremit. Sic enim & Judæi Christum innocentissimum Abelem impiè interfecerunt, ideoque sicut Cain vagi sunt & profugi super terram. Sicut autem in Cain Dominus signum posuit, ne non interficeretur: ita Dominus reliquit adhuc eis varia signa, scilicet Circumcisionem, Sabbathi observantiam, Agni immolationem, azimorum, & similium cæremoniarum observationem, quibus ab aliis discernuntur populis. Ac quidem per divinam providentiam non occiduntur, sed contemptibiles facti illuduntur, irridentur: interim in sua permanent cæcitate, palpantes in meridie quasi cæci in caligine. Sic adimpletur illud, *Percutiet te Dominus amentia, & cæcitate, & furore mentis, ut palpes in meridie sicut cæcus palpare solet in tenebris, ut non dirigas vias tuas.* Adimpletur quoque illud quod ibidem adjicitur: *Eris in proverbium ac fabulam omnibus populis ad quos te Dominus introduxerit.* Ergò hic videtur esse Prophetia de dispersione ignobili, & contemptibili populi Israëlitici, de qua etiam rectè intelligitur illa Davidis Prophetica prænunciatio in persona Christi Domini: *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidam eos, ne quando obliviscantur populi mei: Disperge eos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.* Hunc enim locum interpretatur sanctus Augustinus de Judæis erudite, & diserte, in enarratione sua in Psalmum 89.

Deut. 28.

Psal. 89.

Tertiò, ideo noluit Deus gentem illam deleri, ut sint sibi testes suæ reprobationis, nobis autem prosit ad exemplum eorum incredulitas & calamitas. Dubium enim esse non potest quin gravioria aliquo scelere sese obstrinxerint, quam Patres eorum, quandoquidem illos sæpe liberaverit Deus clamantes ad se, dicente Propheta: *Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eripuit eos. Eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & vincula eorum disrupit.* Patuit id in captivitate Babylonica, & servitute Ægyptiaca. At nunc per annos mille sexcentos derelicti sunt; ergo gravius aliquod crimen commiserunt, quod procul dubio non potest esse nisi scelus interemptionis Christi. Promiserat enim olim se reducturum captivitatem eorum de cunctis locis; si modo legem servarent. Nunc autem legem Moysi observant, nec idola colunt, & tamen non liberantur nec reducuntur è sua dispersione. Quid igitur obstat? Sanguis scilicet Christi per eorum Patres effusus, quem etiam filiis suis superinduxerunt, dum clamaverunt: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Sed ideo hic sanguis non eluitur, quia patrum criminis se reddunt consortes, illudque hactenus approbare censentur, dum nolunt eum agnoscere, qui ipsis ut Redemptor & Messias missus fuit, antea promissus. Sicut ergo Patres eorum Christum occiderunt, sic & hi oderunt; sicut illi manu, sic & hi corde eum persequuntur; ita ut possit dicere, *odio habuerunt me gratis.* Gratis quidem, quia nihil mali illis fecit, nec odii causam quinimo dilectionis fomitem ministravit; ipsi autem retribuerunt mala pro bonis. Gratis quoque, quia nihil profecerunt, sed contra stimulum calcitrarunt prædurè & inaniter; ex eoque non commodum, sed gravissimum damnum raportarunt, quod adhuc modo persentire coguntur. Sic nimirum ipsi nobis sunt in sua perdurante calamitate jnge correctionis exemplum, ut caveamus, ne & nos incidamus in incredulitatis flagitium, & simile supplicium subeamus ac opprobrium propter ingratitudinem in Dei filium.

Matt. 27.

Joan. 15.

Resp. 4.

Quartò, noluit Deus gentem illam delere, ut per eam in fide Christi confirmaremur: dum enim dispersi custodiunt libros legis & Prophetarum, velint nolint, fidem nostram confirmant; nam ex ipsis eorum libris ea quæ nostræ sunt fidei adversus eos comprobamus. Et ipsi Gentiles videntur apertè non esse figmenta Christianorum quæ à Christianis de Christo edocentur, sed longè antè Prophetata fuisse, & nunc impleta. Audi sanctum Augustinum hac de re in Psalm. 89. ubi dicit Psaltes: *Disperge eos in virtute tua Domine.* Sic hunc versum interpretatur sanctus Augustinus. *Iam factum.*

Iam in Psal. 89

factum est : per omnes gentes dispersi sunt Iudæi, ut testes forent iniquitatis suæ & veritatis nostræ. Ipsi habent codices de quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum. Et si aliquando aliquis paganus dubitaverit, dum ei allegamus prophetias de Christo, & obstupescit putans à nobis conscriptas, de codicibus ipsorum Iudæorum probamus. Hæc sanctus Augustinus. Sicut ergo servi post Dominos codices ferunt quorum pondere ipsi deficiunt; sed Domini legendo proficiunt: ita Judæi sacros libros portant quibus onerantur, sed Christiani illis eruditur, & Gentiles convertuntur.

Tandem vero Christus regnum suum consummaturus profugos Israël ad fidem revocabit, & convertet per Enoch & Eliam; & tunc eis manifestabitur Arca quam abscondit Hieremias, & dicit *ignotum fore locum, donec congreget Deus congregationem populi sui, & propitius fiat.* Quod de fine mundi intelligunt S. Epiphanius, & S. Dorotheus Martyr, & alii. Manifestabitur autem tunc, ut certius Judæi conversi cognoscant se in Christum credendo veteres Patriarchas & Prophetas imitari, & veros esse Abrahæ filios Moysique discipulos, cum viderint Jeremiæ Prophetiam suo tempore impletam, & se Arcam habere, quæ majores sui caruerunt.

2. Mach. 2.

Tunc ergo *suscitabit tribus Iacob, & fœtes Israel convertentur*, sicut loquitur Prophera Isaias. Accendite, ô Judæi profugi, quomodo vos hic vocet Propheta nobilis de genere vestro. Ipse vocat vos *fœces Israel* Fæces vocat, quia in peccatis vestris putidis, quasi in luto fœcis infixi hæretis. Fæces vocat, quia tamquam sordes & fæces fœtidæ dispersi estis super terram, ab omnibus viles habiti & conculcati. Fæces denique vocat, quia de omnibus prærogativis vobis à Deo olim concessis nihil habetis residuum nisi fæces & reliquias quasdam fœtidas: *Projecit ame stercus solemnitatum vestrarum*, inquit Dominus. Qui vobis de lege nunc restat? Ubi sacrificium? Ubi sacerdotium de tribu Levi? Ubi sceptrum & regnum? Ubi templum: Si quid vos existimatis de his habere adhuc nunc; reliquiæ immundæ sunt, fœces sunt. Quid ita? Quia evacuatum est vinum, evacuata lex vestra per Christi adventum; templum vestrum dirutum est, nec ultra poterit reædificari.

Isai. 49.

Iudæi cur fœces Israel dicti.

Malach. 2.

Audiamus Nicephorum. Cum Judæi summo studio in structuram templi Jerosolymitani permissu Juliani Apostatæ incumberent, ut pristinum Judaicum ritum renovarent, reliquias structuræ veteris ex imis fundamentis effoderunt, & ita repurgarunt, & nec lapis super lapidem maneret juxta divinum oraculum. Postridie ut primum jacerent fundamentum adventantes, terræ motus ingens ortus ex ipsis fundamentis lapides excussit, & non paucos ex Judæis ejecit, qui vel ad operis spectaculum venerant, vel structuram ipsam curabant. Ædificia enim templo vicina cum impetu collapsa multis fuere sepulchra. Alii fugere tentantes semineces jacuere, alii mutilati fuere membris ex clade. Vix conquieverat terræ motus, & qui reliqui erant, opus rursus aggrediuntur, ut perficerent quod cupiebant, & inevitabilem indignationem quæ ex necessitate imperialis constitutionis eis imminebat, effugerent. Sed ignis ex ipsis fundamentis exiliens, alios item de cœlo imminens, plures quam antea consumpsit. Igne porro cœlitus demisso, mallei, scalptra, serræ, secures, asciæ, & quæcumque ad ædificationem operarit comportaverant, celeriter in cinerem sunt redacta. Judæi vero maximo pavore correpti, etiam inviti Christum verum Deum esse sunt professi; sequi tamen eum nolentes, in errore adhuc Judaico conquieverunt. Sed & aliud accessit miraculum prioribus manifestius: nam proxima nocte sua sponte vestes eorum crucis signis radiorum instar conformatis sunt consignatæ. Illucescente autem de his visis, eluere & detergere crucis notas conati nihil potuere; nec id tamen eos ad fidem perduxit. Hæc ex Nicephoro.

lib. 10. hist. c. 32.

Ex his patet Judaica perfidia & cæcitas, quam merito deplorat Christus in hoc Evangelio; pro qua etiam sananda orare solet specialiter Ecclesia sancta Dei, obsecrans Dominum Jesum Christum, ut auferat velamen à cordibus eorum, ut semoto omni impedimento lucem videant & Solem, qui oriens ex alto venit illuminare eos qui in tenebris & umbra mortis sedent.

In die Veneris sancto.

DOM. X. POST PENTECOSTEN.

LECT. I. tripart.

Duo homines ascendebant in templum ut orarent, unus Pharisæus, alter Publicanus.
Luc. 18.

PARS I. *De jactantia primo orationis Pharisæi vitio.*

PArabolis & exemplis solitus fuit Dominus instructionem nobis dare. Unde cum exemplo viduæ (quæ Judici importuna tandem impetravit decretum in favorem suum contra oppressores) commendasset in oratione perseverantiam: postea subjicit exemplum Pharisæi & Publicani, ut ostendat humilitatem necessario adnectendam orationi, superbiam vero omnem orationis evacuare efficaciam, eamque inficere, & Deo exosam reddere. Sic igitur exorditur; *Duo homines: ascendebant in templum ut orarent, unus Pharisæus, alter Publicanus.* Ubi in primis advertendum, templa orationi destinata esse & consecrata, ideo de his duobus dicitur, quod ascenderint in templum ut orarent: & quia Hierosolymitanum templum edito loco in monte Moria exædificatum erat, propterea ascendisse dicuntur in Templum; quo etiam loquendi modo insinuatur neminem ad templum debere procedere, nisi ascendendo non tam gressu corporis, quam gressu mentis, quia omnis vera oratio mentis est in Deum ascensio. Illa autem licet in omni loco fieri possit, in templis tamen, & ibi de consecratis, cæteris pa-

Templa orationi consecrata.

ribus, Deo acceptior est; tum quia ad hoc consecrantur, ut sint domus orationis, tum quia promittit Dominus se ibi exauditurum orantes. Sic dicit Dominus respiciens tempus novæ legis: *Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis, holocaustaque eorum, & victimæ placebunt mihi super Altari meo.* Atque etiam in veteri lege de antiquo templo dixerat Dominus: *Elegi mihi locum istum. Si clausero cœlum & pluvia non fluxerit, & præcepero locustæ ut devoret terram, & misero pestilentiam, conversusque populus meus deprecatus me fuerit, exaudiam illum in loco isto.*

Isai. 58.

2 Paralip. 7.

David fugiens iram, & persecutionem Regis Saulis orabat in deserto ferventer & pientissime Dominum: *In terra deserta, & invia, & inaquosa sic in sancto apparui tibi*, ait ipse. Quasi dicat: In hac solitudine in qua dego, quæ vestiglis hominum non teritur, & arida est, aquis careus, ego me tibi soleo sistere, & te orare non secus ac si Hierosolymis essem in loco sancto ante arcam. Attamen alibi significat ardentissimo se desiderio teneri domus Dei, & tabernaculi sacri ubi arca servabatur, ubi etiam speciali devotione solitus erat effundere orationem suam quasi in præsentia Dei sui. Hoc desiderium suum explicat ubi inter cætera dicit. *Quoniam transibo* (sive quandonam transibo) *in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei?*

Psal. 62.

Jonas quoque orationem fundebat in ventre ceti existens, ne orationem ejus carcer iste, vel turbida maris elatio impediebat, quominus coram Deo illa oratio se sisteret. Attamen sciens templum locum esse aptiorem orationi & adorationi dicit: *Projecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui & fluctus tui super me transierunt: & ego dixi: Abjectus sum à conspectu oculorum tuorum, veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum.* Vide quomodo suspiret ad templum Domini, ad domum orationis, & domum Dei. Unde iterum infra subdit. *Cum angustiaretur in me anima mea, Domine recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.*

Daniel non absimiliter orabat Deum in captivitate Babylonis, & oratio ejus non erat captiva, sed libera, Deoque grata: Attamen ut coram Deo illa se sisteret illi acceptissima, respiciebat fenestris apertis ad Jerusalem, sive ad templum in quo Dominus habitabat, in quo & adorari volebat. Sic enim dicitur. *Fenestris apertis in cænaculo suo contra Jerusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua & adorabat, confitebaturque coram Deo suo sicut & antea facere consueverat.*

Dan 6.

Ezechias denique orabat in lecto suo, & oratio ejus strato & plumis in cælum evolabat haud indiga plumarum & pennarum ad volandum; attamen ut securius impetraret quod volebat, per templum pertransibat. Quapropter dicitur: *Convertit faciem suam ad parietem, & oravit ad Dominum.* Quare convertit se ad parietem an forte ut orationi suæ lacrimas conjunctas celaret? Non ob solam hanc causam, sed etiam quia paries ille versus templum erat, nam juxta templum Salomon regium Palatium extruxerat. Quia ergo ad templum ire non poterat, ad parietem templi, & ad templum faciem & cor convertebat, ubi Deus exaudire solebat. Unde notant nonnulli interpretes Salomonem fabricando templum in Jerusalem, quæ in medio terræ habitatæ erat sita, ut dicitur Ezech. cap. 55. Deum quasi centrum mundialis sphæræ & omnium animorum constituisse, ut lineæ & orationes ab hominibus ducerentur in templum ubicumque existerent: & Deus in templo tamquam in centro præsentem se exhibens, singulorum precibus intendebat, audiebat, exaudiebat. Propterea ergo hi omnes orantes, sive in profundo maris, ut Jonas, sive in cænaculo Babylonis, ut Daniel, sive in strato ægritudinis, ut Ezechias, respiciebant ad templum, & illuc gressu mentis conscendebant, quo non poterant gressu corporis.

Isai 38.

Pineda l. 5. De Salomone cap. 5. Corn. in c. 6. Dan.

Quod ipsum in nova lege imitari convenit Christianos. Dum impediuntur vel ægritudine, vel aliter orare in loco tabernaculi admirabilis, illuc saltem convertant oculos cordis, & eorum preces non despiciet Dominus; sed respiciet propitius, & impetrabunt certius. Quando vero se possunt sistere in templo Dei personaliter, non negligant, scientes quod ibi sit domus Dei ad orandum, aula Dei ad laudandum, choros Angelorum & hominum ad cantandum, porta ad cœlos intrandum, scala ad ascendendum, cænaculum & mensa Dei ad panem vitæ edendum, locus sanctus & proprius ad ea quæ petimus impetrandum. Orationes enim in Ecclesia communi amoris fraterni copula factæ elevantur per ministerium Angelicum, per spiritum Ecclesiæ tamquam per gemitum columbæ, per merita sponsæ Christi, per sacerdotum subsidium, per patrocinium sanctorum, quorum ibi reliquiæ sunt, per corporis Christi mystici conjunctas vires. Ibi supplent Sancti, supplent Angeli, supplent merita Ecclesiæ, supplet gemitus columbæ, supplent merita capitis nostri Christi, quod nostræ posset deesse orationi, ut à nobis procedit.

Hujus igitur rei exemplum præbent Pharisæus & Publicanus ascendentes in templum ad orandum Sed licet oratio in templo fusa Deo soleat esse grata, primum tamen necessarium est, ut debitis circumstantiis & conditionibus sit adornata, alioqui nec oratio est dicenda. Manifestum id est oratione hujus Pharisæi, quæ à Domino est reprobata, licet illi in loco sancto præfecta. Tria porro vitia hanc orationem Deo ingratam fecere, & merito reprobandam.

Tria vitia orationis Pharisæi.

Primum vitium hujus orationis fuit, quod illi superbia adjuncta fuerit, cum tamen humilitas prima sit orationis conditio: *Oratio humiliantis se nubes*

1. Eccli. 35.

nubes penetrabit, & donec propinquet non consolabitur,
Ps. 101. *& non discedet, donec Altissimus aspiciat*, inquit Sapiens. Similiter & Psaltes ait: *Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum.* E contra superborum preces & vota despicit Deus, illosque aspernatur, quandoquidem & ipsam detestetur superbiam, quam cœlo primitus tamquam sibi exosam & inimicam exturbavit. Illa ergo sola oratio cœlos penetrat, quæ de pulveris & cineris nostri agnitione procedit; sicut dicebat Abraham: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.*
Gen. 18. Illa autem oratio quæ ex animi fastu prodit, super terram repit, & tamquam ingrata repellitur & repudiatur. Quia humilia respicit Deus, alta à longe cognoscit. Unde eleganter S. Augusti. *Videte miraculum fratres. Altus est Deus Humilias te? Deprendit ad te. Erigis te? Fugit à te. Quia excelsus est, & humilia respicit; alta vero à longe cognoscit, sed non ignoscit.*
Serm. de verb. Dom.

Superbiam porrò hujus Pharisæi orantis in primis colligunt interpretes ex modo & situ quo describitur orare, dicit enim textus Evangelicus: *Pharisæus stans apud se hæc orabat.* In his enim verbis. *Stans orabat*, videtur notari animus ejus elatus & fastu plenus: quia orabant antiqui flexis genibus in signum animi sese humiliantis. Sic
3. Reg. 8. de Salomone dicitur: *Utrumque genu in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum.* Sic etiam de
Dan. 6. Daniele dicitur, quod fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem *tribus temporibus in die flectebat genua sua.* Sic & Moyses humiliabat se & prosternebat in terram cum oraret ubi dici-
Num 16. tur: *Cecidit Moyses pronus in faciem.* Sic denique
Eccli. 50. dicit Sapiens: *Omnis populus simul properaverunt, & ceciderunt in faciem super terram adorare Dominum, & dare preces omnipotenti Deo excelso.* Ex his omnibus
An Pharisæus stando orans peccarit. dicunt nonnulli Judæos flexis genibus orare solitos: hunc ergo Pharisæum ex animi elatione morem istum præteriisse Sed quoniam de Publicano etiam dicitur, quod stans oraret, non videtur satis firmiter posse colligi fastus Pharisæi ex solis illis verbis; *Stans orabat.* Atque morem orandi utrumque apud Judæos fuisse, tum stando, tum flectendo, satis probari posset ex aliis scripturæ
2. Paralip. 6. locis. Nam & de Salomone utrumque dicitur. *Stetit Salomon, & deinde flexis genibus, & palmis in cœlum elevatis, ait.* Item videtur Anna stans orasse, quia sic alloquitur Heli; *Ego sum illa mulier quæ steti coram te bicorans Dominum* Atque et-
3. Reg. 8. iam fortasse vox illa, *Stans orabat*, nonnisi præsentiam indicat. Sic dicitur: *Stetit Salomon ante altare Domini, & expandit manus suas in cœlum, & ait: Domine Deus Israel non est similis tui, &c.* Hanc
Marci 11. autem orationem protulisse flexis genibus eodem capite dicitur. Sic legimus. *Cum stabitis adorandum, dimitte si quid habetis adversus aliquem* Itaque ex eo quod de Pharisæo & Publicano hic habemus quod stans oraret uterque, non certo
Vide Maldo convincit quod flexis genibus non orarent; sed significari per id potest quod existeret uterque in templo ad orandum, quocumque id situ fecerint.
nat. in hunc locum.

Ulterius dicimus, etiam in nova lege compositionem exteriorem corporis variam inter orandum esse posse, maxime cum privatim oramus, eamque solum prohiberi quæ impedit attentionem & mentis in Deum elevationem. Quod quidem exemplis variis potest declarari.

Sic S. Franciscus licet oculorum, stomachi, splenis & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro vel parieti inhærere dum psalleret, sed horas semper erectus persolvebat. Si quando esset in itinere, figebat tunc temporis gressum, hujusmodi consuetudinem reverentem & sacram propter pluviarum inundantiam non omittens. Dicebat enim: Si quietè comedit corpus cibum suum, quod futurum est vermium esca, cum quanta pace & tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ? Hinc adhuc hodie S. Franciscì corpus mortuum stat quasi orans, nullis fulcris innixum

S. Carolus Borrhomæus solebat flexis genibus totum divinum officium recitare ob reverentiam illius quem alloquebatur. Immo quoties sacram scripturam legebat capite aperto flexisque genibus tamquam divina verba legere soltus erat.

S. Paulus Eremita hunc etiam modum in oratione servabat, flectendo scil. manus, oculosque in cœlum tollendo. Id ex eo constat, quod tali corporis situ animam exhalarit. Unde cum S. Antonius eum sic reperisset, existimans in oratione ipsum persistere, non accedebat, ne interrumperet. At postea advertit corpus esse exanime, & tamen speciem quam in oratione toto vitæ suæ cursu observarat, etiam in morte non deservisse, genibus complicatis, erecta cervice, extensisque in altum manibus.

De B. Isaac Syro Monacho tradit S. Gregorius, quod tres dies continuos, & totidem noctes genibus innixus oraverit. At Simeon Stylites in columna nocte dieque preces fundebat erectus, triginta & amplius annis, ut referro Theodoretus. Sic S. Bartholomæus centies in die & centies in
Act. 7. nocte genua flectebat. S. Jacobus justus ex continuâ genuflexione ita genibus collum obduxerat, ut duritiem pellis cameli imitarentur.

Notat quoque S. August. ex actis Apostolorum S. Stephanum bis orasse, semel stando pro se, semel flectendo pro suis persecutoribus preces fundendo. Unde ibidem dicitur: *Lapidabant Stephanum dicentem Domine IESV suscipe spiritum meum.*
Serm. de S. Steph. *Positis autem genibus clamavit voce magna: Ne statuas illis hoc peccatum.* In quem locum sic loquitur S. Aug. Quare pro te stans orasti, & pro inimicis genuflexisti? Pro me stans oravi, quia pro me qui Deo servivi orando, & impetrando non laboravi. Quia qui pro justo orat, non laborat, ideoque pro se stans

orat,

orat. Ventum est ut oraret pro Judæis, & attendens tam multam esse eorum iniquitatem quæ difficile condonari posset, genuflexit & clamavit: Ne statuas illis hoc peccatum: hæc Aug. Itaque significat efficaciorem esse ad imperandum pro peccatis remissionem orationem illam quæ genibus flexis funditur laborando & sese affligendo, reumque maxima cum humiliatione se agnoscendo, vel peccata aliorum in se agnoscendo, si pro aliis orandum sit. Qui stans orat, videtur velle sine conatu à Deo gratiam impetrare, & quasi pro rebus exiguis Deum convenire.

Pharisæi jactabunda oratio:

Sed certius superbia nostri Pharisæi ex ejus jactabunda oratione colligitur: *Non sum*, inquit, *sicut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri, Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.* Quasi dicat, ego cæteros homines antecedo, & justitia supero, non sum sicut illi. Alii adulteri sunt, ego autem tantum abest ut sim adulter, quin potius jejuniis bis in hebdomada corpus meum castigo. Alii sunt raptores & injusti, ego autem ab hoc vitio ita remotus sum, ut non solùm non rapiam aliena, sed etiam tribuam mea: Decimas enim do omnium quæ possideo, etiam de cymino, menta, anetho. Quamvis vero de his omnibus videatur Deo gratias agere, non tamen humiliter agit, sed superbe & jactabundè, ideoque vanè gloriatur seipsum commendans, cùm justus in initio accusator sit sui, teste Sapiente. Equidem dicit Dominus justis: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Sed hoc ipsum idem est ac si eis etiam ipse diceret: Nolite vos illa videre, alii illa videant; nolite vos ipsos glorificare alii glorificant Patrem de vobis. Vestra bona sunt in conspectu omnium, sed à vobis sint abscondita: *Nesciat sinistra quid faciat dextra*, cavete sinistram vestram, cavete ipsos oculos vestros, cavete & laudes alienas, ad illas surdi instar aspidis obturantis aures suas, ne audiat vocem incantantium. Incantatur enim anima laudibus, ut mala sua non videat, & de justitia fallaciter se extollat. Audi S. Gregorium. *Qui verò electi sunt ab eo in quo sibi placent, mentis oculos divertunt, & de his quæ minus se egisse intelligunt, tristitiam requirunt, & penè soli bona sua non vident, quæ in se videnda omnibus ad exemplum præbent.* Hoc etiam declarat B. Petrus Damiani in lib. 2. Epistolarum suarum exemplo pavonis, qui fœditatem pedum suorum respicit & ingemiscit, gloriosam caudæ suæ diversitatem retrò & non ante oculos suos gerens. Audi ejus verba: Imitare naturalis in pavone diversitatis exemplum, qui ignobiles pedes præ oculis semper habet, insignem verò caudæ pulchritudinem post se spectabilem gerit. Videt in pedibus rusticum aliquid quod despiciat, ignorat in cauda quod eum mirabilem reddat. In promptu est unde se debeat in humilitate deprimere, post tergum gerit unde valeat præ cæteris avibus superbire. Te quoque quod in te est virtutis lateat; si quid verò vitiosum & correctione est dignum, ab aspectus tui judicio non recedat. Hæc ille.

Prov. 18.

Matt. 5.

Matt. 6.

Lib. 21. *Mor.* c. 5.

Simile.

Pharisæus verò noster contrarium facit, vitia sua non inspicit, sed sola sua apparenter opera bona oculis suis proponit. Respicit illa quasi radios solis fulgentis, & osculatur manum suam, *quæ est iniquitas maxima*, inquit Job. Gloriatur in sua æquitate, illamque vertit in iniquitatem: gloriatur in sua pietate, & illa ei fit occasio impietatis; nec illud bene adhuc novit quod Apostolus dicit: *Qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Quam Apostoli sententiam explicans S. Anselmus eleganter dicit: *Videte quomodo nobis abstulit gloriam, ut daret gloriam: abstulit nostram, ut daret suam: abstulit inanem, ut daret plenam: abstulit mutantem, ut daret solidam. Quanto enim gloria nostra fortior & firmior est quæ in Deo est, quam quæ in nobis?* Quod si dicas Pharisæum in Domino gloriari, quia Deum laudat & gratias illi agit, agnosce laudem illam cum fastu esse conjunctam, nec speciosam potuisse esse coram Deo laudem illam precantis, quæ tota respersa est fermento tumidæ vanitatis.

Pharisæus seipsum commendans vanè gloriatur.

Iob. 31.

1 *Cor.* 1.

Objectt. 1. Resp.

Sed iterum dices: Etiam viri sancti laudes suas & bona opera quando que pronuntiant etiam coram Domino, nec tamen reprehenduntur. Sic Ezechias dicit: *Memento Domine quomodo ambulaverim coram te in corde perfecto.* Sic etiam Job de se pronuntiat: *Oculus fui cæco, pes claudo, justitia indutus fui, &c.* Similiter & S. Paulus: *Plus omnibus laboravi, &c.*

Objectt. 2.

Isai. 38.

Iob. 29.

2 *Cor.* 4.

Ad primum respondet B. Eucherius comparans Ezechiam & Pharisæum: Ecce, inquit, Pharisæus se justificat in opere, Ezechias justum etiam se asserit in cogitatione; & unde ille offendit, iste inde Domino placuit. Cur hoc nisi quia Dominus singulorum verba pensat, & in ejus aure superba non sunt, quæ humili corde proferuntur. Hæc B. Eucherius.

Resp. 1.

Lib. 4. *in* 10. *Regum.*

Ad secundum respondit Isidorus, comparans Job cum Pharisæo qui redarguitur, & tamen Job à Domino laudatur. Ille Pharisæus (inquit ipse) nemine impellente ingressus est gloriosam illam orationem, ideoque superbiæ morbo laborabat. Qui vero ad causæ suæ probationem errata regit sua ac bona aperit, à reprehensione vacuus est, interim culpa in improbi injustique convitii auctore residente. Ita divinum suffragium illum quidem Pharisæum, qui nullius impulsu justitiam suam venditavit, ac reliquos omnes condemnavit, explosit omnino: Hunc verò necessitate adductum summæ laudationis laureâ & coronâ donavit. Hæc Isidorus.

Resp. 2.

Ad tertium idem respondendum cum S. Anselmo. Nam S. Paulus dicit postquam laudes suas recitavit: *factus sum insipiens, vos me coegistis.* In quem locum sic iterum S. Anselmus: factus sum insipiens secundum quod in exterioribus verbis sonat,

Resp. 3.

sonat, quia videor merita mea prædicasse; sed non hoc jactanter, immo necessitate compulsus feci pro vestra utilitate, quia vos me coëgistis loqui, qui non recte de me sentiebatis, & falsos Apostolos mihi præferebatis.

PARS II. *De confidentia in propria justitia, secundo Pharisæi vitio.*

ALterum vitium Pharisæi hujus ornatis fuit, confidentia nimia in suis meritis & sua justitia, quæ præsumptioni erat conjuncta. Vnde ex illa confidentia orta fuit jactantia & gloriatio; & ut illam ex animis nostris expellere Dominus hoc exemplum parabolicum protulit. Dicit enim diserte textus Evangelicus: *Dicebat ad quosdam confidunt in se tamquam justi, parabolam istam* Pharisæus ergo non recte in se confidebat tamquam justus. Nec solent qui verè justi sunt, in se confidere, idque propter multiplicem rationem.

Vere justi in se confidere non solent ex 3. causis. 1. Eccles. 9.

Prima est, quia justitia nostra nobis est incerta, & an opera nostra Deo sint accepta, certò non agnoscimus. Vnde Sapiens dixit: *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo an amore vel odio sit dignus, sed omnia in futurum servantur incerta.* Itaque vult his verbis insinuare, justitiam veram per quam Dei amore digni efficimur in hac vita satis nobis incertam esse, parumque agnitam. Licet enim quis multa bona operetur, quis tamen assecurare eum potest, quod ex vero Dei amore procedant? Est aurum quoddam adulterinum, non absimile auro vero; nec apud omnes est perspicax satis visus vel judicium quo discernatur, nec Lydius lapis quo agnoscatur fallax ejus species. Multi similia opirantur opera illis operibus quæ justis attribui solent; non tamen prodeunt ex radice charitatis, sed ex impetu & fervore cujusdam naturalis amoris, qui facilè ob similitudinem discerni nequit ab affectione superaturalis amoris. Sic cholerici fervore multo à cholera suppeditato videntur zelo Dei commoveri. Sic melancholia graves à multis abstinent. Sic sanguinei multam compassionem habeant, phlegmatici multam patientiam & longanimitatem. Hæc tamen omnia à natura magis proveniunt quam à gratia. Quandoque etiam similia provenire possunt ab illusione, nam quibusdam dæmon cordis teneritudines, devotiones suavitates immittit, ut sibi non displiceant; interim in gravibus peccatis existunt, & in illis perseverant.

Iob. 9.

Propterea dicebat Iob: *Si venerit ad me non videbo eum, si abierit non intelligam. Si justificare me voluero, & innocentem ostendere, pravum me comprobavit. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* An non his verbis fatetur sapiens ille se incertum esse de justitia sua, de Dei gratia & gratiæ donis, quandoquidem illa possit Deus occultè subtrahere, propter occultum aliquod peccatum: *Si velut mundissimæ fulserint manus meæ, tamen sordibus intinges me,* ait ipse. Quasi diceret. Etiamsi me mundum existimavero, tamen sordidum me poteris declarare, quia nec ego sordes omnes meas perfecte valeo agnoscere, nec fundum cordis mei perspicere, an non secretum aliquod vitium lateat quo tibi displiceam, vel an aliqua perversa intentio vitiet opera mea, quæ ego censeo opera justitiæ. Cumque alia sint Dei, alia hominum judicia, quis sibi confidet, quis gloriari poterit, donec lux illa adveniat, quæ omnia faciet manifesta?

Secunda igitur ratio incertitudinis nostræ, quæ nimiam fiduciam excludit, est illa quam affert Isaias: *Isa. 64.* *Facti sumus immundi omnes nos, & quasi pannus menstruata omnes justitiæ nostræ.* Quamvis invigilemus sollicitè, multis scatent imperfectionibus opera nostra. *Va etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam,* ait S. Aug. lib. 9. Conf. Aurum nostrum scoria multiplici est infectum, nec illam agnoscimus; non ergo gloriemur aut præsumamus de operibus adeo imperfectis, cum potius exinde confusionem debeamus concipere, aut illam incerti de nobis formidare. Delicta quis intelligit? Omni custodia conserva cordis tui introitum, omnique humilitate; quia sicut de hoc Pharisæo dicit S. Gregorius: *Civitatem cordis sui insidiantibus hostibus per elationem aperuit, quam frustra per jejunium & orationes clausit.* Sic qui offendit in uno, facile fit omnium reus, ut dicit S. Iacobus.

Tertia ratio cur non debeamus nimium confidere est instabilitas nostræ justitiæ. Incertum est, an perseveraturi simus in nostra justitia propter innatam nobis mutabilitatem & infirmitatem, hoc ergo nos in timore, & humilitate debet continere. *Qui stat, videat, ne cadat.* Quàm multos vidimus ascendisse usque ad cœlos, & velut inter sidera collocasse nidum suum, sed postmodum cecidisse usque ad abyssos? Quot stellas vidimus cecidisse ab impetu ferientis caudæ draconis? Sic in suis Soliloquiis loquitur S. Aug. significans quamlibet perfectos, & cœlesti conversatione fulgidos, tentatione dæmonis fuisse subversos. Nulla est certitudo, quia cecidit Angelus de cælo. Adam de Paradiso, Iudas ex Apostolico Collegio: Saul cecidit electus à Deo; David peccavit inter Prophetas. Salomon inter Sapientes. Petrus inter Apostolos. Nicolaus Diaconus inter primos Diaconos. Omnia instabilitati subdita cernuntur, dum Iudas damnatur, Latro salvatur, Magdalena justificatur, Publicanus exauditur, Pharisæus reprobatur.

Iacobi 4.

2. Cor. 12.

Non tamen hic negandum est, posse quandam fiduciam poni in operibus justis, prout illa non à nobis, sed à divina procedunt gratia; sic enim vitæ æternæ redduntur meritoria, quatenus & divinæ gratiæ, & Christi meritis sunt innixa. Et quæ alias sordida forent, ut pannus menstruatæ, sanguine Christi abluuntur, fiuntque pretiosa. Sicut olim aquæ Iericho steriles, & amaulentæ, Elisæo Prophetæ mittente in illas sal, dulces sunt effectæ: Sic opera nostra quæ à libero arbitrio prodeunt ita imperfectionem & amaritudine non habent, si sal passionis Christi aspergantur, fiunt suavia, & Deo grata,

Quomodo fiducia in bonis operibus habere possit.

4. Reg. 2.

grata, valoremque, & dignitatem sortiuntur à meritis ipsius, & à Spiritus sancti gratia. Audi & aliam similitudinem. Oleaster insertus olivæ fit socius radicis & pinguedinis, qui alias infructuosus erat, amaris, & silvestris. Non absimiliter opera nostra ex sese silvestria, & infructuosa dum per fidē, & charitatem inseruntur arbori vitæ Christo, participant de ejus gratiæ & pinguedine, fiuntque meritoria vitæ æternæ; & ideo ex hoc capite aliquam in ipsis fiduciam licet collocare. *Hoc enim non est confidere in nobis, sed in Domino,* (Vt dixit Concil. Trident. sess. 6.) *cujus tanta est bonitas, ut velit dona sua esse merita nostra.* Quod ipsum antea dixerat S. Aug. de gratia & arbitrio c. 7. ubi ait: *Si Dei dona sunt merita tua, non Deus coronat merita tua tanquam merita tua, sed tanquam dona sua.* Sic ergo & hic dici poterit. Cum Dei dona sint opera & merita justorum, non confidunt justi in meritis suis, sed tanquam in Dei donis abundantissimis. Sub qua consideratione de operibus bonis dicit S. Cyprianus Tract. de opere & eleemosynis: *Præclara & divina res est, fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati.* Operatio bona Dei munus est infirmis necessarium, fortibus glorioſum, qua Christianus premeretur Christum Iudicem, Deum computat debitorem. Ex hac operum bonorum fiducia Apostolus Paulus letho vicinus lætus decantabat cygneum illud melos: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Iudex.*

2. Tim. 3.

PARS III. *De contemptu proximi tertio Pharisæi orantis vitio.*

TErtium vitium Pharisæi nostri orantis fuit contemptus proximi. Quapropter hoc parabolicum exemplum à Domino ad eos omnes dirigitur, *qui confidunt in se tanquam justi, & aspernabantur cæteros.* Fuit autem manifeste Pharisæi arrogantia cum despectu aliorū conjuncta, dum dixit: *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* Quid arrogantius? Non solum seipsum superbè collaudat; sed etiam aliis cum aspernatione insultat. Ideo S. Chrysostomus increpans hunc fastum Pharisaicum dicit: *Vno verbo & absentes invadit, & vulnera præsentis lacessit. Non est autem gratiarum actio invectivum aliorum.* Hoc verò hic advertendum, Pharisæum verum dicere dum dicit plerosq; hominum injustos, raptores, adulteros; sic enim est intelligendus, non quod omnes his vitiis inquinatos velit, sed plerosque, se autem his vitiis carere, licet frequentissima sint, multisque communia. Verè hæc tria vitia plurimos commaculant, & in æternam perniciem devolvunt. O quam multi injusti sunt, & nolūt agnoscere, ne coganturrestituere. Interim væillis dum multiplicant non sua; aggregant enim contra se densum lutum, ex quo non possunt se extricare. Varias scilicet luculentas obligationes conscientiæ aggerunt, in quibus inhærent ad finem usque vitæ, tanquam infixi in limo profundi, & sic pereunt. O quam multi impendiis alienis ædificāt domos suas, sublimant familias suas per injustitiam & illicita media, per turnum baculiut vocant, per Reipublicæ depeculationem, per pauperum oppressionem! O quam multi perfraudes, usuras, furta, rapinas, detescunt vel laute vivunt, mercatores, milites, judices, causidici, negociatores, officiarii! O quam multi decimas Deo & Ecclesiæ debitas defraudant, agris alienis damnum inferunt: creditoribus debita non persolvunt! An non hi omnes injusti sunt vel raptores? Sed nec deest cetus grandis adulterorum & fornicariorum, ita ut verum sit illud: *Adulteris repleta est terra, & inveni malum eorum in domo mea. Facti sunt mihi omnes ut Sodoma, & habitatores ejus quasi Gomorrha.* Iterum: *In domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores, & emissarii facti sunt: unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Multi certe adulteri sunt & fornicarii, si non semper opere, saltem mente & cogitatione; & ita injurii sunt Deo, injurii proximo, injurii matrimonio suo vel alieno, fidem in matrimonio juratam violantes vel effectu. Quapropter non a veritate alienum forsitan fuit quod Pharisæus pronuntiavit: *Non sunt sicut cæteri hominum, injusti, raptores, adulteri.* Sed tamen inde tumorem, & elationem concipere non debuit, sed timorem potius & humiliationem. Neque etiam propterea in despectum venire debuit aliorum, aut in judicium temerarium cujuspiam in particulari, sicut fecit dum Publicanum despicit, judicat, condemnat, dum ei insultat cum temeritate.

Ierem. 23.

Ierem. 5.

Quisquis majorem gratiam à Deo accepit, majorem etiam obligationem habet; & ideo timorem concipiat, non arrogantiam, ne se gratia accepta reddat indignum. Consideret illud S. Augustini: *Non est peccatum quod facit homo, quod non possit facere alter homo, nisi juvetur ab eo à quo factus est homo.* Itaque neminem despiciat, cùm non sit abbreviata manus Domini, nec gratia ejus, ut possit alterum à peccato eruere, permittens arrogantem ruere, in pœnam ingratitudinis & arrogantiæ. Si Deus erga te bonus est & benignus, noli erga alios acerbus esse & censor rigorosus, quinimò humiliter de te sentias, ut abundantiorem gratiam recipias; etiam benigne de aliis quantum potes censeas ne per temeritatem judicii facilè impingas. Fortè si Deus eis favores & inspirationes concessisset quales tibi, fructum majorem quam tu ex eis Domino referrent.

Propterea interrogatus S. Franciscus familiariter & cordatè à quodam è fratribus suis, quid de se sentiret, humillime respondet: *Videor mihi maximus peccatorum:* Cum vero frater ille ei diceret, impossibile esse id sentire ipsum sine injuria divinæ gratiæ in ipso promicantis, hoc responsum accepit: *Si quemlibet sceleratum hominem Deus tanta gratia* — *Exempla justorum de se non præsumentium.*

profectus fuisset gratia, multò me melius illa usurus fuisset, longeque gratior & sanctior evasisset; & ideo me miserrimum, maximumque dico peccatorem. Quasi diceret, si secluſa gratia me considero, tantam in me proclivitatem in vitia agnosco, quantam in ullo; & ideo puto me maximum fuisse ac fore peccatorem, nisi infirmitatem meam sua gratia roborasset, & in dies roboraret Deus. Agnovit exinde frater ille humilitatem Francisci profundissimam, propter quam antea viderat in extasi sedem in cœlo dignissimam, pretiosis lapidibus adornatam, omnique gloria refulgentem. Cumque miraretur cujus illa sedes foret, vocem cœlestem audivit? *Sedes ista unius de Angelis ruentibus fuit, & nunc humili servatur Francisco.* Testis est Bonavent. c. 6. vitæ Francisci.

Sic alter *Franciscus*, Dux olim *Gandiæ*. B. *Franciscus Borgias*, quantumlibet donis Dei adornatus, infra omnes se abjiciebat & despiciebat: imo solebat asserere se omnibus creaturis, ipsis quoque serpentibus, viliorem esse. Propterea dæmon, qui spiritus est superbus, cùm non ferret inusitatam hanc animi submissionem, quadam die sic eum compellavit: *Qua est nova hac hypocrisis tua, nunquid etiam me diabolo tandem pejorem dices?* Respondit vir sanctus: *Vtique pejor sum, nam semel tantum peccasti, & æternas luis pœnas: ego vere post multas misericordias sæpe in peccata relapsus sum Deo meo ingratus.* Hoc humilitatis responsum non ferens dæmon mox evanuit.

Sic quoque *B. Bernardus* de Quinta valle S. Francisci socius, neminem judicabat, neminem contemnebat, sed omnes sibi præferebat melioresque judicabat. Si quem enim vili veste tectum intueretur, sibi solitus erat dicere: *Hic patientius tolerat paupertatem, quam tu Bernarde.* Si alium pretiosis indutum vestibus cerneret, dicebat: *Hic fortè sub veste delicata melior est, quam tu sub tunica rudi, Bernarde.* Ideo vidit B. Leo. socius itidem Francisci, ab ejus oculis micare radios miri splendoris, quasi à stellis lucidissimis, & intellexit divinitus id ipsi concessum esse, quia quicquid cernebat, semper in meliorem partem interpretabatur, nec aciem ejus fulgidam unquam judicii temerarii lippitudo hebetarat.

Mavulus l. 5. exemp.

Non sic plerique homines hujus sæculi, qui illicò optimam de se opinionem concipiunt ex aliqua scintilla, vel apparentia exteriori virtutis vel devotionis, cæteros autem ex minima occasione despiciunt, vel sinistrè dijudicant. Atque hi imitatores sunt hujus Pharisæi se se extollentis, & alios aspernantis: *Non sum sicut cæteri hominum, velut etiam hic Publicanus.*

Feliciùs & sapientiùs orabat Coriarius ille Alexandrinus, ad quem missus fuit S. Antonius. Cùm enim Antonius in cella oraret, venit ad eum vox cœlestis: *Antoni, necdum perfectionem Coriarij qui in Alexandria est, attigisti.* Hoc audito, consurgit ipse mane, & festinus venit Alexandriam. Cùm verò ad designatum, virum perveniſſet, obstupuit ille viso Antonio. Cui Antonius: *Refert mihi opera tua, quia propterea de deserto veni.* Respondet ipse. *Nescio me unquam aliquid boni perpetrasse. Vnde ex cubili proprio mane consurgens antequam in opere resideam, dico quod hæc civitas à minore usque ad majorem ingrediatur Regnum Dei propter justitias suas, ego autem solus propter peccatum pœnam ingrediar sempiternam. Quod verbum antequam quiescam, sero ex cordis mei recenseo veritate.* Hoc Antonius autem, dixit ei: *In veritate fili sicut bonus artifex sedens in domo tua cum requie Regnum Dei adeptus es: ego autem sine discretione omne tempus meum in solitudine terens, necdum verbi tui assumpsi mensuram.* Ita ex lib. sentent. Patrum. Hæc oratio Coriarii plane adversa fuit orationi Pharisæi; acceptissima verò fuit Deo, oratio autem Pharisæi reprobata fuit & repudiata.

EADEM DOMINICA.

LECT. 17. bipart.

Publicanus autem percutiens pectus suum, dicebat; Deus propitius esto mihi peccatori.
Luc. 18.

Dictum est sufficienter de oratione Pharisæi, modò nobis est differendum de oratione Publicani: illa nonnisi superbia redolet & arrogantiam; hæc nonnisi humilitatem spirat & devotionem. Ideo Publicanus tanquam exemplum humilitatis & pœnitentiæ peccatoribus omnibus pròponitur, quia omnes circumstantiæ non solum animi & corporis coram Deo submissionem, sed etiam cordis insignem compunctionem significant, omnibus post peccatum necessariam qui in Dei gratiam redire voluerint. Sicut solet superbia agnosci ex ipso corporis habitu & gestu; ita etiam humilitas ex signis quibusdam exterioribus dignoscitur. Superbi imaginem sic describit *Philo lib. de charitate: Animi non satis compos, nec corporis, toto habitu gestuque morbum suum pra se ferens. Incedit summis pedum digitis, cervicem in morem equi erigens, attollensque supra naturæ modulum: nec aliter quam oblique intuetur: nec aliter audit quam quasi non audiens? famulis pro jumentis utitur, ingenuis vero pro mancipiis, cognatis item pro alienis, amicis pro adulatoribus, civibus pro exteris. Arbitratur se ditissimum, nobilissimum, fortissimum, prudentissimum, solertissimum: alios habet pro pauperibus, obscuris, contemptis, imprudentibus, insipientibus, mihilique homunciónibus.* Hæc *Philo* superbum suis depingens coloribus. His coloribus adornatus cernitur Pharisæus noster, stans cum audacia erecta cervice in templo Dei, omni se virtute præditum existimans, cæteros despiciens, injustos & adulteros vocans, torvis oculis Publicanum inspectans & aspernans. Vide nunc expressam imaginem humilitatis in Publicano, ut opposita juxta se posita magis eluceſcat,

PARS I. *De oratione Publicani & ejus circumstantiis.*

Descriptio superbi.

Primò quidem *stabat à longè*. Hoc est longe distabat à sanctis sanctorum, & ab atrio in quo sacerdotes sacrificabant, & ab ipso altari in quo sacrificia incendebant. Pharisæus autem accesserat & propinquior erat sanctis sanctorum, Arcæ testamenti, atrio Sacerdotum & altari holocaustorum. quamvis in eodem foret atrio cum Publicano: nam non licebat nisi Sacerdotibus ad atrium Sacerdotum, & ad altare holocaustorum ingredi. Locus autem extra atrium Sacerdotum erat amplissimus. ita ut Judæi inter miracula templi connumerent, quod licet ter in anno (in festivitate Paschæ, Pentecostes, Tabernaculorum) undique ex tota Palæstina concurrerent juxta præceptum Domini, nihilominus templum nunquam ita fuisse impletum, quin adhuc locus superesset ad ingrediendum. Stat ergo à longe Publicanus, significans se timorem illum Dei habere, qui initium est sapientiæ & conversionis. Stat à longe, conscius suorum scelerum, indignumque se reputans Deo propinquare. Non enim de illis erat, de quibus conqueritur Isaias: *Me de die in diem quærunt & scire vias meas volunt quasi gens quæ justitiam & judicium Dei sui non dereliquerit; appropinquare Deo volunt.* Stabat à longe, significans verum esse illud: *Longe à peccatoribus salus*, longe ab illis gratia, longe gloria cœlestis nisi ipse Deus dignetur ex beneplacito suo appropinquare, vel eos ad se adducere; nec enim id viribus naturæ possunt. Stabat de longinquo, sed Dominus eum attendebat de propinquo inquit S. *Augustin.* Attendit enim de propinquo humilem, ut adducat propinquius ad salutem. Quo magis se quis agnoscit elongatum à Deo per veram & humilem sui notitiam, eo magis Deus appropinquare ad eum solet per suam gratiam. Sic prodigus ubi se elongatum à Patre & ejus domo agnovit, dicens: *Surgam & ibo ad Patrem meum: Quanti mercenarii in domo Patris mei panibus abundant, & ego hic fame pereo*: Mox etiam ei adfuit paterna manus ut surgeret, paternum auxilium ut veniret, & cum eum vidisset Pater à longe, accurrit, osculatus est, & cecidit super collum ejus. Sic factus est prope, qui longe fuerat, & elongationem suam agnoverat, dicens intra se: *Pater peccavi in cœlum & coram te, non sum dignus vocari filius tuus.* Similiter etiam huic contigit Publicano à longe stanti, & cum Psalte dicenti: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.*

Cur publicanus stet à longe. *Isai. 58.* *Psal. 118.* *Luc. 15.* *Psal. 5.*

Secundò? *Nec oculos levare audebat in cœlum* Hoc nimirum pudore & erubescentia in consideratione peccatorum suorum. Sic dicebat Abner ad Azael: *Recede & noli me sequi, ne compellar confodere te, & levare non potero faciem meam ad Joab fratrem tuum.* q. d. Non potero præ erubescentia levare faciem meam ad Joab, si fratrem ejus interfecero. Sic etiam dicit ipse Esdras: *Deus meus confundor & erubesco levare oculos meos ad te, quia iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum & delicta nostra creverunt usque ad cœlum.* Sic quoque Rex Manasses orans inclamat Domino maximo cum pudore & confusione dicens: *Peccavi super numerum arenæ maris, & non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ.* Sic rursus Daniel: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, Tibi Domine justitia; nobis autem confusio faciei.* Sic denique & Magdalena stetit retrò secus pedes Domini, indignam se reputans quæ faciem levaret contra Christum, non minus verecunda quam mulier à viro suo in adulterio est deprehensa, quæ ita confunditur, ut nec in faciem viri oculos suos attollere audeat.

Cur oculus in cœlum non levet. *2. Reg. 2.* *Dan. 9.* *Luc. 7.*

Hæc certe verecundia (quam docet Publicanus non audens oculos in cœlum levare) necessaria est cuilibet vere & humiliter pœnitenti, estque pars pœnitentiæ erubescentia de peccatis, sive coram Deo, sive coram Confessario. Unde Sapiens ait: *Ne confundaris pro anima tua dicere verum: est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam.* Illa confusio peccatum adducit propter quam peccator aliquid celat in confessione sua; ipsa enim vulnus tegit & mortem affert. Altera vero est confusio pernitilis quæ erubescere facit post peccatum, nec tamen eo adducit peccatorem, ut illud fatear, vel excuset, sed ut humiliter & perfectè illud accuset & confiteatur ad animæ sanitatem. Hæc nimirum confusio adducit gratiam, adducit & gloriam. Ne confundaris ergo pro anima tua dicere verum, & tamen confundaris, aut erubescentia aliqua afficiaris. Hinc *August. lib. 10. Confessionum suarum.* Tibi quidem Domine cujus oculis nuda est abyssus humanæ conscientiæ, quid occultum esset in me? Etiamsi nollem confiteri tibi, te mihi absconderem non me tibi. Nunc autem gemitus meus testis est displicere me mihi, ut erubescam de me, & abjiciam me, atque eligam te. Tibi ergo manifestus sum quicumque sum; sed quia tu veritatem dilexisti, & qui facit eam venit ad lucem, volo eam facere in corde meo coram te in confessione, in stilo autem meo coram multis testibus. Hæc ille. Infelix ergo anima quæ nescit confusionem, nescit confessionem, cui dicit Dominus: *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Non exigui momenti scientia est scire erubescere, & cognoscere quam ob causam erubescere oporteat, ob peccatum scil. quod adeo ingratos nos reddit & fœdos. Multi sciunt erubescere, sed non ob eam causam ob quam erubescendum est. *Multi multo amplius erubescunt ob sordidam vestem, quam ob sordidam mentem*, inquit Hugo Victorinus. *Multi erubescunt paupertatem & humilitatem; nec illud tamen deberent erubescere, ad quod decendum non puduit cœlestem Magistrum descendere.*

Verecundia cuilibet pœnitenti necessaria. *Eccli. 4.* *Jerem. 3.* *in lib. Patriarch. in Dina.*

Erubescebat Publicanus propter sua peccata, & oculos in illa conjiciebat, eorum gravitatem, fœditatem, multiplicitatem considerans; ideo non audebat eos levare in Cœlum, ad sedem in qua Deus toties adeoque graviter offensus residebat. Non audebat, inquam, levare in Cœlum, illudque erecta

erecta fronte intueri, quia verebatur & erubescebat stellas Cœli, sceleru suorum testes & judices inspicere, sed confitebatur Domino instar prodigi: *Luc. 15.* *Peccavi in Cœlum & coram te.* Sic omnes docebat pœnitentes oculos suos ad peccatorum suorum numerum & gravitatem vertere, & Cœlum ac astra timere tanquam testes & vindices peccatorum; docebat ante oculos ponere sibi amaritudines futuras ad dirigendum cor in viam rectam. Sed nec manus in Cœlum levasse videtur Publicanus, quod eo tempore frequens erat orantibus. Hoc insinuatum putant quidam sacri Interpretes illis verbis: *Nolebat nec oculos ad Cœlum levare*; multò minus manus, quas Pharisæus cum audacia extollebat. Quare autem nolebat? Quia sciebat esse impuras, & injustitia, aliisque vitijs commaculatas; malebat ergo illas dimittere, & quasi abscondere, illasque ad pectus percutiendum reservare.

Percussio pectoris quæ significet.

Tertio: *Percutiebat pectus suum.* Percutere pectus, signum est, compunctionis & satisfactionis. Quid est percutere, sive tundere pectus, inquit S. Aug. serm. 8. de verb. Domini? *Est arguere quod lateat in pectore, & evidenti pulsu occultum castigare peccatum.* Pœnas ergo à se exigebat, & flagellis se dignum, plagisque fatebatur, qui à se ipso in pectore percutiebatur. Atque cum cor sit in pectore, percutiendo pectus, nonne cor arguebat, tanquam fontem & originem à quo peccata emanant? *Matth. 15.* *De corde enim exeunt cogitationes pravæ, & quæcunque inquinant hominem, furta, homicidia, adulteria,* ut dixit Dominus. Sic dixit B. Zeno Episcop. Veronensis in Psal. 129. *Pharisæus insidè manus tendit in Cœlum, oculos impudenter extollit, intonat lingua, & quod omni majus est insania, Deo se laudat. Publicanus autem non membratim Deum, sed totus exorat, qui timore totus est humilis, à quo procedunt omnia genera peccatorum, pectus crebro percutiens, quodammodo cor suæ manu verecundè castigat.* hæc B. Zeno. Cor ergo

Ob 4. causas pœnitens cor percutit

à pœnitentibus merito percutitur. 1. Ut cor quod peccavit, commoveatur conteratur, affligatur. 2. Ut si durum sit, instar petræ à Moyse percussæ sacra hac percussione molliatur & pro aqua lacrymas donet. 3. Ut scintillæ ignis, sive desideria ardentia melioris vitæ, ab illo eliciantur, sicut à percusso silice. 4. Denique ut quasi profundo somno soporatum excitetur, sicque peccatorum turpitudinem & suppliciorum æternitatem vigilanter attendat. Unde Theophylactus in hunc locum sic de hac re loquitur. *Docuit Pharisæus percutiendo pectus, quid in actu orandi præcipuè curandum sit, cordis scilicet et contritionem elicere & affectum. Percutit ergo pectus, quasi manu designans, unde oratio germana procedat, & ut cor ipsum quod dormiebat, excitet Deo.* Ecce in omnibus Publicanus speculum exhibet & imaginem perfectam humilis & compuncti peccatoris: nam exteriori specie & compositione interioris animi dispositionem indicat.

Publicani oratio.

Quartò. Percutiendo pectus & cor sic orabat Publicanus: *Deus propitius esto mihi peccatori*, Brevis hæc oratio humiliantis se, sed planè efficax est & cœlos penetrans; non solùm enim ab ore, sed etiam à corde intimo eam est ejaculatus, ut nubes penetraret (hoc est peccata solem justitiæ ipsi obscurantia) tenebrasque omnes dissiparet. Multi ad orationem accedentes nuda proferunt verba sine actuali attentione, sine cordis commotione, & ideo repunt illa super terram, vel aërem solum percutiunt, nec nubes penetrant, nec in cœlum pertingunt, nec impetrant quod exposcunt, inania sunt, efficiaque carent, licet diuturna sit oratio & locutio. De his intelligi potest illud Christi: *Orantes nolite multum loqui sicut Ethnici faciunt, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* Quæ verba explicans Sanctus Augustinus epistola 121. dicit; *Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio.* Fertur Phocion Orator apud Athenienses dicturus quadam die cathedram conscendisse totus cogitabundus. Rogatus causam, respondit: *Cogito verba quæ debeo omittere dum locuturus sum Athenienſibus.* Certè qui accedunt oratui, meritò teneri debent hac sollicitudine, ne nuda coram Deo verba proferant, si Orator ille id timebat coram hominibus. Non ergo multiloqua, sed fervens & cordata precatio exauditur, ut patet hic in Publicano. Non tamen hic prolixas preces condemnamus, quibus excitari potest animus ad elevandum se in Deum, quibus etiam elvari animi devotio foveri potest; nam & Christus & Sancti in oratione pernoctasse leguntur. Sed illas parum approbamus, in quibus verbis multis sine mente prolatis magna linguæ volubilitate vix ipsi qui orant se intelligunt, & tanta distractione & in compositione se gerunt, ut non videantur Dei pietate & timore moveri, quia nec sic Ethnici Deos suos orare ausi essent, nec homo hominem sibi æqualem deprecari. *Matth. 6.* *Celius Rhodigium lib. 3. l. 5.*

Porro singula hujus orationis verba ponderanda à nobis sunt, quandoquidem illa Dominus in pondere & siclo Sanctuarii sui ponderavit, nec inania invenit, nec inania remisit.

Primo cum dicit, *Deus*, idem est ac si diceret: Tu es supremus Creator omnia videns ad quem solum confugimus, à quo omne donum perfectum, omne datum optimum, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, summè miserator & misericors, qui solus peccato offenderis, & pœnitentia placaris.

Secundo cum dicit, *propitius esto*, idem est ac si diceret: Misericordiam peto, qua summopere indideo, modum autem misericordiæ tuæ sapientiæ & bonitati relinquo. Non allego merita, sed offendo ulcera, detego vulnera, propitiationem tuam ac medelam illis exposco à te, qui nunquam non soles propitiari, ideoque omnis mea spes in tua est misericordia posita. Misericordiæ ergo tuæ abyssus meæ abyssum respiciat miseriæ, non indignitatem respice, sed necessitatem propitius intuere.

Tertio cum dicit, *mihi peccatori*, idem est ac fideat: Lubenter accuso me & agnosco, ut ignoscas & absolvas. Non excuso me sicut Adam & Eva. Non accuso alios, non dæmonem, non carnem, non mundum, sed me ipsum ex meipso peccatorem, & prava voluntate mea peccantem. Tu tolle quod meum est, peccatum scilicet & offensam, quia potens es. Da quod tuum est, gratiam scil. & veniam, quia misericors es. Tu es Deus, Deus inquam pœnitentium, & in me ostendes bonitatem, si indignum salves me.

Sic novit Deus per sapientiam suam de malo bonum educere, de peccati scoria auream coronam humilitatis fabricare, ut patet in hoc Publicano: in quo insignem illam humilitatem peperit peccati consideratio. Permittit enim Deus quosdam electos peccare, ut possint fundamenta veræ humilitatis profundius jacere, & seipsos, suamque infirmitatem agnoscere. Sic humillor fuit David à Nathan reprehensus, potuitque dicere: *Bonum mihi quia humiliasti me.* Humilior & Petrus, nolens ultra, ut prius, de viribus præsumere. Nam tertio interrogatus de amore, humiliter respondet: *Tu scis Domine quia amo te*, & contristatus est timens ne forte advertisse Dominus adhuc ipsum abesse ab amoris perfectione & firmitate. Humilior & Paulus, dicens: *Iesus Christus venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.*

Psal. 118.

Ioan. 21.

1. Tim. 1.

PARS II. *De sententia Dei judicis inter Publicanum, & Pharisæum.*

AUdivimus orationem Pharisæi, audivimus & Publicani, nunc audienda est sententia Judicis inter utrumque decernentis: *Dico vobis descendit hic justificatus in domum suam ab illo.* Quia non simpliciter justificatus dicitur, sed ab illo, sive præ illo, quidam existimant non absolute justificatum, sed tantum inchoatè. Sic sentit B. Ephrem dum dicit: *A verbis inchoat pœnitentia principiū, quia quæ verbis fit confessio, initium pœnitentiæ est. Propterea salutis initia dantur Publicano, nec perfectè ipsum debitis liberarunt, quia nec dum perfectè pœnitentiam fecerat. Non dixit quod à condemnatione justificatus sit, sed plusquam Pharisæum justificavit, ut discamus respiscendum non tantum verbo, sed & opere.* Sed interpretatior communior est, vere justificatum rediisse Publicanum, verumq; contritionis perfectæ actum elicuisse qui justificat impium. Sic simpliciter dicit Venerab. Beda: *Etsi injustus ad templum venit, justificatus à templo rediit.* Similiter loquitur & Euthym: *Pharisæus qui se adeo justificaverat, à Deo est condemnatus: Publicanus qui se adeo condemnarat, à Deo est justificatus.* Sic verum est quod Dominus dicebat senioribus populi: *Amen dico vobis quia publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.* Dicamus igitur cum S. Chrysost. hom. de Publicano & Pharisæo. Geminos aurigas & duas bigas in stadio positas sermo præsens proponit, in altera quidem justitiam cum superbia, in altera peccatum & humilitatem. Et vides bigam peccati superare justitiam, non propriis viribus, sed humilitatis conjunctæ: justitiæ vero bigam devictam mole & tumore superbiæ. Nam humilitas peccati pondus superat, superbia ob sui molem justitiam deprimit & prosternit Audi S. Amb. *Duo ad fontem misericordiæ venerunt, Pharisæus scilicet & Publicanus sed ille sitiens vidit, iste ad satietatem hausit.* Quid ita? Quia ille venit cum vase tumido & pleno elationis; iste cum vase concavo & vacuo vase humilitatis: Deus autem vasa vacua replet sicut Elizæus. Ille stetit ad fontem; sed erectus: iste cor caputque ad bibendum inclinavit.

Matth. 21.

Discamus & hic cum Publicano attente & humiliter cum perfecta fide orationem coram Domino fundere, si gratiam & remissionem peccatorum volumus impetrare. Audi S. Hieronymum Lib. adversus Luciferianus hæc de re præclare & pientissime differentem: *Ad orationem assisto; non orarem nisi crederem, sed si vere crederem, illud cor quo Deus videtur mundarem, manibus tunderem pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, jacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem; hærerem certe trunco crucis, nec prius amitterem quam misericordiam impetrarem. Nunc crebro in oratione aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut turpi cogitatione abductus etiam dictu erubescenda gero. Ubi est fides? Sic tres pueros? Sic Danielem inter leones? Sic Publicanum in templo? Sic latronem in cruce?* *Modus.*

Discamus quoque contritionem non in verbis consistere, sed in perfecta cordis conversione, & mox hominem justificare quibuslibet verbis exprimatur. Publicanus quinque verbis eam expressit, *Deus propitius esto mihi peccatori*, & justificatus est. David duobus verbis idem effecit: *Peccavi Domino.* Post hæc verba dicitur ei à Nathan: *Transtulit Dominus peccatum tuum.* Latro pauca etiam verba emittit cum contritione; *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum*; & mox gratiam gloriamq; recipit. Prodigus his quoq; paucis verbis contritionis dat formulam; *Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus*; statimque in priorem gratiæ gradum receptus legitur Magdalena & Petrus non verbis sed lacrymis compunctionem exprimunt. Thais meretrix toto triennio nec oculos ad cœlum ausa levare, in cella non aliud orat; *Qui plasmasti me, miserere mei*, ipsius vel Dei nomen pronuntiare veretur præ confusione, sicq; humilitate vim infert regno cœlorum & gratiæ divinæ. Itaq; monendi sunt nonnulli, non satis esse ad contritionem, quod orationem quandam legant, quam vocant *Actum contritionis*, nisi adsit simul perfecta cordis conversio, & hæc si adsit, parum est quibuslibet verbis exprimatur, ut alibi iterum monuimus, formulæ tamen istæ adjuvare possunt, & instruere ad eam eliciendam, quæ actum contritionis dicuntur continere. *In quo contritio consistat.*

2. Reg. 12.

Luc. 23.

Luc. 15.

Concludit tandem Dominus: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Quæ sententia ter in Evangelio reperitur, ut tanto

Luc. 14.

Luc. 18.

Matth. 23.

Exempla superborum, quos Deus humiliavit.

tanto firmius cordibus noſtris imprimatur. Ac certè ſcriptura tum veteris, tum novi teſtamenti eam frequentiſſime inculcat & confirmat, non ſolum verbis, ſed etiam exemplis, ut infallibiliter veram eſſe nemini ambiguum eſſe poſſit. Nonnulla de ſacris litteris breviter hic proponamus exempla.

1. *Iſa.14.*

1. Exaltavit ſe in cœlo ſuperbiens Angelus, & ideo in abyſſum jacet demerſus. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo In cœlum conſcendam, ſuper aſtra exaltabo ſolium meum: similis ero Altiſſimo? Veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci.* Quid ita? Quia non poteſt falli ſententia Domini: *Qui ſe exaltat, humiliabitur.*

2.

2. Exaltavit ſe per ſuperbiam primus homo in Paradiſo, & humiliavit eum Deus, quia factus eſt miſer & ærumnoſus in exilio. Quid ita? Quia non poteſt falli ſententia Altiſſimi: *Qui ſe exaltat, humiliabitur.*

3. *Exod.5.*

3. Exaltavit ſe Pharao contra Deum in Ægypto, & ſubmerſus eſt confuſibiliter in mari rubro. Detracta eſt ſuperbia tua ad inferos, ô Pharao, qui dicebas; *Neſcio Dominum.* Sic agnoſcis quam verum ſit: *Qui ſe exaltat humiliabitur.*

4. *Num.16.*

4. Exaltaverunt ſe Core, Dathan, & Abyron, rebelles Moyſi & Aaroni, terraque vivos dehiſcens humiliavit eos usque ad abyſſum. An non & hic manifeſtum eſt. *Qui ſe exaltat, humiliabitur?*

5.

5. Exaltavit ſe arrogans Abſolon contra Patrem; ſed infauſta in arbore dedecoroſe exaltatus cernitur, & mire humiliatus eſt, Deo ſuperbiam eius plectente. *Ex pilorum coma à coma arboris tenebatur, illic contundebatur ubi diadema paternum geſtare comtenebat. Ab arbore detinetur, qui cum radice pugnabat. Injuriam Patris non pugnantis gladius, non hoſtilis manus, non aculentu ictus defendit; ſed vindicant ligna, arbor ulciſcitur, rami defendunt; nec eſt ulla creatura quæ non mota fuerit, eum ipſum ſuperbe ſenſerit moveri in auctorem & parentem.* Sic loquitur S. Chryſoſt. in Pſal. 3. O quam ergo infallibile eſt. *Qui ſe exaltat, humiliabitur?*

6. *Eſther.5. & 7.*

6. Exaltavit ſe Aman per ſuperbiam, ob quã non poterat tolerare, quod Mardochæus ſibi non flecteret, idemque ei erexit patibulum quinquaginta cubitorum altitudinis. Verum Deus qui ſuperbos deſpicit, invertit ſortem, unde in eodem ligno quod alteri pararat, elevatus eſt maximus cum ignominia & confuſione. Ergo hic iterum reperimus: *Qui ſe exaltat, humiliabitur.*

7. *Iſa. 37.* *4. Reg. 19.*

7. Exaltavit ſe contra Deum blaſphemus Rex Senacherib, unde ei dicitur à Domino: *Super quem exaltaſti vocem & levaſti altitudinem oculorũ tuorum? Ad ſanctum Iſrael. Superba tua aſcendit in nubes meas. Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te per viam per quam veniſti.* Percuſſit igitur Angelus una nocte in exercitu ejus centum octoginta quinque millia; ipſe autem fuga elapſus; & in regnum ſuum reverſus, adorans in templo Dei ſui, à filiis ſuis interficitur. An potuit forte falli ſententia Dei: *Qui ſe exaltat, humiliabitur?*

8. *Dan.4.*

8. Exaltavit ſe Nabuchdonoſor, ſed in belluam converſus, ejectus eſt ab hominibus, & cum feris & beſtiis eſt converſatus, donec humiliaretur, & agnoſceret Deum cœli. Exaltavit ſe Holofernes; ſed caput eius à muliere detruncatum fuit, & confuſibiliter humiliatum. Et exaltavit ſe ſuperbiſſime Antiochus; ſed inteſtinis putrefactis factus eſt ſibi, ſuisque præ fœtore intolerabilis & infeliciſſime exſpiravit. Ergo in his omnibus, & ſexcentis aliis manifeſtiſſime cernitur, quam verum ſit illud toties à Domino repetitum: *Qui ſe exaltat, humiliabitur.* Illud quoque à Maria matre ejus pronunciatum verificatur: *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* O verè odibilis coram Deo & hominibus ſuperbia, initium omnis peccati! *Qui tenuerit illam, adimplebitur maledictione, & ſubvertit eum in finem.* Sic diſertis verbis loquitur ſapiens.

Judith. 13. 2. Mach.9 Luc. 1. Eccl. 10.

Prolixa non opus eſt probatione, ut è contra declaremus, quam verſa ſit altera pars ſententiæ Domini priori adverſa: *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Tota enim ſcriptura inclamat non ſolum Deum ſuperbis reſiſtere, ſed etiam humilibus gratiam dare, Nec hic exempla deſunt.

Exempla humilium, quos Deus exaltavit

1. Humilis fuit Abel, benignus, & in oculis ſuis parvulis, ideoque caput juſtorum eſt effectus & præ fratre ſuo arrogante, & iracundo gratiam invenit coram Domino: *Numquid cuſtos fratris mei ſum ego?* inquit arroganter Cain Domino?

1.

Gen. 4.

2. Humilis fuit Iſaac & obediens, & ideo exaltatus eſt, & electus præ fratre ſuo Iſmaële, qui erat homo ferus, *cujus manus contra omnes.*

2. *Gen.16.*

3. Humilis fuit Iacob & ſimplex, ideoque benedictionem fratris obtinuit, gratiamque invenit non ſolum coram Patre terreno, ſed etiam coram Patre æterno, hæres effectus promiſſionis factæ Patribus ſuis. Eſau autem rebellis, & arrogans rejectus fuit à Domino, licet primogenitus foret.

3.

4. Humilis fuit Ioſeph minimus inter fratres, & licet à fratribus per invidiam humiliatus fuerit, & in ſervum venditus, tamen à Domino fuit exaltatus; ita ut ad impletum fuerit quod prævideraṫ & prædixerat ipſe; Lunam & Solem ſtellasque undecim ſe adoraturas, & manipulos fratrum adoraturos manipulum ſuum: quod factum fuit dum ad eum Dominatorem Ægypti pater fraterque advenerunt, illum venerantes, & neceſſaria precario poſtulantes.

4.

5. Humilis fuit David, & parvus in oculis ſuis, & ideo in Saulis locum *de poſt fœtantes accepit eum Dominus*, ut paſceret populum ſuum, & omnibus ſuis fratribus prælatus fuit, licet minimus omnium. Vide cum Samuël miſſus ad Iſai patrem eorum, à Domino putaret ungẽdum à ſe primogenitum Eliam, dixit Dominus: *Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ ejus, quia abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico; homo enim videt quæ parat, Deus autem intuitur cor.* Vocati ergo ſunt ſigilla-

5. *Pſal.77.* *1. Reg.16.*

sigillatim, & alii sex coram Samuële; & dixit: *Non elegit Dominus ex istis.* Tunc dictum est Samuëli ab Isai. *Adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves.* Hic ergo erat electus à Domino, quia parvulus, quia cor ejus humile intuebatur Dominus quia à ministerio humili exaltare eum volebat ad regnum & à virga pastorali vocare ad sceptrum.

In novo quoque testamento humilibus maximam à Domino gratiam impertitam fuisse agnoscimus. Sic Maria ad sublime matris Dei officium exaltata fuit, donisque omnibus adornata ob humilitatem. *Luc. 1.* *Respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ausim dicere, inquit S. Bernardus ser. sup. missus. *Sine humilitate nec Maria virginitas placuisset.* Sic electus est S. Ioannes, & inter natos mulierum major constitutus gratiæ donis, quia maximè humilis, *Non sum dignus corrigiam calceamenti ejus solvere,* inquit ipse de Christo. Sic humiles elegit ad Apostolatum, & Petrum humilem exaltavit, verticemque constituit & caput Apostolorum, qui humillimè dixerat: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Superbos autem semper despexit Dominus; ita ut Maria in suo cantico decantarit eum jubilo: *Dispersit superbos mente cordis sui: Deposuit potêtes de sede, & exaltavit humiles,* quod quidê omni tempore fecit Dominus, & in æternũ facturus est.

Quapropter Onuphrius Anachoreta, ut suos ad humilitatem adhortaretur, hanc proponere solebat suis parabolam. Arbores quondam conquestæ sunt de hominum crudelitate, quod ita ab ipsis excinderentur, & crescere impedirentur. Concilium ergo inierunt, ut consilium inter se caperent ad obsistendum huic rei. Cumque quælibet arbor suam ea de re opinionẽ proponeret, ecce una ex Cedris Libani pronunciavit, huic damno provideri posse hac ratione; Si scilicet ultra arbores non præberent hominibus ligna ad manubrium securibus confitiendum, sic enim impediendos asserebat, & ineptos fore ad exscindendum. Omnes equidem suspiciebant hanc Cedri resolutionem. Accessit interim arbuscula quadam humillima, & tenuissima, dixitque hoc consilium non esse sufficiens. Quia, inquit ipsa, licet forsitan à securi vos forte securas hac ratione existimeris, quomodo tutæ eritis à tonitruis & fulminibus? Addit deinde. Optimum ego remedium judico pro securitate à cœlo & hominibus, non crescere tam altè, sed amare humilem locum & staturam. Hæc parabola suis humilitatem adamandam significabat Onufrius, teste Palladi, in vitis Patrum. Videri potest non absimilis parabola in lib. Iudicum c. 9. *Parabola de Arboribus.*

Congruit & huic parabolæ quod Psalmista dicit. *Vidi impium super exaltatum & elevatum sicut Cedros Libani: Et transivi, & ecce non erat: quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.* Quasi dicas: Vidi hominem mundanum & superbum, ad honores, opes, voluptates elevatum, omni cum prosperitate, & gaudio in his se exaltantem, & inter proceras Cedros *Psal. 36.* sese connumerantem. Vix pertransii, & eum post paucum tempus illac adhuc redirem, evanuerat, nullumque pristinæ magnitudinis, & splendoris vestigium reliquum fuit, adeò exiguo tempore subtitit. Vidi Midam, & Cræsum in divitiis, sed illæ mox vento disperierunt, perierunt & illi, nec locus reperitur eorum, nec vestigium reliquum est. Vidi Lucullum in delitiis, sed mox in pulverem postratus est, esca vermium factus, tinea ejus stratum & operimentum. Et ubinam est locus ipsius? Pertransiens non inveni; alibi est requirendus, ubi ignis sulphur, & spiritus procellarum, pars est calicis ejus. Vidi Belisarium in triumphis contra VVandalos, Parthos, & alias Bellicosas nationes; paulo post redii, & inveni eum misere & infeliciter stipem emendicantem. Vidi Aman primum à Rege ab omnibus adoratum, & mire in sua dignitate superbientem. Rediens autem paulo post in patibulo inveni suspensum, non inveni locum ejus priorem. Vidi Cæsarem, vidi Pompejum in trophæis & victoriis, pertransii, & ecce post me reipiciens, hunc ab infami spiculatore capite vidi detruncatum, illum in medio Senatus confossum in cruore suo natantem. Ecce Cedri Libani exaltatæ, quorum locus paulò post non est inventus. Ecce veritas Domini; *Omnis qui se humiliat, exaltabitur: Omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Vnde hi omnes, & eorum imitatores innumeri, possunt illud Iob recte dicere: *Elevasti me, & quasi super ventum ponens me allisisti me valdè.* Iob 30.

Cõclusio. O Domine Iesu Christe qui semper adamasti humilitatem, & jugiter superbiam odisti, veram cordi nostro humilitatem infunde, ut ex corde contrito, & perfectè humiliato te oremus, te adoremus, præsumptionemq; omnem, & inanem gloriationem evitemus coram te, & coram hominibus. Tu es magnus humilitatis Magister, qui eam toro vitæ mortalis decursu docuisti verbis parabolis, & exemplis: fac igitur nos scholæ tuæ discipulos obedientes, fac Theodidactos seu docibiles Dei, ut à virtute quam primum docuisti incipiamus illa duce progrediamur & proficiamus, per illam deniq; consummemur, & perfectionem acquiramus. Bonum nobis est, si humiliemur in hac vita, ut à te exaltemur in altera, quia nequit falli sermo tuus. *Omnis qui se exaltaverit humiliabitur, qui se humiliaverit exaltabitur.* Igitur per humilitatem in hac miseriarum valle sterne nobis securam viam ad æternitatem tuæ gloriæ, Amen.

DOM. XI. POST PENTECOSTEN.

Lect. 18. bipart.

Adducunt ei surdum & mutum, & deprecantur ut imponat ei manum. Marc. 7.

Pars I. *De circumstantiis ægrotantium nationes.*

LAude & amore dignum judicaremus Medicum peritum & expertum, qui zelo impulsus sani catis & ægrorum quoquo versum pergeret per vicos & urbes, ut ægris quibuslibet gratis artem ac scientiam

hujus muti, & surdi.

tiam suam impenderet, & magno cum affectu & compassione curaret. Talem se exhibuit Christus Dominus verè cœlestis Medicus, zelo zelatus pro salute infirmorum, ingemiscens pro sanitate eorum, quærens undequaque occasionem, tum artis & scientiæ, tum zeli & benevolentiæ suæ ostendendæ. Propterea perambulat variarum regionum fines, ut pertransiens beneficiat omnibus. Nec deterretur luto aut fatigatione, nec sudore aut pulvere, nec siti aut fame. Sic de Apostolis dixit *Isai. 52.* Propheta. *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* Quanto magis speciosos dicemus pedes Domini, tanto zelo discurrentes per montes & valles, per lutum & cœnum, ut ægros sanet, & sanatos ducat in cœlum. O quam sæpè fatigati, quam sæpe luto & pulvere conspersi fuere hi pedes cœlestis Medici? Et tamen speciosi planè & amabiles fuere, quia amore nostri non pepercit eis à nuditate & frigore, à sorde & pulvere. Non considerandi sunt à nobis quia fusci vel nigri, decolorati à solis ardore, sed quia formosi, decolorante eos zelo & amore tanquam Sole ardente. Patescit ejus inquietus amor & zelus in hoc Evangelio, in quo dicitur: *Exiens Iesus de finibus Tyri venit per Sydonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.* Venerat præcipuè Dominus, ut Judæis medelam & salutem afferret, & non Gentibus, ad quas postmodum destinandi erant Apostoli, tamen ob ineffabilem suam benignitatem erga omnes, non potuit quin aliquando ad civitates Gentium excurreret ad Tyrum & Sydonem civitates celebertimas, ad mare, ut benedictionis cœlestis auspicia eis impertiret, ut gustum suæ doctrinæ in eis inchoaret, ut Apostolis postea illuc progressuris viam sterneret. Ibi erga aliqua miracula præstitit, inter quæ celebre omnino fuit, illa à dæmonio liberatio, quam attulit filiæ mulieris Chananææ, matre orante pro filia ferventissime & cum maxima perseverantia. Egressa de finibus Tyri & Sydonis inclamabat; *Miserere mei fili David, filia mea male à dæmonio vexatur;* & licet Dominus nec verbum ei responderet, non cessabat clamare post ipsum, & post Apostolos, ut forent intercessores. Cumque Dominus responderet se non esse missum nisi ad oves domus Israël, nec canibus dandum panem filiorum, perseveravit ipsa orans & adorans, disceptansque cum Domino asseruit etiam catellos edere de micis cadentibus de mensa Dominorum; sicque cum perseverantia & ardente fide sua tandem vicit & convicit, ita ut sanitatem filiæ suæ impetrarit.

Post illud igitur illustre miraculum rediit Dominus in Iudæam ad mare Galileæ, transiens per fines regionis, quæ Decapolis dicitur, quia decem celebres urbes continet. Dum vero illac transiret, *adduxerunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum*, inquit S. Marcus Generalius autem loquitur S. Matthæus de hoc eodem Christi itinere. Sic enim habet post sanitatem impertitam filiæ Chananeæ in gratiam Matris orantis & exorantis: *Cum transisset inde Iesus, venit secus mare Galilææ, & ascendens in montem sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes eius, & curavit eos; ita ut turbæ mirarentur videntes mutes loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes, & magnificabant Deum Israël.* Ad medicum è cœlo delapsum ægros suos afferebant, quia gratis medelam impertiebatur, indeque magna admiratio, laus & gloria Dei merito in eorum mente & ore exsurgebat. Multa hic simul miracula Evangelista Matthæus attingit, quæ sigillatim non enarrat, Marcus unum speciatim de surdo & muto enarrat, quia speciales omnino in huius sanatione circumstanti concurrerunt, ita ut nullus ægrorum cum tot cæremoniis, & mysteriis toto Evangelio legatur sanatus. Nec enim sine mysterio est, vel adducentium deprecatio, vel è turba separatio, vel digitorum in aures immissio, vel linguæ attactus per salivam, vel in cœlum intuitus, vel ex imo corde procedens gemitus. Horum omnium litteralem rationem modo explicemus, postmodum adjiciemus & mysticam.

Matt. 15.

Primo igitur adducitur hic surdus, & mutus aliorum auxilio, nec propria sponte ad Christum videtur venire. Hujus rei rationem reddunt nonnulli Interpretes (inter quos Theophilactus) quod à dæmonio obsessus foret, & ab eo mutus surdusque redditus; qui autem tales sunt, non solent quærere ea quæ sunt ad salutem, sed potius ea quæ sunt ad perniciem, laqueum potius aut præcipitium quæritant, quam Christum. Hi ergo necesse habent ab aliis juvari adduci, vel etiam portari, & compelli. Inter venientes ad Christum ex ipso Evangelio multam colligimus differentiam, non sine mysterio. Quidam enim mox ut vocati sunt, venerunt alacriter, sicut cæcus ille nomine Barthymæus; surrexit enim, & ad Christum accurrit, mox ubi ei dictum est: *Anima quior esto: surge, vocat enim te.* Alij portari debuerunt, ut paralyticus in lecto. Alii adduci debuerunt, & quodammodo compelli, sicut hic surdus & mutus. Sic aliqui sponte, & alacri animo sequuntur Christi vocationem: & alij debent adjuvari propter infirmitatem; quidam etiam debent monitis & stimulis continuis compelli, & adduci propter obstinationem, vel aversionem. Magna vero fuit horum adducentium fides, magna & charitas; fides erga Christum, charitas erga surdum. Fidem habent de Domini potentia, quia non dubitant posse sanare, si vel manu velit tangere; fidem quoq; seu fiduciam concipiunt de ejus benignitate & misericordia, quia promptum noverunt ad benefaciendum, & gratiam supplicantibus præstandam, nec quorumlibet preces pro aliorum salute repudiare. Quod autem deprecantur ut manum imponat, id fit, quia eis notum erat Prophetas sic consuevisse sanare, prout etiam indicat Naaman qui cum accessisset Elizæum pre-

Marci 10.

Manus Christi impositio petitur.

1. *Circumstantia ad Christum adducitur.*

curatione lepræ, nec aliud responsum accepisset. *Vade lavare septies in Iordane*, indignatus recedebat dicens: *Putabam quod egrederetur ad me, & stans invocaret nomen Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret.* Noverant etiam Christum D. sic plures sanasse. Nam sic Iairus eum quoque rogabat. *Filia mea in extremis est, veni impone manum super eam: & vivet*; tangens autem Dominus ejus manum suscitavit eam. Sic tetigit & manum, dum socrum Simonis sanavit. Sic tangit leprosum extendens manum, & fugit lepra. Sic & mulieri quæ habebat Spiritum infirmitatis annis decem & octo, imposuit manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. Sic denique, & parvulis ad se venientibus manus imposuit, juxta petitionem offerentium, ubi dicitur. *Oblati sunt ei parvuli, ut imponeret eis manus, & oraret, Discipuli autem increpabant eos. Iesus vero ait eis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum; & cum imposuisset illis manum, abiit inde.* Solitus est ergo Dominus impositione manuum ægris sanitatem conferre, vel gratiam, & benedictionem aliquam supplicantibus impertire. Hinc manſit hactenus in Ecclesia multiplex manuum impositio. Etenim quædam reconciliativa quæ fit in Sacramento pœnitentiæ: & olim erat quædam impositio manuum, qua hæretici vel schismatici recipiebantur ad unitatem & charitatem. De qua agit Concilium Arausicanum can. 3. Est & quædam confirmativa in Sacramento Chrismatis, & ordinativa in sacramento Ordinis, quæ utraque fit ad dandum spiritum Sanctum, licet ad diversos effectus. De confirmativa dicitur in actis Apostolorum: *Tunc imponebant manus super ipsos, & accipiebant spiritum sanctum.* De ordinativa dicit Apostolus ad Timoth. *Nemini cito manus imposueris.* Est & alia deprecativa, de qua *Iejunantes & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt eos.* Paulum & Barnabam, qui tunc nec ordinabantur, nec confirmabantur, nec reconciliabantur; sed solum deprecatio fiebat pro illis ut felicem in omnibus progressum sortirentur. Denique est & aliqua etiam curativa, de qua *Super agros manus imponent, & bene habebunt.* Talis etiam fuit illa impositio manuum, dum imposuit Ananias manus super Paulum. Neque enim erat illa ad dandum spiritum sanctum, quandoquidem Paulus nec dum erat baptizatus, sed erat ad gratiam sanitatis, ut illi visus redderetur. Unde *confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squammæ, & visum recepit, & surgens baptizatus est*, inquit ibi S. Lucas. Hanc ergo potestatem curandi per impositionem manuum accepit Ecclesia ab ipso Christo, quem hodie deprecantur qui adducunt surdum & mutum ut illi manus imponat.

4. Reg. 5.
Mar. 5.
Matt. 8.
Luc. 13.
Matt. 19.
Manuum impositio in Ecclesia multiplex.
Act. 8.
1. Tim. 5.
Act. 13.
Mar. 16. Act. 9.

2. Christus apprehendit mutum

Secundo, non sine mysterio apprehendit eum de turba seorsum, & misit digitos suos in auriculas ejus. Quid erat necesse à turba eum separare? an non poterat in medio turbæ sanare? an turba eum poterat impedire? Certe gloriosius fuisset: si turba propius inspectante eum curaret. Sed docet hic Dominus vanæ gloriæ fugam, ut S. Hieronymus cum S. Chrysostomo & aliis docet, ne opera nostra faciamus coram hominibus, ut videamur ab eis. Non erat Dominus hujus inanis gloriæ aucupator, nec nos vult tales esse. Adde quod indicare voluerit, non semper turbæ sacra esse vulganda mysteria, ne eorum vilescat dignitas; ideo ergo à turba semovit, & seorsum hunc curare voluit, quia res plena erat cæremoniis mysteriorum plenis. Ideo etiam Elisæus Propheta suscitaturus puerum Sunamitidis clausit ostium super se, & super puerum, & oravit ad Dominum. Sic iterum Christus Cum ejecisset turbam, intravit, & tenuit manum puellæ mortuæ, dixitque, *Puella tibi dico surge.* Poterat etiam Dominus vel solo verbo, vel solo nutu, vel sola voluntate surdum istum, mutumque curare, sed tamen digitos suos vult in auriculas ejus mittere, digitum scilic. manus sinistræ in auriculam dexteram, digitum manus dextræ in auriculam sinistram, illa cæremonia ostendens aures se obduratas ac surdas aperire ac veluti perforare digitis. Sic voluit ostendere omnes corporis sui partes esse salutiferas, vimque sanandi habere à conjuncta divinitate. Hanc igitur virtutem digiti ejus participabant efficacissime. A capite ad calcem usque Iesus Christus Salvator est, & omnia quæ in illo sunt, instrumenta sunt salutis, tam corporis, quam spiritus. Oculi ejus sanant Petrum, vox sanat Matthæum, pedes sanant Magdalenam secundum animam & spiritum. Manus sanant ægrorum maximum numerum, fimbria sanat sanguinis fluxum, digiti ejus & saliva sanant surdum & mutum. Vere Iesus fons est salutis, & quicquid in ipso est, aut ab eo promanat, plane est salutiferum; virtus ab ejus corpore divinitati unito exsilit, sicut odor à balsamo, sicut lux à sole, sicut calor ab igne. Qui olim ore & manu hominem formaverat, ore quidem inspirando spiraculum vitæ, manu autem formando eum de limo terræ, nunc eundem se esse ostendit, qui possit quod creaverat, reparare: nam per salivam oris, & per manus contactum, hunc sanat, hunc reparat.

à turba seorsum.
4. Reg. 4. Matt. 9.
Digitos suos misit in auriculas eius.

Hac etiam ratione cæremonias Ecclesiæ approbat, quas impii volunt reprobare. An non sunt cæremoniæ, sanandum à turba semovere, digitos in ejus aures mittere, exspuere, & è sputo linguam tangere, in cœlum suspicere, ingemiscere, Epheta inclamare: Si superfluæ sunt hujusmodi in sacramentis cæremoniæ, respondeant hæretici, cur his etiam Christus usus fuerit? Cum ipsi superstitionis nos in his accusent, an fortè Christus etiam superstitiosus fuit? Neque solum hic, sed etiam sæpius aliàs usus esse cæremoniis & ritibus legitur, à quibus Ecclesia suos est ritus edocta. An non utitur cæremonia externa, dum lutum imponit & sputum oculis cæci ad eum illuminandi? An non utitur ritu sacro & cæremoniali, dū lavat pedes discipulorum.

Externa cæremonia Ecclesia comprobantur.
Ioan. 9. Ioan. 13. Matt. 26. Ioan. 20.

pulorum, dum in horto, tertio proſternitur ad orandum, dum inſufflat in Apoſtolos ut tribuat eis ſpiritum ſanctum, dum pueris imponit manus ad benedicendum? Quid vero in ſuſcitatione Lazari? quot ibi cæremoniæ & ritus? Elevat oculos in cœlum, ingemiſcit, commoret ſeipſum in ſpiritu fremens, magna etiam voce inclamat, *Lazare veni foras*, deinde faſciis funereis ligatum tradit diſcipulis ſolvendum. Nihil hic myſterio vacat in hoc ritu externo, ſicut nec in ritibus Eccleſiæ. Denique in ipſa inſtitutione Euchariſtiæ, an non extrinſecus multi ritus adhibiti? Grande cænaculum eligitur, tapetibus adornatur, preces junguntur, gratiarum actiones admiſcentur, hymnus decantatur, ſermo ſcintillis amoris plenus adhibetur. Quid aliud fit in templis noſtris & in Miſſæ ſacrificio, quod adeo oderunt & inſectantur noſtri hæretici? Conſideret omnia hæc pietas, & oppilet os ſuum iniquitas. Ceremoniæ Eccleſiæ ſunt velut extrinſecus cortex vineæ & ficus noſtræ, fructum & virorem pietatis intus continens & conſervans; non arrodant aut convellant decorum hunc corticem dente venenato, alioqui areſcet fructus pietatis, fietque ficus non ſolum arida, ſed mox etiam deſolata & emortua. Unde merito de illis conquerimur cum Ioële. *Gens aſcendit ſuper terram noſtram, dentes ejus ut dentes Leonis. Poſuit vineam noſtram in deſertum, & ficum noſtram decorticavit, nudans ſpoliavit eam.* Cæremoniæ Eccleſiæ ſunt, fimbriæ aureæ veſtis Sponſæ Chriſti variegatæ, decorem ei afferentes. Licet enim principalis gloria & pulchritudo hujus Sponſæ Regis ſit ab intus in donis interioribus conſiſtens, tamen per hunc cæremoniarum decorem interior ejus pulchritudo eluceſcit & conſervatur. Impii ergo ſunt qui has fimbrias aureas diſcerpere conantur. Itaque cæremoniæ Eccleſiæ inſtitutæ ſunt ad excitandam fidelium devotionem, ac erga Sacramenta reverentiam: ſimul etiam ordinatæ ſunt ad fidelium inſtructionem, quia ſoient rudiores per aliqua ſenſibilia ſigna erudiri, eorumque mens ſic elevari ad ſublimiora percipienda. Dum enim ſolemnes illos ritus intuentur, ad inquirendum quid illis ſignificetur, mox excitantur, & ad reverentiam interiorem per illam exteriorem inſtigantur. Quicquid ſit, ſolum Chriſti exemplum & auctoritatis tali ritu externo circa hunc mutum & ſurdum utentis, obſtruere ſufficit omne os loquentium iniqua, & Eccleſiæ ritus ſacratiſſimos ab ejus exemplo manantes proſcindentium. Sed proſequamur.

Ioan. 11.

Pſal. 2.

Tertio igitur dicendum, non ſine myſterio Chriſtum Dominum poſt immiſſionem digitorum in aures ſurdi etiam expuiſſe, & ſputo linguam ejus tetigiſſe, atque in Cœlum ſuſpiciendo & ingemiſcendo exclamaſſe: *Epheta, quod eſt adaperire.* In primis ſputo utitur, & tangit linguam muti, ut oſtendat non ſolum omnia corporis ſui membra eſſe divina & ſancta, ſed etiam ſputum & ſalivam, licet ſuperfluitas ſit ſputum. Admirabile planè, eſt quod id quod in homine eſt ſuperfluus humor, adeo efficax fuit, ut linguæ præpeditæ ſolveret vinculum. Nihil ergo in Chriſto vile, omnia ſunt plena ſanctitate & virtute. Neque ſolùm id in Chriſto, ſed etiam in Sanctis ejus; inde fit ut eorum capilli pretioſe aſſerventur, cùm ex humoribus ſuperfluis oriantur, & quæcumque alia ad eos ſpectantia, etiam pulveres & cineres. Quid mirum, quandoquidem ſemicinctia & ſudaria Apoſtolorum, imò umbræ eorum, ægris ſanitatem conferrent, ſicut de umbra S. Petri teſtantur Acta Apoſtolorum? Hoc iterum attendant Hæretici, & ſacris reliquiis deſinant eſſe infeſti. Non tantum hic, ſed etiam in illuminatione cæci ſputo & ſalivâ Chriſtus uſus legitur, Saliva itaque, quæ à capite fluit, & ſaporem diſcernit, linguamque humectat, divinam de ſignat ſapientiam, quæ de ſe dicit. *Ego ex ore Altiſſimi prodii.* Per participationem hujus ſapientiæ, tanquam cœleſtis & divinæ ſalivæ, amarum à dulci diſcernimus, ſpiritualia à terrenis diſtinguimus; per illam etiam diſerte loquimur de Deo, & rebus divinis. Hæc eſt ſaliva quæ vinculum linguæ noſtræ diſſolvit, ut in divinas laudes erumpat. Hæc ſaliva luto fuit commiſta, quando ſapientia divina humanum corpus de luto compoſitum ſibi junxit. Per medicamentum ex ſaliva ac terra compoſitum, oculi cæci nati fuere aperti, quia genus humanum per confeſſionem utriuſque naturæ in Chriſto Domino ab ingenitis errorum ſuorum renebris erutum fuit. O igitur myſticum ſputum Domini, quo oculi noſtri illuminantur, & lingua vincta diſſolvitur!

Act. 19.
Act. 5.
Ioan 9.
Cur Chriſtus ſaliva uſus.
Eccl. 24.

Ulterius Dominus tangendo linguam in cœlum ſuſpexiſſe, & ingemuiſſe dicitur. Ideo vero in cœlum ſuſpexit, teſte Venerabili Bedâ, ut inde mutis loquelam, ſurdis auditum, omnibus infirmitatibus docerer quærendam eſſe medelam. Ibi fons ex quo omnia bona, ex quo omnia promanant medicamenta. Illuc ſuſpicit cum gemitu Patrem orans, humanæ miſertus naturæ, quæ poſt tranſgreſſionem adeo multis impeditur miſeriis. Ingemiſcit etiam quando linguam tangit, quia membrum tangit, quod quidem exiguum omnino eſt, interim maximè eſt infectum, & maximè inficiens; licet enim ſit coarctatum, per omnia ſeſe cum veneno diſpergit, & nulli parcit. Erigit ſe in Deum & cœlites per blaſphemias & juramenta: inſurgit in proximum per detractiones & convitia. Non parcit nec vivis, nec mortuis per maledicentiam? imo quadam ratione venenum ſuum diffundit per omnem creaturam, per execrationes & maledictiones. Unde S. Jacobus diſertè dicit: *Linguam medicum membrum eſt, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam ſylvam incendit. Et lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis noſtræ inflammata à gehenna.* Quia ergo lingua inquietum eſt malum, & quia plena eſt veneno mortifero, & quia velut inflam-

Tangendo linguam in cœlum ſuſpexit.
Et ingemuit.
Iac. 3.

3. Chriſtus exſpuit, & ſputo linguam muti tetigit.

mata est infernali igne; ideo Dominus eam tangens ceium fuspicit, ideo ingemiscit, ideo salivâ ignem illum sopit: & salivam sanctissimam vult ejus esse medicinam ut purgetur à veneno, ut soluta & sanata nonnisi Dei laudes resonet, & quæ ad proximi ædificationem spectant, proferantur, ideoque clamat *Ephpheta*, quod est adaperire.

Mystica saliva. digitorumque Christi explicatio.

Imitatur Ecclesia hoc Christi exemplum, hunc-que ritum circa surdum & mutum, dum suos baptizat catechumenos. Digiti enim cum saliva, & sputo ad baptizandi aures naresq; apponuntur. Quid per salivam designatur, nisi sapientia, & virtus divina filio attributa? Quid per digitos nisi Spiritus sancti dona? Sicut saliva à capite, ita & Filius sapientia Patris procedit à Patre. Sicut digiti à brachio procedunt, & manu, ita Spiritus S. à Patre & Filio. Solus hic potest aperire aures pueri ad fidem & sapientiam, & nares ad bonum odorem notitiæ Christi fugiendo fœtorem noxium peccati. Ideo tunc inclamatur. *Ephpheta, quod est adaperire.* Iam enim aures illius qui baptizatur convenit aperiri ad divinas promissiones. Christi, ad quas jus habet per gratiam Baptismi. Aperiri quoque eas cogruit ad divinas comminationes, & commonitiones, ne graviori judicio involvatur, si ad illas obsurdescat. Jam de ovium Christi numero censetur, aures debet habere apertas ad vocem Pastoris, ut illam discernere valeat à voce al[illegible]um, & ut mandata ejus auribus exterioribus interioribusque percipiat. Sputo tamen tunc linguam non tangit Sacerdos, ut hic fecit Christus, quia non est eadem oris nostri, & oris Christi mundities; loco ergo sputi nostri, quod indecorè ori catechumeni inferetur, offerimus ei salem sacratum, ut gustus significetur sapientiæ, quodque deinceps non debeat insici peccatorum verme, sed manere incorruptus, ut semper Dei majorem gratiam possit percipere. Et hoc jam ab initio consuevit. Ecclesia etiam tempore Origenis, Ambrosii, Augustini. Sal itaque quod sapidum reddit cibum, est symbolum saporis devoti cordis, quo in rebus divinis delectatur. Saporque ille commendatur à Domino: *Habete sal in vobis.* Natura quoque salis à corruptione, & putrefactione conservat, sic per illum admonemur puritatis, incorruptionis, perseverantiæ, mortificationis carnalium desideriorum, quæ corrumpunt animam. Monemur quoque per salem prudentiæ, & discretionis in actionibus, & verbis, totaque conversatione: *Sic sermo vester sale conditus*, inquit Apostolus.

Marci 4.

PARS II.

Quomodo per surdii pune, & mutum designetur peccator, & curetur.

SUrdus iste, & mutus à Domino cum multiplici fructu sanatus, typum absque dubio gerit peccatoris. Mutum tamen, & surdum quandoque divina Scriptura in bonam partem accipit. Felix ille mutus & surdus qui potest cum Psalte dicere: *Ego autem sicut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. & non habens in ore suo redargutiones.* Quare ic dicit surdum & mutum? Quia dissimulabat convitia & injurias in se prolatas à maledico Semei aliisque sibi infestis, nec verba verbis, aut maledictum maledicto reddebat. Unde alibi addit: *Dixi custodiam vias meas ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me ob mutui, & humiliatus sum.* Felix, inquam, mutus talis & surdus, qui ab alio lacessitus linguam frænat & ligat, ne declinet in verba malitiæ, auresque sæpit spinis ne ad cor commotio transeat, & sit peccandi occasio. Est quoque ille surdus & mutus Deo acceptus qui cœlestibus rebus intentus non audit quæ mundi sunt, & in silentio ponit spem & fortitudinem suam, os suum claudens ne effluat in vana vel noxia verba, sciens quia de his omnibus reddere oportet rationem. Sed in nostro Evangelio surdus ille & mutus non isto[illegible] designat, at potiùs eos qui talès à dæmone & peccato facti sunt. Surdus enim ille est qui in peccato induratus verba Dei non audit, nec inspirationes ejus percipit, nec monita salutis attendit. Quis surdus nisi ad quem mittit nuntios suos Dominus, & non vult audire? *Audi populе stulte qui non habes cor, qui oculos habentes non videtis, aures & non auditis.* Mutus est ille qui nec peccata ut decet confitetur, nec laudes Dei enumeriat. De qua refusè egi in Dom. 3. Quadragesi. Itaque absque dubio statu peccatoris infinuatur per hunc surdum & mutum. Sed speciatim hic nobis videndum quomodo eâdem ratione peccator spiritualiter surdus fiat, quâ surdi efficiuntur homines corporaliter. Est enim surditatis causa quandoque auris obturatio, quando aures opplentur crassiori-bus quibusdam nociviſque humoribus: est & altera surditatis causa tumor quidam auris & inflatura: est denique tertia surditatis causa putrefactio quædam & corruptio auribus ingenerata, ab apostemate seu ulcere organum auditus dissolvente & impediente. Sic tribus ferè de causis homo surditatem incurrere agnoscitur.

curetur. Psal. 37. Psal. 38.

V. latius in Dom. 3. Quadra.

Ierem. 5.

Surditatis causa spiritualiter applicata.

1. Quid est auris obturatio ex nocivis procedens crassisque humoribus, nisi impedimentum ad percipienda ea quæ sunt salutis, proveniens ex amore rerum terrenarum, qui verè obturat aurem interiorem quasi lutoso quodam humore? Propterea dicebat Apostolus: *Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt.* Quare non percipit? Quia terrâ plenus est, hoc est terrena cupiditate. Unde ei per Jeremiam inclamatur: *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini.* Quod idem est ac si ei diceretur: De auribus animæ tuæ terrenam remove cupiditatem, ut Dei verba possis audire; desine adeo animalis esse, ut quæ spiritus Dei sunt valeas percipere. Et tertiò repetitur. Terra, terra, terra? quia animales homines, & in ore, & in aure, & in oculis terram habent, quam debent removere. In ore quidem, quia, *qui de terra est, de terra loquitur.* In aure autem, quia instar alipidis luto affigunt aurem unam, caudâ alteram obturant, ne sapienter incantantis vocem audiant, & de virtutum

1. Obturatio auris.

1. Cor. 2.

Ierem. 22.

Ioan. 3.

fuorum

suorum caverna egrediantur; vocem enim Dei in-
Psal. 57. spirantis, aut hominis Dei vice ad cor eorum mo-
nendo loquentis aspernantur. *Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium & venefici incantantis sapienter.* In oculis et-
Dan. 13. iam terram habent, quia statuerunt oculos suos de-
Psal. 16. clinare in terram, ut non videant cœlum, prout de
2. senibus Susannæ dicitur. Sic & de aliquibus aliis idem dicit David.

Obtura-tio auris 2. Quid est obduratio auris à tumore & inflatura procedens, nisi superbia quædam animæ ingenerata, quæ impedit ne verbum salutis ad cor pertingat, nec inspiratio, aut loquela divina? Vtique tumor mentis obstaculum est veritatis. Hâc surditate laborabat Herodes & Herodias, nolentes corrigi, nec corripi à Ioanne loquente ex parte Dei. Hâc surditate laborabant & illi de quibus Prophe-
Zach. 7. ta: *Noluerunt attendere, & averterunt scapulam.* Item & illi de quibus apud Ieremiam Dominus:
Ierem. 7. *Audite legem meam, & ero vobis Deus & vos eritis mihi populus.* Subjicitur autem postmodum: *Et non audiverunt, neque inclinaverunt aurem suam, sed abierunt in voluptatibus suis, & pravitate cordis sui mali.* O noxium tumorem & inflaturam superbiæ Deo ingratam & odiosam, quam tandem vindice plectet manu! Quia ut dicitur! *Disrumpet illos*
Sap. 4. *inflatos sine voce.*

3. Quid est auris obturatio ex corruptione & putredine procedens, nisi immunditia luxuriæ, quæ hominem reddit surdum ad verbum salutis & gratiæ? De talibus dicitur: *Audivit luxuriosus verbum sapiens & displicebit ei.* Sic quodam tempore surdus permansit S. Aug. ulcere & apostemate luxuriæ defluente, & aures ei obturante, ne vocem Domini adiret ad fidei veritatem, & castimoniæ puritatem eum vocantis. Quam sorditatem à Domino sanatam & disruptam postmodum agnoscit, dum dicit: *Intonasti desuper voce grandi in interiorem aurem cordis mei, & rupisti surditatem meam. & audivi vocem tuam, & illuminasti excitatem meam, & vidi lucem tuam, & cognovi quoniam Deus meus es tu. Va tempori illi quando non cognoscebam te Va excitati illi quando non videbam te. Va surditati illi quando non audiebam te, cæcus & surdus per formosa quæ fecisti deformis irruebam.* Hæc ipse Soliloq. cap. 31.

Obtura-tio auris. Eccl. 21.

Tales porro surdi de quibus hactenus dictum est, ad multiplicem vocem obturatam gerere aurem inveniuntur. Nec enim percipiunt vocem
Apoc. 3. Dei pulsantis & vocantis, de qua dicitur: *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Nec percipiunt ejus vocem suadentis & bene consulentis, de qua ibidem: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non apparcat confusio nuditatis tuæ; & collyrio inunge oculos tuos ut videas.* Ne percipiunt Dei vocem admonentis & arguentis, ac corripientis, de qua rursus ibi: *Ego quos amo, arguo & castigo. Æmulare ergo & pœnitentiam age.* Quasi dicat; Zelum salutis tuæ assume, & aperi aurem ut audias arguentem te, & pœniteas. Non etiam percipiunt vocem comminantis, de qua eodem capite: *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es: Esto vigilans & confirma cetera quæ moritura erant. Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.* Non audiunt vocem justitiæ
Psal. 28. divinæ intonantis super aquas, confringentis cedros, concutientis desertum, intercidentis flammam, præparantis cervos revelantis condensa, quæ est vox minax & terribilis peccatoribus obduratis. Qui autem habet aurem apertam hæc omnia audit, & obsequitur, ac contremiscit. Denique non percipiunt vocem sanguinis Domini pro se effusi, qui post ipsos clamat ut ad meliora inducat, ut frustra non sit profusus, nec oblivioni tradatur, terrenique cordis ingratitudine sepeliatur. De qua
Iob. 16. voce intelligi potest illud: *Terra ne operias sanguinem meum, & non habeat in te locum latendi clamor meus.* Finaliter nec propriæ conscientiæ continuo inclamantis & arguentis vocem percipiunt, ad omnia obsurdescentes, nisi eis ille rursus aperiat aurem, de quo Propheta: *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico retrorsum non abii.*
Isa. 50. Sed jam videamus quomodo talibus aperiat ipse aurem ut non contradicant, & si retrorsum abierint, revertantur.

Sanatio spiritualis surdi. 1. Christus apprehensum separat à turba.

Primò sicut fecit in sanatione hujus surdi & muti, apprehendit eos, & separat à turba quia in peccatis obdurati sanari nequeunt, nec remedium accipere salutis, nisi prius abstracti fuerint à peccati occasionibus, à noxia conversatione, à malorum illecebris & irritamentis. Turba, & societas pravorum quasi catena quædam multos colligat, & detinet in peccatis. Lotha tametsi justus periculi erat incursurus; si permansisset in Sodomis, periisset in scelere civitatis. Vnde honorati sunt eum Angeli: *Surge, tolle uxorem tuam, & filias ne & tu* Gen. 19. *pariter pareas in scelere civitatis.* Cu[illegible] laret ille, apprehenderunt manum ejus, educerunt eque eum, & dixerunt: *Salva animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.* Sicut ergo Angeli apprehendunt Loth de turba seorsum, ne peccatis involvatur turbæ; sic quem vult salvare Deus, & sanare jam peccatis involutum, apprehendit, & educit è turba potenti suâ manu, ut ex occasionibus peccari eum eripiat & seorsum si eum alloquens, ad agnitionem suipsius, & ad cor reducat, remotis cogitationum pravarum turbis tumultuantibus. Hoc enim est principium sanandæ mentis, à turba esse segregatum, & ad se redire, ac seorsim considerare ineundam esse aliam viam ab illa quâ com[illegible]unis frequentat turba, quæ nimis lata est, & curva, cujus infelix est remanus. Prov. 4. Nam de illa verum est illud Sapientis: *Est via quæ vide-*

videtur homini recta, & novissima eius ducunt ad mortem. Angusta nimirum est semita & solitaria, sive à paucis trita, quæ ad vitam ducit. Hoc ergo primum Dei beneficium est, & primus effectus gratiæ eius in pecatore, apprehendere manum ejus & è vulgari via lutosa eum ad semitam reducere, & dirigere pedes ejus in viam pacis. Hoc est quod hic dicit Beda: *Apprehendens infirmum de turba seorsum educit, quam mentem peccatis languidam visitatione sua pietatis illustrans, à consuetis humanæ conversationis moribus advocat, atque ad sequenda præceptorum suorum itinera provocat.*

2. *Immittit digitos suos in aures ejus.*

Secundò immittit digitos in auriculas eorum, dum jam à turba segregati sunt. Digiti qui in aures mittuntur, verba sunt Spiritus S. eiusque dona, intreprete S. Hieronymo, & S. Gregorio: *Quid per digitos Redemptoris, nisi dona Spiritus S. designantur; Digitos ergo in auriculas mittere, est per dona Spiritus sancti mentem surdi ad obediendum aperire*, inquit S. Gregor. hom. 10. in Ezech. Nisi digitos suos Christus in aures peccatoris mittat, surdus manet ad audiendum & obediendum. Rectè autem intelligi potest immittere quinque digitos in aures peccatoris ad eius conversionem. Quinque enim digiti manus nostræ, quorum nomina sunt; *Pollex, Index, Medius, Medius, Auricularis*, quinque effectus gratiæ divinæ designant, qui concurrere solent ad peccatoris conversionem. *Primus* digitus qui Pollex dicitur quasi virtute pollens, tunc immittit censetur in aurem ejus interiorem, quando ei immittit apprehensionem potentiæ suæ, quâ peccata, & peccatores ponire solet, ita ut nemo de manu ejus possit ipsos eruere, *Secundus* digitus, qui Index dicitur quasi res indicans, docens, & demonstrans, tunc immitti censetur in aurem peccatoris antea surdi, quando ei Deus indicat multitudinem, vilitatem, gravitatem peccatorum suorum, sibique nuda esse, & aperta, declarat, ut deterreatur, & erubescat tanta committere coram oculis Domini Iudicis & Vindicis *Tertius* digitus, qui Medius dicitur, longior cæteris, tunc immitti censetur in aures peccatoris, quando ei Deus infundit notitiam misericordiæ & longanimitatis suæ, quæ quidem misericordia longa nimis eum debet ad resipiscentiam commovere, eumque invitat tanquam medians inter potentiam & justiam divinam, quæ ejus imminet vertici. *Quartus* digitus, qui dicitur Medicus, quia Medici ad tangendum vulnera illo utuntur, tunc immitte censetur in aures peccatoris surdi, quando ei repræsentatur medicina efficacissima pretiosi sanguinis Christi, quo omnis ejus morbus, & omnia vulnera mox possunt curari, si illam per pœnitentiam & compunctionem voluerit sibi applicare, quandoquidem infiniti sit valoris. *Quintus* digitus, qui Auricularis dicitur, quia in aures solet immitti, tunc à Christo Domino in aures immittitur surdi, quando monet eum aurem habere obedientem, sive obedientiam humilem adimplendo præcepta & consilia, & in vitando prohibita. Felix qui hos Domini digitos percipit, non enim potest ultra surdus esse.

Quinque digitis manus quinque dona S. Spiritus designant.

1.

2.

3.

4.

5.

3. *In os ejus salivam im*

Tertio immittit salivam in ora eorum qui surdi sunt & muti, ut peccata sua perfectè confiteantur, & ad divinas laudes ac preces expediti reddantur. Nempe quia salivâ & humore opus habet lingua ut loquatur expedite ipse, Christus humore oris sui linguam tangit tardiloquorum, aut mutorum. Infundit scilicet eis humorem devotionis, qui necessarius est, ne lingua arida maneat, Deique oblivisceatur humore isto carens, & salivâ cœlesti. Quæ si adfuerit, jam potest Fidelis illud dicere: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.* Ideo S. Bernardus animæ linguam vocat devotionis fervorem in Cant. serm. 45. Sic enim ait: *Anima lingua devotionis est fervor. Elinguis est anima & infans, qua linguam hanc non habet, nec potest ulla ullatenus esse fermocinatio cum verbo.* Sicut vero saliva humectans linguam, profluit ex capite, sic devotio quæ est spiritualis saliva & humor linguæ piæ, profluit ex intellectu & mente. Quomodo ex intellectu & mente? Quia qui divinas res per intellectum considerat & meditator, non potest non abundare devotione. Hanc interiæ meditationem, & per intellectum considerationem, atque inde oriundam devotionem suppeditat Christus, qui est caput nostrum, ipse est qui tangit salivâ suâ linguam nostram, ut eam reddat coram Deo disertam & apertam, quæ antea vincta videbatur & arida, prout de nostro surdo & muto nostrum dicit Evangelium: *Et solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* Quod autem in cœlum suspiciendo & gemendo vult tangere, *non id facit, qui necessarium habeat gemitum, qui dat quod postulat; sed nos ad eum gemere qui cœlo præsidet, per id docet, ut & aures nostra per donum Spiritus S. aperiri, & lingua per salivam oris, id est per scientiam divinæ locutionis possit solvi*, inquit S. Greg. homil. 10. in Ezech. Simul etiam gemendi dat exemplum, cum pro nostris, vel proximorum nostrorum delictis supernæ pietatis præsidium imploramus. Vult enim nos agnoscere quanta sit gravitas peccati, quandoquidem ei gemitum potuerit excutere.

Psal. 62.

In cœlum suspicit.

Conclusio.

VEreor Domine Deus meus, ne ex his qui hæc audire exteriori aure videntur, quidam adhuc surdi sint interius qui scil. moniti, vel de remittendis injuriis, vel de deponendis inimicitiis, vel de restituendis ablatis, vel de fugiendis impudicitiis & ebrietatibus audiunt quidem, sed non obediunt. Vereor ne & eorum aliqui muti sint & linguâ vincti, nec integre peccata sua confitentes, nec gloriam Deo dantes. Ergo digneris Domine immittere auribus eorum digitos omnes tuos, Pollicem potentiæ tuæ, Indicem sapientiæ tuæ, Digitum Mediatorem misericordiæ tuæ. Digitum Medicum benignitatis tuæ, Digitum Auricularem obedi-

obedientiæ, ut virtutem ſpiritus tui percipiant, & perfectè aures aperiant. Tange & ſalivâ cœleſtis devotionis & cor linguam eorum, ut perfectè te diligere, & in æternum laudare valeant, & glorificare.

Lect. 10. tripartita.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Luc. 10.

Pars I. *Cur beati oculi & aures Chriſtum videntes & audientes.* Luc. 20.

NOtum eſt ex narratione Evangelica quomodo diſcipulos à prædicatione revertentes & exultantes, quod etiam dæmonia ſubjicerentur ipſis, admonuerit Chriſtus dicens, non eſſe in hoc gaudendum. In quo ergo; *Gaudete*, inquit, *quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Non quidem prohibet gaudium quaſi malum ſit & vanum, de Dei donis cum gratiarum actione gaudere; ſed fortaſſe gloriola aliqua inanis poterat ſe huic gaudio latenter immiſcere, quam compeſcit; ſimul verò donum majus eis datum eſſe oſtendit, quod majus longè parere eis gaudium debebat, nimirum gloriam cœleſtem. Gaudium igitur ex dono miraculorum transfert in donum cœleſtium præmiorum. Quaſi eis diceret: O dilectiſſimi diſcipuli mei! Non opto vos adeo gaudere propter donum miraculorum, quod eſt donum gratiæ gratis datæ, poteſtque conſiſtere cum peccato; Oſtendo autem vobis donum aliud quod maxime gaudium cordi veſtro debet excitare, videlicet quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis, in libro vitæ, in memoria & prædeſtinatione æterna. Cives conſcripti eſtis in æterna illa civitate, non atramento quaſi in papyro, ſed in indelebili libro & memoria Dei. Vos eſtis Patres conſcripti, non ſicut olim in Romana Republica, ſed in ſuprema & triumphante civitate, cujus gloria tota durat æternitate. O beatam ſcripturam! O beatam Civitatem! O beatos vos qui in illa ſcripti eſtis litteris aureis æternæ charitatis & æternæ amoris! O ſolidum gaudium & verum, ſi de hac conſcriptione in vobis fuerit exortum! In hoc ergo gaudete, hæc etenim magna eſt leges lætitiæ ſi potueritis dicere; *Pſal. 121.* *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.*

In ipſa autem hora, qua hoc dixerat diſcipulis exultantibus, exultavit & ipſe Spiritu ſancto & *Luc. 10.* dixit: *Confitebor tibi Pater Domine cœli & terra, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Etiam Pater! quoniam ſic placuit ante te.* Sic refert S. Lucas, Diſcipulos ſcilic. ſuos à docendo revertentes excipit cum gaudio, & per Spiritum ſanctum exultat tamquam Pater cum filiis propter recta opera eorum, exultat propter dona diſcipulorum, exultat propter ſalutem illorum qui ab Apoſtolis, & diſcipulis convertendi erant, exultat propter converſionem quam prævidebat Gentium, & multorum Iudæorum. Sic etiam & de S. Franciſco legimus cap. 8. vitæ ejus apud S. Bonavent. *Cum animarum ſalutem viſceroſa pietate appeteret, & fervida æmulatione zelaret, ſuaviſſimis ſe dicebat replere odoribus, & quaſi unguento pretioſo liniri, cum ſanctorum fratrum per orbem diſtantium odorifera fama multos audiret ad viam veritatis induci. Ex talium auditu exultabat in ſpiritu, benedictionibus omni acceptione digniſſimis fratres illos accumulans, qui verbo & opere ad Chriſti amorem inducerent peccatores.* Nempe nihil lætius tali meſſe animarum in qua exultat Chriſtus lætitia plane divina, & ſpiritali à ſpiritu ſancto promanante, docetque diſcipulos ſuos in ea exultare: *Lætabuntur coram te, ſicut qui* *Iſai. 9.* *lætantur in meſſe.*

Interim gratias agit Patri æterno exultans in Spiritu ſancto De qua re gratias agit? Quod Apoſtolis & diſcipulis qui erant parvuli, hoc eſt, ſimplices, & ſapientia carentes fidei myſteria & adventus ſui aperuerit Sacramenta, divinâ eos ſcientiâ fidei illuſtrans, quum Phariſæis, Scribis, Sacerdotibus Iudæorum, & Sapientibus Gentilium, hæc manſuerint abſcondita, qui ſcientia, & ſapientia ſua inflati veram ſanctamque ſcientiam reſpuerunt, vel ea indignos ſeſe exhibuerunt. Exultat ergo Chriſtus in Patre, exultat Spiritu ſancto, gratias agit ut homo de tot beneficiis ad ſalutem orbis à Patre per adventum ſuum præſtitis, & de electione diſcipulorum humilium, ſimplicium, imperitorum, ad hæc beneficia toto orbe annuncianda, & ad edocenda tot & tam admirabilia myſteria.

Neque vero ei ſufficit per ſe gratias agere pro illis, vult etiam ipſoſmet ad gratiarum actionem ſibi Deoque in Spiritu ſancto perſolvendam excitare. Ad hanc enim gratitudinem eliciendam inducit poſtquam ipſe gratias egit, dum *converſus ad diſcipulos ſuos dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ vos auditis, & non audierunt*, quaſi diceret eis. Quàm obligati eſtis, ô chari filii & diſcipuli mei, Patri æterno, qui vos tantis prævenit beneficiis, & benedictionibus dulcedinis. Non enim omnibus datum eſt, imò nec regibus, nec Prophetis etiam à Deo dilectis, quod vobis eſt conceſſum. Illi deſiderarunt me videre in carne converſantem, nec eorum ſatisfactum fuit deſiderio. Ipſi optarunt me audire hæc, quæ vobis trado myſteria edocentem, nec id aſſecuti ſunt. Vos ergo præ illis ad id elegit Deus, vobis eam conceſſit gratiam ipſis denegatam; ſugite ergo ingratitudinem agnoſcite dilectionem, gratias ex intimis præcordiis agite gratiam adepti ſingularem, propter quam dico vobis: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.*

Meritò certè beati dicuntur Apoſtoli, quia oculis carnis Chriſtum in carne viderunt, & per carnem oculis mentis filium Dei conſpexerunt, hoc eſt, Chriſti divinitatem intellexerunt; beati quia

cum

eum audierunt ore divino docentem mysteria abscondita à sæculis, & ad ejus pedes sederunt ut fierent *Theodidacti*, hoc est, *docibiles Dei*. Hæc enim fuit initialis beatitudo, hæc via ad perfectam beatitudinem contemplari oculis cordis, & corporis ejus divinam faciem, ejus in humana conversatione sanctitatem, ejus in miraculis potestatem, ejus in docendo cœlestem, & ardentem, zelum in orando perseverantiam & pietatem, ejus in injuriis ferendis patientiam & humilitatem, ejus erga omnes benignitatem & charitatem. Hæc etiam fuit initialis beatitudo ad veram & perfectam ducens beatitudinem, illi convivere magna cum familiaritate, in ejus continua sequela esse, audire ab eo verba cœlestis sapientiæ, audire verba æternæ vitæ, audire mysteria superna toti postmodum tradenda Ecclesiæ, illumque fidenter posse interrogare, & ab eo humiliter discere qui de se dicebat: *Ego sum via, veritas, & vita.* In his ergo consistebat quædam beatitudo, & æterna vita, quandoquidem ipsemet dicit: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quapropter sanctus Ioannes, qui unus fuerat de his Christi convictoribus, auditoribus, contemplatoribus, qui æternum Dei verbum sub humana carne velatum purâ mentis acie videre meruerat, postmodum glorianter dicit: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis: ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum filio ejus Jesu Christo.* Beatum se existimat S. Ioannes, quod hæc viderit, audierit, contrectarit; quodque aliis idem annunciare possit, & omnes ad eandem beatam societatem convocare, quæ mediante incarnatione Domine Jesu, & nobis cum Patre & Filio in Spiritu sancto, qui est nexus amoris inter Patrem & Filium, & nexus noster cum Patre & Filio: *Beati ergo oculi qui vident quæ vos videtis.*

Initialem beatitudinem habuerunt Apostoli videntes & audientes Christum in carne. *Ioan. 14.* *Ioan. 17.* *1. Ioan. 1.*

Regina Saba audiens sapientiam Salomonis, in admirationem rapta exclamavit: *Beati viri tui, & beati servi tui, qui adstant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Ecce plusquam Salomon hic. An non ergo beati quibus datum est ei adstare, eum contemplari & audire? De Elia etiam pronunciat Sapiens: *Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt.* Si beati pronunciantur qui eum viderunt & amaverunt, dum hic ageret in communi vita hominum, qui amicitia ejus mirè eis fuit decori & ornamento, sapientiam, spiritum, zelum eis inhalans: quantò majore ratione id dicemus, de his qui decorati sunt amicitiâ Filii Dei, dum conversaretur in terris? Si Elisæus & Filii Prophetarum Eliæ amicitiâ decorati censentur, & beati dicuntur, qui a spiritus ejus consortes facti sunt; quanto magis id dicemus de discipulis Jesu, verè amicis cordis ejus, ab eo dilectione inæstimabili condecoratis? An non dubitas eos fuisse amicos? Audi ipsummet de amicitiæ condecoratione pronunciantem dicere: *Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Vide quomodo eos his verbis decorat, nomine, amore, privilegio amicorum. Sic consequenter beati pronunciandi sunt, si unquam ulli.

3. Reg. 10.

Ioan. 15.

Sed numquid Moyses eis est præferendus de quo dicitur: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum?* Absit. Nam etiam de Moyse loquitur hic Christus, dum dicit: *Dico vobis, multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt, & audire quæ auditis & non audierunt.* Moyses petiit à Domino: *Obsecro Domine mitte quem missurus es.* Et licet de eo asseratur, quod loqueretur ei Dominus facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum, nihilominus postmodum obsecrat: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, & inveniam gratiam ante oculos tuos.* Angelus vices Dei gerens, Moysi loquebatur, ut periti interpretes censent, corporeâ quâdam & humanâ specie, sed ordinariè obtectus nube vel igne, fumo vel nebulis, sive caligine. Hanc ergo caliginem removeri optat Moyses, ut apertius faciem & gloriam illius cum quo loquebatur, posset contemplari, & eam populo quem præducebat, referre & prædicare. Vnde & postea dicit: *Ostende mihi gloriam tuam*, cùm antea dixisset: *Ostende mihi faciem tuam.* Hoc est, ostende mihi gloriosam faciem tuam Tertullianus existimat eum optare sibi, ostendi gloriam humanitatis Christi, quam postea in Transfiguratione vidit. Atqui datum est ei non-nisi humeros videre in foramine montis transeunte Domino, ibique aliquid de gloria Domini in corpore assumpto ei ostensum est, sed mira cum suavitate & jubilatione, & prout describitur ibidem. Non ergo beatior Moyses Apostolis, qui Domini faciem Angelis desiderabilem non in transitu, sed pluribus annis potuerunt contemplari, & facie ad faciem, os ad os ei loqui familiarissimè & jucundissimè, sine nube vel nebulis, sine igne vel caligine. Absque dubio hoc etiam optavit Moyses, qui incarnationis mysterium primitus in rubo cognoverat. Hoc optavit & Rex David inclamans: *Ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Hoc optavit ardentissimè Daniel post alios Prophetas, qui inde dictus est *Vir desideriorum*, quia in eo desideria omnia aliorum Prophetarum cum fervore fuere renovata. Hoc denique ante hos omnes optaverat Iacob qui Christum vocaverat *Desiderium collium æternorum*, hoc est Sanctorum, tam Angelorum quam hominum, qui colles dicti sunt propter celsitudinem sanctitatis, & colles æterni quia vitam æternam consecuturi. Sed quod hi non viderunt,

Ioan. 15. *An Moyses Apostolis præferendus.* *Exod. 33.* *Exod. 4.* *Exod. 33.* *V. dicta Iren. de Advent. Lect. 2.* *Psal. 79.* *Dan. 9. & 10.* *Gen. 49.*

runt, Apostolis videre datum est; ideoque oculi eorum beati dicuntur, quandoquidem ipsi dicere possunt: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigenitis à Patre.* Ioan. 1.

Fide perfecta Christum intuentes Beati

Neque solum beati pronunciandi sunt Apostoli, sed & omnes illi cujuscumque sint ordinis, vel sexus, quibus perfectâ fide intueri datum est, faciem illam fulgore suo animas ad se attrahentem, & audire os illud, cujus *eloquium dulce, & labia sicut vitta coccinea*, de quibus prædixerat Isaias. *Erûs oculi tui videntes Præceptorem tuum, & aures tuæ audient vocem post tergum monentis te, hæc est via, ambulate in ea.* Cant. 4. Isa. 30. Luc. 3.

Beatus certè fuit Simeon senex, dignus videre desideratam illam faciem Domini ad huc infantis, & decantare: *Viderunt oculi mei Salutare tuum,* O felices oculi, qui non claudentur morte, nisi post visionem vitæ! Beati Pastores & Reges, isti de propinquo monente Angelo, hi duce stellâ è longinquo accedentes, ut hanc faciem viderent, & adorarent. Beatus ille Centurio qui audit ab eo, *Non inveni tantam fidem in Israel*: Beatus & Zachæus, cui dicitur; *Hodie in domo tua oportet me manere, &c.* Beati quoque omnes quos tetigit, & sanavit, nam vix ullos sanavit corpore, quin sanaverit & mente, secundùm sanctorum Patrum sententiam. Audi & de mulieribus. An non beata quoque & Martha, quæ meruit ei ministrare, & vivâ fide dicere: *Utique Domine? Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti?* An non beata magis Magdalena, quæ ad eius pedes sedere meruit, atque eos lacrymis rigare & capillis tergere, sicque audire, *Remittuntur tibi peccata tua?* An non beata similiter mulier illa quæ fimbriam eius ex perfecta fide potuit attingere, & virtutem ex eo prodeuntem sentire? An non denique beatæ dicendæ sunt Chananæa & Samaritana? Hæc enim ab eo audit; *O mulier, si scires donum Dei, & qui tibi dixit, Da mihi bibere, forsitan ab eo petisses aquam vivam: Qui biberit ex aqua quam ego ei dabo, non sitiet in æternum.* Similiter altera ab eo audit; *O mulier magna est fides tua, sicut petisti.* Sic ubique beati oculi eum amorosè contemplantes, beatæ aures eum avidè & obedienter audientes, beatæ manus eum cum fide & reverentia tangentes. Beati, quos Christus tetigit, & sanavit. Ioan. 11. Luc. 7. Matth. 9. Ioan. 4. Matth. 15.

Sed numquid etiam nos hæc concernit beatitudo? An ab ea excluſi sumus, quia non vidimus eum in carne, non audivimus loquentem in prædicatione, non conversati sumus cum ipso in miraculorum operatione? Absit. Cum enim Christus Dominus hæc verba pronunciarit, ut declararet immensam orbi à Deo collatam misericordiam, cum factus est homo, & *in terris visus, & cum hominibus conversatus*, ut loquitur Propheta Baruch (cujus quidem misericordiæ promissæ adimpletionem per mysterium incarnationis adeo exoptarant antiqui Patres:) nos in illa tempora felicissima incidimus, in quibus istud mysterium adimpletum est, cujus primo fructu æquè gaudere possumus ac illi qui corporaliter Christum viderunt, audierunt, tetigerunt. Unde ne videremur minus participes felicitatis & beatitudinis, quam illi qui corporaliter viderunt IESVM conversantem in terris, alibi de nobis pronunciat: *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Quia scilicet per fidem, vivam Incarnationis Dominicæ jam peractæ fructu plenissimè gaudere possumus, ideo beati merito pronunciamur. Et quidem ex parte fidei beatiores quâdam ratione dici possumus, quam hi qui Christum viderunt; quia cæteris paribus fides illa magis Deo grata, magisque meritoria censetur, quæ non nititur, nec juvatur experimento sensuum, qualiter adjuvabitur fides eorum qui Christum videbant; natura enim fidei est, ut sit *argumentum non apparentium.* Habemus ergo Christum Dominum nobiscum in finem usque sæculi commorantem, ejus adventu perfruimur, eius meritis ditamur, ejus amicitia & beneficiis condecoramur, ejus spiritu & gratia replemur. Ejus unctio docet nos, eius sermo sanctificat nos, eius radii & lux illuminant nos, ejus corpus vivificat nos, eius oculi respiciunt nos, eius sanguis nutrit nos, ejus aqua abluit nos, ejus amor accendit nos, ejus manus benedicit nos, ejus non solum vita, sed & Passio & mors lætificat nos, ejus divinitas deificat nos. Quid ultra desiderare possumus? His omnibus frui non potuerunt antiqui Patres. Beati ergo oculi mentis nostræ eum videntes, beatæ aures nostræ eum audientes, beatum pectus & cor quod eum recipit, ejusque gratia repletur & spiritu ac divinitate. Nec dicas, inquit S. Chrys. *Vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta, Ecce ipsum vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Et tu quidem vestimenta cupis videre, ipse vero tibi concedit non tantum videre, verum & manducare, & tangere, & intra te sumere.*

O fortunatos nimium sua si bona norint
Christicolas!

Quomodo nos Beati dicam. Baruch. 3.

QVæstionum quæ proponuntur, quædam sunt utiles, quædam futiles & curiosæ, quædam pernicioſæ & captioſæ. 1. Quæstionem proposuit Sampson in suis nuptiis non inutilem: *Quid est, de comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo?* Non inutilem voco, tum quia erat ab exercendum ingenium consodalium in convivio nuptiali, tum quia eius resolutio continebat opus Dei per Sampsonem patratum, tum denique quia mysticè significabat ex ore Leonis fortissimi Christi proditurum cibum dulcissimum Eucharistiæ. Nam de Christo in ultima cena maximè verum est: *De comedente exivit cibus & de forti egressa est dulcedo.* Nec hoc intelligeremus, nisi ipsorum ejus Ecclesia id ab eo edocta nobis aperiret, & resolveret.

PARS II. *De utilitate quæstionis à legisperito Christo proposita. Lud. ex. Quæstiones utiles.*

2. Non inutilis etiam fuit quæstio Cubiculariorum Darii Regis inquirentium inter se dormiente Rege, *Quid rerum foret fortissimum?* Nam

2. 3. Esdræ 3. & 4.

quæstionis istius resolutio vergebat in laudem Veritatis, quæ omnia superat & evincit; & in vituperium Vanitatis & Iniquitatis, quæ reperitur in rebus huius sæculi. Vnde tertius è Cubicularijs sic resolvit; *iniquum est virum, iniquus Rex, iniqua mulieres, iniqui filij hominum, & opera eorum, & iniquitate pereunt. At veritas manet, & invalescit, & vivit in æternum. Benedictus Deus veritatis.*

3. Perutiles sunt quæstiones per Sapientem propositæ. *Quis ascendit in cœlum atque descendit? Quis continuit Spiritum in manibus suis? Quis colligavit quasi in vestimento? Quis suscitavit omnes terminos terræ? Quod nomen eius, aut quod nomen filij eius?* Significant enim hæ quæstiones divinam potentiam, cui soli parent venti, qui in nubibus pro nutu suo continet aquas, à quo omnes termini terræ dependent; significat quoque eius incomprehensibilitatem, quia nec nomen nobis adæquatum est, quo & descendere exprimatur divina natura, nec in cœlum ascendere valeamus, ut plenam de ea scientiam assequamur. Vnde similes quæstiones proponit Dominus Iob ut divinam agnoscat potentiam, & sese humiliet coram Deo: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? Quis posuit mensuras ejus? Vel quis tetendit super eam lineam? Super quo bases ejus solidatæ sunt? Quis demisit lapidem angularem eius? Quis conclusit ostijs mare, &c.*

4. Etiam ipse Christus quæstiones aliquas proposuit Pharisæis in eorum utilitatem, si mentis oculos vellent aperire: Sic Matth. 21. & Marc. 11. dum interrogarent eum Scribæ & Seniores. *In qua potestate hæc facis,* Ejecerat scilicet ementes, & vendentes de templo cum auctoritate, & imperio. Respondens ait illis: *Interrogabo vos & ego unum verbum & respondete mihi, & dicam vobis in qua potestate hæc faciam: Baptismus Ioannis de cælo erat an ex hominibus?* At illi videntes quocumque responso se capiendos, dixerunt, *Nescimus.* Iterum alia vice congregatis Pharisæis, interrogavit eos, & hanc proposuit quæstionem. *Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est.* Cumque respondissent *David, subjunxit Dominus: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis?* Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare. Rursus alia vice interrogat. *Si licet Sabbatho curare?* At illi tacuerunt. Subdit vero ipse. *Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non extrahet continuo illum in die Sabbathi?* Et non poterant respondere illi. Sic ferè ad quæstiones Domini obmutescunt non tam ex ignorantia, quam ex malitia, quia ad lucem veritatis nolunt oculos aperire. Ex illa interim quæstionum propositione hoc utilitatis consequitur, quod eorum appareat confusio, & plebis instructio subsequatur.

Aliæ quædam quæstiones sunt curiosæ & parum utiles, de quibus Ecclesiastes dicit: *Deus hominem fecit rectum, & ipse se infinitis miscuit quæstionibus,* sive rerum curiosarum, & inutilium no-civis inquisitionibus. Quam multæ sunt Philosophorum, & Astrologorum vanæ quæstiones circa cursum cœli & siderum, circa motum invacuo, circa spatia imaginaria, & nonnulla similia? Quam multæ Theologorum curiosæ, & verbosæ quæstiones scientiæ solidæ inutiles? Nam sæpe verum est illud Sapientis: *Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.* De similibus dicebat Apostolus. *Stultas quæstiones, & contentiones, & pugnas legis de vita.* Item. *Si quis non acquiescit eiquæ secundum pietatem est doctrina, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidia, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ.* Unde serio curiosos nimium monet Ecclesiastes. *Quid necesse est homini majora sequerere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua numero dierū peregrinationis suæ, & tempore quod velut umbra præterit?* Quasi diceret? Quid eget homo grandi cum fatigatione multa inquirere, quæ vel captum superant, vel ad salutem nihil conducunt? Insipiens est qui aliis intendit, quam his quæ salutis sunt, fæpe fatiscente ingenio cum distractione, & cum deceptione. Duo autem affert quæ hominem monent, neglectis superfluis intendere utilibus. Primum est, quod peregrini sint; attendant ergo his quæ ad ambulandū, terminumq; assequendum conducūt: tales non sunt multæ occupationes, & quæstiones vanæ. Peregrini est non hærere, non abjicere, de itinere semper inquirere, & de certa via sollicitum esse. Secundum est; Quod breve sit tempus, *tanquam umbra prætereas*; ergo seriis incumbendum, non curiosis, & superfluis. Hinc etiam Sapiens. *Altiora te ne quæsieris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.* Ferè contingit quod curiosa inquirens negligat necessaria.

Hoc voluit docere Abbas Coprus, de quo Vitæ Patrum p. 2. de Humilitate. Dum enim quidam ad eum adventassent obscuram moventes multis verbis quæstionem de Melchisedech, quo sensu dicatur à Paulo *sine Patre, sine Matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens*; ipse ter percutiens os suum dixit: *Va tibi Copre, quia curiosa inquisisti illi quæ Deus non mandavit, eaque præcepit, omisisti.* Sic seipsum arguebat humiliter, simulque infimulabat hos inquisitores curiosos negligentiæ in necessariis. Cui conformiter dicebat Thomas à Kempis. *Quia plures magis student scire, quam benè vivere, ideo sæpe errant, & modicum fructū ferunt. O si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, & virtutes inserēdas, sicut ad movēdas quæstiones, non fierent tanta mala, & scandala in populo.* Hæc ille. Quapropter verum est illud S. Bonaventuræ; *Arbor scientiæ multos privat arbore vitæ.*

Denique, aliquæ sunt quæstiones non solum curiosæ & superfluæ, sed etiam nocivæ & perniciosæ. Talis fuit prima quæstio à Satana per os serpentis proposita primis nostris parentibus. Cur præcepit vobis Deus, ut non comederitis de omni ligno

Prov. 30.

Job. 38.

Matth. 22. & Marc. 11.

Matt. 22. Luc. 14.

Quæst. curiosæ.

Eccl. 7.

Eccl. 3.

Hebr. 7.

Lib. 1. de Imita. c. 3.

Quæstiones nocivæ.

ligno Paradisi? Hoc enim eis proposuit ut eos deciperet, & avocaret à præcepti divini observatione. Tales fuerunt & quæstiones quas soliti sunt Pharisæi, & Scribæ Domino proponere, captiosæ enim erant, & in ejus perniciem conspirabant. In verbo verbum capere volebant; sed sapientia ejus ubique vicit malitiam. Sic proponunt ei quæstionem, an mulier in adulterio deprehensa lapidibus foret appetenda? Sed respondit dicens, & scribens
Joan. 8. in terra; *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem*
Matt. 22. *mittat.* Iterum aliqui quæstionem proponunt. *Num liceat consum dare Cæsari, an non?* Ipse autem petit numisma sibi ostendi, cumq; fatarentur exaratam in eo imaginem Cæsaris, respondit: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.*

Quæstio quoque à Legisperito hic Christo proposita: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* ordinata ab eo ad tentandum Dominum; sive ad explorandum an non aliquid alienum à lege, alienum à Moyse loqueretur. Interim hæc quæstio inter omnes maximè utilis est, & maximè necessaria, quæ de felicitate & fine ultimo hominis assequendo agit, & de mediis inquirit. Utinam ergo in corde & in ore hominis Christiani frequenter versaretur, ut practica scientia scire possit, & facere quæ ad vitam æternam assequendam spectant. Verum inter homines hujus sæculi pauca est & rara ultimaque questio est de mandatorum observatione, de bonorum operum exercitio, de statu felicitatis supernæ, de æterna
Rara quæstio de vita æterna. vita. Quæstiones eorum ut plurimum sunt de rebus sæculi, de rebus vanis, de rebus noxiis, frequens est quæstio: Quis eorum videatur esse major? Quomodo opes acquirendæ, quaque via: Quomodo honorate sublimanda familia quibuslibet impendiis? Quomodo lis evincenda justè vel injustè? Quomodo circumveniendus in contractu lucroso proximus? Quomodo de inimicis sumenda vindicta? Multæ similes quæstiones eos torquent in illisque eorum desudat sollicitudo turbulenta neglecta hac quæstione. Quid faciendo vitam æternam possidebo?

Occasionem autem sortitus est quæstionis hujus proponendæ Legisperitus, quia frequens erat
Frequens fuit sermo Domini de vita æterna. sermo Domini de vita, & æterna vita, ad quam omnes convocaturus venerat. Unde cum quidam ab eo recederent & retro abirent, interrogaretque discipulos suos: *Numquid & vos vultis retro abire?*
Joan. 6. Respondit Petrus; *Domine verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?* Sic dicit unicum finem sui adventus in hunc mundum, scopumque unicum
Joan. 3. missionis suæ à Patre esse; *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et iterum ibidem ait: *Exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et tertio ibidem repetit: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Sic agens cum Samaritana, nonnisi agit de vi-
Joan. 4. ta æterna. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in*
Joan 5. *vitam æternam.* Postmodum agens cum Judæis similiter agit de vita, & dicit eis: *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam.* Rursus ibidem *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & ille sunt quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me ut vitam habeatis.* Deinde agens cum Capharnaitis quinquies repetit nomen vitæ æternæ. 1. *Operamini cibum qui*
Joan. 6. *non perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius dabit vobis.* 2. *Hæc est voluntas Patris mei, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* 3. *Amen, amen dico vobis: Qui credit in me habet vitam æternam.* 4. *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* 5. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, &*
Joan. 10. *ego resuscitabo eum in novissimo die.* Denique agens cum Pharisæis de ovili suo & ovibus suis, non semel repetit nomen vitæ & æternæ vitæ, propter quam se venisse dicit. *Ego*, inquit, *veni ut vitam habeant, & abundantius habeant:* Item, *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.* Attende quoties in Evangelio Ioannis paucis his capitibus nomen vitæ æternæ repetit, & videbis quam merito dicat ei Simon Petrus, *Domine verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?*
Joan. 6.

Quandoq; autem nomen vitæ simpliciter & fine addito usurpat Dominus, quandoque nomen vitæ æternæ; & idem significat per utrumque vetam scil. vitam, vitam sanctam, vitam cœlestem, vitam divinam, vitam æternam, vitam beatam. Vita gratiæ vitam producit gloriæ æternæ, eamq; continet quasi in semente, ideoque in scripturis utraque illa nomen obtinet vitæ, nomenq; vitæ æternæ. Hinc est quod Christus de vita quæ sola meretur dici vita, quia vivere quoddam divinum tribuit, responsum dedit Adolescenti eandem quam Legisperitus proponenti quæstionem: *Magister quid boni faciam, ut vitam æternam habeam?* Etenim respondet: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matt. 19.
Non specificat quam vitam, sed sine addito dicit *Vitam*, veram intelligens vitam qua in Deo vivitur. De qua etiam intelligitur illud *Ego veni, ut vi-*
Joan. 10. *tam habeant.* Sic frequenter addit nomen vitæ quoties aliquid divinum promittit, sive ad gratiam, sive ad gloriam spectans. Sic promittit panem vitæ, aquam vitæ, lumen vitæ, lignum & arborem vitæ, fructum vitæ, scriptum nomen in libro vitæ, resurrectionem vitæ, coronam vitæ, spiritum vitæ. De quibus omnibus loquitur S. Ioannes variis locis tum Evangelii, tum Apocalypsis suæ. Non ergo mirum, cum adeo frequenter Dominus de vita locutus fuerit, & æterna vita, si hic Legisperitus eum interrogaret de mediis & via hujus vitæ, sicut & adolescens ille.

Attende vero verba hujus Legisperiti, & ea pondera & appende, sive quando dicit: *Quid faciendo,* sive quando dicit, *possidebo vitam æternam?* Per prius enim significatur vitam acquiri non solis verbis speciosis; Non enim omnis qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; neque solis desideriis bonis, quibus etiam infernus est plenus, sicut & mundus, licet in maligno & peccatis positus. Necesse est manum operi adhibere; faciendo vel patiendo regnum Dei & vitam æternam acquiritur. Per posterius etiam significari potest solam vitam æternam, sive regnum æternum proprie possideri, & hæreditate acquiri, sicut Græca habent: *Quid faciendo vitam æternam hæreditate possidebo?* ut notant Interpretes. Bona hujus sæculi & hæreditates, nec vera sunt bona, nec hæreditate acquiruntur, si bene inspiciamus; sed commodato & precario illis solum utimur brevi dimissuri. Bona ergo illa non sunt immobilia & perpetua, sed mobilia & fugitiva sunt, ac caduca. Filii Dei ad illam solam hæreditatem adspirant, quæ verè hæreditas est, ad illam possessionem quæ verè possessio est, ibi coreorum fixum est, ubi aliquid fixum potest reperiri. Nam de his quæ in hoc sæculo sunt, & quæ concupiscunt homines hujus sæculi verum est illud. *Cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit.* Felix ergo qui potest dicere; *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Quæ est illa hæreditas adeo præclara? *Dominus pars hæreditatis meæ, &c. Portio mea in terra viventium.*

Matt. 7.

Iob. 20.

Psal. 15.

Psal. 141.

Solæ nudæ fides ingressum ad vitam æternam non parat.

Hac quoque interrogatione. *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* tacite condemnantur hæretici, satisque indicatur non sola nuda fide ingressum parari ad vitam, sed operibus necesse esse ad illam contendere. Hoc satis videtur intelligere Legisperitus, dum ait: *Quid faciendo æternam vitam possidebo?* Hoc etiam satis intelligebat adolescens interrogans; *Quid boni faciam ut vitam æternam habeam?* Hoc denique satis intelligebant Iudæi dicentes & interrogantes: *Quid faciemus ut operemur opera Dei?*

Ioan. 6.

Interim Dominus hunc Legisperitum merito ad legem remittit, cujus faciebat professionem; erat autem de numero illorum qui legis verba perfectè callent, sed vim legis vel ignorant, vel agnitam non perficiunt, nec adimplent. Non poterat fraudulentæ huic interrogationi occurrere sapientia Christi efficacius, quam ad legem remittendo legis Doctorem, cui silentium non imposuisset alio quopiam responso. Sic quando de fide aut moribus est interrogatio, cum lege Domini optima est consultatio. Cum autem Legisperitus legem protulisset (quam legerat, non quam impleverat) de dilectione Dei & proximi, brevi resolutione concludit Dominus: *Hoc fac & vives.* Sic ostendit certam viam vitæ in legis illius adimpletione contineri, nec ultra quippiam requiri, necessarium tamen esse facere, & non solum scire.

Refert auctor *Scalæ Cœli*, quemdam Scholarem de longinquis partibus ad Academiam Parisiensem venisse, ut Theologiæ operam daret. Ingressus ergo est scholas, auditurus quemdam Theologiæ Magistrum explicantem S. Matthæi Evangelium. Cum autem prima die ingressus ejus prælegeretur illud Matthæi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Ipse subito surrexit de medio discipulorum cunctis admirantibus, Interrogatus à Magistro, quid sibi dictum vel factum foret, quod sic recederet, & Scholam dimitteret? Respondet: *Nihil mihi factum est, sed antequam plura audiam, volo opere istud complere.* Sic egrediens, Religionem est ingressus. Recte ergo ipse intellexit illud Domini. Hoc fac, & vives.

Ioan Iunior Tract. Ordin. Prædic. in Scala Cœli.

Nota de dilectione Dei super omnia, & de dilectione proximi, de qua hoc Evangelium expresse loquitur, alibi fusè à nobis tractatum est, in Horto Pastorali Tom. 3. Tract. 1. Lectione secunda per totam. Vnde illuc Lectorem remitto. Occurret iterum & occasio ea de re dicendi Dominica 17. post Pentecosten. Recurre & illuc.

DOMIN. XIII. POST PENTECOST.

Lect. 29. bipartit.

Occurrerunt ei decem viri leprosi, &c.
Luc. 17.

PARS I.
De lepra sui, & eorum præcatione.

SOl nullum passum inutilem facit in cursu suo ab Oriente in occidentem; sed exerit virtutem, lucem, calorem, ut in motu suo beneficus sit rebus omnibus inferioribus; Sic Christus Dominus ad Occidentem pergens suum, hoc est ad mortem, beneficium quibuscunque impertitur, non solum lucis, doctrinæ, & spiritualis gratiæ, sed etiam salutis corporeæ. De hac re testimonium nobis exhibet hoc Evangelium, in quo dicitur: *Et factum est dum iret in Hierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam Castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, &c.* Hos ergo sanavit in transitu, dum iret in Ierusalem, non quidem jam adhuc passurus hac vice, tamen tempus ejus jam incipiebat appropinquare, eratque inter illud de quo dicitur: *Factum est dum complerentur dies assumptionis ejus, & ipse faciem suam firmavit, ut iret in Ierusalem.* Hoc est, dum appropinquarent dies quibus per mortem & passionem suam assumendus erat à mundo ad Patrem, resolvit firmiter & fortiter ire in Hierusalem recto itinere, licet locus foret passionis suæ, & firmavit faciem suam per constantiam, quæ etiam exterius elucebat adversus Iudæos, adversus mortem & tormenta, quasi jam paratus voluntarie & cum gaudio morti occurrere, priusquam assumendus erat ad Patrem & nos salvandi à morte. Quia verò transeundum erat per Samariam, misit quosdam qui pararent ibi in civitate

Luc. 9.

quo-

quadam Samaritanorum hospitium. Sed non fuit receptus, quia facies ejus erat euntis in Ierusalem, hoc est, quia Samaritani advertebant eum cum suis proficisci in Ierusalem adorationis causa, & propter festivitatem aliquam Iudaicam. Ipsi autem ob odium religionis Iudaicæ Christum non receperunt, quia habebant templum proprium in monte Garisim, ubi dicebant adorandum, & non in Ierusalem. Indignari porro tunc fuere discipuli dicentes: *Vis dicimus ut ignis de cœlo descendat & consumat illos?* Sed respondit Dominus: *Nescitis cujus spiritus estis, filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.*

Ut ergo hoc ipsum ostenderet Dominus: quod ad salutem scil. venerit, & non ad ultionem; progressus est ulterius sine ira, & venit ad quoddam aliud castellum, ubi occurrerunt decem leprosi, inter quos erat quidam Samaritanus, hosque ad se clamantes exaudit & sanat. Sic etiam repulsus Dominus non cessat opem suam impertiri indigentibus, etiam illis à cujus populo repulsam passus fuerat. Sed videamus circumstantias particulares hujus impertitæ salutis, & Evangelicæ enarrationis verba expendamus, non enim carent significatione mystica, & consideratione digna sunt.

Moralia ex circumstantiis sanatorii leprosorum.

1. *Lepros occurrerunt.*

Primo dicit textus noster, quod Christo *occurrerunt hi leprosi decem*, non quidem fortuito aut casu quodam, sed studio & data opera, quia audierant inde Christum transiturum, & quidem in agro occurrunt extra castellum sive pagum, qua non licebat eis in civitate aut hominum consortio conversari, aut oppida ingredi: *Omni tempore quo leprosus est immundus solus habitabit extra castra.* Ob hanc etiam rationem stabant à longe, nec accedunt propius agnoscentes morbum suum & fœditatem, quam Iudæi abominabantur ut contagiosam. Hinc de Rege Ozia dicitur. *Fuit Ozias Rex leprosus usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separata plenus lepra.* Sic exclusa est Maria soror Moysis extra castra septem diebus propter lepram. Hoc interim etiam significatur hic in occursu leprosorum, quod licet Christus Dominus quandoque etiam non quærentibus offerat salutem, ordinarie tamen vult nos de ea esse sollicitos, vultque nos quærere dona sua, nec ingerit ea negligentibus & desidiosis. An non id docent hi Leprosi ad Christum ocyus advolantes, occurrentes, & sanitatem prece & clamore quæritantes? Simul autem quærunt Christum, simul ei occurrunt, simul clamant, non pro se quisque, sed omnes pro omnibus orantes, unamque esse cautam sui occursus & orationis declarantes. Sic nimirum concordia in quærando Christo, concordia in occurrendo, concordia in orando, plurimum apud eum potest, cæterisque paribus oratio quam multorum conjunctio & conspiratio sancta in cœlum evehit, apud Deum efficatior est. Hos decem leprosos conjunxerat infirmitas & paupertas, conjungit precatio & charitas, ideoque & conjunctim à Domino rediit ad omnes ipsos sanitas.

Levit. 13. *2. Par. 26.* *Num. 12.*

Occursus leprosorum quid docemur.

Sed unde adeo multi simul leprosi? Averte lepram valde fuisse Iudæis familiarem, immissam sæpius multis à Deo in pœnam criminis, vel contractam ob pravam dispositionem aeris illius regionis. In pœnam quidem immittebatur à Deo; ideo soror Moysis Maria percussa fuit lepra teterrima, quia murmuraverat contra Moysen propter uxorem ejus Æthyopissam, & dixerat: *Num per solum Moysen locutus est Dominus? Nonne & nobis similiter locutus est?* Quasi dicat: Num solus Moyses Propheta? Itaque concitaverat Aaron ad murmurandum contra Moysen, non ferens æquo animo quod Sephora sibi præferretur tanquam uxor Moysis. Cum vero Aaron postea culpam agnoscens pro ea deprecatus esset Moysen, clamavit Moyses ad Dominum, & sanata fuit. Sic Ozias lepra percussus est ob peccatum, quia præsumpserat, & arrogarat sibi sacerdotale officium adolendo incensum coram Domino. Non absimiliter Giezi famulus Elisæi, quia ductus avaritia acceperat vestes, & pecuniam à Naaman Principe Syriæ, ejus lepram hæreditavit justo Dei judicio; juxta decretum Elisæi, qui id absens viderat, ideoque pronunciavit: *Accepisti argentum, & accepisti vestes: ut emas olivveta & vineas, oves, boves, servos & ancillas; sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo in sempiternum.* Peccatum ergo avaritiæ, & simoniæ punitum fuit cœlitus, immissione lepræ. Sic quoque David imprecatus est Ioab propter crimen homicidii ab eo commissi; *Non deficiat de domo Ioab leprosus.* Ipse enim Ioab loquens in dolo cum Abner. Principe exercitus Israel percusserat eum in inguine, & interfecerat eum. Similiter interfecerat Amasam Principem militiæ Iuda. Denique disertè Deus comminatur lepram iis qui sacerdotibus obedire nolunt: *Observa diligenter ne incurras plagam lepræ, sed facies quæcunque docuerint te Sacerdotes juxta quod præcepi eis, & impleto sollicitè, mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ.* Vnde & Sacerdotibus lepræ judicium, & expiationem reservavit Deus, ut cogerentur Sacerdotibus se humiliare, contra quos se superbè erexerant, sicque superbiæ culpam hac humiliatione expiarent. Ac forsan hi decem leprosi inobedientia aliqua deliquisse poterant contra Sacerdotes, quos licet sanare voluerit Dominus, tamen ad Sacerdotes remisit.

2. Reg. 5. *2. Reg. 20.* *Deut. 24.*

Cur multi leprosi apud Iudæos.

Lepra in pœnam criminis multis immissa.

Num. 12.

2. Paral. 26.

Lepræ ex vitio quodam naturali.

Levit. 13. & 14.

Sed altera etiam causa adeo frequentis lepræ inter Iudæos fuit non tam divina vindicta, quam vitium quoddam naturale. Quælibet enim Regio, & quodlibet clima habet suas qualitates etiam vitiosas & suos morbos, immò unus idemque morbus in diverso climate diversus est. Hinc lepra Iudæorum diversa erat ab ea quæ nunc cernitur, quia fere erat in cute tantum, illa autem quæ nunc inficit, carnes & ossa depascitur; lepraque eorum

curabilis erat, nunc incurabilis censetur; denique vestes ac muros invadebat nulla vero nunc similis reperitur; erat etiam quædam volatilis & vaga, quæ omnia modo cessare videntur. Eratque valde ordinaria Iudæis, quapropter tot leges ad ejus expiationem præscribuntur. Atque hæc causa fuit cur tempore belli sacri tot Belgæ, Franci, Germani, ex Iudæa reversi sint leprosi: indeque factum est, ut ubique tot leprosoria erecta sint, quæ modo vacua sunt leprosis, quia hic aer, & complexio has regiones incolentium non est ita illi lepræ obnoxia. Habet tamen alios suos morbos quælibet regio vel ex vitio complexionis, & intemperiei, aeris, vel etiam Dei justa vindicta plectente delicta. Sic nonnulla loca videmus pestilentia, vel febribus pernicioſis frequenter infici, vel aliis morbis.

2. *Stant à longe levantes vocem.*

Secundo de his leprosis dicit textus noster? *Stantes à longe levaverunt vocem, dicentes: IESV Præceptor miserere mei.* Sic adimplent legem. *Quicunque maculatus fuerit lepra, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.* Ipsi nimirum agnoscunt immunditiam suam, & ideo stant à longe ne cuiquam sint nocumento, ne & ipsi Domino videantur parum reverentiæ exhibere, si propius accedant: neque vero agnoscunt suam immunditiam & miseriam, sed etiam eam proclamant. Ad eum qui mederi potest inclamant magna voce, magni desiderii indice, magnæ fidei teste; suisque verbis satis indicant se non eleemosynam petere, nec aurum aut argentum, sed gratiam, & ad sanitatem consequendam subsidium. Invocant sacrum, & magnum nomen Iesu, quia rem nomine indicatam magno optant affectu assequi, hoc est salutem. Misericordiam implorant, quam sciunt multis ab ipso impertitam, & nihil nisi misericordiam petunt, quia probe callent ipsum scire miseriam qua afflicti sunt. Vocant autem Præceptorem, tanquam qui verbo vel nutu possit præcipere, & omnem miseriam afflictantem præcepto gratiæ suæ fugare, mundoique facere de immundo conceptos semine. Denique brevem omnino fundunt precem ad eum qui videt cor, nec multis eget verbis. Fere soliti sunt qui à Christo quippiam magna fide postularunt, petitionem suam paucis indicare verbis.

Matth. 8. Sic alter quidam leprosus: *Domine, si vis, potes me mundare.* Quid brevius? Sed quid etiam efficacius, quandoquidem respondet Dominus. *Volo Mundare?* O verbum abbreviatum, sed consummatum sanitatem petenti illico restituens!

Joan. 11. Sic Sorores Lazari Martha & Magdalena non aliud ei indicant: *Ecce quem amas infirmatur.* Pauca hæc ei verba sufficiunt, ut veniens non solum figet morbum, sed & mortem.

Luc. 18. Matth. 15. Sic cæcus non aliud clamat. *Iesu Fili David miserere mei.* Item & Chananæa *Miserere mei Domine fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur.*

Similiter igitur & his leprosis sufficit inclamare paucula hæc verba: *Iesu Præceptor miserere nostri.* Ubique misericordiæ postulatio, & miseriæ agnitio, eum vincunt & propitium reddunt, ubi fides & devotio concurrunt.

3. *Tertio*, subdit textus Evangelicus responsum Christi breve omnino, sicut & petitio, sed efficax. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Virtute enim hujus verbi abbreviati, dum illi acquiescunt abeuntes, confestim mundati sunt.

Cur Christus leprosos ad sacerdotes miserit.

Sed cur eos ad sacerdotes misit quos verbo curare potuit? Multiplex hujus rei ratio adduci potest.

1. *Prima* est ex parte ipsorum leprosorum, quia sic voluit eorum probare fidem & obedientiam. Fides eorum firma, & obedientia prompta in eo elucescit, quod non tergiversentur quasi inter se dubii. Propterea enim dicere: Cur non ad sacerdotes mittit? Quid nobis hi præstare possunt? Nam de dubia lepra hi judicant, nostra autem est manifesta. Sanet nos prius, & tunc ad Sacerdotes mittat, ut judicent de sanitate, & pro gratiarum actione sacrificium offerant. Non ergo his aut similibus moram trahunt ambigui, sed simpliciter mandato obtemperant, fiduciamque concipiunt sibi à Domino sanitatem restituendam, nec frustra ad Sacerdotes se mitti. Credunt ergo se ad illos destinari, non ut judicent de lepra, sed ut judicent de sanitate restituta, & in virtute hujus fidei abeunt & mundantur. 1. *Causa.*

2. Ratio est ex parte Christi Domini, qui voluit ostendere se non venisse ut solveret legem, sed adimpleret. Lex judicium committit Sacerdotibus de lepra & ejus mundatione, ut sic cæremoniis legis adhibitis reddant sanatos publica auctoritate consortio & conversationi communi. Noluit ergo Dominus omnem calumniæ occasionem Sacerdotibus eripere, & præscripta legis observare etiam circa eos quos virtute sua mundarat & sanarat, quamvis nulla ad id teneretur obligatione ipse qui supra legem erat. Unde non potuit ejus virtus ad sanandum detineri per legem, quia ante legis impletionem impertitus est eis sanitatem. Ad legem mittit, & tamen sanat ante legis observantiam. Reveretur legem, sed magis respicit leprosorum fidem, statimque sanat. 2. *Causa.* *Levit. 13.*

3. Ratio est ex parte Sacerdotum, ideo enim ad eos mittit, ut vel convertat ad fidem, vel adducat ad confusionem. Etenim dum vident mundatos leprosos à Domino, quos ipsi curare nequeunt per sacerdotium suum & legem, vel credant necesse est, & salventur, vel si non credunt, confundantur oportet, & de incredulitate fiant inexcusabiles, tot visus in Christo miraculis & supernis donis. Adde Christum in hac missione ad Sacerdotes, sacerdotium & potestatem lepram spiritualem judicandi & curandi in nova lege adumbrasse, significans sine Sacerdotibus non fore remis- 3. *Causa.*

remissionem peccatorum, sed necessarium esse se-
e Sacerdotibus ad hunc effectum manifestare.
Cum aliqua à Rege postulantur, licet possit Rex
mox annuere, tamen solet ad suos Consiliarios
remittere, vel ad consilium privatum, vel ad con-
silium bellicum, vel ad consilium justitiæ, juxta
varietatem rei postulatæ. Ita Christus Dominus
ostendit Sacerdotes sibi esse à consiliis, in his quæ
concernunt misericordiæ postulationem & pecca-
torum remissionem, sive spiritualis lepræ emunda-
tionem. Sed de hac re plenius mox dicemus in
secunda parte.

PARS II. *De spirituali lepra peccati.*

LEpra inter gravissimos corporis morbos recen-
setur, & ideo in sensu mystico, & spirituali pec-
catum designare, quod est animæ gravissimum
malum, communis est interpretatio SS. Patrum.
Et certè quod lepra efficit in corpore, hoc pecca-
tum efficit in mente.

Quid lepra in corpore, hoc peccatum efficit in anima.

1. Quidem lepra omnes humores corporis cor-
rumpit & fœdat, ita ut propterea hominem de-
formem reddat & omnem decorem tollat, qui ex
temperamento humorum solet provenire. Sic
peccatum fœdat & corrumpit omnem animæ pul-
chritudinem, imaginem Dei quæ in anima elucet
divinis donis adornata deturpans. Est enim anima
per gratiam divinæ pulchritudinis spectaculum,
fit autem per peccati corruptionem Satanæ hor-
ridum simulacrum. Hinc Deo Angelisque fit o-
diosa, quæ antea ob decorem acceptabilis erat &
gratissima. Nihil ita Deus odit atque peccatum,
utpote in finitæ suæ bonitati adversum: & si quæ-
cumque in cœlo vel terra sunt creata in linguas
verterentur, & humana voce resonare possent, o-
dium tamen quo Deus peccatum prosequitur ex-
plicare non valerent; est enim illud infinitum,
sicut infinita est & bonitas divina, cui peccatum
adversatur. Quapropter Sancti idipsum agno-
scentes, nihil ita abominati sunt & oderunt ac
peccatum. Inter quos S. Anselmus dicebat: *Si hinc peccatum viderem, illinc infernum, prius me in infernum demergerem, quam peccatum admitterem. Mallem enim purus à peccato gehennam ingredi, quam cum peccato cœlorum regnum intrare.* Pec-
catum scilicet majus malum est, quam infer-
nus, & gehenna. Nam considerans damnatum,
duo potes mala concipere, cruciatum ex una
parte, culpam ex altera. Cruciatus est propter
culpam, ergo culpa majus malum est; cruciatus
est malum pœnæ, peccatum est malum culpæ:
puniri non est malum, sed dignum esse pœna ma-
lum est. Si peccatum non foret abominabile ma-
lum, Satan non foret abominabilis; tolle ab eo
peccatum, nobilissima est creatura, nobilissimus
Angelus; peccatum ex Angelo nobilissimo illum
efficit dæmonem horribilem. Si peccatum non
foret abominabile malum, Sancti non tanta passi
forent, ut illud evitarent. Cur enim alii excoria-
ti sunt, alii exusti, alii aliter excarnificati, nisi
quia peccatum admittere noluerunt? Poterant de-
illo postea pœnitere, sed nec ad momentum pec-
tiam divinam voluerunt perdere, & abomina-
illud malum incurrere quo decor animæ deper-
tur, magis quam lepra decor corporis: ut propte-
rea exprobret Dominus animæ peccatrici, *Abomi-
nabilem fecisti decorem tuum.*

Hoc non intelligunt homines hujus sæculi, ad *Ezech. 16.*
flagitia projecti, bibentes quasi aquam iniquita-
tem, pro morula voluptatis, pro puncto honoris,
pro exiguo lucro & spe exiguæ commoditatis,
pro adimpletione propriæ voluntatis decorem
divinæ gratiæ abjicientes, & fœda peccati lepra
sese contaminantes. Optime vero intelligebat S.
Ludovicus Galliæ Rex qui propterea quodam die
interrogabat Scheneschalcum Campaniæ. *Si tibi duo proponerentur, hinc quidem lepra corporis, inde vero culpa peccati mortalis, quodnam è duobus istis malis gravius judicares, quodve potius fugeres?* Re-
spondit ille (sicut homines sæculi in cæcitate &
tenebris ambulentes) malle se peccato infici quam
lepra. At gravissime eum arguit Rex. *Quæ enim,* inquiebat; *lepra fœdior, quam illa quæ etiam post mortem affligit?* Adjecit Rex. *Si me amas, & meo optas uti contibernio, mentem mutato peccati turpitudinem supra omnia detestando.* Testis est Surius in
vita S. Ludovici cap. 94.

2. Lepra est contagiosa; sic & peccatum.

2. Lepra recensetur inter morbos non solum
fœdos, sed etiam valde contagiosos: & propterea
lex arcebat leprosos à consortio communi. An non
& hoc peccato convenit? Certè qui peccatoribus
consortio jungitur, facilè inficitur, quasi conversa-
retur cum leproso, aut pestilente. Quàm multi
ad vitia abripiuntur solâ pravâ societate? Ideo mo-
nebat Sapiens: *Fili si te lactaverint peccatores, ne* *Prov. 1.*
acquiescas eis, ne ambules cũ eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum. Item: *Qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Sic & de aliis vitiis. *Eccli. 13.*

Lepra triplex.

Lepra triplex colligi potest ex Levit. Est enim *Levit. 13.*
quædam lepra Carnis, est & altera lepra Vestis, est
& tertia lepra Domus. Quænam est lepra Carnis,
nisi libido & gula quæ sunt fœtida carnalia vitia?
Quam vero facile quisnam his inficitur, si cum car-
nalibus conversetur? Testes hujus rei sunt ado-
lescentes innumeri, piæ & optimæ indolis, qui ad
cauponas & loca impura societate pellecti, effecti
sunt vita corruptissimi & perditissimi. Testis est
S. Aug. *ibam præceps tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris didicisse, cum audiebam eos jactantes flagitia sua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent. Fingebant me fecisse quod non feceram, ne viderer abjectior, quo eram innocentior, & ne vilior haberer quo eram castior. Ecce cum quibus comitibus iter agebam plateatim Babyloniæ, & volutabar in cœno ejus tamquã in unguẽtis pretiosis.* hæc
S. Aug. Lepram ergo carnis contrahebat à sociis
carnalibus & corruptis, ita ut c. 2. l. 2. dicat iterum:
Quid me delectabat nisi amare & amari? Exhalabatur nebula de limosa cõcupiscentia carnis & scatebra juventutis, & obnubilabant cor meum; sic jactabar, & dis-

Lib. 3. Confes. c. 3.

& diffluebam, & ebulliebam per fornicationes meas. O corruptionem! O lepram fœdiſſimam! Sed dicamus uberius: Quid eſt lepra Veſtis, niſi oſtentatio veſtium vaniſſima, quæ miro modo jam ab uno in alterum ſerpit? Nec enim ſufficit nunc veſtis frugalis & honeſta ſtatui perſonæ congrua, ſed ſuperba vanitas novas de die in diem adinventiones habet, quas ad imitandū proponit. Nec jam in veſtibus quæritur calor, ſed color; non neceſſitas, ſed pretium; non utilitas, ſed ſubtilitas. Ornatur corpus variâ veſte per oſtentationem & ex illa in anima oritur quaſi lepra volatilis & vaga miræ inconſtentiæ & vanitatis, frequenti mutatione imitando externorum mores & modos vaniſſimos. Ita quod nunc vernaculè vocant, *La moâe*, idipſum ergo vocitandum cenſeo, *Lepram volatilem & vagam*, de qua Levit. 13. etiam ſit mentio. Denique dicamus: Quid eſt lepra Domus, niſi pravi humores, pravique mores filiorum familias, ac famulorum, aliorumque domeſticorum? Hi quandoque ſine diſciplina in vitia ruunt ex negligentia Patrumfamilias, vel etiam ex vitiis eorum; quia illa filii & famuli facile imitantur. Qualis Paterfamilias, talis eſt familia: ſi ille leproſus eſt, lepra inficitur & illa: ſi ſanus & vigilans pro ſanitate familiæ; ſana erit & illa. Vigilantia & bonum exemplum Patrisfamilias, eſt quaſi præſervativum medicamentum quod lepram impedit in familia, peccatorum propellens putredinem, & virtutis inferens ſaporem. Unde S. Auguſt. ſic ait: *Vnuſquiſque Paterfamilias agnoſcat paternum affectum ſuæ familiæ ſe debere pro Chriſto & pro vita æterna; ſuos omnes admoneat, doceat, horietur corripiat, impendat bene volentiam, exerceat diſciplinam.* Nempe diſciplina retinaculum eſt fidei, cuſtos ſpei, dux itineris ſalutaris, fomes & nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutis. Sed, eheu! quàm multæ domus quaſi plaga lepræ ſunt infectæ, ob pravum exemplum eorum qui ibi præſunt? Quia dediti ſunt ebrietati, luxuriæ, injuſtitiæ, iracundiæ & impatientiæ, juramentis & detractionibus, vitia iſta facile domeſtici contrahunt & imitantur.

Tertio, lepra ſic corrumpit halitum hominis, ut os nihil niſi fœtorem exhalet; nec enim aliud ab interiori corrupto poteſt promanare. Plane ſimiliter homine interiùs per peccatum corrupto, ab illius ore vix aliud quam peſtilens halitus prodit. Quis à ſepulchro aliud quam exhalationes fœtidas expectet? Ibi cadaver putridum, ſi jacet, quid aliud quam putrem humorem exhalat? Similiter qui per peccatum animam mortuam geſtat, in corpore licet vivo funus circumfert, ergo ab ipſo vix aliud quam corruptio procedat neceſſe eſt. Unde de peccatoribus maxime in vitia invecoratis veriſſimum eſt illud Pſaltis: *Sepulcrum patens eſt guttur eorum.* Docet id ſatis experientia, & converſatio cum illis.

Qua lepra veſtis.

Qua lepra domus.

Tract. 51. in Ioan.

3. Lepra corrūpit halitum hominis: ſic & peccatum.

Pſal. 5.

Si converſeris cum impudicis, quid aliud effe-

tiunt, quid aliud eloquuntur, quàm verba turpitudinis? Sanies impuritatis in corde exiſtens per oris meatum defluit. Ergo de illis verum eſt: *Sepulcrum patens eſt guttur eorum.*

Si converſeris cum iracundis & vindicativis, ſanies iracundiæ ab eorum corde in os prodit, & minimâ occaſione os putre eis aperiente, non audies niſi verba execrationis, & maledictionis. Frequens eſt in ore eorum nomen diaboli, & inferni, & mortis quia omnes ſtatim diris pro re nihil devovent. Ergo & illis verum eſt: *Sepulcrum patens eſt guttur eorum.*

Si converſeris cum detractoribus, ſemper fœtorem exhalant, quia nonniſi de vitiis aliorum eis eſt ſermo, quaſi in ſtercore os haberent, aliosque invitè de his audientes quaſi putri humore reſpergunt. Ergo & de ipſis verum eſt: *Sepulcrum patens eſt guttur eorum.*

Sic converſeris cum ſuperbis, ſtatim ex eorum ore apertos agnoſces arrogantiam peſtilentem & inficientem. Iuramenta ſunt eis familiaria, imò blaſphemiæ, ſi Dei timorem abjecerint: jactantia autem, oſtentatio, præſumptio, deſpectus aliorum in corde latens, ad os etiam mox profluit, quia ex abundantia cordis os loquitur. Ergo & de illis verum eſt, quod anima per ſuperbiæ lepram infecta halitum etiam inficiat. Verum eſt & de illis: *Sepulcrum patens eſt guttur eorum.*

Quid plura? Ipſa lepra peccati quodammodò inficit creaturas. Hinc Chore, Dathan, & Abiron terrâ dehiſcente abſorpti ſunt. Rationem autem illius rei reddit S. Ambroſ. ſerm. 10. epiſt. 82. his verbis: *Abripiuntur noxii, & ita ab omnibus ablegantur elementis, ut nec aerem hauſtu, nec cœlum viſu, nec mare tactu, nec terram contaminarent ſepulcro.* Qua igitur hi lepra ambitionis, invidiæ, rebellionis infecti erant, videntur creaturæ quodammodo eorum voluiſſe cavere contagium. Sic & de Sodomitis dicitur, quod clamor eorum in cœlum conſcenderat: alia lectio dicit: *Fœtor eorum aſcendit coram me*, dicit Dominus. Fœtor ſcil. carnalis lepræ terram, & cœlum quodammodo inficiebat; unde & in pœnam peccati manſit aer, & aqua, ac terra ibidem ita infecta, ut nec homines, nec piſces, nec aves, nec pecora ibi vivere poſſint, quia: *In teſtimonium nequitiæ conſtat fumigabunda deſerta terræ.* Adeo nimirum tetrum vaporem ſumat, ut quibuscunque viventibus ſit intolerabilis, prout tradunt terræ illius viſitatores, inter quos Burchardus, & alii, qui dicunt ad quinque vel ſex leucas diſtantes fœtorem illum perſentiri, & germina omnia ſterilia reddere. Fœtor ergo ille fœtorem indicat peccati carnalis à Domino pœnâ tali cœlitus puniti.

Peccati lepra cœtera.

Num. 6.

Gen. 18.

ut dicit Sap. 10.

Sic S. Catharina Senenſis quâdam vice itura ad civitatem aliquam celebrem, fœtorem ejus ad quadraginta usque milliaria perſenſit, dicebatque nullum ei fœtorem parem eſſe poſſe.

Similiter & S. Lutgardis, cùm quispiam accedere

deret peccato infectus, ut colloquio ipsius frueretur, mox præsentiebat spirituale[illegible] quemadmodum autorem puro suo cordi planè ingratum, quasi leprosi halitum.

S. Philippo Nerio illam quoq; gratiam concesserat Deus. Vnde Florentiæ cuidam fortuitò obviam factus, agnovit statim interiorem ejus conscientiam peccato mortali esse corruptam; ea igitur de re eum admonens cohortabatur benignissimè, zeloque ardentissimo, ut ad sanioremmentem rediret, peccatique lepram contagiosam pœnitentia expiaret & expurgaret.

5. Lepra visum & omnia membra inficit, sic & peccatum.

Postremò dicamus, quod lepra non solum os, & halitum hominis, sed etiam visum exedit, aures, pedesque, & alia membra inficit, ita ut homo pene reddatur inutilis: similiter fieri cernimus per lepram spiritualem, maximè inveteratis peccatoribus. Hi enim assiduitate peccandi omnem penè spiritualem sensum amisisse cernuntur; ita ut nec oculos habeant, quibus miseriæ suæ magnitudinem agnoscant, aut imminentem mortem, judicium, gehennam; nec nares ut odore suavitatis à Christo Domino promanante ad ejus sequelam illiciantur, nec aures quibus divina audiant mandata vel consilia, nec manus ad operandum meritoriè aptas, nec sanctorum desideriorum pedes ad currendam Domini viam. O lepram pessimam, & abominabilem, quæ sic hominem reddit ad divina insensibilem!

Dolendum porro hanc lepram spiritualem adeo communem esse, ut vix quispiam ingrediatur aliquod castellum, quin statim incurrat in leprosos multos. Mox enim reperire est aliquos qui fœtent lepra luxuriæ, alios qui contagiosi sunt lepra invidiæ, plerosque qui fœditum exhalant detractionis halitum nonnullos qui lepram & sitim patiuntur avaritiæ & injustitiæ, quosdam etiam qui lepram patiuntur in capite per superbiam & elationem. Pessima autem omnium lepra, est lepra hæresis, & falsæ doctrinæ. Quæ specialiter sic designari docet fusè S. August. *lib. 2. quæst. Evang. c. 40.* citatus in *Breviario Romano, super Euangelio huius Dominica.* Vbi advertit nullum eorum quibus corporalia beneficia præstitit Dominus, misisse ad Sacerdotes præter leprosos, nec nomine Præceptoris quempiam præter illos Dominum compellasse pro medicina corporali. Vnde concludit lepram falsam esse doctrinam, quam bonus Præceptor abstergit, *Vide ibi August.* Quod ergo leprosi olim ejiciebantur extra castra, & separabantur à cœtu, & consortio hominum, id significat quomodo hæretici à Deo, à Sanctis, à gratia, à charitate, ab Ecclesia quoque separentur. Vnde sicut Magistratus sollicitè advigilat, ne lepra vel pestis civitatem inficiat, sic etiam deberet advigilare ne hæresis & falsa doctrina serpat. Olim maculatus lepra habebat vestimenta dissuta, caput nudum, os veste obtectum, foedidum & contaminatum se clamabat. Hæretici incedunt capite

Hæresis lepra pessima.

discoopetro, quia tegmen fidei perdiderunt. Vestes eorum [illegible] sunt, quia in varias sectas scissi sunt. Maculati sunt, leprosi sunt. Os ergo eis obturandum, ut non permittantur loqui, ne vel solo inficiant halitu: Expellendi sunt etiam extra civitates, vel digito ostentandi, ut tamquam sordidi fugiantur. Sicut unus leprosus facilè contaminat alios sanos, sic & hæreticus. Quot infecit Calvinus? quot Lutherus?

EADEM DOMINICA.

LECT. 21. bipart.

Steterunt à longè & levaverunt vocem, dicentes: JESV *Præceptor, miserere nostri.*

EAdem remedia lepræ spirituali sanandæ congruunt, quæ hic Dominus præscribit leprosis, & quæ olim adhibebantur in figura. Olim namque leprosus ad sui mundationem offerebat duos passeres, quorum unus occidebatur in vase fictili super aquas viventes, ita ut sanguis ipsius aquis viventibus permisceretur: alius vero vivus tingebatur sanguine ipsius occisi, & cum ligno cedrino, cocco & hysopo aspergebatur septies leprosus, sicque permittebatur passer avolare. Duo illi passeres duplicem in Christo naturam significant passer vivus, qui non immolatur, nec patitur quippiam; passer autem moriens, & immolatus significat naturam humanam, cujus sanguine fit aspersio & mundatio, septiesque illo aspergitur leprosus, quia per spiritum septiformem perficitur illa expiatio. Similiter lignum cedrinum cum cocco, & hysopo significat per fidem passionis Christi in humili rubeoque crucis ligno peractæ fieri remissionem peccatorum, nosque per illam fidem aspergi sanguine Christi. Addebatur & huic aspersioni lotio vestimentorum, & rasio pilorum; *Pilos radere, est cogitationes omnes veteres secludere, vestimenta lavare, est actiones suas dejurare.*

PARS I. *De remediis lepræ spiritualis & bona confessione*

In hac autem mundatione lepræ per Christum facta, attende quid fecerint leprosi, quidque eis Christus præscripserit, & tunc intelliges quid pro lepræ spiritualis curatione tibi quoque sit peragendum. In primis illi omni diligentia occurrerunt Domino, deinde steterunt à longè postmodum levaverunt vocem & misericordiam magna cordis & vocis contentione imploraverunt, dicentes: JESV *Præceptor, miserere nostri.* Si peccator lepræ suæ quæ per peccatum contaminatus est, vult emendationem obtinere, necesse est cum diligentia animi pedes, hoc est, affectus, moveat ad quærendum Dominum, & ad illi occurrendum, cujus semper felix est occursus, felix vel solus intuitus; non est negligenda oportunitas, dum audit Dominum transire, quod quidem inspiratio sancta intus suggerit & nunciat. Deinde ubi occurrerit, necesse est ut stet peccator si sanari velit; per firmum enim propositum stare debet, nec ultra progredi, non solùm per actum peccati, sed nec etiam per voluntatem peccandi, mo-

Leprosi I. occurrerunt.

2. Steterunt à longè.

nente Domino per Prophetam: *Quiescite agere perversè, discite benefacere.* Et à longè quidem stare debet hoc est cum profunda humilitate, cum verecundia & confusione & sese coram Domino agnoscere, & indignū ejus se præsentia & occursu judicare. Attrahitur interim intuitus Dei benignus humilitate, attrahitur verecundia & confusione. Viterius oportet levare vocem cum clamore. Magnus apud Deum clamor est magnum desiderium sanitatis spirituales junctum cum detestatione criminis, dum abyssus miseriæ agnitæ abyssum invocat misericordiæ divinæ. Quò verò major est miseria, eò fortius invocanda est misericordia, dicendumque cum Propheta: *Clamavi in toto corde meo exaudi me Domine, clamavi ad te salvum me fac.* Denique cum magna spe oportet misericordiam implorare ab illo qui præcipit luci & oritur, præcipit tenebris & fugiunt, præcipit lepræ & discedit, præcipit sanitati & advenit, præcipit morti & cedit, præcipit peccato & disparet, præcipit gratiæ & in momento comparet. Hic est Jesvs, Præceptor, à quo omnis lux, omnis gratia, omnis misericordia, omnis salus ortum habet, & præcepto ejus illico paret; quia ipse est fons vitæ, fons salutis, fons misericordiæ, fons lucis & gratiæ. At illum ergo levanda est vox, dicendo cum grandi fiducia: Jesu *Præceptor, miserere mei.*

3 Levaverunt vocem suam.

Psal. 118.

De præcepto Domini dato leprosis.

Quid leprosi fecerint ut sanitatem consequerentur, dictum satis; nunc videndum quid eis præceperit Dominus; nam & lepra peccati infectos illud etiam præceptum adimplere convenit, si sanitatem perfectam velint assequi. Dicit ergo eis Dominus: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* Antiquis Sacerdotibus lepræ judicium commiserat Deus. Sacerdotibus novæ legis non solum judicium commisit ad discernendum à lepra lepram, sed etiam auctoritatem dedit illam purgandi; animæ enim lepram eis in confessione sacramentali detegi voluit omnimodamque sanandi potestatem concessit. In huius ergo rei figuram leprosos ad se advolantes remittit ad Sacerdotes cum præcepto sese illis ostendendi. Vnde in his verbis pauculis; *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*, ad confessionem bonam conditiones requisitæ insinuantur.

Confessio qua bona dicatur.

P. 1.

Primò confessio voluntaria esse debet, agnitoque peccato non diu differenda, sed acceleranda. Hoc significatur cum dicitur: *Ite*, non compulsi scilicet non tracti, non inviti, sicut illi qui in tormentis crimina sua fatentur, sed voluntariè ite, & animo prompto. Si quospiam solum in anno, vel in gravi periculo mortis tantummodo confiteri contingat, nonne videtur quadam ratione extorta confessio? Non potest ita esse tunc voluntaria, aut Deo grata, quandoquidē comminationes Ecclesiæ vel mortis timor ad eam compellunt, & ideo magis servilis est obedientia quam filialis. Sicut ergo servi illo Domino nauseam movent & fastidium, qui nihil operis aut obsequii exhibent, nisi minis & baculo adacti, sic & illi supremo Domino. His itaque dicitur: Ite cordis pede celeri, affectu prompti, profanta & salute assequenda, ne differre de die in diem tardi grados edit Deus, & tandem in pœnam dilationis æterna privat salute. Hi leprosi magna cum diligentia venerunt ad Dominum, occurrerunt ei cum festinatione oblata oportunitate, eius mandatum impleverunt cum acceleratione pergentes sine mora ad Sacerdotes, & ideo salutem invenerunt; hos imitetur peccator, si medelam velit reperire. Audiat quid dictum sit Naamau, dum tergiversaretur audito consilio Elisæi: *Vade lavare septies in Iordane.* Dicunt enim ei famuli: *Pater, si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debuerus, quanto magis quia nunc dixit tibi; Lavare, & mundaberis?* Similiter sibi dictum existimet quilibet peccator: Si res quamlibet ardua, & grandis tibi præciperetur, etiam obedire deberes quanto eyus pro salute animæ tuæ; nunc autem solum dicitur tibi; Vade, ostende te Sacerdoti, an cunctari ultra deberes?

4. Reg. 5.

Secundo confessio nuda debet esse & aperta. Hoc significatur dum dicitur: Ostendite, id est, manifestate, & aperite cum libertate quicquid latet in vobis, quicquid conscientiam vestram remordet, quicquid mali egestis vel cogitatione, vel sermone, vel opere. Nolite quicquam abscondere, nolite quicquam tegere, vel subticendo, vel mentiendo, vel verborum palliatione, vel alia excusatione. Ostendite ergo vos, & omnino ostendite, ut Sacerdos possit de lepra vestra judicare, & penitus eam expurgare. Ostendite vos perfectè medico, quia vulnus quod non ostenditur, non sanatur. Quod ignorat, medicina non curato, si culpa non remittitur, quæ Sacerdoti non ostenditur. Infelix ille qui tandem cogitur conqueri verbis Psalmistæ: *Putruerunt, & corrupta sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Quando nam putrescunt & corrumpuntur animi cicatrices & vulnera propter insipientiam, nisi quando peccator non vult sua ostendere peccata? O insipientiam, facilem recusare medicinam ad periculosissimam sola ostensione sanandam plagam! peccati confessio quædam est vulneris ostensio & ruptio. *Quia salubriter peccati virus aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente. Vulnera cutis in superficiem trahunt humorem putredinis, sic confitendo peccata, malum in nobis latens aperimus*, inquit S. Greg. hom 49. in Evang.

P. 2.

Psal. 37.

Tertiò, Confessio debet esse pura. Quapropter hic dicitur: *Ostendite vos.* Multi sunt qui nō seipsos sed alios in confessione ostendunt, se enim quadam ratione excusant, & in alios peccata sua rejiciunt. Sic sæpe mulier in virum, vir in mulierem culpam rejicit: Ancilla in Dominam, quā morosam, & impatientem dicit: Domina in ancillum, quam accusat rebellem. Sic puella lapsa accusat juvenem peccati consortem, à quo dicit se existimare philtrum aliquo accepisse, & similia. Errata aliorum in confessione recitare, vel etiam personam complicem sine necessitate revelare illicitum est, & contra pu-

P. 3.

ritatem

ritatem confessionis militat; nec tam est seipsum, quam alium Sacerdoti demonstrare & ostendere. Hoc ergo est præceptum istud Domini non satis advertere: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* Vos, inquit non alios. Sed de his, & aliis confessionis bonæ conditionibus dixi copiosè in Candelab. Myst. tract. 5. lect. 7. Vide ibi.

Cæterum & hoc advertendum est, quod leprosi hi dum irent, mundati sunt. Assecuti sunt sanitatem antequam ad Sacerdotes pervenirent. Velocem obedientiam festina sanitas est subsecuta, & divina gestum est providentia, ut antequam ad Sacerdotes pervenirent, mundarentur; ne si in eorum præsentia mundari contigisset, dicerent suo ministerio non mittentis virtute mundatos. Non absimili modo contingit nonnullis nunc peccatoribus, quod gratiam consequantur, & mundationem antequam accesserint ad Sacerdotem; si nimirum perfectam contritionem habeant cum firmo proposito confitendi; nam per contritionem culpam deleri cum ordine ad claves, Theologorum est probata sententia. Cui favet illud Psaltis: *Dixi confitebor adversum me in justitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Quem locum sic interpretatur Venerab. Beda: *Dixi in proposito meo quod confitebor Domino, & adhuc non erat verbum in ore, & jam auris Domini erat in corde, quia eu statim Domino cùm hoc proposui, iniquitatem remisisti mihi.* Psal. 31.

PARS II.
De imitanda gratitudine Samaritani.

DIgnus est consideratione hic Samaritanus ad Christum rediens ut gratias agat reliquis peringratitudinem se beneficio indignos ostendentibus. Excellens fuit beneficium ei præstitum, oculos fidei aperuit ut id intelligeret, & valorem ejus eximiè pensaret, gratumque animum omni qua posset ratione, declararet. Unde dicit Evangelista.

Samaritanus tribus modis gradus est.

1. *Vt vidit quia mundatus est*, hoc est, ubi hoc diligenter consideravit, & in bilance cordis beneficium hoc pietatis expendit, regressus est ad benefactorem. Triplici autem ratione suam declarat gratitudinem. 1. Magna voce Deum glorificavit, & alios ad idipsum secum hac ratione excitavit, & invitavit. Magna, inquam, voce hoc fecit, quia magnam Dei potentiam in tam subita sanitate restituta agnovit. Magna voce, quia magnam misericordiam magnæ suæ miseriæ subvenientem expertus est. Magna voce, quia magnum concepit de sanitate gaudium, quod jam è corde prorumpit in gratia-

2. rum actione. 2. Gratitudinem suam declaravit dum cecidit ad pedes Domini, magna animi demissione, magna fide evidenter ostendens se Christum ut Dominum & Deum agnoscere, quem in faciem supplex cadens vult adorare. Signum certe suæ dat electionis, quia piorum est & electorum in faciem cadere, ut notat S. Gregor. reproborum autem signum est cadere retrorsum. Sic de persecutoribus Domini dicitur; quodillo pronunciante; *Ego sum*, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Item Joan. 18. de ascensore equi, hoc est, de eo qui in hujus mundi gloria elatus est, dicitur: *Cadat ascensor ejus retrò.* Gen. 49. De Heli quoque scriptum est, quod cadens de sella 1. Reg. 4. retrorsum fractis cervicibus expiravit. De discipulis autem Domini legimus, quod cernentes Matt. 17. gloriam transfigurati Domini ceciderunt in faciem suam. item 24. Seniores ceciderunt in facies suas, & adoraverunt viventem in sæcula sæculorum. Electi si interdum per culpam cadunt, in faciem cadunt, & vident ubi cadunt, citoque opitulante Dei gratia resurgunt, quia se lapsos esse non nesciunt. Reprobi verò qui retrorsum cadunt, periculosè cadunt, quia non vident ubi cadunt, *Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruunt.* Prov 4. Lapsi & graviter collisi se lapsos esse nesciunt, 19. quia pecceta sua parvipendunt 3. Gratitudinem suam disertis verbis declaravit gratias agens Christo Domino. Placuit vero ei maximè ista hominis gratitudo, istud officium pietatis, ista gratiarum actio; unde publicè factum laudat tanquam obsequium sibi gratissimum, tanquam ad gloriam Dei magnopere pertinens, tanquam commendarionem promerens. *Non est inventus*, inquit, *nisi hic alienigena qui daret gloriam Deo.* Postmodum subdit: *Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit*; divini oris sui affatu eum perfectam salutem assecutum pronuntiat per fidem & gratitudinem. Sed adverte quod ultra eum non remittit ad Sacerdotes, quia nil aliud Deus requirit, quam se glorificari, animique grati laude, & gratiarum actione contentus est, cùm ei nihil gratius possit offerri. Hoc notat his verbis Tertull. lib. 4. in Marcionem. *Vnde & unum illum ex decem memorem gratiæ Samaritem miratus Dominus, non mandat offerre munus ex lege, quia satis jam obtulerat gloriam Deo reddens.*

Verè hic Samaritanus imitandus est in hac Dei glorificatione, in hac humili demissione, in hac pia gratiarum actione, Felix quilibet Christianus, qui ad singula dona gratiæ redit ad eum in quo est plenitudo gratiarum. Audi S. Bern. serm. 13. in Cant. *Ad singula dona Deo gratias fundenda.*

Ad locum unde exeunt revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant; remittatur ad suum principium cœleste profluvium, quo uberius terræ refundatur. *Qualiter inquis? Qualiter dicit Apostolus, in omnibus gratias agentes.* 1. Thess. 5. Ingratus corvus non rediit ad Gen. 8. Noë, à quo tot acceperat beneficia; rediit columba olivæ virentis ramum ore ferens; sic & animus gratus, animus columbinus, considerans quod per Christum à diluvio sit salvus, ad eum redit, gratiarum laudem quasi olivæ ramum offerens & referens. Hoc ergo fecit hic Samaritanus dignus laude, sicut & alter Samaritanus laude dignus fuit, ob opus misericordiæ exhibitum semimortuo. Similiter laude digna & alia Samaritana Luc. 10. ad puteum potata, annuncians ubique postea gratiam Domini. Sic non est personarum acceptor Joan. 4. DEus, sed gratum animum semper habet acceptum in quacunque gente; ingratum verò fastidit & repel-

& repellit. Ecce Samaritanus iste, licet alienigena, à Domino collaudatur: Israelitæ autem sanati ab ipso nonne ob ingratitudinem sunt exosi? Gratior illis fuit Samaritanus; gratior & ille de regione Gerasenorum à Dæmonio liberatus, qui ubi se liberum agnovit, nolebat à benefactore liberari, sed obsecrabat indivisibiliter esse cum illo. Ipsum tamen Dominus remisit, dicens: *Vade in domum tuam ad tuos, & annuncia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui. Et abijt, & cæpit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset* Iesus *& omnes mirabantur.* Sic Dominus pro beneficiis quibuslibet impensis non postulabat aliud præter gratiarum actionem, & divinam laudem. Neque tamen ad sui sequelam admisit id supplicantē Gerasenum istum, vel etiam hunc Samaritanum, indicans nō omnes vocari ad sequelam illam Christi perfectam: quia vult quosdam inter sæculares curas agere, & ibi suam voluntatem secundum statum suum & vocationem adimplere. Immò dicunt nonnulli sacri Interpretes, nullos de his quos curavit ad sui sequelam admisisse, ne videretur ob eam causam eos sanasse, & id beneficii ab eis requirere; quapropter dicere solet post curationem: *Vade in pace*: quomodo dixit & huic Samaritano.

Marc. 5. a

Sic etiam olim Naaman Syro dixit Elisæus Propheta; *Vade in pace*, quia & ipse animum maximè gratum, tum erga Deum, tum erga Elisæum exhibuit à sanitate. Cum enim juxta sermonem viri Dei descendisset in Iordanem, & lavisset se septies, caroque ejus sicut caro pueri parvuli esset restituta, reversus est ad virum Dei cum universo comitatu suo, & stetit coram eo & ait: *Verè scio quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum in Israel: Obsecro itaque ut accipias benedictionem à servo tuo.* Reculavit quidem dona Elisæus, quia gratis omnino voluit sanitatem impendere, ejus tamen gratum animum erga Deum acceptans, dixit: *Vade in pace.*

4. Reg. 5.

Ecce non solum Samaritanus hic noster, sed & Naaman alienigena ingratitudinem condemnat novem Israëlitarum de quibus conqueritur medicorum Iesus: *Nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt?* Verterunt hi dorsum fonti postquam ex eo hauserunt, verterunt dorsum altari postquam dona ex illo perceperunt, obliti sunt Christi Medici, & Benefactoris sui postquam sanitatem ab eo perceperunt. Hoc est ingenium mundi beneficia inscribere pulveri, moxque ea oblitterare & oblivisci. Similes sunt plerique Præposito pincernarum Pharaonis, cui cùm Ioseph prospera nuntiasset de liberatione è carcere, & restitutione in statum pristinum, adjecit: *Tantùm memento mei, ut suggeras Pharaoni ut educat me de carcere, quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens missus sum.* Sed succedentibus prospiris, Præpositus pincernatum *oblitus est interpretis sui.* Nimirum Ephraim & Manasses fratres sunt ex eodem patre & matre, & coniunctissimi sunt vixque contingit eos separari. Ephraim, id est fructificans, significat abundantiam & prosperitatem. Manasses, id est, oblivio, significat ingratitudinem quæ inducit oblivionem. Itaque fratres sunt Prosperitas & Oblivio, vixque separantur ab invicem, quia prosperitas secum ferè ducit oblivionem & ingratitudinem. Sic succedentibus prosperis, oblitus est ille interpretis sui. Sic Ægyptus & Pharao mox oblivioni tradidit Ioseph. Sic novem à Domino consecuti sanitatem, obliti sunt Medici & Benefactoris sui. Sic nonnulli Christiani, qui in adversis vel ægritudine multa vovent jejunia, eleemosynas, peregrinationes, pœnitentiam & mutationem vitæ, è periculis liberati vota sua tradunt oblivioni, illaque negligunt ingrati. Sic claudunt Dei manus beneficas, sic exsiccant fluenta gratiæ ejus, fontem pietatis, foreta misericordiæ; quia cum se ingratos efficiunt, novis reddunt beneficiis se indignos; sicut è contra qui gratus est, majora meretur accipere beneficia.

Mundus beneficia inscribit pulveri.

Gen. 40.

Gen. 41.

Exod. 1.

Sed unde novem isti ita ingrati facti sunt, qui Christum tanta fide quæsierant, qui ei tanta diligentia occurrerant, qui ad eum vocem, & desiderium tanta pietate levarant, inclamantes: Iesu *Præceptor miserere mei?* Cur etiam lepra in eos mox non est reversa, quandoquidem ipsi non sunt reversi, sicque indignos sanitate sese exhibuerunt? Dicendum absque dubio leprosos omnes optima fide, & sancta dispositione præditos fuisse, dum Domino occurrerunt, & sanitatem pio cordis desiderio postularunt, ita ut non solum corporis, sed etiam animæ sanitatem consecutos fuisse piè existimemus, secundum sententiam S. Augustī & S. Thomæ, qui dicunt Dominum neminem sanasse corpore, quin etiam simul sanarit anima & mente. Sed curatio Christi licet præstaret salutem animæ, non tamen confirmabat in gratia: potuerunt ergo hi in gratia accepta non perseverare, & propria levitate vel malitia in deterius commutari. Multorum est bene inchoare, paucorum vero perseverare; multi licet caput aureum gerant, brachiaque argentea, postmodum tamen desinunt in æs, fictum, & lutum. Hoc facit propria inconstantia, vel etiam persuasio aliorum. Sic nonnulli interpretes dicunt hos novem Iudæos depravatos fuisse à Sacerdotibus, ad quos missi sunt, fuisseque eis persuasum quod à Christo non fuerint mundati, nec ejus beneficio, sed propter legis observantiam sic se fuisse sanatos. Invidebant enim Christo, ejusque miraculis & doctrinæ, & ubi poterant, illis fidem derogabant. Horum ergo suasu à Christo hi averti potuerunt, & à fidei firmitate excidere. Neque tamen propterea voluit eos Dominus lepra denuo inficī; quia non omnes ingratos mox solet Deus punire, sed potius ad pœnitentiam expectare. Nec in illos leprosos beneficus extitit quasi expectans ab illis retributionem. Per id etiam significari potest, peccata jam remissa propter ingratitu-

3. p. q. 69. art. 3.

Cur novem ingrati.

gratitudinem non redire, quamvis gravis sit culpa ingrati.

Ingratitudo detestanda.

Detestemur interim cum Domino ingratitudinem, tum illorum, tum nostram. Quis est qui majora non percepit à Domino beneficia, quam sanati hi leprosi, tum per peccatorum frequentem condemnationem, tum per liberationem à damnatione meritis Christi nobis in dultam? Et tamen quotusquisque est qui cum ingratitudine frequenter non incidat, & Dei beneficia tanta parvipendat? Si graviter conqueritur Dominus. *Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt?* Et nos quid dicemus? Novem ubi sunt? Centum ubi sunt? Mille ubi sunt? Millia ubi sunt? Ubi, inquam, sunt innumeri qui beneficiis Dei adornati gratiam negligunt & salutem? Retrorsum abeunt, nec te vertuntur ad benefactorem, ideoque pereunt. Metuendum certè ne ex his qui sacramento baptismi à lepra peccati originalis mundantur, vix unus postmodum in divina gratia persistat. Metuendum quoque ne ex decem qui peccata sua confitentur, quandoque vix unus Dei gratiam percipiat. O detestanda hominum ingratitudinem, qui divinis beneficiis abutuntur!

Cóclusio.

Sed cludens ad te Domine vocem corporis, votumque cordis mei converto, & cum his leprosis inclamo: Iesu *Praceptor miserere nostri*, præcepto tuo omnem animi lepram à nobis propellere digneris, ut tibi serviamus in munditia & sanctitate. Non inhæreat nobis lepra Regis Oziæ, lepra præsumptionis & superbiæ. Non lepra Giezi lepra avaritiæ. Non lepra Ioab, quæ designat lepram luxuriæ, dicente Davide: *Non deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens & leprosus.* Non lepra Mariæ sororis Moysis, quæ fuit lepra invidiæ. Non lepra gulæ, quæ designata fuit in quatuor leprosis castra Assyriorum ingressis, & ibi sese ingurgitantibus. Non lepra Naaman, quæ designavit lepram iræ, & impatientiæ, dum indignatur Elisæo Prophetæ. Non denique lepra manus Moysis, quæ manui ejus adhæsit, dum eum intra sinum conclusit, quæ significavit lepram acediæ. Sed expurga benignitate tua lepram hanc septuplicem: immo omnem lepram capitis, cordis, domus, vestis, sana in nobis. Fac ut perfectè eam ostendamus tuis Sacerdotibus, nihilque occultemus. Denique impertire nobis veram gratitudinem mentis, ut agnoscentes nos per te sanos, cum humilitate & pietate, cum voce laudis, & gratiarum actionis revertamur ad te cum Samaritano, & gloriam demus Deo toto corde, toto animo.

Diversa Spiritualis lepra exemplificata.

2. Par. 6.
4. Reg. 5.
3. Reg. 3.
Num. 12.
4. Reg. 7.
4. Reg. 5.
Exod. 4.

* * *

DOMIN. XIV. POST PENTECOST. Lect. 22. bipart.

Non potestis Deo servire & Mammonæ.
Matth. 6.

EVangelium istud desumptum est ex divino Domini sermone in monte, ubi cum post nonnulla documenta sacratissima superbiam, vanamque gloriam (quæ primum est capitale vitium) fugiendam docuisset; incipit differere contra avaritiam tanquam radicem multorum malorum. Atque ut eam penitus eradicet, docet abjiciendam nimiam terrenarum rerum sollicitudinem, fiduciamque in Deum projiciendam, atque æterna bona appetenda. Quæ non mala utique ex avaritia & terrena cupiditate oriuntur? Audi Cassiodorum: *Reginam illam procacium vitiorum avaritiam fuge, cui cuncta crimina detestabili devotione famulantur, quæ dum pectus hominis ingressa fuerit, gradatim quoquo malefica cohortes admittit. Ferri non potest recepta, quia nescit esse solitaria; agmen habet blandissimum, arma suscipit ex talentis.* Idem dixit Apostolus, asserens eos *qui volunt divites fieri, incidere in tentationem, & in laqueum diaboli*, vel in multa desideria nociva, quæ hominem mergunt in interitum & perditionem. Secum ergo ad radicem hanc pessimam cupiditatis terrenæ admovet Dominus, ut exscindat eam funditus. Atque in in primis Proverbium quoddam generale proponit, ut à rerum terrenarum cupiditate, & servitute ad divinam servitutem, & æternorum desideriorum nostram sublevet mentem, detersa cæcitate, quàm avaritia solet inducere. *Nemo*, inquit, *potest duobus Dominis servire.* Hoc maximè verum est, quando diversi sunt humoris, ita ut quod uni placet, alteri displiceat, quando diversa solent imperare. Exinde infert Dominus: *Non potestis Deo servire & Mammonæ*; quia nimirum hi duo Domini planè inter se dissident, & contraria præcipiunt. Mammonam autem vocat divitias, sive dæmonem injustis divitiis & lucris præsidentem, dominantemque super his qui diligunt mundum. Hunc etiam Plutum Antiqui nominarunt, quem Deum divitiarum dixerunt, simulque Deum inferni; sicque significasse videntur divitias ad inferos ducere. Ea propter dicit S. Chrysologus serm. 29. *Aurum nascitur in terra profunda, sectatur Montium fundamenta, perque ima venarum cæca discurrit antra: rectibus, & dum suam semper repetat ad naturam, cælestes animos ad inferna deponit, obscuras sensus, semper alta mentium in terrena demergit.* Sic etiam scribit Plutarchus in una urbium Sparta divitiarum Deum servari cæcum & jacentem, ut picturam inanimatam & immobilem. Et Clemens Alexandrinus Plutum cœcum natum ab Ethnicis creditum esse scribit, utpote, qui statim atque homines possederit, eos excæcare soleat; id est, omnem ab eis mentem & rationis lumen

Ingratitudo detestanda.

PARS I. *Quomodo impossibile servire Deo & divitiis.*

1. Tim. 6.

auferre. Merito igitur Dominus pronunciat: *Non poteſtis ſervire Deo & Mammonæ.* Quaſi dicat: Non poteſtis Deo cœli ſervire, & Deo ſimul inferorum; Deo lucis, & Deo tenebrarum; Deo Clarevidenti, & Deo excæcato; & excæcanti: Deo vero & dæmoni quitamquam Deus vult adorari, & vobis imperare. Eorum nempe præcepta planè ſunt adverſa. Deus præcipit humiliratem, diabolus ſuperbia delectatur. Deus præcipit manſuetudinem & patientiam, dæmon inſtigat ad iracundiam & impatientiæm. Deus amat caſtitatem, & puritatem, dæmon impellit ad impudicitiam & fœditatem. Deus vult ſobrietatem, dæmon proponit gulam & voluptatem. Deus imperat charitatem, dæmon ſerit invidiam & diſſenſionem. Deus vult contemptum ſæculi, dæmon avaritiam, & cupiditatem imperat ſæcularem. Deus vult omne tempus honori ſuo addici, dæmon vult detractioni, commeſſationi, divitiarum corraſioni, vel aliis vitiis impendi. Hic eſt ergo Mammona, Deus falſus fallacium divitiarum. Hic eſt Princeps hujus ſæculi immundi. Hic eſt Princeps inferorum, Princeps tenebrarum, cujus ſervitus non compatitur ſecum ſervitutem Dei, cujus tenebræ non conveniunt cum lumine cœli. *Quæ enim ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Beliat? Quis conſenſus templo Dei cum idolis.* Iterum ergo atque iterum repetimus cum Domino: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ.*

5. Cor. 2.

Exemp. ſervientium Deo & Mammonæ.

Judas.

Non poteras, ô infelix Iuda, Deo ſervire & Mammonæ, ideo ut placeas Mammonæ Dominum & Deum tuum excæcatus vendis, & quia tenebras excæcans pecunia menti tuæ obfudit, illum in nocte & tenebris tradis. Excæcatior autem poſtmodum adhuc efficeris, dum argenteos ad eis templo, teipſum laqueo; ficque ſuſpenſus crepuiſti medius, effuſis in terram viſceribus infeliciſſimè.

Giezi.

Non poteras ſervire Deo & Mammonæ; O miſer Giezi, ideo dum munera Mammonæ ſectaris, accipiens pecuniam à Naaman jam ſanato à lepra, Eliſæi perfunderis maledictione. *Accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & ſervos, & ancillas, ſed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo uſque in ſempiternum.* Hæc ſcilicet merces tua in ſervitute Mammonæ promerita.

4. Reg. 5.

Ananias & Saphira.

Non poteratis ſervire Deo & Mamnonæ, ô Anania & Sapphira, & ideo quia cor adhuc habebatis in poſſeſſionibus Deo oblatis, & inſtigante Mammona defraudaſtis de pretio agri divenditi, quod afferebatis ad pedes Apoſtolorum, & mentiti eſtis Spiritui Sancto, maledictionis fulmine à Petro percuſſi, cæleſti ultione profligati ſubitò expiraſtis.

Act. 5.

Balaam.

Non poteras ſervire Deo & Mammonæ, ô impie Balaam, & ideo dum pecuniam, & mercedē vis accipere impulſus avara cupiditate, ut maledicas populo Dei, increpationem accipis ab Angelo, quem prius Aſina tua eum gladio verſatili, videt quam tu cæcatus à Mammona. Sic maledictionem in benedictionē cogeris vertere, & cæcitatem tuam fateri, dum ais: *Dixit homo cujus obſcuratus eſt oculus, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.* Excæcatus nimirum erat oculus tuus per avaritiam, & cor obtenebratum, quamvis per ſcientiam propheticam viſionem habueris Omnipotentis te ad meliora compellentis.

Num. 24.

Non poteras Deo ſervire & Mammonæ, ô ſtulte dives, qui cogitabas intra te, dicens: *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* Et dixiſti: *Deſtruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia qua nata ſunt mihi, & dicam animæ: Habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, bibe, epulare.* Hoc tibi ſuggerebat Mammona, cujus deditus eras ſervituti. Sed tibi è contra dixit Deus: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, & qua paraſti cujus erunt?* In te etiam monentur reliqui, dum adjicitur: *Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.* Nocte non die anima tua reperitur, quia à varo ſemper nox eſt, à tenebris incipit, & in tenebris perſeverat. Dignus quoque es, qui neſcias quo ſucceſſore dimittas id quod neſcis, quo largitore poſſideas.

Luc. 12.

Non poteras Deo ſervire & Mammonæ, ô improbe Simon, & ideo quia ſuggerente Mammona exiſtimaſti donum Dei poſſe pecunia poſſideri, Spiritumque ſanctum vendi & emi, dicitur tibi: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Cor tuum non erat rectum coram Deo, quod pecunia erat depravatum.

Errant igitur plerique homines hujus ſæculi, qui exiſtimant ſe poſſe Deo ſervire & Mammonæ, Deo & cupiditati ſuæ obſequi. Accedunt quandoque ad Deum, & ejus obſequium, Miſſæ ſacrificium audientes, verbum Dei excipientes, eleemoſynam aliquam largientes, jejunia & feſta obſervantes. At alia ex parte volunt ſervire propriæ voluntati & cupiditati dum per fraudes, & injuſtitiam bona accumulant, dum aliena non reſtituunt, dum vindictam & odium fovent, vel aliis vitiis dediti ſunt. Quot vero peccata, tot ſunt idola quibus ſervivunt, & tot Domini. *Qui facit peccatum, peccati ſervus eſt: & à quo quis devictus eſt, huic & ſervit. Et Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus cui obeditis.* Ideo Diogenes Alexandre ſe Dominum orbis jactanti reſpondit: *Tu ſervus ſervorum meorum es. Illis enim cupiditatibus quibus ego impero tu mancipium es, ad eas explendas cœlum & terram miſcens.* Audi & Poëtam:

2. Pet. 2.

Rom. 6.

Claudius

Si metuis, ſi pravæ cupis ſi duceris iræ,
Servitij patiere jugum, tolerabis iniquas,
Interius leges.

Propria excellentia idolum eſt tibi dominans, cui ſervis in ſuperbia.

Cupiditatum mancipia

Proprium judicium idolum eſt tibi dominans, cui ſervis in hæreſi.

Propria

Propria voluntas idolum est tibi dominans, cui servis in inobedientia.

Venter tuus idolum est tibi dominans, cui servis in ebrietate & crapula.

Voluptas carnis idolum est tibi dominans, cui servis in luxuria.

Passio inordinata idolum est tibi dominans, cui servis in ira & invidia.

Cupiditas terrena idolum est tibi dominans, cui servis in avaritia.

Sic & de aliis vitiis. Non ergo illis potes servire, & Deo. Non potes in ara cordis tui idolum Dagon ponere cum Arca Dei, nec unum genu flectere coram idolo, & alterum coram Arca, sicut volebant facere Philistæi. Non potes in duas partes claudicare, modo sequendo Baal, modo obsequendo Deo Israel. *Si Dominus est Deus, sequimini illum, si Baal est Deus, sequimini illum*, Elias Propheta, Vsque quo in duas partes claudicati, ô medii Christiani, modo Satanam sequentes, modo Deum? *Væ duplici corde, væ ingredientibus duabus viis terram.* Væ illis qui putant se posse oculo uno respicere cœlum, altero terram. Væ illis qui diverso semine agrum cordis sui seminant, amorem Dei, & mundi putantes se posse commiscere. Væ illis qui volunt dividere cor suum sicut meretrix Salomonis infantem, ut partem dent Deo, partem Mammonæ, seu Satanæ *Vnum Vni*, dicebat B. Ægydius S. Francisci socius. Vnum cor uni Deo dandum. Stratum cordis angustum est, ita ut alter decidat, Pallium breve est quod utrumque operire non potest. Sit ergo Deus noster Deus cordis nostri, excluso Satana & Mammona, cõsecretur gratiæ divinæ excluso peccato, consecretur Areæ exclusoDagon: quando quidem utriusq; obsequiũ, Dei scilicet & Mammonæ, asseruerit Dominus non posse simul consistere, jam nemini liceat dubitare.

An divitiæ Deo servire possint.

Hoc intetim adverterunt SS. Patres, non dici hic à Christo, Non potestis esse divites & servire Deo, id enim potuerunt Abraham, Iacob, Tobias, & alii. Sed dicitur; Non potestis servire divitiis & Deo. Illæ nimirum servire debent homini, non autem homo illis; *Qui divitiarum servus est, illas custodit ut servus, qui servitutis excussit jugum, illas distribuit ut Dominus*, inquit S. Hieron. Bonus ergo dispensator non est servus divitiarum, sed illi sunt adjumenta virtutis, quæ avaro sunt impedimenta salutis. In illis non figit spem, sed utitur præsentibus, ut vitæ hujus necessitati consulat, vel ut pauperum inopiæ succurrat, vel ut his pie erogatis peccata sua redimat: nec quærit illas per mala opera in mundo, sed servat eas per bona opera in cœlo, ut loquitur S. Augustin. epist. 89. Itaque S. Chrysostom. Hom. 2. in Matth. sic differit hac de re. Noli mihi contra hanc sententiam Domini proferre divites, sed profer divitis servientes. Alioqui etiam Iob erat dives, non tamen pecuniæ serviebat, sed divitiis, ut congruit, imperabat; nec earum erat famulus, sed Dominus. Non modo aliena non rapiens, sed propria quoque largiens indigentibus, ne quidem se illa habere gaudebat? Si lætatus sum quia mihi multæ essent divitiæ. Vnde quia gaudium de possessione non habuit, dolorem ab amissione non pertulit. *Dominus dedit*, inquit ipse, *Dominus abstulit. Nudus egressus sum de utero matris, nudus revertar.* Itaque qui divitias habet, nec inde superbit, aut violentus est, aut in illis non præfidit, sed illas impotentibus partitur, vere Dominus illarum est? quia divitiæ illum non tenent, sed ipse divitias: è contra qui inde superbus est, aut violentus, aut avaritia constrictus neminì eas partitur, servus est divitiarum; quia devitiæ illum tenent, non ipse divitias. Hoc ipsum est quod monet Psaltes: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Quasi dicat, Nolite animum illis immergere, nolite de affluentia illorum vos ingutgitare.

Olim Gedeon milites suos ad aquas ducens, illos à se eligendos cœlitus est edoctus, qui lingua lamberent aquas, manu ad os eas projicientes, & in transitu bibentes; illos vero à se rejiciendos esse, qui curvatis genibus in terram ad satietatem biberent, & quoddammodo se injurgitarent terræ & aquis flexo poplite inhærentes: Sic à Deo reprobantur qui fluxis hujus sæculi divitiis sic inhiant, ut in terram postrati eis incubent, easque bibant: illi vero qui parce illis utuntur, quasi in transitu bibentes, & manu eas tenentes, nec illis nimium inhærentes, eliguntur à Domino. Sed sicut pauci fuerunt manu leviter bibentes, trecenti scilicet viri, tota autem reliqua multitudo ad bibendum in terram se projecit; sic & pauci sunt qui fluxis hujus sæculi bonis parce, & cum mensura utuntur plurimi illis corde adhærent, & corpore, cum ingluvie & intemperantia, ideoque multi inveniuntur reprobi.

Cæterùm; si ad omnes Christianos hoc meritò dirigitur; *Nemo potest duobus Dominis servire, non potestis Deo servire & Mammonæ*: quanto ampliori ratione id viris Ecclesiasticis, qui se Christi servos & ministros profitentur, id inculcatum esse debet, ut ab avaritia manum, animumque cohibeant? Propterea in monte hunc sermonem pronuncias loquebatur Christus Apostolis & discipulis suis, eorumque successoribus. Prævidebat nimirum nonnullos futuros, qui se ministros Dei dicerent, & nihilominus Mammonæ & avaritiæ servirent. De his dicebat S. Brigitta lib. 4. cap. 126. *Cum temporalia ista appetuntur & offeruntur, sic excæcant oculos animæ & rationis, quod dulcius videatur stare cum Sampsone ad molam curas mundialis quam cum sponsa Ecclesia ad dispensationem curæ Pastoralis.* An pauci Ecclesiastici tales sunt, quibus suavior videtur sollicitudo volubilis rerum volubilium, quam dispensatio æternarum: An non citius currunt ad molam proprii lucri, quam ad curam proprii officii? Imitantur hi Giezi servum Prophetæ Elisæi, qui cupidas pecuniæ etiam se reddidit obnoxium lepræ, Similiter & ipsi

Iob. 31.
Iob. 1.
Psal. 61.
Iudic. 7.
Ecclesiastici maximè manum & animum ab avaritia cohibere debent.
4. reg. 5.

& ipsi dum solliciti sunt ut bona sæculi acquirant, simul etiam sæculi, lepram incurrunt, cupiditatem avaram, voluptatem amaram. Non sic Apostoli, & discipuli Domini antecessores nostri, in quibus emicuit contemptus sæculi. Longe ab eorum corde aurum, longè crumena fuit & manu: *Aurum & argentum non est mihi*, dicebat Petrus Apostolorum Princeps: vox digna Apostolatu, digna Ecclesiæ Principatu. Qui aurum non habet, virtutem habet. Quid hac Paupertate ditius? Quod autem habeo, hoc tibi do. *In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.* Pauper est Petrus censu, dives certè fide & spiritu. Vnde S. Ambros. in Lucam lib. 7. *Petrus gloriatur se non habere aurum, pudor vobis est minus habere quam cupitis. Est ergo paupertas gloriosa: quia est & beata, de qua scriptum est: Beati pauperes spiritu.* Elias pauper erat, & cœlo imperat, nec descendit è cœlis ros & pluvia nisi juxta oris ejus verba. O rem mirabilem, inquit S. Chrysost. *Nec vestem habet, nec panem, & cœlum claudit: quia nihil hic possedit, multam exhibuit potestatem, ut ad ejus vocem innumeri è cœlo thesauri laberentur. O sanctum os cui fontes imbrium inerant! O vocem, bonis omnibus scaturientem!* Sic qui aurum & terrena contemnunt, cœlestia bona possident & dona, ut Elias, ut Petrus.

Actor. 3.

Chrysost. lib. de constantialitate filii.

S. Thomas quodam die fertur ad Pontificem Innocentium IV. advenisse, ea autem hora numerabatur magna summa auri signati, coram Pontifice. Tunc dixit ei Pontifex: *Vidisne Thoma Ecclesiam non amplius sicut olim cum adhuc esset in exordiis suis dicere posse; Aurum & argentum non est mihi.* At ille modestè respondens, subjunxit: *Fatendum id Pater Sancte sed etiam Ecclesia modo non potest sicut primitiva claudo dicere? Surge & ambula, ac sanus esto.* Ita testantur, & referunt graves Auctores.

Referunt & alii, quando Constantinus Imperator tot divitiis, totque possessionibus adornavit Ecclesiam, auditas fuisse publice voces Angelorum per aëra volitantium, & inclamantium: *Hodie cecidit venenum in Ecclesiam Dei.* Non quod divitiæ successu temporis regimini Ecclesiastico non conveniant: sed quia illis postmodum nonnulli abusuri forent, non tam Ecclesiæ servientes propter Deum, quam propter aurum.

PARS II.

De remediis contra servitutem Mammonæ.

CHristus Dominus remedium contra avaritiam, servitutem Mammonæ præscribens, dicit abjiciendam superfluam curam & anxiã sollicitudinem rerum temporalium etiam necessitati nostræ tam in victu quam in vestitu servientiũ, qua sublata etiam malesuada avaritiæ cupiditas extinguetur: *Nolite*, inquit, *solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, aut corpori vestro quid induamini.* Cum autem varias rationes afferat ad tollendam hãc sollicitudinem anxiam, & rotundam inde animi servitutem noxiam: omnes tamẽ fundamento eodem nituntur, divina scil. in nos cura & providentia, quæ numquam obdormit, sed semper vigil est, semper excubat in nostrum profectũ. Hoc asserit his verbis summariè omnia quæ dixit complectentibus: *Scit Pater vester quia his omnibus indigetis.* Quasi dicat? Sine eius cura sollicitudo vestra inanis est, & frustranea. Ipse vobis & Pater & Mater est, in ipsum curam jacite vestram, & cogitatum, ipse vos enutriet & vestiet & quæcumque conducunt, subministrabit. Estote tamquam infantes respicientes eum tamquam Patrem vos cibantem, respicientes tamquam Matrem vos lactantem & vestientem: licet videatur infans destitutus à natura, ita ut non possit sese induere, vel cibare, vel protegere à frigore, tamen mater ad minimum ejus nutum ubera applicat, nutrit, vestit, protegit, solatur, & de omnibus providet; immo nec expectat ejus nutum aut ploratum, quia hæc scit esse necessaria. Sic Deus erga nos se gerit ut Mater & Pater. *Scit Pater vester quia his omnibus indigetis.* Ipse est Pater filiorum amantissimus, & scit vos esse homines, non Angelos: scit vitam vestram esse corruptibilem & mortalem, ideoque egere alimento restaurante. Cur ergo in eum sollicitudinem omnem vestram non projiciatis, cui est cura de vobis? Estote filii, ipse non deerit unquam tamquam Pater curare quæ illius sunt, ipse vestra curabit. Si Patres provident liberis, quando eis adsunt facultates, & norunt filiorum necessitates: huic patri nihil deest, suorum vero necessitates, nullatenus eum latere possunt, amor quoque erga suos major est quam ullius Patris; injuriam ei igitur facit qui eius amori & providentiæ diffidit. Hæc est ratio generalis, & fundamentalis, qua nimia eximitur animis nostris sollicitudo cum anxietate & diffidentia conjuncta, quæ plerique sic quærunt temporalia & terrena, ut longe plus videantur illa curare, quam cœlestia, longè majori sollicitudine impulsi ad ea quæ sunt corporis, quam ad ea quæ sunt animæ & æternæ salutis. Hinc nonnulli ita cernuntur immersi iuis negotiis, ut videantur oblivisci vitæ cœlestis, dum tam festivis, quam aliis diebus illis vacant, illis incumbunt, dum sollicitudinem continuo suffocantem spiritũ intus alunt, exteriusq; exhibẽt. *O vana hominum curas, ò quantum est in rebus inane!* Hanc sollicitudinem anxiam diffidentem, dividentem, tollere hic nititur Dominus. Hanc etiam sancti viri non solum è corde suo, sed etiam è corde aliorum exterminare conati sunt verbo & exemplo.

Damnosa multorum sollicitudo.

S. Franciscus maxime oderat sollicitudinem nimiam in conquerendis illis quæ ad vitam spectant corporis. Ideo licet omnibus animalibus astici se significaret, minus tamen inclinationis, & affectus habebat erga formicas, quam erga alia animalia; & hoc quidem propter nimiam sollicitudinem, & diligentiam, quam exhibent ad accumulandum pro futuro ea quæ spectant ad victum & alimentum. Vnde dicere solitus erat has non meren esse de numero volatilium, de quibus dicit Dominus.

Resp. cite

Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea. & Pater cœlestis pascit illa. Sic docebat ipse suos instar volatilium cœli, cor in providentia Dei habere, nec instar formicarum sollicite velle congregare. Cum quodam die in agro Diœcesis Citernensis magnus foret confluxus populi ad verbum divinum ex ejus ore suscipiendum, nec aptus foret locus in ea campi planitie ad annunciandum tantæ multitudini verbum salutis, accessit ad quandam quercum, quam ab infima parte ad summitatem usque comperit formicis coopertã. Mox verò congregato, & premente sese populo, jussit ut locum facerent, & viam formicis, & cum illis præceptum dedisset discedendi, abierunt illæ ea ipsa via, quam populus fecerat sese paulatim dividendo. Hoc miraculo indicavit illos qui instar formicarum ad congregandum sunt nimis solliciti, non esse aptos verbo Dei, quia sollicitudo nimia suffocat verbum & semen salutis. Quod itaque Sapiens pigros ad formicam remittit: *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam. quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, parat in æstate cibum sibi*, non tam monet pro sollicitudine, & provisione rerum temporalium, quàm pro provisione cibi spiritualis pro futuro, in tanta nunc commoditate, & oportunitate boni operis, & meritorum congregandorũ, ne inveniamur inopes & indigi tempore hyemis, hoc est, futuri judicii. Adverte etiam quod ubi nos legimus, *Vade ad formicam, ô piger.* Septuaginta Interpretes legunt *Vade ad apem.* Hæc industriâ suâ mel ceramque producit, non solum hominum, sed etiam Dei obsequio, ideoque eius utilis labor, & sapientia ad imitationem nobis proponitur & exemplum.

Prov. 6.

Anxia sollicitudinis mala.

Anxia itaque sollicitudo inutilis est & perniciosa, multa invehens mala tam corpori quã animæ: lædit valetudinem, abbreviat vitam, impedit quietem, enervat fidem, proterit & dejicit spem, refrigerat charitatem, distrahit orationem, parit desperationem Dei, inducit oblivionem animæ & corporis, quandoque ingenerat mortem. Hanc videmus in nonnullis parentibus, qui ut filiis opes acquirant, die nocteque non quiescunt, ægritudine animi & corporis licet confecti. Cui assimilabimus homines generationis huius. Similes sunt Pellicano, qui pectus suum dilacerare dicitur, ut pullos enutriat: sic enim illi totos sese dilacerant, animam frequenter corpusque lædentes, ut filiis divitias congregent, & propter illos pereunt. Similes iterum sunt araneo, qui se evisccrare dicitur, ut texturam volatilem brevique dissipandam contexat: opes enim tanto labore & sollicitudine aggregatæ, textura & filia sunt mox à vento dispergenda. Hi sunt enim divitiarum successus, ut & possessores suos eludant, & tanta sollicitudine, tantisque nonnunquam peccatis comparatæ brevi & miserè dissipentur, vel luxu delitiisque hæredum mox diffluant. Vnde & illud Horatij:

Nimium solliciti quib. assimilantur.

Absumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus, & mero
Tinget pavimentum superbo
Pontificum potiore cænis.

Hoc ipsum est de quo conqueritur Ecclesiastes: *Cùm me convertissem ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole. Rursus detestatus sum omnem industriam meam, quâ sub sole studiosissimè laboravi, habiturus hæredem post me quem ignoro, an sapiens, an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis quibus desudavi & sollicitus fui, & est quicquam tam vanum?* Explicat vanitatem in divitiis nimiâ sollicitudine congregandis illasque duas dat causas. Prima est ex mortis necessitate, quia velis nolis illas oportet relinquere, & in manus successoris tradere. 2. Quia nescis qualem hæredẽ sis habiturus, opes enim animũ solent immutare & ad vitia transferre; sic fortè non erit bene usurus, sed quæ tanto labore quæsivisti, mox disperget luxu, vel aliis modis. Addit & infra: *Homini otioso quasi dimittit, qui laborat cum sollicitudine, hæredem* scil. facit otiosum, qui ubi videt sibi affluere, honestum etiam exercitium & laborem cernitur refugere & detrectare. Annõ hæc quæ Sapiens nos edocet crebrâ experientia videmus? O infelices parentes infelici sollicitudine & labore confectos, nec sibi, nec aliis utili, propter quam fortè in pœnis detinentur, & filiis causa sunt vitii & exitii. Sed & ille inter omnes stolidissimus est, de quo: *Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius divitiis, nec recogitat, dicens; Cui laboro & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.* Cõtra hos omnes nimiâ sollicitudine distentos egregiè B. Prosper. lib. 2. de vita contemplativa c. 15. disputat. ubi inter cætera sic habet. Ecce jubet nobis imperiosa cupiditas, ut divina parvipendentes possessionum terrestrium damnosa compendia cogitemus: ut in eis totam sollicitudinem curamque ponamus, ut inde nos morbida nativitate jactemus, ut amplitudine patrimonii diffusioris elati, fieri pauperes spiritu negligamus. Sic jugo Christi contempto ferreum cupiditatis imperium voluntaria mentium inclinatione suscipimus, & Domini nostri levi onere posthabito plumbeum pondus nostris cervicibus aggeramus. O intolerandum cupiditatis imperium! Rapit nos per varia, nec permittit animum liberum, non stabile corpus aut quietum vagante animo, & velut quædam cadavera in pastum ferus projecta captivos immundis spiritibus tradit, non lacerandos, sed avidissimis mortiferorum criminum faucibus devorandos, nec tamen ut esse jam desinant, sed ut pœnaliter vivant. Denique in vivis corporibus adhuc portant funera sua, sed iisdem simul vivi & mortui. Hactenus B. Prosper.

Eccl. 2.

Vanum animis solicitè divitias congregare.

Eccl. 4.

Cæterum, non condemnatur à Domino aurã Sanctis moderata cura, & sollicitudo ad providendum

Moderata sollicitudo

tâdo non damnatur 2. Tim. 5. Gen. 3.

dum sibi & familiæ de cibo & aliis: nam dicit Apostolus: *Si quis suorum maximè domesticorum curam non habet, infidelis est.* Ideo etiam dictum est homini: *In sudore vultus tui vescêris pane tuo.* Sic etiam asserit B. Iob: *Homo natus ad laborem, sicut avis ad volatum.* Unde notat S. Aug. quod Christus nos mittit ad volatilia, nec dicit, quod illa non volent è nidis, ut quærant sibi necessaria, utique volant, nec expectant ut Deus eorum faucibus granum inserat, sed juxta naturæ instinctum quæritant cibum. Non ergo inertia fovenda, sed anxietas animi & diffidentia fuganda. Deus totum mundum regit: gubernat, & alit, tamquam Paterfamilias omnium curam habens & providentiam. Sicut ergo familia totam curam domus jactat super Patremfamilias, ut domum disponat ad libitum; ita & nos totam curam vitæ nostræ jactare convenit super Dominum. Nec ex hoc sequitur quod otiosi debeamus esse, sed sicut filiifamilias Patri relinquentes curam domus, quam ipse per se ordinat, & aliis agenda imperat, parati sunt illi obedire, & curam sibi impositam exercere pro viribus: ita & nos sub Dei voluntate oportet esse sollicitos, sollicitudinem interim omnem in eum projicientes. Non ergo præcipit, ut non seminemus, ut non metamus, ut non in horreum messem congregemus; sed hoc vult, ut nostra sollicitudo, & cura ejus curæ subjiciatur, ne pro vita nostra aliquod peccatum incurramus. Alioqui tentatio Dei foret in sola eius providentia velle stare, & expectare, ut nobis provideat sicut populo in deserto, aut Eliæ sub Iunipero, aut Danieli in Leonum antro.

Iob. 5.

Exemplum habes in Vitis Patrum de quodam Ioanne Brevi, sive Nano. Hic dixit quâdam die Fratri in eadem cella habitanti: *Opto esse securus sicut Angeli nihil operantes, sed semper Deo servientes.* Spolians ergo se veste quâ erat vestitus, abiit in eremum, sed facta ibi hebdomada, una necessitate compulsus rediit ad Fratrem, ostium petens sibi aperiri. Cui Frater: *Quis, ait, es tu?* Etenim ille: *Ego sum Ioannes:* Respondit alter: *Ioannes Angelus factus est, nec ultra inter homines est.* At ipse perseverabat pulsans & dicens, *Ego sum.* Sed permissus est aliquamdiu affligi, nec ostium apertum ei fuit. Tandem tamen Frater ei compatiens aperuit, & dixit: *Si homo es, opus habes operari, ut vivas,* Si autem Angelus es, quid quæris intrare in cellam? At ipse pœnitentiâ ductus, ait: *Ignosce mihi Frater, quia peccavi.* Hæc ibi.

Sollicitudo & labor Eremitarum.

Si ergo etiam olim Anachoretæ, & eremi incolæ licet totos se divino deditos profiterentur obsequio, tamen opere manuum victum quærebant, sportas texendo, laboriosa opera conficiendo, terram fodiendo & colendo. Unde S. Augustinus lib. de opere Monachorum redarguit quosdam, qui ad monasteria properabant eo fine, ut à labore se eximerent: *Qui veniunt ad professionem servitutis Dei,* inquit ipse, *ex vita rusticana, & ex opificum exercitio & plebeio labore, quo minus operentur, excusari non possunt. Nulli enim licet ut in vitâ ea in qua sunt Senatores laboriosi, sicut opifices otiosi, & quò veniunt relictis divitiis & deliciis qui fuerant prædiorum Domini, ibi sine rustici quidam delicati.* Sic etiam S. Paulus tabernaculorum opifex nocte & die laborabat, ut se opere manuum sustentaret, ne videretur ex Evangelio lucrum captare. *Memores estis Fratres laboris nostri & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei.* Vnde & alios ad laborem cohortatur. *Qui non laborat, non manducet.* Itaque sollicitum oportet esse quemlibet ad laborem congruum statui & vocationi, & maximè hos qui per artem, industriam, opificium se familiamque debent sustentare: Vnde non reprehenditur sollicitudo illius de quo Sapiens: *Qui tenet aratrum, & stimulo boves agitat, & conversatur in operibus eorum, cor suum dans ad versandos sulcos, & vigilia eius in sagina vaccarum.* Hæc est sollicitudo nostrorum rusticorum, quæ non est reprobanda, si cor non avocet à divinis & saluti conducibilibus, nec cum diffidentia sit conjuncta. Nam & exemplum agriculturæ dedit Adam: quem secuti sunt Patriarchæ, & nonnulli ex Prophetis. Noe cœpit exercere terram, & Elisæus erat arans in duodecim jugis boum, dum pallio suo unxit eum Elias, & vocavit ad perfectiorem servitutem. Amos quoque armentarius fuit & sequens boves, corque suum dabat ad versandos sulcos. Nec reprehenditur faber ferrarius, de quo ibidem: *Sedens juxta incudem considerat opus ferri. Vapor ignis uret carnes eius, & in calore fornacis concoquitur. Vox malleï innovat aurem eius, & contra similitudinem vasis oculus eius. Cor suum dabit in consummationem operum, & vigilia sua ornabit imperfectionem.* Hoc ei licitum est ad alendam familiam, & necessitatibus providendum, si modò per id non obliviscatur corde se à Domino formatum, non ut sis vas ferreum, sed argenteum, aut aureum, usibus Domini profuturum: ideoque se interius sic disponat, ut inter vasa gloriæ tandem destinetur, & igni non deputetur æterno. Non etiam reprehenditur figulus, de quo ibidem dicitur: *Sedens ad opus suum convertens pedibus suis rotam, qui in sollicitudine positus est, semper propter opus sum. Cor suum dabit ut conformet imitationem, & vigilia sua mundabit fornacem.* Hi & similes non sunt reprobandi in opere suo solliciti & laboriosi, quia sine his omnibus non constat civitas & ipsi in Deum laborem, & sollicitudinem suam referentes, mercari possunt isto labore regnum cœlorum, non solum subsidium vitæ temporalis. Quia tamen facilè contingit cupiditarem, & immoderationem sollicitudinis sese hic interserere, amoremque lucri nimium, qui mentem à Deo & divinis avocet, ideo Ecclesiasticus postquam ibi de multis opificibus disseruit, de singulis adjicit: *Cor suum dabit, &c.* Item: *Vigilia eius &c.* De hac re ergo solùm monendi sunt, ne nimis dent cor suum operi. Hoc est quod hic vult Domi-

2. Thess. 2.

2. Thess. 3.

Eccl. 38.

Sollicitudo rusticorum.

Fabri ferrarii.

Figuli.

Opifex non deserit cor suum operi.

Dominus: *Nolite sollicite esse*, sollicitudine sesl. & cutâ ita cor prægravante pro vita hujus sæculi; ut alterius vitæ memoriam vix possitis habere, & animæ curam gerere, ac de futuro sæculo & judicio cogitare. Hoc iterum est, quod Dominus admonuit: *Attendite vobis ne graventur corda vestra curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina illa dies.* Causam oblivionis Dei, & judicii ejus, causamque negligentiæ salutis illam censet, quod graventur corda curis hujus vitæ. Ideo subjicit de die judicii. *Tanquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.* Quid est sedere super faciem terræ? Terrenis est rebus inhærere, & his quasi affixum esse corde nimiâ illarum sollicitudine. Sic idem est sedere super faciem terræ, & gravari corda curis hujus vitæ: quia est deorsum cor deprimere ad terram continuâ sollicitudine terrenorum: Tales certè non facilè recordantur rerum cœlestium & judiciorum Dei, ideoque repentinè contingit illos tanquam laqueo ab illis judiciis capi cum salutis dispendio.

Luc. 21.

EADEM DOMINICA.

Luc. 12. bipartita.

Nolite sollicite esse quid manducetis, &c. Quærite primùm regnum Dei, &c. Matt. 6.

Pars I. De ratione Dominicensura sollicitudines anxias.

SOllicitudo quandoque laudabilis est, & in præcepto, quandoque vituparabilis est, & annexa malo. Sic laudabilis est sollicitudo regiminis, quâ Pater filiis, Dominus servis, Rex populo, Princeps subditis, Prælatus Ecclesiæ, Pastor gregi suo debet providere. Ideo dicit Apostolus: *Instantia mea quotidiana sollicitudo Ecclesiarum.* Et generaliter de Superioribus erga inferiores dicit: *Qui præest in sollicitudine.* Laudabilis quoque est sollicitudo quædam erga Deum, erga seipsum, erga proximum. Erga Deum quidem ad perficiendum ejus mandata, ad proficiendum in ejus obsequio: *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes.* Erga seipsum verò, ad custodiendum se à malo, & ab omni specie & occasione mali. De hac dicitur: *Custodi temetipsum sollicitè, & animam tuam, ne obliviscaris verborum quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ.* Erga proximum denique, ad spirituale vel temporale auxilium ei impendendum, & ad charitatem semper fovendam, de qua sollicitudine Apostolus dicit: *Pro invicem solliciæ sunt membra.* Et: *solliciti servare unitatem in vinculo pacis.*

2. Cor. 12. 2. Tim. 3. Rom. 8. Deut. 4. 1. Cor. 12. Ephes. 4.

Mala sollicitudo tribus modis considerari potest.

Vituperabilis, & mala sollicitudo, tribus modis considerari potest, secundum interpretationem S. Thomæ Aquinatis in hunc locum Matthæi. Sic enim loquitur: Sollicitudo dicit providentiam cum studio. Studium autem est vehemens applicatio animi. In ista autem vehementi applicatione potest esse peccatum. Quando alicui rei velut fini homo seipsum totum impendit, quo quidem modo solliciti esse prohibemur. Et ideo legitur: *Expectatio sollicitorum peribit.* 2. Intendit etiam aliquando mens nostra ad superflua acquirenda, quod item prohibetur: *Dixi ergo in corde meo; Vadam & affluam divitiis.* Quod si temporalibus etiam conquirendis mens addicta fuerit, adeo ut spiritualia derelinquat, peccat. 3. Quidam quoque solliciti sunt cum quodam timore & desperatione, quod timeant ne quid illis desit; & quoniam hac in re de Dei providentia, & misericordia dubitant, ideo istis verbis Dominus hos reprimit. *Ne solliciti sitis anima vestra quid manducetis, aut corpori vestro quid induamini,* hæc. S. Thomas de Aquino. Vt igitur hanc sollicitudinem vituperabilem tollat Dominus, etiam in speciali varias adducit rationes, in quibus elucet divina erga nos providentia & cura, cui sollicitudo nostra anxia displicet.

Prov. 11. Eccles. 2.

Prima ratio continetur his verbis: *Nonne anima est plusquam esca, & corpus plusquam vestimentum:* Est argumentum quod vocant Philosophi à majori ad minus: Si Deus dedit animam & corpus, quæ longè majora sunt, quàm vestis & cibus, nonne hæc minora dabit, & majora ista conservabit? Vnde S. Augustl. lib. 4. de serm. in monte c. 22. ait: *Sic Dominus admonet, ut meminerimus multò amplius eum dedisse, quando nos fecit & composuit ex anima & corpore, quàm est alimentum atque tegumentum, quorum cura nos duplicare cor non vult.* Similiter dicit S. Ambros. lib. 7. in Luc. cap. 12. hæc Domini verba interpretans: Nihil inquit, moralius ad faciendam fidem omnia credentibus à Deo posse conferri, quam quod aerius ille spiritus, vitale collegium animæ corpotisque contubernio fœderatum, sine nostro labore perpetuat, nec salutaris deficit usus alimenti, nisi cùm venerit dies suprema moriendi. Cum igitur anima indumento corporis vestiatur, & vigore animæ corpus animetur, absurdum est, ut victus nobis copiam de futuram putemus, qui vivendi jugem substantiam consequamur, hæc ille. Dic igitur, ô homo, quis corpus tibi dedit? quis animam tuo infudit corpori? quis id promeruit? quis pro ea re sollicitus fuit. Nonne ex sola sua bonitate id fecit Dominus, nullius ad id adductus sollicitudine; aut meritis? Si ergo animam tuam tibi dedit vivam sui imaginem, vestitamque corpore isto, ecea de re non sollicito, nec petente quidem, quomodo escam non dabit, si ab eo eam petieris? Vlterius: Si animæ panem cœlestem donat & vestem gratiæ, cur quod minus est negabit corpori, panem scil. terrenum, vestemque protegentem? Si gloriæ immensa donat tibi in obsequio ejus perseveranti promittit, an poterit denegare temporalia? Si ut fidelis majora accepisti, & excellentiora speras, cur minora ab eo accipere diffidis, cur anxieris si fueris ei fidelis? Hoc ergo bene pondera: *Anima est plusquam esca.*

1. Ratio à majori ad minus.

Sed proh dolor! quam parum hoc considerant, qui propter escam Deum offendunt, & animam

Propter esca multi

ti perdunt animam.

perdunt? An non gulæ addictus propter escam perdit animam? Vtique similis est Esau profano, qui propter cibum primogenita vendidit, & accepto panis & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit parvipendens, quod primogenita vendidisset. Sic gulosus gratiam Dei, in qua consistit jus primogenituræ cœlestis contemnit propter edulium & poculum? An non is qui furto addictus est vel sectatur injustum lucrum ad alimentum familiæ, propter escam perdit animam? An non & inops puella fornicationi se exponens ad fugandam paupertatem propter escam perdit animam. O infelicitatem & imprudentiam! O cæcitatem & diffidentiam! Audi S. Nazianzenum ad Virginem. *Victus gratia nihil unquam turpe sustineas; nam si credideris, nunquam te vasculum olei destituet. Corvus te pascet, ut Eliam in deserto. Nosti quomodo Thecla ex igne & à feris sit erepta, & Paulus ille magnus: esurierit, ut & tu virgo ad Deum solum respicere discares, qui tot millia in deserto pascere novit.* An non patrimonii amor cæcus quosdam facit abnegare fidem, ne incurrant paupertatem? Hi quoque perdunt animam propter escam. An non conflant nonnulli non solum lites sed etiam homicidia propter vilem hæreditatem? Ergo & hi perdunt animam propter escam; plusque est illis esca quam anima. Sic non considerant dictum Domini:

2. Ratio contra malam sollicitudinem.

Secunda ratio ducitur à providentia quam habet Deus erga animantia pascendo illa; immò erga inanimata vestiendo illa. *Respicite* inquit Dominus. *volatilia cœli, non serunt, neque metunt, & Pater vester cœlestis pascit illa.* Nonne vos magis pluris estis illis? Nonne vos præcellitis ea? *Considerate lilia agri quomodo crescunt non laborant, neque nent, & quomodo Deus vestit illa.* An qui providet brutis, providet & plantis, non providebit hominibus ad imaginem suam creatis? Nonne ille Pater est vester cœlestis, qui Spiritum participare vos voluit adoptionis, necita animalium aut plantarum Pater dici potest? Nonne vel solum nomen Patris in fiduciam animos vestros erigere deberet, & anxietatem eximere? Attende quomodo hic Christus hominem creaturarum omnium Dominum & Præsidem, ad creaturas remittit, ut ab illis edoceatur. Quia per peccatum etiam irrationabilibus quodammodo insipientior factus est, ad illa erudiendus remittitur. *Interroga jumenta, & docebunt te,* inquit Iob. *Vade ad formicam, ô piger,* inquit Sapiens. *Vade ad apem,* inquiunt ibi interpretes Septuaginta. *Considerate corvos, quibus non est cellarium, neque horreum,* inquit Dominus. *& Deus pascit illos.* Specialiter horum pullos Deus educare dicitur rore cœli. A parentibus deseruntur, quia sine plumis nigris sunt mox nati potiusque albicantibus pilis cooperti cernuntur; ideo ergo existimant non esse fœtus suos, sed adulterinos. Hinc de Deo dicitur. *Qui das escam pullis corvorum invocantibus eum.* Item. *Quis præparat corvo escam suam, dum pulli ejus clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos?* Aluntur enim pulli sic à matribus neglecti tanquam spurii, vel rore cœli, vel bestiolis, quales sunt vermiculi, aut muscæ circum volitantes. Hic autem generaliter Dominus nos remittit ad volatilia cœli, quæ neque serunt, neque metunt.

Iob. 12. Prov. 6. Luc. 12. Corvorũ educatio. Psal. 146. Iob. 38.

Cur hominem Deus ad volatilia remittat. 1.

Sed cur ad volatilia? Audi S. Amb. Magnum sanè & aptum quod fide sequamur exemplum. Nam si volatilibus cœli, quibus nullum exercitium cultionis, nullus de messium fœcunditate proventus est, indeficientem tamen divina providentia tribuit alimoniam; possumus causam inopiæ nostræ avaritiam judicare. Etenim illis idcirco inelaborati pabuli usus exuberat, quod fructus sibi communis ad escam datos speciali quodam nesciunt vendicare dominatu, nos communia amisimus, dum propria vendicamus. Aves cœli speciale sibi nihil vendicant, & ideo indigere pabulis nesciunt, quia non norunt aliis invidere. Hæc S. Amb. in in Luc. lib. 7. cap. 12. Adde quod cibus altilium magis sparsus est & incertus, quam aliorum animalium, quapropter etiam eis natura dedit alas ad volandum, & pedes ad currendum, & quærendum veloci motu. Cum illa igitur sint sine sollicitudine, quanto magis nos? Nulla etiam animalia minus cibi conservant quam volatilia, nam reptilia, vel gressibilia, vel etiam natabilia nonnulla, antra sua habent in quibus recondant. Denique volatilibus rectè confertur vita justorum propter volatus altitudinem: agunt enim ut plurimum in sublimi, nec in terra sedem figunt, ac tantummodo descendunt cum impellit necessitas. Simili modo debent animæ piæ ut laqueos virent, & retia, alas spiritus in sublime efferre, nec in terra hærere, nisi quantum vitæ corporalis cogit necessitas. Sic etiam notant nonnulli Deum avibus, & piscibus benedixisse, animantibus autem in terra habitantibus non benedixisse. Volare igitur in altum, vel enatare necesse est; si benedictionis volumus esse consortes: oportet habere pennas ad laqueum venantium evadendum, vel pinnas ad evadendum rete piscantium. Ideo etiam ad volatilia nos remittit, quia docent nos laudare Deum. Ab his vinci in laude Dei fatebatur S. Franciscus. Quadam die iter agens dixit Fratri Leoni ut cibum apponeret ad edendum, cum verò cibum benedicere t, incepit philomela adeò suaviter canere ut gaudio perfusus diceret Fratri: *Ecce invitat nos avicula ad laudem Dei, canamus cum ea.* Excusante se F. Leone ob vocis raucedinem, Psalmos cecinit Franciscus in vesperum, alternatim canente Philomela, quæ sistebat vocem dum caneret Franciscus, resumebat suum cantum dum sisteret. Tandemque fassus est F. Leoni Franciscus se victum ab avicula in laude Dei. Ita Chron. Min. gallica l. 2. c. 29.

2.

3.

Tertia ratio verbis continetur istis. *Qui vestrum* 3. Prava cogitatus potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Vult significare Dominus, quod sicut sollicita cogitatione, & anxia sollicitudine nemo potest staturam suam majorem efficere, nisi Deus adjiciat: omnis.

adjiciat aliquid staturæ: ita etiam hominem, quamlibet sollicitudinem impendat, non posse sibi cibum comparare, nisi illū Deus suppeditet. Discurrat ergo homo huc illuc, festinet, consilium omne ineat, ut acquirat & congreget; nisi eum Deo ineat consilium, atque ipse ferat Deus auxilium, irritus est omnis ejus conatus, cura, sollicitudo, anxietas. Et sicut ab ejus providentia dependet statura corporis, & status hominis naturalis, ita etiam status moralis qui consistit in honore, opibus, & aliis fortunæ donis. Hinc fit ut cum omni sollicitudine quidam perseverent pauperes, cum pauca sollicitudine, alii efficiantur honorati & divites. Quod ipsum expressit Sapiens. *Est homo laborans & festinans, & dolens impius. & tamen magis non abundabit, est homo marcidus, & egens recuperatione. plus deficiens virtute & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, & exaltavit caput ejus, & mirati sunt in illo multi, & laudaverunt Deum.* Hoc est, reperitur non infrequenter qui festinet divitias parare, dolens quod dives non sit, & ideo implicat se cum omni diligentia, & sollicitudine variis negotiis ad acquirendum; sed frustraneus est conatus ejus. Cernitur & alter quispiam languidus & torpidus, qui eget restauratione familiæ & annonæ, qui deficit viribus & robore: & Deus respicit illum, & benedicit ejus familiæ omnibus admirantibus. *Nempe paupertas, & honestas sunt à Domino*, sive inopia & divitiæ.

Ecclesiast.

Ibidem.

Propterea de Iacob dicitur: *Honestavit eum Deus in laboribus, & complevit labores illius. In fraude circumventionis illum assuit illi, & honestum fecit illum.* Quasi dicat: Locupletavit eum Deus per ærumnas & duros labores, qui enarrantur in Genesi. Et labores ejus in pascendis gregibus soceri sui Laban fœtu multiplici, compensavit, complevit, benedixit. Et non obstantibus omnibus dolis per avaritiam opprimentium eum, & per fraudes prævalere ei conantium, dives effectus est, Deo sic disponente & eum honestante. O quoties ei mutata est merces à Laban! Sed semper cessit ejus adinventio in emolumentum Iacob, ita ut pauperantea Iacob potuerit postmodum Deo gratias agens, & copiosa cum familia regrediens dicere: *In baculo meo transivi Iordanem istum, & nunc regredior cum duabus turmis.* Hoc ergo contigit Iacob Dei providentia ejus laboribus benedicente. Aliis è contra accidit, ut scil. avolent divitiæ ab eis, dum videntur manu eas apprehendere. Unde & quosdam monet Dominus: *Ponite corda vestra super vias vestras, Seminastis multum & intulistis parum; & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Verè ita est, divitiæ habent alas, ut à nonnullis avolent: multi quoque eas congregare volentes, videntur in sacculum pertusum eas projicere & perdere. Sic frustrantur spe, innixi suæ & non Dei providentiæ. *Nisi Dominus ædificaverit domum*, inquit Psaltes: *in vanum laborant qui ædificant eam.* Domum ædificare, est familiam honoratam stabilire, & id ad Dominum spectat, sicut & jam elevatam ad honores, dejicere, cum ei libuerit. Sic dicitur: *Arrogantia decepit te, & superbia cordis tui. Cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde te detraham.*

Gen. 29. 30. 31.

Deus Iacob per ærumnas locupletavit.

Gen. 32.

Aggæi. 1.

Psal. 126.

Jer. 49.

Porro, quod de statura corporis naturali, & de statu hominis morali diximus, etiam de statu spirituali verum est. Non potest homo adjicere cubitum unum sua sola sollicitudine, nec per illam solam accipere augmentum gratiæ & virtutis: nec hac de re debet esse immodice sollicitus, aut nimium anxius. Quapropter cum præstiterit quod in se est, ut divinæ cooperetur gratiæ, reliquum ejus relinquat providentiæ paternæ, qui distribuit dona sua prout vult, & quando vult, & quibus vult, staturamque gratiæ, & gloriæ talem dat unicuique qualem æterna sua constituit prædestinatione. Sic licet quilibet debeat majoris semper perfectionis desiderio sese excitare; non tamen se turbare debet aut inquietare si eam pro voto suo non assequantur, post mortalem diligentiam adhibitam. Patris est cœlestis providere, nostrum autem est, nos totos quales ejus voluntati committere ejusque pietati commendare. Sic agendum est in omnibus negotiis nostris, tam temporalibus, quàm spiritualibus, tam in cura nostri, quàm aliorum curæ nostræ commissorum.

S. Franciscus initio Ordinis sui mirè angebatur, lacrymisque, & tristitia pene conficiebatur, dum cerneret aliquos vel Ordinem deserentes, vel scandalum in eo concitantes. Cui quodam die Dominus: Quid turbaris Francisce aut quid angeris cum tuorum quispiam deficit, vel scandalum concitat? An fortè existimas gregis tui te ita rectorem, ut non me intelligas illius esse superiorem? Quis plantavit, aut quis præter me homines ad pœnitentiam vocat, & quis gratiam suppeditat? Ego eos perduxi ego retinebo, & servabo, ego illis cadentibus alios erigam. Quapropter præcipio ne in posterum te discruties, sed scias hanc à me familiam diligi; & si unus ad vomitum redeat, scias me in ejus locum alterum excitaturum qui illius coronam accipiat, quod si is nondum natus fuerit, efficiam ut nascatur, & si tres tantum in ea permanserint, eos nunquam deseram; semper hæc erit familia mea. Ita Dominus Francisco nimium anxio, cum staturæ Ordinis sui non posset vel cubitum unum, vel firmitatem, & stabilitatem adjicere. Hoc sibi vult pater cœlestis reservare.

Ipsius nimirum est volatilia cœli pascere, illis alas dare, illas congregare. Hæ sunt animæ contemplationi supernorum deditæ; intellectu, & voluntate in cælum & Deum volantes, in congregationes sanctas se redigentes, quibus de necessariis animæ & corpori providet Deus. Ipsius quoque est, lilia (quæ neque laborant ut viri pro victu, nec nent pro veste texenda ut mulieres) plantare, incrementum illis dare, gloriosè illa vestire, ita ut superent omnem gloriam Salomonis. *Et revera*

PARS II. De regno Dei primùm quærendo.

inquis S. Hieronymus, quæ Regum purpura, quæ tinctura textricum poteſt floribus comparari? Quid ita rubet ut roſa? Quid ita candet ut lilium? Viola purpuram nullo ſuperari murice, oculorum magis quam ſermonis judicium eſt. Nullæ ergo opes, nulla potentia Regum poteſt ullum lilium vel ſolum creare, quantumlibet totum invertat mundum; nec ulla arte aut ingenio poteſt ornatum lilii colorumque ejus perfectionem adæquare. Ergo nihil eſt mundi potentia, nihil eſt ejus pompa & gloria, quam flos & lilium ſuperat, & humilis viola. Myſtico autem intellectu dicamus quod Dei ſit lilia plantare in horto ſuo, eis radicem dare, eis humorem, & incrementum tribuere, eis gloriam veſtis impertiri ſuperantem gloriam Salomonis. Hæc lilia animæ ſunt candidæ & puræ, animæ virgineæ, in horto Domini conſitæ, rore cœleſti imbutæ, in ſilentio creſcentes, quarum admirabilis veſtis interior cœleſtis gratiæ, omnem gloriam ſuperat Salomonis; illuſtrior verò erit poſtmodum illis inter Angelos in Paradiſo cœleſti veſtis æternæ gloriæ.

2. Ratio contra nimiam ſollicitudinem.

Quarta ratio quam affert Dominus ad nimiam ſollicitudinem de victu, & veſtitu à nobis avellendam, continetur illis verbis: *Hæc omnia gentes inquirunt.* Quaſi dicat: Hæc eſt ſollicitudo Ethnicorum, & infidelium quærere terrena, quia non expectant, cœleſtia. Quia nullam habent partem in cœlo, non mirum quod illam in terra ſollicitè quærant. Qui non habent in terra promiſſionis hæreditatem, quid mirum ſi deſcendunt in Ægyptum? Qui faſtidiunt manna, non mirum ſi ad cæpas reſpirent, & alia. Vos autem, ô Chriſtiani, quibus Deus in cœlo paravit menſam & edulium, quibus opes ibi paravit & theſaurum, deponite horum inferiorum ſollicitudinem anxiam, & ibi cor figite ubi Pater veſter cœleſtis eſt, qui de omnibus neceſſariis poteſt providere; videte ne ei injurii ſitis diffidentiâ & ſollicitudine. Hoc etiam vult Dominus inſinuare (interprete S. Chryſoſtomo) dicens quod hæc gentes inquirant, quia in rebus humanis fortunam eſſe credunt; unde nec providentiâ, nec judicio Dei vitam ſuam gubernari exiſtimant, ſed incerto eventu. Ideo timent, & deſperant quaſi qui neminem habeant gubernantem. Qui autem credit judicio ſe Dei gubernari, non incerto duci eventu, eſcam quidem ſuam in manu Dei committit, ſciens quia neminem ſine judicio, & voluntate Dei fames premit aut nuditas. Cogitat autem de bono & malo, ſciens quia niſi ſollicitus fuerit nec malum fugiet, nec bonum apprehendet. Sic ergo dicat omnis Chriſtianus ex fide in Deum: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Pſal. 22. Et rurſus illud in paupertate uſurpet: *Ego autem mendicus ſum & pauper, Dominus ſollicitus eſt mei;* Pſal. 39. non igitur neceſſium eſt ut ego anxiè & diſcrucier nimiâ ſollicitudine, ne illi videar diffidere, & ejus ſollicitudini injurius eſſe.

Scopus totius Evangelii hujus, *Quærite primum regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Matt. 6. ut ſcil. eliminata anxiâ ſollicitudine temporalium, quæramus cœleſtia & æterna. Cum enim creati ſimus non ut edamus, bibamus, veſtiamur, ſed ut Deo obſequamur, & bonis æternis potiamur; illud primum quærendum, ad id tendendum prineipaliter, & magno quidem cordis noſtri deſiderio; ſicque non deent quidpiam aliud quod neceſſarium nobis fuerit. Porro hujus concluſionis à Domino ex priori ejus diſcurſu elicitæ ſingula verba ſuam habent energiam & emphaſim, ſuumque pondus.

Primò, dum dicit, *Quærite*, indicat diligentiam, attentiorem, vigilantiam adhibendam. Hoc enim vox illa importat. *Quærite*, quicunque quærit; ſolertiam & perſpicaciam ſibi aſſociat ad reperiendum quod quærit. Errant igitur qui deſides & inertes permanent in his quæ ſalutis ſunt, quaſi dormientibus, & non vigilantibus regnum Dei ſit deferendum. Licet Deus quandoque etiam non quærentibus ſalutem offerat, ordinariè tamen vult illam nos quærere cum ſollicitudine & labore. Regnum erat cum facilitate aſſecturus homo, ſi in originali juſtitia perſtitiſſet, quia ad illud creatus erat, & jus proximum habeat: ac per peccatum à regno illo elongatus eſt, & modo requirere illud cogitur non ſine cura & labore. Nunc regnum Dei theſaurus eſt abſconditus in agro, pro quo requirendo diligentia adhibenda eſt, fodiendum eſt, laborandum eſt. Quis enim theſaurum reperiet ſine ſollicitudine perſpicaci, aut ſine cura? Hinc & Apoſtolus oſtendens quomodo regnum illud quærendum ſit, monet ſeriò & graviter graviterque: *Satagite magis ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis; ſic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini & Salvatoris Jeſu Chriſti.* 2 Petr. Quaſi dicat: Studete, & date operam diligentem, ut per bona opera tamquam media aſſequi poſſitis certò gloriam ad quam vocati & electi eſtis; per illa enim invenietis introitum in regnum; per illa vobis illud quærendum eſt. Conformiter ergo hic dicit Dominus. *Quærite*, cum diligentia ſcil. & fervore; non tamen cum anguſtia & anxietate, nec cum diffidentia & ſcrupulositate; ſed potius, ut dixit Sapiens: *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum*; Sap. 1. ſic quærite & ejus regnum. Illi non vidntur ſentire de Domino in bonitate, qui nimium ſe, & conſcientiam ſuam excruciant angoribus & ſcrupulis, ſicque cum Deo agunt quaſi foret ipſe crudelis; cum ſufficiat ſincero corde illi ſervire, & hoc eſt in ſimplicitate cordis illum quærere, & fiduciam in ejus bonitate ponere.

Vox, quæ vitet, quid indicet.

Secundò, dum dicit Dominus; *Quærite primum* illa vox, *primum*, attendenda eſt. Hæc ſignificare regnum Dei quærendum eſſe ante omnia, ſive principaliter & præcipuâ curâ ad illud referendo

Vox, primum. quid ſignificet.

do omnem noſtram intentionem, & omnia noſtra. Regnum enim Dei, eiusque fruitio ſupremum bonum noſtrum eſt, & ideò appetendum, & ibi finis conſtituendus, propter quem omnia faciamus, quæcumque facimus: Hinc S. Aug. in Soliloq. *Tu Domine ſummum bonum es, quod nemo rectè quæſivit, & non invenit. Omnis autem rectè quæſivit, quem tu rectè quærere docuiſti. Rectè autem quæritur cum principaliter quæritur. Principaliter autem quærendum eſt quoniam ad ipſum participandum conditi ſumus.* Multi interim homines velut bruta, ad quid ſint creati, ignorant. Putant enim ad hoc ſe vivere, ut voluptatibus corporis ad libitum perfruantur, in vanis gaudeant, ut perituras divitias coacervent, ut in honoribus ſæculi exultent, ut primatus ſibi vendicent, ut commeſſationibus & luxuriis vacent, dicentes: *Fruamur bonis quæ ſunt. Hæc eſt pars & ſors noſtra.* Sed neſcierunt, neque intellexerunt, *& erraverunt in invio, & viam civitatis habitaculi non invenerunt.* Non enim ad poſſidendum hæc quæ ipſi aviditate exitiali laxatis cupiditatum habenis quærunt, à Deo creati ſunt, ſed ad ea quæ ignorant, aut certè contemnunt bona æterna. Alii inter homines ſperant quidem regnum Dei, & credunt ſe ad illud creatos, ſed non quærunt illud ante omnia, nec præcipuâ curâ, quia magis ſolliciti ſunt de temporalibus & terrenis, quam de ſpiritualibus & cœleſtibus, magis de illis quæ hanc vitam brevem concernunt, quam de illis quæ ſpectant ad æternam. Si Dominus dixiſſet: Laborate, & ſolliciti eſtote de rebus terrenis & humanis, ſecuti autem eſtote de cœleſtibus, illa enim vobis daturus ſum, non mirum ſi homines, adeo ſollicite incumberent in curam rerum terrenarum. At è contrario dixit Dominus; Quærire cœleſtia, & terrena dabo vobis: cur ergo nituntur contra Domini monitum hæc curando anxiè, illa negligendò vel poſtponendo impiè?

Sap. 2. *Pſal. 106.* *Præpoſtera quorumdam ſollicitudo.*

Verè de his poſſumus dicere quod filii ſint Eſau, filii terræ, non filii Iacob, filii cœli, & filii promiſſionis, Quid ita? Adverte benedictionem à Patre datam Iſaac, adverte & illam quæ Eſau poſtea data fuit. Obſervat enim ſubtiliter Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 24. utriusque benedictionis ſtructuram, noſtro oportunam propoſito. Benedictio Iſaac ſic habet: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam.* Benedictio autem Eſau ſic ſe habet: *In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper erit benedictio tua.* Eadem videtur benedictio, quia utrobique ros cœli, & pinguedo terræ promittitur; multum tamen differens eſt, quia in priori benedictione ros cœli primo loco promittitur, in ſecunda eſt inverſio, nam pinguedo terræ primo loco ponitur, deinde ros cœli. In benedictione ergò Iacob prius cœleſtia promittuntur, deinde terreſtria; quia illa prius quærenda ſunt, hæc poſterius; docetque nos Chriſtus poſtulare prius gloriam Patris, & ſanctificationem nominis ejus, adventumque regni, quam panem nobis neceſſarium. In benedictione autem Eſau invertitur ordo, & prius pinguedo terræ nominatur, quam ros cœli: quia ſcilicet & Filii Eſau, ſive terrigenæ & filii hominum, invertunt Dei ordinem, & plus cordi habent terrena quam cœleſtia. Videndum igitur ut non ſimus de horum numero, ſed de his qui ſemen ſunt Iacob in promiſſione. *Circa Iacob*, aut Tertullianus, *qui poſterioris populi figura eſt, id eſt noſtri, prima promiſſio cœleſtis eſt roris, ſecunda terrena optimitatis. Nos enim invitamur primo ad cœleſtia, cùm à ſæculo avellimur, & ita poſtea inveniminr terrena etiam conſecuti.*

Gen. 27.

Tertiò, dum dicit Dominus; *Quærite regnum Dei*, hac voce vult animum nobis erigere, dum promittit regnum adeo ſublime, quærentibus illud. Vult animum nos habere regium, non ſervilem, non vilem. Regnum igitur ideo nominat, ut ſciamus nos ad ſublimia genitos, ad ſublimem dignitatem & felicitatem; ita ut infima, & vilia à nobis deſpicienda ſint, cœlum regnumque Dei ſuſpiciendo. Abjicere Dei habitum ſervitutis, qui ſe Regem credit conſecratum divinitus. *Quis deviſtu, quis de veſtitu, quis de plebeio cenſu, & vernali ceſpitis vilitate ſuſpirat de regno certus, de dominatione ſecurus? Satis ſibi invidet, qui elevatus ad ſumma ipſe ſe ad humilia dejecit, ad egena deponit*, inquit S. Chryſol. ſerm. 25. Non debet ſervire Mammonæ, qui regnum Dei vult poſſidere. Non debet pro veſtimento corporis nimis anxius eſſe, qui immortalitatis gloriam ſperat induere. Cum vero regnum Dei monemur primum quærere, meminiſſe debemus in ſacris litteris triplex regnum Dei eſſe. Unum dicitur eſſe circa nos. Iſtud regnum eſt Eccleſia præſens, quæ regnum Dei dicitur, quia in ea regnat Deus per ſpecialem providentiam & fidē, & in illa ſola ſunt filii regni. Huic regno per fidei vinculum ſemper nobis eſt adhærendum, quia in hoc conſiſtit ſalutis initium & fundamentum. Aliud regnum Dei dicitur eſſe intra nos: hoc eſt regnum gratiæ, quia per gratiam ſanctificantem, & per dona ei adnexa Deus regnat intus in anima noſtra. Tertium regnum Dei eſt ſupra nos. Et iſtud eſt regnum gloriæ, regnum æternitatis, regnum ſæculorum, ad quod ſuſpiramus, quod inſatigabiliter oportet quærere. *Quærite*, inquit, *quærite primum regnum Dei*, regnum illud æternum in quo enim Deo regnabitis, in eo omne bonum perfectum & plenum continetur, quia ibi indigentia nulla, nullus boni defectus: ſed quærite etiam regnum gratiæ & fidei, per quæ regnat in vobis: regnum enim gratiæ tamquam via ducit ad regnum gloriæ. Ideo adjicit Dominus: *Quærite regnum Dei, & juſtitiam ejus*, ſcilicet Dei. Hæc eſt juſtitia quam nobis præſcripſit, cum legē ſuam nobis dedit, cuius normam ſequentes juſti reddimur & ſancti. Iuſtitia igitur & gratia iter eſt, & ſcala

Vox. regni Dei; quid exigat.

Triplex eſt regnū Dei.

1. Circa nos.

2. Intra nos.

3. Supra nos.

& scala per quam nobis ad regnum Dei ascendendum est, & pertingendum. Sicut & de Iacob dicitur, *Ostendit illi regnum Dei*, quia ostendit illi scalam ad regnum pertingentem, cujus cacumen cœlum tangebat, sic etiam Dominus hic nobis ostendit regnum Dei, simulque ad illud scalam indigitat, justitiam scilicet. Illam Iacob scalam ascendebant Angeli: hanc quam Dominus ostendit, ascendunt homines similes Angelis, quia qui colunt justitiam, Angelis sunt similes, & maxime illi qui è terrena sollicitudine expediti in cœlestia corde & voto ascendunt. Hanc ergo justitiam quærere decet ante omnia, ita ut Christiano primum diei opus sit Deum quærere, Deum pro animi sanctificatione & justitia orare, ad hunc scopum Missæ sacrificio interesse, omniaque opera diei ad hanc justitiam vel augendam vel conservandam ei offerre. Denique decet vespertino tempore secum acta diei recenlere, & videre num quippiam huic sanctificationi vel justitiæ adversum sit in diurno opere. Sic dicendum cum Rege Davide: *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo.* Et iterum: *Si introiero tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei: Si dedero somnum oculis meis & palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino.*

Gen. 28.

Psal. 62.
Psal. 131.

Postremo cum dicit Dominus. *Et hæc omnia adjicientur vobis*, idipsum habet suum pondus, notant enim SS. Patres non dici, *Dabuntur vobis*, sed *adjicientur*, sive apponentur, ut scil. discceremus, inquit S. Chrysost. horum quæ in præsenti dantur, nihil esse omnino magnum, si futurorum magnitudini comparentur. Sic ergo corporalia non sunt quærenda propter se, nec à Deo donantur tanquam per se bona, sed veluti apponuntur & adjiciuntur bonis animi, & propter bona animi conferuntur, illorum velut additamenta. Sicut ementibus res pretiosas gratis aliquid quandoque adjicitur rei vilioris, quod mantissa dici potest vel additamentum: sic se habent bona temporalia respectu æternorum, & ideo de illis hic dicitur. *Adjicientur vobis.* Non absimiliter interpretatur S. Gregorius in Iob. lib. 15. cap. 21. *Si magis Dominus quam ea quæ condidit, vult amari, æterna potius quam terrena postulari, sicut scriptum est, Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Quia enim non ait, Dabuntur vobis, sed adjicientur, profecto indicat aliud esse quod principaliter datur, aliud quod superadditur. Quia enim nobis in intentione æternitas, in usu debet esse temporalitas, & illud datur, & hoc ex abundanti superadditur.*

Exempla regnum Dei quærentium ea à Deo filio non deserto-rum.

Exemplis autem variis hæc Domini conclusio facile probari potest, tum ex sacris litteris, tum ex historiis Ecclesiasticis.

Sic quia Daniel regnum Dei quærebat ante omnia & justitiam eius, non ei deest Dominus, sed cibus divinitus ipsi procuratur, & inter feras esurientes & parcentes homo Dei pascitur. Similiter & Elias Corvi & Angeli ministerio in deserto alitur. *Nusquam ergo tibi deest Deus, tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse*, inquit S. Aug. in Psal. 39.

Sic vidua Sareptana quia quærebat ante omnia regnum Dei & justitiam ejus, non deseritur etiam ad angustiam extremam redacta. Dicebat enim, *Non habeo nisi pugillum farinæ, en colligo duo ligna ut faciam mihi & filio, & comedamus, & moriamur.* 3. Reg. 17. Accedit vero Elias, petit sibi de illa farina cibum, promittens abundantiam, illa fidit verbo Dei & Prophetæ, abit & coquit ei panem, nec jam meminit mortis. *Nec de abundantia portio, sed de modico totum datur, & esurientibus liberis alter prius pascitur, neque in penuria & fame cibus antequam misericordia cogitatur, ut dum in opere salutari vita carnalis contemnitur, spiritualiter anima servetur*, inquit S. Cyprianus lib. de opere & Eleëmosyna.

Sic Tobias quærebat primo regnum Dei & justitiam ejus, ideo Deus ejus providet familiæ, providet filio ejus Angelum, qui iter cum eo ineat ad recuperandam pecuniam qua posset familia sublevari, & filius honestari, seu ditari secundum honestatum status sui. Providet denique filio ejus nuptias, & sponsam correspondentem humori & amori sancto. Quid ultra. Cum pius senex Domi clausus ageret, oculis orbus nullum gaudium admitteret, qui cœli lumen videre nequiret, providet etiam ei per Angeli ministerium pro cæcitate medelam, & integram restituit sanitatem & jucunditatem. Sic nihil deest Tobiæ Deum timenti, quærenti regnum Dei & justitiam ejus, sed omnia adjiciuntur ei & abundant super omne eius votum & expectationem, illucque pro ipso divina attigit sollicitudo, quo pertingere non potest humana omnis providentia. Sciebat nimirum Pater cœlestis quia his indigeret, nec voluit ei deesse, cum ipse per pietatis obsequium cœlesti Patri suo non deesset.

Sic in sacris Ecclesiæ novæ historiis innumera reperies exempla eorum qui à Domino in solitudine sine sollicitudine cibum acceperunt, eis cura Patris cœlestis providente de necessariis. Notum est de S. Paulo Eremita, cui corvus dimidium panem quotidie afferebat, & palma vestem præbebat, quam purpuris Regum præferebat S. Antonius, illa utens solemnibus Paschæ & Pentecostes diebus. Notum de Cerva lac sufficiens præbente S. Ægidio, de S. Alexio, de Maria Ægyptiaca, & innumeris aliis quibus admirabiliter provisum fuit, quia quærebant regnum Dei & justitiam ejus, & fidebant ejus verbis sine anxia sollicitudine.

Circa annum 1220. cum adhuc viveret S. Dominicus, erant Romæ in Conventu S. Sixti centum Religiosi ex eleëmosynis viventes sine redditibus. Contigit autem ut nec panis esset, nec pecunia domi, & qui eleëmosynas petierant per urbem, vacui redibant: unicum enim panem acceperant, & hunc pauperi dederant instanter urgenti. Iussit nihilominus S. Dominicus pro more ad prandium pulsari. Mox ubi omnes accubuerunt, ingressi sunt duo

Angeli

Angeli enim magna copia panis albi, & à minoribus initio facto, singulis dederunt unum panem, sicque disparuerunt. Vas quoque vacuum optimo vino statim adimpletum fuit; sic de anima & provisione cœlesti omnes Dei famuli cibum potumque acceperunt, qui ab hominibus deserti videbantur. Sciebat igitur Pater cœlestis eos his indigere, nec volebat nimis anxios esse; tamquam volatilia cœli pascebat, quia nulla eis alia cura erat, quam oratione in cœlestia volare, Dei regnum quærere & justitiam eius. His similia crebro facta sunt etiam apud alios Religiosos, apud Franciscanos & antiquos Monachos, ut ex eorum notum est historiis.

Cur sæpe maximè solliciti, etiam inopiâ premantur.

Concludendo dicamus, ex dictis satis colligi posse, cur nonnulli in operibus suis solertes & diligentes nihilominus inopia premantur, & rei familiaris defectu laborent. In primis id plerumque fit quia non quærunt primum regnum Dei, non referunt in Deum omnia opera sua, omnemque laborem in eum fiduciam non projiciant. Fidunt enim vel viribus, vel industriæ, vel diligentiæ suæ, non ita Deo, cujus raro meminerunt. De his ut diximus,

R. 1.

Abac. 1. alibi, potest intelligi illud: *Immolabit sagenæ & sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus electus eius.* Vbi videtur judicare Propheta quosdam sic se gerere, quasi retia & sagenam suam adorarent, quia per illa cibum sibi & familiæ parant; sicque illa pro Deo habent qui illos alit, videnturque quadam ratione illis velle sacrificare, & totam in ipsis fiduciam collocare. His ergo similes dicimus illos qui in arte sua nimium fiduciæ ponunt, aut in industria humana. Sic nec piscator in reti, nec pictor in penicillo, nec faber in suis instrumentis, nec rusticus in ligone & falce, nec villicus in equis ac vaccis nimium debent confidere, quia sæpe falluntur, nec sufficienter per illa sibi provident, Deo aliter disponente, qui vult nos regnum suum ante omnia quærere, & in ipso fiduciam constituere, non in nobis, nec in qualibet humana arte.

Exempl. Refert Pinellus in libro de Missa de duobus sartoriæ artis, quorum uni quotidie Missæ sacrificium audienti omnia cedebant ex animi sententia, & supetebant familiæ quæcumque necessaria, licet multas proles aleret: alteri vero etsi nulla proles alenda foret, nulliq; labori parceret, ut nec festis quidem diebus vacaret, multum inopiæ semper aderat. Quæsivit igitur à consodali suo, unde illi tanta prosperitas? Ille respondit. Cras mecum veni, & ostendam tibi. Venienti postero die secum ducit ad Missam, qua finita remittit eum ad laborem. Secunda idem die idem facit, nec socio satisfacit. Cum tertia die idipsum cogitaret, respondet alter: *Amice novi ego viam ad templum, & Missam non ignoro, hoc ex te quæro, unde tanta tibi prosperitas?* Tum alter. *Ex Missa hac mihi provenit secundum promissum Domini: Quærite primum regnum Dei, & omnia adjicientur vobis.* Pauperior ille hoc Christi accuratius considerans, statuit apud se deinceps non omittere obsequium Dei maxime in quotidiano sacrificio, & exinde ipsi prospere omnia successerunt.

Secundò non quærunt multi justitiam Dei ante omnia, & ideo prospere eis non succedit. Luerum quærunt qua possunt ratione & via, quandoque etiam injusta: Dicunt ipsi; *Vbique bonus odor lucri:* nec attendunt quod frequenter contingit: *Lucrum in arca, damnum in conscientia.* Dum ergo temporalia quacumque ratione sectantur, illis Deus adversatur ob neglectum conscientiæ spiritualium bonorum, sive justitiæ Dei. Si eis de confessione fit mentio, de communione, de verbi divini auditione, excusant se prætextu negotiorum, in aliud tempus rejiciunt, quasi Deus eorum oportunitatem expectare teneretur. Hinc fit ut per Dei providentiam adversæ fortunæ crebro subjaceant & premantur.

R. 2.

Tertio propter hominum luxum & abusum, superbiam & arrogantiam reprimendam, Deus quandoque subtrahit temporalium abundantiam, & immittit egestatem. Solent enim aliqui dum abundant, in luxus & lusus prodigè opes fundere, alii & illis solent intumescere, alii aliter illis abuti: ideò illas Deus avolare facit. Fit & id maximè propter hominum ingratitudinem, qui acceptis privari merentur, dum de illis non norunt gratias agere, nec in Dei obsequium, aut in pauperum usum partem impendere. Denique, vult Dominus ut agnoscamus hæc temporalia ab ipso pendere, qui ea dat cum vult, tollit cum lubet, nostrosque conatus esse cassos ipso nobis non cooperante vult nos agnoscere.

R. 3.

Cōclusio. IMpertire nobis Domine gratiam tuam, ut tibi sincero corde serviamus, & non Mammonæ; tolle à nobis nimiam sollicitudinem de cibo & veste, & da nobis fiduciam in te tamquam cœlesti nostro Patre, qui scit perfecte ea quibus indigemus. Recense nos non de animalibus quæ terram sapiunt, terram fodicant, terram diligunt; sed de volucribus & volatilibus cœli, quæ ad puriorem aërem respirant, cœlum amant & cœlestia, & tu tuæ eos pascis benignissima providentia. Fac nos de liliis & floribus agri tui, vestiens non gratiæ candore, & tandem immortalitatis veste fine anxia nostra sollicitudine. Denique, sic nobis tuum infunde amorem, ut tempus & sæculum cum rebus suis contemnentes, regnum tuum & justitiam tuam quæramus toto cordis desiderio, & illud tandem regnum cœleste, te ducente, te donante consequamur.

LECT. 24. tripart.

DOM. XV. POST PENTECOSTEN.

Defunctus filius unicus Matris suæ.
Luc. 7.

Exordii.

Ier. 18.

COnsideratione dignum est id quod gestum fuit circa Hieremiam Prophetam: ipso teste. Verbum enim ad eum factum est à Domino: *Surge & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et descendi*, inquit ipse, *in domum figuli, & ecce faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas quod ipse faciebat è luto manib. suis: conversusq; fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius ut faceret.* Tunc factum est verbum Domini iterū ad eum: *Numquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israel? Ecce sicut lutū in manu figuli, sic vos in manu mea.* Nonne Schola doctrinæ, & domus est disciplinæ, domus figulina, sive officina figuli, ad quam jubetur Propheta descendere, ut ibi & verbo & facto edoceatur, ac postmodū alios possit erudire? Ad hæc hodie figuli domum admonet nos Evangelium mente descendere; ut qui elatum assumimus quandoque spiritum, & supra nos ascendimus, revertamur, & descendamus ad nos, iatuentes defluens lutum quod portamus quotidiè nobiscū. Nos enim ex luto lutei sumus, ex terra terreni, filii Adam sumus ex Adama, id est, ex limosa terra; itaque humiliati debemus sub manu Dei quasi figuli nostri, quæ ex luto nos formavit, & in lutū potest ubi voluerit redigere. Ac sicut vas è luto efformatum fragile est & caducum, multiplici casui & dissipationi obnoxium: sic homo facile conteritur qualibet infirmitate incursante; quia fragilis est & testaceus. Cum quis ingreditur officinam figuli, ibi intuetur diversa vasa testacea, quædam majora, quædam minora, quædam pulchra, quædam viliora, quædam recenter efformata, quædam antiquiora: discernere tamen nequit & dijudicare certò quænam duratura magis sint, & quæ minus, an majora, an minora, an formosa, an deformia, an recentia, an vetera? Cùm enim ex fragili materia omnia constēt, illud prius conteritur quod in quippiam fortius impegerit, etsi pulchrum sit & magnum, etsi recens sit & splendidum. Sic & de hominibus judicandum est: æquè enim nobiles & divites, juvenes & floridi, morbo incursante effringuntur, ac pauperes & ignobiles, ac senes & decrepiti. Patet id diluciderè in Evangelio hodierno, ubi introducitur adolescens dives, robustus, floridus, honoratus, qui à morbo & morte diffractus & contritus effertur. Sic incursus mortis incertus est: sternit filium, relinquit matrem; sternit juvenem, intactam vero relinquit annosam & senem, eripit eum qui flore ætatis & sæculi gaudebat, in sæculo relinquit eam quæ forte tædio, sæculi lassa erat & languebat. Interim Dominus (ut se figulum illum potentem ostendat, in cujus manu est lutum nostrum, status & forma, salus & vita) vas corporis huius adolescentis in morte collapsum & diffractum refingit & redintegrat secundum suum beneplacitum, imperans ei resurrectionem. Rectè ergo nobis dicitur idem quod Prophetæ dictum est divina voce: *Numquid sicut lutum in manu figuli sic & vos in manu mea? Numquid potestatem habet figulus*, ut vasa pro placito formet, ut ea conterat & deformet? Attendite id, quicumque aures habetis & oculos, in officina figulina ad portam civitatis Naim: nam & figuli juxta porta civitatum officinas suas solebant constituere. *Egredere ad vallem Filii Ennom, quæ est Judex introitum portæ fictilis*, sive figulinæ & figulorum, ut ibi exponunt Interpretes. *Ier. 19.*

Tria porro documenta sacra accipimus in hac porta civitatis Naim, juxta principales tres personas hic concurrentes, prout nostrum describit Evangelium. *Propositio.*

1. Adolescens defunctus qui effertur, nos docet mortis memoriam, & sæculi contemptum. *1.*

2. Vidua mater cum honore & lacrymis efferens funus filii, docet nos pietatem mortuis deferendam. *2.*

3. Christus occurrens, & misericordia mortuos mortem fugans, docet nos misericordiam proximis impendendam. *3.*

Sed de singulis hic speciatim nobis sermo instituendus est.

PARS I. *De mortis memoria.*

Ac in primis ab adolescente defuncto, qui loculo ligneo & angusto conclusus effertur, non possumus non discere sæculi contemptum, mortisque memoriam, si mentis aures & oculos volumus aperire. In loculo enim tamquam in cathedra sedens, & in sublime elatus, inclamat exemplo, quod non potest verbo: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.* *Isa. 40.*

Corporis gloria flos est.

Quid est corporis gloria, quam homines tanti faciunt, dum studiosè corpus exornant, laute nutriunt, superbe vestiunt, luxui servire faciunt? Flos utique est vento flante subito deperiens, infirmitatis uredine confestim excidens, falce mortis illum excidente mox exsiccatus. Quid ætatis vigor, divitiarum splendor, nobilitatis purpureus color? Flos est qui mane odoriferè floret, vesperè autem decidit, & fœtet dum aresci. Vna febris hanc gloriam floridam dissipat, unum frigus enecat, vermis erodit, æstus veniens arefacit, sicut quotidiana experientia agnoscimus: *Venit æstus super caput eius, & mortuus est.* Sic nimis notum est quod de homine quolibet Iob pronunciat: *Quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet.* Nempe amœnitatem odoremque suavem præ se ferre flos videtur ad tempus, sed quia de terra originem flos trahit, terra est etiam in vigore suo, statim in terram eum resolvi necesse est. Sic etiam quia homo de terra originem trahit, & nonnisi terra adornata & colorata est dum in suo vigore est, in terram

Iudith. 8.

Iob. 14.

suam

suam cum omni ornatu suo reverti necesse est, idque contingit citius quàm prægogitat.

Patet hoc in adolescente ævi floridi, qui mox extinctus est, matre nihil minus cogitante, nec ipso hoc expectante. Accede ejus loculum, & inspice. Ubi decor & pulchritudo? ubi capillorum splendor & cæsariei crispatæ ornatus? ubi corporis cura & deliciæ? ubi opes & divitiæ? ubi gloria juventutis validæ? Fænum erat, exsiccatum est fænum, & cecidit flos. Lectulus & loculus angustus totam ejus claudit gloriam: ipsius non solum ossa, sed & spem omnem claudit urna. *Avellatur de tabernaculo ejus fiducia. & calcet super eum quasi Rex interitus.* Hæc nimirum est mortis victoria. Opes & quæcumque alia in quibus homo spem collocat, ex tabernaculo sive ex domo avellit, sicut solent milites victores tabernacula spoliare: deinde calcat spoliatos, & in servitutem redigit. Non ergo fidat homo, cujuslibet status & conditionis, cujuslibet ætatis aut gloriæ? non fidat, inquam, rei cuipiam, quia nescit quam velox sit depositio tabernaculi sui, immo avulsio ab illo cum omni fiducia sua. Hic de quo nostrum agit Evangelium, adolescens erat ævi sanè floridi, & ecce à tabernaculo avulsus effertur extra urbem defunctus non ergo ætati fidendum aut robori, nan plusquam flori marcescenti, quem interitus & mors conculcat. Rursus adolescens iste copiosus erat & honoratus, non carebat divitiis & stemmatibus. Mors opes ei avellit, & stemmata sternit. Non ergo illis præfidendum, sed illud Apostoli monitum prævidendum: *Præcipe divitibus non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed sperare in Deo vivo.* Ulterius adolescens iste matri amabilis & charus erat, nec deerant ei amici civitatis primarii, sic in matre & amicis fidere poterat: honorata enim civitatis turba funus subsequens amicorum copiam satis indicat. Sed jam ab illis extra urbem effertur, ex eorum etiam memoria efferendus: nec mater aliud ei quàm linteum procurare potuit & ligneum loculum, nec amici eum potuere subsequi, nisi usque ad sepulchrum. Quis ergo in parentibus fidat aut amicis, qui mox à morte hominem deserunt, nec una plus nocte apud se patiuntur eum sine nausea? Quod de volucri dicitur in Levitico hoc de isto adolescente verum est, & de quolibet homine intermoriente. Nam ibi habetur, *quod volucris offerenda nudabatur pennis, & ita in locum projiciebantur, ubi cineres effundi solebant.* Quid sunt honores, opes, spesque sæculi hujus? Pennæ sunt & alæ, quibus nonnulli volitare videntur, & in sublime ferri. Sed nonne his omnibus mors nos spoliat, ut alii his induantur? Quid ergo? Plumis spoliatos (quæ sæpe ad illos pertingunt qui nostri non meminerunt illis adornati) deplumatos nos projicit mors in locum cinerum, id est in sepulcrum, & deponit nos in terra oblivionis. Sic effertur adolescens iste extra urbem, extra opes, extra honores, extra conservationem hominum de plumatus, ut in locum cinerum dejiciatur nudus. Hoc attendens, tu nulli rei fide, quia quicquid hic possides, pennæ sunt & plumæ, quibus oportet te spoliari, & in cinerum locum cum nuditate dejici. O qualis commutatio, post opes & gloriam hæreditate cinerem & nuditatem!

Sed non adeo id tibi mirum videatur, etiam in hoc florido adolescente. Vnde advertunt quidã in Naim contigisse, quod defunctus hic efferretur. Interpretantur autem Naim, ut significet idem quod *Commotio vel fluctus.* Nempe repræsentatur per Naim hoc sæculũ, in quo continua est fluctuatio, continua motio, continua mutatio. Homo enim inconstantiæ quædam imago est, dum omnia quæ in ipso, vel circa ipsũ sunt, mutationi obnoxia cernuntur, Vita, Animus, Fortuna, Corpus. Quid enim vita hominis, nisi rota volubilis? Volvitur per lustra, annos, mœnses, dies, fluctuum instar; nec sistere cursum potest, nec revocare gradum. Elabitur vita etiam in vita. Magna pars effluit male agentibus, maxima nihil agentibus, pænè tota aliud agentibus. Quid animas hominis nisi arundo mobilis? Flectitur huc illuc ad omnem auram volubilis. Quantas cogitationum patitur alternationes? quam varias affectuum dissidentium alterationes? Modo serenus est cum jubilo, modò turbidus cum nubilo: modò plaudit, mox plangit. Modò fausta sibi spondet; mox despondet; quòd citò probat, mox reprobat. Pugnant vota cum votis, disceptant consilia cum consiliis. Quid favor fortunæ nisi ludus inconstantiæ? Ideo globo volubili insidet fortuna, & rotæ, qua omnia sursum, deorsum, alternata versat serie. Mox blanditur & ludit suo favore; mox hominem indignabunda deserit & illudit. Ideo Boëtius Fortunam ipsam introducit de sua mutabilitate sic loquentem: Cum te matris utero natura produxit, rebus omnibus nudum inopemque suscepi, te meis opibus fovi, favore prona indulgentius educavi, & omnium quę mei juris sunt, affluentia & splendore circumdedi: Nunc mihi retrahere manum libet. Habe gratiam velut usus alienis. Quid ingemiscis? Nulla tibi à nobis illata est violentia. Opes, honores, & similia juris mei sunt, Dominam famulæ cognoscunt, mecum veniunt, mecum discedunt. An ego sola jus meum exercere prohibeor? Cœlo licet proferre lucidos dies, eosdemque tenebrosis noctibus condere. Annus potest terræ vultum nunc floribus frugibusque redimere, nunc nimbis frigoribus que confundere. Mare jus habet nunc strato æquore blandiri, nunc procellis à fluctibus inhorrescere. Nos ad constantiam nostris moribus alienam inexpleta hominum cupiditas alligabit? Absit. Sed continuò ludum nostrum ludimus, rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Ascende si placet, sed ea lege ut descendere injuriam non putes cum nobis placuerit. Hæc Boëtius. Denique, quid corpus hominis, nisi mola versatilis? Mola volvitur, & volvendo teritur;

Tob 18.

Mors opes avellit, & stemmata sternit.

1. Tim. 6.

Cur adolescens hic mortuus in Naim.

Homo inconstantiæ imago.

Fauor fortuna ludus inconstantiæ. Boet. lib. 2. de consolat prosa.

Corpus hominis mola versatilis.

teritur; sic corpus nostrum pulveris massa inquietorum otu rotatur, & paulatim teritur donec pulveri reddatur. Diversa mutatione quasi in circuitu molam hanc trahunt Æstas & Hyems, Ver & Autumnus variasque ei affricant qualitates. Vnde corpus istud modò vigorem habet, & floridum est; mox languorem patitur, ægrescit, & olidum est. Patescunt hæc omnia in hoc adolescente, qui antea efflorescebat animo, ætate, corpore, robore, & adblandimentis fortunæ. Nunc jacet, fœtet, & effertur à quatuor portitoribus funestis in loculo.

Portitores mortui, qui?

At qui sunt hi portitores qui corpus hominis ad mortem efferunt? Audi S. Ambros. de hoc adolescente: *Hic mortuus in loculo materialibus quatuor ad sepulchrorum ferebatur elementis.* Ergo portitores sunt non solùm viri qui funus efferunt, sed etiam quatuor elementa ex quibus ipsum constat corpus hominis. Sunt enim quatuor qualitates elementorum, calor & frigus, humiditas & siccitas in homine sibi invicem adversantes; sicque mutuò se destruunt, & quasi portitores funesti & inquieti hominem ad mortem urgent & deserunt. Dum alteram superat altera, pura caliditas frigiditatem, aut contra humiditas siccitatem, aut contra, in dissolutionem & mortem compago corporis urgeatur necesse est. Inde enim morbi, inde mors, ex disproportione pugnantium in corpore nostro elementorum. Sic ergo docet nos adolescens qui effertur defunctus in Naim mortis memoriam, sæculi despectum, rerum omnium mutabilitatem, ut dictum est.

Ad ecce eo ipso die quo hæc scribo admoneor & ego mortis, & contemptus sæculi, ac mutabilitatis rerum omnium sublunarium. Efferuntur enim hoc die è domo mea exuviæ funereæ cœlibis puellæ quadraginta annorum, quæ in vivido suo ævo per mortem sublata lugetur, quia non solum rei domesticæ fidelis administra, operosa, ut apis argumentosa; sed etiam in Sacramentorum frequentatione sedula & pia, in altarium ornatu ingeniosa & prompta, in Missæ sacrificio quotidiana, Beatissimæ V. MARIÆ obsequio addictissima; quam suæ temporalis substantiæ hæredem instituit, donans eam ad ornamenta altaris in honorem Deiparæ Virginis specialiter erecti. Speramus verò quadraginta dierum acri ægritudine totidemque horarum agonia dolorosa à delictis expiatam, beatum inter brachia Salvatoris finem sortitam. Obnixè obsecro, ut ipse pro clementissima sua pietate vivificæ vocis suæ virtute, veræ vitæ eam faciat participem. Obsecro ut ad beatam immortalitatem eam suscitans: reddat matri suæ MARIÆ, cujus se filiam speciali affectu jugiter est professa. Ita, ô Domine Iesu, mortuorum salus & vita, occurre ei in porta & egressu hujus sæculi, quasi in porta & egressu civitatis Naim, & effice ut ex hoc volubili & miserabili ævo educta, vivat stabili tuæ & beatæ æternitate, sicque tuam Matrisque tuæ misericordiam in æternum decantet.

PARS II.

De pietate mortuis deferenda.

SEcundum documentum quod à matre tua & comitante turba discimus; est, pium esse & laudabile mortuis honorem deferre, & funus comitari ad sepulturam. Hoc scilicet est Angelico ministerio quodammodo participare; illi enim animas, nos corpora in locum quietis deducimus, voce Domini tandem excitanda. Immo & ipsi quandoque leguntur non solùm animas in sinum Abrahæ detulisse, *Luc. 16.* ut de Lazaro dicitur, sed etiam corpora ad sepulturam honorifice deduxisse. Sic dicitur Moysem sepeliviſſe in valle Moab, hoc autem ministerio Angelorum funus cum solemnitate efferentium, factum fuisse existimant sacri Interpretes. Pernotum est de S. Catharina, Angelos scil. mox à morte ejus corpus composuisse, in montem Sinai cum celebritate deduxisse, ibique sepeliviſſe, & exequias ejus celebrasse, justaque funebria persolvisse. Exaudiverat enim Deus orationem ipsius jam Martyrio vicinæ: *Da Domine* IESU, *ut hoc corpus meum quod pro te fuit confeciſſum, non poſſit ab iis aſpici qui quarunt illud.* Ideò Angeli missi sunt, qui corpus castissimum è potestate ministrorum impiorum eriperent. Similiter Angeli non tantum animam B. Agathæ morientis, sed & corpus curarunt, atque etiam Epitaphium istud ejus sepulchro apposuerunt. *Mentem ſanctam, & ſpontaneam, Deo honorem, & Patriæ liberationem.*

Deut. 34.

Sepelire mortuos eſt particulare Angelico miſterio.

Sic ergo Angelici quodammodo muneris participatio est, defunctorum corpora ad sepulturam cum pietate & charitate deducere. Neque interroges, quid hic mortuo & fœtido cadaveri honoris deferri valeat. Nam non est considerandum ut exangue & exanime cadaver, sed considerandum est ut corpus hominis ad imaginem Dei creati, quod sacramento baptismi aliisque divinis sacramentis templum Dei consecratum fuit, cujus cor Deum vivum adamavit & adoravit, cujus lingua ipsum mille millies invocavit, cujus oculi ad eum directi fuerunt suspicientes in cœlum, cujus aures verbum Dei susceperunt, cujus genua in terram millenis vicibus adorando flexa sunt, cujus manus ad Patrem cœlestem piè orando expansæ sunt, cujus pectus toties in signum contritionis percussum est cum sancta devotione. Denique corpore isto piis insistendo operibus creditur vitam æternam promeruisse, in quo etiam corpore resurrecturus est in die novissimo, & immortalitatis claritatem recepturus. An ergo condemnenda sunt corpora defunctorum justorum & fidelium, tot unctionibus sacris consecrata, toties corpore & sanguine Domini sanctificata, Spiritus sancti vasa & organa, quibus usus est ad pia opera immortalitatis, & æternitatis, semina in resurrectione animanda? Immò nec animalia fera contempserunt illa, quæ multoties ad eorum sepulturam operam suam attuliſſe legimus.

Corpori mortuo cur honor deferatur.

Sic cum *S. Antonius* inveniſſet S. Pauli Eremitæ corpus exanime, genibus complicatis, erecta cervice, extensisque in altum manibus, mox pallio illud

Exempl. ſepeliendi mortuos.

involu-

involvit, Hymnosque & Psalmos ex Christiana traditione decantavit; sed cum sæculo careret, quo terram foderet, duo Leones ex interiori eremo rapido cursu ad beati Senis corpus accurrerunt, ita ut facile intelligeretur eos quo poterant modo ploratum edere. Certatim autem terram pedibus effodientes, foveam quæ hominem capere poterat, effecerunt. In illam S. Antonius Pauli corpus injecit, & injecta humo tumulum Christiano more composuit.

Similiter cum S. *Maria Ægyptiaca* mortua foret, invenit *B. Zosimas* splendoris cœlestis indicio corpus ejus exanime, cui hæc in terra inscriptione: *Sepeli Abba Zosima misera Maria corpusculum; redde terræ quod suum est, & pulverem pulveri adjice, & ora Dominum pro me.* Venit autem Leo de eremo, qui pedibus terram eruens, foveam effecit, in qua Abbas Zosimas eam sepelivit.

Audi etiam de *B. Stanislao Polono.* Cùm eum propria manu trucidasset Rex *Boleslaus* ad altare sacrificantem, mox ex rabiè à ministris regiis corpus dissectum fuisse in septuaginta duas partes legimus, easque avibus & canibus devorandas in agros sparsisse. Verum cælitus advolantes aquilæ, sacri corporis fuere custodes & tutores, eas à feris mirabiliter defenderunt, donec tandem venerunt Canonici Cracovienses, qui nocturni splendoris indicio sparsa per agros membra collegerunt, ac suis aptè locis disposuerunt: quæ subitò ita inter se copulata sunt, ut nulla vulnerum extarent vestigia. Sicque factum fuit, ut corpus honorifica sepultura non careret; Clero ei occurrente, cui prius aquilæ honorem & tutelam exhibuerant. Similiter corpus S. Vincentii Martyris, projectum sine sepultura, corvus quidam & à volucribus & à lupo mirabiliter defendit, unguibus, rostro, alis. Qua re cognita, Dacianus Tyrannus illud in altum mare demergi jussit; sed inde etiam divinitus ejectum ad littus Christiani sepeliverunt honorifice.

Sic semper apud Christianos moris fuit corporibus mortuis honorem deferre, ea pie & decenter sepeliendo. Nec solùm Christianis sed etiam solitũ id fuit, Judæis, immò Ethnicis qui naturæ lucem & ductum secuti Nam illi tanquam naturæ injurii æstimati sunt qui hunc honorem neglexerunt. Inter quos fuere Lothophagi, qui corpora amicorum in mare jactabant: Sabæi quoque, qui Regum cadavera in sterquilinia projiciebant: Scitæ etiam, qui honori & benevolentiæ ducebant cadavera eorum quos diligebant inter epulas devorare; Hircani denique vel Massagetæ qui canibus aut feris ea objiciebant. Non sic fecere nisi homines non homines, homines belluini & inhumani; nam etiam Gentiles sepulturæ honorem habuisse, ex variis historiis nimis notum est.

Honorem non exhibens mortuis, naturæ injuria est.

Interfideles autem, tam in veteri, quam in novo testamento, magnam curam sepulturæ piæ fuisse, facile potest demonstrari. Adjurat Jacob filium suũ Joseph, ut in terra Ægypti non sepeliatur: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo, & facies mihi misericordiam & veritatem, ut non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum Patribus meis, & auferas me de terra hac, conduque in sepulchro majorum meorum.* Similiter & Joseph morituros adjurat fratres suos, dicens: *Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere faciet de terra ista ad terram quam juravit Abraham, Isaac, & Jacob; asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Hoc equidem fecit Moyses, asportavit ossa Joseph egressus de Ægypto. Hanc autem adjurationem Josephi tribuit Apostolus fidei ejus. *Fide mandavit Joseph de ossibus suis.* Nempe, sive Jacob, sive Joseph voluerunt sepeliri in terra Israel, ob fidem quam habebant de Christo, qui terram illam promissionis sanctificare debebat pedibus suis labore, sudore, sanguine. Voluerunt quoque inter Fideles sepeliri, gloriosam resurrectionem cum illis sperantes.

Gen. 47.

Gen. 50.

Exod. 13.

Heb. 11.

Cura sepulturæ pia sanctæ.

Cæterùm, antiquitus poterant sibi locum seligere ad sepulturam, & sepeliebantur extra civitatem, & extra castra, ut præcipitur Levit. 10. quia cadavera & locus in quo jacebant, reputabatur immundus. Hinc de hoc adolescente defuncto dicitur: *Efferebatur filius unicus matris suæ*: jamque portam egrediebatur, cùm ei Dominus occurrit. At modò fideles communem habent & sacratam sepulturam, locumque vocant *Cæmiterium*: quod verbum græcum est à dormiendo derivatum, quasi locus tenens dormientes. Ideo autem unus & communis locus sepulturæ statuitur; ut fidei & Sacramentorum unio insinuetur, charitasque commendetur. Nam sicut viventes unanimes habitarunt in domo, in Ecclesia, in fide una, ita & morientes non convenit separari. Deinde congruum est, ut in uno lecto cubent secundum corpora dormientes, qui secundum animam uni accumbunt mensæ perpetuò viventes. Denique, quam bene in uno lecto dormiunt, qui una voce sunt excitanda; *Surgite mortui; Expergiscimini qui habitatis in pulvere*; Constituuntur autem Cæmitaria illa juxta Ecclesias, ut transeuntes frequenter mortis memores simus & mortuorum, illosque Deo & Sanctis commendemus, in quorum honorem Ecclesiæ istæ sunt consecratæ. Quod si transeuntes pro ipsis non oramus, de nobis conqueri possunt verbis Psalmi: *Et non dixerunt qui prætereibant, Benedictio Domini super vos.* Quid enim aliud est benedictio, quam pro ipsis boni precatio: Non ergo eam negligamus prætereuntes, ut & nostri apud Deum postea meminerint. Neque vero solum in Cæmiteriis, sed etiam in ipsis Ecclesiis & templis consecrati, sepeliuntur modò mortui, qui olim etiam extra urbes efferebantur. Ratio diversitatis est, quia sicut in novo testamento cœlestis templi portæ patent animabus, ita etiam nunc templi terrestris portæ eorum patent corporibus. In veteri autem testamento portæ cœlestis templi clausæ erant

Olim extra civitates erat sepultura.

Num in cæmiteriis & templis & quare.

Psal. 128.

erant; & ideo etiam templi portæ debebant claudi corporibus. Et certè non immerito in templis sepeliuntur corpora illa, quæ, ut antea diximus, Spiritus sancti fuerunt viva templa; gratiæque divinæ instrumenta, suntque resurrectionis futuræ semina iterum animanda, & ad æternum templum Angelico ministerio deducenda.

Ex his ergo satis patet pium esse corporibus defunctis honorem exhibere, ea comitando ad sepulchrum imò etiam piè & moderatè super morte eorum flere, sicut mater hæc meritò lugebat filium
Ioan. 11. suum unicum. Sic & Christus flevit amicum suum Lazarum non solum ut mortuum, sed etiam ut mox ad vitæ mortalis ærumnas iterum revocandum ejus imperio. Propterea etiam dixit Eccle-
Eccl. 22. siasticus: *Fili super mortuum plora, defecit enim lux ejus. Modicum plora, quoniam requievit.* Fideles ergo lachrymæ non prohibentur, si moderatæ sint. Quapropter dicit S. Paulinus epist. ad Pammachium. *Bona lachryma charitatis, quibus Pater Abraham Matrem repromissionis luxit. Bona lacryma pietatis, quas justus Ioseph Patri impendit. Flevit & IESUS amicum suum. Hanc utique passionem de nostra infelicitate dignatus ut mortuo infunderet lachrymas.*

Fallaciter quidam lugent. Sed quidam suos mortuos lugent fallaciter & simulatoriè, quidam pertinaciter & immoderate. Simulatoriè nonnunquam plangunt hæredes parentum divitum, quia cùm in eorum opes succedant ad quas anhelabant, magnopere dolerent si eos à mortuis contingeret resurgere, & bona sua sibi rursus vendicare. Sic & quandoque conjuges lugent alterius conjugis mortem cum fictione, quia nec antea vivebant in vera dilectione. Sic etiam legatarii propter testamenta gaudentes, *ut flevent oculos erudiere suos.*

Alii lugent verè, sed immoderatè; & hi etiam increpandi sunt multiplici de causa maxime quando fletus diu protelatur quasi quadam pertinacia: Nam in primis divinæ voluntati videntur adversari. Deus enim quod suum est cùm placet repetit, ita ut animus bene compositus in morte quantumlibet dilecti parentis vel amici, debeat dicere illud
Iob. 1. Iob: *Sit nomen Domini benedictum, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est.* Certe & ipse novit quid cuique expediat, quandonam vivere, quando mori conveniat. Ipse est Dominus vivorum & mortuorum, nec nobis existimare debemus perire quod Deo non perit, sed pro suo beneplacito in melius disponit. Ulterius, qui nimio luctu prosequuntur funera defunctorum, & sibi nocent, & defunctis nihil prosunt. *Re-*
Eccl. 34. *pelle tristitiam à te, neque est conversio, & huic nihil proderis, & teipsum pessimabis.* Hoc attendebat David, qui filiolo suo ex Bersabæa nato adhuc languente flebat, & cibum non capiebat, in sacco & cinere cubans. Cùm autem esset defunctus, surrexit de terra, & lotus est, & comedit, & consolationem quam recusaverat, recepit dicens: *Numquid potero eum revocare amplius? Ego vadam magis ad eum, ille vero non revertetur ad me.* Denique qui nimis pertinaciter & immoderatè lugent defunctos, spem æternæ vitæ pro illis exiguam videntur habere, spemque diminutam resurrectionis futuræ. Nam si Christiani sint, & in Domino mori eos contigerit, quod Christianorum est; cur sunt adeo in morte deplorandi, quandoquidem per mortem transeant ad requiem, & mors eis sit finis laborum & ærumnarum, clausulaque malorum præsentium. Certè cum Dominus Lazarum flebat non tam flebat mortuum, quam ad vitam ærumnosam iterum revocandum. *Flebat quia qui jam portum appulerat, rursum ad fluctus, & qui coronæ vicinus, ad certamina revocabatur*, inquit Isidor. Pelusiota l. 3. ep. 173. Ideo etiam David plorat Absalonem, dicens: *Quis det ut moriar pro te?* 2. Reg. 18. Nunquid hoc dixit de Ionatha amico suo? *De paricida id dici debuit, quia mors peccatorum pessima. Pium erit velle mori pro impio, ut esset qui præsteret, ut esset cui misereretur Deus, ne in æternum periret.* At ille translatus ad requiem, *non erat ulterius in hanc miseriam revocandus.* Ita loquitur B. Aelredus in speculo charitatis l. 1. c. 2. Sic etiam dicit Ambrosius lib. 2. de morte fratris sui: *Cessabunt lachryma mea, quia debet aliquid inter fidos interesse, Foveamus suos, qui eos in perpetuum æstimant interisse. Nobis verò quibus mors non natura, sed hujus vitæ finis est, quia ipsa natura in melius reparatur, mortis casus abstergat omnes fletus.* Sic ergo lugeamus mortuos, ut meminerimus apud Deum esse vivos.

PARS III. *De misericordia impendenda & circumstantiis hujus resuscitationis.*

TErtium documentum in hoc Evangelio discimus ab ipso Christo Domino, nimirum afflictis misericordiam & opem nostram, quatenus ea illis necessaria est, impendere. Hoc enim hic nos docet Dominus, de quo dicitur, quod cum vidisset flentem matrem, *misericordia motus est super eam, & dixit: Noli flere.* Sic nimirum oculi Domini misericordia pleni sunt, unde fluentibus ab oculis viduæ lachrymis super sua miseria, succurrunt oculi Domini, à quibus fluit misericordia. Nec legimus hanc viduam rogasse Dominum, aut humili flebilique prece ei importunam fuisse: sed ex proprio cordis fonte hausit Dominus aquam misericordiæ, quam impendat etiam nemine rogante, ad succurrendum humanæ miseriæ. Unde dicebat Propheta & Rex: *Aspice in me & miserere mei* q. d. Si aspicis, non poteris non misereri; quod correspondet ei quod hic dicitur: *Quam cum vidisset misericordia motus est.* Psal. 118.

Emblema benignitatis Dei nos respicientis. Solebant antiqui, teste Sidonio Apollinari, ut efficaciam oculorum Dei cum benignitate nos respicientis indicarent, Solem pingere triplici radio effulgentem, cum hac inscriptione, *Oculi Dei ad nos.* Vnus autem horum radiorum dirigebatur in acervum nivis, & mox eum attingens liquefaciebat, Alter dirigebatur in rupem, & pertas fingebat.

Tertius

Fertius ferebatur super hominem mortuum, & illicò eum suscitabat. Hæc certe competunt Christo aptissime. Radios enim oculorum suorum direxit in Magdalenam, cujus cor frigidum erat instar nivis, & liquefecit illud ita ut tota defluere. Direxit & in Petrum, cujus cor instar petræ fuerat, & comminuit illud, ita ut in lachrymas solveretur. Direxit denique in viduam & filium ejus mortuum, & illico isti lætitiam, huic reddidit vitam. Ecce igitur vis oculorum Domini, qui hic dicitur solo aspectu misericordia motus. Nullus verò in eo motus, nulla actio, nullus passus: nullus oculorum intuitus, nullus cordis affectu unquam caruit; nullus occursus ejus felix non fuit. Occurrunt hic vita & mors in porta civitatis Naim, & vita mortem ipsam vivificat, quia mortuum dum vocat, ad vitam revocat. Non ergo fortuito, sed certo fine & divino consilio factum est, ut portæ tunc appropinquaret is qui vita est, dū mortuus afferebatur, & lugebatur à matre vidua. Ipse est enim de quo per Sapientem dictum est: *Non despicies preces pupilli, nec viduam si effundat loquelam gemitus. Nonne lacryma vidua descendunt ad maxillam ejus? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum.* Non exigua matrem hanc, jam non matrem, premebat angustia, quia erat solatio filii destituta, qui matri unicus erat. Mortem levius toleraſſet, si superfuisset alius filius, qui parentis dolorem lenire potuisset. Sed vidua erat, quæ non sperabat ulterius filios procreare, nec habebat in quem aspectum dirigeret vice defuncti, quia hunc solum lactaverat & educaverat, quidquid matri dulce ac pretiosum fuerat, in illo solo extiterat. Cum igitur humano auxilio orbata foret, nec maritum jam habens, nec filium, hæc omnis orbitas à Deo specialiter auxilium poscebat, qui se Patrem viduarum nominat, dicente Psalmista: *Dominus pupillum & viduam suscipiet.*

Eccliſ. 35.

Pſal. 145.

Viduam autem hanc verè viduam fuisse dicimus, quam sic Dominus honoravit. De illarum ergò numero fuit, de quibus scribit Apostolus ad Timotheum: *Honora viduas quæ verè viduæ sunt.* Vbi indicat inter viduas quasdam verè viduas esse, quasdam exteriori tantum specie. Illæ verè viduæ sunt, apud Deum & homines honore dignæ, quæ conformem statui suo vitam agunt. Atque inprimis, ut vere sit vidua, requiritur ut non solum sit corpore, sed etiam corde, hoc est, ut resolvat conservare castam viduitatem & continentiam inviolabiliter. Nam quæ iterum expectant occasionem mariti, corde non sunt viduæ, si corpore. Quapropter S. Ambrosius in lib. de viduis illas variis rationibus adhortatur, ad resistendum fluctuantibus cogitationibus in diversa rapientibus. *Si quæreris,* inquit, *te esse solam, amat castitas solitudinem, & Christus in tua societate est. Si allegas te carere adjutore qui negotiorum tuorum curam gerat, aut apud judices intercedat. Deus tuus Iudex erit Mediator, & Advocatus, legis sua observator zelosus, qua præcipit pupilli & viduæ causam protegi. Si dicis te exiguum habere patrimonium: Continentia bonum patrimonium est, & hæreditas copiosa, multa benedictione cumulata, secum opes vehens ad sufficientiam. Si excusas te ratione prolium, allegans tibi opus esse aliquo cooperante, ut educentur & instituantur, è contra dum iterum nubis, perdunt matrem. Si hæredem habes, cur novis nuptiis novos quæris hæredes? Cur fraudas proles primi thori integro illo amore materno, quem eis debebas, divisura illum non sine discordia in futuri thalami futuras proles?* His fere utitur rationibus S. Ambrosius. Vlterius dicimus, ut sit verè vidua, renuntiandum esse secundis nuptiis pura intentione, ut scilicet possit perfectius divino obsequio se mancipare, & cor suum Christo cum omnibus affectibus unire. Nam si viduitatis statum amplectitur, ut liberior sit, quia jam marito subjici non oporteat, nec jugo premi matrimonialis servitutis, vel etiam ut relinquat filios divites, vel ad alios respectus quosdam humanos, talis apud Deum laudem veræ viduitatis non consequitur, quia non pure propter Deum illam amplectitur, nec spem solum figit in Deo, sed etiam in sæculo? Denique quæ vere vidua est, debet se exercere in orationibus & piis operibus, dicente Apostolo. *Quæ verè vidua est & desoluta, speret in Deum, & instet orationibus, & obsecrationibus die ac nocte.* Nempe Christus eorum Consolator, Pater, & Maritus orationem instituit tanquam medium, per quod vult familiariter cum eis conversari, & tanquam remedium quo vult promissum eorum desolationi & infirmitati. Debet etiam quantum fieri potest à sæculi vanitatibus se subtrahere, ut de aliis exemplum modestiæ, & sit speculum virtutis etiam in exteriori conversatione. Hæ sunt igitur viduæ, quarum lachrymas speciali intuitu respicit Dominus, nec despicit eorum vota & preces. Talis fuisse videtur vidua hæc, vitam degens piam, secundum institutum & rationem illius temporis antiqui, quæ propterea meruit à Domino resuscitationem unici filii sui defuncti. Talis fuit S. Monica Mater Augustini, quæ etiam lachrymis suis piis meruit conversionem filii sui à libidine & hæresi, in qua jam dudum coram Deo mortuus jacebat. Vnde cum de eo conqueretur Mater sollicita pro filio, respondit quidam Episcopus. *Non potest perire filius tantarum lachrymarum.* Suscitavit ergo eum tandem Dominus voce & luce sua, & reddidit eum matri suæ, quem in gratiam matris suscitarat à morte spirituali, sicut & hunc adolescentem à morte corporali.

1. Tim. 5.

Quæ verè vidua dicatur.

2.

3.

2. Tim. 5.

Aug. in lib. conf.

Sed videamus circumstantias hujusce miraculosæ suscitationis, easque ponderemus. Audi Evangelistam: *Accessit & tetigit loculum, & ait: Adolescens, tibi dico surge, & resedit qui erat mortuus.* Sic nempe vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, is qui habet clavem mortis & inferni. Sic ad illius præceptum mors fugit, de quo dicitur:

Domi-

1 Reg. 2.

Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. Mirabilis vox Domini, cujus virtute resurgunt mortui, cui parent abyssi, ad quam

Apoc. 20.

mors & infernus dederunt mortuos suos. Neque tamen egebat Dominus voce, neque tactu loculi, qui poterat sola voluntate illum ad vitam revocare, voluit tamen vocare, voluit & feretrum tangere, tum ut ostenderet vocis & tactus sui efficaciam, quam habet caro ejus à Divinitate, tum interprete S. Ambrosio, ut significaret lignum quod antea nobis non proderat, posteaquam Iesvs illud tetigit proficere cæpisse ad vitam. Sic spem habebat resargendi qui ferebatur in ligno, quia per lignum Crucis illata est nobis spes salutis. Vbi Christus lignum tetigit, nos à tumulo revocavit, antequam autem lignum Crucis tangeret, nonnisi mors potestatem habebat. Sic ergo significatione prævia hoc feretrum & lignum funebre voluit tangere, & per attactum vitam ei refundere. Dixit autem in specialis *Adolescens tibi dico surge*, quia ut advertit S. Basilius Seleucus Oratione 10. Tanta est divinæ vocis efficacia, ut ad illam omnes mortui vivificarentur, nisi unum nominatim eligeret, & ad illum vocem determinaret. Verba ejus sunt: *Cur addit* Tibi: *Simplicius dictu fuit, Heus mortue surge. Sed Salvatoris vox alios etiam fuisset virtute sua mortuos excitatura, ideo adjecit* tibi, *ut ad eum tantum adolescentem gratia sua vim explicaret*, hæc ille. Similiter ad Lazarum specialiter dicit: *Lazare veni foras*, & ad puellam Principis Synagogæ; *Thabita cumi, puella surge.* Sic ubique specificat, cùm quempiam à morte revocat.

Cur hic tactu & voce Christus sit usus.

An hac resuscitatio fuerit ad salutē.

Porro hic pie existimamus, hanc suscitationem adolescentis saluti conducibilem fuisse, tum quia dicitur quod Christus suscitatum dedit matri suæ, cujus meritis revixerat, non foret autem donum Dei, si à portu salutis revocaretur in incertum, aut si resuscitatio eius noceret saluti. Tum etiam qui mox cæpit loqui, quam quidem loquelam fuisse gratiarum actionis pro tanto beneficio sibi & matri impenso pie asserunt Interpretes. Non enim ingratus esse debuit tanto Benefactori cujus potentiam & misericordiam coram omnibus potuit decantare in porta civitatis, is qui erutus erat de portis mortis. Absque dubio & mater idem præstitit, jam præ gaudio lachrymas fundens, quæ præ tedio, & tristitia illas prius fuderat: accesitque ad pedes Domini illos rigans per has lachrymas gratitudinis suæ testes.

Cur dedit illum matri suæ.

Cum autem dicitur, quod illum Dominus dedit matri suæ, per hoc etiam monentur adolescentes, qui prospere volunt vitam secundum Deum agere, semper debere attendere quod à Deo dati sint matri & patri in obedientiam & directionem. Ideoque si benedictionem à Deo velint consequi, necessarium esse Patri Matrique adhærere, nec se ab eis excutere velle, aut cum libertate agere. Vnde tota benedictio Iacob à Matre fuit, de qua re-

Rupert. in g.n.

agens Rupertus, dicit: *Omne consilium per Iacob à Rebecca initium sumit, ipsa ad surripiendam benedictionem ipsum submisit, ipsa fuga consilium prior porrigit, ipsa demum procurat ei conjugium.* Recte ergo monuit Sapiens: *Audi fili mi disciplinam patris tui, & legem matris tuæ ne obliviscaris.* Sic plerique adolescentes sub disciplina matris profecerunt: & pietatem à teneris annis hauserunt. Inter hos fuit S. Ædmundus, S. Ludovicus Rex, qui sub monitis Blanchæ matris mirè profecit, & ad apicem perfectionis pervenit. Dederat ergo illum Dominus matri suæ, sicut & hunc adolescentem.

Prov. 1.

Concludamus, & dicamus adolescentem hunc defunctum peccatoris gerere typum, qui spiritualiter est mortuus. attamen quia eum Mater Ecclesia deflet per gemitus Sanctorum, & per lacrymas piorum qui sunt oculi eius; non inanes cadunt illæ lachrymæ, nec despiciuntur à Iesu Christo, cœlesti Patre. Sicut autem quatuor portitores corpus solent deferre ad sepulchrum; ita & quatuor portitores solent deferre animam ad tartareum tumulum, nisi fistantur à Domino. Hi portitores sunt Spes longioris vitæ, Propositum emendationis futuræ, Elongatio divinæ vindictæ, Præsumptio misericordiæ. Vnde dicebat S. Augustinus lib. de misera vita: *O vita præsens, quam multos decepisti, quot seduxisti, quot excæcasti, qua dum fugis nihil es, dum videris umbra es, dum exaltaris fumus es, fastidis dulcis, amara sapientibus,* qui te amant non te cognoscunt. Quia ergo multi, & maximè adolescentes, spe longioris vitæ educantur, ad peccatum & mortem ducuntur. Et quia iidem in futurum differunt emendationem, sæpe pereunt, & in puncto ad inferna descendunt, dum dies suos in bonis ducunt. Sic videntur dicere, *Manda, remanda, expecta, reexpecta, donec retorsum cadunt & conteruntur, illaqueantur & capiuntur.* Deinde, ideo quia cito contra malos non profertur sententia, absque ullo timore perpetrant mala. Denique repromissio nequissima perdit os, dum dicunt in corde suo, *Miseratio Domini magna est.* O portitores funerei! Tangat ergo Dominus loculum, id est conscientiam in qua jacet peccatum, sistat hos portitores. His nunc innitatur anima, sed relinquat peccati duces, deserat peccandi occasiones, audiatque tandem jacens mortua vocem Domini: *Tibi dico surge.* Sic revivisat, resideat incipiat loqui, reddatur matri. Revivisit anima per veram cordis compunctionem, residet per sancti propositi assumptionem, incipit loqui per humilem peccatorum confessionem, per orationem & gratiarum actionem, per Dei laudem; redditurque Sanctæ Matri Ecclesiæ cum sancta lætitia per bonorum operum communionem.

Hic adolescens typus peccatoris.

Isa. 28.

Cōclusio.

IMprime, Domine, profundo cordi nostro mortis memoriam, quæ omni impendet ætati: omnique conditioni, cujus vel locus, vel tempus nobis incertum est, te ita ordinante, ut semper ad eam parati

parati simus, ne incautos, & improvidos nos adoriatur & rapiat, nec sit qui eripiat. Imprime etiam nobis ex mortis certo nobis incumbentis consideratione sæculi hujus miseri despectum cujus adeo sunt caduca, adeoque brevia gaudia, quæ spe nos lactantinani, cuius omnem magnificentiam, possessionem, pompam, non locus augustus, sed loculus angustus, urna septem pedum, claudere tandem debet, velint nolint illi qui domibus amplis, & laqueatis vix erant contenti. Deniq; utere erga nos misericordia tua, est si quandoque anima nostra in peccati tumulum insipienter se efferri sinat, ablata gratiæ tuæ vita, siste portitores, voca & tange eam: ut sic voce, & tactu tuo vivifico rursum vivat per veram cordis compunctionem, rursum resideat per novæ vitæ inchoationem, rursum loquatur, & tibi gratias agat per veram confessionem & orationem: sicqu: Matrem suam Ecclesiam, & Sanctorum chorum lætificare valeat, & misericordias tuas in æternum decantare.

Exempla. HAnc potestatem mortuos suscitandi etiam omni sæculo aliquibus speciali gratia à Christo Domino concessam fuisse, sacris posset probari historiis.

Act. 9. Sic S. Petrus non solum Thabitam in Ioppe defunctam suscitavit, sed etiam adolescentem quemdam propinquum Neronis Romæ defunctum, idque in præsentia Simonis Magi ad ipsius confusionem, ut refert Egesippus l. 3. de excidio Hierosolymæ c. 2. Cum enim arte sua magica nihil potuisset erga eum Simon, accessit Petrus, & magna fide & voce inclamavit: *Adolescens surge, sanes te Dominus Iesus.* Moxque surrexit, & locutus est, & ambulavit, & cibum sumpsit, & dedit eum Petrus Matri suæ.

Sic S. Paulus Eutycum adolescentem è tertio cœnaculo, seu contignatione, deorsum prolapsum ipso prædicante, & sublatum mortuum resuscitavit. *Act. 20.* Quomodo id fecit? *incumbens super eum* instar Eliæ & Elisæi, *& complexus eum* arctissime, quasi viscera suæ compassionis & charitatis in eum effunderet. Reddidit ergo eum Matri suæ & suis parentibus magna cum consolatione, ut ibidem Acta testantur.

Sic cum Pansophius filius Clarissimi Viri Decentii in Civitate Florentina spiritum exhalasset, Mater plena fide ablato illo de superiore parte domus ad inferiora descendit, ac in lecto S. Ambrosii, qui tunc temporis apud eos morabatur, puerum composuit, ipso tunc absente Ambrosio. Cum ergo revertens eum invenisset, miseratus matrem & fidem ejus contemplatus, Elisæo similis supra corpus infantis se ipse composuit, atque orando meruit vivum *reddere matri sua.* Ita S. Paulinus in vita S. Ambrosii.

Sic S. Martinus trium fuit mortuorum suscitator, sicut & Christus, ut ejus Acta testantur. Quod idem de S. Dominico legimus.

Rational. Evang.

Denique, ut ad nostrum sæculum veniamus, audi de S. Francisco Xaverio. Adolescens quidam non ignobilis mortem obierat in Punicali Oppido in ora Commorinensi. Confestim hic ad Franciscum delatus est à suis, & ad pedes ejus positus cum ingenti comploratione. Itaque eum manu prehensum Xaverius Christi nomine surgere jubet. Sic redivivus ille continuo surgit. Et quamvis sanctus vir per humilitatem miraculum dissimularet, & supprimere conaretur, mox tamen ubique divulgatum est, & celebratum opus hoc divinæ virtutis per Xaverium patratum. Accessit & aliud miraculum prioris fidem firmans. Nam ibidem Christiana mulier Franciscum adiit flens, & deplorans orbitatem suam, suppliciter obsecrabat ut ad filium suum nuper in puteo extinctum accedere dignaretur. Tum ille negans puerum esse mortuum, bono animo jubet esse matrem, eamque sequitur. Vbi ad ejus ædes ventum est, procumbit in genua, Deumque precatus, exanime corpus signat cruce, & constim exiliit puer è feretro vivus & valens, eumque *reddidit matri sua*: Sed non obstante quod Xaverius silentio rem regi obsecraret, per ora omnium eius sanctitas hoc miraculo illustris volavit. sic viri sancti ad commiserationem moti ob fletum & preces matrum, instar Christi, filios earum suscitarunt. Sed aliter illi, aliter Christus: quia ille solo verbo & suo potuit id imperio; illi oratione fusa vel expansione corporis sui id fecere, idque in virtute Christi. *Turfell. l. 3. c. 7.*

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Cum introisset in domum Principis Pharisæorum sabbatho manducare panem, & ipsi observabant eum. Luc. 14. *Lect. 25. tripartita.*

MAgna fuit Christi Domini mansuetudo & benignitas, charitas & condescensio, qui ut omnes lucri faceret, non solum dignatus est cum peccatoribus conversari, sed etiam in eorum familiaritatem sese insinuare, cum ipsis convesci & convivia adire, etiam illa in quibus ei apponebatur fel malevolentiæ. Hæc autem omnia peregit zelo salutis animarum, exemplum præbēs omnibus quos ad conversionem aliorum destinat, ut benigne eis condescendant, cum illis familiariter agant, conversentur convivant, tolerent. Quod si quid pulveris mundani inde forsitan quandoque contraherent necesse sit, id tamen facile indulget: quia novit eos non posse semper instar Solis radios suos spargere per lutum & pulverem, & non inspergi hoc pulvere. Nam & venialium delictorum pulvis Apostolorum quandoque pedibus adhæsit, quem mox tamen excutere & eluere fuerunt solliciti. Hoc Domini cum hominibus humane conversantis & benigne condescendētis exemplum attendēs S. Franciscus etiam eandem viam sequi, suisque consulere tandem resolvit, post longam cum ipsis & cum *suos.*

PARS I. De IESV peccatorum convivia adeunte.

Sermo S. Francisci ad fratres

Deo consultationem. Vnde quodam die his verbis allocutum fuisse fratres suos legimus: Magnum mihi dubium contigit, fratres charissimi, vobis proponendum, & à vobis Dei adjutorio dissolvendum. Quid si fratres consulitis? quid laudatis? An quod oration vacem, an quod prædicando discurram? Si quidem ego parvulus, simplex, & imperitus sermone majorem orandi accipi gratiam, quam loquendi. Videtur etiam in oratione luctum & cumulatio gratiarum, in prædicatione distributio quædam donorum cælitus acceptorum. In oratione etiam est purificatio interiorum affectuum, & unitio ad unum summum verum bonum; in prædicatione spiritualium pulverisatio pectum, distractio circa multa, & relaxatio disciplinæ. Tandem in oratione Deum alloquimur & audimus, & quasi Angelicam vitam agentes inter Angelos conversamur; in prædicatione multa oportet condescensione uti ad homines, & humane inter eos vivendo humana cogitare, videre, dicere, & audire. Sed unum est in contrarium quod videtur præponderare his omnibus ante Deum, quod unigenitus Dei Filius, qui est Sapientia summa propter animarum salutem de sinu Patris descendit, ut suo mundum informans exemplo verbum salutis hominibus loqueretur, quos & sacri sanguinis pretio redimeret, & emundaret lavacro, & poculo sustentaret; nihil sibi omnino reservans quod non in salutem nostram erogaret. Et quia debemus omnia facere secundum exemplar eorum quæ videmus in ipso tamquam in monte sublimi, videtur Deo magis placitum quod intermissa quiete foras egrediar ad laborem. Hæc S. Franciscus ad Fratres.

Cur ad convivia Christus iverit.

Itaque Christus Dominus si quandoque convivia adibat, id non tam erat ut pasceretur, quam ut convivas suos pasceret, non tam ut corpori suo benè esset, quam ut convescentium animabus prodesset. Nec enim cui à carnis faciebat in desideriis, quia dixerat. *Ne sollicesti sitis animæ vestræ quid manducetis.* Et ubique sobrietatis dedit exemplum, qui secundum carnem non vivebat; unde etiam forsitan propterea hic dicitur introisse in domum Principis Pharisæorum *manducare panem.* Licet enim nomine Panis Hebræis omnis cibus significetur, tamen etiam solo pane Christum contentum fuisse non ambigimus, qui ubi miracula voluit edere pro esca, non delicias procuravit, sed panes multiplicavit, & piscículos in cibum dedit. Nec vero respuit ad convivium invitatus alios cibos, qui dicebat Apostolis: *In quamcumque domum, intraveritis, comedite quæ apponuntur vobis.* Docuit nimirum suos & verbo & exemplo, ut ab iis quibus verbum vitæ nuntiarent, humanitatis obsequia sibi exhiberi non reverent, conformiter verbo Apostoli dicentis: *Si spiritualia vobis seminamus, non magnum est si carnalia vestra metamus.* Docuit etiam non esse illicita convivia inita honestæ amicitiæ gratia, si fit *secundum populus secundum faciem Sanctorum*, si absentium vitia ibi in esca non proponantur, si irrisione quorundam simplicitas non traducatur, aut contemnatur, si fit *sermo sale conditus & lingua eucharis*, si turpiloquia absint & lubrica, si luxus & asotia eliminentur. Ad illa olim vocari debebant hi qui sacris officiis præerant Sacerdotes vel Levitæ, ut in modestitiam invitatos suo exemplo continerent: *Epulaberis tu & domus tua, coram Domino, & levita qui intra portas tuas est, cave ne derelinquas eum.* Adire ergo & ipsi modo possunt convivia exemplo Domini, sed modestia illis præesse, & verbo decet prodesse.

Matth. 6.

Luc. 10.

Coloss. 4.
Eccles. 6.

Deut. 14.

Sic Dominus nulli interfuisse legimus convivio, quin aliquid gratiæ spiritualis impertitus fuerit. Si ad nuptiale convivium invitatur, vinum ex aqua efficit, & manifestat gloriam suam, & Patris sui coram discipulis suis. Si invitatur ad convivium in domum Simonis, hospitem suum salutari doctrina instruit, & peccatricem cor contritum & humiliatum lachrymis conspersum in ferculum giatissimum afferentem invitat, remissionemque peccatorum ei impertitur. Si in domum Zachæi se invitat, salutem etiam illi domui annunciat. Si adest ipse hospes frequens Marthæ & Magdalenæ, non solum earum domum replet benedictione, sed etiam lætificat fratris Lazari resurrectione. Si ad convivium procedit à Matthæo & Publicano exhibitum, Apostolico eum ministerio remunerat, & salutari sermone convivantes informat. Si in Emaus cogitur remanere invitus, non deest his à quibus est invitatus. Nam qui eum præsenserant in via per ardorem cordis, plene agnoscunt in mensa per fractionem panis. Similiter hic invitatus hydropicum sanat, & præsentes sic instruit, ut eorum quippiam in hæc verba proruperit: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.*

In omnibus conviviis, gratiam socius, impertitus.

Ioan. 2.

Luc. 7.

Luc. 19.

Ioan. 11.

Matth. 9.

Luc. 24.

Qui ergo per Prophetam dixerat: *Locum pedum meorum glorificabo*, in locum quemcumque in quem pedes suos infert invitatus, locum in quo vel sedet, vel discumbit, non deserit sine benedictione, glorificans illum, vel miracula patrando, vel lectionem aliquam salutis ibi tradendo. Certe numquam assedit mensæ sine salutari lectione, qua ad virtutem aliquam assequendam præsentes instigaret.

Isai. 60.

In mensa lectionem salutis Christus dedit.

1. In mensa Simonis pro condimento affert lectionem de virtute Charitatis, & vi divinæ dilectionis: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Luc. 7.

2. In convivio Matthæi tractat de imitanda misericordia Dei: *Euntes autem discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium.*

Luc. 10.

3. In mensa Zachæi lectionem instituit de zelo animarum & zelo gloriæ Dei: *Venit Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat. Hodie huic domui salus à Deo facta est, eo quod & ipse sit Filius Abrahæ.*

4. In mensa hujus Pharisæi tractat de Humilitate.

tate: *Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco. &c.* Addit & lectionem de Eleëmosyna & Liberalitate. *Cum facis prandium, noli vocare amicos, neque fratres tuos, neque vicinos divites, ne forte te ipsi reinvitent, & fiat retributio. Sed voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.* Tales modo lectiones in mensa fastidiunt, & eas proponere importunum judicant homines hujus sæculi, qui cibum reipuunt mentis, dum tori inhiant cibo ventris. Fastidio eis sunt & oneri, qui seria & salubria tunc producunt, & morosi judicantur ab illis. Non excipiunt cum plausu & pruritu aurium, nisi quæ ad ineptam spectant lætitiam, aut ad novitatem fabulosam, aut ad vanam complacentiam & adulationem.

Christus in aliorũ mensa non fuit adulator.

Licet Christus Dominus Principis Pharisæorum domum ingrediatur invitatus ad mensam, non erat tamen de numero adulatorum. Non erat de numero illorum, quos reprehendit S. Nilus in Ascetico his verbis. Ad divites accurrimus, eosque ut quod cupimus, impetremus, dicimus benè meritos, & Christianorum Patronos appellamus, omnesque illis virtutes inesse dicimus, quam visin vitiorum fœditate volutentur. More canum qui caudæ motu blandiore ossa, eaque etiam sine carne, aut panis micas projicientibus adulantur. Aliter

4. Reg. 5. Sancti Patres fecerunt. Venit ad Elisæum Naaman Dux Syrus, multa munera secum tulit Quid igitur? Num illi processit obviam? Nec ad præsentiam quidem admisit, ne muneribus quæ attulerat eum curasse videretur. Hæc S. Nilus. Cui conforme est quod dicit S. Gregorius Nazianzenus orat 27. *Non ita comparatus sum, ut hominum benevolentiam blanditiis & assentatione surripere queam, quales multos eorum video, qui hoc tempore sacerdotii munus profitentur, ut fidei nostræ pietatem, quæ prius simplex atque artis expers erat, artificiosam reddiderunt, ac novum quoddam politices genus à foro ad sancta transtulerunt, & à theatris ad sacrarium.*

Sacerdotes & religiosi faciunt nunc contrarium.

Utinam & hoc tempore de multis Sacerdotibus & Religiosis id verum non sit! Hi frequentant Magnatum aulam, & divitum meniam, & ut benevolentiam eorum expiscentur, artificio utuntur & assentatione, videturque eorum cupiditati servire, cum eam tenerentur reprehendere. Non sic Christus, qui non obstantibus conviviis cum benevolentia sibi exhibitis, peccata suorum hospitum, vel convivarum libere increpat, ut medelam eis ferat. An non cum libertate in domo & mensa Simonis

Luc 7. se gerat, & eum reprehendit? *Intravi domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, oleo caput meum non unxisti, osculum mihi non dedisti.* Hæc autem mulier lacrymis rigavit pedes meos, capillis tersit, osculari non necessavit, oleo unxit. Erras ergo, ô Simon, dum dicis intra te: *Hic si esset Propheta, sciret utique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.* An non in domo propria Martham de nimia reprehendit sollicitudine, licet eam in gratiam ipsius susciat, ut hospitem digne tractet; *Martha, Martha solicita es & turbaris erga plurima.* *Luc. 10.* *Porro unum est necessarium.* An non hic in domo Principis Pharisæorum ambitionem carpit eorum, quod primos accubitus eligerent? Nescit adulari ergo Christus propter escam, aut propter inopiam. Nec suos vult similem ob causam divitibus adblandiri ultra quam deceat. Quamvis cum benignitate & prudentia velit cum illis agi, ut à vitiis ad virtutem traducantur, ideo enim & ipse cum illis familiariter conversatus est. Quapropter S. Chrysologus sic de ipso loquitur ser. 29. *Iesus epulabatur non cibis, sed reditu peccatoris, ita revocaret convivio humanitatis affectu, dulcissima confabulatione discumbentes, quos sciebat ludicis agnita potestate posse dissolvi, percelli terrore. Occultavit se Dominum qui servit dignatus est fiduciam non negare: majestatem texit, qui fragiles sinduit parentis amore complecti.*

De convivantium Pharisæorum observantia.

DIcamus interim convivia parce frequentanda esse, quia in illis fere latet aliquis lapis offensionis. Vel enim suggeritur occasio intemperantiæ, vel dissolutioris lætitiæ, vel libertatis nimiæ. Sic enim se modo habent sæculi mores; ut passim conviviis sese interserant tamquam indivisi comites temulentia & lascivia, aut tamquam pedissequi finem sublequantur. Mora enim quæ inter fercula protrahitur, ac propinantium importunitas, fit gulæ damnosa illecebra; ita ut honestam recreationem facile vertat in temulentam lætitiam, & voluptatem. Sed nec deesse solent ibidem qui aliorũ actiones & sermones dolose explorent, sinistre interpretentur, malevole observent. Quod ergo hic de Pharisæis parum benevole erga Dominum sese gerentibus dicitur, hoc sæpe in conviviis verum esse dignoscitur: *Et ipsi observabant eum.*

Sæpe inter convivia insidiæ.

Notum est ex antiquis historiis crebro insidias à malevolis fuisse adornatas in convivio. Quis ignorat infelicem successum convivii Absalonis, qui adeo instanter & amanter invitarat fratrem suum Ammon? In convivio tetendit ei laqueum. Unde servis suis præcepit: *Observate cum tumultuatus fuerit Ammon vino, & dixero vobis percutite eum & interficite.* Fecerunt ergo sicut præceperat eis. An non igitur hic verum fuit: *Et ipsi observabant eum?* *2. Reg. 13.*

Quis etiam ignorat insidias & necem Simoni Machabeorum Duci in convivio infelicissime illatam? Perambulans civitates quæ erant in regione Judææ, & sollicitudinem gerens earum, descendit in Iericho. Et suscepit eos Filius Abobi in munitiunculam quæ vocatur Doch cum dolo, & fecit eis convivium magnum, & abscondit ibi viros. Et cum *1. Mac. 16.* inebriatus esset Simon & Filii ejus, surrexit Ptolomæus cum suis, & intraverunt in convivium, & occiderunt eum, & duos filios ejus. An non & hic verum fuit: *& ipsi observabant eum?*

Quid de Esther dicemus? Nonne & ipsa adorna-

vit convivium tamquam laqueum, ut interciperet & interimeret hostem suum Aman? Dixit enim Regi; *Si placet, ô Rex, obsecro ut venias ad me & Aman tecum ad convivium quod paravi.* De hac invitatione gaudebat, imo superbiebat & gloriabatur Aman coram uxore & amicis, *Regina Esther nullum alium vocavit ad convivium cum Rege praeter me, apud quam etiam cras cum Rege sum pransurus.* Sed ignorabat infelix laqueum sibi paratum in hoc regio epulo, benigna obumbratum invitatione. Audi hac de re Rupertum Reginæ factum ponderantem lib. 8. de victoria verbi Dei, Non aperuit confestim Regina suam petitionem & voluntatem, sed ad convivium ucumque vocavit amicum & inimicum, Regem & Aman. Prudenter providebas illic aperire inimicitias, unde effugere non posset hostis homicida. Feram immanem, ursum ferocem ut tradat ad supplicium, allicit ad edulium: ne prius audiat famam quam subeat pœnam, ne prius videat foveam quam incidat in eam: sciens commodius esse feram comprehensam interius opprimi, quam exteritam & per saltus fugientem cum canibus dubio eventu insequi. Hæc ipse. Itaque & hic verum est de Aman: *Et ipsi observabant eum.*

In qua Christum observarint.

Sed quæres in quonam hi Pharisæi observabant Dominum secum convivantem? observabant eum in omnibus, in potu, in cibo, in verbo, in facto. Quid non solet malevolentia & malesuada invidia in aliis observare, ut dijudicet, inficiat, criminetur? Dijudicat temerariè, inficit venenosè criminatur calumniosè etiam opus bonum; & cum opus non potest reprehendere, intentionem benè agentis interpretatur siniestrè. Si quis studet humilitati, dicit hypocryta est; si recreationi gulosus est, si patientiæ timidus est, si justitiæ impatiens est, si simplicitati fatuus est, si prudentiæ malitiosus est, si maturitati phlegmaticus est, si jucunditati dissolutus est, si religioni singularis est, si societati sæcularis est, si vigiliis & orationibus indiscretus est, si prædicationi & aliorum saluti appetitor laudis est, si habet gratiam hominum adulator est; si adulari renuit superbus est. Sic conqueritur S. Chrysostomus & quotidiana experientia satis exploratum est, homines enim invidi & malevoli quod virtutis est, vitio deputant temere, & quod vitii est virtuti adscribunt impiè. Hoc ipso conqueritur Sidonius Apollinaris lib. 7. ep. 7. in hæc verba: Quis non erubescat cum videat sordidari virtutum sinceritatem vitiatione vitiorum? Si eligimus humilem, vocatur abjectus. Si proferimus erectum, vocatur superbus. Si minus institutum, propter imperitiam creditur videndus. Si aliquatenus doctum, propter scientiam clamatur inflatus. Si severum, tamquam crudelis horretur. Si indulgentem, facilitate culpatur. Si simplicem, despicitur ut stultus. Si acrem, vitatur ut callidus. Si diligentem, superstitiosus decernitur. Si remissum, negligens judicatur. Si solertem, cupidus; si quietum, pronunciatur ignavus. Si abstemium producimus, avarus accipitur. Si eum qui prandendo pascat edacitatis impetitur, si eum qui pascendo jejunet, vanitatis arguitur. Libertatem pro improbitate condemnant, verecundiam pro rusticitate fastidiunt. Hæc ipse. Sic nimirum homines tamerarii pro affectu suo judicant, & ut plurimum judicium illud ex invidia, vel malevolentia ortum habet.

Nota vitiorum de aliis judicium.

Ab his judiciis non fuit exemptus Christus Dominus, quem adversarii observabant in cibo & potu, in conversatione & convivio, & in minimis quibusque. Nam festucam in eo quærebant, cum trabe ipsi onerati forent; muscam liquabant & cribrabant in ejus verbis vel actionibus, cum camelum glutirent in suis. Propterea invitant ad convivium, & locum ac tempus benevolæ relaxationis, vertunt in locum & tempus odiosæ observationis. Ideo alibi conqueritur Dominus de eorum malevolentia & invidia: *Venit Joannes, neque manducans, neque bibens, & dicunt; Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini, publicanus & peccatorum amicus.* Dupliciter homines ad meliorem inducuntur vitam, quidam per speciem sanctitatis, quidam per viam familiaritatis. Christus & Joannes has sibi diviserunt vias. Ideò Joannes, cui asperiorem viam Dominus reliquerat, non comedebat aut bibebat, cibum scil. aut potum ordinarium & delectabilem; *non manducabat panem aut bibebat vinum*, & tamen quia sic abstinens erat, dicebant de illo, *Dæmonium habet.* Christus autem venit manducans & bibens; hoc est, indifferenter oblatos cibos acceptans, liberè etiam ad invitantes accedens, non cibi temporalis gratia, sed ut sua familiaritate invitantes ad fidem adducat, ut gratiam hospitalitatis compenset, ut cibum spiritualem communicet; & tamen nihil proficit hac familiaritate, eo quod observent eum insidiosè, & onerent eum calumniosè. Insimulant eum intemperantiæ & conversationis pravæ, cum in ipsum vitium haud posset cadere. Sed non ideo Joannem aut Christum ab instituto itinere virtutis linguæ posuerunt revocare, per idque nos docuerunt, quam parvi pendenda sit hominum loquacitas, dum boni quippiam aggredimur. Attendendum tunc nobis illud S. Gregor. Nazianz. orat. 3. de pace: *Atqui quod ego sum hoc maneo, sive maledictis impetar, sive laudibus evehar. Mortalis autem temere verbis natat; nec me improba lingua magis circum fluuns, quam aquorea spuma scopulum circumluit, vel arborem densam & sublimem tenues aurœ.* Sic etiam S. Paulinus Epist. 6. ad Severum admonet ne obtrectationibus improborum pium institutum deserat his verbis. *Ne moveantur Frater dilectissime, pedes nostri à viis Domini, si nos interdum profana vel stulta quorundam sæcularium verba circumlatrent. Instructi enim satis per sacras litteras sumus; & de ipsis, & de nobis. De his enim Apostolus nobis ait: In hoc laboramus & maledicimur, quia speramus in Deum vivum.*

Matth. 11.

Duobus modis ad meliorem vitam inducimur.

Luc. 7.

1. Tim. 4.

ci cuni qui est salus omnium, maxime fidelium. Non itaque desistendum à bono opere propter vituperium; quia vituperari ab improbis laus est. Non est lucis vituperium, sed latus, odio esse vespertilionibus. Oblatratum canic ulorum à via declinate puerorum est: nec inquietari debent aves diei, si quandoque ululæ & aves noctis sono suo ingrato aures feriant & obmurmurent.

Potissimù observarunt, an Sabbatum Christus violaret.

Cæterum, licet maligni Pharisæi in omnibus Christum observare soliti sint, blandè loquentes, benevolè invitantes, vel proponentes, sed fel immiscentes congenitæ malitiæ, ut eum quapiam in re deprehenderent in errore; potissimum tamen hic videntur observasse eum in occasione violandi sabbathi per sanationem hydropici. Adduxerant enim hydropicum istum in sabbatho ad Christum ut tamquam sabbathi violatorem apud plebem traducerent. Unde S. Chrysologus serm. 3. sic hæc de re loquitur eleganter: *Progenies viperarum submittebant capita, adulabantur linguâ, vulnera dabant dolis: & quasi non sufficeret ad odium contemptus, defectus ad injuriam, Christum persequebantur insidiis, objiciebant curandos sabbatho, ut si non curasset, fieret de impossibilitate contemptus, de lege maneret calumnia si curasset.*

Observabant itaque sollicitè Pharisæi num sabbatho curaret, ut accusarent: nihilominus Christus eorum sciens cogitationes & pessima consilia, tanquam virtutum lux liberè agebat, liberè loquebatur, liberè eos arguebat & confundebat, & tum verbo, tum facto. Fruſtra ergo invigilant fruſtra insidiantur, fruſtra quærunt in sole maculâ, in virtute vitium. De salute data reatum non possunt nisi aperta malitia impingere, aut in cura crimen, vel in pietate accusationem reperire; quasi contra salutem, non pro salute sabbathum sit instituturn. Quapropter eadem observatione invidiosâ insidiabantur oblato ei sabbatho homine habente manum aridam, interrogat eos Dominus: *Licet sabbathis benefacere, an malè: animam salvam facere, an perdere?* Cumque ipsi tacerent, circumspiciens eos eum ira, contristatus est super cæcitate cordis eorum, inquit S. Marcus, & dixit homini illi: Extende manum tuam, & extendit, & restituta est manus ipsius. Sic etiam hic confundit eos exemplo bovis aut asini in puteum cadentis in die sabbathi, quem eo ipso die licebat exrrahere. Quasi dicat: Si vos Pharisæi & Legi periti bovem vel asinum extrahitis in sabbatho, & legem infringi non existimatis, cur me temerè judicatis de sanitate ægris in die sabbathi data? vos id facitis consulentes avaritiæ vestræ, ego ex charitate, cur me reprehenditis de charitatis opere? Vos magnum ad id laborem & conatum adhibere necesse est pro asino extrahendo, ego sine labore sanitatem confero, idque homini qui longè præstat asino. Deponite ergo odium caliginem offundens oculis vestris lividis & agnoscetis in hoc opere meo lucem, agnoscetis & pietatis rationem ad salutem miserorum ritè ordinatam & laude dignam.

Mar. 3.

A Domino reprehensi tacuerunt Pharisæi, nec interroganti responderunt; non ex ignorantia, sed ex malitia: quicquid enim ipsi dixissent; contra se dixissent. Si enim dixissent non licere, respondeant ad id quod eis proponitur de asino & bove. Si vero dicant id licere, cur ergo dolose observant? cur totiès contra Dominum hac de causa obmurmurant, ut eum in odium vocent? Nonne murmurant quod sabbatho hominem sanasset habentem manum aridam? *Repleti sunt insipientia, & colloquebantur ad invicem quid facerent Jesu.* Nonne indignantur quod paralyticum triginta octo annos habentem in infirmitate apud piscinam probaticam sabbatho sanasset? Dicebant illi: *Non licet tibi tollere grabatum tuum, sabbatum est.* Quibus rectè ille: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit; Tolle grabatum, & ambula.* Quasi dicat: Si me sanum potuit facere, potuit & hoc præcipere; ideo nec vos mihi potestis prohibere. Egregia libertas qua libere prædicat liberatorem & benefactorem suum, ejusque potestatem; non obstante quod ipsi in eum fremerent; quasi malefactorem. Sic rursus indignatur Archysinagogus, quod mulierem quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec sursum poterat aspicere, Christus sabbatho curasset. Unde dicebat turbæ: *Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his ergo venite & curamini, & non in die sabbathi.* Cui respondet Dominus: *Hypocritæ, unusquisque vestrum non solvit bovem suum, aut asinum sabbatho à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ quam alligavit Satanas, ecce decem & octo annis non oportuit solvi à vinculo illo in die Sabbathi?* Et cum hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus, & omnis populus gaudebat in universis quæ fiebant ab eo, ut ibi dicitur. Sic denique. Sabbathum erat quando Jesus lutum fecit, & aperuit oculos cæci nati. Unde murmurabant: *Non est hic homo à Deo qui Sabbathum non custodit.*

PARS III. *Sanatio hydropici qui significet.*

Luc. 6.

Joan. 5.

Luc. 13.

Joan. 9.

Similiter ergo & hic non obstante in vita observatione convivarum suorum apprehensum hydropicum sanavit ac dimisit. Noverat ejus Dominus desiderium, quamvis illud explicasse non legamus, quia ut ait S. Cyrillus & Euthimius: *Metu Pharisæorum non audet postulare in sabbatho sanitatem; sed tamen ante Christum stat, ut ex aspectu miseratus sanet eum.* Sic ergo non quærit Dominus ab eo si sanus velit fieri, nec ab alio quopiam ad id est rogatus, sed ex misericordia sanat ultroneus. Quomodo autem sanat? Attactu carnis suæ sanctissimæ, & manu virtutis suæ divinæ apprehensum sanat, & in signum perfectæ sanitatis dimittit, ut jam libet & expeditus quo voluerit, ambulet, qui mite antea gravatus incedere vix poterat. Sanasse etiam & dimisisse dicitur, quia nihil mercedis vel servitutis ab eo exegit ob sanitatem, sicut nec Elizæus à Naaman sanato quippiam voluit accipere, ut doceremur quod gratis accepimus gratis dare ac avaritiam fugere, quam jugiter nos docebas in hac hydropici sanatione.

4. Reg. 5.

Hydropicus quo-rum typus. 1. Avaro-rum.

Hydropicus enim iſte triplicis peccatoris typum gerit, avari, luxurioſi, ſuperb. Primo quidem avarus hydropico ſimilis eſt, quia ſicut hydropicus quo amplius bibit, amplius ſitit: ita etiam avarus ex potu ſitim multiplicat, quia ejus non expletur cupiditas, ſed ea quæ appetit dum adeptus fuerit, ad appetenda alia ulterius anhelat. Ergo verum eſt illud Poëtæ: *Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.*

Sic quibus intumuit venter ſuffuſus ab unda,
Quo plus ſunt pota, plus ſitiuntur aqua.

Adeo ſitit avarus pecuniam quaſi aquã, ut furtiva vel turbida aqua etiam ei ſuavis videatur, hoc eſt, utpecunia injuſte acquiſita etiam ei ſit grata. Sic dicere poteſt illud *Aqua furtiva dulciores ſunt.* *Prov. 9.* *& panis abſconditus ſuavior.* Furto ſublata videntur ſuaviora, quia ſicut majori deſiderio fuerunt deſiderata, ita majori voluptate videntur percipi: ſerè enim propria vileſcunt & aliena deſiderantur. Sed nec hæc ſitim extinguunt, quin potius augeræ, nam adeo ardenter quidam ſitiunt ut ſanguinem etiam pauperum ſugentes non ſatientur. Nullum in ſanæ ſuæ cupiditati modum ponunt, donec per mortem crepant turgidi & diſtenti corrupto & exitiali humore, non prius avaritiam ponunt, quã animam. O infelices hydropici! Non abſimiles ſunt avaro illi diſcipulo Chriſti qui ſuſpenſus crepuit medius, & effuſis in terram viſceribus vacuo ventre pependit: ipſi enim in crepitu mortis omnibus amiſſis inanes & vacui remanent; tunc qui de *Job. 20.* illis verum eſt illud: *Divitias quas devoravit, evomet, & de ventre ejus extrahet illas Deus.* Sed afame & ſiti cupiditatis inexplebilis ad famem & ſitim crenſcunt nunquam exmorituram qua jugitur ſunt cruciandi. Hæc eſt illa ſitis apud inferos, fameſque rabioſa, quam adumbrarunt Poëtæ per exemplum Tantali, cui in medio flumine Stygio conſtituto & poma ante os naſcuntur, & aquæ uſque ad labra. Sed quum fame rabioſa aliquid horum captare tentat, mox evaneſcit, ſicque ſemper fruſtratur infelix, ſemper doma fugientia dentibus, ſemper evaneſcentes aquas labiis inſectans. Unde illud Horatii ad avarum;

Tantalus a labiis ſitiens fugientia captat
Flumina? Quid rides? Mutato nomine de te
Fabula narratur.

2. Luxurioſorum.

2. Luxurioſus etiam ſimilis eſt hydropico ob ſitim quam patitur carnalis voluptatis: quia teſte S. Hieronymo, luxuria inſatiabilis eſt voluptas, quæ quantò magis capitur, tantò magis utentibus ſe, ſitim creat, nam licet luxurianti & fornicanti vires deficiant, deſiderium tamen non deficit, nec quieſcit. Propterea etiam dixit Sapiens: *Sanguiſuga* *Prov. 30.* *dua ſunt filia dicentes, affer, affer.* Hoc eſt, duo vitia imitantur naturam & conditionem ſanguiſugæ. Eſt autem ſanguiſuga vermis aqueus, qui non relinquit citem niſi plenus cruoris. & experientia dicitur habere duo ora quæ ſanguine non ſatiantur. Hanc ergo imitantur libido & avaritia, quia non ſatiantur; ſed ſemper clamant, *affer, affer.* Propterea etiam inter tria inſaturabilia recenſetur ibidem à Sapiente *Terra* (hoc eſt avaritia terrenis inhians, quæ ſicut terra arenoſa ſemper eſt parata aquam ſuſcipere) & *Os vulva*, hoc eſt carnis concupiſcentia & libido. Ulteriùs ideo luxurioſus per hydopicum rectè ſignificatur, quia ſicut hydropici fœtet anhelitus, ita à luxurioſa anima fœtoris quædam exhalatio prodire mox agnoſcitur. Cùm enim luxurioſus interiorem gerat corruptionem, mox etiam per verba & opera corruptio prodit exteriùs; *Ex abundantia cordis os loquitur.* *Matt. 12.* Unde de illo verum eſt illud: *Aſcendet fœtor ejus, & aſcendet putredo ejus.* Clamor Sodomorum non *Joel. 2.* *Gen. 18.* erat niſi fœtor luxuriæ eorum in cœlum conſcendens. Sic ab his qui computruerunt quaſi jumenta in ſtercore ſuo, hoc eſt à carnalibus hominibus qui in ſordibus latent luxuriæ, quid expectari poteſt niſi fœtoris exhalatio; ſicut etiam ab hydropico qui humore corrupto diſtenditur, nonniſi gravedo ventris ſequitur & fœtor?

3. Superborum.

3. Per hydropicum etiam ſuperbus deſignatur, ob inflationem. Sicut ille humore aqueo eſt diſtentus, iſta & iſte vanitatis vento, vel arrogantiæ tumore. Quid eſt enim arrogantia vel ſuperbia, niſi mentis inflatio vana? Unde S. Aug. hac de re ſic loquitur: *Eſt ſuperbia non magnitudo, ſed tumor? quod autem tumet videtur magnum, ſed non eſt ſanum.* Hinc ſuperbi comparantur bufoni Æſopico, qui cùm in eodem ſecum prato bovem paſcentem advertiſſet, ejus invidens magnitudini voluit & ipſe ei adæquari ſui quodam incremento tumido. Sed toto anniſu ſe inflans, crepuit medius. Sic pereunt multi propter nimium tumorem & inflationem mentis. Actandem de illis verum eſt illud: *Diſrumpet illos inflatos ſine voce.* Nempe con- *Sap. 5.* tinget ut illos Dominus diſrumpat inflatos ſine ulla voce excuſationis, quia odit tumorem & ſuperbiam. Ac facillimum ei eſt illos diſrumpere, non minus quàm puero veſicam vento inflatam acus punctione, ſiquidem mortis aculeo puncti, & non compuncti, infeliciter ſæpè ſuperbiæ ventum & animam ſimul efflant, coguntur que conqueri: *Quid nobis profuit ſuperbia, aut ſi vitiarum ſactantia* *Sap. 5.* *quid contulit nobis?*

In aulis principum talet hydropici.

Jacebat ergo hydropicus in domo Principis Phariſæorum: ſimiles etiam illi hydropico reperiuntur in domibus Principum. Reperiuntur enim ibi qui ſitim patiuntur inſatiabilem cupiditatis, ſemper dicentes; *Affer, affer*, ita ut ſi non afferas, nullo modo eis gratus ſis: & ita quoſdam exſugunt, ut etiam ſanguinem eliciant, nec ſanguine ſubditorum ſatientur. Non etiam ibi deſunt hydropici qui inflationem patiuntur ſuperbiæ, & ſitim ambitionis cupidæ, ideoque digni ſunt commiſeratione. Denique ibidem reperiuntur hydropici fœtidi fœtorem exhalantes luxuriæ, qui eo devenerunt dementiæ & corruptionis, ut ſimplicem fornicationem vix aſtiment culpam, ſicque vacant

cant corruptioni & libidini, quasi jumenta adhærentia stercori & putredini. O verè miseros, & ter quaterque infelices, qui hoc triplici morbo laborant!

Sabbatum est Christo peccatores sanari.

Advertendum vero quod non solum hydropicus iste in sabbatho sanatus, sed etiam omnes quos in sabbatho sanavit, typum gerebant peccatoris, quem quando Dominus convertit & sanat, quasi sabbathum suum, & festivum sibi diem computat. Quid paralyticus juxta piscinam à Christo in sabbatho sanatus, habens jam infirmitatem triginta annorum, aliud designat quam peccatorem miserum & languentem, membra sua ad Dei obsequiū movere non potentem, in acedia & torpore jacentem? Quid mulier incurvata sursum aspicere non valens, decem & octo annis ægritudine afflicta, sed postmodum in sabbatho erecta, aliud designabat quam animas cœlestium oblitas ad res terrenas totâ sollicitudine incurvatas, pondere peccati depressas, vinculis cupiditatis terrenæ colligatas? Quid designabat homo habens manum aridam qui etiam in sabbatho accepit sanitatem, nisi eum qui nulla virtutis opera facit? Manus enim est organum operandi, & cui illa aresçit, omnino otiosus est, & inutilis, egetque sanitate. Manum etiam aridam habet qui eam avaritia habet contractam, non liberalitate erga pauperes liberè porrectam. Immo in hoc homine omnium hominum imago figuratur, in hoc geritur cura cunctorum, in hoc universorum sanitas diu expectata reparatur, inquit S. Chrysologus serm. 32. Aruerat enim manus hominis, & in ipso mundi principio hæc contigerat ægritudo, nec arte hominis poterat hæc curari, quæ justa Dei indignatione fuerat contracta, tetigerat vetita, inconcessa præsumpserat, cum se ad arborem scientiæ boni & mali porrexerat. Perfecta autem salus reservabatur in Christo, quia tunc aridita nostræ manus miserando dissolvitur, cum ab eo tangitur, cum cruore Dominicæ Passionis perfunditur, cum ad vitale lignum crucis extenditur, cum arborem salutis amplectitur, cum clavis Domini affigitur, ut nunquam ad arborem concupiscentiæ, & aridæ redeat voluntatis, ità ille. Deniq; quid cæcus ille per lutum à Domino curatus, aliud designat quàm peccatorem in cæcitate mentis agentem, qui lumen cœli non videt, nec gratiæ luce illustratur, nisi auxilio Domini nostrum lutum assumentis & nos illuminantis? Et hic igitur in sabbatho à Domino curatur.

Joan. 5.

Quis habeat manū aridam sabbatho.

Accedite igitur in sabbatho nostro Christiano, quicumque optatis curari à Christo: ad id enim sabbathum nostrum institutum est, & Dominica dies dicitur, quia Dominus in eo beneficia sua specialiter impertitur. Iste est dies in quo omnes accedentes ad Dominum sanantur à languoribus suis & infirmitatibus. Nolite ergo dubitare, aut dubitando inquirere, *si licet sabbatho curare*? Illo enim die porticus quinque apperti sunt vulnerum Domini, in quibus multitudo languentium, cæcorum, aridorum paralyticorum, hydropicorum nanciscī potest sanitatem. Isto die piscinam sanguinis sui aperit omnibus, & medelam eis offert. Isto die parati sunt Angeli Domini aquam movere; hoc est aquam gratiæ parati sunt Sacerdotes admovere ad absolutionem, & elutionem culparum, & sanctificationem animarum. Isto die dicitur vobis paralyticis accedentibus: *Surge* per contritionem, *ambula* per confessionē, *tolle grabatum tuum* per sanctificationem, onus pœnitētiæ tuis impone humeris, & *vade in domum tuam* per gratiarum actionē. Isto die manum aridam cupit sanare, si eam extendatis humili oratione & supplicatione. Accedite ergo aridi, accedite paralytici & languidi, accedite hydropici; isto die optat vos apprehendere manu suâ, & ad se attrahere, ac sanitate donare, panemque vobiscum cœlicum manducare. Accedite incurvati spiritu infirmitatis & colligati, quia isto die filios Abrahæ vult dissolutis vinculis Satanæ, liberos reddere, & in cœlum erigere. Accedite cæci & calliginosi, quia eo die vult lucem oculis mentis & cordis vestri infundere, ut lumen cæli possitis conspicere. Non ergo dicimus vobis quod Archisynagogus; *Sex dies sunt in quibus licet operari, in his ergo venite & curamini.* Sed è contra dicimus vobis: *Sex dies sunt, in quibus vestris operibus potestis vacare, sed in sabbatho venite & curamini.* Quomodo potentis curari? Equidem poteritis tunc curari per cordis contritionem, per Missæ sacrificium, per peccatorum confessionem, per orationis efficaciam, per verbum sanctum Dei, per sanguinis Iesv applicationem, per efficacem ejus attactum, per vinculorum peccati dissolutionem, per panem & convivium vivificum Eucharistiæ, per spiritualium remediorum medelam variam tunc vobis oblatam liberaliter & abundanter. Sicut enim olim Dominus in die festivitatis clamabat: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* ita & modo adhuc in die festivo sabbati nostri censetur omnibus inclamare: Si quis sitibundus est & febricitans, veniat, & bibat de fonte vitæ; si quis æger est & languens, accedat ad me, & particeps fiet medicantis gratiæ meæ.

Pia adhortatio ad accedendum.

Joan. 7.

COncludo igitur, & pro more ad Dominum Iesum summum Medicum sermonē concerto. Repræsento tibi, Domine Iesu, omnes qui inter hic præsentes spirituali laborant hydropisi: illos sisto ante te, quia pleni sunt misericordiâ oculi tui. Tu sanas omnes infirmitates & languores nostros, & accedentes ad te in sabbatho non confundis: nec spei inanes remittis. Sana ergo inflationem superbiæ nostræ, sana sitim insatiabilem cupiditatis & avaritiæ, sana fœtidum anhelitū concupiscentiæ & luxuriæ. In sabbatho isto, sana ut in illo nanciscamur medelam & salutem efficaciâ manus & gratiæ tuæ divinæ, ut in illo reperiamus sabbathismum verum quietem bonæ conscientiæ, & cessationem ab omni iniquitate. Hoc potest manus tua, hoc potest gratia tua, quæ etiam sola nos efficit dignos

Conclusio.

ad

ad manducandum tecum panem vivificum in sabbatho, in convivio mystico. Efficiat obsecro ipsa tandem ut perfectè sani transeamus ad sabbathum æternum, & ibi accumbamus mensæ tuæ, & manducemus panem illum deificum, de quo dictum est: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Hoc nobis concede. Tu qui benedictus es in sæcula.

EADEM DOMINICA.

Si licet Sabbatho curare? Luc. 14.

PARS I. *De illicitis in Sabbato. Christiano.*

INterrogabat Dominus Pharisæos: *Si licet Sabbatho curare?* Novimus nos in sabbatho nostro licere curare, tum corporis, tum animæ ægritudinem. Non ergo necesse nobis est interrogare: *Si licet Sabbatho curare?* Interrogemus interim hac occasione quæ in Sabbatho licita sint, quæ illicita, ad plebis devotæ institutionem, pro Dominicæ diei sanctificatione. Ad hunc effectum breves interrogationes dirigo, ad cujuslibet sortis vel conditionis Christianos.

1. Pauci mercatores sabbatum servant.

Primò quidem, interrogo vos qui mercaturam vel negotiationem lucrosam exercetis: *Si licet Sabbatho* vacare computibus in ordinem redigendis, transactionibus & contractibus peragendis? *Si licet Sabbatho* perfunctoriè mane auditâ Missâ, mox ad negotia & lucra discurrere, & totum penè diem in sollicitudinibus huius sæculi conterere? An hoc est Sabbathum Christianum ut decet sanctificare, cum animus non sit perfectè cum Deo, nec spiritus sit sua in quiete? An vero pauci sunt qui his tunc vacant, & divina negligunt? Vos miramini quandoque infortunia contingere rebus in domesticis, in mercimoniis, in negotiis, nec consideratis hæc à Deo permitti & immitti, eò quod ut oportet festa non sanctificetis, sed cultum Dei negligentes, & negotiis vestris immersi Deum penè oblivioni tradatis. Sic frustra inclamat Dominus: *Memento ut diem sabbathi sanctifices*, quia in illo sic vos geritis, quasi obliti sitis quis ille sit dies, quam ob causam institutus, quibus beneficiis ornatus. Frustra etiam vobis illo die inculcatur: *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.* Nolite vacare tunc vestris mercaturis, negotiationibus, lucris, ne videamini potius adorare Mercurium, Deum computuum & mercationum, quam Deum Christianorum, qui à vobis eo tempore exposcit quietem corporis, sed magis mentis, ut sit verus sabbatismus, in quo possitis negotiari cum ipso qui alibi dicit: *Negotiamini dum venio.* Ipse conqueritur de vobis: *Domus mea deserta, & vos festinatis unusquisque in domum suam ad negotiandum.*

Exod. 20.

Psal. 45.

Luc. 19.

Aggæi 1.

2. Pauci opifices.

2. Interrogo vos qui opere manuum vel mechanico aliquo opificio vitam & familiam vestram sustentatis: *Si licet Sabbatho* ebrietatibus & commessationibus ea prodigere quæ sustentationi familiæ necessaria sunt, & maximam partem eorum quæ per totam hebdomadam opere manuum lucrati estis, aliquot horis deglutire? Si licet tunc vobis cum dissolutione tabernas & cauponas maximâ diei parte frequentare: *Si licet Sabbatho* ludis chartaceis vel aleis vacare, ac postmodum etiam contentionibus & rixis, juramentis & blasphemiis Deo infestos esse? An non hæc verè contingunt festis & dominicis diebus? An pauci sunt inter vos qui sua tunc prodigunt, & postmodum necessitate coactante ad illicita, ad furta, ad injustitiam declinant? An pauci sunt qui post temulentiam diebus istis contentiones suscitant, & juramenta horrenda proferunt? *Cui væ cui fovea, cui rixæ? Nonne his qui student calicibus epotandis*, inquit Sapiens. Quis enumeret mala quæ tunc committuntur? Hinc fit ut dicat Dominus: *Solemnitates vestras odivit anima mea, laboravi sustinens*, quasi dicat: Dum vos non laboratis diebus festivis, ego laboro, dum vos exonerati estis ego oneror. Laborare enim me & servire facitis in peccatis vestris, & super dorsum meum fabricati, ô peccatores, onerosi mihi & odiosi? Solemnitates vestras odi, quia vestræ sunt, non meæ, voluptati vestræ consecratæ sunt, non cultui meo, voluntatem vestram in ea perficiis, non meam. Bacchum potiùs videmini adorare in festivitatibus vestris per ebrietates & dissolutiones, quam me Deum vestrum. Respicite & redite prævaricatores ad cor.

Prov. 23.

Isaiæ 1.

3. Nobiles & venationi.

3. Interrogo vos nobiles & venatores: *scilicet Sabbatho* totum diem venationi impendere, & officia divina magna ex parte negligere propter illam? Audite S. *Aug. serm. 231. de temp.* Veniat cuicumque possibile est ad vespertinam atq; nocturnam celebrationem, & oret ibi in conventu Ecclesiæ pro peccatis suis Deum: qui vero hoc non potest, saltè in domo sua oret, & non negligat Deo solvere votum ac reddere servitutis pensum. In die verò nullus se à sacra Missarum celebratione separet, neque otiosus quis domi remaneat. *Neque in venatione se occupet & diabolico manicipetur officio, circumagendo campos & sylvas clamorem & cachinnum ore exaltans, non gemitum, nec oratione verba ex intimo pectore ad Deum proferens.* Auditis quod S. Augustino non sufficit ad diei Dominicæ vel festivæ sanctificationem cursim summo manè missam audire, vespertina autem officia & Missarum solemnia ob venationem præterire, & conventum Ecclesiæ negligere? Et quidem licet venatio opus servile per se non sit, & sub peccato mortali interdicta non censeatur, si Missa audiatur: vacare tamen illi maxima parte diei festi, sanè præter finem est præcepti de sanctificatione festi, nec facile à peccato potest excusari. Debent autem vitare vetè filii Dei omnem rationem peccati, omnem offensam Patris sui, omnem occasionem mali exempli. Sic dicimus etiam vobis, *ô Advocati, Procuratores, Notarii, Greffarii*, licet scribere pro lite, aut causa vobis commissa non sit opus servile; tamen

Advocati, Procuratores, Notarii, &c.

litibus

litibus & scripturis litigiosis vacare istis diebus, qui ad Dei obsequium ordinati sunt, non est Sabbatha nostra, ut decet, sanctificare, nec intentione legislatoris aut legis satisfacere: videte ergo & sincere attendite, si hæc vobis licent sabbatho sine necessitate.

4. Adolescentes & juvenes impura sectantes. Apoc. 21.

4. Interrogo vos adolescentes & juvenes: *Si licet Sabbatho* impuri sectari contubernia, & carnis occasionibus lubricis sese implicare? An fortè sabbathum Christianum institutum est *ut qui sordidus est, sordescat adhuc?* An non potius, *ut qui factus est, sanctificetur adhuc,* & qui justus est, justificetur adhuc? Audite vocem Domini: *Videte ut sabbathum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos, ut sciatis quia ego Dominus qui sanctifico vos.* Sed mavultis audire vocem mundi, vocemque carnis & Satanæ, ad vana, ad obscœna, ad impia vos illectantis, plura tunc peccata committentes, quam cæteris hebdomadæ diebus. Sic non Christo aut Sanctis, sed Veneri & Adonidi. Satanæ & Asmodeo dies festos consecratis. Ideo dicit vobis Dominus per Malachiam Prophetam. *Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.* Vos enim peccatis vestris tamquã stercore fœtido dies festivos conspurcatis, sed sortor ille in dedecus vestrum redundabit, & putor in pudorem vobis tandem vertetur. Vlterius interrogo vos: *Si licet Sabbatho* tota nocte per plateas grassari, cum dissolutione ululare; impura cantare, saxa saxis collidere, rixandi occasionem quæritare, dormientes interturbare, & omni insolentiæ genere quietem amantes molestare? Eheu! dum multæ tunc animæ piæ, vel in clausuris, vel in domibus privatis orationem fundunt & gemitus dant in cœlum, pro peccatoribus CHRISTO & Virgini MARIÆ vota pia offerentes; vos quasi ex inferno emergentes noctem totam perturbatis, velut sacra facientes Satanæ & Proserpinæ cum furiis infernalibus. Siccine Sabbathum, id est, diem, noctemque quieti dicatam celebrans? Vos autem Patres & Matres, Heros & Dominas etiam hic simul interrogo: *Si licet Sabbatho* habenas laxare libertatis filiis familias, vel famulis domesticis, ut tota nocte vagentur, grassentur, insolescant sine ullo rubore & timore? An non obligatio vobis incumbit eis advigilandi, certa hora eos revocandi, recludendi, ne criminum ipsorum participes sitis & correi? Attendite igitur onus vestrum, & providete, ne peccata eorum, quia vestræ subsunt curæ, in caput & humeros vestros redundent.

Exod. 31.

Malac. 2.

Patres & matres familias suos nimia indulgentes.

5. Puellæ nubiles.

5. Interrogo vos puellas nubiles, sed mobiles & vagas, puellasque omnes nubiles: *Si licet Sabbatho* omne pene tempus maturinum insumere ornatui & vanitati; & postmodum ingredi domum Domini, non tam ut attentioni vacetis, quam ut spectetis & spectemini? O si tantum diligentiæ temporis insumeretis, ut placeretis Deo, quam ut placeatis mundo & hominibus vanis! Interrogo etiam vos: *Si licet Sabbatho* choreis & saltationibus magna parte diei vacare, sicque cor non rebus divinis, sed vanitati periculosæ eo tempore addicere, quo Deus à vobis speciale deposcit obsequium, specialemque servitutem? An hoc est sabbathum vel festivum diem ut decet sanctificare; Audite S. Aug. lib. de decem chordis: *Præstaret sapius vel juvenes aratri festivam ducere, vel puellas lanam facere & colum trahere, quam in his ludis periculosè saltare.* Quid est enim Chorea, nisi circulus cuius Satan est centrum & circumferentia Angeli ejus? Quid est chorea die sacro frequentata, nisi processio profana sacræ processioni adversa, cuius fæpe dæmon est Choragus? Quid est Chorea, nisi circuitus imitatorius colubri & serpentis, quem draco antiquus docuisse videtur suis voluminibus, ut dicit B. Ephrem? Vnde habet originem Chorea, nisi ab Israelitis idololatris, qui *postquam sederunt manducare & bibere, postea surrexerunt ludere,* id est, choreas circa vitulum ducere? Et quia præcipui illius factionis auctores fuere de tribu Dan, ideo sermone vernaculo apud Teutones & Gallos; aliosque, Chorea vocatur *Danse*, chorisare *Danse-*: ut alibi annotavimus. Videant ergo qui illis vacant, maximè festivis diebus, ne etiam ipsis conveniat illud propheticum: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita.* Hæc de choreis dico, non quidem de omnibus, sed de his propter quas divina negliguntur, & discrimen vel crimen incurritur impuritatis, vel alia pericula peccati involuntur. Vtinam attenderetis dum his vacatis, multas animas in inferno torqueri, ob peccata in choreis, vel occasione illarũ perpetrata. Vtinam attenderetis multas pias animas eadem hora coram Deo assistêtes, ejusque laudes canentes, dum vos infeliciter tempus illud insumitis. Vtinam attenderetis, quod etiam tunc mille animæ maximis cum angustiis ex hac vita discedant, vel acerbissimis cum doloribus in lecto ægritudinis conflictentur. Forsan hæ considerationes ab his vanis & periculosis ludis festivo die incundis vos deterrerent.

Quid sit chorea.

Exod. 32.

Gen. 49.

Postremo, interrogo quoscumque Parochianos: *Si licet Sabbatho.* Missa cursim manè audita Parochialem Missam ordinariè deserere, & à Parochiali Ecclesia sine causa legitima absentem esse? An non sit frequentanda in sabbatho nostro Christiano Missa Pastoralis, quæ & olim *Sacrum Dominicum* nuncupari solebat, ad quod non solum convenit populus; sed etiam pecialiter Angeli Parochiæ & Custodes & Tutelares? An non ibi sit quædam specialis communicatio precum & piorum operum, & impetratio beneficiorum Dei, remissionisque peccatorum; ob specialem communicationem & conjunctionem fraternitatis, & Ecclesiæ ibi congregatæ in spiritu Christi & gemitu columbæ? An non speciale jus habeat populus ad illud sacrosanctum sacrificium & ejus fructũ, quandoquidem teneatur tunc ordinarie Pastor illum ex justitia plebi suæ applicare? Vlterius interrogo, an sabbatho liceat conventum illum publicum negli-

5. Plerique Parochiæ norunt.

guere in quo solent oves convenire cum Pastore in Ovile, ubi vocem Pastoris audiant & sequantur, ubi mandata Ecclesiæ annuntiantur, ubi populus monetur festorum, vigiliarum, jejuniorum, & eorum quæ per hebdomadam agenda sunt, ubi pro avertendis à Parochia malis & Dei flagellis supplicationes indicuntur, ubi collectæ fiunt pro necessitatibus Ecclesiæ Parochialis, ubi commendantur egeni & infirmi, maximè illi qui agonizant, ubi etiam pro defunctis preces offeruntur? An non ad hæc obligat quædam communicatio specialis in subordinatione ad eundem Parochum & Parochiam? Cur ergo hæc vel contemnentur, vel negliguntur, cum etiam in Conciliis generalibus hanc esse suam mentem aperiat Ecclesia, quod suam quisque debeat Parochiam frequentare festis ac Dominicis diebus, præcipiatque non solùm Parochis, sed etiam quibuslibet Concionatoribus, ut de ea re frequenter moneant populum? Eya igitur oves crebro convenit in ovile vestrum cum vestro Pastore. Eya Filii properare lubenter cum Patre ad cubiculum, sive ad sinum matris vestræ, ibi autem obedientem ejus præceptis præbere. Ecclesia enim Parochialis Matris titulo & honore vult gaudere, quæ per lavacrum regenerationis vos Christo Filios solet gignere, & verbi divini ac sacramentorum esca pascere. Sic & Pastores proprie Patres sunt, qui per Baptismum filios generant Christo, & illos in viam salutis tenentur dirigere beatæ æternitati regenerandos. Hoc attendite, hoc ponderate, & stimulus erit vobis, quo extimulati officio vestro promptius & lubentius poteritis satisfacere.

PARS II. *Quæ in sabbatho sint agenda.*

EX hactenus dictis satis colligitur quid illicitum sit in Sabbatho nostro Christiano, sive Dominicis & festivis diebus: imò etiam aliquatenus insinuavimus quid tunc facere conveniat vere Christianis. Attamen ut id specialius explicemus, nonnulla repetēda sunt de sanctificatione sabbathi, ex his quæ latiùs à nobis tradita sunt super tertio præcepto Decalogi in Horto nostro Pastorali.

1. *Gratiarum actio.*

Dicamus ergo primò, cum sabbathum nostrum institutum sit tamquam memoriale beneficiorum Dei, debere sanctificare per piam gratiarum actionem ex sincero gratoque animo prodeuntem: *Optima beneficiorum custos est eorum memoria, & perpetua confessio gratiarum*, dicebat S. Chrysostomus. Hoc etiam notum est, quod is qui gratum gerit animum erga benefactorem, novo se præparet, & aptum reddat percipiendo beneficio, sicut qui ingratus est, fontem obstruit pietatis, exsiccatque rorem misericordiæ, & fluenta gratiæ, indignum se reddens ampliori munere, ut loquitur S. Bernard. Hæc porro gratitudo nostra maximè patescit per orationem, in qua resonat gratiarum actio, & vox laudis. Propterea in diebus festivis Ecclesia non solum matutinas, sed etiam vespertinas laudes vult decantari, ut per has laudes ad gratitudinem specialem excitentur omnes ejus filii. Maximè autem peragi debet gratiarum actio in Missæ sacrificio, quod tunc est in præcepto, ita ut sub pœna peccati lætalis teneatur quilibet Christianus interesse. Illud enim sacrificium ideo offertur, ut sit obsequium servitutis nostræ, & agnitio Majestatis divinæ, cui redditur gratiarum actio pro omnibus beneficiis, quibus cœlum & terram implet in gratiam nostri. Unde si olim Judæi & Gentiles offerebant oves, boves, agnos, columbas, fruges & primitias, per testantes Deum esse principium, causam, finem omnium quæ creata sunt, ab illoque se omnia accipere: Christiani omnes offerunt die Dominica verum Filium Dei, Primogenitum omnis creaturæ, ad eandem recognitionem & gratiarum actionem, quia illa victima glorificatur maximè Pater æternus. Atque ita per hoc ipsum unum sacrificium uni Deo oblatum excludunt innumeros falsos Deos cum suis sacrificiis, & idolis, ac idolothytis quibus gentes detinebantur in cæcitate.

Festivæ Gentilium gratiarū actio.

Diversæ enim Nationes diversos sibi Deos cæco adoptarant errore, quibus sacra faciebant diebus certis cum speciali cultu. Sic Cretenses & Lybiæ populi Jovem, Carthaginenses Junonem, Thraces Herculem, Thebani & Arabes Bacchum, Delphenses Apollinem, Cyprenses Venerem, Athenienses Minervam. Itali Martem, Galli Mercurium, Schytæ Solem, Ægyptii Osirum & Isidem; Siculi Vulcanum, Lacedæmones Neptunum, Ephesii Dianam; alii denique Æsculapium, alii Cererem, alii Æolum colebant specialiter tamquam ab iis beneficia percipientes, & certos dies eis, eorumque sacris consecrabant per speciales victimas. Nam Saturno immolabant homines, Marti & Soli equos, Vulcano ignem, Neptuno taurum, Baccho vinum & hircum, Jovi bidentes, Junoni agnellam candidam. Proserpinæ ovem nigram, Æsculapio gallum, Isidi anserem, Dianæ cervam, Cereri spicas, Cupidini sagittas, Veneri testudinem. Osiro bovem, Priapo asinum, ut testatur hi qui de Gentilium sacris tractarunt. Sed hæc sacra nefanda disparuerunt Evangelii coruscante luce, dum per unicum Eucharistiæ sacrificium Dei unitas & Majestas agnoscitur & colitur, explosis inanium Deorum & nominibus & numinibus. Ad illud quidem singulis diebus convocantur Christiani, sed sub præcepto speciali die Dominico, in quo sacrificium offertur pro omnibus beneficiis, sed maximè pro illis quæ de manu Dei tota accepimus hebdomada.

Quorum beneficiorum Christianus memor esse debeat in sabbatho.

Monetur ergo tunc quilibet Christianus memor esse in generali & speciali beneficiorum omnium. In primis mysteriorum Redemptionis à Christo peractæ, Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, pro quibus in gratiarum actionem debet hoc sacrificium offerre. Deinde tot sacramentorum, quæ subsidia salutis, è quibus tamquam fontibus fluenta gratiæ in nos derivantur. An exiguum beneficium est quod inter Christianos nati

fructu-

fructu baptismi, confirmationnis, pœnitentiæ, alimento verbi, & sanguinis Christi fruimur, cùm tot animarum millia horum defectu æternùm intereant? Ulterius rememorare convenit in particulari beneficia spiritualia, quæ de die in diem influit divina bonitas illuminando, inspirando, dirigendo per gratiam prævenientem, concomitantem, subsequentem. Videat à quot peccatis divina sit erutus clementia, in quibus detinebatur. Videat etiam à quot peccatis præservatus sit divina ope, in quæ alias incidisset; consideret que illud S. Augustini: *Non est peccatum quod facit homo, quod non possit facere alter homo, nisi juvetur ab eo à quo factus est homo.* Præterea non sit immemor temporalium beneficiorum, quæ dona Dei sunt ab ejus benefica manu dependentia; sanitas, opes, prosperitas, vita ipsa. Multi acerbos casus patiuntur, & pereunt fluctibus, igne, latrocinio, rixa, aut eventu alio adverso, dum in peccato agunt lætali. Cùm tibi id non contigerit, divinæ id adscribe gratiæ, & non sis ingratus, sed dic cum Psalte: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Hoc sit in sacrificio nostro, quod ideo Eucharisticum nominatur, *Eucharistia* enim idem est quod gratiarum actio, aut bona gratia.

Psal. 115.

2. Deponendum onus peccati.

Dicamus secundò, illo die sanandam esse ægritudinem animi, & deponendum onus peccati per confessionem, vel per contritionem. Hoc ipsum est quod antea diximus sabbatum esse institutum, ut omnes accedentes ad Dominum sanentur ab infirmitatibus & languoribus suis atidi paralytici, hydropici, incurvati. Illos tunc sanat Dominus apprehendendo, ad se trahendo, manu vivifica tangendo, gratiam suam impertiendo. Illo die omnibus dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Sic Judæis olim dicebatur per Prophetam: *Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die Sabbathi*; quanto magis nos dicere possumus Christianis: Custodite animas vestras, & nolite peccatorum pondus in sabbato Domini portare, sed illud à vobis excutite, ut possitis verum sabbathismum, hoc est, diem quietis celebrare, per quietam & pacificam conscientiam. Excutite ergo per confessionem, vel saltem per contritionem veram, quicquid illius tranquillitatem perturbat. Excutite onus quod illam demergere potest in profundum inferni, onus Babylonis hoc est confusionis æternæ, onus scil. peccati saltem mortalis, immo & venialis. Nam ut dicit S. Gregor. *Dominico die à terreno labore cessandum est, & precibus insistendum, ut si quid negligentia per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominica precibus expietur.* Vere enim hoc est sanctificare sabbathum, non solum illo die à peccatis sese custodire, insistendo, operibus piis, sed etiam præteritas culpas eluere confitendo, vel contritionem eliciendo. Et licet nō sic expressi præcepti (quod tamē aliqui docuerunt Theologi) eo die contritionem elicere, vel dilectionem Dei super omnia, est tamen finis præcepti ad quem debet attendere verus Christianus. Finis enim observationis sabbathi est sanctificatio animarum, quæ non acquiritur ab his qui in peccato agunt lætali, nisi per sacramentum pœnitentiæ reipsa susceptum, vel per actum contritionis perfectæ cum voto sacramenti, sive per actum dilectionis Dei super omnia; per quos actus potest anima à peccato justificari cum proposito suo tempore confitendi, ut latius declaravimus etiam per exemplum memorabile, in Horto Pastorum Tom. 3. Lect. 9. de sanctificatione Sabbathi agentes. Vide ibi dicta hac de re fusius.

Matt. 11.

Jerem. 17.

3. Manducandus panis cum Domino.

Dicamus tertiò, conveniens esse sabbatho cum Domino manducare panem, ejusque doctrinam promptis auribus & prompta mente excipere, ut ex hoc Evangelio colligitur. Quid est autem manducare panem cum Domino, nisi Eucharistico sacræ communionis pane sese reficere? Hoc soliti sunt fideles primitivæ Ecclesiæ singulis Dominicis diebus; & nemo sacrificio divino poterat tunc interesse qui non communicaret de hoc pane? Propterea etiam ille dies vocatus est *Dies panis*, teste S. Chrysostomo hom. 5. de Resurrectione. Propterea quoque in quibusdam Provinciis Catholicis panis benedictus in partes concisus distribuitur cunctis præsentibus in Missa die Dominica; quod in Ecclesiis Gallicanis adhuc observari modo videmus. Cum enim olim tunc singuli fideles communicarent, *perseverantes in oratione & communicatione fractione panis*, ut dicitur Actibus Apostolorum, refugescente fervore pietatis successit illa panis benedicti, sed non consecrati, aut transubstantiati participatio. Est verò panis iste sic distributus cujusdam pacis & unionis Christianæ Symbolum. Unde S. Pius Pontifex & Martyr, qui vixit anno Dom. 174. sic ait in decretis suis: *De oblationibus quæ offeruntur à populo, vel de panibus quos deferunt fideles ad Ecclesiam, Presbyter partes concisas habeat, ut post Missarum solennia qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico ex inde accipiant.* Interim quia non semper dispositi sunt fideles adrealiter percipiendum panem sacramentalem, saltem non debent spiritualem communionem, & panis illius vivifici participationem negligere. Hanc autem participationem habent per piam & ferventem intentionem cum Sacerdotis communicantis intentione conjunctam; quia ipse est velut os totius populi, per quod ad quem libet derivatur alimenti hujus vivifici fructus, desiderium suum excitent, & ei conjugant. Hujus fructus expertes sunt qui sine attentione sacrificio inter sunt, corde vagi, non reflectentes animam super his quæ his geruntur mysteriis quasi animo abientes licet corpore videantur præsentes. Hujus etiam communionis fructu privantur qui ante eam è templo sese propripiunt, ut more pessimo quibusdam sit in locis à famulis vel ancillis, ad cibum corporis præparandum excurrentibus.

Dies Dominicus olim Dies panis.

4. Verbum Dei audiendum.

Ulteriùs, quid est sabbatho manducare panem cum Domino, nisi panem doctrinæ sacræ eo die sumere cum sapore & aviditate, vel legendo quippiam pium, vel audiendo Dei verbum? Hic nimirum est cibus animæ, haud negligendus eo die. Si per septem dies pro corporali cibo labor impenditur, cur vel una hora pro spirituali non insumetur? *Centum & sexaginta horas habente hebdomada, unam & solam horam sibi segregavit Deus, & hanc adhuc in opera secularia, & ridicula, & conventicula insumitis* inquit S. Chrysost. hom. de Euch. tom. 3. Horam dicit illam qua administrabat verbum Dei, vel liturgiam celebrabat, cui omnes volebat interesse, tamquam horæ quam Deus elegerat sibi. Hæc est hora de qua dici potest illud: *Si vocaveris sabbathum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaveris eum, tunc delectaberis super Domino.* Felix igitur qui palato purgato, & sapido manducat cum Domino panem sabbatho, panem Eucharisticum, panem Verbi divini, panem orationis sanctæ, quo reficitur & fortificatur anima, ut possit transire ad Sabbathum æternum.

Isai. 58.

Lect. 27. bipart.

DOMIN. XVIII. POST PENTECOST.

Magister, quod est mandatum magnum in lege, &c. Matth. 22.

PARS I.

Cur, mandatum dilectionis magnum dicatur.

CHristus Dominus advenerat tamquam Magister de cœlo cœlestis, ut quæ audiverat à Patre, nota nobis faceret. Ejus verò doctrina varie tentata fuit, cum à Saducæis, tum à Pharisæis & Legi peritis. Saducæi, qui non credebant resurrectionem mortuorum (de qua frequenter Christus locutus fuerat) adduxerunt ad eum mulierem, quæ nupta fuerat septem viris, inquiruntque cujusnam ex septem futura sit uxor in resurrectione? Hoc confutat & confundit Christus brevi responso: *Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Pharisæi autem intelligentes quod silentium imposuisset Saducæis, convenerunt in unum, & interrogavit unus ex eis legis Doctor tentans eum: *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* At ille Jesus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Existimabat Christum quippiam additurum præter vel contra legem, sed categoricè ei respondet Christus, & silentium veraci responsione ei imponit. Nec solum ipsi, sed etiam aliis omnibus exploratoribus suis? Interrogat enim: *Cujus filius sit Christus?* Cumque omnes respondissent esse Filium David. Replicat: *Quomodo ergo eum David Dominum vocat?* At illi non potuerunt ei respondere; & ex illa die nemo fuit ausus eum interrogare. Hæc est summa Evangelicæ narrationis.

Sed videndum est, cur vocetur mandatum istud specialiter *Mandatum magnum?* Equidem mandata omnia magna sunt; à magno Deo & Domino proeuntia, ab eodem tamquam severo & magno Judice requirenda; magnisque sunt pœnis afficiendi, quia illa transgressi fuerint, sicut & magnis præmiis qui illa diligenter observarint. Quapropter dicit: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, hoc est, summa diligentia, summoque studio. Nec sine emphasi est illud sic expressum, *Custodiri nimis.*

Psal. 118.

In primis colendus nimis ac metuendus est is qui mandat; cum sit suprema Majestatis Dominus: sic ergo ad præcipientem si se nostra vertat consideratio, vult sua *mandata custodiri nimis.*

1. Omnia mandata Dei magna.

Ulterius, si attendamus ad ipsa mandata, ita omnia vult observari, ut nec minimum velit præteriri, quia qui offendit in uno fit omnium reus: immò adeo arcte illa observari mandat, ut potius mortem velit subiri, quam unum ex illis violari. An non hoc ipsum est mandare *mandata custodiri nimis?*

2.

Deinde vult ut tota vita à primo rationis usu ad extremam usque spiritum observentur; si ergo tempus adeo prolixum exactæ observationis consideret, etiam merito dices: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.*

3.

Denique, consideronem verte ad gloriam æternam observantibus promissam, vel ad æterna supplicia violantibus comminata, & hac consideratione rursus poteris dicere Domino: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Utinam dirigan[illegible] meæ ad custodienda ei diligentissimè tota cordis directione & con e ti ne. Et iterum dices: *Beatus vir qui timet Dominum in mandatis ejus volet nimis.* Quid est, in mandatis ejus volet nimis, nisi in mandatis Domini complendis non solum omnem adhibebit curam, sed etiam omnem habebit complacentiam. Cur ita? Quia nimirum probè agnoscit Dominum mandasse mandata sua custodiri nimis.

4.

Psal. 111.

Sed dicet verum, sit de omnibus mandatis, quod magna sint, ob jam dicta, tamen per excellentiam & antonomasiam hoc mandatum de dilectione dicitur magnum, & maximum, & primum. Hujus rei demus aliquot rationes.

Cur mandatum dilectionis maximum. B. 1.

1. Est, quia illud mandatum est de virtutum omnium maxima & sublimissa, cæterorumque regina, scilicet de charitate, sic qua omnes alia virtutes sunt aridæ & inanes, quandoquidem ipsa sola eis det vitam & animam, succumque & alimentum instar nutricis & radicis. Sic fides mortua est sine charitate. Si fides justificare dicitur, aut corda purificare, hoc intelligitur de fide per charitatem & dilectionem operante, à qua accipit vitam & vim vivificam. Propterea: *Qui non diligit manet in morte.* Item: *Si habeam fidem ita ut montes transferam, sine charitate nihil sum.* In hanc sententiam tendit illud Gregor. hom. 27. in Evang. *Sicut multi arboris rami ex una generantur radice, sic multa virtutes ex una generantur charitate: nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, nisi manserit in radice charitatis.* Sicut ergo corpus sine anima corpus quidem est, sed

1 Ioan. 3. 1. Cor. 13.

sed vitam non habet, nec operationem, aut perfectionem sibi congruam: ita fides & aliæ virtutes sine dilectione dicuntur mortuæ, informes, imperfectæ infructuosæ ad gloriam & meritum. Vnde dixit S. Bernardus: *Castitas sine charitate lampas est sine oleo. Tolle oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, castitas non placet.* An non ergo meritò mandatum hoc maximum dicitur, quod de dilectione præfertur, quandoquidem sine illo reliqua nihil sint, nec impletio aliorum mandatorum Deo grata esse valeat, sine impletione hujus primi mandati, quod non solum ordine, sed & dignitate & necessitate primum esse censetur? O charitas & dilectio, tu es summa actionum omnium bonarum, salus morum, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, causa bonorum meritorum, præmium perfectorum, dicebat B. Prosper lib. de vita contempl. O Charitas & dilectio, tu es Mater & Nutrix omnium Angelorum & electorum, omniumque perfectorum, quia Seraphinos generas, Apostolos procreas, Martyres efficis, Confessores producis, sanctificas Sacerdotes, consecras Nazaræos, Virgines germinas, electos omnes coronas! Ergo prima est & maxima filia Altissimi, mandatumque de illa datum primum & maximum, maximè à Deo requirendum, maximè ab hominibus curandum, maximam pacem in hac vita, maximamque gratiam cordibus ingenerans si observetur, maximam vero pœnam pariens si contemnatur.

Charitas virtutum maximus.

Q. 2. 2. Cur maximum mandatum dicatur quod dilectione Dei fertur, est, quia hoc mandatum omnia alia continet, & hoc impleto omnia alia mandata adimplentur. Hoc postmodum insinuat Dominus dicens: *In hoc universa lex pendet & Prophetæ.* Totum enim quod lex mandavit, vel Prophetæ moverunt, in una charitate completur, quandoquidem quicquid in scripturis continetur, à principio Geneseos usque ad finem Apocalypsis, ad hoc tendat ut Deus diligatur. Immò quæcunque à sacris Doctoribus exarata sunt volumina; quæcunque à Cathedris pronunciantur, quæcunque in exhortationibus vel privatis vel publicis proponuntur; ad idem omnino spectant: Finis enim omnis præcepti & omnis doctrinæ est charitas. Igitur de hoc mandato dilectionis idem possumus dicere; quod Apostolus: *Verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.* An non verbum abbreviatum merito pronunciaveris, quod duobus verbis totam Christi doctrinam abbreviat, simulque continet universam legem, universamque Prophetarum doctrinam & sapientiam?

Mandatum dilectionis omnia continet.

Rom. 9.

Hoc videtur Dominus voluisse insinuare B. Catharinæ Genuensi, cui quondam in spiritu dixisse legitur: Cum volueris recitare *Pater noster*, accipe semper profundamento. *Fiat voluntas tua*, ex reliquo autem totius Scripturæ hanc sume vocem, cui tanquam fulcro continuò innitaris; *Diliges.* Huic initens, prompte, secure, recta ambulabis sine errore: nec eges alia luce, nec alio Duce. Voluit scilicet Christus ei significare totam perfectionem consistere in hoc verbo, *Diliges*, & in hoc, *Fiat voluntas tua*, hoc est, in charitate & divinæ voluntatis adimpletione. Nempè charitas reliquas virtutes habet sibi connexas, vitiaque omnia eliminat à corde, in quo domicilium fixerit. Hinc dicitur *Charitas patiens est, benigna est: non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Vides ne quomodo alias secum virtutes attrahat, & animis nostris insinuet Patientiam, Benignitatem, Humilitatem, Mansuetudinem, Puritatem cordis, Gaudium veritatis? An non etiam ex eodem Apostoli dicto colligis, quomodo vitia excludit his virtutibus adversantia? *Non æmulatur*, inquit Apostolus, *nec agit perperam*; sic invidiam excludit, improbitatemque & malitiam in multis regnantem. *Non inflatur, nec est ambitiosa*; sic excludit superbiam & arrogantiam, quia contenta est suo loco, & humilitatem fovet omni in loco. *Non quærit quæ sua sunt*; sic expellit avaritiam & cupiditatem. *Non irritatur*; sic propulsat iram, docetque mansuetudinem. *Non cogitat malum*; sic docet cordis puritatem, & in amore munditiæ mentem solidans, omne odium maculans eruit. *Non gaudet super iniquitate*, quia omni carens suspicione prava, & candore plena compatitur, alieno malo, nec illo delectatur. Denique, *Omnia credit*, jugo fidei suaviter animum inclinans: *Omnia sperat*, quæ Deus promisit, quia non diffidit amanti: *Omnia suffert & sustinet*, quia malo tolerando hujus vitæ expectat cum patientia bona æternæ vitæ.

1. Cor. 13.

His quoque conformiter S. Aug. epist. 52. docet, quomodo in vera Dei dilectione quatuor virtutes cardinales contineantur, ubi sic ait: *Adhærere Deo per amorem est Prudentia, quia proficientissimè adhærebit bono quod non amittatur. Est fortitudo, quia fortissimè adhærebit bono unde non avellatur: Est Temperantia quia castissimè adhærebit bono ubi jam non corrumpatur. Est Justitia, quia rectissimè adhærebit bono cui merito subjiciatur.* Addit ibidem alia ratione declarando: *Diligendo eligere Deum. Prudentia. Nullis inde averti molestiis, Fortitudo est. Nullis illecebris deserere, Temperantia est. Nulla superbia ab eo excidere, Justitia est.* Ex his ergo satis constat, quam meritò magnum hic dicatur mandatum dilectionis, & quomodo verum sit quod dicit Apostolus, *Plenitudo est dilectio*: & rursus quomodo sit vinculum perfectionis: colligans hominem cum Deo perfecto nexu, colligans etiam virtutes, & omnes illas in Deum dilectum ordinans, ita ut propterea dixerit S. Augustinus de Civit. lib. 15. c. 22. *Nihil aliud est virtus quàm ordo amoris*, sive amor ordinatus.

Rom. 13.

Q. 3. 3. Cur maximum dici possit mandatum de dilectione reddi potest, quia est universalissimum,

Quia universalissimum.

& omni statui ac conditioni maximè congruum, maximeque necessarium; ita ut nullus cujuslibet conditionis se ab illo excusare possit, aut difficultatem aliquam prætexere. Unde de illo mandato verum est illud *Mandatum quod ego præcipio tibi, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere: Quis noster um valet in cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare positum ut dicas: Quis ex nobis poterit transfretare, & ad nos deferre, ut possimus facere quod præceptum est? Sed juxta te est sermo in ore tuo, & in corde tuo.* Solum requiritur ut cor tuum Deo tuo offeras, quod in tua est potestate, amorem tuum offerens Deum tibi promereri, & cœlum hoc pretio emere poteris. Si Deus ad gloriam adipiscendam, scientiam multam requireret, multi se excusarent, quia ingenio rudes & illiterati. Si pro illa multæ opes impendendæ, & in eleemosynas erogandæ forent, jam pauperibus spes non foret. Si solum jejuniis, austeritatibus, gravibusque laboribus eam Deus venderet, homo debilis & infirmus se excusaret. Tale ergo pretium constituit, quo nemo possit carere si velit, ipsam scilicet Dei dilectionem, à qua nec infirmi, nec rudis, nec pauper & abjectus sese excusare valeat, ideoque mandatum de dilectione maximè est & universalissimum. Tantum enim potest diligere pauperculus & idiota, quantum dives, potens & sapiens. Tantæ gratiæ & amoris divini capax est ovium vel porcorum Pastor, quantæ gratiæ & amoris capax esse potest vir dignitate & scientia sublimis.

Deut. 30.

Audi hac de re S. Bonaventuram Doctorem Seraphicum. In quodam colloquio spirituali dicebat ei B. Ægidius Frader laicus. *O quam felices vos qui multa scientia praditi estis: illa enim plurima vobis suggerit quibus Deum laudare potestis. At nos illiterati & idiota quid agemus?* respondet S. Doctor: *Non est quod conquerearis Frater, sola enim sufficit dilectio.* Replicat S. Ægidius. *An ergo potest illiteratus & rudis ita Deum diligere, sicut is qui multa scientia est adornatus?* Respondet Bonaventura. *Immò verò muliercula simplex & pauper aquè potest Deum diligere, ac sublimis Theologiæ Doctor.* Ad hæc in spiritu exhilaratus B. Ægidius cum fervore cæpit exclamare. *O simplices & paupercula mulieres agnoscite gratiam Dei, & illum amate ex toto corde, & aquè magna apud Deum poteritis esse ac Frater Bonaventura.* In hæc vero verba ex plenitudine spiritus exstimpens, tribus continuis horis in raptu & extasi permansit. Huic ergo scientiæ amoris ab omnibus opera danda est, quia juxta amoris mensuram anima in cœlo locum sortitur sublimem, ita ut plurimi simplicitatis magnę præcessuri sint sapientia admirabiles, & subtilitate præminentes. Sed & sola illa scientia hic reddit animum felicem: sine amore Dei nonnisi cordis sentitur miseria & inopia. Quapropter dicebat S. Aug. *Quid est quod amari te jubens à me & mineris mihi ingentes miserias si non amem te? Parva ne est ipsa miseria amare te?* Omnes igitur hac in re inopes invitat Dominus ad æquirendum hoc aurum amoris, quod solum cor ditare potest, dum dicit illi qui pauper erat & miserabilis & nudus: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, ut locuples fias.* *Apoc. 3.*

PARS II.

Quid sit diligere Deum ex toto corde.

VIdendum nunc nobis est, quid sit Deum diligere toto corde, tota anima, totis viribus tota mente, tota virtute, tota fortitudine, hac enim verborum forma nobis dilectio præcipitur in variis locis sacræ scripturæ. Cum vero hic loquendi modus totalem dilectionem cordis, mentis, animæ, virtutis nostræ requirens & inculcans, anxietatem valeat etiam fideli corde ingenerare, & opinionem multis ingerere huic precepto, vel numquam, vel vix satisfieri, explicemus hæc breviter aliquot propositionibus.

Deut. 6. Matt. 22. Marc. 12. Luc: 10.

§. 1.

Dicendum ergo primo, simpliciter loquendo, unum idemque hæc omnia significare, sed hanc repetitionem fieri ad majorem energiam, ut tanto magis inculcetur homini hæc dilectio adeò necessaria, & tantò profundius ejus cordi illa imprimatur, quæ omnium fons est & origo bonorum in hominibus & Angelis. Neque vero aliud hic censetur præcipere Dominus, nec aliud scripturæ istæ sic expressæ designare, quam Deum diligendum sincero corde, hoc est, sincero affectu, sinceraque voluntate, ita ut cor & affectum sic Deo consecremus, ut non demus ejus partem dæmoni, nec peccato amori Dei contrario. Porro amori Dei & gratiæ ejus contrarium est omne peccatum mortale; unde non potest in anima consistere peccatum mortiferum cum amore Dei, non plus quam lux cum tenebris, vita cum morte, arca Dei cum idolo. Diligendus ergò Deus est toto corde, ex tota anima, ex tota mente, quia non ficte, nec partim diligendus est; sed vere & sincere, & ita integrè, ut amor Dei sic cor & animum occupet, ut idolum peccati mortiferi nullum unquam in eo locum inveniat. Qui in peccato hærent, & volunt simul servire Deo, eumque se diligere asserunt, cor suum dividunt, & gravissimè falluntur, dum autumant lectulum cordis amorem Dei cum peccato posse simul continere. Coangustatum est stratum, & Pallium cordis ita breve est, ut hæc simul continere nequeat, alterutrum excidere necesse est. Animæ templum ita sanctum est, ut idolum peccati non compatiatur, non plusquam Arca Dei Dagon Philistinorum idolum.

Isai. 28.

1. Reg. 5.

Sic explicatum hoc præceptum quis difficile nimis existimabit, cum nihil aliud requiratur ad Deum diligendem ex toto corde, quam ut eum sic diligamus, ut nihil ejus amori præponamus, aut contrarium faciamus, sive ut ejus amorem pluris faciamus, quam omnia alia, quæ potius parati sumus perdere, quam Deum mortali peccato offendere, & ejus gratiam & amorem delerere? Hoc nempe est amare Deum summè *appretiative & æstimativè*, ut loquuntur Theologi. Si quispiam

videat

videat se affectu quodam ferri erga filios vel parentes, divitias vel honores, in animo tamen suo firmiter statuit se nec propter parentes, nec propter opes & honores, nec propter bona quælibet hujus sæculi velle Deum deserere, non nimium angatur: conetur interim quod potest hæc omnia subiternere divino amori, & sic secutum se reddat. Quinimo potest fieri quod quis filios teneriùs diligat quam Deum, interim appretiative plus Deum diligat, & sic de divino huic præcepto non adversetur; quia ob Filii amorem, divinum haud vellet præterire mandatum & honorem.

Quis dubitet quin teneriimè *Abraham* Isaac filium suum diligeret, tum quia in senectute genitus, tum quia unigenitus erat, in quo solo spes successio s? Vt interim probaretur eius amor, an amori divino illum præponeret, dicitur ei: *Tolle filium*
Gen. 22. *tuum unigenitum quem diligis Isaac, & offer eum in holocaustum.* Res plane difficilis dum dicitur: *Tolle filium*, Patrum enim amor in filios facit ut etiam ante filios mori optent. Res difficilior dum unigenitum tollere oportet & interimere. Res difficillima summè & unicè dilectum tollere, eumque qui Patris est unicum gaudium & obiectatio, unde & Isaac nominatus, hoc est risus & lætitia. Quid, quod propria manu illum sacrificare, imò in cineres totum redigere jubetur, ut sit in holocaustio? Hæc omnia interim specialiter repræsentantur Abrahæ, ut ejus probetur amor erga Deum: an forte teneriimum filii amorem Dei mandato & amori præponat? Absit. Licet enim filium diligat teneriimè, Deum tamen toto amat corde: unde mox se accingit ad obediendum, in singulis admirabile amoris divini exemplum exhibens.

Sic *Susanna* vitam suam & honorem valdè di-
Dan. 13. ligit; interim senes illi in concupiscentiam exardescentes, potentes sunt ei vitam & honorem eripere, diffamando, accusando, condemnando ad mortem. An interim amorem vitæ & honoris, Dei amori præferet? Absit. Deum ipsa diligit tota anima, toto corde: quapropter ait sibi melius esse incidere in manus hominum, quam in conspectu Dei sui peccare, illiusque gratiam perdere.

Gen. 39. Non absimiliter & *Ioseph* sollicitatus à Domina sua ad impurum amorem, tandemque in periculum infamiæ, carceris, mortis adductus, mavult omne istud discrimen subire, quam propter vitandam infamiam carcerem, mortem peccato se astringere. Sic probavit se Deum toto corde amare, dum ejus amorem vult omnibus præponere. Quicumque ergo ita se gerit, ut malit omnia perdere quibus afficitur, quam Deum, sciat se Deum sincere diligere, & hoc præceptum adimplere. Sic adimpleverunt Martyres omnia terrena blandimenta, omnia tormenta pro amore Dei contemnentes, vitamque suam ac sanguinem oppignorantes.

2. Dicendum secundo, etiam per hoc præceptum nos admoneri, ut diligamus Deum amore, quantum fieri potest, perfecto & ardenti, (secundùm possibilitatem hujus vitæ & viæ) & ita omnem conatum nostrum, omneque studium conferamus ad hunc amorem acquirendum. Diligendus itaque est Deus toto corde; tota anima; tota mente, totis viribus & fortitudine; ita scilicet, ut tota nostra cogitatio sit in ejus amore; tota nostra operatio propter ejus amorem, tota vitæ nostræ regula ejus amori conformetur, tota nostra intentio ad hunc semper advigilet, ne dilectio nostra ad aliud, quam ad ipsum referatur. Hinc dicebat S. Bernardus lib. de dilig. Deo: *Diligam te, Deus meus, pro dono tuo & modo meo, minus quidem justo, sed non minus posse meo, non enim possum ultra quod possum, potero verò plus, cum plus donare dignaberis, numquam tamen prout dignus haberis.* Sic etiam S. Thomas, singulas partes explicans hujus præcepti, ait: *Diliges ex toto corde*, id est, ex tota voluntate, ut scilicet in omnibus totam intentionem, quæ per cor exprimitur, in eius obsequium & amorem dirigamus. *Ex tota mente*, id est, toto intellectu, quem totum Deo subjiciamus. *Ex tota anima*, ita ut omnes appetitus, qui per animam notantur, ad normam sanctæ suæ legis componamus. Denique *ex tota fortitudine aut virtute*, ut omnia exteriora opera (quæ nomine virtutis & fortitudinis significantur) eidem conformemus.

Meritò hoc præcepto unusquisque monetur di- *Divina gratia cooperandū.*
vinæ gratiæ cooperari, & studium ac conatum suum exercere in amorem Dei perfectum & ardentem. Nec enim, ait S. Augustinus, æquum est, ut filii huius sæculi, filii noctis & tenebrarum, fervenioti desiderio & studio diligant, & quærant res perituras, & fugitivos honores, quam nos servi Dei, imò & filii, diligamus Deum nostrum, per quem facti & redempti sumus, qui etiam pro præmio amoris, cœlestes nobis & æternas promittit divitias, ac seipsum frutione perpetua. Aperiat ergo oculos unusquisque, & consideret negotiatorum hujus sæculi sollicitudinem, studium, fervorem, pro rebus perituris, cum quibus sunt ipsi perituri, & ignaviam suam condemnet, quod longè faciat minus pro amore Dei. Hinc Thomas à Kempis lib. 3. c. 5. *Promittit mundus temporalia & parva, & servitur ei aviditate magna: ego promitto summa & æterna, & torpescunt mortalium corda. Quis tanta mihi cura servit, quanta mundo & dominis eius servitur? Erubesce, serve piger & quaruloſe, quod illi paratiores inveniantur ad perditionem, quam tu ad vitam. Gaudent amplius illi ad vanitatem, quam tu ad veritatem.*

Sic S. Xaverius Apostolica charitate succensus A. 33.
deplorare solebat, & dicere, se magna affici confusione & pudore, quod negotiatores citius in Japoniam penetrassent ad divendendas merces viles & perituras amore lucri, quam ipse ad divendendas merces cœlestes amore Dei.

Dicendum tertiò, quod perfectio & plenitudo hujus dilectionis divinæ ex toto corde & tota mente; in alte-

in altera vita solum habebitur. Ibi dilectio actualis in suo gradu perfectissimo habebitur, & in continuato actu; quia ibi nullum impedimentum, nulla discontinuatio, ibi amor perpetuus, & nullus finis amoris. Ibi amor est velut quidam *circulus aternus, per optimum, ex optimo, in optimum, inenarrabili conversione circumiens*, ut loquitur S. Dionysius. In hac vita autem impossibile est, ut Dei amor ita cor possideat, ut omnem affectum extraneum, quia multiplex cura huius vitæ variam mentis dissipationem involuit, ab actuali Dei amore distrahentem. Concupiscentia quoque continuò rebellans in sua eam impedit perfectione, estq; viscus quidam & pondus spiritualium pennarum impediens animam ad perfecto amore in Deum volandum. Hoc voluit dicere S. Augustinus, dum dixit hoc præceptum de dilectione Dei, nonnisi in altera vita adimplendum, in sua scilicet perfectione omnimoda.

Nihilominus Deus quibusdam electis tantum infundit dilectionis gratiam, ut, quantum fieri potest, moraliter loquendo, in hac vita Deum perfecto amore diligant, de quibus sic loquitur S. Gregor. hor. 34. in Evang. *Solo aternitatis amore pascuntur, cuncta temporalia mente transcendunt, amant & ardent, atque in ipso suo ardore requiescunt: amando ardent, loquendo & alios amore accendunt: Quid nisi ipsos: Seraphim dixerim, quorum cor in ignem conversum lucet & uritur?*

Exemplo perfectè Deum diligentiũ.

Talis fuit S. Augustinus, qui ideo depingitur cor suum gestans in manu rubicundum, & flammans, (quasi esset rubus incombustus) sagitta amoris transfixum. Sagittaverat in eum Dominus, & amoris perfecti jaculo transverberarat cor eius, ita ut ei audeat fidenter dicere: *Scis, occultorum cognitor Deus, quod cælo & terra & omnibus quæ in ea sunt, tu mihi acceptior, tu mihi amabilior. Amo te, Deus meus, amore magno, magisque amare cupio: da mihi, ut amem te quantum volo, quantum debeo, ut tu sis semper tota meditatio mea. Te meditor per diem sine cessatione te sentiam per soporem in nocte, te alloquatur spiritus & meas mea indefesse.*

In Solilo.

Talis etiam fuit S. Franciscus, qui ideo sacris stigmatibus à Christo insignitus fuit exterius in carne, & ardore Seraphico intus in corde, dum contemplationi vacaret in Alverni monte, ut cognosceret amator Christi se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis, totum in Christi amorem transformandum, ut loquitur S. Bonaventura. Vnde & hæc frequens fuit ejus oratio: *Absorbebat, Domine, mentem meam ignita & mellistua vis amoris ab omnibus quæ sub cælo sunt, quia amore amoris mei tanta pati dignatus es, & in ligno crucis dignatus es mori.*

Talis fuit & ipse Bonaventura, qui & inde Seraphicus Doctor dictus est, quia lucebat & ardebat, & alios amore miro accendebat. De ipso dicere possumus, quod non solum cor, sed & verbum eius, quasi ignis, & quasi facula ardens erat. Vnde & ipse frequenter sic orabat: *Transfige, dulcissime Domine Iesu, medullas & viscera animæ meæ salubernimo amoris tui vulnere sanctissimaque charitate, ut languent & liquefiat anima mea solo semper amore & desiderio tui. Te esuriat, te sitiat, te quærat, te invenat, te meditetur, te loquatur propter te omnia operetur cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perseverantia. Tu solus semper sis spes mea, divitiæ, gaudium, pax & tranquillitas mea, suavitas & odor, portio & possessio, thesaurus in quo immobiliter sit radicata mens mea & cor meum.*

Talis quoque fuit S. Dominicus, totus amore ignitus, aliosque, igniens ardore simili, ipse enim poterat idem dicere, quod Dominus: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Propterea cùm eum mater utero gestaret, visa est sibi gestare catulum ore facem præferentem, & orbem totum illius facis flamma concremantem. Propterea etiam, cùm intertogaretur unde hauriret divinas illas & ignitas conciones, quibus plebem mirè in amorem Dei accendebat, respondit: *Non ex alio libro eas haurio, quam ex libro Charitatis.* O verè amatorem Dei, ô perfectum Charitatis discipulum! *Luc. 12.*

Talis fuit etiam S. Carolus Borromæus, in cuius nativitate lux & flamma cœlestis cubiculo matri parientis incubuit, designans lucem sapientiæ & flammam charitatis, qua Ecclesiam erat illustraturus. Vnde & S. Philippus Nerius, cum eum quodam die viseret & amplecteretur humillimè, vidit & sensit flammam quamdam lucidam ex ejus corde de ore profilientem cœlestis amoris indicem: quem amorem sibi à Deo in perfecto gradu communicatum, zelo & opere indefesso in his quæ Dei gloriam concernebant, jugiter commonstravit.

Talis denique & ipse S. Philippus Nerius fuit, cui præ ardore amoris divini è corde prodeuntis costa quædam cordi proxima loco mota fuisse asseritur; ita ut corde per amorem sese dilatante, potuerit dicere cum Propheta & Rege: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Quod quidem in ipso factum fuisse, refertur non solum spiritualiter & in mysti co intellectu, sed etiam corporaliter & secundùm literam, in cordis & costæ quadam dilatione. O amoris efficacia! ô mira eius potentia! *Psal. 118.*

Inter mulieres quoque magnum numerum possemus recensere earum, quæ admirabili divina amoris ardore toto orbe celebres factæ sunt. Inter has S. Catharina Senensis excelluit, quæ per quandam cordis sui commutationem cum corde Dei Iesu admirabilis effecta fuit. Item nostro sæculo S. Theresa, quæ ab Angelo jaculo quodam aureo & ignito in visione transfixa, supereminentes divini amoris effectus, persensit. Item S. Clara de Monte Falco, quæ in corde omnia Passionis. Dominicæ instrumenta divinitùs impressa gestavit. Sed his & innumeris aliis prætermissis, in unam S. Catharinam de Genua oculos conjice, quæ præcedente sæculo

culo Ecclesiam amoris divini luce admirabili & flamma inexplicabili illustravit. Ita in Deum perfecta totius cordis dilectione ferebatur, ut assereret se malle in inferno esse sine peccato veniali quam in Paradiso cum unico veniali Rationem hanc subjiciebat. Quia sola reflexio ad hanc imperfectionem Amori meo Æterno ingratam, mihi quidam foret intolerabilis infernus. Vnde & prælogio sibi familiari assumebat, vocem hanc PVRITAS. Quia volebat Amorem suum erga Deum ita purum esse, ut nihil terræ, nihil mixtum haberet proprii interesse. Ea propter asserebat se lubenter passuram omnes pœnas Purgatorii, omnesque pœnas inferni, cum omnibus simul junctis pœnis omnium martyrum pro amore Dei, si ejus accederet voluntas. Optabat sibi ferventissimo desiderio omnia corda omnium hominum, omnes voluntates Angelorum, omnem amorem omnium Beatorum & Electorum, ut hæc omnia simul amore juncta posset divino sacrificare Amori in holocaustum perfecti amoris. Deniq; decem annis continuis passa est indicibile martyrium interius in animâ & omnibus animæ potentiis, ut ipsamet asseruit; quia vim & imperium amoris penetrantis usque ad medullas & compages, usque ad divisionem animæ experiebatur. Vnde dicere solita erat: *Corpus quidem meum continuo afficitur martyrio, sed longè alio martyrio afficitur anima mea, nec pro toto Paradiso carere vellem unico grano hutus supplicii, quia sic vult amor.* Hunc amorem non satis potens explicare, vocabat modo Amorem vulnerantem, modò Amorem crucifigentem, modò Amorem mortificantem, & omnes passiones interimentem, modò Amorem omnipotentem & deificantem, elevantem animam supra omnem creaturam. Certè adeò sublimiter de divino amore disseruit, ut vix plenè ullus intelligat, nisi qui didicerit idioma amoris.

Vide eius vitam.

CONCLUSIO. TU, Domine, qui jubes te amari à nobis toto corde, totâ animâ, totâ mente, da quod jubes, quia tu fons es & origo omnis amoris. Tu Charitas es, Deus meus, Charitas quidem per essentiam, Charitatem infundens cordibus nostris per participationem virtute Spiritus Sancti. Da igitur nobis gratiam te amandi, te redamandi, qui prior dilexisti nos, & quidem immeritos, imò & inimicos. Da ut te propter te adamemus, quia suprema bonitas es & pulchritudo, suprema sapientia & potentia, suprema gloria & perfectio, amabilis in se, amabilis per se, amabilis per omnia. Fac ut non partim amemus te, sed ex toto corde & totâ animâ, nullam partem amoris damoni aut peccato communicantes, ut possideas totum cor nostrum, & nos illud in te possideamus, possimusque in veritate tibi illud dicere. *Tu es Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Rational. Evang.

EADEM DOMINICA.

LECT. 28. bipartita.

Diliges proximum tuum sicut teipsum.
Matth. 22.

MERITÒ pronunciat Dominus secundum istud mandatum esse alteri simile. Primò quidem, quia est mandatum ejusdem virtutis, ejusdem scilic. charitatis: nec enim alia charitas est quæ diligit Deum, alia quæ diligit proximum, sed una & eadem diligit Deum propter se, & proximũ propter Deum. Vnica enim est charitas, sicut una est fides, & una spes. Habet ergo charitas duo præcepta, quasi duos pedes, quibus ad Deum currit, ut loquitur S. Augustinus in Psal. 33. ubi ait: *Pedes tui tua charitas est. Duos habet pedes, noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis Dei & proximi. Istis pedibus curre ad Deum.* Imò quia non solùm ambulat, sed etiam quadam ratione volat anima diligens, hæ sunt duæ alæ, quibus celerrimè fertur & securissimè in cœlum, hæ sunt duæ pennæ columbæ in Deum volantis. Pennæ charitatis Dei planè aureæ sunt, pennæ quas subministrat charitas proximi, quasi deargentatæ sunt. Denique, duo præcepta charitatis sunt velut duo brachia, dextrum sinistrumq; quibus strictissime sibi conjungit & complectitur anima Deum suum ita ut sicut Sponsa de Sponso cœlesti, sic & Sponsus de Dilecta sua dicere valeat: *Lava ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Cant. 2. & 8.

PARS I. *Cur hoc præceptum simile primo.* R. 1.

R. 2.

Secundò, propterea dicitur hoc mandatum simile primo, inquit S. Chrysost. hom. 72. in Matth. quoniam hoc illud inducit, & ab illo rursus munitur & perficitur. Dilectio nempe Dei inducit dilectionem proximi, estque illius causa & origo. Item dilectionis Dei præceptum munitur & perficitur per præceptum de diligendo proximo, quia, ut dicit S. Augustinus tract. 17. in Ioan. Dilectio Dei prior est ordine præcipiendi. *Neque enim quò præciperet tibi dilectionem illam in duobus præceptis, prius tibi commendaret proximum, & postea Deum, sed primò Deum, postea proximum. Tu autem, quia Deum nondum vides, diligendo proximum promereris quem videas, & purgas oculum ad videndum Deum, dicente S. Ioanne: Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Hæc ille. Itaque inchoatio charitatis, in Dei dilectione est; perfectio charitatis per dilectionem proximi acquiritur. Similia ergo sunt præcepta, & sese mutuò adjuvant: nam ignis amoris divini ad proximum amandum cor accendit, amor quoque proximi hunc ignem fovet & adauget. Hic est spiritus duplex Eliæ, quem & Elisæus cum ejus pallio in gradu perfecto participavit, spiritus scil. dilectionis Dei ignitæ, & spiritus dilectionis proximi perfectæ, sive spiritus zeli ardentis salutis proximi.

Tertiò, hoc mandatum dicitur simile primo, R. 3.

tum quia ei cognatum est, tum quia utrumque ad salutem est necessarium, & in utroque pendent lex & Prophetæ, ut antea dictum est. Hi ergo sunt populi, in quibus volui debet tota vita Christiana, ut sit perfecta. Hæc sunt duo fundamenta cœlestis ædificii in cœlum pertingentis, sive duæ columnæ quibus tota structura incumbit. Hæc sunt duo fulcra scalæ, quibus infallibiliter ascenditur in Paradisum, quibus etiam alii gradus virtutum cohærent.

Cur mandatum novum diligere proximū. R. 1.

Porrò Christus præceptum hoc dilectionis proximi vocat *Mandatum novum*, licet verus sit, datum non solum Iudæis in veteri Testamento, imò & Adæ, & omnibus hominibus in lege naturæ, sed ideo Mandatum novum vocat, quia jam antiquatum vitio corruptæ naturæ ipse renovabat, & in memoriam revocabat: eratque novi Testamenti præceptum (quod est Testamentum amoris) præceptum certè, arcteque commendandum à Legislatore Christo Domino. Quapropter verbis & exemplis illud inculcabat moriens, & in cordibus discipulorū renovabat. Item novum vocat, quia mox novam daturus erat gratiam Spiritus Sancti ad illud perfectè adimplendum, & per hoc mandatum volebat facere novos homines & cœlestes exuta terrestri vetustate. Audi S. Bernardum ser. 5. in Cœna Domini. *Mandatum novum do vobis. Vnde novum? Quia vetera ad novitatem perduxit, & veteres homines transformat in juvenes. Novum, quia exuit veterem hominem, & induit novum, qui secundum Deum creatus est in sanctitate & justitia veritatis. Novum, quia olim genus humanum à Patris gaudiis expulsum, nunc & quotidie transmittit in cœlum.* In eundem sensum hoc explicat S. Augustinus in Ioan. ubi sic habet: An ideo est mandatum novum, quia exuto vetere homine induit nos hominem novum? *Innovat quippe audientem non omnis, sed ista dilectio quam Dominus mandat, & ut à carnali dilectione eam distingueret, additit: Sicut dilexi vos Dilectio ista nos innovat, ut simus homines novi, hæredes Testamenti novi, cantatores cantici novi, facit & colligit populum novum.* Hæc ille. Adde novum dici posse ratione novi modi, quo voluit Dominus ut invicem diligamus. Quis novus ille modus? Diligite, *sicut dilexi vos*, inquit Dominus? Ergo dilectio proximi ad normam esse debet & exemplar Christi, & sic nova, mandatumque ejus hac ratione novum, quia Christus nos nova & inaudita dilectione dilexit, quam debemus imitari. Debet dilectio Christiana, ut sit ad exemplū Christi, esse cum fervore & promptitudine ac fortitudine erga omnes etiam inimicos, ad fundendum etiam sanguinem pro salute proximi parata, & ad vitam pro illo ponendam.

R. 2.

R. 3.

Qualis dilectio primorū Christianorum fuerit.

Talis fuit primorum Christianorum dilectio, de quibus dicitur: *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Et communis Gentilium de Christianis vox erat. *Vide ut se invicem diligant, ut alter pro altero mori parati sint?* Christiani ita animis & sensibus erant concordes, ac si omnes unum idemque cor habuissent ac animam unam, quia per charitatem perfectam perfecta inter eos vigebat amicitia, quæ in æqualitate & concordia animorum consistit. Deinde, quia omnes Christum induerant, in eo summè erant uniti, omnesq; possidebantur & regebantur ab eodem Spiritu Sancto, quem à Patre poposcerat pro iis Christus: *Pater sancti, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos unum sumus*; ut sint unum scil. voluntate, sicut nos unum sumus essentia & æqualitate. Denique, omnes fatagebant Dei voluntatem cognoscere & adimplere, Dei autem voluntas una est, uniens etiam inter se eos, qui quærunt adimplere; sic nihil inter illos nisi admirabilis concordia, & nova charitas, novusque amor cernebatur, ut merito dixerit Dominus: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.*

R. 4. Act. 4.

loan. 17.

Quapropter ex dictis multiplex dari potest ratio, cur homo ad dilectionem proximi in hoc præcepto sibi commendatam, teneatur.

Cur proximus diligendus.

Prima est, quod proximus sit imago ipsius Dei, si ergo Deum diligimus, ejus quoque vivam imaginem ab ipso formatam, propriisque manibus delineatam diligere nos convenit, & dilectionem in Deum referre. Qui enim Regem honorat, ubicunque etiam ejus contuetur imaginem, illam honorat, & in Regem refert honorem imagini Regis impensum.

R. 1.

Secunda est, quia proximus sanguine Filii Dei redemptus est, si ergo tantopere eum dilexit Deus, ut tali pretio redimeret, quidni & tu eum diligere debes, quem tanto Deus pretio æstimandum duxit? Quem Deus tanti fecit, cur tu contemnis, nisi quia valorem & pretium ejus, ut decet, non concipis, nec in bilance Dei expendis?

R. 2.

Tertia est, quia proximus tecum est membrum ejusdem corporis mystici. Hac ratione frequenter utitur Apostolus, ut ostendat quam firma esse debeat in nobis unio charitatis. Vnde apertè dicit: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Et exinde refert: *Pro invicem sollicita sunt membra, si quid patitur unum membrum, compatiuntur & cætera, sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Sic ergo inter nos debet esse summa concordia & communicatio, mutuoq; debemus subservire, sicut membra membris.

R. 3.

Rom. 12.

1. Cor. 12.

Quarta est, quia proximus noster frater est. Eundem nominat Patrem in cœlis, eandem Matrem in terris, eodem est utero spirituali progenitus, eadem cœlesti alimonia educatus, eodem spiritu repletus, ad ejusdem hæreditatis consortium vocatus, eodem sanguine consociatus. Vnde dicit S. Augustinus ser. 27. de verbis Apostoli: *Melior est fraternitate sanguinis, Christi fraternitas, quoniam illa sibi interdum inimica est: Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est.* Itaque merito ut fratres nos diligere invicem tenemur, quomodo etiam

R. 4.

iam initio seſe vocabant Christianos, ad quos sermonem habens S. Petrus, sic inchoat: *Viri fratres.* Nempe sicut fratribus communes sunt parentes, uterus, sanguis, ortus, educatio domus, generis claritas, res familiaris, patrimonium, disciplina, mores, sic hæc ipsa omnia in Christianis reperiuntur communia. Quod apertissimè patuit in primitivis, ut dictum est antea. *Act. 2.*

PARS II. *Dilectio proximi quid à nobis requiratur.*

VIdendum nunc & explicandum, quid proximo quis debeat impendere, & quomodo erga eum se debeat gerere, ut censeatur ipsum sincere diligere. Ac inprimis ad vertendum, quod Dominus, cum à nobis amorem exigit, nostri ipsius amorem constituit tanquam exemplar amoris proximi; eû enim amor nostri sit grandis & potens, fortis & indissolubilis, imo sit maximè indulgens & blandus; sic etiam vult amorem proximis esse potentem & fortem, indissolubilem & perpetuum, cum magna quoque benignitate & indulgentia conjunctum. Atque ita generaliter loquendo, non est aliud dicere: Dilige proximum sicut teipsum, quam dicere: Attente ad teipsum, attende quantum te, ames, quantum tibi indulgeas, quantum te supportes, quantum excuses, quantum bonum tibi velis; hoc exemplar amoris, hicque modus dilectionis tibi in dilectione proponitur imitandus, ut sicut bene tibi esse cupis & benefacis, aliosque itidem tibi benefacere peroptas, ita etiam erga proximum tuum te geras. Hoc nempe est diligere eum sicut diligis teipsum. Deinde advertendum est, cum nostri dilectionem hic proponit Dominus ad imitationem, intelligi id de dilectione nostri recta & justa, quæ etiam charitatis est dilectio, de qua S. Augustinus lib. de Doctr. Christia cap. 13. & 26. *Cum quatuor sint diligenda, unum quod supra nos est, id est Deus, alterum quod nos sumus, tertium quod juxta nos est, ad est proximus quartum quod infra nos est, id est corpus; de secundo & quarto nulla præcepta danda erant, quia quod nos sumus, & quod infra nos est, ad nos tamen pertinet, inconcussa natura lege diligimus.* At videndum, ut hæc dilectio reguletur à Charitate, & in Deum ac in finem supernaturalem ordinetur. Etenim etiam potest facilè esse prava, & curvâ, & immoderata dilectio sui. Sic qui carni indulget, gulæ, rapinæ, avaritiæ libidinique voluptuosæ, pravè se diligit; nec sic proximum etiam debet diligere: etenim hoc potius odium est, quam dilectio. Unde audiant tales Scripturam dicentem: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* *Psal. 10.*

Cæterum in particulari ut explicetur quid proximo sit exhibendum ad dilectionem perfectam, dici potest illam tribus adimpleri; si scilic. 1. diligatur corde, 2. diligatur verbo, 3. diligatur opere. Hoc videtur insinuare S. Joannes, dum dicit: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*, hoc est, diligamus non solum linguâ, sed etiam veritate & sinceritate cordis, atque etiam exhibitione operis. *1. Joan. 3.*

Primò requiritur dilectio cordis. Hæc est dilectio vera, quæ in corde sedem habet, & ex corde procedit, nec est ficta, sed est sincera: & cùm exteriùs non invenit benefaciendi proximo facultatem, tamen intus fovet bonam cordis voluntatem. Sic corde diligit proximum, qui affectu sincero ejus bonis congaudet, ejusque malis compatitur & indolet. Sicut ergo sequitur dolor, si tibi malum accidit; & gaudium, si tibi bonum obtigit, & id quidem ob dilectionem tui: ita si proximum diligis sicut teipsum, ob mala ejus dolere te oportet, & ob bona ejus congaudere. Lætatur enim charitas de alieno bono sicut de suo, præsertim de profectu ejus spirituali, ac etiam de temporali, quatenus ejus non est contrarius saluti. Condolet quoque in malis quasi sua reputans, principaliter in malis spiritualibus, sive culpæ, sive pœnæ, atque etiam in temporalibus malis secundario, quoad potest illa cupiens amolri. itaque unusquisque debet alteri sincerum affectum & amorem, & quidem benevolentiæ; non enim sufficit amare amore concupiscentiæ, quod fit, quando ei optamus bonum propter nostrum commodum. Tunc enim non tam eum diligimus, quam nos ipsos & nostram utilitatem: ergo necessarius est amor amicitiæ, ut loquuntur Theologi, ut scilicet velimus proximo bonum propter ipsius proximi utilitatem, & ita quidem primùm ei gratiam & gloriam optamus, sive bonum æternum simpliciter, deinde reliqua in ordine ad illud. Vis videre hunc sincerum affectum sinceramque dilectionem? Rex Agrippa dicebat S. Paulo: *In modico suades me fieri Christianum*; audi quid respondeat: *Opto apud Deum, & in modico & in magno, non tantum te, sed & omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego, exceptis vinculis his.* Sic diligebat Paulus eos, sicut seipsum, ipsis omnem felicitatis sortem ex animo optans. O pectus plenum charitatis! Hinc & alibi dicit: *Cor nostrum dilatatum est, non angustiamini in nobis.* Quia nimirum ampliſſimo cordis sui omnes complecti in Christo Jesu avebat, nec cor ejus ita angustum erat, ut solas caperet consanguineos. E contrà cor invidi alterius rebus marcescit opimis. & eo usque nonnumquam procedit, ut etiam fraternæ gratiæ invideat, quod est peccatum contra Spiritum Sanctum. Sic & cor hominis perversi alterum odientis, si malum non intentat exterius interius tamen optat, & dum obtingit, exultat, quod directè adversatur hic præceptæ cordis dilectioni. Unde Iob, ut ostenderet dilectionem proximi semper in corde suo fuisse, dicit: *Si gavisus sum ad ruinam eius qui oderat me, & exultavi quod eum invenisset malum.* Quasi dicat: Si ita est, Deus non habeat partem mecum, nec Altissimus mihi ignoscat. Quomodo condolere debeamus peccantibus, ex charitatis affectu intimo, declarat S. Ambrosius, lib. 2. de Pœnitentia, cap. 8. ubi sic ait: Scriptum est: *Non gaudebis super filios Iuda in die perditionis eorum, &* ne ma-

1. Cor. 13. dilectio... non re... quirit.

Act. 26.

2. Cor. 6.

Iob. 31. Condolendum peccantib. & non congaudendũ. Abdiæ v. 12.

Gen. 38. *ne mi gna loquaris in die tribulationis eorum.* Quotescu que peccatum alicujus lapsi exponitur, compatiar, ne superbè increpem, sed lugeam & defleam ut dum alium fleo, meipsum defleam, dicens: *Iustificata est magis Thamar quàm ego.*

Forte adolescentula lapsa sit, occasionibus, quę delictorum fomites sunt, decepta & præcipitata. Peccamus & seniores. Repugnat in nobis lex carnis legi mentis & captivos nos trahit in peccatum. Illi de ætate suppetit excusatio, mihi jam nulla. Illa enim debet discere, nos docere. Ergo *justificata est magis Thamar quàm ego.*

Incusamus alicujus avaritiam, recordemur si nihil avare fecimus. & si fecimus quoniam radix est malorum avaritia, & tamquam sub terrâ occultè in nostro serpit corpore, dicamus singuli: *Iustificata est magis Thamar quàm ego.*

Si commoti fuerimus in quemquam graviter, leviorem causam habet laicus, quam Sacerdos, eo quod commotus egerit aliquid: retractemus nobiscum, & dicamus: *Iustificata est magis Thamar, quàm ego*: justificatus est magis iste, qui commotionis arguitur, quam ego.

Matth. 7. Hæc si dicamus, ipsi nobis cavemus ne dicat nobis Dominus Iesus: *Festucam in oculo fratris tui vides, trabem autem, quæ in oculo tuo est non vides.* Non ergo erubescamus graviorem dicere culpam nostram, quàm ejus quem arguendum putamus, sicut dicit Iudas recordatus culpæ suæ: *Iustificata est magis Thamar, quàm ego.* Non ergo gaudeamus super alicujus peccato, sed magis lugeamus, quia

Mich. 7. scriptum est: *Ne gaudeas, inimica mea, super me, quia cecidi, sed resurgam, quoniam si sedero in tenebris, Dominus illuminabit me. Iram Domini sustinebo, quia peccavi ei donec justificet causam meam, & faciat judicium meum, & educat me ad lumen, & videbo justitiam ejus, & videbit inimica mea, & cooperietur confusione, quæ dicit ad me: Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt eam, & eris in conculcationem sicut lutum in via.* Nec immeritò, quoniam qui lapsu alieno gaudet, gaudet de diaboli victoria. Et ideo doleamus magis cùm audimus periisse hominem, pro quo Christus mortuus est, qui nec in messe stipulam negligit. Hactenus S. Ambrosius, In ejus etiam vita refertur, tanto eum erga proximos charitatis affectu flagrasse, ut cùm accederent culpas suas confessione expiaturi, fleret amare super eos ex intima & viscerali compassione; sicque etiam eos ad interiorem dolorem & exteriorem gemitum super peccatis adducebat.

2. Dilectio oris. Secundò requiritur dilectio oris, quia quandoque tenemur verbis & signis testari hunc affectum sincerum benevolentiæ & dilectionis. Sic cum Eldad & Meldad prophetarent in populo, idque

Num. 11. ægrè ferret Iosue, quasi id foret in præjudicium gloriæ Moysis Respondet Moyses: *Quid æmularis pro me? Quis det ut omnes prophetent?* Sic loquitur, ut ostendat se non tantùm non invidere, sed etiam congratulari his, qui spiritum prophetiæ participarant, idque ex vera & sincera charitate.

Simili ter cùm David jactatus foret persecutione, sic congratulans Ionathas filius Regis eum alloquitur: *Tu regnabis super Israel, & ego ero tibi secundus* O virum expertem invidiæ qui quod videbatur suum, mavult esse alienum! Vir regii seminis, cui ex successione sperabatur hæreditas, cui spem auxerant culminis potiundi, genus, virtus, militum gratia, plebis favor, & fama triumphi, quo uno tantùm munitus comite hostiles cuneos invaserat & superarat, infra servum se dejiciens. *Ergo*, inquit, *secundus post te.* Quis hæc de uterino Fratre sine invidiâ cogitaret? Quis amici causa tantam spem in desperationem adduceret? Filii Iacob paternæ gratiæ, qua unus cæteris duicius fovebatur, invidentes, servitutem fratri, summam Patri invexere tristitiam. Sapiens Salomon fratrem æmulum regni acceptâ qualibet occasione delevit. At Ionathas Davidem in adversis consolans, compatiens, congratulans, eum sibi præferri in regno gaudet, & dicit: *Tu eris Rex, & ego secundus.* Opectus plenum charitatis!

1. Reg. 23.

Quandoque ergo tenemur congratulari exteriùs verbis charitatem testantibus in proximi bonis & solatium eidem afferre in adversis. Tenemur eum cum suavitate affari, aut mitigare blandiloquentiâ, aut etiam instruere cùm opus est; quæ omnia sunt oris officia, & dilectionis testimonia. Imò tenemur, si nos offenderit, & culpam paratus sit agnoscere, ei significare nos ex animo condonare, & remittere offensam. *Et si præoccupatus fuerit in aliquo delicto*, obligamur in spiritu lenitatis instruere, hoc est, in spiritu charitatis, supportando imperfectiones & infirmitates, quoad potest fieri, sine felle. Cum enim in hominibus multa ignorantia, infirmitas, fragilitas, imperfectio soleat occurrere; necesse est offendicula, vel alia gravamina forti charitate tolerare, errantesque non sæviendo, sed cum mansuetudine admonere; & hoc est legem Christi, & legem charitatis adimplere. Hoc iterum est, quod monet Apostolus: *Induite vos sicut electi Dei, sancti & electi, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam.* Quasi dicat: Vos Christiani, qui estis electi Dei per æternam Prædestinationem, & sancti per aspersionem Sanguinis Iesu. & dilecti per gratiam justificationis, induite viscerale commiserationem, animique dulcedinem, cum patientia, cum suavitate, mutuas offensas remittentes & verbis charitatis idipsum testantes. Huic præceptæ dilectioni adversantur, qui sicut fratres Ioseph, *nescivit aliis quicquam pacificè loqui*: & licet corde odium non gerant, tamen verbis amaris sæviunt, non verbis amoris leniunt exasperatos.

Gal. 4.

Coloss. 3.

Gen. 37.

Tertiò requiritur dilectio operis Non enim sufficit affectu, & suam sermone dilectionem exhi-

3. Operis dilectio

bere,

bere, sed etiam necesse est ad effectum eam deducere, ubi locus & tempus requirit. Alioqui censetur ficta dilectio, nisi in beneficentiam transeat tunc benevolentia. Hoc voluit S. Iacobus, dum dicit: *Si frater aut soror nudi sunt, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis: ite in pace, calefacimini, & saturamini non dederitis autem quæ necessaria sunt, quid proderit?* Istud nempe est diligere verbo & lingua, non opere & veritate. Unde hic locum habet illud vulgatum S. Gregorii: *Probatio dilectionis, exhibitio est operis.* Itaque si quis sub onere paupertatis jacet non solùm verbis, sed etiam eleemosynis est juvandus. Si sub onere ægritudinis, quod fieri potest est sublevandus, Si sub onere peccati, decet omni medio ei opem exhibere congruam. Sic adimplebitur lex Christi, alter alterius onera dum portat non solùm verbis, sed etiam quibus potest humeris. Sic opere & veritate, si patitur unum membrum, compatiuntur & reliqua. Si pedi figitur spina, non solum corpus id sentit condolendo, sed etiam caput se inclinat officium exhibendo, humeri se incurvant, oculi, vultus circumspiciunt, manus cooperatur ad extrahendum quod nocivum est; nullum non membrum opere & veritate juvare conatur infimam etiam corporis partem, & commembrum suum. Sic debet fieri in corpore Christi mystico, ut scilicet superiora membra inferiora haud dedignentur, sed se demittant, ut eis opitulentur, & in veritate succurrant.

Iac. 2.

Gal. 6.

Refertur S. Brigittæ lib. 6. c. 30. Fratrem quemdam simplicem trienualium ægritudine pede putrescente afflictum fuisse, tandemque magna cum patientia objisse, ita ut dicere Deo se etiam centum annis paratum esse dolorem illum indicibilem portare, si ei ita luberet. Exultans igitur media nocte in manibus Fratrum circumstantium reddidit spiritum. Sequenti Dominica S. Brigitta rapta in spiritu audivit hæc verba: *O filia, quia Domini & Magistri ad me venire nolunt humiles, ideo colligo pauperes & idiotas in regnum cœlorum. Dic quoque illi Fratri, qui ei durante ægritudine in veritate servivit, quod ob illud obsequium liberabitur à tentationibus, & habebit fortitudinem ad spiritualia, firmumque gaudiosum, & vigilabit in regno Lazari.* Ita habetur loco citato. Quapropter & hic quam verum sit illud S. Chrysologi, patescere potest: *Illi dabit Dominus somnem vitæ, qui ei derit calicem aquæ frigidæ.*

Vita quandoque pro proximo est ponenda.

Postremò dicamus illuc quandoque debere progredi dilectionem, ut etiam quis animam suam pro proximo ponat hoc est, vitam suam. Quod quidem frequens fuit in primis Christianis, ut antea diximus; quia non solùm mente ruminabant, sed etiam opere adimplebant, quod eis Dominus ad mortem pro nobis procedens dixerat: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Cui consoniter dixit Apostolus Ioannes: *In hoc cognovimus charitatem Dei Quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Hoc in veritate præstabant illi strenui & perfecti imitatores Christi primigenii Christiani,

Ioan. 15.

Ioan. 15.

1. Ioan. 3.

Exempli memorabile.

Audi admirabile charitatis exemplum (quod à S. Ambrosio describitur lib. 2. de Virginibus) inter Theodoram Virginem Christianam, & Didymum militem Christianum apud Antiochiam. Tulerat tyrannus, aut ut Virgo idolis sacrificaret, aut ut in lupanari prostitueretur. Illa injuriam Christi recusans, duplexque professa certamen, & religionis, & castitatis, ducitur ad locum infamem. Sed virgo prostitui potest, adulterari non potest; mentem retinet semper virginem, si non potest carnem; Virginisque coronam non amittit, si in vita violatur. Ingens ergo petulantium fit concursus ad illum locum. Clauditur intus columba strepunt foris accipitres, certant singuli qui primus prædam invadat. At illa manibus in cœlum levatis, quasi veniret ad domum orationis, non ad diversorium libidinis, Christum sic alloquitur: *Tu qui domuisti Danielis virgini feros leones, potes etiam domare hominum feras mentes. Chaldais roravit ignis. Iudaïs se unda suspendit. Susanna ad supplicium genu flexit, & de adulteris triumphavit Arruit dextera qua templi tui dona violabat, nunc templum ipsum attrectatur tuum, ne patiaris incestum, qui non passus es furtum. Benedicatur nunc nomen tuum, ut virgo discedam, quo velut ad adulterium accessi.* Vix compleverat precem, & ecce quidam nobilis miles, juvenis & imberbis, locum ingreditur, trepidamque sic solatur: *Ne paveas soror; frater huc veni, servare animam non perdere. Quasi adulter ingressus, si via martyr egrediar. Vestimenta mutemus. Conveniunt mihi tua, & mea tibi, sed utraque Christo. Tua vestis me verum militem faciet, mea te virginem. Bene tu vestieris: ego melius exuar. Sume habitum qui abscondat fœminam; trade qui consecret martyrem. Induere chlamydem qua occultet membra virginis, servet pudorem. Sume pileum qui tegat crines, abscondat ora. Solent erubescere qui lupanar intraverint. Nec vereare ne quid pereat sacrificio, ego pro te hostiam Deo reddo.* Sic certant in lupanari de martyrio miles & virgo, dissimiles sanè inter se naturâ, sed Dei miseratione consimiles, ut impleatur oraculum: *Tunc lupi & agni simul pascentur.* Ecce Agna & lupus non solum pascuntur simul, sed etiam immolantur. Quid plura? Mutato habitu evolat puella de laqueo, egreditur de lupanari virgo, sed Christi. Miles vero in habitu virginis deprehensus trahitur mox ad supplicium loco virginis Illa vero ad supplicii locum currit, & nolens esse causa mortis ei qui ipsius tutatus erat pudicitiam, adit Iudicem, & proclamat se mortis ream non ipsum. Ille vero ait se sententiæ Iudicis damnatum, non ipsam. Cui ipsa. *Non ego te mortis vadem elegi, sed prædam pudoris: si sanguis exposcitur, fidejussorem non desidero,*

Isai. 65.

habeo unde solvam, in me lata est ista sententia, qua pro me lata est Moriar innocens, ne moriar nocens; hodie aut rea ero tui sanguinis, aut martyr mei. Sufficiunt membra morti, quæ non sufficiebant injuriæ. Est in virgine vulneris locus, qui non erat contumeliæ. Ego opprobrium detinavi, non martyrium tibi cessit Vestem, non professionem mutavi. Sic diu certarunt. At Christo sic disponente ambo gloriosum martyrium subierunt, ut non separaret gladius Tyranni, quos junxerat amor Christi.

LECT. 29. tripartiti.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOST.

Ecce offerebant ei paralyticum, jacentem in lecto, &c. Matth. 9.

PARS I. *De fide & charitate efferentium Domino paralyticum.* *Luc. 9.*

NOn sine mysterio præcepit Dominus Apostolis, dum eos mittebat ad prædicationem Evangelii, ut si quos invenirent verbo Dei indignos, mox illos delererent, exeuntesque foras de civitate *excuterent pulverem de pedibus suis in testimonium supra illos.* Voluit scilicet hac excussione pulveris significarent se non solum frustra pro eis fatigationem iterque suscepisse, sed etiam ne quidem pulverem è terra eorum maledicta velle secum efferre, aut ulla in re cum eis participare; ac insuper pulverem hunc in aere excussum contra ipsos testimonium dare, & in cœlum vindictam clamare. Sic ipse Christus cùm regioni Gerasenorum transiens benedictionem impertiri paratus foret, cumque ibi curasset duos dæmoniacos legione dæmonium in porcos immissa, mox discessit ab eis: quia urgebat multitudo regionis ut discederet, magis timens ob perditionem porcorum augmentum damni temporalis, quàm concupiscens benedictionem salutis spiritualis. Plus amabant porcos, quàm Christum. Noluit ergo ipsis invitis Christus remanere, quia neminem ad salutem vult cogere. Propterea, quasi pulverem terræ eorum in ipsos excutiens, *Ascendit in naviculam, & transfretavit, & venit in civitatem suam,* ut Evangelium nostrum dicit. Non in Bethlehem ubi natus, non in Nazareth ubi educatus & conceptus, sed in Capharnaum venit, quæ civitas ejus dicitur, quia in ea habitavit & frequenter ibi est conversatus, sicut dicitur; *Quum audisset* IESUS *quia Joannes traditus esset, secessit in Galilæam, & relicta civitate Nazareth venit & habitavit in civitate Capharnaum maritima.* *Matth. 4.*

Capharnaïtæ multis miraculis à Christo honorata. Matt. 9.

Hanc etiam multis miraculis honoravit tamquam *Galilæa Metropolim*, sanatione paralytici, vocatione & conversione *Matthæi*, resuscitatione filiæ Principis Synagogæ sive *Archysynagogi*, sanitate mulieris fluxum sanguinis patientis, ut plerique tradunt interpretes secundùm ordinem narrationis Evangelii. Itaque Christus deserit deserentes se, deserit eos qui porcos Deo præferunt, hoc est voluptatem luxuriosam, ventris ingluviem, pecuniam & lucrum, terrenorum affectum; deserit eos qui fœtore peccati delectantur quasi odore suavi, sicut porci cœno & stercore. Quærit autem quærentes se, quærit verbum suum divinum honorantes, quales multi erant in civitate Capharnao, de quibus est illud: *Intravit Capharnaum, & auditum est quod in domo esset, & convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad ianuam, & loquebatur eis verbum.* *Mar. 2.* Hoc est tanta erat multitudo ut non caperet eos domus, nec loca ipsa quæ prope januam sunt, eos capere poterant. Hæc ergò populi istius devotio eum allexerat in civitatem, sicut & Gerasenorum indevotio eum egredi fecerat ex ipsorum regione, quia noluit projicere margaritas ante porcos, prout ipse prohibuerat. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* *Matt. 7.* Suffecerat eis ostendisse (dum dimisit dæmones in porcorum gregem qui magno impetu se præcipitem dedit in maris abyssum) quod illi qui vitam imitantur porcorum, ventri dediti, luto immersi, fœtore delectati, cœlum numquam respicientes, cœlestia non ruminantes præmia, nec supplicia, ad mortem solùm nutriantur, ac tandem in profundum inferni pelagus & abyssum inextricabilem cum impetu ferantur. At illis qui de Galilæa erant, & ipsum cum aviditate expectabant, voluit ostendere quod quærentes se quærere soleat, & curare eos à corporis & animi infirmitate, sicut dicitur. *Virtus Domini erat ad sanandum eos.* *Luc. 5.* Non solùm ergò hunc paralyticum curavit, sed etiam alios ex castellis Galilææ confluentes in Capharnaum, ut audirent verbum Domini. Hoc insinuat S. Lucas; meminerunt autem Evangelistæ hujus paralytici in particulari, quia insigne omnino fuit miraculum.

Quadruplicis generis homines distinctio.

Quapropter advertere hic licet, distingui posse quadruplicis generis homines. Quidam enim nec quæsiverunt Christum, nec à Christo quæsiti sunt: infideles scilicet infidelitate, & cæcitate ignorantiæ persistentes, qui non habuerunt specialem vocationem ad fidem, nec Christum aut fidem ejus quæsierunt. Alii quæsiti sunt à Christo, sed non responderunt, nec eum quæsiverunt, sed fuere rebelles lumini, rebelles vocationi ad fidem, inter quos censeri possunt isti Geraseni rogantes ut discederet ab eis. Alii verò quæ siverunt Dominum, & quæsiti sunt à Domino. Sic multi accurrebant ut viderent & audirent eum, sicut dicitur in hoc Evengelio, & de Zachæo alibi specialiter legimus: *Quærebat videre* IESUM *quis esset.* *Luc. 19.* Alii denique non quærebant Dominum, & quærebantur à Domino; qualis fuit Matthæus in telonio. Nulli porro sunt qui quæsiverunt Dominum, & non quæsiti fuerint ab illo, quia sine ejus præveniente gratia eum quærere non poterant.

Paralyticus certè, de quo nostrum Evangelium, & portitores ejus quærebant Dominum, sed ab illo priùs quæsiti. Et quia paralyticus pedibus corporis

corporis non poterat eum quærere, vel ad eum venire, ideo egebat aliorum auxilio & fide. Quapropter dicitur: *Ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.* Quomodo autem id fecerint, explicant specialis S. Marcus cap. 2. & S. Lucas cap. 5. *Ecce viri portantes in lecto hominem, quærebant eum inferre & ponere ante eum. Et non inventes quâ parte eum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt eum cum lecto in medium ante* IESVM. Oblatio certè ei gratissima, quam & ipse quærebat & expectabat, & de illa gaudebat. Medicus enim benignus oblectatur de ægris sibi oblatis, si certò in illis artem & beneficentiam suam potest ostendere. Sic & fons noctu diuque fluens invitare videtur quoslibet ad hauriendum: & si lætitiæ capax foret, quò plures veniunt, eò magis lætari videretur, quod eos beneficio, nec se ipsum damno afficere possit: IESVS fons medelæ & salutis nihil aliud sperabat, quam vim quandam beneficam ad salvandos homines, cujus rei gratiâ venerat. Unde etiam dictum est supra de illo, cum Capharnaum venisset, & multi undequaque accurrerent, *Virtus Domini erat ad sanandum eos*, ut scilicet per sanitatem corporis consequerentur sanitatem mentis. Itaque videbatur omnibus inclamare instar fontis vivas aquas scaturientis, aut instar Medici omnes convocantis: Si quis eget gratiâ, misericordiâ, vitâ, sanitate, salute, accedat & hauriat.

Sed fervens fides & charitas portitorum donum fuit Christo pretiosissimum & acceptissimum, quod quidem prius ipse intuitus est, quàm ipsum paralyticum: Unde dicit Evangelista: *Ecce offerebant illi paralyticum jacentem in lecto. Videns autem* IESVS *fidem illorum dixit paralytico: Confide fili.* Propter fidem ergo illorum, quam intuebatur cum gaudio, pietatis oculum vertit in paralyticum digna certe erat fides illa fervens & charitas diligens portitorum, quam intueretur & remuneraretur Dominus, quæ in hoc emicat, quod omnia media tentant, ut huic misero consulant sine mora, quodque ob id nullum detrectent laborem. Opus sane magnæ fidei erga Christum Dominum, opus magnæ charitatis fuit erga hunc paralyticum. Nonne arduum erat opus & zelo plenum non modo portare hominem in grabato, sed etiam cum illo in superiori domus conscendere, tegulas tollere, tectum discooperire, ante IESVM dimittere? Nullum impedimentum, nullam fatigationem sibi putant debere obstare, quo minus proferant ægrum ante medicum, miserum ante misericordem, languentem ante eum qui languores nostros venit tollere. Neque differunt donec Christus domo exeat, ut exeunti eum præsentent; sed in media concione id sibi faciendum existimans, fervoreque fidei & necessitate paralytici cordi adpressa nihil putant importunum aut molestum. Aut certe laudabilem fore autumant importunitatem, quæ nonnisi à charitate procedit & pietate. Ideo hos non despexit Dominus, sed ob egregiam sane fidem erga seipsum, & ob pietatem constantem erga miserum illum ægrum, ipsos voluit insignis miraculi non solùm testes, sed etiam cooperatores esse & imperatores. Non potuit conqueri hic paralyticus sicut alter qui dicebat: *Domine non habeo hominem qui mittat me in piscinam.* Ioan. 5.

Christus fidei & caritate portitorum paralytici ad misericordium motus.

Non absimile est quod in vita S. Eduardi Regis Angliæ memoriæ proditum legimus. Cum in palatio juxta Ecclesiam S. Petri aliquandò moraretur, supervenit quidam Hybernicus genere pedis utriusque privatus officio, ita ut nervi in poplite contracti ad posteriores corporis partes crura retorsissent: & carni sic erant immersi pedum articuli, ut a lumbis ejus & deorsum corpus omne pervenissent. Porrectis ergo ad terram manibus, & scamnis suppositis repebat, & factus sibimetipsi gravis trahebat se post se: Hic videns Regis Cubicularium ait ad eum: *Hugoline non me respicis, nec movebit te mea tanta calamitas?* Respondet ille: *Quid me vis facere?* Cui pauper: *En sexies Apostolorum limina visitavi repens, & necdum sanitatem promeriti. Quam tamen Apostolorum princeps non negavit, sed distulit, socium in hoc miraculo volens habere Eduardum, quem sibi novit esse devotum. Ab ipso enim Apostolo mandatum est mihi Regem adire, ut me sacro subvectum dorso ad Ecclesiam palatio suo vicinam perferat, sicque percipiam integram sanitatem.* Hæc ubi nuntiatia sunt Regi, Deo gratias egit, moxque accendens ut spiritualis ille *Asinus fortis accumbens inter terminos, supposuit humeros suos adportandum.* Pendet de humero tanti Principis plenus sordibus pauper, squalidisque manibus regium pectus & collum complectitur. Interea ex assistentibus ridebant nonnulli, alii à paupere Regem declusum jocabantur, quidam simplicitatem justi fatuitatem reputabant. Cum vero Rex paululum processisset, subito nervi extenduntur, rigantur ossa, carnes marcidæ recalescunt emergunt carne pedum articuli. Distêdit homo crura poplite jam flexili, & sane cum sanguine profluente, vestis regia ornatur potius quam fœdatur. Iam nunc satis esse clamant omnes, sanarumque languidum ob sordes ulcerum deponendum. Ille vero memor præcepti sibi dati pertransit, & Ecclesiam ingressus ante sanctum altare, oblationem hanc suam offert, Christoque ac B. Petro resignat. Incolumus ergo plenissimeque sanus effectus est æger ille, & gratias actura Deo & S. Petro Romam est profectus. Hic in multis circumstantiis similitudo quædam reperitur in utraque sanatione miraculosa. Sicut enim fides & caritas S. Eduardi causa fuit illius miraculi; sic & fides ac caritas portiorum hujus paralytici. Sicut Eduardus ægrum suum humeris subvectavit & deportavit in templum; sic hi in lecto cum deportarunt super tectum. Sicut Rex eum ante altare præsentavit tamquam gratum Deo donum; sic & isti

Portitorum, & S. Eduardi Regis Angliæ comparatio.

Gen. 49.

& isti paralyticum suum summiserunt ante Christum, qui fuit altare divinum, scientes pretiosum ei fore donum, nec ab eo reputandum. Sicut æger ille sanus reversus est Romam, ut tibi gratias ageret Deo; sic & die paralyticus ob eandem causam, remittente Domino, reversus est in domum suam.

PARS II. *De benignitate Christi. Va offerentium fide, peccata paralytico remittentis.*

PRosequitur Evangelista noster: *Videns fidem illorum dixit paralytico, confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quid dicit *fidem illorum*, intelligendum videtur non solum de fide portitorum, sed etiam de fide paralytici, ut interpretatur S. Chrysostomus hom. 30. in Matthæum, Euthymius, Theophylactus, & nonnulli alii. Nam non est verisimile paralyticum caruisse fide. Nisi credidisset, profectò nec se tolli permisisset, nec demitti tanto labore voluisset. Immo non est incredibile ipsum petiisset ab aliis ut ad Christum reduceretur. Sed non obstante hac ipsius fide in Christum, quæ multum ad juvabatur à fide offerentium requirit Dominus ab eo ulterius perfectam confidentiam & fiduciam; quam solet parere fides, tamquam mater filiam, tamquam fons rivum, tamquam radix ramum viridem & vivum. Et hæc quidem fiducia maximè necessaria est ad aliquid à Deo impetrandum; si enim illa deficit, oratio vel repit, vel perit. Vnde Sanctus Thomas dicit: *Oratio efficaciam merendi habet à charitate, at verò efficaciam impetrandi à fiducia & fide.* Propterea etiam dicitur. *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Vbi nomine fidei etiam fiduciam comprehendit, sicut & Dominus cum dicit Magdalenæ: *fides tua de salvam fecit, vade in pace.* Aut dum dicit Hemoroissæ, *Confide filia, fides tua te salvam fecit.* Hanc fiduciam maxime in se exercitare conati sunt Sancti, dum aliquid voluerunt à Deo, sive pro se sive pro aliis impetrare.

L. 2. q. 83. art. 15.

Iacobi 1.

Luc. 7.

Matth. 9.

Exempla SS. in fiducia & fide orandium.

Hac fretus S. Dominicus dicebat se nihil unquam à Deo postulasse, quin illud impetrarit. Similiter & S. Thomas asserebat se assecutum omne id quod per intercessionem B. Virginis efflagitasset. Idipsum refertur de sancto Doctore Alexandro de Ales.

S. Catharina Senénsis cùm conversionem alicujus peccatoris postularet à Domino, ex hac fiducia solebat dicere: *Domine non dimittam te, nisi quod postulo, obtinuero,* & sic votis suis non fraudabatur.

Sic etiam Sisois Abbas orans pro Abraham discipulo suo tentato & lapso confidenter dicebat: *Deus, vis non vis, non dimitto te, nisi curaverimus eum.* Sic curatus est ejus discipulus. Ita habent Vitæ Patrum libro sexto cap. 4.

Vnde de his & similibus dicebat quodam in loco S. Bernard. *Magna audent, quoniam magni sunt, & quæ audent, obtinent. Magna siquidem fides magna meretur, & quatenus in bonis Dominii fiducia pedem porrexeris, eatenus possidebis. Quemcunque enim locum occupaverit pes vester, vester erit, inquit Dominus. Quis est pes vester, nisi spes vestra quantumcumque illa processerit, obtinebit, si tamen in Deum tota figatur, ut firma sit & non titubet.* Ita Bernardus serm. 32. in Cant. & serm. 15. Psal. 90.

Deut. 11.

Tria notabilia.

Quia verò ad remissionem peccati hæc fiducia maximè est necessaria (quam quidem remissionem primò volebat Dominus huic impartiri paralytico) ideo dicit ei: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua,* quasi dicat: Non sufficit fides te offerentium, nisi & tu coopereris, non sanat Dominus invitos aut dubitantes, sicut medici quandoque sanant reluctantes. Igitur à te magnam fiduciam in medicum exposco, sicque prius sanare volo mentem, quàm carnem, radicem morbi, quam superficiem. Principalis tuus morbus non est in corpore, sed est in anima, illius te volo sollicitudinem primò gerere, & per fiduciam magnam remedium impetrare. Tria ergo hic notatu digna sunt.

1. Notabile.

Multi petunt sanitatem corporis, immemores animæ.

Primo cum S. Chrysostomo notandum tacite prekendi paralyticum hunc, quod perat & desideret maxime corporis sanitatem, de remissione autem peccatorum & sanitate animæ, nec cogitet, nec mentionem faciat, cum prima ad eam debeat cura tendere. Huic non absimiles sunt plerique hominum, qui à longe amplius solliciti sunt de sanitate corporali, quam de spirituali: pro illa medicos & medicinam quolibet labore & dispendio quæritant, pro hac vix pedem movent, vix oblatam medicinam acceptant. An non multi Sacramentorum medelam, quam ad manum habent, negligunt vulneribus animæ & infirmitati periculosæ applicare? De his cõqueri videtur Propheta: *Numquid non est resina in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* In monte Galaad excellens erat resina, stillans ex incisione arboris Therebinti, & aliarum aromaticarum arborum, quæ resina mitigat dolorẽ, astringit vulnera, obducit cicatrices. Optimi etiam Medici erant in Arabia, ubi mons Galaad. Mons autem ille Ecclesiam designat, in qua resina de Christo crucifixo, tamquam Therebintho continuo fluit ad animæ medelam, atq; Sacerdotes tamquam Medici periti illam administrant. Quare ergo tot adhuc sunt vulnerati, tot morbidi in plebe? Quia negligunt hanc medelam, ad hosque Medicos accedere? Quid ita? Quia parvi æstimant sanitatem animæ, cum pro corpore salute etiam ex Arabia & India, & remotissimo orbe accersant remedia. Propter illam Naaman Syrus abit in Samaritam, nulli pareens sumptui, vel labori.

Hier. 8.

4. Reg. 5.

Equidem sanitas corporis non est contemnenda, immò cum diligentia curanda est, & conservanda. Est enim pretiosus thesaurus sine quo vita nostra fastidio & ærumnis est referta. Est velut sol quidam in homine, cujus defectu perit oblectatio totius vitæ, manetque homo in quadam caliginis tetrica

tetrica confusione. Quid ægrum oblectare potest stratum purpureum, cortinæ varietatæ, vestes auro intextæ? Quid mensa opipara, vina exquisitissima, cibi & escæ omnigenæ? Ei potius omnia ista fastidio sunt & onori, quia nec in illis quiescere & obdormire, nec his potest vesci ob debilitatem, nec edere aut bibere. Pirrhus Rex Epiri, Romanis tot infestus bellis, tot adornatus bellicis trophæis, Diis suis sacrificans fertur numquam triumphum postulasse, gloriam opes, vel alia dona, sed solam sanitatem; tanti eam æstimabat, non ignarus sine ea reliqua quæ sub Sole sunt, haud esse proficua. Vtique donum Dei est incolumitas & sanitas. Sed si corporis corruptibilis & eras perituri sanitatem tanti facimus, ut sine ea nec opes, nec deliciæ, nec ipsa vita placeat: quanti nobis facienda foret salus animæ numquam intermorituræ, à qua dependet salus & vita æterna? Si pro ancilla & mancipio, hoc est pro carne, tantum curæ suscipimus, tot remediis ei nitimur subvenire, quid non facere convenit pro Domina, hoc est pro anima, ut ei succurramus secure? Sed in manu hominum statera dolosa appenditur, in qua plus præponderant corporalia dona quam spiritualia, temporalia quam æternæ; Ideoque plus curæ pro illis, quam pro his impendunt homines insipientes.

Plut. de Medico Philosopho.

Celebrem Medicum accesserant quidam juvenis exulceratum ei digitum ostendens, & remedium quærens. At Medicus eum attentius considerans, advertit ex signis faciei eum interius iecoris suppuratione graviter laborare. Tunc ait: *Nunc est tibi, ô homo, negotium de reduvia.* Est autem reduvia quædam pellis circa ungues divulsio. Voluit ergo per id peritus ille Medicus insinuare, graviorem illi morbum inesse cujus curam non haberet, cum de exigua pellis scissione satageret, & dolori remedium quæreret. Sic planè multis contingit, quia interiori sanitate neglectâ remedium exigue quærunt ulceri, quos meritò redarguendos dicimus, & monendos. Sic hunc paralyticum monet Dominus, ut remissionem quærat peccatorum, hocque præcipuum ejus esse negotium, cujus curam debet gerere? quasi ægro cum prædicto Medico diceret: *Non est tibi, ô homo, negotium de reduvia*, non de exigua re, non de pelle carnis tibi debet esse cura, sed de sanitate mentis. Mirum sanè & consideratione dignum est, quod ex omnibus qui ad Christum accesserunt supplices, nemo legatur supplicuisse pro remissione peccatorum, nisi Magdalena. Accesserunt multi claudi, cæci, leprosi, dæmoniaci, surdi, sed omnes ut sanarentur corpore. Sola Magdalena Christum interpellat pro animæ suæ salute. Sic nec paralyticus, nec qui eum offerunt, Dominum rogant pro manus impositione, qui à peccatis absolvat, sed qua paralysim fugat. At Dominus quænam præcipua debeat esse hominis sollicitudo, ostendit, dum dicit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Secundum notandum, insinuasse hic Dominum sæpè causam apparentis morbi in corpore esse peccatum quod in anima latet & mente. Ipse igitur tamquam peritus Medicus inspicit radicem & originem morbi, ut eam prius tollat, deinde morbum auferat. Sic contigisse videtur huic paralytico ægritudo ob culpam: ideo eam prius vult Dominus eluere, ut mox cedat facile paralysis. Similiter alteri paralytico contigit, cui dicit Dominus: *Ecce sanus factus es, jam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

2. Notabile Sæpe causa morbi corporis est peccatum animalatens.

Ioan. 5.

Audi quod in vita S. Francisci ad hanc rem spectans legimus: In civitate Reate Canonicus quidam nomine Gedeon infirmitate gravi correptus, lectulo decumbens ad Virum sanctum est delatus, rogabatque suppliciter ipse, & qui eum deferebant, & circumstabant, ut dignaretur signo crucis ipsum signare. At Franciscus spiritu & lumine divino agnoscens eum lubricum fuisse & mundanum, sic allocutus est: *Cum vixeris olim secundum desideria carnis non veritus judicia Dei, quomodo te cruce signabo? Attamen propter devotas intercedentium preces, signabo te in nomine Domini. Scito tamen te graviora passurum, si ad vomitum redieris.* Itaque signo crucis super eum facto, surrexit sanus, qui in lecto jacebat contractus, sicut nostet Evangelicus paralyticus. At paucis post diebus oblitus Dei, & verborum Viri sancti, ad solita vitia rediit. Cumque serò cœnasset in domo cujusdam Concanonici, & nocte illa ibidem dormiret, subito super omnes corruit tectum domus. Cæteris autem evadentibus mortem, solus ipse miser est interemptus. Sic justo Dei judicio, inquit S. Bonaventura, facta sunt novissima illius hominis pejora prioribus propter peccatum, & propter ingratitudinis vitium.

Bonav. in vit. Francisci.

Notant hic sacri interpretes Deum immittere homini infirmitates potissimum quinque de causis.

Quinque morborum causæ.

Prima concernit justos, quibus quandoque Deus immittit ægritudines, ut eorum merita per patientiam augeantur, majoremque exinde coronam percipiant. Ita factum est in Iob & Tobia; quia enim accepti erant Deo, ideo probati sunt, hic cæcitate, ille totius corporis intolerabili ulcere: *Vtinam appenderentur peccata mea & calamitates quam patior in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret*, inquit Iob. *Quia acceptus eras Deo necesse fuit ut tentatio probaret te*, inquit Angelus Raphael Tobiæ. Sic quidam ex antiquis Patribus adolescenti ægroto salutem à se posci ti recte respondit: *Rem tibi necessariam cupis auferri: si enim aurum es, per ignem probaris, si ferrum es, rubiginem amittis.* Hoc idem est quod alibi dicit S. Augustinus: *Quod fornax auro, quod flagellum grano, quod lima ferro, hoc tribulatio homini justo.*

1. Ad augmentum patientiæ & meritò Deus justis morbos immittit. Iob. 6. Tob. 12.

Vita PP. l. 2. n 157.

Secunda causa etiam concernit justos, quibus Deus immittit quandoque morbum ad custodiam virtutum, & ad humilitatis solidum fundamentum.

2. Ad custodiam vir-

Iustum iustitiæ etiam morbos immittit.

Sic dicit de se Paulus: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphiset. Quapropter ter Dominum rogavi ut auferretur à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; virtus in infirmitate proficitur.* 2. Cor. 12. De quo agens S. Hieronymus sic loquitur: Ad revelationum humiliandam superbiam monitor quidam humanæ imbecillitatis apponitur Apostolo, in similitudinem triumphantium, quibus in curru retrò comes adhærebat per singulas acclamationes civium dicens: *Hominem te esse memento.* Ita Hieron. Hunc autem stimulum, quem etiam vocat infirmitatem carnis Apostolus, multi putant fuisse dolorem corporis. Vnde Augustinus. *Dolore, inquit, corpori traditur Paulus exagitatus vehementer, dolores autem corporis immittuntur plerumque ab Angelis Satanæ, sed id non possiant nisi permissi.* In eandem sententiam dicit S. Basilius in quæstionibus fusius explicatis. q 55. *Ne videretur Paulus humanæ naturæ terminum transgredi, & ne quis ipsum reputaret aliquid eximium præ aliis in corporis structura habere, sicut Lycaones dum coronas & aurosei adducunt, ad humanæ naturæ declarationem perpetuo cum agritudine conflictabatur.* Hæc S. Basilius. In particulari autem dicit Hieronymus ad Galatas 4. ex multorum sententia fuisse dolorem gravissimum capitis; alii teste S. Thoma in Epist. ad Corinth. cap. 12. putant fuisse illacos viscerum dolores. Voluit igitur Dominus in Pauli corpore relinquere hanc infirmitatem, ut custodiret & perficeret ejus virtutem & humilitatem. Sic S. Brigitta quum Deum precaretur pro Algotio Ordinis S. Dominici Doctore Theologo, qui jam senex orbitate oculorum & calculi doloribus cruciabatur, responsum extitus accepit: *Ille stella micans est, nec expedit sanitate corporis obscurari animam ejus.*

Scimulus carnis S. Patris. qualis fuerit in Psal. 140.

Sententia in vita Brigitte.

3.

Morbus est sæpe pœna peccati.

Tertia causa immissi morbi esse potest, ut sic pœna peccati, prout supra diximus. Sic lepra immissa est in Mariam sororem Moysis propter murmur & detractionem in fratrem. Sic Corinthii languebant multiplici morbo, quia non satis debite accedebant ad Eucharistiam: *Propter hoc inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Additque: *A Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Sic etiam in genere loquês

1. Cor. 11.

Psal. 38. Psaltes dicit: *Propter iniquitatem corripuisti hominem & tabescere fecisti sicut aranean animam ejus.*

Iob. 33. Et Iob de Deo dicebat: *Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa ejus marcescere facit.* Hoc etiam colligi potest ex hoc nostro paralytico, ut supra dictum est. Sic quotidie pestilentiæ & contagiosi morbi propter eandem causam à Deo immittuntur, ob peccata scil. ad emendationem.

4.

Morbus aliquibus fit initium æternæ.

Quarta causa est ad initium pœnæ æternæ: Sic Herodes lethali morbo percussus fuit, tormine scilicet & diro dolore viscerum, tandemque *consumptus à vermibus*, sive morbo pediculari, *expiravit*, nec emendatus invenitur. Sic & impius Antiochus acerbissimis cruciatibus affectus cum fœtore intolerabili interiit, & à pœna dirissima in æternam pertransiit. Nam de illo dicitur. *Orabat scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus,* De his & similibus verum est illud S. Gregor. *Quos præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perpetuæ damnationis mala perducunt.* Propter hos etiam & similes orat Propheta. *Duplici contritione contere eos Domine.*

pœnæ Act. 12. 2. Mach. 9 lib. 9. mi- ral,

lerem. 17.

Quinta causa est ad Dei gloriam manifestandam. Sic de Lazaro dicebat Dominus: *Non est hæc infirmitas ad mortem, sed ad gloriam Dei.* Sic de cæco nato pronuntiabat: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus ut cæcus nasceretur, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Quia ambigit in S. Lyduina triginta & amplius annis infirmitate gravissima decumbente, non eam fuisse infirmitatem propter peccata, sed ut gloria Dei manifestaretur in illa etiam sæculis futuris? Ostendit enim in illa Deus quanta oporteat pro nomine suo pati, & quantam gratiam dare possit ad patiendum.

5.

Morbi immittuntur ad gloriã Dei manifestandam.

Ioan. 11. Ioan. 9.

Tertiò notatu dignum est, quod adeo benignè Dominus hunc alloquitur paralyticum, dum cum quadam cordis teneritudine filium appellat: *Confide fili, remittuntur tibi peccata.* Sunt certè hæc verba plena consolatione & suavitate, à corde benignissimo Redemptoris prodeuntia. Vtinam unusquisque nostrum similiter audire posset ad cor suum loquentem Dominum, & dicentem sibi: *fili remittuntur tibi peccata tua!* Potest autem audire id omnis peccator, si corde perfectè conteratur; si ad cor convertatur, si illud perfecte aperiat Domino: *Loquetur pacem super eos qui convertuntur ad cor*, inquit Propheta. Quid gratius in hac vita potest contingere homini, quam vocari & insigniri nomine filii Dei? Quid optabilius, quam percipere ex ore Domini remissionem peccatorum, & illi inseparabiliter conjunctam gratiã deificantem? Fuit ergo paralyticus iste per contritionem, & per gratiam adoptionis factus filius Dei, hanc enim adoptionis gratiam consequitur is, cui peccata remittuntur, & qui filius nominatur. Et adverte quod apud Lucam dicitur: *Homo remittuntur tibi peccata tua*; apud Matthæum vero & Marcum: *Fili remittuntur tibi peccata tua*; quia illi, qui peccat ut homo fragilis, debilis, ad malum proclivis, remittuntur peccata ut filio. Si scil. filialem fiduciam, dolorem, amorem conetur resumere, & ad Patris misericordiam recurrere. De qua ut nemo quantum libet peccator desperet, nemoque animum desponderis diffidat, Dominus in Evangelio bis pronuntiasse hanc vocem legitur, *Confide fili.* Ad utrumque scilicet sexum hoc direxit, ad virum unum, ad mulierem unam. Ad hunc paralyticum tanto studio ad pedes suos oblatum: ad mulierem quoque fluxum sanguis patientem, quæ per turbam sese ingressa, ut vel solam fimbriam ejus tangeret, dixit: *Confide filia, fides tua te salvam fecit.* Vtroque autem, tam paraly-

3. *Notabile. Summa Christi benignitas in allocutione Paralytici.*

Psal. 84.

lytico

Igneus hic impotens, quam mulier illa sanguinis fluxum patiens, peccatores graves repræsentat, qui tamen ad filiationem & gratiam Dei recipiuntur, & sanitatem perfectam cor sequuntur, si cum fervore & fiducia conversi ad pedes Domini consistant. Vnde uni dicitur, *Confide fili*, alteri autem, *Confide Filia*.

Paralytici imagine peccatoris grauiter multis.

Porro paralyticum hunc imaginem gerere peccatoris non est dubium, potestque hic latius ex varia conformitate & similitudine declarari.

1. 1. Paralysis reddit totum hominem invalidum, languidum, inutilem: licet habeat pedes, non tamen serviunt ei ad ambulandum; licet habeat manus, non tamen serviunt ei ad operandum, nescitque nisi in lecto jacere, membrorum usu destitutus. Similiter peccatum reddit hominem languidum & remissum, ad omneque opus bonum inutilem, ita, ut non habeat pedes ad ambulandum aut progrediendum in via virtutis, nec manus aptas ad opera salutis; nescit nisi cum corpore jacere, nescit orare, nescit aliis pietatis operibus incumbere, nescit coram Deo stare. Sic de peccatoribus spiritu acediæ correptis, quasi de idolis quibusdam inutilibus verum est illud Psalmistæ:

Psal. 113. *Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulant: Aures habent & non audient, os habent & non loquentur.*

2. 2. Paralysis non solum sensus vitiat, sed etiam omnes hominis vires ita atterit, ut homo reddatur velut inflexibilis, insensibilis, stupidus. Similiter contingit in anima per peccatum, virtutes enim omnes ad nihilum deducit, ita ut homo sit velut insensibilis & mortuus, non solum quin divina non sentit, nec ad illa afficitur, sed etiam quia nec suam sentit miseriam, nec suos sentit aut agnoscit defectus. Intellectum habet obscurum, voluntatem languidam & aridam, memoriam plenam confundentibus sese variis cogitationibus. Hoc experientia quotidiana satis docet.

3. 3. Maximè simile est paralysi peccatum pravæ consuetudinis. Sicut enim paralysis continuo detinet hominem in lecto cum fœtidis exhalationibus, nec se ex illo movere potest. Ita qui peccato pravæ consuetudinis detinetur, sordide jacet; & ita jacet, ut nec admonitionibus hominum, nec minis Dei, nec puncturis conscientiæ moveatur: quasi immobilis foret & insensibilis, nihil ascendit ad cor ejus, nihil mentem tangit.

4. 4. Sicut paralysis oritur ex defectu caloris naturalis, eo quod calor vel sanguis naturalis in frigus versus vitales venarum meatus intercludit. Similiter per peccatum calor amoris divini vertitur in torporem & frigus iniquitatis, & spiritus vitalis, fluxus scilicet gratiæ divinæ intercluditur. Sic se paralyticum agnoscebat David

Psal. 8. post peccatum inclamans: *Miserere mei quoniam infirmus sum, sana me Domine quoniam conturbata sunt omnia ossa mea.*

Omnis ergo qui paralytico languore afficitur in anima, cito recurrat ad medicum: illi se medico committat, qui sanare potest, novit, & vult. Talis est medicus Christus Dominus. Ipse enim potest, quia est Virtus Dei: novit sanare, quia Sapientia est: vult autem, quia ipse est misericors & miserator, qui languores nostros tulit, & de sanguine suo medelam confecit. Quod si non potest accedere ad hunc medicum præ turba desideriorum & affectuum terrenorum, quam immittit Caro, Mundus, Dæmon, roget offerri ab aliis scil. per orationes & merita Sacerdotum, vel Sanctorum; illorum enim preces non despicit Dominus à charitate procedentes.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOST.

Luc. 5. a. Tripartita.

Ecce quidam de Scribis dixerunt intra se, hic blasphemat: Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Matth. 9. Luc. 5.

PARS I. *Christus peccata remittens non blasphemat, sed se Deum esse ostendit.*

BLasphemia grave peccatum est, cum quis in Deo falsa loquitur & indigna, ei attribuens quod non convenit, aut negans quod ei competit. Talis blasphemia est, Deum auctorem peccati facere, aut injustum eum pronunciare, vel negare misericordem, omniscium, omnipotentem. Similiter grave peccatum est blasphemia erga Sanctos, eis denegando quod per divinam gratiam est concessum, aut indigna de ipsis loquendo, & attribuendo quæ non conveniunt. Qui ad hoc peccatum proclives sunt, membra sunt Apocalypticæ illius bestiæ, *Cui datum est os quod aperuit in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui habitant in cœlo.* Dolendum sanè inter quosdam Christianos horribiles crebro reperiri blasphemias, quas & ipsi Ethnici & infideles horrerent. Quid enim non audent milites, satanica consuetudine in Deum & Sanctos impias voces minima occasione jactantes? Quid non vitiosi & ebriosi homines in tabernis? Quid non rixosi in aleis, vel aliis fortunæ ludis? Quid non iracundi & impatientes circa famulos & familiam etiam in privatis suis domibus? Hic certè omnibus impellente iracundia tot ferè excidunt juramenta quod verba, tot pejerationes, execrationes, blasphemiæ, quot voces & sententiæ. Imitantur loquelam horridam inferni, idioma tartari, spumam Cerberi, in DEum & homines latrantes cum horrore audientium. Vnde de similibus loquens sapiens dicebat: *Loquela multum jurans horripilationem capiti statuet, & irreverentia ipsius obturatio auribus,* Eccl. 27. Quasi dicat: Quorumdam loquela adeo est cum irreverentia & impudentiæ conjuncta, ut audientibus capilli erigantur, & conentur obturare aures, ne tam infandis sermonibus & pejerationibus feriantur, vel contaminentur. Quam grave peccatum sit blasphemia, quasve pœnas mereatur, diximus in Horto Pastorum

Tract. 3. Lect. 7. Vide ibi dicta, quæ huc referri possunt oportunè.

Hæreticorum proprium vitium blasphemia.

Hæreticorum porro proprium quasi vitium est blasphemia in Deum & Sanctos. Hi enim *in cœlum ponunt os suum*, Deum peccati auctorem facientes, Christum desperasse in Cruce asserentes; Virginem Deiparam aliis mulieribus coæquantes. Sanctis honorem debitum denegantes. De hæresi ergo maximè verum est illud Apocalypsis

Apoc. 13.

antea citatum: *Datum est ei os quod aperuit in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui habitant in cœlo.* Miris namque calumniis afficiunt Cœlites & Tabernaculum Dei, hoc est Ecclesiam ejus, atque etiam Tabernaculum divinitatis, hoc est sacrosanctam Eucharistiam, in qua Deus habitat cum hominibus. Negant veritatem, quam Deus Veritatis ore proprio asseruit. Negant etiam potestatem remittendi peccata, quam Ecclesiæ Deus dedit in Sacerdotibus pro foro pœnitentiali, ubi ejus vices gerunt, & auctoritatem exercent: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Non absimiles igitur sunt his Pharisæis Christum blasphemiæ arguentibus, eo quod dicat: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* At Pharisæi potius blasphemiæ arguendi veniebant denegantes Christo quod ei ex divinitate non veniebat. Sic & blasphemi sunt hæretici, denegantes Sacerdotibus, Vicariis Christi, quod eis ex ejus

Clavis, aut potestas remittendi peccata est triplex.

commissione concessum est. Ipsis enim commissæ sunt claves Regni cœlorum, ut peccata removeant quæ impediunt ingressum in illud regnum. Pro cujus rei explicatione advertè triplicem posse distingui clavem regni: sive triplicem potestatem peccata remittendi.

1. *Clavis auctoritatis principalis.*

Prima est *Clavis auctoritatis principalis*, hæc est potestas, qua quis principaliter & propria virtute peccata remittit. Illa vero soli Deo competit, quia solius Dei est qui peccato offenditur, ex sua suprema auctoritate illud remittere, vel ulcisci. Ad illum solum spectat infundere animæ donum gratiæ sanctificantis, quo peccata eluuntur. *Quis*

Iob. 14.

potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es? Gratia est quædam participatio divinæ naturæ secundum suam infinitatem, sive ut est pelagus infinitarum perfectionum; & ita solius Dei est ad talem participationem, talèque consortium divinæ naturæ hominem elevare, cum ad id infinita virtus requiratur. Solus ergo puritatis auctor purificare potest corda nostra à macula in sœtore caliginoso peccati. Solus potest cordi illabi, illudque quasi templum suum inhabitare, ita etiam solus potest sanctificare. Solus potest imaginem cœlestem & divinam nobis imprimere; solus potest illam deturpatam reformare. Solus potest nos à reatu liberare, qui solus potest in gehennam mittere, habens claves mortis & vitæ.

2. *Clavis excellentiæ.*

Secunda clavis potest dici *Clavis excellentiæ*, & hæc Christo homini competit. Ipse enim tanquam Mediator & Redemptor promeruit nobis gratiam, peccati remissionem regni cœlestis apertionem. Satisfaciendo pro peccatis nostris. Sic illi specialiter attribuitur hic titulus, *Qui tollis peccata mundi.* Vnde circa remissionem peccati & gratiam sanctificantem tenet primatum in genere causæ moralis & meritoriæ: ideoque attribuitur ei Clavis & Potestas, excellentiæ, quia soli illi, nec alteri creaturæ convenit per propria merita, propriumque sanguinem peccata tollere, cœlumque aperire. Neque potestas remittendi peccata in ipso alligata est Sacramentis, sicut in ministris aliis; ideoque *Potestas excellentiæ* merito nominatur.

Hæc non attendentes Pharisæi (quod scilicet Deus sit, & Homo-Deus, quem Pater misit Propitiatorem in sanguine suo) audientes illud ex ore ejus, *Remittuntur tibi peccata tua*, intrà se temerè indicant, & arguunt eum blasphemiæ. Inauditum scilicet erat hominem homini peccata remittere, & potestas illa omnibus retro sæculis ignota fuerat. Noverant Pharisæi dictum fuisse à Domino per Prophetam: *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Noverant Sacerdotibus suis collatam potestatem offerendi sacrificia, deprecandi pro populo, benedicendi & consecrandi vasa templi decimas & primitias accipiendi ad contritionem & confessionem publicam pro certis peccatis & expiationibus plebem inducendi; sed sciebant ipsos non accepisse potestatem peccata dimittendi; ideò dicunt intra se; *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* Et verum quidem dicunt, inquit Vener. Beda. *Quia nemo dimittere peccata nisi Deus potest, qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem, & ideo Christus verè Deus esse probatur, quia dimittere peccata quasi Deus potest.* In eundem sensum loquuntur alii Sancti Patres, blasphemiam quam Christo Pharisæi impingunt, in ipsosmet retorquentes, & propria ipsorum confessione convincentes Christum esse Deum. Audi S. Chrysost. *O Pharisæe, qui sciendo nescis, confitendo negas, cum testaris impugnas, cur tibi Deus non est, qui ea qua solius Dei sunt, operatur?* Audi quoque S. Ambr. *Dei filius ab operibus suis accipit testimonium: nam validum est ad fidem quod confitetur invitis, & per necessitatis ad culpam quod negant, qui suis assertionibus convincuntur. Magna ergo perfidia est confiteri solius Dei esse donare peccata, & non credere Deo peccata donanti.* Cum itaque Christus, non solum peccata remittat, sed etiam miraculo probet se illam potestatem habere Deum se esse apertè probat. Dupliciter scilicet habet potestatem remittendi peccata, & quatenus Deus, & quatenus homo. Vt Deus, habet illam à se ipso auctoritativè & principaliter: ut homo, habet illam communicatam à Divinitate, cui ejus humanitas est velut instrumentum conjunctum ad gratiam conferendam. Excellenter autem & inde-

Clavis excellentiæ.

Christus duplicitèr peccata dimittit, potestatem habet.

independenter à Sacramentis est ei communicata illa potestas gratiam conferendi & peccata remittendi: ideò longè aliter eam habet quam alii ministri, quandoquidem etiam eam sanguine suo promeruit, ut jam dictum est.

3 Clavis ministerii.

Tertia clavis dicitur *Clavis ministerii*. Hanc habent Sacerdotes Dei, & Ecclesiæ ministri, illaque utuntur in Sacramento pœnitentiæ, ubi vices agunt Christi, & virtute passionis ejus peccata remittunt, gratiam conferunt, impedimentum regni cœlorum auferunt, dantes jus ad illud ingrediendum. Hæc autem omnia fieri dicimus virtute Agni & sanguinis ejus, qui propterea in scripturis sactis nominatur variis titulis honorificis. Dicitur *Sanguis redemptionis*, quia illius fuit pretium. *Sanguis propitiationis*, quia facti sumus propè in sanguine ipsius, qui longè à Deo eramus. *Sanguis ablutionis*, quia emundat nos ab omni peccato. *Sanguis aspersionis & sanctificationis*, quia aspergimur illo per fidem in sanctificationem. *Sanguis reserationis*, quia cœlum ejusque velum reserat, & nonnisi per illum ad gloriam est aditus. Audi figuram ubi præscribitur ritus vituli immolati, dicitur: *Levit. 4* *Inferat Sacerdos qui unctus est de sanguine ejus in tabernaculum sestimonii, tincto digito aspergens septies contra velum.* Quem locum de Christo sic explicat Petrus Abbas Cellensis. Ecce agnus agniculus, en vitulus saginatus Iesus jugulatur & occiditur. *Lib. 13. de Symbolis.* Tinge igitur digitum, & asperge septies contra velum, ut sit tibi clavis reserationis cœli sanguis passionis Domini. Non obstinabunt valvas suas cœli cum viderint sanguinem ad se levari de visceribus Domini Salvatoris. Angelicæ virtutes festinant referare clausa, in occursu cruoris Dei adorantes. Hæc Abbas Cellensis, *Hebr. 10.* consormiter ei quod dixerat Apostolus: *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id est carnem suam.* Habent ergo sibi commissum Sacerdotes hunc victimæ immolatæ pro totius mundi peccatis sacratissimum sanguinem, illum reconditum in Sacramentis tamquam visis divinis administrant: ille servit eis ut clavis reserationis ad aperiendum regnum cœlorum. Maxime autem illum Christi auctoritate applicant in Sacramento pœnitentiæ, ubi cum Domino unicuique dicere possunt: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Nec ipsi igitur blasphemi sunt, dum hoc pronunciant ex potestate ministerii; sicut nec Christus dum id dicit tamquam homo ex potestate excellentiæ; aut tamquam Deus ex potestate principali. Sed blasphemi sunt hæretici hoc eis denegantes tamquam ministris Christi; blasphemi sunt & Phaisæi cum id Christo denegant non agnoscentes eum tamquam Deum, quandoquidem etiam hac remissione potestativâ peccati se Deum esse comprobarit.

PARS II. *Degendo cogitationes hominum Christus Deum se ostendit.*

VLterius Christus Dominus se Deum probat detegendo secretas cordis eorum cogitationes? *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Hoc scilicet proprium est Deo. Propterea dicit: *Pravum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud?* *Ego Dominus scrutans cor.* Item *Va qui profundi estis corde, ut à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos? Quasi lutum contra figuli cogitet & dicat: Non fecisti me;* si tenim dicere Deus non videt me, idem est ac dicere; Non fecit me; quia Deus quæ fecit, conservat, dirigit, nec sine eo esse possunt, nec agere, ergo perfectè novit quæcumque in eis sunt. *Infernus & perditio coram Domino* (inquit Sapiens) *quanto magis corda filiorum hominum?* Infernum *Prov. 5.* & perditionem vocat pœnas peccantibus præparatas. Quasi diceret: Adeo abest ut Deum lateas quando occultè peccas, quin potius jam ipse decernit pœnas tuo sceleri, infernum tibi præparat & perditionem. Stultè ergo ille qui ut voluptati fornicariæ sine ullo metu indulgeret, secum sic differebat: *Quis me videt? Tenebræ circumdant, parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* Vnde sequitur increpatio ipsius ibidem. *Et non intellexit quantam oculi illius multo lucidiores sunt super solem, circumspiciens omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuëtes in absconditas partes. Domino enim Deo antequàm crearentur agnita sunt omnia, sic & post perfectum respicit omnia.* Ostultum & ignorantem, & cæcum & exoculatum, qui ut liberius vitiis se tradat, Deum vult quodammodo secum facere cæcum & ignorantem! Numquid qui finxit oculum, non considerat, aut oculis caret qui aliis indit oculos? Sapientius antiqui pingebant Deum tribus oculis præditum, ut significarent oculos ejus penetrare Cœlum, Mare, Infernum. Et quid sibi vult aliud Propheta, dum dicit se vidisse. *Virgam vigilantem,* vel ut alia lectio habet, *Virgam oculatam?* Vult indicare, quod Deus per oculum suum perspicacissimum & pervigilem penetret omnia, & perviderit mox scelera nostra, ubi vel corde tenus concepta sunt ut illa plectat & vindicet. Propterea etiam Ægyptii ut Dei omniscientiam indicarent, pingebant *sceptrum cum oculo.* Per sceptrum, significabant potestatem regiam & Dei dominium universale: per Oculum, ejus scientiam & providentiam omnia pervadentem, designabant.

Ecclus. 23. *Ieremi. 2.*

Hæc itaque fænum non solum sceleribus apertis, sed etiam cogitationibus pravis debet injicere, quandoquidem in oculis Iudicis & Vindicis omnia nostra peraguntur, qui multo plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum. Hoc non satis considerarat Rex David adulterium committens, & postmodum illud multiplici astu & cautela celare nitens. Revocat Uriam virum Bersabeæ è castris,

eum inebriat ut in domum suam exhilaratus redeat, ut uxorem cognoscat, scribit ad Ioab per ipsiusmet manus Uriæ, ut loco fortissimo & periculosissimo contra hostes constituatur, sicque delinquatur à commilitonibus, & manu hostium interemptus tantem occumbat. Sed non profuerunt hi omnes doli, nec omnia ejus consilia & cogitationes probrosæ: deprehensus est in astutia sua ab oculo Dei vindice. Ideo dicitur ei postmodum: *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua: Ego tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus. Tu fecisti in abscondito, ego autem faciam in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis.* Vt igitur ad bonum exstimulemur, & à malo omni revocemur, frequenter illius iudicis præsentia oculis nostris obversetur, quam non seeludunt locorum abdita, aut parietum septa; cui perviumest omne solidum, & apertum omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confletur, sine voce mens loquitur; qui continuo nobis illud repetit vel increpando vel præmonendo: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Quæ quidem monitoria increpatio dirigi censetur ad omnis generis peccatores, qui dum illicita appetunt, variis cogitationum tumultibus in corde agitantur.

2. Reg. 12.

Arguitur malæ cogitationes in cordibus suis.

1. Luxuriosi.

Dicamus ergo primo; O Luxuriosi: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Cur ante mentis oculos schemata turpium perpetrationum pingitis & fingitis, & cum effectus vobis non tribuitur operis, illud crebro agitatis intentione cogitationis? An ignoratis non solum actum turpitudinis, sed etiam voluntatem, immo & solam delectationem ex imaginatione procedentem, esse grave peccatum? Si non ignoratis, cur ergo talibus cogitationibus impuris animum pascitis & oblectatis? Si vero hoc ignoratis dispellite supinam ignorantiam istam, & audite S. Aug. Nec sanè cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, *non quidem decernens esse facienda tenens tamen & volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, vestigia debuerunt, negandum est esse peccatum.* Et ne existimes esse leve peccatum, subdit postea ibidem *Damnabitur homo nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam mittantur.* Audite etiam consilium & sententiam beati Iob: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Quam enim partem haberet in me Deus de super, & hæreditatem Omnipotens de excelsis? Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Agnovit ergo Iob peccatum inesse, non solum si corpus aliena libidine contaminetur, aut voluntas in opus libidinosum consentiat, sed etiam si sola cogitatione volantarie oblectetur, etiam absque operis voluntate, quia tali cogitatione cor commaculatur, & expellitur ab illo Deus & Spiritus sanctus, ubi partem non habeat. Audite denique ipsum Dominum per Prophetam *Lava à malitia cor tuum, ô Ierusalem, ut salva sias. Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Morabuntur, inquit scilicet te advertente, nec illas respuente; non enim in potestate est hominis ut non veniant, sed in ejus est potestate illas repellere, vel reluctari. Non est in potestate nostra eas non sentire sed est in potestate nostra eis non consentire. Quod si fiat, jam non peccata erunt cogitationes illæ, etiamsi frequenter redeant, sed potius materia meriti, & augmentum coronæ.

Lib. 12. de Civit. cap. 12.

Iob. 31.

Ierem. 4.

Hoc ipsum est quod olim docuit Dominus S. Brigittam, ut refert Blosius Monilis cap. 4. Dixit enim ei quadam vice Dominus: *Cur turbaris & sollicita filia?* Respondit Brigitta. *Quia diversis cogitationibus pravis affligor, quas removere nequeo, & terror judicii tui me pungit.* Cui quidem querimoniæ pro consolatione respondit Dominus: *O filia, hæc est vera justitia, sicut prius delectabaris vanitatibus mundi contra voluntatem meam, ita modo molesta sint vana & perversa cogitationes contra voluntatem tuam.* Postmodum his eam verbis allocutus & consolatus est afflictæ animæ pius Consolator Christus. *O filia, time judicium meum moderate, & cum discretione, firmiter semper confidens in me Deo tuo Certissimè enim scire debes malas cogitationes quibus mens reluctatur esse purgationem animæ atque coronam. Si prohibere non potes, fer patienter, & voluntate reuitere, & quamvis ipsis non consentias, time ne inde superbias & cadas. Nam quicumque stat, solius Dei virtute stat.*

2. Vindicativi.

Dicamus secundò: O vindicativi, iracundi, impatientes: *Vt quid mala cogitatis in cordibus vestris? Vsquequo morabuntur in vobis cogitationes noxiæ?* Quænam enim cogitationes vos agitant, & à vobis agitantur, nisi amaræ & turbidæ, dum inquieti animo varias excogitatis vias vindictæ, dum cor vestrum exeditis & fodicatis spinosis imaginationibus? Dicunt Naturales Philosophi Rubum sine semine nasci: suis verò spinis se ipsum ita implicat, ut qui se ingesserit, non recedat nisi cruentatus. Sic ira frequenter sine semine nascitur, hoc est, sine causa sufficiente oritur; multasque spinas & amaritudines producit ex seipsa, quibus ita animus implicatur ut non valeat se explicare. Cur Aman in Mardochæum ita commovetur? An non sine semine ira ista? Quàm parvipendendum erat quod inter tot millia iste ei non flecteret? Sed hoc eum tot spinis implicuit, ut die nocteque non quiesceret, mente hoc semper agitans, & cor suum quodammodo exedens; ac sicut ignis in spinis exardescit, sic ira exardescebat in corde ejus spinoso; & tandem excivitavit incendium, quo & ipsemet interiit. Similiter in Cain ira oritur sine semine, & ita eum spinis suis implicuit, ut non quiesceret, donec fraterno sanguine manus fœdans requiem reperire autumat. Dum ergo cogitatione turbidus hoc

mente

mente semper agitat, ignem alit in spinis, & dum conceptum cogitatione odium exequitur, non quietem, sed continuum invenit sine quiete tremorem, O Cain, *cur mala cogitas in corde tuo? Vsquequo morantur in te cogitationes noxiæ?* Si illas mox compressisses, aut repulisses, haud inf licitatem tantum incurrisses. Hoc ipsum verum est de quibuslibet invidis, iracundis, vindicativis, qui nimè conturbantur, quia primis motibus, primisque cogitationibus noxiis mox non occurrant & reluctantur. Audi S. Gregorium in Iob. *Qui iræ Domino se straxit, quid in corde nisi furgia, etiam quæ desunt, peragit? Hic absentibus contradicit, intra semetipsum contumelias profert, & etiamsi nullus adsit, rixas in corde componit.* His igitur meritò dicimus: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Scintillas excutite ignis infernalibus, ne animum mox adurat, & in perniciem vestram exardescat, qui facile extingui potest in suis initiis. Caput conterite serpentis, qui cordi vestro vult illabi suggerens noxia & pessima, ut veneno suo vos inficiat, & tandem interficiat.

Superbi & ambitiosi.

Lib. 4. cap. 33.

3. *Auari & injusti.*

Dicamus tertiò: O avari & injusti; *Vt quid mala cogitatis in cordibus vestris? Vsquequo morabuntur in vobis cogitationes noxiæ?* Verè de vobis dicit Apostolus: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa nociva quæ mergunt hominem in interitum.* Hæc desideria nociva quæ dæmon suggerit, sunt, non solum propria avarè servare, sed etiam aliena appetere, fraude quærere, mendaciis agere, lites intentare, & similia quæ animum interturbant, & in interitum mergunt. Vnde S. Gregorius. *Si ad terrena concupiscenda cor inhiat, tranquillam nullatenus esse potest. Quia aut non habita concupiscit ut habeat, aut adepta metuit ne amittat: & dum in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa, huc illuc quasi fluctibus volvitur cogitationum.* Non infrequenter autem contingit, quod subdola cupiditas fraudulentos suggerat modos, per quos nonnulli qui videntur justo titulo velle acquirere, voto desiderioque suoperperam potiuntur. Propterea quibusdam minatur Dominus per Prophetam: *Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris. In luce matutina faciunt illud. Et concupierunt agros, & violenter tulerunt,* quasi dicat: Maledictio super vos, qui noctu cum quiescendum foret, aut cùm ad Deum manus levare debueretis, & in cubilibus vestris compungi, fraudibus cogitandis tempus impenditis, ruminatis modos quibus concupiscentiam vestram expleatis Agros ac bona proximi concupiscitis, & parum vobis est quâ viâ illa acquiratis, fraudem quam prava concupiscentia etiam noctu inquieta suggessit, matutino tempore ad effectum deducitis. Felicius vestra cogitatio nocturna confiteretur Domino, ut manè *reliquiæ cogitationis diem festum* agerent Domino, sicut monet Rex & Prophera.

Lib. 20. Moral.

Mich. 2.

Psal. 75.

4.

Dicamus denique: O superbi & ambitiosi: *Vt quid mala cogitatis in cordibus vestris? Vsquequo morabuntur in vobis cogitationes noxiæ?* O quot cogitationum fumos turbidos, tumidosque in vobis parit superbia, & vanus excellentiæ appetitus! Modo præsumptio & arrogantia inflat, modò aliorum exaltatio urit & cruciat. Audite S. Greg. vestram inquietudinem inter turbulentas cogitationes describentem: *Qui tyrannidi superbia se subjicis, eor miserorum dum contra homines erigit, vitio substernit. Honorum sublimium insulas appetis, exaltari successibus exquirit; totumque quod esse desiderat, sibi apud semetipsum in cogitationibus depingit. Iam quasi tribunali præsidet, jam sibi parere obsequia subditorum videt, jam cæteris eminet, jam aliis mala irrogat, aliis qua irrogaverint, recompensat. Iam alia conculcat, alia sublevat: jam de conculcatis satisfacit odiis, jam de sublevatis recipit favores. Qui tot phantasmata cordi imprimis, nonne interius natam ex desideriis turbam portat, qua eum comprimit?* Hæc ex S. Gregorio in moralibus, quæ vera esse satis docet experientia quotidiana.

Superbi & ambitiosi.

Lib. 4. Moral. c. 33.

PARS III.

Quomodo Christus Deum se ostendat auctorem sive sanando paralyticum.

TArdem Christus Dominus se & Deum esse, & potestatem peccata remittendi sibi inesse probat pervisibile miraculum, propria scil. auctoritate & imperio absque alicujus nominis invocatione paralyticum sanando, cui antea peccata remiserat. Quia enim peccatorum remissio paralytico concessa invisibilis erat, potestatem & affectum invisibilem per miraculum, quod manifestè cernitur, voluit probare irrefragabiliter. S. Hieronymus, hac de re sic loquitur: *Verum paralytico sint peccata dimissa, solus noverat qui dimittebat, illud autem, surge & ambula, tam ille qui consurgebat, quam qui surgentem videbant, approbare, poterant. Fit igitur carnale signum, ut probetur spirituale.* Eripitur itaque Pharisæis occasio cogitandi aut dicendi: Ecce hic ut evadat ne curet corpus quod est in manifesto, præterit quod cures animam quæ est in occulto. Omnino enim si posset sanare corpus, non confugeret ad id quod ignoramus. Ita loquitur Theophylactus. Quocirca Salvator ostendens se utrumque posse ait: *Quid facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata, an dicere, Surge & ambula?* Vtrumque vult significare esse ejusdem potestatis, immò ab hominibus alterum judicari difficilius, quia falsi potest argui & impotentiæ qui dicit, *Surge & ambula*, dum æger non surgit; non vero is qui dicit, *Dimittuntur tibi peccata tua*, quia res est occulta, & à sensu remota.

Iustificatio hominis difficillima.

Interim vera est sententia S. Augustini tract. 72. in Ioan. difficilius esse hominem justificare, quàm cœlum & terram creare, quia illud spectat ad ordinem supernaturalem, hoc ad ordinem naturalem. Certè magnum est opus remissio peccatorum, cum non sit solum ex parte Dei opus potentiæ, sicut creatio, sed etiam speciale opus misericordiæ. Vnde si ad creandum Deus solo verbo usus est,

Dixit

Dixit & facta sunt, ad justificandum hominem & peccata ei remittendum, voluit Deus non solum verbo dicere, sed etiam pati & mori, ut notant SS. Patres. Atque ita etiam ex parte nostra justificatio & remissio percatorum maximum est beneficium propter quod Deus in terra advenit, mortem subiit, sanguinem fudit, pretium sine pretio exhibuit. Magni quoque momenti, maximumque donum est remissio peccatorum, quia ei annexa est infusio gratiæ, exornatio animæ per vestem nuptialem, consortium divinæ naturæ, apertio regni, observatio infernі, donorum ac virtutum supernaturalium communicatio, sic omnia bona veniunt pariter cum gratia Dei & remissione peccati. Quamvis vero justificatio peccatoris tantò plus excellat restitutionem sanitatis, quanto excellentior est anima corpore; tamen Dominus probat se habere potestatem remittendi peccata per restitutam miraculo sanitatem, tamquam unum majus, sed obscurius, per aliud minus sed magis notum, signisque externis inhabiliter confirmatam, ut jam dictum est. Propterea subdit: *Ut sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico, Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* In quibus verbis nonnulla sunt notatu digna.

Nota 1. 1. Dum vocat se *Filium hominis* (quia Adæ & Abrahæ filius erat) indicat veritatem naturæ humanæ: dum dicit se habere potestatem dimittendi peccata, indicat etiam divinam naturam. Ergo idem ipse & Deus Filius hominis est, & ut Homo Deus propriâ virtute remittit peccata, propriâ virtute patrat miracula; suntque illa velut sigillum, irrefragibile divinitati ejus datum testimonium. Quia alii quidem precibus operati sunt miracula, ut patet Elisæo & Elia; ipse vero proprio imperio, propria potestate. Sic & de Apostolis dicit S. Augustinus quod majora videntur fecisse, quàm Dominus. *Ad vocem Domini surrexerunt mortui, adumbram transeuntis Petri surrexit mortuus, majus hoc videtur. Sed Petrus facere sine Christo non poterat, Christus sine Petro poterat.* In Psal.

Nota 2. 2. Quod dicit, *Filium hominis habere potestatem in terra*, id dupliciter sacri Interpretes exponunt, vel quod eam potestatem habeat dimittendi peccata ipse existens in terra, vel quod potestatem habeat dimittendi peccata hominibus super terram habitantibus, & in terra vitam agentibus. Unde Theophilact. Lucæ 5. hæc verba tractans sic admonet: *Unde quod super terram remittantur peccata; quam diu enim super terram sumus, possumus delere peccata; at postquam è terra migraverimus, non ultra nobismetipsis poterimus per confessionē. Clausa enim est janua.* Sola est terrena nostra regio, quæ peccatorum tam mortalium quam venialium remissionem velut fructum sanguinis Domini producit. In cœlo non remittitur peccatum, quia nullum ibi reperitur. Si ab Angelis ibi fuit commissum, non fuit eis remissum. In inferno autem etiam irremissibile est, sicut & supplicium pro illo irrogatum. Audiamus hac de re eleganter differentem S. Bernardum. *Ad inferos non desonabis sanguis quis effusus est super terram. Biberunt omnes peccatores terra, non est quod ex eo sibi vendicent dæmones, ad extinguendos focos suos, nec homines socii dæmonum; Sanguis Christi aridam rigavit, sanguis infudit terram, & inebriavit eam, sanguis quæ in cœlo sunt & terra pacificavit, non autem & quæ apud inferos.* Ergò hic quærenda est super terram peccati remissio, dum tempus oportunum est, dum is qui quærit invenit, dum is qui quæritur invenitur. Non est expectanda in futuro, nec in regione altera remissio, quia ea de re non est promissio. Iam quidem ostium pœnitentiæ apertum est, festinet peccator priusquam occludatur. Iam medicina parata est, festinet æger ut curetur, antequam discedat medicus, vel tuam claudat apothecam. Intelligite hæc qui obliviscimini Deum. Serm. 75. in Cant.

Nota 3. 3. Dum dicit, *Surge, tolle lectum tuum, vade in domum tuam*, præcipit id ex auctoritate ægro, ut manifestissimum sit miraculum, dum non solum surgit, sed etiam lectum humeris portat. Lectus qui paralyticum portans fuerat signum ægritudinis, à paralytico portatus fit perfectæ sanitatis. Audi S. Chrysologum. *Tolle lectum tuum, ut quod est infirmitatis testimonium, sit probatio sanitatis ut lectus doloris tui, sit mea curationis indicium, ut recepta fortitudinis magnitudinem ponderis asseras magnitudo.* Sic cum S. Bernardus Francfordiam venisset, ubi Conradus Imper. Filium Henricum Regem Germaniæ instituebat, maxima multitudo ægrorum confluxit visendi sancti hominis studio accensa; ita ut Conradus turbam in templo urgentem nequiens sustinere, depositâ chlamide ipsum in ulnas susciperet, & de Basilica asportare fuerit coactus. Inter cæteros senex quidam paralyticus honoratus introductus fuit, quem mox sacrâ prece sanavit Bernardus. Ille vero valide abeunte, cùm alii quidam lectulum in quo delatus fuerat, tollere vellent, tum revocans eum Hugo Tullensis Ecclesiæ Archidiaconus Evangelici paralytici recordatus, *Non sic*, inquit, *abibis manis, Tolle grabatum tuum, & ambula.* Sic impositò humeris ejus lecto dimisit, populo universo acclamante & dante gloriam Deo. Testis est Carolus Sigon. l. 1. 1. Regni Italiæ ad an. 1147. Serm. 50.

Nota 4. 4. Quod Christus remittit in domum suam sanatum paralyticum, id fecisse videtur ne putarent Iudæi restitutam illi fuisse sanitatem, ut in ejus ministerio permaneret. Ideo iterum alibi diximus neminem eorum quos curavit voluisse habere discipulum, quamvis aliqui id rogarint, ut ille à quo dæmonum legionem expluerat. Sic nempe non quærit Dominus commodum suum, sed nostrum. Luc. 8.

O Domine IESV, sapientissime, potentissime, Cœlo benignissime Medise, quàm multi sunt hoc sio. in

in cætu paralytici, planè languidi & remissi; verè miserabiles & ad omnia bona opera inutiles, insensati & insensibiles ad diuina in lecto putido, in occasione peccatorum iacentes! Vtinam possim eos ad te adducere, monitis, consilijs, precibus, vt digneris eos oculis misericordiæ inspicere. Vtinam audiant vocem tuam: *Confide fili, surge* per contritionem, *ambula* per contritionem & boni operis gressum. *Tolle lectum tuum* per satisfactionem, *Vade in domum tuam* per piam considerationem & gratiarum actionem. Sic te cum ipsis meritò benedicere, magnificare, & misericordias tuas possemus decantare, &c.

DOM. XIX. POST PENTECOSTEN.

Lect. 32. eripart.

Simile factum est regnum cœlorum homini Regi qui fecit nuptias filio suo. Matth. 22.

PARS I. *Quis sit, Rex, Sponsus, Sponsa qui serui inuitantes.*

PEr Regnum Cœlorum non solùm Ecclesia triumphans & in Cœlis beata sacris in litteris denotatur, sed etiam Ecclesia præsens, quæ adhuc militat & peregrinatur in terris. Ideò verò Cœlorum Regnum nominatur & ipsa, quia cœlestem habet Regem, cui subijcitur, cœlestem legem qua dirigitur, cœlestem doctrinam qua erudiur. Habet item cœlestes promissiones, cœlestem gratiam, cœlestia dona, cœlestem ordinem, cœlestem cibum, ius cœlestis hæreditatis, continuoque tendit, & aspirat ad cœlestia. An non vndique est cœlestis, fide, spe, amore? Meritò ergò vocatur *Regnum Cœlorum*, siue Regnum cœleste, quandoquidem in ea omnia sunt cœlestia. Neque in hac parabola per Regnum cœlorum designatur Ecclesia triumphans, quia vnus ex invitatis dicitur ex ea eijci carens nuptiali veste, nullus autem eijcitur ex Ecclesia triumphante qui eam semel intrauit: ex Ecclesia autem præsenti, & ex Sanctorum consortio tandem eijcitur, qui ingressus est per fidem, sed perdidit, vel neglexit charitatis vestem nuptialem. In ea sunt boni & mali, electi & reprobi, sicut in domo Adam, Abel & Cain, in domo Noë, Sem & Cham, in domo Abrahæ, Isaac & Ismael, in domo Isaac, Esau & Iacob; sed hos tandem finis determinat.

Itaque Ecclesia dicitur similis homini Regi facienti nuptias filio, & vocanti per seruos suos inuitatos, id est, idem accidit in Ecclesia ac si quis Rex nuptias faceret filio suo, & multos inuitaret, &c. Quis est autem ille Rex nisi Deus Pater, qui Rex sæculorum in scripturis nominatur, & sæpè sæpius Regis titulo in bellis insignitur? Vis, deserebam tibi hunc Regem in decore suo? Habet regia eius Maiestas pro decore & pulchritudine *æternam suam claritatem* omni oculo inaccessam. Habet pro purpura & regio pallio *immortalitatem*: Pro diademate *gloriam*: Pro sceptro *potentiam*: Pro regni terminis *immensitatem*: Pro regni stabilitate *æternitatem*: Pro opibus regijs ipsam *felicitatem*: Pro ministris *angelicam creaturam*: Pro throno *immutabilitatem*: Pro scabello pedum *cœlum & terram*. Quia verò dicitur *Homo Rex*, cum Deus sit, considera eius membra singula.

Rex, De pater, & eius regij tituli.

Caput eius totum aureum est, ipsa *Diuinitas*, Facies eius est *æterna claritas*: Duo oculi sunt *intellectus & prouidentia*: Os eius est *æterna Sapientia*: Capilli sunt *Angeli*: Duo labia *duo testamenta*: Duo brachia *fortitudo & potentia*: Duo vbera *bonitas & clementia*: Cor eius *ardens charitas*: Duæ tibiæ ac pedes *misericordia & iustitia*: Magnitudo eius, est *immensitas*, Vita est *immortalitas*: Denique Ætas eius est *æternitas*, Ecce Rex quem videbunt tandem oculi nostri in splendore suo.

Dei filius Sponsus.

Filium habet Rex iste, *diuinitate, maiestate, imperio, gloria, sapientia*, sibi per omnia æqualem. Huic fecit nuptias, quando humanæ nostræ naturæ iuncta fuit diuina in persona filij quasi maritali & indissolubili quodam vinculo, quod nulla potentia, nulla vi potest vnquam dissolui. Vnio quidem strictissima reperitur in homine inter animam & corpus, sed tamen illam mors dissoluit: non potuit autem hoc vinculum etiam mors in Christo dissoluere. Thalamus porrò nuptialis vterus fuit incorruptæ *Virginis*. Inde enim exiuit ipse *tamquam Sponsus de thalamo suo* veste & corona nostræ mortalitatis decoratus. Nuptias quoque fecit Pater filio suo, dum Ecclesiam tamquam sponsam ei coniunxit. Nam dum desponsat cœlestis ille Sponsus naturam humanam, sibique illam conjungit per vnionem personalem, simul etiam Ecclesiam vt Sponsam sibi assumit per amoris conjunctionem indiuisibilem & verè maritalem. Vnde de eo dicit Ioannes Baptista: *Qui habet Sponsam Sponsus est, amicus autem Sponsi qui stat & audit eum, gaudet propter vocem Sponsi.* Sic etiam de seipso dicit Christus: *Numquid possunt filij nuptiarum, quamdiu Sponsus cum illis est, lugere & ieiunare? Venient dies, cum auferetur ab eis Sponsus, & tunc ieiunabunt.* Ipse ergò se vocat Sponsum, quia Ecclesiam habet Sponsam: Apostolos autem vocat filios nuptiarum, hoc est, consodales Sponsi; *Baptista* quoque erat amicus Sponsi, immò harum nuptiarum Paranymphus erat. Post has nuptias, post hanc coniunctionem, numquam cum Sponsa intercedit divortium, numquam datur libellus repudij: semper cum Sponsa commoratur Sponsus, cum ea & pro ea laborans & patiens. Sanguinem in pretium, lauacrum, cibum & potum, in dotem & ornamentum ei impertiens. Hæc verò desponsatio Ecclesiæ inchoatur in Filij Dei incarnatione, perficitur in cruce, consummabitur in æternitate. Vnde dicitur: *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Hæc est cœna & conuiuium æternitatis: quando consummabuntur hæ nuptiæ cum Sponsa sua Ecclesia, quam dilexit, pro qua *seipsum tradidit, vt illam sanctificaret mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam non habentem maculam*

Sponsa, Natura humana & Ecclesia.

Ioan. 3.

Marc. 2. Filij nuptiarum sunt Apostoli.

Apoc. 19.

Ephes. 5.

aut rugam, vt loquitur Apostolus. Dilexit ergò eam antea immundam, vt efficeret mundam, dilexit fœdam, vt faceret pulchram, dilexit impiam, vt redderet piam, dilexit sceleratam, vt redderet beatam, dilexit captiuam, vt redderet liberam, dilexit vilem, vt redderet gloriosam.

Celebria matrimonia apud fontes & puteos initiata.

Hoc inchoatin hoc sæculo per lauacrum aquæ & verbum vitæ, ideoque non sine mysterio, vt notat *S. Augustinus*, apud fontes & puteos in sacris Litteris legimus initiata fuisse quædam celebria matrimonia, quæ figuram gerebant matrimonij huius, quo Christus Ecclesiam sibi desponsat. Sic *Rebecca* coniungenda *Isaac*, apud puteum reperitur cum hydria, vbi aureæ inaures & armillæ sei traduntur, tamquam arrhæ initiales futuri coniugij. Sic etiam *Rachel* sponsa *Iacob* reperitur cum grege suo apud puteum, vbi *Iacob* amouit lapidem, vt adaquaret eius gregem. Similiter *Sephora* coniungenda *Moysi*, inuenitur ab illo iuxta aquam, ad quam accesserat & ipsa ad adaquandum gregem; & cum impediretur ab alijs Pastoribus, adjuuit eam *Moyses*. Quis ambigit has mulieres typum Ecclesiæ gessisse CHRISTO Domino desponlandæ? Hoc certè apertè docent SS. Patres. Vide in his mysterium. Dum *Isaac* egressus in agrum vesperè ad meditandum deambularet per viam quæ ducit ad *Puteum Videntis & Viuentis*, occurrit *Rebecca* sponsæ suæ, & eam deduxit in tabernaculum *Saræ* matris suæ. Sic Christus egressus in hunc mundum tanquam in agrum vesperè, hoc est in vltima mundi ætate, occurrit Ecclesiæ Gentium circa Puteum Videntis & Viuentis, & eam desponsans introduxit in locum Synagogæ Iudæorum, ex qua ipse erat primogenitus. *Iacob* domum relinquit paternam, & pergens in Mesopotamiam, ibi *Rachelem* sibi in sponsam accipit, pro qua septem anni laboris pauci ei videntur præ amoris magnitudine. Similiter Christus cœlestem Patris domum egredieus venit in terram nostram peregrinus, & Ecclesiam sibi sponsam adlegit, quam tantoperè dilexit, vt triginta tres anni laboris præ amoris magnitudine ei pauci censerentur. *Moyses* de longinquo veniens *Sephoram* Æthyopissam in vxorem ducit. Non duxit *Moyses* vxorem ex Iudæis, sed ex Gentibus, in quo figurabatur coniugium Christi cum Ecclesia Gentium, teste *Sancto Bernardo sermone 2. de Dominica post Octau. Epiph.*

Coniugium Christi cum Gentium Ecclesia olim præfiguratū.

Gen. 24.

Gen. 29.

Exod. 2.

Num. 12.

Serui inuitantes sunt Apostoli, & viri Apostolici.

Itaque de his nuptijs Christi cum Ecclesia sit hic mentio, ad quas vt inuitati venirent, missi sunt huc illuc serui, qui annunciarent omnia esse parata. Qui sunt autem hi serui, nisi Apostoli & Apostolici viri, verbi diuini Præcones? Hi in finem vsque sæculi annunciant omnibus gratiam cœlestem, dona diuina, opes & delicias spirituales, quæ offeruntur his qui accedere voluerint, & præparatæ sunt copiosissimè per mysterium incarnationis Dominicæ, & per meritum crucis, ita vt nihil desit ex parte inuitantis; quia ardenter desiderat, vt veniant qui vocati sunt, & fruantur bonis amantissimè & munificentissimè oblatis. Olim etiam vocabantur Patres & fideles antiqui Testamenti per Prophetas, sed nondum omnia erant vt nunc parata: nondum Agnus erat occisus, necdum eius immolatio perfecta erat, necdum merita eius aderant nisi in præuisione, mysterium incarnationis & crucis necdum erat consummatum, necdum cœlum apertum. Nūc autem, postquam in cruce Agnus immolatus est, remissionem peccatorum, gratiam, gloriamque promeruit: & meritis sumptum omnem necessarium huic epulo nuptiali præparauit. Meritò ergò nunc serui dicunt: *Omnia sunt parata, venite ad nuptias.* Antea autem nonnisi promittebatur futura præparatio, ita vt Isaias seruus Domini missus, non aliter dicat, quam de futuro: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum vindemiæ defæcatæ.* Nondum ergò rauri & altitha occisa erant, necdum pinguia medullata cum vindemia defæcata aderant, sicut modò, sed hæc omnia futura promittit, quibus nunc gaudet populus Christianus in monte sancto Dei, ad quæ amanter & diligenter inuitare debent quemlibet ministri & serui Domini.

Isaiæ 25.

Atte adite igitur, ô Sacerdotes & Pastores, vos seruos esse magni Regis, eius charactere speciali specialiter insignitos. Vobis commissum est eius verbum, mandata eius, eius promissiones, eius sigillum. Sic vos ipsos existimate, sic gerite, vt *ministros Dei & dispensatores mysteriorum eius*: sic agite, *vt non vituperetur* seruitus aut *ministerium vestrum.* Vestrum est ire ad exitus viarum, vbi multi aberrant sequentes viam suam, & reducere eos ad viam mandatorum Dei. Vestrum est vocare paruos & magnos, nobiles & ignobiles, vt impleatur domus Dei. Vestrum est illos instruere, deducere, perducere, introducere. Vobis etiam commissa est vestis nuptialis, quam illis ad ingrediendum conuiuij locum dedistis: imò vestem eorum sordidam eluere potestis & dealbare in Sanguine Agni, vt fiat nuptialis, digna conspectu Sponsi & Regis. Hæc porrò omnia a vobis peragenda sunt cum diligentia & zelo. Vnde vobis idem dicitur, quod seruo à Patrefamilias: *Exi cito*: hoc est, festinanter & alacriter peragite ministerium vobis commissum, omnes compellando, compellendo, obsecrando, increpando, vrgendo opportunè, importunè; pauperes, debiles, claudos iuuando vt veniant. *Spiritus & Sponsa dicunt, Veni, & qui audit, dicat, Veni: Et qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Illa in hoc nuptiali conuiuio propinatur, & vos primi estis, qui inuitamini, vt alios inuiteris; vobis Spiritus & Sponsa primum dicunt, *Veni*, vt & alijs eandem vocem inculcetis, & dicatis, *Veni.* Sed quæ confusio, si vos abieritis, qui alios debetis reducere? Si vos ad negociationem aut villam abeatis, & venire negligatis, qui alios debetis ad veniendum vrgere? Quæ confusio, si mandatum Regis vobis commissum neglexeritis? Si eius ministerium adeò gloriosum

Exhortatio ad Sacerdotes & Pastores.

2. Cor. 6.

Apoc. 22.

rificum parvipenderitis, vel dedecore affici vestra culpa permiseritis, ita ut propter torporem & socordiam vituperetur ministerium vestrum? Denique quæ confusio, si vos ipsi non habeatis nuptialem vestem (sed sordidatam & peccatis contaminatam conscientiam geratis) qui alij eam vestem splendidam ex officio tradere debetis? Quæ confusio, si vos illius defectu ejici debetis è convivio illo nuptiali, qui alios ad illud admittere debetis? Quæ confusio, si colligentur vobis manus & pedes, ut ejiciamini in tenebras, qui alijs lucem proferre debetis & eorum vincula ex auctoritate vobis tradita dissolvere? Quæ miseria, si tandem censeri debetis inter reprobos, cum ad hoc electi, & destinati sitis, ut aliorum prædestinationi valeatis cooperari: Quæ miseria, si vos convenit aliis partiri cibum vitæ, & vos ipsi de illo non participatis? O sors miseranda, quam quibusdam comminatur Propheta: *Calcabis olivam, & non ungeris, mustum, & non bibes*! O sors miseranda alios invitare, & illis dicere: *Omnia parata sunt, venite ad nuptias*: & sibi ipsi efficaciter hoc ipsum non dicere, nec venire! O cæcitas miserabilis quorundam servorum Domini! de qua dicit S. Brigitta lib. 4. Revelat. cap. 126. *Cum temporalia ista appetuntur & offeruntur, sic cæcant oculos animæ & rationis, ut dulcius videatur stare cum Sampsone ad molam curæ mundialis, quam cum Sponsa Ecclesia ad dispensationem curæ Pastoralis.* Sed hæc satis de servis invitantibus, nunc aliquid dicamus de invitatis.

Mich. 6.

PARS II.

Qui sint invitati, & nolentes venire

DE quibusdam invitatis dicitur, quod noluerint venire; de alijs, quod id neglexerunt, & abierunt in villam suam, vel ad negociationem suã; de quibusdam etiam adjicitur, quod servos invitantes contumelijs & vulneribus affecerunt. Sed quare illi noluerunt venire, isti neglexerunt, hi contempserunt? An convivium adeo magnificum, tantoque sumptu apparatum repudiandum fuit? Aut forte nulli horum famem patiebantur, nec egebant cibis huius convivij? Imo verò famelici fuerunt omnes hi invitati, erantque incolæ regionis illius longinquæ, in qua fames regnat valida; sed eam suã famem non satis ipsi intelligunt, putantq; eam posse sedari & satiari sine cibo illo nuptiali, sine cibo cœlesti, per alium cibum qui incõgruus est, nec solidus, sed stolidus est. Illa nempe regio longinqua famem patiens vehementem, mundus est iste, cuius quinque incolas verè fatuos describit S. Bernardus serm. *Ecce relinquimus omnia*, & de illis eranthi invitati renuentes venire ad nuptiale convivium. Audiamus S. Bernardum.

Admirãda quorũdam fatuitas.

Primus, inquit, buccis tumentibus marinam masticabat arenam.

Secundus sulphureo astans lacui fœtidum gebat haurire vaporem.

Tertius fornaci incubans micantes scintillas hiãtibus faucibus excipere lætabatur, ut se satiaret.

Quartus supra pinnaculum templi levioris auræ spiritum aperto ore hauriebat, & si minus influere videbatur, flabello sibi ipsi ventum ciebat, quasi sperare aërem totum deglutire.

Quintus seorsum positus ridebat cæteros, ipse quoque ridẽdus; proprias enim carnes miro studio fugebat, modò manus, modò brachium, modò alia membra.

Miseratus hos homines, & causam miseriæ scitatus, unam omnibus esse reperio, validissimam utique famem; Macilentas verò eorum facies contemplatus recordabar Prophetæ gementis: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Et dixi: Quid hæc vobis, stulti, prosunt? Nõ sunt isti naturales cibi, magis famem provocant, quàm extinguant. Panis animæ justitia est, soli beati qui esuriunt illam, quia saturabuntur. Ita S. Bernardus.

Psal. 101.

Qui sunt verò hi incolæ fame confecti? *Primus* significat divitiarum amatorem, qui divitijs quasi arena se vult satiare. *Secundus* libidinosum, qui fœtido libidinis vapore putat famem sedare. *Tertius* iracundum, qui sciatillis ex fornace iræ inediã vult depellere. *Quartus* ambitiosum, qui vento ipsum, & inaniter laudat.

Explicatio huius fatuitatis & fatuorum.

An non tibi similis istis videntur hi invitati? Quidam enim nolunt venire. Et quare nolunt venire: Quia animales sunt, nec percipiunt quæ Dei sunt, rerum cœlestium & spiritualium nec notitiam nec gustum ullum habent, sed solùm cognoscunt & appetunt bonum delectabile, quod sensibus corporeis possint modò comprehendere. Nihil cogitant de futuris bonis, aut futura vita, ideoque ad illam non tendunt; videntur dicere illud: *Exiguum est cum tadio tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reversus ab inferis. Venite ergo, fruamur bonis quæ sunt. Quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* Sic nimirum malunt cum Prodigo ventrem pascere siliquis porcorum, quàm cibis delicatis paternæ domus. Malunt cum Ismaelitis porros, allia & cæpas Ægypti, quàm cœleste manna, quod suavitatem continet omnis saporis palato bene dispositio. Cœlum cœli relinquunt Domino, & ipsi oculos suos statuerunt declinare in terram, illa contenti tamquam sorte sua. Ac sicut olim filij Ruben, & Gad, cum illos vellet Dominus deducere ad terram promissionis fluentem lacte & melle, figere voluerunt domicilium in monte Galaad, eius contenti fertilitate, & *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*: Sic hi parati videntur cedere juri quod eis competit ad æternam hæreditatẽ, si modò frui valeant fœculenta voluptate huius sæculi. Ideo vocati ad nuptias cœlestes nolunt venire, sicut porci voluntur in luto, & lutoso cibo pascuntur, aliud non noverunt, nec requirunt. O cæcitatem! ô dementiam! ô filij hominum usquequo gravi corde: Cur nõ vultis venire, cùm in vestra sit

Sap. 2.

Num. 32.

Psal. 105.

V dicta in Dom. 2. post Pent.

potestate? Cur salutem & dona cœlestia non curatis ob vestræ pervesitatem voluntatis? Ecce servi Sponsi, Pater Sponsi, ipsemet Sponsus, adeo amanter vos invitant, quia locum vobis præparatum, manumque & auxilium vobis offerunt ad veniendum, cur surda aure & duro corde consilium auxiliumque respuitis?

O quam suave vobis deberet esse illud verbum, *Venite ad nuptias!* Sed quia illuc adire modò non vultis, nec illud postremum Filij Regis verbum audietis: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum.* Sed verbum illud horrendum, ad quod tinnient ambæ aures vestræ & pili capitis vestri exhorrescent: *Ite maledicti in ignem æternum.* Ibi nimirum *ignis & sulphur & spiritus procellarum* dapes vobis erunt, & *pars calicis vestri*, ac sociorum vestrorum. Neque verò dicite; Ite maledicti Patris mei, nec enim ab ipso illa procedit maledictio, qui adeò benè nè vos invitavit; sed vos in caput vestrum illam accersivistis, dum benedictionem, ad quam vocati eratis, perversa voluntate vestra repudiastis, & venire noluistis. Sic de unoquoque vestrum verum est illud: *Dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo: Et indùit maledictionem sicut vestimentum, & intravit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius: Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, & sicut zona qua semper præcingitur.* Illa nimirum vobis erit instar vestis nuptialis in convivio inferorum, quod præ Domini convivio elegijs; erit zona convivialis & genialis invitatorum, quam vernaculè dicimus: *La livrée du convive & des conviez.* imò erit cibus & potus, aqua & oleum, intima vestra penetrans viscera, & medullas pervadens. Hoc attendite, & dum tempus est, aures, oculos & cor aperite.

Alij ex invitatis neglexerunt venire, & abierunt alius in villam suam, alius ad negociationem suam. Hi quidem videntur habuisse aliquod bonum propositum, quo impellebantur ad veniendum, & voci invitantium obsequendum, sed ad effectum illud non deduxerunt; paulatimque neglexerunt boni desiderij pedem in via ponere, adamatæ villæ vel negociationis cura ad alia eos evocante. Hi ambitiosi & avari designantur; qui famelici cum sint, inhiant honoribus & terrenis opibus; sicque ambitiosi pascuntur vanitatis vento, avari autem arenam masticant, ut famen satient; utrique verò negligunt opiparum nuptiale convivium ad quod invitantur, ob vanam sollicitudinem à cultu divino eos abstrahentem. Unde dicitur *Difficile exuitur negocians à negligentia.* A qua negligentia? Nonne quidem à negligentia negotiorū quandoquidem plurimi negotiantium nimis diligentes sint, nimisque inhærentes & insudantes suis negocijs: ergo vult dicere Sapiens, quod difficulter exuatur negocians à negligentia salutis, à neglectu Dei & divinorum. Hinc videmus à nonullis negociatoribus parvifieri mendacia immò & periuria in vendendo vel emendo, & in diffamando alienas merces, ut suas divendant & præferant. Videmus parvifieri ab eis festa, ut lucro suo vacent. Videmus immisceri fraudem & iniustitiam, dum merces adulterinas pro bonis, semicorruptas pro integris, fallas pro veris obtrudunt, dum res carius vēdunt quam valeant, existimantes se quodlibet pretium posse attrahere. Denique videmus lædi & charitatem & iustitiam, dum monopolium inter se ineunt, dum fraudulentis mensuris, ulnis, ponderibus utuntur, alia mensura vendentes, alia ementes. In his & similibus reperiuntur neglectus Dei, neglectus salutis, propter villam, propter negociationem. Hi sunt compedes, qui eos detinent, ne ad nuptias possint venire. Hæc sunt vincula, quibus eis manus ligatur, ita ut eas his qui volunt eos ducere, non valeant porrigere. Non ergo negociationē condemnamus, immò negociatores omnes ad nuptias invitamus, & invitari vult Dominus; sed priùs vult, ut hos iniquitatis funes dissumpant, quibus prohibentur rectè ambulare, & invitantes sequi ad aulam nuptialem.

Matt. 25.

Psal. 10.

Psal. 108

Eccli. 26.

Anima salus, negociatoribus varò cura est.

Omnes negociatores invitabat S. Bernardinus Ord. S. Francisci Prædicator eximius, servus zelosus à Domino missus, ut annunciaret invitatis, *Omnia parata sunt, Venite ad nuptias.* Sed his qui negociationi aut mercaturæ operam navant, has regulas præscribebat, quibus impedimenta removerent, remoram eis injicere nata.

Regulæ data negociatoribus à S. Bernardino.

Prima, Studeat mercator in mercatione sua nullo uti mendacio aut juramento, horreatque omnia perjuria, nulla utatur duplicitate, sed sit verbum rectum & verum in ore ejus. 1.

Secunda: Non circumveniat quenquam in opere aliquo: neque mercimoniorum suorum malitiosè occultet vitium vel defectum; nullam falsitatis mixturam in venalibus apponat; vendendo vel emendo utatur justis ponderibus & mensuris. 2.

Tertia: Non vendat carius propter solutionis pretij concessum tempus, & in plus vendendo vel minus emendo non excedat pretium. Non etiam diffamet merces alienas contra proximi charitatem, ut vendat suas. 3.

Quarta: Studeat servare promissa, & solvere tempore constituto, atque cum socijs non faciat iritā fidem vel promissionem. Summopere etiam caveat ne hi qui propter eius dicta de mercimonijs & pretio libere in eo confidunt, defraudatores se inveniant & deceptos, 4.

Quinta: Moneta nullo modo abutatur, vel dando, vel recipiendo, solutionesque fideliter numeret & scribat. 5.

Sexta: Sæpius in anno Confessori perito ac timenti Deum confiteatur integrè prævio conscientiæ examine; & Eucharistiæ Sacramentum sumat. 6.

Septima: Frequentet, quantum potest fieri Ecclesias, 7.

clesias Sacrificia, Missas ac divina Officia, maximeque Verbum Dei:

8. Octava: Omni anno ad minus semel cum socijs revideat rationes & testamentum, ac suam vltimâ voluntatem in scriptis authenticè semper teneat præparatam.

Hac ratione magnus ille servus Regis æterni & filij eius Jesu Christi invitabat Negociatores ad nuptias æternas, ostendebatque viam securam, qua ad illas possent pertingere. Quam utinam imitarentur etiam modò omnes mercatores nostrij; sic enim negociatio non foret eis ad veniendum impedimento, sed potiùs adiumento.

Qui servos Christi malè tractaverint.

Denique, quidam ex invitatis non solùm non voluerunt venire, aut neglexerunt, sed etiã in servos invitantes insurrexerunt, & eos vulneribus cõfecerunt, morte affecerunt. Hi sunt *Iudæi, Infideles, Hæretici*, qui Ecclesiam & eius ministros persecuti sunt crudelissimè, ideoque etiam iusta Regis æterni vindicta postmodum iguominiosissimè disperierunt. De quibus videre potes *Thomam Stapletonum* fusè super hac Dominica.

PARS III.

De carẽte veste nuptiali.

POterat Rex noster justè offensus ingratitudine horum invitatorum dimittere convivium, & nemine admisso fores occludere, nec quempiam ultra invitare, cùm nihil ei accedat emolumenti vel gloriæ ex invitatorum consortio, vel diminuti & ignominiæ ex eorum renutu. Sic solent homines huius sæculi ob experitam quorundam ingratitudinem, beneficam voluntatem & manum ab alijs quoque subtrahere. Sed benignissimus Rex, quia hi non fuerunt digni, sive quia indignos sese præstiterunt tanto beneficio, mittit servos suos ad exitus viarum, ut quoscunque invenerint, vocent ad nuptias, & introducant. Sic nimirum solitus est Deus in locum eorum, qui gratiam suam repudiãt, alios surrogare. *Conteret multos, & stare faciet alios pro illis*, inquit Iob: Loco Angelorum cadentium substituit homines; in locum Iudæorum substituit Gentes, in locum hæreticorum fidem abnegantiũ substituit novi Orbis Christianos, qui ad fidem & gratiam cum fervore confluunt vocati à servis Regis æterni ad ipsos destinatis, sicut patet in Iuda, in Sina, in Iaponia, & alijs incognitis antea Orbis Provincijs. Sed de hac re latius dixi explicans Evangelium Dominicæ secundæ post Pentecosten. Quæcunque ibi dicta sunt, huc referri possunt ob conformitatem utriusque Evangelij, ideoque illuc Lectorem remitto.

Iob. 34.

Vult autem Rex vocari à servis suis quoscunque inverierint, quia nemini denegat gratiam sufficientem ad veniendum, & domus ac aula Dei nõ coangustatur, quamlibet magnus adventet numerus. Hinc illud possumus hic dicere, quod Propheta: *O Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius?* Vnde S. Ioannes, de his invitatis iam æternæ cœnæ nuptiarum Agni accumbentibus dicit: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & populis & linguis stantes ante thronum in conspectu Agni amictis stolis albis, & palma in manibus eorum.* Sed si non coangustatur aula Dei numero adventantium ad nuptias, quare dicitur hic: *Impleta sunt nuptiæ discumbentiũ.*

Baruch. 3.

Apoc. 7.

Quia scilicet *novit Dominus, qui sunt eius*, numero certo etiam materiali; & quando hic numerus erit adimplerus, qui per prædestinationem divinam est determinatus, tunc finietur mundus. Quantus autem sit iste numerus, nemo novit, nisi ipse qui eum determinavit.

Verum non solùm de prædestinatis hic fit mentio, quandoquidẽ dicitur Rex ingressus, ut videret discumbentes, invenisse unum non vestitum veste nuptiali, quem ligatis pedibus & manibus iubet in tenebras protrudi. Nempe veniunt ad Ecclesiam & fidem nonnulli, sed non reperiuntur habere vestem gratiæ & charitatis, vestem perseverantiæ & perfectiamoris. Charitas est vestis nuptialis secundum interpretationem SS. Patrum. Vnde S. Bernardus in cap. ientij sic loquitur: *Bona vestis charitas, bona vestis obedientia, beatus qui servat vestimenta hæc, tot non ambulet nudus. Beati quorum tecta sunt peccata, charitas autem operit multitudinẽ peccatorum. Scindamus corda, sed hæc vestimenta integra seruemus, Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Integram servat vestem scissio cordis in vera pœnitentia, sed & talarem facit in virtutum perseverantia.

Charitas est vestis nuptialis varias ob causas.

1. Itaque *Charitas* vestis est nuptialis, quia *multitudinem operit peccatorum*, decorem ac splendorem affert gratiæ sanctificantis, ac donorum eam dona supernaturalia, tamquam varios colores. Talaris quando secum habet perseveran tiam, quæ ad pedes, id est, ad finem usque vitæ hominis portigitur, totum tegens corpus, totam turpitudinem, sive præterita omnia peccata. Imò & vestis Poderis; & Sacerdotalis, cuius Sacerdotes numquam debent obliviscì, si dignè velint ministrare, & stare coram Domino.

1. *Pet.* 4.

2. *Gen.* 37.

3. Charitas vestis est nuptialis texta à Spiritu S. qui digitus Dei est: Ille solus potest texere vestem gratiæ & charitatis, qua anima adornatur, ut fiat sponsa Regis æterni. Hac induti procedunt Martyres, Confessores Virgines, immo Angeli & Electi omnes. Hæc est *Byssinum splendens & candidũ*, quo Sponsa & Sponsus, Sponsi & Sponsæ Sodales cooperiunt se, de quibus dicitur: *Byssinum iustificationes sunt Sanctorum. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Hæc verba Dei vera sunt.*

Apoc. 19.

4. Charitas est vestis inconsutilis Christi & mẽbrorum eius; quam nemo debet dividere, nemo, scindere. Sola illa dividit & discernit filios Dei à filijs diaboli, filios regni à filiis tartari. Pallium est Eliæ 5 impertiens spiritum duplicem, spiritum,

4. *Reg.* 2.

amoris Dei, spiritum amoris proximi; pallioque isto amicti & instructi facile transimus & dividimus aquas Iordanis, & in Ierusalem supernam calcatis iæculi huius fluctibus pertingimus. Tunica est, qua se Petrus nudus succinxit, ut se in mare mitteret, quia hæc tunica non timet fluctus maris nec tempestates. Vnde B. Laurentius Iustinianus de triumphali Christi agone c. 27. sic loquitur: *Tali tunica dum præcinctus fuero, amore ignito in tribulationum undas ingredi non expauescas, ut ad præceptorem tuum stantem in littore valeas properare.* Nemo utique patitur naufragium, charitatis pallio coopertus, dicente Sponso in Canticis: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Cant. 8.

5 Charitas est vestis prodigi filij, quæ deprimitur è pretiosa paterna arcula, ut ea iterum induatur ad Patrem reversus, postquam exuerit vestem porcatiam: *Citò proferte stolam primam*, ait ipse Pater ad servos suos. Stola utique ista vestis erat pretiosa, vestis primaria, vestis index nobilitatis digna filio talis Patris. Vnde Græca habent eum emphasi: *Citò proferte stolam illam primam*, quasi certam & eximiam vestem designando, omnium scilicet, quæ domi erant, pulcherrimam, omnium pretiosissimam. Stola autem significat vestem oblongam ad talos usque demissam. Siue hac stola præ nobili non erat filius dignus convivio assidere a Patre apparato Sicut ergo *Annulus* in symbolum nobilitatis & dignitatis manibus eius insertus fidem designat, & *Calceamenta* speciosa, quibus pedes eius adornantur, spem indicant; ita *Stola prima* & pretiosa demonstrat Charitatem quæ est Stola nuptialis, Stola convivialis, exornans illum, quiad mitti debet ad æterni Regis conspectum & convictum. 5. Luc. 15.

Illa datur unicuique in Baptismo. Olim dabatur cuilibet baptizato vestis candida cum Agno Dei, in symbolum quod ad nuptias Agni quilibet baptizatus vocetur, ideoque vestem candidam & nuptialem debeat conservare, ut possit ad illas cum securitate introire. Ac modò etiam Albula traditur in Baptismo, & baptizato dicitur: *Accipe vestem candidam quam immaculatam perferas, ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, ut habeas vitam æternam.* Qua de re olim sic cecinit Lactantius:

Quid significet vestis candidæ: quæ in Baptismo datur.

Candidus egreditur niueis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et gregem niueo gaudia Pastor habet.

Moner ergo candida ista vestis gratiæ & charitatis semper conservandæ, quam in Baptismo accipimus. Vnde contra nos dabit testimonium, si illam sordidaverimus & exuerimus, peccato nos contaminantes.

Exempl: Dignum est memoria, quod Murieta Diaconus hac in re egisse refertur à Victore Vticensi, libro de persecutione Wandalica. Susceperat Diaconus ille è sorte sacro quendam Elpidophorum nomine, postmodum à fide defecerat, & tempore Hunerici Regis Vandalorum crudeliter persequebatur veros Catholicos. Cum autem reservasset Muriettæ candidam vestem, qua fuerat indutus in baptismo Elpidophorus illum accedens, & coram omnibus vestem illam ventilans & expandens, his verbis sequentibus integram ad lachrymas & fletus amaros dicitur commovisse civitatem: *Hæc sunt linteamina, Elpidophore Minister errorum, quæ te accusabunt dum maiestas venerit iudicantis, qua custodiuit diligentia mea in testimonium tua perditionis, ad demergendum te in abyssum putei sulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte surgentem, sed acriùs persequentur, cùm flammantem gehennam cœperis possidere, quia indutus maledictionem sicut vestimentum, amittens baptismi & fidei Sacramentum. Quid faciet miser, cù, seruus Patrisfamilias congregarit ad cœna inuitatos? Dicet tibi Rex: Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Non video vestem quam tibi dedi, quam aqua mundauit, & Sanguinis mei purpura decorauit. Characterem non video Trinitatis. Ligate ergo eum pedibus & manibus, qui se separauit à Fratribus Catholicis, & in tenebras proiicite.* His & similibus ignem conscientiæ accendebat in corde Elpidophori, quo urebatur cum rubore ante ignem illum æternum, per quem infelix apostata erit consumendus.

Aliud. Felicius nobilis quædam mulier Christiana, Dionysia nomine, in eadem persecutione, (teste eodem Auctore) puerum suum animabat ad martyrium & victoriam, per memoriam eiusdem vestis nuptialis. Cum enim filium suum unicum teneræ adhuc ætatis & delicatum conspiceret timore pœnarum formidolosum, verberans eum nutibus oculorum, & increpàs auctoritate materna, ei inter crudelia verbera cõstituto inclamabat *Memento fili, quia in virtute Trinitatis in Matre Catholica baptizati sumus. Non perdamus indumentum candidum salutis, ne cũ venerit invitator, vestem non inveniat nuptialem, & dicat ministris: Mittite in tenebras exteriores. Illa pœna rimenda est, quæ nunquã finitur: illa desideranda vita, quæ semper habetur.* Talibus filium solidans verbis, velociter effecit Martyrem & Victorẽ.

Debet autem nuptialis hæc vestis plane esse sine macula nihil enim inquinatum intrabit in Regnum Cœlorum nihil maculatum assidere potest nuptiis Agni sine macula. Hoc recte agnovit S. Anno Archiepisc. Coloniensis. Hic in visione conspexit S. Hubertum, Arnulfum, Bardonem, & alios Episcopos in gloria, ac inter eos solium sibi augustum præparatum. Sed illud conscendere dum conaretur, prohibuit eum S. Arnulfus dicens, eum non posse in hunc gloriosum consessum admitti, eo quod vesti eius macula turpis inesset. Hæc autem macula erat memoria iniuriæ sibi illatæ à civibus Coloniensibus, qui eum Colonia expulerant. Evigilans ergo pœnituit, civesque à se excommunicatos, bonisque spoliatos, absolvit, & restituit. Ita refert Lambertus Scaffhaburgensis ad an. 1075. & alij.

Memorabile quid de S. Annone Episcopo Coloniensi.

Atten-

Attentata porrò consideratione dignum est, quomodo se Rex invitans gerat erga eum, quem invenit veste nuptiali carentem. Inprimis suaui voce interrogat: *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Non cum cholera & impatientia (vt solent homines huius sæculi alijs potentiores) alloquitur miserum hunc, sed verbis pacificis & animo tranquillo, quia de illo verum est illud Sapientis: *Tu Dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reverentia disponis nos.* Compellat tanquam amicum, vt ostendat non odio, sed iustitia eum condemnari, inquit Sanctus Hieronymus. *Amice, quomodo huc intrasti?* Quasi dicat: Amicum te volui, quia ad nuptias meas te benignè inuitaui. *Amice*, quantum ex parte mea, sed neque quam amice ex parte tua. *Amice*, propter fidem, sed haud amice, si considero neglectam charitatem. *Amice*, propter beneficia quæ à me accepisti, non amice propter infidelitatem & ingratitudinem quâ exhibuisti. Quomodo te tamquam amicum ingessisti in adeò sanctam societatem, qui perfectæ caret symbolo amicitiæ, veste honoraria à me omnibus amicis meis donata, vel postulantibus præparata? Non habuit excusationem cum veste intrans sordida, quia vestem dignam tali conuiuio etiam pauperibus invitatis præparat Rex invitans. Ergò grauis in ipso fuit culpa se ingessisse sine ea veste, quam vel petendo humiliter poterat sibi comparare. Vnde cuidam dicitur: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locupletes fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ.* Sed quo pretio emenda hæc sunt? Vtique sine pecunia, sine argento, & vlla commutatione condigna. *Solo voluntatis pretio emenda hæc proponuntur. O facilem contrahendæ rationem!* inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus: Addit Sanctus Ambrosius: *Pretium non quærit à nobis, qui pretium Sanguinis sui soluit pro nobis.*

Quia igitur excusationem non habuit, ideò obmutuit; quod ipsum omnibus continget reprobis, qui Judice cuncta detegente omni excusatione carebunt. Nihil folia ficus, nihil pericometa filiorum Adæ ad tegendam turpitudinem tunc proderunt, quia, vt dicit Sanctus Gregorius hom 38. in Evang. *In illa districtione vltimæ increpationis omne argumentum cessat excusationis, eò quod ille qui foris increpat, etiam conscientia testu intus animam accusat.* Hoc ipsum est, quod S. Iob dicebat: *Si voluerit homo cum Deo contendere, non potest respondere vnum pro mille.* Sed adeò erit tunc evidens iustitia Dei, vt nemo valeat contradicere. Porrò quia obmutuit, & vox ei faucibus hæsit excusationem non habenti, iussu Regis pedes & manus ipsi colligantur, vt in tenebras eijciatur. Pedes animæ sunt affectus, quibus Deo appropinquamus. Manus significant potentiam benè operandi, quia instrumentum sunt operationis. Omnia ista reprobis colligantur post hanc vitam, quia nec pium effectum pœnitentiæ salutaris valent eliere, nec bonum propositum ad effectum & opus deducere. Nulla vlterius est eis spes salutis, licet præ angustia gemant quasi pœnitentes; quia nec gemitus, nec lachrymæ vlterius eis prosunt. Quocirca monet Sapiens: *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Hoc est, nulla sapientia, nulla prudentia, nulla ratio tunc prodest ad benè agendum & sibi consulendum, ad recuperandum bona amissa, vel vitandum mala circumstantia. Ideò etiam in Apocalypsi Angelus habens pedem dextrum super mare, & sinistrum super terram, leuauit manum suam ad cœlum, & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, qui creauit cœlum & ea quæ in eo sunt, & terram & quæ in ea sunt, mare & ea quæ in eo sunt: *Quia tempus non erit amplius.* Frustrà ergò inclamant reprobi illud: *Quis mihi tribuat vt sim iuxta dies pristinos, secundum dies quibus Deus me custodiebat. Quando splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris. Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei.* Christus Dominus petra mystica suo tempore fudit riuos olei gratiæ omnibus accedere volentibus, & pinguedine spirituali eorum paratus fuit affectus inungere & lauare, lumenque splendidissimum fundere super illos, qui oculos dignati sunt aperire. At tunc tempus non erit amplius, cessabunt omnia ista, nec lucem, nec gratiæ oleum poterunt reperire, nec suis malis medelam, qui eam tempore vitæ suæ neglexerunt, & frustra illud tempus reuocabunt gemitu indicibili.

Quinimò non solùm eis non proderunt lachrymæ tuæ & gemitus ab angustia spiritus prodeuntes, sed nec etiam aliorum preces. Quapropter nemo intercedit, vt non expellatur in tenebras carens nuptiali veste, nemo talem vult ei procurare, quia iam nimis serum est, nec poterant prodesse preces, postquam eum Rex intrans vidit, increpauit, condemnauit. Non deerat ibidem et aliquis amicus & notus qui iubens intercessisset, sed agnità iam sententiâ iudicantem id fuisset. Sic notæ erant Virgines Virginibus, sed nihil eas iuuit familiaritas, inquit S. Chrysostomus in Psalm 48. quia pro Virginibus excluis nulla intercedit de admissis. Similiter cum defectu negotiationis, & impensi tarditi excluditur seruus negligens, & ejcitur à facie Domini, nemo pro illo intervenit, vt notat idem hom 22. ad pop. Significatur itaque quod in diuino iudicio nemo pro altero iudicem sit rogaturus. Vnde S. Ephrem. serm. de religiosa vita sic dicit: *Illic misericordissimus ille Abraham, immitis, & immisericors reperietur. Et qui pro Sodoma vt saluarentur deprecatus fuerat, illic vel pro vno peccatore non supplicabit.* Adde quod ipsimet consanguinei & parentes sententiam Iudicis condemnantis approbabunt; sicut quando Datan, Core, & Abiron diuino supplicio mulctati fuerunt, videruntid eorum cognati & familiares, nec luxerunt.

De-

Sap. 12. *Apoc. 3.* *Nazianz. in S. Baptisma.* *Ambr. de Ioseph. 7.* *Iob. 9.* *Apoc. 10.* *Iob. 2. 7.* *Matt. 25.* *Nil. lib. 1. 66.*

Aliud. *Memorabile quid de S. Antone Epicopo Coonienſi.* *Quid ſint pedes & manus non habenti veſtem nuptialem.* *In diuino iudicio, nemo pro altero intercedet.*

De qua re agens Iosephus lib. 4. c. 3. sic dicit: *Fuit hic casus eo miserabilior, quod nemo propinquorum aut cognatorum eos est miseratus, vt totus quantus erat populus anteactorum oblitus, lætis acclamationibus Dei sententiam comprobaret.* Sic igitur obmutescente illo qui non habebat vestem nuptialem nemo pro eo loquitur, sed pronuntiatæ in eum sententiæ omnes discumbentes suffragantur: Si autem antea rogasset amicos, potuissent illi eum iuuare ad hanc vestem nuptialem sibi comparandam, vt dignus fieret Sponsi consortio.

Exempl. Audi quod in Chronicis Ordinis Cisterciensis hanc rem concernens legimus. Cuidam religioso ægritudine correpto, & in cubiculo infirmorum detento apparuit hæc visio Videbat pretiosa quædam indumenta ex sericis, & aureis pannis præparari in eadem domo. Cùm verò ambiguus hæreret cogitans cuinam illa præpararentur, mox responsum accepit: Vestem illam esse vestem nuptialem cuiusdam animæ de Abbatia Clarævallensi, quæ modò processura erat ad nuptias; & quia minus in se habebat pulchritudinis, quam conueniebat conditioni suæ, oportebat vt hac præclara veste induta coram Sponso æterno compareret, in cuius conspectu non solùm macula peccati, sed nec ruga negligentiæ poterit apparere, quam charitas non operiat. Eadem ergò hora datum est signum fratris ibidem morientis, de quo repertum est, quod licet innocenter vixisset, paruas tamen negligentias admiserat, quas Fratrum merita, & orationes tegere debuerunt. Sic pia deuotio Fratrum morienti assistentium hunc adiuuit ad comparandum sibi vestem nuptialem omni ex parte perfectam & immaculatam, ad ingrediendum ad nuptias cum securitate, quia dum tempus ei vitæ superfuit, adiuuari certius potuit. Non potuit verò adiuuari hic, de quo nostrum agit Euangelium, quia tempus non erat amplius.

Cõclusio TAndem subijcitur Euangelica hæc conclusio alibi rursus inculcata: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* Quasi diceretur; Quod huic contiuæ accidit, multis accidet: hic enim vnus omnium reproborum typus est. *In hoc vno repulso omne malorum corpus exprimitur*, inquit Sanctus Gregorius homil. 38. Atque etiam verum est multos fuisse vocatos, paucos venisse, & ex illis ipsis qui venerunt, non omnes electos esse. Et rita id tam de Ethnicis & Iudæis, quam de Christianis verum est Illi vocati non veniunt, hi veniunt sine nuptiali veste. Multi itaque vocati sunt per fidem, pauci illam fidem bonis operibus adornant. Multi vocati sunt ad gratiam, pauci electi ad gloriam. Multi vocati sunt ad nuptias Ecclesiæ militantis, pauci electi ad nuptias Ecclesiæ triumphantis. *Considera*, inquit Origenes hom. 20. in Matth. *multitudinem hominum, quæ in Ecclesiis congregatur, & discute quanti sint qui conuersantur disciplinatè, & reformantur nouitate sensus sui, quanti autem negligentissimè conuersantes configurantur huic sæculo, & videbis quod verus est sermo Domini: Multi sunt vocati, pauci electi.* Concludamus, & dicamus cum quodam pio & erudito: O sententiam duram, toties iteratam, tam certò pronunciatam, tam parum creditam, tam multum neglectam! Tanta est futuræ vitæ pœna, vt licet vnus tantùm eam esset passurus, vnusquisque timere deberet & sibi aduigilare: sicut transeunte magno hominum numero per pontem titubantem & actum vnusquisque de casu timet. Cùm ergò dicat Dominus non duos tantùm, aut tres aut centum, aut mille, sed maiorem partem damnandam, numquid omnes iure debent sibi timere.

Aperi nobis Domine aures, vt audiamus te & seruos tuos nos ad nuptias inuitantes. Aperi cor, vt perfecta voluntate Tibi & seruis tuis inuitantibus obsequamur, viam arctam sequentes, & certam facientes vocationem nostram ac electionem per bona opera. Impertire nobis gratiam, quâ, dum tempus est, comparemus nobis vestem nuptialem ex charitate, & donis spiritualibus perfectè contextam, peccati antiquis exuuijs omninò repudiatis. Fac vt nuditate omni contecta, & macula omni detersa in conspectum tuum tuti prodeamus, in aulam tuam pertingamus nuptialem, vbi in lumine videbimus lumen, à tenebris & caligine, à fletu & dentium stridore, à pedum & manuum colligatione securi, nuptiali lætitia in æternum fruituri.

DOM. XX. POST PENTECOSTEN.

LECT. 12. tripart.

Domine descende priusquam moriatur Filius meus. Ioan. 4.

EX Euangelicis Domini gestis satis manifestum est, cur respiciens futurum tempus diceret de Sponso Sponsa in Canticis: *Oleum effusum nomen tuum. Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Nomen enim Christi, hoc est fama eius, velut vnguentum effundebatur vbicumque transibat, & in odorem suum multos trahebat. Vnde cùm ad aliquem locum appelleret Christus, mox turbæ confluebant eius odorifera fama attractæ, & circumstabant eum, veritatem, pietatem, medelam auidè ab ipso excipientes. Adeò suauem odorem sparserat transiens per Samariam conuertens Samaritanam illam famosam in Sichar, quod instanter rogarint, & impetrarint ab eo Samaritani, vt aliquot diebus apud eos moraretur, multique crediderunt in eum, cœlestibus eius instructi sermonibus, diuina respersi gratia. *Post duos autem dies exiit indè, & abiit in Galilæam*, inquit Sanctus Ioannes, & exceperunt eum Galilæi cum honore propter miracula Ierosolymis in die festo patrata, vbi iterum nomen eius miro odore effusum fuerat, fama eius odorifera etiam ad absentes pervadente. *Venit ergò iterum in Cana Galilea vbi fecit aquam vinum.* Quod cùm audisset Regulus, qui habitabat in

PARS I. *De causis Regulum vrgentibus, vt Christũ adiret. Cant 1.*

Ioan. 4.

Ciuitate

Civitate Capharnaum, & ibi principatum aliquem aut gubernium obtinebat. mox abiit ad eum, & rogabat ut descenderet, & sanaret filium suum, ut testatur nostrum Evangelium.

Mirum sanè & rarum, cernere virum præ nobilem, virum regium genere, vel officij dignitate, ad Christum exterâ specie vilem & humilem personaliter properantem, humiliter alloquentem, suppliciter deprecantem. Magnatibus agnata superbia, qua seipsos solent suspicere, cæteros despicere, dignitatemque suam intuendo alios dedignari. Indignum nobilitate sua iudicant infectioni se accedere in persona propria multò magis eis supplices esse. *Omne pomum, omne granum, omne lignum habet vermen suum, & alius est vermis pomi, alius grani, alius ligni. Vermis autem divitiarum superbia est.* inquit S. Augustinus. Si divitiarum vermis est superbia, multò magis si divitiis nobilitas sit coniuncta. Propterea etiam dixit Sallustius: *Superbia commune nobilitatis malum est.* Sed ad hanc humilitatem Principem hunc & Regulum duo iostigant calcaria, afflictio scilicet filij, & Patris erga filium affectus.

Primo quidem afflictio filij, Patris etiam afflictio est, & in illum redundat, ideoque tamquam calcar eum urget ad quærendum propriè remedium, ita ut hic verum sit, *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelleraverunt.* Nempè duobus modis ad se homines solet Deus trahere, quosdam quidem amore & beneficentia, quosdam afflictione & pœnâ. Quosdam in funiculis Adæ, & charitatis vinculis aureis allicit & ad se adducit; quosdam vinculis ferreis, & funibus præduris quodammodo cogit & attrahit *Mala quæ nos exterius premunt, ad Deum ire compellunt.* inquit S. Gregor. Cum quis benignè à Deo vocatus non alliciatur, iustè ab eodem immissione calamitatis venire cogitur. Sic cum Absolon aliquoties ad se vocasset Ioab, rogans ut venire dignaretur, renueretque Ioab, misit servos suos ut eius agrum incenderent, moxque venit Ioab ad Absalon dicens: *Quare succenderunt servi tui segetem meam?* Respondit Absolon *Misi ad te ob hoc, rans ut venires, & non venisti.* Non absimiliter Deus afflictionem quibusdam renutantibus aut torpentibus mittit, ut ad se adducat. Ideo sedicit Psaltes: *Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi.* Sic tribulatio, & angustia non minus quam prosperitas beneficium est Dei, si homo velit oculos aperire. Nam ut dicit S. Augustinus epist. 87. *Res prospera donum est Dei consolantis res adversa donum est Dei admonentis.* Vtrumque hoc donum illuminare debet oculos nostros; quidam enim melle illuminantur, quidam felle. Ionathæ oculi illuminati sunt, ubi mel gustavit in summitate virgæ. Tobias autem ex felle piscis visum recepit. Sic ergo Dominus fel afflictionis immisit Regulo, ut fidei oculos ei aperiret, ac festinanter veniret supplex, & humilis ob filij ægritudinem.

Secundò, hanc humilitatem extorquet afflictioni iunctus amor paternus. Hic enim vetè calcar est vagens ad properandum pro filio, & ad humiliandum se pro illo. Quid non enim extorquet à Parentibus sincerus cordis affectus erga prolem? Hic est affectus, qui calcar addidit animumque & consilium Sunamitidi, vt veniret ad Elisæum pro puero suo mortuo deprecatura, & pedes eius teneret, non dimissura donec secum perageret, & puerum susciaret. Hic idem affectus est, qui Chananæam premit vt Dominum premat, opportunè importunè supplex pro filia quæ malè à dæmonio torquebatur. Idem quoque affectus Synagogæ Principem impellit ad Christum humilimè adeundum, adorandumque, vt filiam recenter defunctam visiter, imponat manum, ac suscitet. Non id per alios peragit, sed per seipsum, Princeps licet sit, & Synagogæ Princeps, in inuidiam à collegis propterea haud dubiè vocandus. Sic ergò & Regulus noster, affectu paterno vrgente, non per amicum, aut per interpositam personam accedit ad Christum, sed personaliter venit longo peracto itinere: quia tangit Patrem quod filius sit qui adeò periculosè æger est, quod domus hæres, quod auita nobilitas successionem nonnisi in ipso habitura. Quid non igitur paterna affectio ab eo extorqueret? Nulla indecens ei humiliatio videtur, si modò remedium animam agenti reperire valeat. Quid non egit Dauid, quam non subijt humiliationem pro avertenda infirmitate filij sui ex Bethsabea nati? Nunquid non squallidus, & mœrens in puluere & cinere iacuit? Numquid non per plures dies ieiunauit? Numquid non lacrymis vberrimis faciem suam faciemque terræ rigauit? Numquid non corpus & animum suum mire pro eo afflictauit? O affectus paternus quam potens es, & ad quæ non vires patrem pro filio zelantem & afflictum!

Adest igitur Regulus sollicitus & afflictus coram Domino pro filio suo, eique hanc offert petitionem supplicem: *Domine descende, priusquam moriatur filius meus, incipit enim mori.* Quasi dicat. Vnicus meus est hæres, & solatium meum, spes & columna domus; in flore viuido ætatis suæ me Patrem lætificabat, nunc omnis spes mea quasi abrupto filo concidit, & mœror me grauis afflictat ob periculū certum vitæ eius: tu ergò comparere & patri assiscto; hoc enim potes si eum visere dignatus fueris, quia sic poteris & sanari. Ex hac petitione Reguli duo desumi possunt documenta moralia.

Primum documentum est Nobilium & Magnatum domos, æquè ac pauperum & ignobilium vilescasas, suas habere spinas, afflictiones, miserias, licet floribus appareant exterius amœnæ coronatæ. Nec sceptra, nec diademata, nec purpura, nec aulea, nec laquearia deaurata, nec portæ marmoreæ benè structæ beneque obstruc impediunt quominus variæ mortalis vitæ ærumnæ, præsuræ, sollicitudines, morbi, febres, pleuritides, postulæ alique miseriæ ingrediantur. Nullus ianitor, nullæ satellitum

2. *Causa paternus amor.*

Magnatibus agnata est superbia.

Serm. 15. de verb. Dom.

1. *Causa est afflictio filij.*

Psal. 15.

2. *Reg 14.*

Psal. 114.

1. *Reg. 14.*

Tob. 11.

4. *Reg. 4. Matt 15.*

Mat. 9.

2. *Reg. 12.*

Documēta. Primum Nemo liber à miseriis.

um excubiæ nos arcere possunt mortis nuncios, si Deo lubet illos immittere. Hi nuntij æquo pulsant pede pauperum tabernas regumque turres. Sic nullus status, quantum liber felix & melleus appareat, exemptus est ab amaritudine & felle, nullus ab adversitate & cruce. Hinc & illud vernaculum nostrum Proverbium.

Il n' a maison, ny maisonette,
Qui n' ait sa croix, ou sa croissette.

Ista est lex Adam. Ab hac lege Principes non eximuntur: ab hoc tributo non sunt liberi Regũ liberi. Immo sub sceptro & diademate magis quandoque affligitur & gemere cogitur Princeps coronatus, quam sub suo ligone rusticus oneratus. Eleganter & sapienter dixit Boëtius: *Nemo est adeò compositæ felicitatis, ut non aliquæ ex parte cum suo statu rixetur. Anxia enim est humanorum conditio bonorum, & quæ vel numquam tota provenit, vel numquam perpetuo subsistat. Huic enim census non deest, sed est pudori degener sanguis. Hunc nobilitas notum facit, sed angustia rei familiaris inclusus, mallet esse ignotus: ille utroque circumfluus vitam cælibem dflet, iste nuptiis felix orbus liberis, censum alieno meditur heredi.* Hoc postremum timebat Regulus, & indè affligebatur, sollicitusque erat ut ægritudinem filii amoliri posset, & mortem illius evitare sibi mœrori magno futuram. Sic verum esse patet illud: *Timores cordis, adinuentio expectationis & dies finitionis à residente super sedem gloriosam usque ad humilitatum in terra & cinere, ab eo qui utitur hyacintho, & portat coronam usque ad eum qui operitur lino crudo.* An non id manifestum in Regulo nostro & eius filio? Eccl. 40.

Secundiò Parentibus incũbit cura prolium.

SEcundum documentum est, Patres debere curam gerere filiorum: nam hoc ipsum Dominus commendat, dum sollicitudinem Reguli pro salute filii miraculo sibi gratam fuisse comprobat. Sed si patentum est sollicitam agere curam pro salute corporali prolium, quantò magis pro spirituali? Nam Christiani parentes non solùm carnis, sed & spiritus & animæ debent esse parentes, ut obsequantur æterno Patri spirituum. Finis Matrimonii est non solùm prolem generare huic sæculo, sed etiam per educationem piam & sollicitudinem sanctam eam perfectè generare Deo. Ideo namque instituit Deus matrimonium, ut per proles ab hominibus sanctè genitas, sanctèque institutas numerum adimpleret Angelorum, qui cum filii esset Dei, à Patre suo & eius æterna domo perversa sua voluntate defecerunt, & exhæredati sunt. Novi ergò hæredes Deo dandi sunt mediante coniugio per sanctam sollicitudinem & institutionem. Tobias licet cœcus non desinebat filii curam agere, cœlestibus monitis eum instituendo. Vnde de eo pulchrè dicit S. Augustin. serm. 18. de verb. Dom. *Filius Patri porrigebat manum ut ambularet in terra, & Pater filio ut ambularet in cœlo.* Hunc imitentur Patres, sic se gerendo erga filios juniores, ut cognoscantur accensi salutis eorum pio zelo, sicque manum eis porrigant pro cœlo. Quod si vel ob parvos inclinationis perversæ humores, vel ob consortium pestilens, febrim peccati malignam incurrere advertantur, adducendi sunt ad Christum sapientissimum, benignissimumque Medicum: sive ipse Christus ut medicus frequenti ferventique oratione advocandus & adducendus est ad illos. Deesse non poterit votis, si cum perseverantia humili apud eum instetur, *Domine descende, priusquam moriatur filius meus.* Sed cum lætitia tandem audiet parens sollicitus: *Vade filius tuus vivit.*

Pia sollicitudo S. Monicæ pro filio.

Sic se gerebat S. Monica, bis Mater Augustini, cernens febrim concupiscentiæ carnalis, & contagium pestiferæ hæresis in corde filii invalescere; nocte enim dieque nec corpore nec spiritu quiescebat, Deum exorans cum lachrymis, ut condescendere dignaretur matris pio voto, & sanaret filium insipientem & incipientem mori. Vnde & à sancto Episcopo quodam, cum quo hac de re agebat, ex parte Dei ei dictum est: *Vade, non potest fieri ut pereat filius tantarum lachrymarum.* Cuius quidem dicti veritas postmodum patuit, dũ voti compos quasi ex ore Domini audivit illud idem quod Regulus, *Filius tuus vivit.* Non aurum aut argentum, aut aliquod volubile donum petebat à Domino, sed salutem animæ filii sui. An Deus misericordiarũ spernere cor contritum & humiliatum matris castæ & piæ pro vita filij cum lachrymis ubertimis inter ellantis? Absit. Vnde ipsemet Augustinus sanus jam factus matris precibus animæ suæ sanitatem divina virtute mirè restitutam agnoscens, sic dicit lib. 3. Confess. cap. 11. *Misisti manum tuam ex alto Domine, & de profunda caligine eruisti animam meam, cùm pro me ploraret ad te mater mea fidelis amplius quàm flent matres corporea funera. Videbat enim illa mortem meam fide & spiritu quem ex te habebat, & exaudisti eam Domine, nec despexisti lachrymas eius cùm rigarent terram in omni loco orationis eius.*

Parentes in cura suorum reprehensibiles.

Cæterum nonnulli parentes hic reprehendendi sunt & arguendi. In primis illi qui majorem gerunt sollicitudinem pro filiorum salute corporali quam spirituli. Dum periclitatur, in filiis sanitas, corporis Medicos & medelam quærunt magno sumptu & auxio cum labore: dum de sanitate animæ illorum agitur, negligunt afferre vel quærere remedium. Vnde hic dicit S. Aug. *Laboras ut non moriatur homo moriturus, & non laboras ut non peccet in æternum victurus.* Non ponderant ni pondere sanctuarii quæ ad animam spectant; magis videntur æstimare quæ corpus concernunt. Hæc cæcitas in plerisque cernitur planctu digna & lachrymis.

Deinde arguendi sunt & illi qui tunc primum curam agere videntur salutis filiorum cum serum est, cum incipiunt mori, & supremo versantur in periculo. Non pauci enim laxatis iam habenis viam sequuntur lubricam, vitam agunt maximè dissolu-

dissolutam, abripiuntur in consortia discriminibus & criminibus plena ; quia nimia parentum indulgentia viam illam eis quodammodo initiauit dissimulando cum illis. At postmodum cùm malum est inveteratum, morbusque insanabilis, cùm incipiunt iam mori, optarent parentes remedium posse adhibere, nec inveniunt. Sunt hi similes Medico qui initio morbi nihil præscribit, postea cùm serum est, varia excogitat remedia, sed frustranea ; quia serò medicina paratur, cùm mala per longas invalescit moras. Hinc ipsimet parentes puniuntur filiorum pereuntium infelicitate. Quia Heli filiorum perditam vitam initio non coarguit, nec medelam adhibuit acrem vteus paterna indulgentia & lenitate, cogitur postea eorum mortem infaustam deplorare. Et Dauid quia erga Ammon & Absalon nimio affectu ferebatur, illum non reprehendés ob violatam sororem ne contristaret, hunc non plectens ob fratricidium, in vtroque punitus fuit, dum vnus gladio, alter lancea confixus perit, cor Patris grauissimè configens. Noxia certè Absaloni fuit paterna indulgentia, ita vt ex illa exitium traxerit. Vnde S. Chrysost. hom. de Absalone sic hac de re loquitur: *Offendit David filium, quia fratris in eum noluit vlciscì parricidium, semper enim scelera dum non reprimuntur, increscunt, & in augmenta facinorum prosilitur, quoties secura impunitate peccatur.* 1. Reg. 4. 2. Reg. 17. 2. Cor 18.

Denique arguendi sunt grauissimè illi parentes, qui ita filiorum curam gerunt, vt pro eorum sanitate etiam ad illicita remedia convertantur. Sic nonnulli ad superstitiones recurrunt pro febre à familia avertenda, ad cartulas vel verba vana vetularum ad sortilegia & incantamenta, ad afflatum vel attactum superstitiosum, qui non potest prodesse nisi ex pacto expresso vel tacito cum Dæmone. Audi Chrysost. grauissimè hoc reprehendentem hom. 22. *Ad ligaturas & incantamenta conducis vetulas ebrias & titubantes, illasque in domum tuam introducere non erubescis; & quod grauius est, quando hac admonemus putant se excusari dicentes, quod Christiana est hæc mulier excantans, & nihil aliud loquitur quam Dei nomen. Propterea namq; magis ipsam debes detestari quod Dei nomine ad contumeliam vtatur, quod Christianam se dicens Gentilium opera facit. Nam & Dei nomen Dæmones farebantur, & tamen Dæmones erant, dicentes Christo: Nouimus te quoniam sanctus Dei es, qui nihilominus eos increpauit & eiecit.* Hæc ille vbi rectè respondet ad illud quod superstitiosi homines solent dicere (cùm reprehenduntur quod pro oculorum dolore, pro febre, aut alijs morbis ad nescio quas orationculas recursum habent) quod verba sacra sint, & nihil mali contineant. Nimirum dæmon suam malitiam sacrorum verborum velamine solet occultare ; & sicut Deus in sacris mysterijs verborum virtute multa solet operari, ita dæmon tamquam Deissimia nouit nefanda sua mysteria verborum superficietenus sacrorum cortice velare, nomenque Christi & Sanctorum intermiscet, quasi aliquid mellis commiscens vt toxicum celet. Ad hæc ergò remedia confugere, est ad Beelzebub refugium habere, sicut faciebat Rex Ochosias, qui ægrotans misit nuntios, dicens: *Ite, consulite Beelzebub Deum Accaron; vtrum viuere queam de infirmitate hac.* Sed Angelus Domini misit Eliam in occursum eorum, qui diceret: *Numquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* Quod si aliqui quandoque hac via sanitatem consequuntur, illa in eorum grauius præiudicium, vel spirituale, vel etiam corporale vertitur : quia dæmon nullum beneficium impendit, quod non ordinet in hominis perniciem. Propterea præclarè dicebat quidam, cui in ægritudine letali similia remedia offerebantur: *Malo mori cum Deo sine tali medico, quam viuere sine Deo, medico Diabolo.* Verè vox Christiana est ista, vox fidelis. 4. Reg. 1.

Absit ergò à vobis, ô parentes, deserere pietatem propter filiorum vestiorum veneram dilectionem, recurrendo ad superstitionem, etiamsi hac via eis postetis prolongare vitam & sanitatem. *Diligebat Dauid filiolum, iuxta egrotum, in sacco & cinere iacebat. Verùm neque Diuinos, neque incantatores adduxit, cùm tamen tales non deessent,* (vt patet in historia Saulis) *sed ipse Deo pro puero supplicauit,* inquit S. Chrysost. hom. 10. in epist. ad Colossi. Sic & ille qui triginta octo annis detentus fuit infirmitate, singulis annis ibat ad piscinam, sed præventus ab alijs non assequebatur sanitatem; non tamen prosilijt ad eos, qui per applicaturas illam promittunt, sed expectauit diuinam opem, illamque tandem adeptus est. Sic & noster Regulus filium suum cernens ad mortem tendentem, non chartulas, aut alia incantamenta circumligauit, non quicquam vetitarum artium tentauit, sed ad Dominum supplex properauit, quando remedium naturale non successit. Ioan. 5.

CHristi responsio: *Nisi signa & prodigia videritis, non credetis,* dura est ad petitionem tanti tamque honorati Viri, purpura & principatu inter Galilæos eminentis. Maiori comitate & ciuilitate absque dubio sperabat se à Christo excipiendum Vir aulicus & primarius : excipitur autem cum increpatione & quadam dedignatione : hanc enim præferre videntur verba ista Domini. Sic humiliat, prosternit, mortificat eum Dominus, antequam beneficium impendat. Non absimiliter se gessit Elizæus, cùm Naaman Princeps Syriæ eum accederet pro curatione lepræ. Adventante enim illo cum equis, rhedis, comitatu, & stante ante ostium domus, Elizæus nequidem dignatus est egredi, aut eum salutare humaniter & more aulico, sed misit ad eum nuntium, dicens: *Vade, lauare septies in Iordane.* Hoc autem responsum non ita patienter accepit illico Naaman, sicut noster Regulus durum Christi responsum. Nam iratus recedebat & dicebat: *Putabam quòd exiret, & veniret ad me, & stans invocaret nomen* PARS II. De respirazione Christi ad Regulum. 4. Reg. 5.

Dei sui, & tangeret manus sua locum lepræ, & curaret me. Regulus autem non obstante verbo Domini increpatorio instat, & perseuerat in sua petitione, & ait: *Domine descende, priusquam moriatur filius meus.* Eadem porrò ratio videtur fuisse, tam in Elizæo, quam in Christo, vt sic se gererent cum Principibus Viris accedentibus sanitatis petendæ gratia; dum ille quidem pro se deprecatur, hic pio filio. In primis, quia accedebant necdum satis perfecti in fide, durius in speciem cum illis agi decebat ad institutionem. Infirmus erat Naaman in fide, qui existimabat necessum esse vt Elizæus ad se descenderet, & tangeret locum lepræ, quasi alius ei modus curandi non suppeteret. Infirmus etiam erat Regulus eadem ratione in fide, quia non satis credebat Christum absentem posse filium suum sanare, ideò rogabat vt dignaretur descendere. Deinde non satis credebat Christum posse filium suum mortuum suscitare: propterea vrgebat, *Descende priusquam moriatur.* Vlterius, tam Christus quam Elizæus ostendere voluerunt honorificandum esse ministerium nostrum, & pompam magnificentiamque mundanam non tanti æstimandam esse, quanti mundus eam facit. Vnde dicebat Christus: *Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.* Nam nisi se humiliant qui magni sunt, Deo displicent, *qui humiliatus fuerit, & alta à longè cognoscit.* Quapropter monet Sapiens: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Sic dicit etiam Apostolus: *Videte fratres vocationem vestram, non multos nobiles, non multos potentes, sed quæ infirma sunt elegit Deus, vt confundat fortia.* Quia tamen, vt apud Iob dicitur, *Deus potentes non abiecit, cùm sit ipse potens,* etiam aliquos ipse potentes & nobiles elegit, ad fidem perfectam eos erudiens, & in eorum gratiam miracula patrans, vt patet in hoc Regulo, in Centurione, in Iairo Principe Synagogæ, & aliis.

Comparatio Christi & Elisæi.

Luc. 16.
Psal. 137.
Eccli. 3.
2. Cor. 1.
Iob. 36.

Cæterum, quod Christus Dominus dicit huic Regulo, & in eius persona Iudæis incredulis vel in fide imperfectis, etiam dici potest modo nonnullis Christianis: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Non desunt enim aliqui qui disputant de rebus fidei, & vix credunt nisi miraculis coacti, & signis nouis, quum eis antiqua abundè deberent sufficere. Quos sic admoneo S. Maximus: Nouerimus Fratres, quia non sine magno discrimine de Religionis veritate disputamus, quam tantorum sanguine confirmatam videmus. Magni periculi est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, veterem fidem quasi novellam discutere præsumas, & post tam manifestos Duces in errore permaneas, & post morientium suadores otiosa disputatione contendas. Veneremur in Sanctorum Martyrum gloriam fidem nostram, Matrem martyrij fides Catholica est, in qua illustres athletæ subscripserunt sanguine, morte innotuerunt; ab illisque, dum tolerantia mortis excipitur, spes nobis immortalitatis asseritur, quia nunquam hanc

Regulo multi similes.

vitam sic constanter impenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem sentirent. Hæc Sanctus Maximus disertè & verè. Cui conformiter loquitur Picus Miraud. in quadam Epist. vbi sic habet: *Magna insania est Evangelio non credere, cuius veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolica resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, mundus testatur, elementa loquuntur, dæmones confitentur. Sed longè maior insania, si de Evangelii veritate non dubitas, viuere quasi de eius falsitate non dubitares.* Hæc ille.

Reprehensioni ergò obnoxij sunt, qui adhuc signa & prodigia quærunt, quum tanto numero pro fidei veritate toto orbe prodigia coruscarint, vt cæcum esse necesse sit, qui eorum lucem non videat & agnoscat. Quanta Christus ediderit miracula ad fidei confirmationem, Evangelica Historia satis superque testatur. Quanta dederint Apostoli prodigia pro fide primæva. Acta Apostolorum manifestum reddunt. Claudus ad portam templi, Ananias & Sapphira, Elimas Magus, & alij eorum cœlestem potestatem experti sunt. Denique, quam innumera signa in varijs orbis partibus pro veritate corporis & sanguinis Domini in Eucharistia rutilarint, testantur historiæ sacræ; ita vt nulla sit Provincia, quæ miraculo aliquo ad hunc effectum non sit decorata, prout alibi specialiter ostendimus. Itaque iam vltra non opus est miraculis, quia signa data sunt non fidelibus, sed infidelibus. Et hæc, vt ait Sanctus Gregorius hom. 29. in Evang. necessaria fuerunt in exordio Ecclesiæ. *Vt enim augeri fidem cœpit multitudo credentium, miraculis fuit nutriendum. Quia & nos cum arbusta plantamus, tamdiu ea rigare quam infundimus, quoad vsque ea in terra iam coalescere videamus. Ac si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.* Illa ergò non requirunt, qui firmiter credunt.

Reprehendi sunt qui noua miracula quærunt.

Act. 3.
Act. 5.
Act 13.

Sacerdoti cuidam in Sacro Sacello Parisijs celebranti (in quo recondita sunt tot pretiosissima sacratissimaque pignora) apparuit infans pulcherrimus loco hostiæ consecratæ. Hoc verò nuntiatum fuit S. Ludovico Regi, vt ad id spectabilis miraculi toto confluente populo, compararet & ipse. Respondit verò Rex pientissimus: *Qui non credit, illuc accedat vt videat, ego quotidie eum oculis fidei certissimis videor.* Verebatur Sanctus Rex illam Domini reprehensionem: *Nisi signa & prodigia videritis, non credetis.* Fides autem in eius corde tantam patiebatur certitudinem, vt nec visio miraculi necessaria foret, nec certiorem eum reddere posset.

Interim quia numquam desunt aliqui incredulij, vel in fide vacillantes, ideò etiam, fide licet iam tot irrefragabilibus testimonijs confirmata, nunquam in Ecclesia deerunt miracula. Nempe sicut olim ascendens curru igneo Elias, pallium & spiritum duplicem reliquit Elizæo, per quæ miracula operaretur: Sic in Ecclesia nunquam deerit verus aliquis Elizæus, qui hæres sit spiritus duplicis & Pallij Christi, quo signa & prodigia possit operari; hoc est,

est, hæres non deerit sanctitatis & virtutis, per quam ipse potestatem Magistri valeat ostendere. Percurre omnia sæcula, & reperies viros sanctitate & vita admirabiles illustres, ita vt editis publicè miraculis prodigium fuerint Orbis. Sic de nostro sæculo quæris, vt alios taceam, reperies S. Pastorem Carolum Borromæum tot signis & prodigijs effulgentem, vt Mediolani ad eius sepulchrum appensa fuerint votiua mille tabellarum attestantium de aliquo miraculo eius meritis vel precibus patrato. Ad quoque templa B. Virgini Deiparæ consecrata, & singulis sæculis non deerunt quæ perlegas magno numero eius ope edita miracula, non solum in Italia in Basilica B. Mariæ Lauretanæ, aut in Monte Ferrato, aut in Gallia in templo Nostræ Dominæ dictæ de Lætitia; sed etiam in Belgio in monte Acuto, ac in Patria nostra Leodiensi in Templo Dominæ nostræ dictæ de Fide: vbi ad confirmationem nostræ fidei, & ad conversionem infidelium & hæreticorum plurima nostro tempore promicuerunt miracula, certis testimonijs firmata, & scriptis ad posteritatis instructionem consignata.

PARS III. *De profectu fidei ex sanato filio.*

TAndem perseuerante Regulo in petitione sua, & benignè increpationem Domini excipiente, dicit ei Dominus: *Vade, filius tuus viuit.* Sic eum exaudiuit misericordia Redemptoris, quem ob infirmam fidem potera repellere; vt discamus quod non semper attendat Dominus quid mereamur, sed quod etiam indignis beneficentiæ suæ dona impertiatur, vt eius agnoscamus benignitatem. Cernens ergò benignissimus Dominus hominis illius fidem licet imperfectam, superabundanti sua bonitate supplens quod illius deerat imperfectioni, dixit ei: Non opus est, vt tecum vadam iuxta tuam postulationem, nec corporalis mea præsentia ad eam tem necessaria est, cùm virtus mea in omnia se loca diffundat. Age tu ipse, & viuum sanumque filium tuum reperies, ac de facto experieris nullum me locum latere, & nihil me in quantumuis difficum non posse. Sic Patris morbum spiritualem prius curat Dominus quam filij corporalem, prius fidem eius infirmam perficiens & sanans quã filij ægritudinem fugans. De hac benignitate Domini sic loquitur Cassianus Diaconus Constantinopolitanus lib. de libero arbitrio cap. 35. *Absoluta sententia pronunciamus exuberare gratiam Dei, & transgredi humanæ infidelitatis angustias. Quod in Euangelico Regulo factum reminiscimur, qui dum facilius credit ægrotantem filium posse curari quam mortuum suscitare, præsentiam Domini festinus implorat. Cuius infidelitatem licet Christus arguerit. Nisi signa & prodigia videritis, non credetis; tamen non secundum infirmitatem fidei eius gratiam suæ dignitatis exercuit, nec præsentia corporali, quem admodum credidérat, lethales febrium morbos, sed verbo suæ potestatis excludit, dicens: Vade, filius tuus viuit.* Hæc ille. Sic non egebat descendere, qui poterat verbo, nutu, imperio, imò ipsa sola voluntate sanare, quia eius verbo vel voluntati cœlum et terra, omnia elementa, omnes creaturæ, morbi omnes, & mors ipsa non possunt non obtemperare. Ideò verò dixit, *filius tuus viuit*, & non dicit, *sanatus est*, vt ostenderet infirmitatem fuisse ad mortem, potiusque ei redditam vitam quam sanitatem.

Ecce verò fides perficitur in Regulo, sanaturque infirmitas Patris postulantis, quia subditur: *Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat.* Neque solum credidit, sed etiam vt accepto beneficio non foret ingratus totam domum ad fidem in Christum convertit: *& credidit ipse & domus eius tota.* Instruxit illos de Christo, & factus est eis verbi Dei Præco. Vnde Cyrillus in Ioannem lib. 2. cap. 12. de hoc Regulo sic loquitur: *Christo filij sui sanitatem attribuens, cum vniuersa domo saluatur, seruentiorem iam fidem agendarum gratiarum loco afferens.*

Sic docentur parentes in hoc vnum incumbere exemplo instructo huius Reguli, vt filij credant & tota ipsis commissa familia, ponantque in Deo spem suam; quod quidem fit enarrando eis magnalia Dei. Propterea Psaltes dicit: *Quanta mandauit Patribus nostris nota ea facere filijs suis, vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Domini, & mandata eius exquirant.* Quem locum explanans Saluianus lib. 1. ad Ecclesiã sic hac de re ait: Videtis quas parati opes à parentibus filijs Deus iubeat? Non pecuniarios thesauros, nec graues metallo aureo sacros, non superbas excelsis vrbibus domos, non fundos interminabiles & notitiam possessoris sui excedentes, qui consortes pati indignum existiment, & vicinitatem iniuriam putent. Non ergò hæc præcipit Deus, nec in seruilia terrenæ procurationis officia curam patriæ potestatis extendit. Pauca sunt quæ mandat, sed salutaria, scripto breuia, sed beatitudine sempiterna: *Vt ponant in Deo spem suam, & mandata eius exquirant.* Cùm enim Deus viuorum sit & mortuorum, rectè illa parari filijs iussit, per quæ in æternum viuerent, non per quæ in æternitate morerentur. Hactenus Saluianus eleganter & sapienter. Felix domus Reguli huius, quæ Patris familias institutione & exemplo credidit tota Deo, & spem suam posuit in eo. Felix quæ verisimiliter tota salutis æternæ facta est particeps, ira vt & ipsi sicut Zachæo potuerit dicere Dominus: *Hodie huic domui salus à Deo facta est, eò quod & ipse sit filius Abrahæ.* Non ita contingit omni familiæ, quia cum varij sint plerisque in familijs, vel filij, vel famuli, aliqui ex illis reprobantur, alij verò saluantur, dicente Domino: *Erunt duo molentes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur.* Illi sunt serui pro heris in agro laborantes, hæ sunt ancillæ pro pane familiæ sollicitæ in molendino, nec vtriusque eadem sors contingit æternæ saluationis. Sic nec Ismaël & Isaac, Abeli & Cain, Iacob & Esau, Sem & Cham eadem beata

Quid parentes docere filios debeant.

Psal. 77.

Luc. 19.

Matt. 24.

sors contingit, licet in eadem familia agerent, non quidem defectu institutionis parentum, sed culpa ipsorum nec filiorum maledictionem suis flagitijs in caput suum accerlentium.

Præsides exemplo suo multos trahunt.

Docemur etiam Reguli istius exemplo, quam verum quod S. Fulgentius dicit Epist. 6. ad Theodorum: *Fit vt qui sunt in sæculi culmine constituti, aut secum plurimos perdant, aut secum multos suæ salutis acquirant.* Nimirum sicut magnæ naues multas secum cymbas trahunt colligatas, & si mergantur, illas etiam secum merguut; sic contingit & potentibus, vt non soli pereant, sed

Iob. 26. multos secum in perditionem pertrahant: *Gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis,* dicebat olim Job. Ideò dicit quod non soli gigantes, hoc est magni & potentes, sub aquis gemunt oppressi, sed etiam illi, qui habitant cum eis, qui eorum ministerio & negotijs sunt involuti, quia crebrò contingit cum ipsis & hos perire. Quod si ipsi per aquas ad portum contendunt & appellunt, etiam trahunt eos, qui sibi colligantur, nec soli salutem consequuntur. Certè eorum exemplum & auctoritatem subditos ad eandem fidem pellicere, multis potest exemplis è sacris historijs declarari.

Exempla. 1. Cùm Sanctus Matthæus in Æthyopiam profectus esset Evangelij prædicandi gratiâ, illo in primis miraculo quo Regis filiam à mortuis excitauit Regem Patrem & vxorem eius cum vniuersa Provincia ad Christi fidem pellexit, *Breviar. Roman. 21. Septemb.*

2. Constantinus Imperator baptismo à lepra corporali & spirituali emaculatus per Sanctum Syluestrum, vbique religionem Christianam propagauit, & sublatis inanium Deorum simulacris templa Christiano more ad verum Dei cultum exædificauit. Totius ergò imperij conversio ab eo exordium & felicem gressum habuit, progressumque exinde felicissimum.

Freu. l. 9. 3. Similiter cùm S. Remigius Clodoræum Regem Francorum doctrina & miraculis ad fidem & baptismum induxisset, facilè etiam eius exemplo Francos regio obsequio devotos eum toto regno ad eandem fidem perduxit.

4. Sic cùm mulier quædam Christiana captiua Reginam Iberorum (qui sunt Hispaniæ populi) invocato Christi nomine sanasset, commonuissetque hunc esse Deum, Dei summi Filium, auctorem incolumitatis & vitæ, qui Regibus regna distribuit, & mortalibus vitam: factum est exinde Rege hac sanitate vxoris & doctrina illius mulieris ad fidem converso, vt mox totum regnum sese dederet in obsequium Christi & fidei Christianæ, Legatis missis ad Imperatorem Constantinum, vt Sacerdotes mitteret dignaretur, qui cœptum erga se Dei munus implerent. Testis est Ruffinus lib. 1. hist. c. 10. & Eusebius l. 10. c. 10.

Neque verò solùm Magnates aut Principes, multum possunt pro conversione subditorum, sed etiam illi qui familiæ præsunt, idem possunt erga suos domesticos, prout nostrum Evangelium hoc indicat dicens de Regulo: *Credidit ipse & domus eius tota.* Audi & hac de re nonnulla ex sacris historijs exempla memorabilia.

Cum S. Laurentius Hippolytum militem (cui traditus erat ad custodiam a Præfecto Imperatoris Valeriani) ad fidem sacris monitis & cæci illuminatione convertisset, mox etiam Hippolytus totam suam familiam ad Christianam fidem adduxit. Vnde cum Præfectus eum domi suæ comprehendisset Eucharistiam sumentem, & ad Imperatorem adduxisset, nec honorum promissis, nec minis potuit eius fides titubare. Cum autem Præfectus in eius domum adventaret, vt facultates omnes publicaret, totam familiam Christianam agnouit, quam frustra a fide deterrere conatus est. Quapropter omnes martyrium constanter subierunt extra portam Tiburtinam occisi, vbi & Hippolytus indomitis equis raptatus per loca tribulis & carduis consita, lacerato corpore spiritum reddidit. Constabat autem hæc familia recens conversa personis octodecim, totque fuêre recentes victimæ sanguine proprio conspersæ, Christo Domino immolatæ, opera Patris familias in cœli aram translatæ. An non igitur de Hyppolyto verum est quod & de Regulo: *Credidit ipse, & domus eius tota?*

Similiter Pudentiana virgo, Pudētis Romani filia Christianam religionem admirabili pietate colens vna cum sorore Praxede, sua opera effecit, vt tota familia, in qua erant nonaginta sex homines, à Pio Pontifice baptizata fuerit. Et cum decretum Imperatoris Antonini publicè sacra facere vetuisset, Pius Pontifex in ædibus Pudentianæ cum Christianis sacra celebrabat. An non & his verum est: *Credidit ipsa, & domus eius tota?* Imò ostenditur adhuc modò puteus in illa domo (quæ nunc est Ecclesia titulo S. Pastoris, in quem S. Pudentiana cum S. Praxede sorore sanguinem è vulneribus Martyrum spongia expressum cum alijs eorum reliquijs recondebant. Vnde sic habet inscriptio lapidi vncialibus litteris incisa in ipso Ecclesiæ ingressu: *In hac sancta antiquissima Ecclesia, titulo S. Pastoris, à S. Pio Papa dedicata, olim domo S. Pudentis Senatoris, & hospitio Sanctorum Apostolorum, tria millia beatorum Martyrum corpora requiescunt, quæ Sanctæ Virgines Christi Pudentiana & Praxedis suis manibus sepeliebant.* O felix domus, felix familia, Domino fidelis vsque ad mortem, in æternam eius transcripta familiam.

Sic quoque cum Primi & Feliciani fiattum constantia appareret in tormentis tempore Diocletiani & Maximiani; cumque in theatrum producti, & leonibus obiecti nihil nocumenti acciperent, sed leones prostrati ad eorum genua capite & cauda eis adblandirentur, hoc spectaculo commoti sunt quingenti, & cum suis familijs Christianam religionem susceperunt. Crediderunt hi, *& domus eorum tota* exemplo Patrum familias conversa est,

credi-

etediditque verbo Dei ab idolis aversa. *Breviar. Rom. 9. Iunii.*

Denique, cum Cyriacus Diacoous missus foret ad Saporem Persarum Regem, Iobiam eius filiam à nefario spiritu eripuit. Hac ratione Regem Patrem cum quadringentis & triginta aliis domesticis induxit ad baptismum, & in vera fide instruxit: sicque Romam rediit Martyrio coronandus, *Breviar. Rom. 8. Augusti.*

Itaque hi omnes, sicut Regulus noster Evangelicus, miraculis inducti, perfectam fidem sunt assecuti: nec soli ipsi crediderunt, sed familiis suis illico eandem fidei & pietatis rationem instillaruut. ne forent ingrati. Sic adimpletum fuit in illis illud

Apoc. 22. Apocal: *Spiritus & Sponsa dicunt, Veni, & qui audit dicat, Veni. Et qui sitit veniat, & qui vult accipiat aquam vitæ gratis.*

Conclusio. COncludamus; & ad Christum Medicum beatissimum cum Regulo vota nostra conferamus, dicamusque ei singuli: *Domine descende priusquam moriatur anima mea.* Febris enim varia illum colere, illum timere, illi servire. Hæc est unieam occupat, & in periculum mortis attrahit: ardor concupiscentiæ sitis avaritiæ, luxuriæ, profusus calor, iracundiæ & impatientiæ pernicios flamma per eam serpit, depascit, & discerpit; ita ut nauseabunda exaresca & appropinquet ad portas mortis. Tu sapientissimus Medicus es, qui potes ardentem

Ps. 102. illum calorem & pestiferam sitim languoremque curare: *Qui sanas infirmitates nostras, qui redimis de interitu vitam nostram.* Hoc potes verbo, hoc solo nus, Christi servus. Incredibili vero agitabantur impotes imperio. Facigitur hanc nobiscum dignanter sania, quod vel nomen non possent extorquere ab

Ps. 102. misericordiam, ut audiamus iterus te dicentem: *Vade, anima tua vivit* In te solo est spes nostra, tu solus potes languores animæ curare, & radicem peccati quasi radicem mortis exscindendo, veram vitam nobis restituere. Hoc fac, & tota domus nostra credens exhilarabitur in te, omnes vires animæ, intellectus, voluntas, memoria benedicent tibi: *Vi-*

Ps. 117. *vet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuvabunt me.* Sic dextera tua faciente virtutem, *non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini.*

Lect. 33. tripartita

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Simile est regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis. &c.
Matth. 18.

Pars I. *Quomodo peccatum servi benignè timen Domini habeamus.*

VOcatio Christiana est profiteri Æterni Regis nos æternum servos. Eandem professionem fecerunt quicumq; tempore pla cuerunt. In hac unica professione gloriati sunt olim Patriarchæ, Prophetæ, Reges veteris testamenti, hac gloriantur & Apostoli, Martyres, Sacerdotes, Sancti omnes novi testamenti. Nulla major da-

Deut. 34. tur commendatio Moysi, quam ista *Mortuus est Moyses servus Domini* Vtique sicut vixerat in statu & professione servitutis ad omnem Domini nutum paratus, eique fidelis, sic & mortuus est jubente Domino, & in osculo Domini, tamquam servus fidelis. Nullo frequentius titulo gloriatur Rex & Propheta David quam illo: *Servus tuus sum ego*: O *Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus* Percurre eius Psalmos, & quam frequenter id repetat, idque maximo cum affectu, facile deprehendes ex Psalmo 118. ubi decies & quater se servum nominat. Sic & Ionas Propheta interrogatus; *Quod opus tuum? qua terra tua? de quo populo es tu?* Nihil aliud respondet, *Servus Domini ego sum, Deum cœli ego colo qui fecit mare & aridam.* Sic habet lectio Hebræa & Septuaginta Interpretum, loco eius quod nostra lectio dicit: *Hebræus ego sum, & Dominum Deum cœli ego timeo.* Idem est igitur ac si dicat Ionas: Vos interrogatis me de patria mea & gente, de professione & opificio, de negotiatione quam exerceo; & ego nihil aliud vobis ad hæc omnia respondere valeo quam me servum Dei esse, meumque lucrum & quæstum, negotiationem & artificium, denique omne studium non aliud esse, quam

Psal. 118.

Ionæ 1.

Sic quidam Martyr, cui nomen Diaconus (de quo Euseb. ll. 5. histor) cum in tormentis excarnificatus interrogaretur quis esset, quod genus eius, quæ patria, quod nomen; nihil aliud in omnibus tormentis respondebat *Christianus sum*: Quasi dicat: Hoc mihi nomen, hoc genus, hoc patria, hoc professio; aliud nihil omnino sum nisi Christiadhibentes, ita eum excarnificarunt, ut periisset in eo forma humana per adustionem defluente in carca & tota professio mea.

eo carnifices. Vnde candentes laminas æris & ferri ne: & cum toto corpore unum vulnus horreret, agnosci non poterat quis esset. Christus tamen in eo solus agnoscebatur in hac voce sæpe ab ipso repetita, *Christianus sum*, Christi servus sum. Sic & Apostolus Paulus in Epistolis hoc tamquam primario honoris titulo gloriatur, *Paulus servus Iesu Christi.* Itaque per hæc admonemur hunc esse finem unicum fidei nostræ, ut vivamus & moriamur servi Dei, servi Christi. Ad hoc unum respiciendum est, ut nomen illud æquemur, & nominis rem & virtutem. Væ si inane sit nomen (magis opprobrio & confusione dignum quam honore) si servi dicimur, & infidelitatis arguimur erga eum, quem ut Regem & Dominum colere tenemur.

Vt vero ad fidelitatem acutius servandam stimulemur, dicit hoc Evangelium Regem nostrum & Dominum exactam rationem ponere cum servis suis. Hoc quidem sic non solum in morte, cum singulos exactissime examinaturus & iudicaturus est, sed etiam tempore vitæ huius, cum nos ad nostram revocat conscientiam & per illam nos accu-

Greg. 25. Mor.

sat & condemnat De qua re agens S. Greg. 25. Mor. Debet uniuscuiusq; mens causas suas apud De-

ni, &

discutere, debet cautè pensare vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius perversè vivendo rependerit. Ibi sit conscientia accusans, ratio iudicans timor ligans, dolor excrucians. Certè sicut servitutis nostræ numerat Rex noster tempora, annos, menses, dies, horas, ut eius rependat gratiam & præmium, si hæc fideliter impenderimus in obsequiis; aut reddat supplicium, si nostrum neglexerimus officium: ita vult ut frequenter nobiscum recogitemus, si huius servitutis rationem reddere valeamus. Vult ut sic coram ipso nos geramus, quasi quotidiè simus ad calculum vocandi de donis nobis à Domino commissis quomodo eis usi vel abusi fuerimus.

Talenti valor.

Budæus, & alii.

Porrò cum oblatus hic, dicitur Regi vnus *qui debebat decem millia talenta*, non existimo multum disceptandum quid talentum valeat, quia numerus determinatus pro indeterminato ponitur, & significatur Domino maximam pecuniæ summam in rationibus suis servum hunc debuisse. Sic credimus antiquis, talentum Atticum valebat sexcentos coronatos aureos, sive sexcenta scuta aurea, & ita decem millia talenta ad sex milliones auri pertingerent. Hebræum autem talentum dicunt duplo maius fuisse. Quicquid ea de re sit, hic unus oblatus peccatorem designat; gravissimo enim debito est peccator oneratus; ita ut illud non possit exsolvere, quia quodammodo debitum est infinitum. Ideo peccatum pœna quadam ratione infinita punitur. Nam pœna sensus, sive pœna ignis, extensivè infinita est, cum duret in infinitum, & sit æterna. Pœna etiam damni eâ ratione infinita est, quod sit privatio gloriæ infinitæ si daretur, privatioque visionis Dei infiniti. Est etiam peccatum iniuria quædam & offensa personæ infinitæ, & contemptus infinitæ Majestatis. Ex qua ratione tantam gravitatem sortitur, ut nulla pura creatura potuerit ex justitia perfecta Deo satisfacere pro peccato sed necesse fuerit Christum Dominum venire ad satisfaciendum, qui infiniti pretium valoris, & satisfactionem condignam potuit offerre ob infinitã dignitatem personæ satisfacientis, & se humiliantis. De qua re latius Theologi in 3. p. quæst. 1. ad 2. Non ergo mirum quod servus hic dicatur non habuisse, unde redderet & solveret decem millia talenta. Nempè facile est debita contrahere, sed non ita dissolvere. facile peccare, at difficile satisfacere; facile in abyssum labi, sed non ita resurgere:

Peccare facile difficile satisfacere, &

Facilis descensus averni,
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras.
Hic opus, hic labor est

Osea 13. *Perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuum*, dicebat olim Dominus peccatori per Prophetam Ozeam. O talentum ponderosum, ô pondus grave iniquitatis, quod homo imprudens suis imponit humeris, quo non potest postmodum se exonerare, sed ab illo opprimente demergitur in profundum, nec valet emergere! Non sine mysterio Angelus Zachariæ dicit *Leva oculos tuos: & vide, quid est hoc quod egreditur?* Respondit; Prophetæ: *Quidnam est?* Cui Angelus; *Hæc est amphora*, sive mensura, *egrediens. Et ecce talentum plumbi portabatur, & mulier una in medio amphoræ.* Et dicit: *Hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius* Amphora illa, sive mensura, designabat certum numerum peccatorum, quo adimpleto solet Deus sumere supplicium. Vnde in medio illius sedebat *impietas* specie mulieris, quia mulier typus voluptatis est & infirmitatis: omne autem peccatum fit voluptate vel infirmitate trahente. Proiecit autem eam Angelus in medio amphoræ, ut esset tota intra mensuram quæ prius eminebat parte superiore extra, & ita factum fuit ut amphora, seu mensura impleretur. Postmodum os amphoræ talento plumbi obstruxit, sive massa grandi plumbea; sicque significatum est per massam illam plumbeam iam esse completam mensuram peccatorum in populo, illumque diu mansurum in sua impietate & damnatione: plumbum enim significat pondus damnationis, quam propter scelera sua incurrebat populus. Itaque grave debitum erga Deum, grave onus in humeros peccantis advehit peccatum, cui debito cum non possit satisfacere peccator, nec oneris gravitatem ultra ferre, tandem in profundum ruat necesse est, & in carcerem æternum detrudatur, donec reddat novissimum quadrantem. Et hoc quidem verum est, nisi gratiam ei faciat creditor Deus, & leve eum importabili isto onere benignitate sua, sicut fecisse hic dicitur erga hunc servum debitorem decem millium talentorum, cuius misertus dimisit eum, & omne debitum dimisit ei coram se humiliato & supplici.

Zach. 5.

Impietas, cur mulieris specie visa.

Sed si non erat servus ille solvendo, quomodo poterat dicere Creditori & Regi suo: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi?* Quomodo id etiam potest dicere Deo peccator, cui exprobrari potest: Vnde miser reddes, cum nihil habeas, debitumque tuum sit maximum & penè immensum? Certè verum est quod non habeat unde reddat, & tamen etiam verum est quod cum fiducia possit dicere: *Omnia reddam tibi, si patientiam habueris in me.* Forte servus ille sperabat non in suis bonis, sed in amicorum donis, quos ditissimos habebat: nec diffidebat illos fore sibi subsidio ad persolvendum debitum omne. Hoc vetius dixerimus de peccatore, qui reddere sperat debitum omne Deo, non ex opibus suis, sed ex opibus fratris sui Christi & SS. quos sibi novit propitios fore. Sic dicebat S. Bernardus serm. 61. *Ego quod ex me mihi deest fideuter usurpo ex visceribus Domini mei Iesu Christi, quia misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant.* Latent ibi inexhausti thesauri, latent & inanciæ eis qui non sunt solvendo misericorditer communicandæ in extinctionem debitorum suorum. Dicat ergo fidenter peccator p cocidens cum humilitate & cordis contritione coram Deo:

Patiens

Quid peccator Deo offerre debeat.

Patientiam habe in me, & omnia reddam. Offeram Tibi, ô Pater æterne, merita Christi fratris mei, eius offeram passionem & sanguinem in peccatorum meorum satisfactionem: nec poteris despicere tem adeó pretiosam, debitum omne eo valore exceden- rem. Offeram tibi eius sanctitatem pro mea immunditie, eius obedientiam pro mea rebellione, eius innocentiam pro mea condemnatione. Quia immò accedam & alios fratres ac amicos, vt mutuo petam ab ipsis mei commiserantibus, quod Tibi exsoluam. Offeram pro peccatis meis omne obsequium, omnéque meritum Beatissimæ Virginis Matris & Sororis meæ, omne etiam obiequium Sanctorum Angelorum, fidem Prophetarum, spem Patriarcharum, charitatem Apostolorum, constantiam Martyrum, labores Confessorum, austeritatem Pœnitentium, puritatem Virginum, pietatem Sacerdotum, merita Sanctorum omnium. Offeram tibi mutuo acceptas à Petro & Magdalena lacrymas, offeram tibi charitatem & gladium Pauli, pellem Bartholomæi, pro te excoriati, crucem Andreæ & Philippi, dolium olei feruentis Discipuli dilecti, ensem & fustem vtriusque Iacobi, sagittas Thomæ confixi, cruorem Matthæi ad altare interfecti, Martyrium Simonis & Thadæi. Offeram tibi pietatem & lapides Stephani, amorem & ignem Laurentij, constantiam & tela Sebastiani, patientiam & ferreos vngues Vincentij, magnanimitatem & leones Ignatij. Offeram tibi austeritates & ieiunia Antonij & Pauli, pœnitentiam Hieronymi, fletum & silentium Arsenij, labores Athanasij, cor transfixum Augustini, mortificationem Benedicti & Bernardi, paupertatem & humilitatem Francisci, disciplinam & cilicium Dominici. Denique offeram tibi rotam & zelum Catharinæ, torturam Agathæ Apolloniæ, lamminas ardentes Barbaræ, patientiam invictam Luciæ, passiones mirabiles Mirabilis Christinæ, dolores Lydwinæ. An hæc poteris despicere? An non lubenter hæc mihi volent commodare, & in meam vtilitatem transferre, vt ex illis valeam satisfacere? Certè hic pretiosus est thesaurus (ex quo peccator indigens subsidium ingens potest depromere) Christi scilicet Meritum, & Communio Sanctorum. Meritò ergò cum fiducia pronunciate *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*

Sed vide benignitatem Domini, vbi agnouit humilitatem serui. Certè incredibilem exhibuit liberalitatem, qui prius vultu, voce, iussu magnum præferebat rigorem. An non grandis rigor? Iusserat, siue minatus fuerat venditionem eius, & vxoris, & filiorum, immò & quorumcumque ad eum spectantium. Nempè iusto iudicio permittit Deus vt peccator Diaboli fiat mancipium, & vt non solum vir, hoc est rationalis spiritus, sed & vxor, hoc est concupiscentia & caro, & filij, hoc est appetitus praui ac sensus quinque, qui quodammodo sensualitatis & carnis sunt filij, gehennæ incendijs mancipentur æternis. Hoc enim prometteretur qui datus in reprobum sensum tradidit se sub peccato quasi captiuum & venundatum, sicut de quibusdam dicit Isaias: *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis*, & de Achab: *Venumdatus erat vt faceret malum in conspectu Domini.* Quidam eò malitiæ & insaniæ processerunt, vt etiam inscriptis venderent animas suas dæmoni, si ipsius ope prauam possent voluntatem adimplere. Sic Theophilus, sic quidam Adolescens, de quo in Lauretana historia: sed vterque chyrographum suum post pœnitentiam recepit, Virginis Deiparæ virtute. Pauci fortè tales reperiuntur, qui expresso pacto se dæmoni tradant, interim omnes peccatores tacito quodam contractu se diabolo omninò vendunt pretio vnius voluptatis, & prauæ voluntatis, eique se in seruos addicunt: *An nescitis quod cui vos exhibetis seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis?* ait Apostolus: Deus porrò considerans hanc eorum insipientiam, dimittit etiam eam, quam in eorum animas partem iure sibi vendicabat, & totum relinquit diabolo, *dimittens eos in desideria cordu eorum, & in manus Dominorum crudelium tradens eos*, sicut minatur Ægypto. Verum eius benignitas facit, vt id illicò non præstet, quoties homo promeretur; sed id comminatur vt terreat, & hominem ad mentem reducat, & ad veniam suppliciter humiliterque exposcendam inducat. Sic dicit Chrysostomus in hunc Evangelicum locum: *Non ex crudelitate iussit hunc seruum venundari, vxorem, & filios: sed incredibili illius curæ deuictus, hac comminatione ad supplicandum ne venderetur, adducebat.* Vtique hominem Deus conseruare gaudens minatur tristitia, ne invehat tristia, minatur mortem, ne mittat nos in mortem, minatur gehennam, vt non incidamus in gehennam, minatur ignem, vt effugiamus ignem, terret nos verbis; vt non incendat factis. Cur enim toties Deus nobis indicat, toties nobis comminatur sacris in litteris æterna supplicia, nisi vt illa invadamus rectâ viâ incedendo? Cur viatori foueæ, insidiæ, pericula latronum indicantur, nisi vt sibi caueat & in illa non incidat? Cur minatur Dominus per Ionam subversionem Niniue, nisi vt illi prosint minæ, & Rex, populusque humilier se locum poscens pœnitentiæ & veniæ? *Nisi per Ionam denunciata fuisset subversio Niniue, periissent Ninivitæ*, inquit Sanctus Chrysostomus.

Quidam scripto vendunt animam.

Rom. 6.

Psal. 80. Esa. 19.

Deus minatur, vt homo terreatur.

Hom. 1 de pœnitent.

Peccator diaboli mancipium.

Sic igitur & de seruo hoc Evangelico possumus dicere, profuisse illi, quod ad rationem & calculum scuerè vocerur à Domino, quod minaciter ei intentetur omnis rei familiaris venditio, immò & vxoris & filiorum, sicut antiquitus moris erat deficiente debitoris substantia: *Ecce creditor venit vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi*, inquit vidua quædam ad Elisæum. Profuit hoc, inquam, ei ad recogitandum de debiti grauissima summa, ad humiliandum se, ad prosternendum se coram

Rege, da recurrendum ad eius clementiam, ad postulandam temporis prorogationem & patientiam, ad induendam sollicitudinem pro exsoluendo debito, quam antea sollicitudinem exuisse videbatur nihil minus cogitans. Sic multi in vtramque autem dormiunt, & in graui salutis socordia iacent, licet grauissimis Deo debitis obstricti sint, magis obnoxij reprehensioni, quam Iques ille Romanus, de quo in vita Augusti Imperatoris, qui cum millionibus auri obstrictus foret creditoribus, nihilominus & quietem securus captabat, & hilaris genio indulgebat. Cùm verò mox à morte tota suppellex subijceretur publicæ auctioni, vt creditoribus satisfieret, præcepit Augustus sibi emi puluillum eius cubicularem, ac mirantibus hoc præceptum respondit: *Aptus mihi erit ad somnum conciliandum puluillus hic, in quo ille tanto ære alieno obstrictus potuit suauiter dormire.* Nempè Imperator ob angentes & ingentes curas sæpè noctes ducebat insomnes, indicabatque mirati se quomodo non obstante obæratione adeò graui ille sic quieti indulgeret. Admiratione autem potius dignum est, quomodo peccator securam & socordem vitam degat, tanto prægravatus erga Deum debito, quodque sibi non magis cum sollicitudine advigilet, eius Tribunali & supplicio obnoxius. Si enim sollicitudinem induceret, & secum recogitaret de debito, mox etiam sese excitaret ad providendum de solutione aut remedio; facilioréque ipsi foret solatio quàm dum sternit & negligit. Vnde S. Chrysostomus alludens ad hunc locum Evangelicum sic dicit. *Tale est peccatorum debitum, vt si solliciti simus, ad soluendum leue sit. Si negligentes, erit grauissimum. Totam enim simul mergit debentium substantiam. Non curabant Sodomitæ debita, neglexerunt; quotidie neglectu crescente creuit debitum, repetitionis chyrographum auctum est: fœnora peccati aucta sunt. Aduenit tempus repetitionis, non erant soluendo Imperauit Dominus vt traderentur igni, & mulieres eorum, & filij eorum, & omnia quæ habuerunt in satisfactionem cederent.* Hæc ille. Noluerunt audire Sodomitæ monitionem Domini de reddenda ratione, nec comminationem eius, carcerem, ignem, & supplicium intentantis; non prostrauerunt se, nec ad clementiam eius refugium habuerunt: ideò venumdati vt facerent malum, & traditi in reprobum sensum, ignis incendio temporali & æterno mulctati sunt.

Suetonius.

Homil. de Sodomitis Tom. 1.

Qui non terretur, igni dabitur.

Prudentius autem se gessit seruus iste, qui vbi intellexit se vocari ad rationem reddendam, & vbi audiuit seueram sed veram & iustam sententiam illius cui erat obstrictus, illicò ad eius pedes supplex accessit, conceptamque voluntatem satisfaciendi cum humilitate & cordis gemitu expleuit. Vnde factum est vt non solùm temporis prorogationem, sed & debiti totius extinctionem protinus impetrarit. O inexpectatam bonitatem & misericordiam! De ea agens Sanctus Chrysostomus dicit: *Vidisti misericordiam Domini? Ille procidit, supplicat, orat, vt longius sibi tempus præfiniatur: Patientem habe in me & omnia reddam tibi. Sed bonus Dominus, misericors nostrique curam gerens: supplici benevolus, non solùm quantum petit, sed etiam quantumve cogitare quidam ausus fuit, dedit.* Non absimiliter Pater erga prodigum se gessit, quia dum culpam agnosceret, & cum confusione optaret esse mercenarius, non solùm receptus est paterno amplexu & osculo vt filius, sed etiam stola prima, veste nobilissima, annuloque aureo & radiante est ad ornatus; insuper lautissimo conuiuio, melodiaque suauissima est honoratus. Sic verum est illud S. Ambrosij: *Vberior est gratia quam precatio; semper enim Dominus plus tribuit quam regetur.* Illud quoque eiusdem lib. 2. de pœnitentia cap. 8. quàm verum sit hic considerare possumus: *Plura soluendi habet subsidia qui Deo quam qui homini debet. Homo pecuniam pro pecunia repescit, qua non semper debitori præsto est. Deus affectum exigit: qui in tua potestate est. Nemo pauper est qui Deo debet, nisi qui sepsum pauperem fecerit. Si non habet quæ vendat, habet quæ soluat. Oratio, lacryma, ieunia, census est vberior quàm fundi pretia, Solue vel boni affectum debitoris, & satis est.* Ita S. Ambros.

Luc. 15.

Dei benignitas erga pœnitentem.

Hic etiam patet quàm meritò hanc precationem Domino offerat Ecclesia in publico officio: *Deus qui abundantia pietatis tuæ & merita supplicum excedis & vota, effunde super nos misericordiam tuam, vt dimittas quæ conscientia metuit: & adiicias quod oratio non præsumit.*

Hom. 28. in Gen.

FEliciter seruus ille suum gesserat negotium apud clementem Dominum, si non fuisset è vestigio oblitus gratiæ sibi ab illo impertitæ, in conseruum sibi debitorem crudelis & inhumanus, in Benefactorem vt Regem ingratus. Quapropter de illo subijcitur: *Egressus seruus ille vnum de conseruis suis inuenit, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes. Et procidens conseruus eius rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed misit eum in carcerem.* Singulæ hic circumstantiæ dignæ sunt consideratione, eiusque augent inhumanitatem & ingratitudinem.

PARS II. *De inhumanitate serui in conseruum.*

Diuersa in hoc seruo consideranda.

Primò quidem notatu dignum est, quod dicitur *seruus ille egressus.* Vnde egressus? E domo Domini sui & à facie Regis sui. Quamdiu in eius domo, & coram facie ipsius egit, humilis fuit & timoratus, supplex & modestus, ad eius genua procidit, fleuit, orauit, omne specimen pietatis exhibuit: agnouit miseriam suam, agnouit & gratiam ipsius sibi necessariam. At vbi egressus est, immitis cernitur & immisericors, crudelis & inhumanus, insolens & arrogans, impius & iniustus, quamuis pallio iustitiæ suam conetur cooperire insolentiam & inhumanitatem, dum dicit suffocans: *Redde quod debes.* Non absimiles huic censentur etiam hoc tempore nonnulli, qui (vt dici solet quodam apud vulgus proverbio.) In templo, & domo Dei videntur Angeli, in foro & propria domo sunt velut diaboli. Scilicet in domo Dei apparent humi-

Multi huic seruo similes.

humiles, devoti, pœnitentes, oculos in cœlum cum pietate elevantes, pectus cum compunctione percutientes, cum gemitu orantes, in Sacrificio frequentes & perseverantes, in Dei verbo audiendo diligentes: At in foro sunt contentiosi, in platea detractores & contumelioſi, in negotio doloſi, in officina fraudulenti, in agro rapaces, in tribunali cygrides & immites, in domo rixoſi & impatientes, iracundi & intolerabiles; in servos geruntse ut leones, in conservos ut lupi. An non invenire est tales modò, tam inter mulieres, quàm inter viros? At nunc illa subita mutatio, quod aliter se gerant in templo & Dei domo, & mox aliter in domo propria vel in foro: Quia scilicet, sicut servus ille de quo agimus, egressi à domo Domini sui etiam à facie eius, egrediuntur. Si præsentem sibi faciem Domini cuncta cernentem considerarent, ubique locorum humilitatem, manſuetudinem, modestiam, justitiam, veritatem, puritatem observarent. Egrediuntur utique à Deo illi qui pii erga Deum videri volunt, & tamen ubi repererint conservum cum quo eis est negotium, immites inveniuntur & inhumani. Vnde argute dixit Theophilactus de hoc servo, *Egressus servus qui veniam obtinuerat, strangulat ac premit conservum. Nullus enim qui in Deo manet compassionis est expers, sed ille egressus erat, & à Deo nunc alienus erat.* Verè egressus erat, qui non solùm Dei & Regis sui, verùm etiam tantæ gratiæ perceptæ confestim oblitus erat. Omne initium peccati nascitur ex oblivione Dei. Sed & proprium est impiorum & crudelium egredi à facie Domini; Nam de Cain testatur sacra scriptura, quod à facie Domini sit egressus. Et de Diabolo qui caput est impiorum idem legimus. *Egressus est Satana à facie Domini.* Felix qui semper apud Dominum manet, omniumque actionum suarum facit eum arbitrum, & credit inspectorem; non potest non reperiri, & apud Deum pius, & apud conservum benignus.

Initium peccati ex oblivione Dei Gen. 4.

Iob 1.

2. *Secundo*, consideratione dignum est, quod exiguum foret debitum comparatione debiti sibi dimissi, centum scilicet denarii comparatione decem millium talentorum (centenarius nonnisi centesima pars est decem millium) & quod à conservo deberetur, sive ab eo qui pari servitutis conditione tenebatur, & quod is humillimè procideret ad pedes eius. Attamen his omnibus nihil planè moveturad compassionem, expers sanè non solùm charitatis, sed humanitatis omnis. Nam vel id solùm quod conservus ad genua & pedes eius procideret, eum commovere debebat, & misericordiæ commonere. Hoc enim omnium gentium more ad misericordiam quantumlibet barbaros solet flectere. Nec hoc debebat servus à conservo expectare quia suppliciter gentibus advolvi, & ad illa manus tendere, est quadam ratione velut ad aram confugere, & ad illam adorare. Nimis ergo humiliat se ille erga conservum, sed ad id cogitur: quia inquit humanis & blandis verbis eum ad gratiam pellicere, decet extrema remedia tentare.

Sic cum Aristippus Philosophus apud Dionysium Tyrannum ageret ad obtinendam pro quopiam gratiam, & post disertum cum eo sermonem nihil obtineret, ad pedes eius seſe projecit illis inhærens donec impetraret. Cum verò ea de re ab altero Philosopho reprehenderetur, quasi talis provolutio non deceret Sapientem, sapienter respondit: *Non sum in culpa sed Dionysius, quia non habet aures Dionysius nisi in pedibus.* Sic existimavit conservus hic procidens quod saltem conservus eius aures haberet in pedibus: eumque genua misericordiæ consecrata censeantur, existimavit se repulsam haud passurum post advolutionem adeo supplicem. Sed cùm viscera induisset crudelia, etiam frontem, & dexteram, & genua, & pedes habuit immisericordes. Nam efferata fronte conservum tenebat, dexterâ suffocabat, gemitibus & pedibus propellens in carcerem trahebat. O immitem & inexorabilem!

Multi habent aures in pedibus.

Tertiò consideratione dignum est, quod iisdem verbis, eadem precatione, eadem prostratione apud eum gratia exigitur, qua recenter apud Dominum suum gratiam & totius debiti sui relaxationem fuerat consecutus. Nam procedens conservus eius rogabat: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Sed nec hoc ferrea eius emollit viscera, ut saltem temporis prorogationem indulgeret. Qua de re sic loquitur S. Chrysostom. *Nec verba quidem ipsa veritus est servus quibus salutem est consecutus, his enim ipse dictis, Patientiam habe in me & omnia reddam tibi, decē millium talentorum debitum evasit. Ita, ne portum quidem cognovit quo tutatus à naufragio evasit, nec modus ipse supplicationis admiserit cordis Domini memoriam eum reduxit.* Attendere debuerat illud *Intellige qui sunt proximi ex te ipso.* Quid proximo præstare debebat, non aliunde quærere necessum erat, quàm ex seipso, ex remissione enim sibi data satis potuit intelligere, quomodo ergo conservum supplicem se debebat gerere. Et certè non æquali de re supplicabat, cum pro talentis ipse decem millibus, hic autem pro centum supplicaret donatiis; eum Domino ipse supplicaret, hic autem conservo se prosterneret; nec tamen talem se exhibuit conservum, qualem ipse invenerat Dominum.

3.

Hom. 58.

Ecclī. 31.

Meritò ergò vocatur servus nequam, qui sic se gerit durè erga conservum. Sed quare nequam appellatur, quandoquidem ius suum prosequatur & solliciteт negocium suum, repetens quæ sua sunt nihil quærens alienum:

Nequam servus dicitur ob multas causas.

1. Quia *Suffocabat tenens eum.* Quo quidem loquendi modo indicatur superba & tyrannica debiti exactio, quæ fit quando vel per vim vel per asperam obiurgationem ita debitor opprimitur, & quasi strangulatur, ut vix respondendi aut excusandi se habeat facultatem.

2. Quia propria auctoritate trahebat ad carcerem, ut vinculis, ærumnis, pudore eum conficiat,

& undique coarcter, & ita pecuniam extorqueat, vel saltem se se de eo vindicet.

3. 3. Quia cogit eum qui solvendo non erat, bonamque voluntatem satisfaciendi cum gemitu & obsecratione exprimebat, temporis solummodò petens prorogationem.

4. 4. Quia ingratitudo ipsum nequitiæ arguebat & condemnabat, recentissimè tanto affectus beneficio, illud oblivione obliterarat; quodque exinde insolentior factus fuerat in consodalem, eius deprecatione non solum non provocatus ad commiserationem, sed magis ad iracundiam & arrogantiam excitatus. Multis igitur titulis servus iste appellatur *Nequam*.

Meritò etiam de eo conquesti sunt alii servi apud Dominum, contristati valde dum conspicantur talem crudelitatem, adeoque cæcam ingratitudinem in conservo. Etenim veri Dei servi non possunt non mœstitia & dolore affici, dum aliorum scelera intuentur; non possunt non incitari spiritu, dum charitatis legem vident proculcari. Vnde horum unus dicebat: *Vidi prævaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Non possunt non compati super contritione Ioseph, hoc est super calamitate fratrum suorum & super eorum oppressione. Propterea zelo zelantur contra impios divinæ legis & gloriæ prophanatores, charitatis fraternæ violatores, pauperum & inopum oppressores. Vnde hæc repræsentant Domino, non tam accusantes, quàm aliena peccata plangentes: & quia corrigere ea & impedire non valent, eorum correctionem Domino committunt.

Conservi duplices. Duplices igitur hic intelligi possunt conservi illi, qui contristati narraverunt Domino quæ facta sunt.

Imprimis Angeli, qui nobiscum servi sunt, & *administratorii spiritus propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*, ab Apostolo vocantur. Hi quodammodo contristantur peccatis nostris ob curam quam gerunt nostræ salutis sicut & gaudent de pœnitentia & bonis operibus; sunt enim ofores mali, amantes boni. Et quia semper vident faciem Patris, & omnia nostra intuentur, illa annunciant Domino; non quasi aliquid eum lateat, sed quia congratulantur bonis nostris operibus coram Deo, & pro malis operibus petunt justitiam, ut Deus subveniat oppressis. Sunt enim & ipsi vindices in eos qui operantur iniustitiam & legem Dei propudiant. An non Angelus in Exodo primogenita Ægyptiorum extinguit in pœnam oppressionis Hebræi populi, & extinctionis filiorum eius; An non Angeli quidam in Apocalypsi tenent ventos ne flent super terram, ut impios aeris plectant corruptione, & exinde morbis & ærumnis? An non & ipsi tenent phialas vindictes, Dei iram continentes, & eas effundunt super terram, mare, aerem, solem, ad vindictam scelératorum? Propterea etiam nonnulli existimant Angelum Persarum, dum resistebat Gabrieli volenti populum educere è captivitate, egisse partes vindicativæ justitiæ.

1. *Angeli Hebr.* 1.

Exod. 12.

Apoc. 7.

Apoc. 16.

Dan. 10.

Alij conservi, qui contristati narraverunt Domino quæ facta sunt, homines justi possunt intelligi, qui ut iam diximus, coram Deo lamentantur & conqueruntur ex zelo justitiæ de oppressione fratrum suorum, Nec Deus parvipendit eorum suspiria & querimonias. Propterea dicitur: *Deus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiã habebit in illis? Dico autem vobis, quia cito faciet vindictam illorum.* Sic apud Deum conquerebatur Propheta Abacuc, quasi narrans Domino suo quæ nequiter fieri conspiciebat: *Quare taces impio conculcante iustiorem se, & facies homines quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem: Quia impius prævalet adversus iustum, propterea egreditur iudicium perversum.* Et hos quidem conservos tandem audit Deus, vindictam immittens in oppressores.

1. *Homines iusti.*

Luc 18.

Abac. 1.

Sic orabat cum populo suo S. Basilius contra Iulianum Apostatam, populi Dei persecutorem & oppressorem, qui funditus evertere cogitabat Religionem Christianam; tanquam servus contristatus valde repræsentabat Domino servi huius nequam impietatem execrandam. *An non faciet Deus vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte? Dico vobis quia cito faciet.* Etenim illo perseverante in ieiunio & oratione triumdierum cum clero & plebe, effusus est eius visione S. Mercurius Martyr, qui Cæsareæ colebatur, procedens cum lancea & armis suis ad necem Iuliani bellum gerentis contra Persas: sicque è cœlo transfixus impius Imperator occubuit. Pestmodum lancea ad sepulchrum S. Martyris appensa, tota sanguine madens est inventa. Atque è cœlo hanc vindictam procedere agnouit ipse Iulianus præfurore inclamans in Christum, *Vicisti, Galilæe, Vicisti.* Et cava manu sanguinem suum excipiens, in cœlumque iactans rursum exclamabat: *Saturare, Nazarene, saturare.*

Exemplo De Iuliano Apostata.

Sic etiam in oratione peroctabat clarus pietate Canonicus Magdeburgensis Fredericus, repræsentabat Episcopi sui Vdonis coram Domino incestam vitam, querimoniamque deponebat de gravissimis & publicis enarisinde scandalis. *An non faciet Deus vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte? Dico vobis, quia cito faciet.* Iam tribus noctibus continuis monitus erat cœlesti voce: *Fac finem ludo, quia satis lusisti Vdo*; sed surdis auribus vox cœlica insonuerat. Nocte igitur, qua orabat Fredericus in Ecclesia Cathedrali S. Mauritii, ecce ventus vehemens cuncta extinxit subitò luminaria, ingredientibusque duobus adolescentibus cum facibus ardentibus in manu; ac subsequentibus aliis duobus, qui Sedilia duo disponerent cum tapete pretioso ante aram primariam, simul affuit qui gladio evaginato inclamaret: *Omnes Sancti Dei, quorum reliquiæ hic sunt, surgite ad iudicium.* Mox Christus & Maria sederunt

De Vdone Episcopo.

sederunt in Thronis ibi positis, cincti choro Apostolorum & Virginum. Accessit autem S. Mauritius cum Martyribus sociis, quibus Ecclesia illa sacra erat; & querimonia deposita de Vdone avulsus est decreto Iudicis à latere concubinæ. Cumque nihil accusationi posset respondere, coram Altari capite plexus est, pavimentumque admirabiliter fuit respersum eius cruore. Nota est historia ex Nauclero, & aliis passim.

Conformiter itaque conquesti sunt conservi, de quibus agimus, de conservo crudeli, ingrato, immisericorditer alterum suffocante, ignominiosè & violenter in carcerem protrudente ob pecuniam exiguam, post perceptam à Domino gratiam eximiam. Sed numquid hæc etiam nos quotidie cernimus, & parum indolemus? Numquid etiam hodie verum est illud: *Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & trahunt ad iudicia?* Quam sevent sint nonnulli creditores, patet ex oppressione multorum per lites & tribunalia, ubi tot suffocatores se impendunt, tot sanguisugæ, tot devoratores & spoliatores, ut non cessent, donec totum exhauserint; & tunc adhuc carceres intendant ad incrementum ærumnæ. Vnde pauperes de divitibus rectè dixerunt illud, quod apud Poëtam dicunt timidæ Damæ:

Vsque hodie pauperes opprimuntur. Luc. 2.

Dente timetur aper, defendunt cornua cervum,
Imbelles Damæ, quid nisi præda sumus?

Hoc tamen hic etiam dicendum, nonnullos debitores suæ sibi esse causa ruinæ, & occasionem dare litibus & tribunalibus, per quæ exhauriuntur, coactis penè ad id creditoribus. Liberæ debita contrahunt, postmodum vix eis est cura solutionis: debita debitis cumulant apud diversos creditores fraudulenter, decipiunt, mentiuntur, multa dicunt, & non faciunt. Tempus assignat certum solutioni, iurant, peierant, cum sciant sibi tunc ad solvendum media non fore; damnumque exinde creditoribus proveniat necesse est. Postmodum, quando urgentur, inclamant: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*; cùm nec solvendi voluntatem habeant efficacem; nec eis, uti decet, res sit cordi. Nec enim quicquam volunt imminuere de statu, quem per iustitiam erga creditores acquisierunt, nec de sumptu & expensis immoderatis, nec de conviviis & societatibus impendiosis: nec de ludis aut vestibus sumptuosis: nec mobilia aliqua alienare, è quibus sine gravi dispendio partem debitorum possent exsolvere. An non ergo hi merito trahuntur ad iudicia.

PARS III. *De increpatione Domini in servum ingratum. Consideranda.*

Sed prosequamur, & videamus increpationem severam Domini erga servum illum ingratum & immitem. Vocavit igitur eum, & dixit: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me, nonne oportuit & te misereri conservi tui?* O verbum asperum! Felix qui ab illo liberatur. Attende singula. Primò quidem, dum dicit: *Serve nequam*, conditionem servilem videtur ei exprobrare, quia non se ingenuum, sed servum vilem exhibuerat: talis crudelitatis opere. Et nequam servum dicit, arguens eius consentiam & malitiam, quia se gessit sine æquitate, sine misericordia, sine benignitate, quam tantam expertus fuerat prius ad imitationem. Et quidem antea, cùm præsentaretur ei tamquam debitor decem millium talentorum, non exprobravit ei servitutem, non exprobravit nequitiam aut improbitatem, non exprobravit beneficia à se collata; quæ omnia ei nunc exprobrat ob iniuriam conservo illatam. Vbi advertunt SS. Patres, licet peccata in Deum commissa graviora sint quàm quæ in proximum committuntur, tamen Deum magis appendere & ponderare quandoque peccata in proximum, quàm in se commissa, illaque citiùs & gravius hic plectere & exprobrare.

Deus peccata in proximum graviter punit.

Offenderat in Deum graviter Adam, eius unicum expressum præceptum ea levi de causa transgrediens: at licet puniat eum Deus, non tamen maledicit, sed terræ maledicit propter eum: *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* *Gen. 3.*

Peccavit in fratrem suum Cain invidus & crudelis, ecce illi gravius irascitur Deus, maledictionem in ipsum intorquens: *Maledictus eris super terram.* *Gen. 4.*

Peccaverat populus Idumæus Esau per idololatriam & per alia peccata divino honori derogantia, quia populus infidelis erat æternis dignus pœnis. Attamen quasi hæc omnia in se peccata dissimularet Deus, dicit eis: *Propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob operiet te confusio, & peribis in æternum.* *Abdiæ 1.*

Peccabat Pharao infidelis in Deum gravissimè, quia nec eum ut Deum agnoscebat: interim non punit eum Dominus, donec opprimit filios Israël crudeli afflictione. Eorum enim clamorem de pressurâ exaudit, & Pharaonem cum Ægyptiis eos persequentem submergit, ob crudelitatem in proximum potius, quam ob peccata in Deum. Attende hæc, quicumque parvi æstimas in proximum peccare, sive odio & vindictâ, sive oppressione & iniuria: Deus enim fratris tui vindex est severus. *Exod. 14.*

Secundò expende, quod dicit Dominus huic servo: *Omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me.* Omne debitum, inquit, adeo scilicet numerosum, quia decem millia; adeo ponderosum, quia tenta, dimisi tibi sine merito tuo; dimisi tibi liberaliter sine interveniente satisfactione ulla, dimisi tibi, non quia aliquis mihi importunus fuit intercedens pro re, sed quia rogasti me. Ad primam tuam humiliationem & simplicem precem non solùm dilationem dedi, quam petieras, sed etiam omnem gratiam feci ac te nec exspectatam; & id quidem, ut te ad gratitudinem erga me ipsum, & ad pietatem similem erga proximum excitarem. Itane ergo oblitus es mei, oblitus es tui, oblitus es proximi, oblitus es debiti tui & misericordiæ tibi impensæ? Quod si non es oblitus, nonne oportuit te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? Nonne debuisti intelligere quæ

Nota 1.

sunt proximi, ex teipso? Nonne debuisti intelligere ex meipso? Sed meo etiam prævio provocatus beneficio, non solùm non relaxasti debitum supplicanti, sed ne quidem dilationem indulsisti, insuper supplicem repudians afflixisti, oppressisti. Hic adverte, quod Deus non det dimidiatem remissionem debitorem, si spectemus culpam, omne enim peccatum mortiferum remittit. Quapropter dicit peccatori pœnitenti. *Omne debitum remisi tibi, quia rogasti me.* Debet tamen prius agnoscere & confiteri omne peccatum mortiferum peccator, & pro illius dimissione ex cordis compunctione rogare: sicut debuit iste servus prius subire calculum, & numerare debitum suum, quod in speciali agnovit & confessus est esse decem millium talentorum, antequam ei fieret remissio.

Deus fraternam charitatẽ exigit.

Luc. 21.

Adverte quoque, eam Deum exigere à nobis misericordiam & dilectionem, quam impendit nobis, ita ut eius misericordia nostræ debeat esse exemplar & stimulus misericordiæ. Vnde hic ait: *Nonne oportuit te misereri, sicut & ego tui misertus sum?* Propterea etiam dicit Petro: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* An non aperte hic cernis & discernis, à Petro eandem erga alios gratiam expostcere Dominum, quam ipsi antea impendisse dicit? Rogavit pro firmitate eius in fide, idem vult ut fratribus postmodum exhibeat, memor divinæ erga se gratiæ, memor commendatæ charitatis fraternæ. Quocirca hæc Domini verba interpretans Theodoretus, sic dicit: *Sicut ego te non destexi, cum fluctuares & labares: ita tu quoque sis sustentaculum fratribus, qui circumaguntur, & idem quod ex assecutus, imperti auxilium.* Sic etiam S. Paulus sciebat se aliis debere zelum & omnem laborem ac auxilium ad conversionem, quia sciebat speciali ope Dei se conversum, *ad informationem eorum qui crediturí sunt*, ut loquitur ipse. Propterea etiam S. Ioannes, qui Discipulus erat quem diligebat IESUS præ cæteris, cum sibi hanc divinitus gratiam contigisse sciret non ex merito suo, etiam dilectionem ferventissimam fratribus rependere satagebat ad imitationem dilectionis divinæ erga se. Ideo in Epistolis suis jugiter inculcat dilectionem, sic fiebat ut plus amaret, qui plus amabatur: & qui primus erat in Redemptoris amore, præcipuus fieret in fraterna charitate. Itaque cum quadam obligatione in nos veniunt Dei dona, ut similia scilicet quantum in nobis est; refundamus in proximos.

1. Tim. 1.

Nota 3. Crudeliter crudeliter exactabitur.

Tertiò attende, quia suam non agnovit servus iste gratiam & obligationem, sed ingratitudine & incredulitate Dominum irritavit; ideo conjici jubetur in carcerem, & tortoribus tradi, quoad-usque redderet novissimum quadrantem. Sic adimpletur illud: *Iudicium sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam.* Adimpletur & illud: *Per quæ quis peccat per hæc & torquetur.* Peccavit servus iste propter debitum crudeliter exactum, & propter immissionem conservi in carcerem: punitur & ipse carcere propter debitum, & torquetur. Sic quia fratres Iosephi ipsum oppresserant & angustiarant, etiam ipsi in Ægypto gravem patiuntur angustiam. Quod ipsum agnoscùs se promeruisse, dum dicunt: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, & non audivimus vocem eius, dũ deprecaretur nos: En sanguis eius exquiritur.* An non eandem vocem potest servus iste coarctatus carcere usurpare, & dicere: Merito hæc patior, quia peccavi in fratrem meum, & non audivi vocem eius, dum deprecaretur me? En sanguis eius exquiritur, quem exsugere visus sum vinculis & carcere. Sic etiam quia Pharao aquis suffocabat pueros Israeliticos, in aquis jacet suffocatus. Et quia Achab & Iezabel crudeliter enecarant Naboth, in loco in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, linxerunt & sanguinem Achab. Hanc Dei iustam ordinationem agnovit etiam Adonibecec, cum comprehensus fuit & ei pedum manuumque extremitates præcisæ fuerunt, dicebat enim ipse: *Septuaginta Reges amputatis manuum & pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, sic reddidit mihi Dominus.* Iustè igitur à servo immisericordi crudeliter exigente à conservo debitum; exigitur sine misericordia debitum etiam suum, & quidem quoadusque reddat debitum universum, traditur tortoribus.

Gen. 44.

Exod. 14.

3. Reg. 22.

Iudic. 1.

De reddendo universo.

Sed quomodo redderet universum; Vnde illi supperetret, quandoquidem in carcere illo, in quem servum debitorem decem millium, hoc est, peccatorem conjicit Deus, omnis moneta sit reproba: Ibi nihil amplius valent lachrymæ, nec pœnitentia, nec opera satisfactoria, nec ipsius Christi aut Sanctorum mutuata merita. O igitur infelicem eo in loco eoque in tempore debitorem! Ideo nimirum dicitur tortoribus, hoc est malignis spiritibus, tradi cruciandus, donec universum reddat, quia perpetuò est cruciandus, nunquam enim est redditurus, sicque numquam è carcere redditurus. Vnde Theophylactus hac de re sic loquitur: *Quisque reddat quod debebat, hoc significat quod tamdiu punietur donec reddat, numquã autem reddet quod debebat: semper ergo punitur*, Pete à Cain, qui in fratrem fuit crudelis, & propter peccati mortalis debitum in carcerem est detrusus à tortoribus cruciandus: pete, inquam, quid jam solverit à sex annorum millibus, quibus in carcere fuit detentus? Ne hilum quidem ex debito ei est dimissum, quia non habet pecuniam valoris alicuius ad solvendum: & ibi omnis deprecatio inutilis est ad gratiam conciliandam apud creditorem. Sed etiam post millia millium annorum non plus exsolverit, quàm primo ingressus sui momento: ergo in æternum est sine misericordia cruciandus; sic & alij similes ipsi, similes & huic servo debitores. Aperi ergo hic mentis oculos, quicumque erga fratrem immitis

Luc. 12.

Rom. 11.

es,

es, & debitor erga Dominum, quicumque odio, invidia, vindicta animum geris obfirmatum & obcæcatum. Aperi & aures, audi quod sequitur, audi Domini conclusionem.

Parabolæ scopus.

Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Hic est parabolæ scopus, ad quem primariò tendit hic Domini sermo. Interrogat enim Petrus: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies?* Dixit illi Iesus: *Non dico tibi, vsque septies, sed vsque septuagies septies*, hoc est, quadringentis nonaginta vicibus, inquit S. Hieronymus: hunc enim numerum efficit septuagies multiplicatum septies. Vel subintelligi potest coniunctio, vt idem sit quod septuagies & septies, sicut accipit S. Augustinus ser. 15. de verb. Dom. Ponitur autem numerus determinatus pro indeterminato, & significatur toties parcendum, quoties peccarit. Alluditur verò ad illud: *Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies.* Hoc est, grauiter punietur Cain, at longè grauius Lamech: est enim mos loquendi Hebræis familiaris, vt numerus septenarius sit numerus multitudinis, numerus septuagenarius septimus sit quasi numerus immensitatis. Quia porrò Petrus, quoties parcendum foret, interrogarat, Dominus ex occasione hanc parabolam subiecit, ostendens quàm grauiter puniendus sit, qui non parcit, exemplo serui in conseruum crudelis, à Domino condemnati: additque hanc formidandam Conclusionem: *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

Ignoscendum proximo.

In verbis Christi considerando

Vbi imprimis ponderandum, quod dicit, *Pater meus*: non dicit, *Pater vester*, quia indigni sunt quorum Pater vocetur, qui in fratres inueniuntur immites & crudeles. Ponderandum etiam, quod dicit, *Vnusquisque fratri suo*, quia vel solus titulus fraternitatis indicat obligationem condonandi, & charitatem ostendendi in eum, qui eundem Patrem nominat in cœlis, eandem Matrem in terris, eiusdem Matris Ecclesiæ vtero portatus, eodem lacte potatus, eodem pane cœlico nutritus, eodem sanguine redemptus, eodem spiritu adoptatus, ad eandem hæreditatem vocatus, ibidem amoris fraterni vinculo æternum sociandus. Denique ponderandum, quod remittendum dicit *de cordibus vestris*, quibus verbis omnem simulatam vel imperfectam reconciliationem excludit, quia nonnulli aliud ore, aliud corde gerunt importunitate rogantium victi, vel quia à Sacramento confessionis arceri timent, pacem magis simulant, quam faciunt: opportunum enim tempus vindictæ exspectant, vel radicem amaritudinis rursum germinant. *Psal. 11.* Eccli. 28.

1. 2. 3.

Ex corde remissio fieri debet.

Lib. 1. de Compunct.

Ni seruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Vt autem cognoscas, quàm perfecta, quamque de corde debeat esse remissio, audi S. Chrysostomum. Christus non solùm vult nos ignoscere delinquentibus, sed vt etiam amemus eos, & vt oremus pro ipsis. Nam si dum stat, non lædis eum, qui te læsit, avertas te tamen ab eo, nec libenter eum videas, manet sine dubio vulnus in pectore, & dolor augescit in corde. Quod si ita est, nondum quod Christus mandauit, impletur. Numquid tu ita vis propitium tibi fieri Deum, vt non quidem te lædat, avertat tamen se abs te, & peccatorum tuorum memoriam gerat, & te videre nolit? Igitur qualem vis esse erga te Deum, cùm delictorum veniam poscis, talem te exhibere debes his, qui in te deliquerunt. Hæc ille. Cuius sententiam vtinam illi attenderent, inter quos semper manet vulnus vel cicatrix post offensam. Felix qui potest cum Sancto Bernardo de Quinta valle primo Sancti Francisci socio gloriari, se post offensam magis diligere eum qui offendit, quàm antè. Dicebat enim moriens Fratribus suis: *Considerate, Fratres, quod statum quem ego habui, & vos habetis, & quem ego nunc habeo, vos habituri estis: inveni autem in anima mea, quod pro mille mundis istis aqualibus nollem non seruisse Domino Iesu Christo. De omnibus offensis, quas feci Salvatori & vobis, me accuso, & dico culpam meam grauissimam, quoniam non fui verus Frater Minor, nisi in tentationibus, in quibus semper me tenuit Dominus. Et in vno alio solo extitisse Fratrem Minorem me reperio, videlicet quod plus dilexi fratrem post offensam, quàm antè. Rogo autem, vt pro me devotè oretis, sed magis rogo, vt vos invicem diligatis, quemadmodum exemplum dedi vobis.* Ita Annales Minorum an. 1241. Hæc vltima fuit & secuta vox & oratio morientis.

Sic etiam securè moriebatur ille, de quo in vita S. Anastasij Synaitæ, qui cùm in monastica professione negligentissimè vixisset, vltimum tamen trahens spiritum nihil perhorrescebat, sed gaudio profundebatur. Cui cum vnus ex astantibus Patribus diceret: *Quid est Frater, quod ita securum te exhibes, cùm sciamus omnes te magna cum negligentia in vocatione religiosa vitam exegisse?* Respondit ipse, Ita est, Patres mei, sed Angeli Dei hac ipsa hora peccatorum meorum chyrographum mihi attulerunt, rogaueruntque num agnoscerem peccata ibidem inscripta, quæ, postquam renunciassem sæculo, admiseram, Et dix: *Agnosco equidem, sed ex quo renunciaui sæculo, non iudicaui quemquam, nec ab vllo fœdam mihi iniuriam meminisse, volui, igitur Domine verba ad me pertinere opto & oro: Nolite iudicare, & non iudicabimini; dimittite, & dimittetur vobis.* Hæc vbi Angelis dixi, chyrographum peccatorum meorum conscideruntque. & exinde cum securitate & lætitia proficiscor ad Dominum. Hæc vbi enarrauit, in pace spiritum reddidit cum magnâ Fratrum ædificatione.

Baron. tom. 8. ad ann. 39.

Conclu-

Conclusio.

CONcludamus, & pro more ad Dominum vota conuertamus. Obsecramus ergò te, Domine Iesu Christe, qui es Rex noster & Homo Rex, volens ponere rationem cum seruis tuis, vt decem millia talenta, quibus tibi obstringimur, non exigas seuerè, sed patientiam habeas in nobis, & compatiaris miseriæ nostræ & inopiæ. Facilè etenim debita grandia contrahimus apud te, interim soluendo non sumus de substantiâ nostrâ. Nisi de thesauro infinito meritorum tuorum nobis benignè conferas, nisi misericordiam abundè impendas, perimus, & æternum carcerem subire necesse est. Sed secundum tuum promissum remitte nobis debita nostra, quia & nos ex corde remittimus omnibus, qui nobis obstricti sunt. Nullius iniuriæ memores esse volumus erga conseruos, vt & tu obliteres peccatorum nostrorum omnium è libris tuis memoriam. Cur rigidè exigas ab illis, qui non possunt respondere vnum pro mille coram te seuero Iudice? Esto ergò nobis Pater, non Iudex, & inter nos fratres pacem & concordiam fac adeò perfectam fouere, vt cum mutuò amamus & parcimus, tuum etiam amorem & misericordiam impetrare valeamus.

Lect. 34 quadripartita.

DOMIN. XXII. POST PENTECOSTEN.

Licet ne censum dare Cæsari, an non?
Matth. 22.

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei, Deo.

PARS I. *De malitia Pharisæorum Christū accedentium.*

SIudas in Epistola sua specialiter maledictioni subjacere asserit triplex genus hominum, siue triplex genus peccati, quod in quibusdam hominibus reperitur, quia scilicet imitantur Cain, imitantur Balaam, imitantur Core: *Væ*, inquit, *his qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.* Pharisæi autem, siue discipuli Pharisæorum, (de quibus nostrum Euangelium) rectè censeri possunt de numero illorum, quibus Sanctus Apostolus Iudas væ & maledictionem minatur. In primis quia viam Cain secuti sunt, dum abierunt vt consilium caperent aduersus Iesum; fraternum enim odium eos induxit ad hoc consilium captandum. Proposuerat eis Dominus parabolam de Patrefamilias, qui vineam suam locauerat agricolis, vt fructum redderent tempore suo: sed illi seruos à Domino missos interfecerant, & nouissimè Filium familias ad se missum agnoscentes dixerant: *Hic est hæres, occidamus eum, & habebimus eius hæreditatem.* Post hanc parabolam interrogarat, quid facturus esset Dominus colonis illis? Matt. 22. Cui ipsi responderant sua se voce damnantes: *Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis.* Subiunxerat autem Christus: *Sic auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Itaque cognito quod ad illos direxisset similitudinem, optabant in illum manus mittere sed timuerunt populum. Inuidia igitur & odio obstinati quærunt aduersus eum consilium & occasionem ipsum perdendi propter veritatem sibi apertè dictam, quam ægrè ferebant mente excæcati. Sic & Abel, vt Chaldæus Paraphrastes docet in cap. 4. Geneseos, ideò à fratre Cain occisus est in agro, quia aperte defendit contra illum veritatem de Dei prouidentia & æquitate, de iudicio extremo, de mercede bonorum, & malorum vindictâ. Vnde sic habet dictus Paraphrastes Chaldæus: *Cùm egressi essent ambo in agrum, dixit Cain: Non est iudicium, non est Iudex, nec merces bonæ pro iustis, nec pœna pro impijs, nec de misericordia creatus est mundus.* E contra Abel fratrem reprehendens, hæc omnia esse asserit, & illorum veritatem defendit; ideò in illum insurrexit Cain inuidiâ iam antea excæcatus. Non absimiliter igitur se cum Christo gerunt hi Pharisæi, & in viam Cain abeunt, propter inuidiam, & propter veritatis vocem, consilium aduersus veritatis Auctorem quærentes. Abierunt igitur a luce veritatis ad tenebras malignitatis; a salutari concione, in qua dabat eis Dominus consilium vt fugerent à ventura ira ad consilium infidele, quo opprimere possent ipsum veritatis Auctorem. *Væ ergò illis, quia in via Cain abierunt.*

Cur Cain in fratrē insurgens illum occiderit.

Pharisæi sunt imitati Cain

Viterius, viam & errorem Balaam imitati sunt hi discipuli Pharisæorum, quia consilio inito missi sunt ad Christum maledictioni exponendum: vt aliquod daret ad quæstionem propositam responsum. Si enim responderet Cæsari tributa esse soluenda, maledictionem à populo incurreret, qui prætendebat libertatem; si verò negaret tributum soluendum, iam ab Herodianis siue militibus Herodis maledicendus erat, & comprehendendus, quia hisce tributis hi aduigilabant, vt soluerentur Cæsari. Et sicut error Balaam fuit spes mercedis & lucri, si malediceret Israëli, quam mercedem sperabat à Balac Rege Moabita & hi discipuli Pharisæorum & Herodiani in impium consilium se perduci siuerunt spe mercedis accipiendæ a Pharisæis, si eum capere possent in sermone. Sed sicut Balaam mercede deceptus, & prauo inductus consilio nihil profecit, nec potuit maledictionem Israëli dare, sed coactus est maledictionem in benedictionem vertere; sic & hi Pharisæorum discipuli, & iunctim Herodiani nihil profecerunt; quin imò coacti sunt maledictionem in benedictionem vertere; quia coacti sunt recedere admirantes super responso & sapientiâ Christi. Væ ergò illis, qui ad prauam machinationem *errore Balaam effusi sunt.*

Balaam.

Denique, viam & contradictionem Core imitati sunt Pharisæi, dum consilia pessima moliuntur contra Christum. Quia sicut Core cum suis auctor fuit schismatis contra Moysen inuidendo eius potestati; ita etiam Pharisæi continuò in Dominum

Et Core.

contra-

contradictiones & seditiones commovere nitebantur ob ambitionem & invidiam. Et sicut Corè correptus à Moyse atroganter respondit, & monêtem sprevit; ita Pharisæi fecere, quoties à Domino admoniti fuere. Rursus sicut Corè rebellans Moysi excusationes calvas & futiles prætexit; (unde Corè Hebr. Calvum significat) ita enim Pharisæi inanes prætendebant excusationes, cur eius doctrinæ & auctoritati non acquiescerent, sed rebellarent, non obstante populi scandalo. Qui propter sicut Corè cum suis periit, cœlo iniuriam Moysi illatam vindicante: sic etiam tandem perierunt Pharisæi ob ambitionem & rebellionem in Christum, Deo eos plectente & excindente. Væ ergo illis, quia *in contradictione Corè perierunt*, hoc est instar seditiosi Corè exterminati sunt. Væ illis, qui ob avaritiam Christum persecuti sunt. Væ illis, qui ob invidiam plusquam Cainam omne consilium malignum adversus eum quæsierunt: & tandem eius sanguinem impiè fuderunt.

Blanda insidia Pharisæorum adversus Christum

Sed vide quomodo instar Cain malignum suum consilium auspicantur blandis verbis, sub quibus latet virus acerbum: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces &c.* Sic Cain ut fraudem & venenum latens in corde occultaret fratri suo Abeli, & eum separaret ab oculis Patris & Matris, dixit ei: *Egrediamur foras.* Quibus verbis videtur eum invitare ad deambulandum quasi animi gratiâ. Sic amicitiam fraternam simulat: & particidalem animum dissimulat, donec remotis arbitris eum valeat adoriri. Hoc est ingenium mundi in maligno positi aliud corde gerere, aliud ore proferre. Sic Ioab salutat Amasam, fraterneq; amplexatur: *Salve mi frater*, interim sic salutans lethale infigit vulnus. Sic Iudas osculum figit ill quem vendidit, & Magistrum vocat, ac amplectitur, ut internecioni tradat. *Labra dolosa corde & corde loquuntur*, hoc est, duplici corde. *Loquuntur pacem cum proximo, mala autem in cordibus eorum.* Quasi columba Noë ramum pacis in ore ferunt, sed bellum cruentum illis est in corde: Aut sicut apes mel habent in ore, sed aculeum acerbum in caudæ extremitate. Hoc etiam admonet Ecclesiasticus. *In labiis suis indulcat inimicus, & in corde insidiatur, ut subvertat te.* Sic ergo & hi Pharisæi se gerunt erga Dominum, in labiis indulcantur, & corde insidiantur, ut subvertant eum. *Magister*, inquiunt, *scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Magistrum vocant, & cæco dicenti, *Nunquid & vos vultis Discipuli eius fieri*, male dixerunt. Viam Dei in veritate docere asserunt, & alias dicebant, *Seducit turbas.* Sic alii sunt ante, alii retrò, alii ore, alii corde: verba sonant benevolentiam, sed & tanquam folia & pericomata filiorum Adæ cooperiunt fœditatem intus latentem.

Gen. 4.

2. Reg 20

Psal. 11.

Psal. 27.

Eccli 12.

Ioan. 9.

Ioan. 7.

Tota ergo intentio eorum erat, ut eum caperent in sermone, & non advertebant quod sicut eum capese non poterant in facto, sic nec posse in verbo quia in verbo errare non potest verbum. Hoc interim advertere debemus, facile nos posse capi in sermone, & in verbo labi, ideoque advigilandum esse linguæ nostræ lubricæ. Vnde monebat Ecclesiasticus: *Verbis tuis facies stateram, & frenos ori tuo rectos, & attende ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum.* Et interim de seipso dicebat: *Quis dabit ori meo custodiam, & labiis meis signaculum certum, ut non cadam in ipsis?* Proinde sollicitè custodiendæ sunt viæ nostræ, ut non delinquamus in lingua: nec inveniamur illaquiati verbis oris nostri. Neque verò solùm in sermone capiuntur, aut illaqueantur verbis oris sui, detractores, adulatores, mendaces, susurrones, suasores criminum, & similes qui peccatis linguæ pravæ obnoxii reperiuntur. Sed etiam illi qui Deo promissa non complent, & concepta coram eo vota non observant. Sic Christianus reperitur captus & illaqueatus verbis oris sui, qui post renunciationem diabolo factam, postmodum se libere eradit peccatis, & mancipium se iterum facit Diaboli & carnis immemor suæ sponsionis. Sic qui adulterio se commaculat, capitur in sermone, & oris sui verbo illaqueatur, cum adeo solemni iuramento sese obstrinxerit ad fidelitatem matrimonialem, in facie Dei & Angelorum ac Ecclesiæ sanctæ. Si qui aliis iuramentis sese obstrinxerunt, & postea illa violant, sermone proprio illaqueati perculosè cadunt. Sic qui in sacerdotio, aut claustro, aut sæculo post vota castitatis & pietatis aliter vitam ducunt, quam vocatio & professio sancta exigit, verbis suæ professionis capiuntur, & illa eis exprobrabuntur in confusionem æternam, tum ab accusante Diabolo, tum à Deo condemnante: *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.*

Eccli 28.

Eccli. 22.

Matt. 12.

Quomodo Christus in veritate docêt non respiciendo personas, sic imitandus.

FAcilè itaq; est homini, verbo labi aut illaqueari, cum non satis circumspectè aliquid vel docet, vel suadet, vel alia ratione eloquitur, aut enim cum verbis facta non correspondent. In his autem omnibus nulla ratione poterat aberrare Christus, qui est Via, Veritas & Vita. Vnde licet Discipuli Pharisæorum insidiose & adulatoriè dixerint, tamen cum veritate dixerunt: *Magister veraxes, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo. Solus enim ipse potuit Vitam Dei & Cœli in veritate docere, qui ad hunc effectũ de Cœlo descendit, ut ignotam illam viam edoceret.* Vnde etiam per Isaiam Prophetam promissus fuit Ecclesiæ tanquam Præceptor & Doctor huius vitæ. *Non faciet ultra avolare Doctorem tuum, & aures tuæ audient verbum tergum monentis te. Hæc est via, ambulate in ea.* Et cum Deum nemo viderit unquam, hic est unigenitus, qui è sinu Patris veniens enarravit nobis viam Dei, quâ scilicet ad eum itur, & imperfecta veritate nos eam edocuit. Viam Dei secũdum scientiam naturæ nos voluerunt edocere Philosophi, sed eam docuerunt multos commiscendo, & comminiscendo errores contra veritatem. Viam diaboli, & scientiam diversam à Deo; immo adversum Deo:

Ioan. 8.

docent magi & hæretici, edocti ab illo qui *non stetit in veritate, & Pater est mendacii.* Viam Dei & cœli si docuit Moyses & Prophetæ, id adhuc factum est ex parte in figura. Sed ecce adest is qui Magister verax est, & non solùm docet in figura viam Dei, sed in veritate, Veritas ipse, cui dicere possumus cum Propheta: *Notas mihi fecisti vias vitæ.* *Psal. 15.*

Recte quoque additur: *Et non respicis personas hominum*, quia hic respectus hominum perturbat frequenter veritatis judicium sincerum. Vade Isidorus in sent. ait: *Qui metu potestatis veritatem occultat, eiusdem veritatis iracundiam sibi cœlitus provocat: quia plus pertimescit hominem, quàm divinam trepidat indignationem.* O quàm multi Consiliarii in aulis Principum respiciunt personam Principis, & propterea non audent dicere, & docere veritatem! Hoc ipsum est quod Ludovicus XII. Gallorum Rex deplorabat, quod cum in aula rebus omnibus abundaret sola veritas abesset, vel mutila aut fucata intraret. Cum sermo Regis potestate plenus sit, ut dixit Ecclesiast. cap. 8 ideo, qui Regi astant, etiam ut Consiliarij, si quippiam exigit, licet injustum, non audent contradicere, aut veritatem nude aperire. Hoc etiam adverrit Seneca sic scribens ad amicum: *Monstrabo tibi cuius inopia laborant summa fastigia & quid omnia possidentibus desit: scilicet ille qui verum dicat. Si in clientelam alicuius Potentis veneris, aut veritas aut amicitia perdenda est.* Sic Ionathas, quia apud Saulem innocentiam Davidis & veritatem tueri conatur, periculum vitæ incurrit. Equidem honorandi sunt Principes, sed non cum falsitate & injustitia. Ideo Daniel cum interrogaretur à Nabuchodonosor Rege, cœpit cogitare quasi unà horâ. An forte ignorabat quid responsurus foret, aut forsitan ambigebat edicere veritatem personam Regis concernentem? Absit. Sed cum sciret quid respondere deberet, *cœpit cogitare, quasi una hora, ut regio culmini servaret honorem, nec tamen absconderet veritatem, ideoque per illam horam præmeditabatur qualiter sine iniuria veritatis, & offensa Regis responsum suum componi & ordinari deceret.* Etenim utrumque conveniat apud Principes & eorum scil. culmini honorem deferre, & tamen pravæ eorum voluntati morem non gerere. At ubi blando & honorifico sermone nihil apud eos proficitur, etiam libera increpatio est adhibenda in gratiam veritatis oppressæ. Sic dicit Micheas: *Ergo repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio & veritate, ut annunciem Iacob scelus suum. Audite Principes.* Sic se gesserunt sancti Prophetæ. Elias liberè increpat Achab, Eliseus Ioram, Nathan, Davidem, Isaias Manassen, Ieremias Ioachim & Sedechiam, Ioannes Herodem, Christus Scribas & Pharisæos, non respiciendo personas eorum, sed veritatis apertum pronunciando decretum. Sic etiam se gessernt post Christum Basilius erga Valentem, Chrysostus erga Eudoxiam Hilarius erga Constantium, Ambrosius erga Theodosium & Valentinianum, Oeniandus erga Anastasium Imperatorem. Cum enim moliretur Anastasius multa contra Ecclesiam, & Oeniandum Episcopum ad suam attrahere conaretur factionem promissis variis ipse Imperatoris purpuream apprehendens chlamydem, forti voce dixit: *Hac vestis nequaquam post mortē te sequetur, ô Imperator! Missam fac Ecclesiam quam Christus suo redemit sanguine: satis tibi sit dignitatis, quod Imperator es, Antistites Ecclesiæ vexare noli, sed tu potius ad Orthodoxos transi, ne dum impiorum hominum Severi & Dioscori opiniones amplecteris, aterno igni addicaris.* Imperator autem ad hæc pudore suffusus obmutuit. Testis est Zonaras 3. Annal. in Anastasio.

Isidor. in senten.

Respectus personarum multum cansat mali

Dan. 4.

Chartus in illum locum.

Mich. 3.

Regibus & Principibus etiam increpandis dicenda veritas sit.

Hi ergo secuti Christum, Magistri fuere veraces, Viam Dei in veritate docentes, hominum personam non respicientes, sed vitia liberè increpantes, neminem tamen despicientes. Multi nunc qui tenentur viam Dei in veritate docere, in acceptione personarum vitiosi reperiuntur. Si ad divites & honoratas veritas debet dirigi, non apertè eam pronunciant sed connivent, vel dissimulant, vel excusant: *Xenia & dona excæcant eorum oculos, & quasi frænum in ore avertunt correptiones eorum* vel certè timore potestatis lingua eis præpeditur, & veritas quasi vincta detinetur. *Eccli 20.*

PARS III. *Quid de tributo dicendū, & quid de illis Christus responderit. Act 5.*

SEd videamus quænam Magistro veritatis quæstio proponatur ab eis subdolis Pharisæis: *Magister licet ne censum dare Cæsari an non?* Marcus habet: *Licet tributum dare Cæsari, an non dabimus?* Magna hæc erat inter Iudæos quæstio, an Cæsari Gentili Imperatori, populus Dei, filij Abrahæ, antea liberi, tributum deberent solvere, qui Deo primitias, decimas oblationes exsolvebant. Vnde quidam Iudas Galilæus, ut testantur Acta Apost. cum Augustus nascente Christo capitatim tributum & censum exegisset, ut dicitur Luc. 2. concitavit Iudæos ad rebellandum Romanis, dicens indignum esse gens fidelis & populus Dei Ethnico Imperatori, & Romanis infidelibus servire, & in professionem manifestam servitutis illis censum & tributum solveret; ideoque pro tuenda libertate illis esse resistendum, & omne vectigal eis denegandū. Quapropter qui eum sectati sunt, omne tributum & dominium Cæsaris etiam morte proposita abnuebant. De illis sic scribit Iosephus lib. 7. belli c. 29. Omni genere tormentorum & vexatione corporum in eos excogitata ob hoc duntaxat ut Cæsarem fatentur, nemo cessit, neque dicere vellevisus est: sed omnes illa necessitate validiorem sententiam conservare, tamquam brutis corporibus non animis etiam cruciatus ignemque susciperent. Maximè vero puerorum ætas miraculo spectantiū fuit, nec enim eorum quispiam commotus est, ut Dominum Cæsarem nominaret, usque adeo corporum infirmitatem vis audaciæ superabat? Hæc Iosephus: Hi ergo sunt Galilæi illi, quos occidit Pilatus miscendo sanguinem sacrificiis eorum. *Luc. 13.*

Neque

Neque tamen ea secta mox extincta fuit, sed diu sine iniustitia disponere: quia cum filij Israël peterent à Samuele Regem, qui præliaretur bella ipsorum, & Samuel consuluisset Dominum; talem responsum accepit: *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. Verumtamen contestare eos, & prædic eis ius Regis, qui regnaturus est super eos: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros & vineas, & olivveta optima tollet, & dabit servis suis. Sed & segetes vestras & vinearum reditus addecimabit, vt det Eunuchis & famulis suis. Greges quoque vestros addecimabit, & eritis ei servi. Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis.* Hæc ibi. 1. Reg. 8.

inter Iudæos viguit, donec tandem erupit in publicum bellum, in quo Iudæi per Titum & Vespasianum exciſi sunt. Quia ergò Christus cum suis Apostolis & assectis erat Galilæus, etiam in sectæ huius suspicionem apud Iudæos & Romanos veniebat. Vnde Pharisæi, vt eum apud Pilatum accusarent, vel Herodem, mittunt suos discipulos cum Herodianis militibus, vel ministris quibus incumbebat cura huius tributi, inquirentes: *An licet tributum dare Cæsari, an non?* Sed Christus ab hac sectiosorum secta se alienum satis demonstrarat, dum Matrem suam cum Ioseph voluit ascendere in Bethleem, vt censum solueret, & describeretur. Item dum pro se, & Petro soluit didrachma in ore piscis inventum. Atque etiam hic dum dicit reddenda esse Cæsari quæ sunt Cæsaris. Sic etiam Paulus dicit: *Cui honorem honorem, cui tributum tributum*, docetque etiam fideles Principibus infidelibus obedire debere, & vectigalia pendere.

Luc. 2. Matt. 17. Rom. 13.

Respondeo, Dominum non dedisse auctoritatem omne illud grauamen inducendi, sed tantum prædixisse Reges sic acturos, ipso permittente id in pœnam quod se abiecto Regem elegissent. Sic voluit deterrere populum ne peterent Regem, quia facilè regia potestas ob magnitudinem suam convertitur in tyrannidem. Quod ergò dicitur, *Hoc est ius Regis*, idem est ac si diceretur, *Hæc est consuetudo Regum*: alias de constitutione Regis dum agitur, dicit Dominus: *Non multiplicabit sibi Equos, nec habebit auri & argenti immensa pondera, ne eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos.* Quapropter de quibusdam conqueritur. *Audite Principes Iacob, & Duces domus Israël, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum, &c.* In hanc sententiam dicere solitus erat Ludovicus XII. Rex Francorum: *Plebem & rusticos esse pascua tyrannorum: Tyrannos autem & milites esse pascua Diabolorum.* Neque tantum hic Principes peccant, sed maximè eorum Consiliarij & Officiarij, qui crudeli subtilitate, subtilique crudelitate varios adinveniunt modos, variasque excogitant causas, quas Principibus suggerant ad exsugendas subditorum facultates. Et cum ipsi probè norint *Turnum baculi*, vt vocant, etiam ex dispendio publico compendium suum faciunt, opes coacruant, familiam exaltant. Cùm enim contributiones Reipublicæ per eorum manus transire soleant, cumque illas suas manus habeant pice infectas, facilè fit vt pars eis adhæreat, ita vt nec ad Principes transeat, nec bono publico applicetur. Sic *ædificant domum suam impendiis alienis*, vnde non mirum quod ruinæ fiat obnoxia, quia *sunt* similes illis, *qui ex lapidibus hyeme collectis* & coadunatis sublimem murum erigunt, mox pluuijs & tempestatibus ruiturum. Eccli. 21.

Reges non habent potestatē, disponendi de bonis subditorum.

Deut. 17.

Mich. 3.

Ad hos ergò etiam illud dirigitur: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Quia vltra stipendium sibi debitum, Cæsaris & Principis, Reipublicæq; per peculiarum subtilem bona vendicant. Vnde non mirum quod postmodum apud Principes suspecti, per

Exhis patet iustè à Regibus, & Principibus supremis moderata tributa imponi subditis ad defensionem, & conseruationem Reipublicæ, atque ad necessariam Principis sustentationem, consideratâ eius dignitate. Hinc Isidorus Peluſiota exemplum Christi Domini afferens lib. 1. Epist. 48. sic hac de re loquitur generaliter. *Descriptus est Dominus, cùm vtero gestaretur, & censum Cæsari pependit, hinc velut lege latâ nobis indigens, vt ei, qui imperium tenet, obediamus, modò nihil impedimenti adpietatem afferat. Quæ igitur ipse Deus noster subita per dispensationem & consilium paupertate docuit, candido animo imitemur, nec pauperum obtentu tributum pendere detrectemus.* Hæc ille.

Diximus verò iustè tributa moderata imponi posse, nam debent, vt iusta sint, imponi cum proportione ad vires regni siue Provinciæ, & iuxta facultates populi, alias iniusta sunt & tyrannica. Importabilia quandoque onera taliæ, exactionis, vectigalia populis imponuntur: ita vt populus potius videatur languere quàm viuere, & sæpè cogatur esurire, & necessaria paupercula familiæ divendere ad satisfaciendum illis exactionibus. Sicque contingit vt à Ministris Regum Principum non minus affligantur subditi, quam filij Israël à Magistris operum quos constituit Rex Pharao, qui operibus duris luti & lateris eos affligebant, & vitam eorum reddebant amaram. Bonum est aquâ fontis vti, non tamen illum oportet exhaurire, aut venas illius exsiccare. Optimum est vt Pastor de lacte gregis sui comedat, non tamen decet illum excoriare. Certè Rex aut Princeps non est Dominus bonorum omnium ad subditos spectantium, ideò pro suo arbitratu, & libidine non potest eos expilare: ad vtilitatem tamen publicam illis potest vti, & pro bono publico ei certa competunt iura. Vnde hic non dicitur: Reddite omnia Cæsari; sed *quæ Cæsaris sunt.* Quod si dicas: Tale videtur esse ius Regis in subditos, vt possit de bonis eorum

Quæ tributa iustè reges & principes suis imponāt.

Exod. 1.

ipsosmet spoliantur, & ad inopiam rediguntur. Sic de Flau. Vespasiano tertur quod rapacissimum quemlibet ad officia promouere fuerit solitus, sed postmodum ditatum condemnare, & spoliare. Vnde vulgò dictus est Officiarios suos habere pro spongijs, quod eos velut spongias & siccos madefaceret, & humentes exprimeret. Similes quoque sunt tales Officiarij sanguisugæ, quæ semper dicit: *Affer, affer*: & cùm sit insatiabilis, continuò sugit corruptum sanguinem illius membri quod tangit: sed interdum præ nimia repletione crepat & moritur, sicque effunditur sanguis omnis, quem suxerat. An non idem contingit Officiarijs Principum, qui insatiabiliter sanguinem sugunt pauperum, nec volunt evomere per restitutionem quamdiu viuunt? Tandem nimirum per mortem crepant, & effundunt sanguinem, tum suum, tum alienum: quia per Principes inquiritur in hæredes eorum, & exhauriuntur per litem & condemnationem opes ipsorum. O si in vita sua attendissent illud: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo*: Reddite quæ Reipublicæ sunt Reipublicæ, & quæ pauperum sunt, pauperibus reddite, si non veritis infeliciter emori, & inopiam ac ignominiam coram Deo æternam incurrere.

Suteto in Vespas. Officiarii magnatiũ plorum, sanguisuga.

Generaliter itaque accipi potest hæc sententia Domini: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, vt significet: Reddite cuique quod suum est. Namlicet Christus principaliter intendat dicere hic Pharisæis: Denarius iste, quem tamquam numisma census mihi exhibetis, ex ipsa vestra confessione notatus est imagine & nomine Cæsaris, sicque dum illo vtimini numismate, satis indicatis vos Cæsari, siue Romano Imperatori esse subditos: Reddite ergò illi subiectionem & tributum: nec hoc repugnat cum eo, quod simul teddatis Deo, tamquam populus Dei, primitias, decimas, sacrificia, oblationes. Hoc, inquam, primariò Christus suo hoc responso intendit: tamen etiam vniuersim vult indicare idem quod Apostolus: *Reddite omnibus debita*: cuiuscunque illa sint sortis, siue ciuilia sint & politica, siue alia: siue honoris sint, siue pecuniæ. Omne enim debitum reddendum est qualibet ratione contractum. Vnde qui debita pecuniaria negligunt soluere, grauem culpam omninò incurrunt, nisi sit impotentia. Et qui debitum mercenarij defraudat, vel retinet, peccatum in cœlum clamans committit, vt particulariter asserit S. Iacobus agens contra diuites pauperum oppressores: *Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Sic igitur vnusquisque debitum reddere tenetur, ita vt & ipse Cæsar non sit exemptus à debito reddendo suis subditis. Defensionem scilicet & protectionem tenetur reddere, ac suis militibus stipendium & mercedem: alioqui cùm vitam & sanguinem exponant pro Cæsare, si defraudentur stipendijs, clamat eorum sanguis contra Cæsarem & Regem, aut contra Officiarios qui defraudant.

Rom. 13.

Vnusquisque debitum suum soluere tenetur.

Iacobi. 5.

Sic quoque vnicuique dicimus: Redde parentibus honorem & sustentationem. Redde superioribus obedientiam & subiectionem. Redde inferioribus iustitiam & charitatem. Redde infirmis solatium & auxilium: Redde egenis gratiam & misericordiam tibi possibilem: Redde desolatis & afflictis, pupillis & viduis consolationem, subsidium, consilium: Redde mundo despectum, quia illum sua fugacitate meretur: Redde peccato odium, quia execrabile est, sicut & auctor eius dæmon. Sed videamus in particulari, quid Deo reddere debeamus, quandoquidem specialiter Christus Dominus exprimat: *Reddite quæ sunt Dei Deo.*

PARS IV *Imago, & superscriptio moraliter discutitur.*

ANtequam Christus responderet reddenda esse quæ sunt Cæsaris Cæsari, interrogauit in numismate census quænam esset imago & superscriptio? Cum autem imago & superscriptio Cæsaris ipsa aduersariorum confessione in eo appareret, non dubitauit pronunciare cum certitudine, per eam imaginem Cæsaris ius manifestari. Sic quicumque voluerit considerare quam gerat superscriptionem, & quam imaginem, facilè intelliget munus suum & obligationem.

Cuius ex vi baptismi inscriptum, quod Christianus sit.

Primò quidem quantum ad superscriptionem omnibus ex vi baptismatis hæc competit. *Christianus sum.* Quænam autem est hæc superscriptio, quidve significat? An non idem quod Christi totus ium, ab eo vnctus, & consecratus, ac sanctificatus? An non idem quod Christi ego sum, eius spiritu & charactere signatus? An non idem quod Christi sanguine *empti sum & redemptus*? O præclara superscriptio! Si modò attendatur, sufficienter nos edocere potest quid Christo debeamus, quidve ei reddendum sit, vt nomini & obligationi nostræ satisfaciamus. Vnde S. Leo serm. de Natiuit. *Agnosce, ô Christiane, & memento cuius capitis membrum, quodque regni de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum. Non te iterum Diaboli seruituti subjicere, quia pretium tuum sanguis Christi est.* Quasi dicat: Attende superscriptionem nominque tuum, & meminerisse esse de illis, de quibus Apostolorum Princeps dicit: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Redde ergò ei te totum, qui te acquisiuit tanto pretio, cuius es quicquid es. Reddo ei secundum nomen tuum & vocationem, gratiam sanctificationis, quam in te primitùs posuit, & aquâ te signauit, redde sanguinem, quo te redemit, redde intemeratum chyrographum, quo te sibi obstrinxit; redde amorem quem promeruit, redde animam quam acquisiuit.

1. Pet. 2.

Exempl.

Hanc superstitionem attendebat Sanctus Calliopius adolescens pius, de quo Surius 7. April. Hic cùm ad conuiuium in Deorum celebritatem paratum invitatus foret, liberè respondit: *Christianus sum, hoc nomen gero in fronte & corde scriptum: & Christum reuerus colo, qua autem idola immolata sunt, non audeat in os eorum, qui Christiani dicuntur, &*

Chri-

Christum colunt, ingredi. Hoc cùm audisset Præses, iussit eum immaniter cædi, & post multa verbera & increpationes tandem dixit: Imperatorum decretis obtempera, & Dijs sacrifica vt viuas, alioquin vt Magister tuus Christus, cuius nomine gloriaris, cruci affigeris. Cui ille: *Admiror impudentiam, qui cùm sæpè audieris me Christianum esse, & Christianum esse moriturum, & in Christo victurum, pergis veritatem oppugnare? Paratus sum eandem quam Magister meus Christus mortem oppetere.* Hæc cùm ipse dixisset, Præses advertens eum à proposito deduci non posse, sententiam tulit vt quinta Sabbathorum Paschæ in crucem ageretur. Quod Mater intelligens, quinque nummos ministris dedit, vt eum contraria ratione quam Christus affigerent cruci. Quinto igitur Sabbathorum pronus in caput crucifixus est, & die Parasceues, eodem die quo Christus animam reddidit, vt hanc superscriptionem sibi fronti & cordi impressam comprobaret, *Christianus sum*, sicque redderet Deo quod Dei est. Quapropter in eius morte vox è cœlo audita fuit: *Veni ciuis Christi, & cohæres SS. Angelorum.* Sic optimè intelligebat ipse quod etiam nos intelligere deberemus, illud Eusebij Emissen. Hom. 1. de Symbolo: *Ille pro commissa nobis salute rationem exacturus est, qui pro nostra redemptione damnatus est. Qui tantum contulit, scit quantum reposcat. Nouit quanti ei consisterit homo suus. Non ergo viles nobis sumus, qui Deo tam pretiosi fuimus. Nihil ille à nobis [illegible] nihil mediocre suscipit: vult consentire [illegible] te pretii dignitatem redempti. [illegible] nostræ expectat meritum, quod [illegible] possit commercium.* Ita ipse. Hæc ergò quantum ad superscriptionem nostram, *Christianus sum*, quæ à nobis reposcit multiplex Christo debitum. Ideò monet nos nostri muneris & obligationis: quanto magis si superaddita sit hæc altera vel similis superscriptio, *Religiosus sum, Sacerdos sum, Voto dicatus sum Christo.* Tunc enim etiam considerandum venit quid specialiter exposcat à nobis talis superscriptio.

Imago in nobis duplex considerari debet.

1. *Naturalis, quæ in homine resplendet per creationem.*

Secundò Quantum ad imaginem, illa duplex in nobis considerari debet, scilicet naturalis imago Dei, quæ in homine resplendet per creationem; & supernaturalis, quæ in eodem resplendet per iustificationem. Creatus est enim homo ad imaginem Dei, cùm ei inditus est in creatione intellectus, voluntas, memoria, tres animæ potentiæ in vna essentia, correspondenter Trinitati personarum in diuinis in vna natura. Hæc est Trinitas creata, quæ non quiescet donec iungatur Trinitati increatæ, tamquam primo suo exemplari ad cuius imaginem facta est; & tunc intellectus per diuinæ essentiæ claram visionem, voluntas per eiusdem amorem perfectum & fruitionem, memoria per æternitatis continuationem perfectam consequetur beatitudinem. Itaque recogitare debet homo cuius sit in seipso imago, in omnibus resplendens animæ potentijs & facultatibus: & sic tenetur *reddere Deo quæ Dei sunt*, intellectum, voluntatem, memoriam, quæ non sunt nisi quædam participatio intellectus, voluntatis, memoriæ diuinæ. Reddat ergò Deo intellectum cum omnibus cogitationibus suis, illas ordinans in Dei gloriam. Reddat voluntatem cum omnibus suis desiderijs & affectibus, illas diuinæ conformans, & subordinans voluntati. Reddat ei memoriam sæpiùs rememorans beneficia, tum generalia creationis, redemptionis, iustificationis, glorificationis, tum specialia, quæ de die in diem, de hora in horam, de momento in momentum ab eo recipit. Sic reddet Deo quæ Dei sunt.

2. *Supernaturalis, quæ est sita in hominis iustificatione, gratia & sanctitate.*

Est alia supernaturalis imago Dei in homine, quæ sita est in eius iustificatione, gratia, & sanctitate, qua diuinæ fit specialiter consors naturæ: quæ quidem in gloria perficietur, quando *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Hæc quoque frequenter consideranda est, vt numquam contingat illam deturpare imaginem per peccatum, quam in nobis posuit diuina manus per gratiam, & naturæ suæ diuinæ specialem similitudinem, & consortium. Per gratiam enim sanctificantem homo constituitur in honore excellentissimo similitudinis diuinæ: at per peccatum mortale conspurcato hoc honore, *comparatur iumentis insipientibus, & similis fit illis,* vt loquitur Psalmista. In quem etiam sensum Origenes hom. 3. in Ezechielem explicans illud, *Homo homo de semine Israël*, sic dicit & admonet nos omnes: *Estote homines homines, quia non omnes homines sunt homines: Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Iste non est homo homo, sed homo iumentum. Sic dicit S. Ioannes: Generatio viperarum quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Talis non est homo, sed serpens homo.* Absit ergò à nobis vt tales simus, qui mereamus audire nos non esse homines homines. Itaque interroget se sæpiùs peccator; Cuius est in seipso imago & superscriptio, & videat an sit imago Dei, an potius belluæ insipientis. Contemplatur S. Petrus linteum quoddam magnum quatuor initijs ex aëre in terram demissum, in quo omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli continentur. Linteum ergò illud continebat omne genus hominum, in formis innumerabilibus volucrum, serpentium, quadrupedum, pro multiplici vitiorum diuersitate. Ergò in hominibus imago belluarum est, secundum vitia & peccata. Quod si in particulari vis scire quænam in te sit imago & superscriptio, considera peccatum cui potissimum te agnoscis adhærere. Audiamus in particulari.

1. Ioan. 3.

Psal. 48.

Ezech. 14.

Matt. & Luc. 3.

Act. 10.

Imago superbi Pavonis.

O superbe, cuius est imago & superscriptio in te: dum tumidus te exaltas & evanescis in cogitationibus tuis, teipsum respiciens, aliosque despiciens. An non Pavonis est in te imago, totam suam plumariam expandentis, variegatosque colores suos, cum tumore & inflatione circumspicientis? Sed

videq; quia sordes sunt in pedibus tuis, & illis adhæret vilitas despectu digna, sicut & in pedibus Pavonis : sicque vanitatis totam contrahe, arrogantiæque tumorem comprime cum confusione. Alioqui si in tua persistis inflatione & superbia non obstante tua vilitate, non iam Pavonis, sed Luciferi & dæmonis superscriptionem & imaginem geris; *Ipse est enim Rex super omnes filios superbiæ*; & cum eo numerari & condemnari mereberis, qui eius sunt characterè & effigie signati.

Iob. 41.

Auari, Talpæ.

O Avare, cuius est imago & superscriptio in te, dum nonnisi terrenis lucris inhias, terrena cogitas, pecuniam & bona coacervas, incurius & quasi obliius cœli & cœlestium ? An non imago est in te Talpæ cæcutientis, terræ inhærentis, terram fodicantis, terram fodicando accumulantis sine vllo fructu suo, immò cum aliorum damno? O grandem amentiam, cum ad cœlestia creatus sis & imagine cœlesti insignitus, illam obliterare vt cæcutientis Talpæ imaginem superinducas. Sed non solum Talpæ, verum etiam Sanguisugæ imaginem geris, & lupi rapacis, dum aliena deprædaris, & pauperum sanguinem per avaritiam & iniustitiam exsugis insatiabilis.

Impudici, porci.

O Impudice, cuius est in te imago & superscriptio, dum in voluptatum cœno volutaris impurissimè ? An non imaginem geris Suis & Porci voluntis se cum voluptate in volutabro luti ? O fœdam imaginem in te, qui diuinæ puritatis speculum in anima & corpore debetes gerere ! O adulter & fornicarie imaginem geris equi & muli quibus non est intellectus, dicente Propheta : *Quasi equi emissarij vnusquisque hinniebat in vxorem proximi.*

Ier. 5.

Invidi serpentis & canis.

O Invide, quænam est in te imago & superscriptio ? Nonne serpentis veneno se nutrientis, & per illud cuncta inficientis ? O detractor & maledice, imaginem geris canis latrantis & mordentis, atque etiam sepulchra mortuorum effodientis. Hæc est spurca & infamis imago, quæ in te passim cernitur & tibi ignominiæ vertitur

Iracundi, Leonis.

O Impatiens & iracunde, quænam in te est imago & inscriptio ? Vtique Leonis vel cuiusdam feræ sylvestris, corpore frementis, ore spumantis, oculis ignescentis, voce rugientis aut vlulantis, sine ordine & decore membra exagitantis cum confusione ! O si imaginem hanc in te videres, dum in iram instar furibundi & arreptitij cum clamore prorumpis! Profectò agnoscerès per istud vitium Dei imaginem in te penitus confundi & dissipari, spiritumque iræ planè spiritui Dei esse aduersum, qui est spiritus pacis, spiritus tranquillitatis, & mansuetudinis.

Ebriosi & gulosi.

O Ebriose & gulose, quænam in te imago & superscriptio? Certè pecoris irrationalis. Nam dum ingurgitatione rationem perturbas vel extinguis, pecore peius agis, quod non nouit cibo & potu nisi famem vel sitim extinguere ; tu verò etiam ipsam rationem, per quam ad Dei imaginem factus es, extinguis penitus, & assimilaris iumentis insipientibus, neglecto illo honore rationis, quo Angelis Deoque similis eras effectus. Hinc in te despiciunt Angeli, illudunt dæmones, irrident homines, conculcant omnes, & contemptui habent ac ludibrio.

Inobedientes.

O Inobediens & rebellis parentibus, quænam est in te imago & superscriptio? Vtique imaginem geris fœtus viperini, qui corrodit viscera matris, quæ eum peperit ; imaginem quoque asini in matrem recalcitrantis postquam eius vbera suxit. O spurcam & tuo indignam genere imaginem, variis vitijs tibi superinductam ? O Christiane, teipsum respice & horresce, sicque resipisce.

Interrogabat te in iudicio Deus tuus, opera tua, & animæ conspurcatum decorem omni ex parte circumspiciens: *Cuius est hæc imago & circumscriptio ?* ipse voluit te conformem fieri per gratiam imaginis filij sui, & ideò eum misit in mundum, vt eius lineamenta & colores plenius posses agnoscere, & in te exprimere. Tu verò hanc imaginem contempsisti, & per Baptismum tibi impressam tamquam falsarius corrupisti, illusque decorem sacrilegè creasti; & superinduxisti characterem peccati, continentem imaginem Diaboli. O infelix, tibi dico, dum adhuc resipiscere potes, quod olim dicebatur Ezechieli Prophetæ: *Fode parietem, & in vnie. Ezech. 8.*
nies abominationes. Vbi enim fodit ipse parietem, *ecce omnis similitudo reptilium, & animantium abominatio; & vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete in circuitu per totum.* Sic & tu fode parietem conscientiæ tuæ : & ingredere in eam, inveniesque abominationes, & omnis generis simulacra & idola, quia quot in te sunt prauæ affectiones & passiones, quotque peccata, tot etiam sunt simulacra Deo abominabilia. Rape igitur illa, & imaginem Dei tui restaura per puritatem & sanctimoniam conscientiæ, per humilitatem, patientiam, charitatem, castitatem animæ. Sic te agnoscit Deus tamquam Numisma suum, quod vbi ei reddideris, referet illud in thesaurum suum æternum, & in suo ordine cum gloria collocabit.

Concludit.

COncede nobis hanc gratiam Domine, vt cognoscamus semper *signatum super nos lumen vultus tui*, imaginem Diuinitatis tuæ, animæ nostræ per te inscriptam & insculptam, sicq; eam conseruemus tuo fauore intemeratam, immaculatam & perfectam, vt tu etiam eam probè agnoscas in die iudicij & agnitionis omnium, quando interrogaturus es: *Cuius est hæc imago & superscriptio?* Expunge quicquid in anima nostra rabidum est, vel pulverulentum, obscurans pulchritudinem luminosam imaginis tuæ pretiosæ in creatione & sanctificatione acceptæ; vt tibi perfectè reddere possimus quod tuum est, animam cum omnibus suis potentijs, intellectum cum omnibus suis cogitationibus, voluntatem cum omnibus suis desiderijs, cor cum omnibus suis affectibus, corpus cum omnibus suis

momen-

momentis & sensibus, vitam cum omnibus suis momentis, sicq; digni efficiamur beata tua æternitate, ubi illa imago perficietur visione limpida Divinitatis, fruitioneq; consummata amoris perennantis.

Exemplum. REddenda esse Deo quæ Dei sunt, nec Cæsari esse parendum, si contra æquitatem aut Religionē aliquid jubeat, suo exemplo ostendit S. Ambrosius: Cum enim Ariano juberet Valentinianus Imperator aliquam Ecclesiam tradi, respondit S. Amb *Si à me peteret quod meum est, id est fundum meum argentum meum, aut aliquid huiusmodi, non refragarer, quamquā omnia quæ mea sunt, sint pauperum. Verum ea quæ divina sunt, Imperatoria potestati non sunt subiecta. Si patrimonium petit, invadite: si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? Vultis in mortem? Voluptati est mihi. Non ego me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus lubens immolabor.* Sed allegabatur, Imperatori hoc licere, quia ipsius juri omnia sunt subdita Respondet S. Ambrosius: Noli gravare te Imperator, ut pures te in ea quæ divina sunt, jus imperiale habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare esto Deo subiectus Scriptum est enim: *Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari.* Ad imperatores Pallatia pertinent, ad Sacerdotes Ecclesiæ: Publicorum tibi mœnium jus commissum est non sacrorum: *Tributum Cæsaris Cæsari non negatur. Quod est Ecclesia Dei Cæsari non debetur.* Si de me proferetur quod mei juris est lucem offerrem. Templo Domini nihil possum decerpere, quia custodiendum non tradendum accepi: Deinde consulere me etiam Imperatoris saluti oportet, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat vocem liberi Sacerdotis: Si vult sibi esse consultum, recedat ab injuria Christi. Sed urgebatur iterum S. Amb quod unam saltem basilicam jure peteret Imperator. Respondet. Non licet tibi ullam habere. Quid tibi cum adultera, Adultera enim est quæ Christo non est legitimo cōjugio copulata? Naboth Sanctum virum possessorem vineæ suæ scimus interpellatum petit one regia ut vineam suam cederet. Respondit: Absit ut tradam hæreditatem Patrum meorum Rex contristatus negatione justa, muliebri consilio deceptus, in vineam morte venit: Naboth autem vineam suā vel proprio cruore defendit: Si ille vineam non tradidit sūrm, non trademus Ecclesiam Christi: Quid igitur à me responsum est contumaciter? Dixi, absit ut tradam Christi hæreditatem & hæreditatem omnium retrò Episcoporum fidelium. Respondit: *Quod Sacerdotis est faciam, quod Imperatoris est faciat Imperator. Prius est ut animam mihi quam fidem offerat.* Denique cum Colligonus Præpositus cubiculi mandaret Ambrosio: Me vivo tu contemnis Valentianum: Caput tibi tollo. Respondit Ambrosius: *Deus permittat tibi ut impleas quod minaris. Ego enim patiar quod Episcopi tu facies quod Spadones.* Hæc Ambrosius l. 5. Epist. 33. ad Marcellinam sororem. Recta intelligebat ipse illud: *Reddite Deo quæ Dei sunt, quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Imitabatur quoque Magistrum illum suum de quo verum est: *Viam Dei in veritate doces, nec respicis personas hominum.*

Aliud. MEmorabile etiā hic est, quod cum an. 1620. Dominica hac 22. post Pentecosten Evangelium istud canereturin Orbe Catholico: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, inclita illa victoria à Cæsare fuit obtenta, qua civitas Pragensis cum regno Bohemio Cæsari reddita fuit, eversis illis qui injustè quod Cæsaris erat, occuparant. Incidebat quoque dies illa in octavam Sanctorum omnium, quo die blasphemi ex hæreditate & templis Dei & Sanctorum Pragæ ejecti fuere.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN

Lect. 5ta tripartita

Mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur à duodecim annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Matth. 9.

PARS I. De sanatæ mulieris sollicitudine fide & pietate.

COnstat ex narratione Evangelica frequenter Christum Dominum beneficia contulisse in itinere pertranseundo, ita ut propterea hoc ei speciale elogium adscribi possit PERTRANSIIT BENEFACIENDO. Sic enim de illo dicitur. *Unxit eum Deus Spiritu Sancto & virtute, qui pertransiit benefaciendo.* Nempe nullus eius passus inutilis fuit nullus non beneficus gressus. Considera decem leprosos ei in itinere occurrentes, cum ingrederetur quoddam castellum, & confestim ab eo sanatos, dum ex eius præcepto adirent Sacerdotes, sicque videbis quam verum sit: *Pertransiit benefaciendo.* Inspice cæcum qui sedebat secus viam mendicans dum iret in Ierusalem, dumque eum mox audis sanatum, agnosce quam rursus verum sit: *Pertransiit benefaciendo.* Conjice oculos in Centurionem qui occurrit ei dum ingrederetur Capharnaum, & scias quoe puero suo tunc impetrarit sanitatem; sic denuo verum esse non ambiges: *Pertransiit benefaciendo.*

Act 10. Luc. 7. Luc. 17. Matth. 8.

Perspicuum est idipsum ex tribus famosis mulieribus, de quibus Evangelica Historia mentionem facit, quæ in itinere maxima à Domino beneficia perceperunt.

Tres famosæ mulieres beneficia maxima perceperunt à Christo

Prima est Samaritana, quæ Domino per Samariam transeunte, & iter meunte in Galilæam, apud puerum reperta est, atque ibi à Domino potata fuit fonte & aqua vitæ, ita ut posset dicere: *Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.* Neque solum ipsa, sed etiam multi Samaritano rum eadem aqua potati sunt: quia multi credidetunt in eum propter mulieris testimonium, & multō plures propter sermonem eius, ut dicitur *Ioan.* 4. Sic ergo vere dicimus, & adscribimus pedibus Iesu: *Pertransiit benefaciendo.*

Ioan. 4. Psal. 22.

Secunda est mulier Chananæa, quæ Iesu secedente per partes Tyri & Sidonis egressa est à finibus illis, & ei occurrit in itinere inclamans: *miserere*

Matt. 15.

rere mei fili David, quia filia mea malè à Dæmonio vexatur. Ac licet initio Dominus non responderet ei verbum, fide tamen illius impulsus filiæ eius absenti sanitatem perfectam contulit. An non & hic verum erit: *Pertransiit benefaciendo?*

Tertia est mulier hæc Hæmorroissa, quæ erat in
Math. 9. profluvio sanguinis iam ab annis duodecim, & fue-
rat multa perpessa à complurib. Medicis, & erogaverat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed
Marci 5. deterius habebat. Hæc igitur Domino ad preces Archisynagogi iter suscipiente, ut filiam eius vel ægram sanaret, vel mortuam suscitaret, advenit cùm turba, & tetrò accedens tetigit fimbriam vestimenti eius, & illicitò sanata est. Quis hic non cernit verum esse: *Perteansiit benefaciendo?* Si Iesu Nazæni sacro vertici inscribere possumus illud: *Unxit eum Deus Spiritu Sancto:* si eius omnibus membris inscribere possumus illud: *Unxit eum Deus virtute:* si idipsum vesti & fimbriæ possumus inscribere
Act 10. quia virtus sanandi *sicut unguentum in capite descende in oram vestimenti eius:* Certè pedibus eius
Psal.132. optimè conveniet illa inscriptio: *Pertransiit benefaciendo.* Sed videamini in particulari, & expendamus circumstantias, quæ concurrerant in hac sanitate conferenda, tam ex parte mulieris quam ex parte Christi Domini.

Inprimis de hac muliere dicitur, quod duodecim annis laborans fuerit, quodque in Medicos sua profuderit, & ab illis multa passa deterius habuerit. Quid non pati paratus est, quid non expendent pro sanitate corporis, quisquis illius avidus est?

Vis vitam redimas ferrum patieris & ignes. O utinam pro salute animæ & vitæ æternitate tantum facerent homines, quantum pro vita caduca & carnis cadaverosæ incolumitate! Interim frustranea est sæpe eorum & tolerantia & expensa pro incolumitate corporis, quæ proficua foret pro animæ sanitate conciliandæ. Hæc mulier quot Medicos adhibuit, quotque medicinas? quid non passa est? At semper in peius ibat. Sic Imperator Adrianus moriens dicebat: *Turba Medicorum Cæsarem perdidit*
Sueton. Anton in Medi. p. 1. fer. 96. Quidam etiam ex antiquis de Medicis dicebat: *Sal eorum successus intuetur, errores autem tellus operit.* Sic contigisset huic mulieri inter Medicorum manus longa ægritudine exhaberi, & tandem
Vtendum Medicis Eccli. 38. 1. *Quia Medicorum Author Deus est.* 2 *Quia adeo herbis, plantis, metallis, gemmis, adeo salutares &* rellure ab eis operiri, nisi supremus Medicus remedium adhibuisset. Neque tamen reprehendi debuit mulier ista, per Medicos & medicinas quæ rens sanitatem, quia, ut dicitur: *Altissimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit ea.* Vbi multis rationibus & sententiis Ecclesiasticus ostendit utendum Medicis & medicinis. Quia eorum auctor est Deus, qui, sicut instituit ut in Republica essent Agricolæ, Opifices, Milites Iurisconsulti, &c. sic instituit ut essent aliqui Medici, immò & eos voluit à Regibus & Principibus honorari muneribus ac donis. Deinde, quia idcirco herbis, plantis, metallis, gemmis, adeo salutares & admirabiles virtutes indidit, ut iis utamur ad medelam. Vnde Ecclesiasticus exemplum profert à ligno quod dulcoravit olim aquas amaras, aiens: *Nonne à ligno indulcata est aqua amara?* Quasi dicat: Vel ex hoc ligno, quod medicatum est aquis amaris, perspicias vim medicinæ, & quantas vires Deus indiderit herbis, radicibus, lignis. Quapropter multi existimant, quod hæc vis dulcorandi fuerit ligno illi naturalis. De qua re vide Iansenium in hunc locum Ecclesiasticì, & Interpretes in Exod. cap. 15. Ex his ergo patet, quod medicinæ usus non solum fuerit omni tempore licitus, sed etiam percò modus, quia inter alias scientias Adamo & Salomoni etiam medicinæ scientiam indidit Deus. De Salomone enim testatur Scriptura, quod scripserit de omnibus herbis & lignis, ab hyssopo usque ad cedrum. Vnde ex ipsius scriptis multa ad Græcos, Arabes, Latinos Medicos derivata creduntur. Stante ergo ubi morbi invaluerunt, etiam medicina adesse, coæva Adamo, qui seculum in morte & morbos præcipitavit, sed Deus de aliquibus morborum remediis ei providit, & instructionem dedit. Nam & animalia ex instinctu naturæ suo morbo mederi solent certis herbis, ut patet in canibus & felibus. Cervus sagittâ transfixus sibi dictamno medetur. Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos ruisus oculare de sua chelidonia, inquit Tertullianus lib. de Pœnitentia in fine. Palumbes sibi medentur lauro. Ciconiæ origanum comedentes, stomachi fastidium levant. Quocirca medicinam repræsentabant Ægypti, per palumbem ore ramusculum lauri gestantem, inquit Pierius Hierogl. 22.

Equidem verum est, quod Anachoretæ antiqui nec Medicis, nec medicinis utebantur in morbis: sed id faciebant, non quod hæc condemnarent, verum quia in locis solitariis agens longè à Medicis agebant, sequebantur his sequestrabant studio maioris austeritatis, paupertatis, pœnitentiæ, mortificationis, hocque pro axiomate habebant, *Corporis infirmitas munda est sanitas & firmitas.*

S. S. Pachomius Theodoro discipulo infirmanti non aliam dedit medicinam: *Fili, in dolore sustine, in humilitate tua patientiam habe, & quando voluerit Dominus, sanitatem tibi conferet.* Alium vero discipulum reprehendit, quod oleo inunxisset manus suas laborando laceratas.

Sic & alius Abbas, de quo in Vitis Patrum lib. 7. cap. 120. discipulo ægrotanti hoc pharmacum dedit: *Ne contristeris, fili ex infirmitate. Summa enim religio est, ut ex infirmitate quis gratias agat Deo. Si ferrum es, per ignem rubigine amittis. Si autem es per ignem probatus à magis ad maiora proceds. Sustine ergo, & ora Deum, ut ipse, quæ vult, illa operetur.*

Sic nec S. Antonius, nec S. Hilarion, nec illis coævi Patres medicinis utebantur in morbis; imò nec jejunia immiuebant aut austeritates, decentes quod morbus corporis animæ est purgatio & redemptio.

bis suas virtutes Deus inaidit. Exod. 15. Eccli. 38.

Medicina coeva est Adamo.

Brutæ herbis, morbis suis medentur.

Hierogly. phicum Medicina.

Anachoretæ olim non usi medicinæ.

Poste-

Religiosi medicinæ vsi.

Posterioribus sæculis hunc rigorem temperarunt Religiosi, Medicisque ac medicinis sunt vsi, vt patet ex regula S. Basilij, Benedicti, Augustini, Franciscæ Audi S. Basilium Reg. 15. in regulis fusè explicatis: *Neque fugienda penitus est arsista, neque rursus in ea omnia salutis nostræ præsidia collocanda: sed quemadmodum licet agriculturæ vsum acceperimus, frugum tamen prouentum postulamus à Deo, & quamuis Gubernatori clauum committamus, Deum tamen, vt nos ex alto incolumes conseruet, oramus: sic nihilominus cum Medecum adhibemus, idque ratio fieri concedit, neutiquam à spe illius erga nos bonitatis debemus discedere.* Hæc ille.

Itaque, cum cunctis animantibus innatum sit salutem tueri, cauendo ea quæ nocua sunt, quæ verò prosunt, expetendo: non mirum, si hæc mulier afflictissima omni via quæsiuit sanitatem, etiam patiendo multa à Medicis, & in illos sua erogando; nam verè dixit Satanas, licet Pater sit mendacij: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Iob. 2. Quasi dicat: Omnem pellem dabit, omnem supellectilem & opes. Busam & pellem seu corium pecuniam continentem lubens impendet, vt saluet vitam suam: immò pellem ignobilioris membri exponet, vt tueatur membrum nobilius, & per illud vitam suam. Hæc omnia patent in hac muliere auida sanitatis recuperandæ.

Summa fiducia mulieris in Christum.

Porrò cum non successissent remedia naturalia, vide eius fidem & deuotionem ad consequendam sanitatem per remedium supernaturale. Accessit retrò, & dicebat intra se: *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti eius, salua ero:* Certè hic meritò possumus dicere, quod Dominus alteri cuidam mulieri: *O mulier, magna est fides tua!* Non inutile fuit, quod ipsa ab hominibus & Medicis desperaretur, vt iam solam iactatet fiduciam in Deum, & in illum Medicum, qui omnem morbum sanare posset, nec desierit sperantes in se. Accessit ergò confidenter non obstante quod secundum legem immunda foret, nec liceret ei cum alijs conuersari, quia tantam de Christi misericordia conceperat fiduciam? vt hunc etiam lege prohibente contingere auderet, quia supra legem erat. Atque, vt ait S. Chrysostomus, licet propter morbi genus se non ignoraret immundam, audierit tamen Dominum etiam leprosos tangere, quod ipsum lege prohibitum erat. Sciebat quoque quod Dominum nullus tactus polluit aut contaminat. Nam si Sol tangit stercora, nec tamen stercoribus inquinatur, quantò magis Creator Solis tangit omnia, & tamen non potest vllis tactibus inquinari? inquit S. Chrysologus serm. 35. Atque etiam hoc eius animum ad accedendum confirmare potuit quod iam Dominus in via foret, non in domo: quodq; non foret negligenda occasio ista prætereuntis, & ad puellam sanandam vel suscitandam prodeuntis. Commiserationem Domini erga sexũ infirmiorem audierat, ideoq; experiri, ex firma fiducia, non ex temeritate resoluit. Quapropter non in faciem se ingerit Christi, morbum & peccata sua erubescens: sed retrò accessit, tum propter Domini reverentiam, tum propter turbam: *Cogebat illam dolor, vt medicinam peteret, pudor impediebat, ne causam coram maiestate indicaret: inuenit consilium tacita fides. Mittam manum meam, & tangam fimbriam vestimenti huius, & sana fiam,* inquit Optatus Milevitanus lib. 5. contra Parmenianum. In quam etiam sententiam dicit S. Ambrosius in Lucam: *Hoc pudoris fuit & fidei, ai nosceret infirmitatem, & non desperare veniam: Verecunda ergò fimbriam tetigit fidelis accessit religiosa credidit, sapiens sanatam se esse cognouit.* Certè non potuit non agnosci in hoc tacto nudes spesque adhuc inabilis, quoniam non dixit intra se: Liberabor ne ab hac ærumnosa infirmitate, si vestimenti eius tetigero? Sed non dubitans se liberandam accessit, & nulla accepta antea hac de re promissione, nullo in vitata præcepto, nullo prouocata exemplo præcedente, ex solo fimbriæ tactu sibi promittit sanitatem. Atque huius mulieris exemplo & beneficio instructi multi obtulerunt postea Christo male habentes, & *rogabant eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent.* Matt. 14. Marc 6.

PARS II.

De Christi sanantu virtute, misericordia & benignitate.

Sed considerata mulieris fide, deuotione, humilitate, consideremus modò Christi potentem virtutem, & benignam misericordiam.

Primò quidem virtus in eo Domini eluxit, quod attacta sola fimbria, quæ vestis est pars extrema, sanitati mulier ista fuerit restituta, & voto potita. Sic in momento temporis fimbria potuit, quod annis duodecim ars humana non potuit. Quædam arbusculæ ita sunt salutiferæ, vt quicquid in eis reperitur, siue radix, siue truncus, siue fructus, siue folia, odorem spirent, & ad sanitatem conducant. Sic est in Christo Domino, quicquid in ipso cernis, quicquid tangis, virtutem habet, gratiam spirat, salutem confert. Manus eius ægros sanant attactu; apud pedes salus reperitur & remissio peccatorum: salua visum cæcis restituit, loquelam mutis: digiti aures aperiunt surdis: oculorum intuitus radios iacit salutiferos: vox ad vitam reuocat mortuos: vestis vel sola fimbria sanitatis confert gratiam. O verè arbor tota salutifera Iesus Christus, siue radicem eius consideres, hoc est cor eius diuinum, siue verborum folia, siue ramos, hoc est, membra, siue corticem, hoc est, vestimenta.

Quod autem fimbriam dicitur tetigisse hæc mulier, nobis satis id insinuat Christum Dominum vestitum fuisse more Iudæorum, quibus præcipitur, vt in quatuor angulis exteriores vestis fimbrias hyacinthinas gestent. Et hoc quidem ordinatum fuit ad discernendum populum Israël: vt sicut circumcisio in corporibus signum erat Iudaicæ gentis; ita etiam aliqua nota reperiretur in vestimentis, teste S. Hieronymo. Atque hoc ipsum eos etiam memores reddebat præceptorum Dei, iuxta illud: *Loquere filijs Israel, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas* Num. 15. Deut 12. Num. 15.

hiacynthinas, quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes, sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo. Ex quibus verbis collige, mulierem tetigisse fimbriam, non solùm vt quid humillimum in veste, sed etiam vt quid sanctissimum, siue vt sanctitatis symbolum. Ideò enim erant hæ fimbriæ hiacynthini siue violacei & cœlestis coloris, vt significaretur per id Iudæorum conversationem & spem debere esse in cœlo, vt semper Dei timorem & præsentiam coram oculis haberent, eos à malo instar fræni cohibentem, & ad bonum instar stimuli instigantem.

Efficacia rerum & reliquiarum sanctorum.

Ex huius porrò Dominicæ fimbriæ attactu virtutem sanitatis in mulierem influente, colligitur efficacia rerum sanctarum, & reliquiarum ad Sanctos quoquo modo pertinentium; quas Ecclesia colit & asseruat tanquam monumenta pietatis, & agnoscit tamquam fontes salutiferos, per quos nobis multa beneficia deriuantur, vt dixit Concilium Nicænum & Tridentinum. Vnde de his etiam sic ait S. Damasc. li. 4. de Fide. c. 16. *Vnguentum statuunt redolentis suauitatis, morbos fugant, infirmus medicantur, cæcis visum impertiunt, leprae emundant, tentationes & mœrores soluunt.* Quapropter cultu sunt dignæ Reliquiæ sacræ Beatorum, siue ossa sint aut pulueres eorum, siue vestes, aut crines, aut fimbriæ. Quia sicut Christi vestis aut fimbria non habuit virtutem à seipsa, sed à Christo; sic habent illæ Sanctorum Reliquiæ virtutem à Sanctis, qui in Reliquijs istis coluntur. Sic de cute: *Virtutes non quaslibet* (hoc est non vulgares, sed maximas) *faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores & spiritus nequam egrediebantur.* Sic & antiquitus pallium Eliæ Elisæo relictum multiplicem habuisse virtutem testantur sacra eloquia. Sed etiam pernotum est, quanta quotidie miracula fiant ad præsentiam sacrarum reliquiarum multis in locis. De qua re cum fusè tractarim Hort. Pastoral. Tract. 3. Lect. 4. illuc remitto Lectorem.

Act. 19.

Cæterum non solùm Christum, aut eius vestem & fimbriam ab ipso virtutem hausisse ad sanitatem ægris reddendam asserimus, sed etiam ipsius Christi & vestis eius siue fimbriæ solam imaginem & effigiem. Notum est hoc ipsum ex relatione Eusebij, qui fuit Episcopus Cæsariensis tempore Constantini Magni. Sic enim ait li. 7. c. 14. Mulier profluuio sanguinis afflicta ex Cæsarea erat, quæ Philippi dicta est. Pro huius mulieris domus foribus basis quædam in loco edito collocata monstratur, in qua mulieris ipsius genibus prouolutæ palmasque suppliciter tendentis imago ære videtur expressa. Adstat verò alia ærea etiam fusa statua habitu viri stola compta circumdati, dextram mulieri porrigentis. Huius ad pedem statuæ è basi herba quædam noua specie nascitur, quæ excrescere solet vsq; ad stolæ siue vestis æreæ illius imaginis fimbriam. Quam cum crescens herba contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos languoresque acquirit: ita vt quæcumque fuerit infirmitas illa corporis, haustu exiguo madefacti salutaris graminis depellatur, nihil omninò virium gerens, si antequam æreæ fimbriæ extremitatem crescendo contigerit, decerpatur. Hanc statuam ad similitudinem vultus Jesu formatam tradebant, quæ permansit ad nostra vsque tempora, vt ipsi oculis nostris inspeximus. Hæc Eusebius. Cui subscribit Sozomenus hist. tripart. lib. 6. cap. 41. vbi ait: Cum cognouisset Iuliano Apostata in Cæsarea Philippi ciuitate Phœniciæ, quam Paneadem vocant, insigne esse Christi simulacrum, quod mulier illa sanguinis profluuio liberata constituerat, eo deposito suam ibi statuam collocauit. Quæ violento igne de cœlo cadente circa eius pectus diuisa est, & caput cum vertice vna parte deiectum atque in terra fixum, reliqua verò pars hactenus superfuit, & fulminis indicium reseruauit. Statuam verò Christi tunc quidam Pagani trahentes confregerunt. Christiani postea colligentes in Ecclesiam recondiderunt. Hæc ille.

Imago Christi & vestis eius sanitatem contulit.

Huius quoque statuæ mentionem facit S. Ioan. Damascenus lib. 3. de Imaginib. ex Ioanne Episcopo Antiocheno in Temp. descript. vbi ille sic habet: Occiso Ioanne Baptista cum tristis Herodes Rex, Philippi filius, à Iudæa abscessisset, accessit ad eum mulier quædam locuples nomine Bernice, quæ Paneada oppidum suum incolebat. Cupiebat Iesu, à quo fuerat morbo liberata, monumentum consecrare, sed sine Regis permissu non audebat. Itaque libellum supplicem Herodi obtulit, in quo petebat vt sibi in oppido suo liceret Christo Saluatori statuam auream dicare, verba autem illius erant huiusmodi: *Augusto Herodi Principi & Iudæorum Graecorumque Gubernatori, Trachonitidis Regi supplex Bernice Paneadis Domina petitio & obsecratio. Iustitia & humilitas amplitudinis tuæ fastigium eorum natat. Quod quidem ego non ignorans si ribo, me quicquid orauero, absque sperans exoratura. Quæ autem sit huiusce precis causa, ex progressu orationis intelliges. Ego iam inde à prima ætate sanguinis fluxu laborans vitam faciliatesq; meas in Medicos profuderam, nec curationem reperiebam. Cùm autem accepissem res admirandas Christum efficere, mortuos in vitam & luem reuocare, dæmones à mortalibus ejicere, & diuturnis morbis iam confectos verbo liberare, ipsa quoq; ad eum tanquam ad Deum confugi. Sed multitudine, quæ ipsum circumstabat, considerans, metuensq; ne à morbi contagione abhorres indignaretur, mihiq; maior morbi plaga fieret, mecum ipsa reputabam, me, si possem vestimenti eius oram attingere, salutem per incolumem futuram. Attigi statimq; sanguinis fons exaruit. Et illa conualui. At ipse, vt qui cordis mei consilium ante cognouerat, clara voce: Quis me (inquit) tetigit? Virtus ex me prodijt. Ego verò pallens ac gemens, morbumq; grauiorem ad me reuersurum timens, ad pedes eius prostrata, & lachrymis humum rigans audaciam meam*

meam aperui. Verùm ipse, uti benignus & clemens, vicemq; meam commiseratus, curationem confirmavit: Confide inquiens, fides tua te salvam fecit, vade in pace. Sic etiam tu Rex Auguste, quod abs te aquum stimulus, quasi furata sanitatem, exagituretur, inpeto, mihi concede.

Herodes ex supplicis oratione rem admirabilem intelligens, obstupuit, & curationis mysterium suscipiens: *Curatio tua*, inquit, *mulier, maiore est monumento digna. Abi igitur, & quod vis illi monumentum statue: eumq; qui te curavit, honoribus affice.* Statim igitur ipsa Bernice, quæ sanguinis fluxum antè perpessa fuerat, in medio oppidi sui Paneadis Domino & Deo columnam ex ære, argento auroque immixto confectam erexit. Quæ quidem columna in oppido Paneadæ ad hoc usque tempus manet. Hæc ex Ioanne Antiocheno Pontifice citato à S. Ioanne Damasceno.

Hinc aliqui dixerunt, mulierem illam fuisse Veronicam, quæ & Berenice dicta fuerit. Et hanc esse quæ Sudarium faciei Dominicæ sanguinolentæ admoverit, quod effigiem illius retinuit, ut habet traditio Christiana, id enim factum fuisse à Berenice, quæ & Veronica dicta habetur, ut testatur Cardin. Baron. ann. Christ. 134. Atque huius Sudarij contactu, cùm B. Veronica illud attulisset ad Tyberium Cæsarem, lepra ab eo fugatam esse, ex Methodio Tyriorum Episcopo, & alijs refert Marianus Scotus, & Simon Majolus Episcopus Vulturariensis, colloq. 20. Servatur verò Romæ, & summa veneratione colitur, ad illudque miracula fiunt frequentia, Ex quo etiam confirmatur, non solùm carnis aut vestis Christi, sed etiam rerum sacrarum aut reliquiarum efficacia. Propterea quoque à nonnullis asseritur, milites sub Cruce voluisse partiri Christi vestem exteriorum, quod audissent ab illa multiplicem manasse virtutem.

Euthym. in Matth.

Non absimile est facto Christi, quod de S. Thoma Aquinate legimus. Cùm enim à prædicatione Verbi divini non desisteret, & per Octavam Paschæ in Basilica S. Petri Romæ illud cum pietate & fervore ministraret, accessit mulier quædam spiritus & fidei impulsu inducta, & fimbriam eius tangens mox à fluxu sanguinis est liberata, ut testatur Breviar. Rom. 7. Martij. Sic Christus Dominus virtutem sanandi non solùm sibi, & suæ humanitatis sacro reservavit indumento, sed etiam Sanctis suis, & eorum vestibus voluit communicari.

Summa Christi benignitas & misericordia erga mulierem.

Secundò, non solùm virtus Christi elucet in hac mulieris curatione subita, sed etiam eius benignitas & misericordia. Visus est quidem sua interrogatione indignationem quandam vel severitatem præferre, dum conversus ad turbam interrogat: *Quis est qui tetigit vestimenta mea? Et circumspiciebat ut videret eam, quæ hoc fecerat.* Vnde mulier timens & tremens ad pedes eius procidit, quia furtim vestem tetigerat, & quasi sanitatis donum furata fuerat. Verùm non severitatis erat, sed benignitatis interrogatio ista: Vt quid enim à Domino ea interrogatio fit, cùm probè nosset, quænam esset illa, quæ eum tetigerat? Primo, *ut ab omni formidine feminam illam liberaret, ne conscientia stimulus, quasi furata sanitatem, exagituretur*, inquit S. Chrysostomus hom. 31. in Matth. Secundò, ut eius fidem magis illuminaret, quæ putavit se posse latere sicque tenebras omnes mentis eius dissiparet. Audi S. Chrysologum serm. 36. *Dum erubescit vulnus, dum in tali cura ipsum veretur ut Deum fides sua mulier nō parvā nubila sustinebat, & mentis sua lumine confusionem nebulis ipsa caligabat. Vox ergo inquirentis Domini velut flatus salutaris fugavit nubes, dispersit nebulas, illustravit fidem & illā, quæ noctu latebat in tenebris reddidit Sole clariorem, An minor est Sol, qui toto orbe radiat, quā toto Ecclesia fulget & resplendet in cœtu?* Tertiò, in aliorum salutem eius voluit Dominus fidem alijs fieri manifestam, ut eam possent imitari: sicque etiam Principem Synagogæ, pro cuius filia suscitanda iter peragebat, voluit ad perfectam fidem erigere: & omnem ambiguitatem ab eo tollere. De hac re rursus S. Chrysologus sic loquitur: *Non ignorantis error, sed manifestate præscientis Dominus interrogat: nec quod occultum sibi esse, requirit, sed ipsum sibi esse bene cognitum sic demonstrat, dum taliter quærendo cunctis ignorantibus solus aperit quod latebat; eamque producit in medium, & suis astare facit conspectibus, ut quæ sibi portarat salutem, omnibus reportaret, & quæ virtutem probarat, agnoscet mœstatem, & quem occulte senserat medicum palam profiteretur ut Deum, sicque tam præsentibus quàm futuris fieret de tanto suo languore medicina.* Hæc ille.

Cur eadem huius mulieris Christus alijs constare voluerit.

Propterea igitur eam Dominus ad pedes suos procidentem maxima complectens benignitate, subiungit, *Confide filia, fides tua te salvam fecit. esto sana à plaga tua.* An verbis teneroribus maiorem que benignitatem & affectum indicantibus posset eam compellare? filiam vocat, quid blandius & tenerius? Dicit ei ut confidat, quia timorem omnem ab illa vult excutere, quæ furtim rapuerat sanitatē, ideoque timida erat. Sed pium illud furtum fuerat, quod furantis cedebat in lucrum, & ei cui auferebatur. nullum gignebat detrimentū. Vlterius collaudat eius fidem, per quam asserit ab ipsa promeritam salutem. In hoc enim eius luxerat fides, quod in Christo nihil postremum cecidetat, nihil iudicaverat extremum, cùm fimbriam tetigerat; quia nec minoratur Deus in homine, nec virtus attenuatur in fimbria: unde per vestimentum externum penetravit in interiora illa, quæ in Christo erant, & per tatem, quia agnovit divinitatem Christi, & cœlestem virtutem. Audi S. Chrysologum serm. 35. *Fratres, magna est hæc mulier, & nimium permiranda, quæ scientia Doctores legis vicit, Sacramento omnes Iudæos superavit, fide præcessit Apostolum, Nam Iudæa cum scribis & Doctoribus suis Deum despexit in corpore. Thom. Apostolus ut Christum Deum*

crederet, immisit manus, iniecit digitos, patefecit vulnera, & ut Christum crederet, iterum pati compulit Christum.

PARS III *Quo anima peccatrix in hac mulliere figurata sanitatem cõsequi possit.*

MVlier hæc animæ peccatricis gerit figuram, docetque quomodo illa peccati sui curationem & medelam valeat impetrare. Peccatum per sanguinis profluvium, quo hæc mulier laborabat, frequenter significat Scriptura. Hinc dicitur per Propheram: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Vbi S. Hieronymus, & Cyrillus, aliique sacri Interpretes per sanguinem peccatum accipiunt. Quasi dicat Propheta: *Sanguis sanguinem tetigit*, peccata peccatis adduntur, scelera sceleribus accumulãtur, Domus, vici, fora, templa, agri, & muri peccatis inundant. Vnde S. Gregorius hom. 11. in Ezech *Sanguis sanguinem tangit, quando peccatum peccato additur, ut ante Dei oculos adiunctis iniquitatibus anima cruentetur.* Hinc etiam dicitur: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Sic in eundem sensum alibi: *Erit fons patens in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Nempe immunditia menstrui, typus est peccati; quia peccatum est quoddam menstruum animæ, sive virus & pollutio ipsius; ideoque Christus baptismum, & pœnitentiam aperuit tamquam fontem, in quo hæc immunditia expietur & elevatur. Denique propterea clamat David ad Deum, & secum vult omnes peccatis inquinatos clamare: *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ.* Et licet potissimum id dicat propter peccatum adulterij & homicidij; recte tamen etiam de omnibus omnino peccatis intelligitur, quia nomine sanguinum in sacris Literis indicabtur, propter fœditatem, quam animæ inducunt.

Quo anima peccatrix in hac mulliere figurata sanitatem cõsequi possit.

Ose. 4.

Zach. 13.

Psal. 50.

Quomodo autem acquiratur curatio & emaculatio fluxus sanguinis huius, quo animæ decor perit & vigor, gratiaque cum meritis evacuatur, edocuit hæc Hemoroissa.

Mulier turpiæ est

1. *Accedãdo & quidem retrò accedendo.*

Primò ad Medicum accedit & retrò accedit. In quo ostendit, illum, qui sanguinis fluxum patitur spiritualem, (hoc est, qui multis peccatis est deditus, ambulans post suas concupiscentias, vel qui vinus peccati consuetudine detinetur, illud sæpe reperens) ad Christum Medicum accedere debere cum timore, verecundia & humiltate, quasi retrò se sistendo præ pudore. Quare retrò. Vt scapulis suis obumbret; & ut projiciat post tergum suum omnia peccata. Retrò debet accedere, qui post gravia peccata accedit, & optat justificari *quia non iustificabitur in conspectu eius omnis vivens.* Non iustificabitur, qui erubescit erubescere. Ideo Magdalena accedit retrò pedes Domini, nec audet vultum eius respicere. Ideo Publicanus stans retrò in angulo non audet vel oculos in cœlum levare. Ideo Prodigus erubescit coram Patre comparere, dicitque: *Peccavi in cœlum & coram te, non sum dignus vocari filius tuus.* Sed Dominus hanc erubescientiam benignè complectens, in conspectu suo ponit tamquam rem pretiosam & sibi acceptissimam. Sic enim & lachrymas Magdalenæ retrò erubescentis posuit in conspectu suo, & in conspectu Pharisæi, cum redarguens de indignatione contra peccatricem, cum illa indigniorem se se Pharisæus exhibuisset. Sic & verecundiam & humiltatem Publicam palam collaudavit, asserens præ Pharisæo justificatum rediisse in domum suam. Sic quoque Prodigi humilem pudorem prævenit occurrendo, in collum corruendo, exosculando. Denique quod hanc mulierem advocarit in conspectum suum, & totius turbæ dignationis est, quia eius verecundam humiltatem sic omnibus voluit manifestam, ut sibi probatam agnosceret.

Luc. 7.

Luc. 18.

Luc. 15.

Secundò accedit magna cum fiducia, magna cum fide, dicebat enim intra se: *Si tetigero tantum fimbriam, salva ero.* Vbi exemplum le exhibet peccatori, ut cum se humiliaverit agnitione miseriæ & immunditiæ suæ, fiduciam concipiat de misericordia & potentia Christi Domini benignissimi & sapientissimi Medici, ut sanitatem *possuiet in fide nihil hæsitans*; quia tunc nec denegabitur, nec improperabitur ei. Sit ad petendum non opus est nisi cordis loquela, quæ fieri potest in secreto voris cum clamore mentis. sicut patet in hac muliere, quæ non nisi intra se dicebat. *Si tetigero fimbriam, salva ero.* Vnde S. Chrysologus serm. 34. *Hodie mulier cum quæreret medicinam tacita vulnera verecundo, invenit silentium per quod posset peccator ad veniam pervenire. Prima est felicitas in peccatorum turpitudinem non venisse, sed felicitas est secunda, peccatorum veniam peccatis latentibus invenisse. Hoc Propheta jam erat, qui dicebat: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Iterum idem S. Chrysologus, hac de re agens, serm. 36. sic prosequitur: *Felix mulier, quæ in tanta multitudine est sola cum Christo, ut sola sit confessa & salutis reddita & virtutis excelsæ. Sic inter Dominum & mulierem furtiva salutis agitur tam grande commercium.* Certe per contritionem peccator redit ad gratiam & salutem in veritque medelam; & hæc in solitudine cordis inter Deum & animam in silentio peragitur. Vt autem ostenderet Dominus post contritionem necessariam esse confessionem, etiam si gratiam quis consecutus fuerit in silentio, vocat coram se hæmoroissam hanc, dum inquirit. *Quis me tetigit?* Illaque tremens venit, & procidit ante eum, *& dixit ei omnem veritatem.* Si omnibus nobis exemplum dedit confessionis faciendæ cum integritate, etiam in silentio contritionis impetrata prius venia & medela: ut possit is, qui Christi Medici locum tenet, dicere peccatori: *Vade in pace: Esto, sanus à plaga tua.*

Iacobi 1.

2. *Accedendo cum fiducia magna fide.*

Tertio accedens tangit vestimentum, & ita tangit, ut virtus ab illo exeat. Quapropter Dominus interrogat palam: *Quis me tetigit?* Cumque dicerent Petrus excusand. *Præceptor, turba te comprimunt mente & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?* Dixit Iesus: *Tetigit*

3. *Tangendo vestimentum.*

fimbriam

Tetigit me aliquis. Nam ego noui virtutem ex me exiisse. Ex quo mulieris facto colligitur, non satis esse Christum comprimere cum rudi & indevota turba, quia hoc potius est ipsum affligere. Sic eum comprimunt, tangunt, affligunt, qui eum sequi volunt, & ad ipsum volent accedere, vel per orationem, vel per communionem sacram sine devotione & affectu ex usu & consuetudine solum arida, idcoque virtus & fructus ad illos non exit. Quapropter S. Augustinus serm. 6. de verb. Dom. dicit: *Tangit Christum fides paucorum, premit eum turba multorum.* Quitergo hanc imitari desiderant mulierem, & fructum referre, ac virtutem sentire ex Christi Domini attactu, tangere eum debent, vera fide, viva devotione, perfecta humilitate. Quia quidem ratione si vel solam fimbriam tangant, efficaciam persentiscent sive in oratione, sive in sacra communione. In eandem sententiam dicit S. Gregorius in Moral. cap. 15. *Multi Dominum comprimunt, & una tangit; quia carnales quique in Ecclesia eum premunt, à quo longè sunt, & soli tangunt, qui huic veraciter humiles adiunguntur. Premit turba carnalium, & non tangit, quia & importuna est per præsentiam, & absens per vitam.* Vnicum ergo suspirium è corde devote depromptum, una lachryma è visceribus fluens pietatis, una precatio vivo spiritu prolata tangit Christum & urget eum dicere: *Quis me tetigit?* Multa verò oratio sine spiritu parum coram eo æstimatur, parumque proficit, nec virtutem attrahit; multoque efficacior est fimbriæ contactus cum fide & humilitate, quam totius vestis compressio cum indevotione ex arida sequela & consuetudine.

Luc 8.

Quarto dicamus cum S. Chrysologo ser. 34. *Docuit hæc mulier quantum sit corpus Christi, quæ in Christi fimbria tantum esse monstravit. Audiant Christiani, qui quotidie eo pus Christi attingunt, quamnam de ipso corpore sumere possint medicinam, quando mulier totam rapuit de Christi sola fimbria sanitatem. Sed quod nobis faciendum est mulier de vulnere medicinam tulit, nobis medicina ipsa retorquetur in vulnus. Ideo Apostolus tangentes indigne admonet, & deplorat: Qui manducat indigne, sibi judicium manducat. Inde temeritas infirmitatem accipit, unde fides accipere debebat sanitatem.* Hæc ipse Rursus idem Chrysologus sic dicit serm. 33. in fine: *Tetigit vestem mulier, & curata est, & ab antiquo est ab oluta languore. Miseri qui quotidie corpus Domini tractamus, & sumimus, & à nostris vulneribus non curamur. Non Christus infirmitatibus, sed fides deest, nam multò magis modo in nobis manens poterit vulneratas curare, qui latentem mulierem præteriens sic curauit.* Hæc ille eleganter ad nostram admonitionem. Hoc ipsum est, quod admonent alij SS. Patres, & nobis in consideratione propouunt: *Cur luti manemus Agnum toties comedentes* inquit S. Chrysostomus hom. 82. in Matthæum? Cur tam manemus frigidi, huc ignt divino adeo frequenter appropinquantes? Cur perstimus famelici, pane cœlesti ita crebrò participantes? Cur languemus infirmi, medicinam vivificantem de die in diem sumentes? Cur sanguinis profluvius adhuc non sistitur nos contaminans, cum non solùm Christi vestem aut fimbriam, sed etiam corpus cum deifica virtute sæpe non detur contingere? Verè non Christus deest nobis, sed deest nobis dispositio & devotio præequisita, sicque nos Christo deesse contigit ut virtutem ab eo non persentiscamus, nec fructum negligentia & socordia nostra.

4. *Docet hæc mulier quo modo corpus Christi tangendum sit.* 1. Cor 11.

Conclusio.

TV Domine Iesu Christe, Medice benignissime, sapientissime, potentissime, qui semper pertransisti omnibus benefaciendo, per benignitatem & misericordiam tuam ne pertranseas, non deserens a benedictione & beneficijs tuis inanes & vacuos: sed quoniam nosti quod fluxum sanguinis patimur, (noxium scilicet concupiscentiæ morbum, qui in nobis prava consuetudine sanguis super sanguinem fluit, peccatum peccato accumulatur, animas nostras mirè commaculans) sistere digneris morbidum hunc fluxum tua potentia & virtute. Fac ut ad hunc effectum cum verecundia & humilitate, cum fide & devotione valeamus te tangere per contritionem & orationem silentem cordis per integrum confessionem oris, per attactum salutiferum sacrosancti tui corporis, tamquam vestimenti quo tua vestita est divinitas. Sic fac nos audire pro anima nostra peccatrice idem, quod mulier ista Evangelica: *Confide fili: Vade in pace: Esto sana à plaga tua.* Atque ita gratiarum tibi actiones cum omni benedictione rependemus, & in sæcula sæculorum potentiam & benignitatem tuam collaudare valebimus.

Exempla.

SIcut voluit Dominus vestem suam instrumentum esse miraculosæ sanitatis, sic & vestes Sanctorum suorum, (maximè eas quibus in sacrificio usi fuerant repræsentantes Domini personam) voluit instrumenta multorum miraculorum.

Vestes SS. instrumenta miraculorum.

Notum est de Stola sacra S. Huberti in Diœcesi nostra Leodiensi asseverata à nonagentis iam ferè annis, ex qua quotidie aliquid demitur, manet tamen diminutionis expers. Per eam dæmones pelluntur energumeni liberantur, phrenetici sanantur, à rabie quoque & mentis alienatione illi præservantur qui à rabidis animalibus morsi ad eam accurrunt, & particulam fronti suo imponi post sacram confessionem & communionem obsecrant, in medio frontis per exiguam sectionem elevata nonnihil pellicula.

Sic Monasterium Walciodorense Namurcensis Diœcesis asservat Stolam sacram S. Foranni Abbatis sui primi, & quondam Archiepiscopi Dominocinorientsis, quæ est Metropolis Hiberniæ. Fuit autem dictus Forannanus operatione signorum exitimius; & per illam Stolam, cui argentia tintinnabula annexa sunt, multi rabidi pecoris morsu læsi sanati leguntur.

Stola etiam quædam S. Caroli Borromæi Parisijs in templo S. Iacobi pretiosè asservatur, quæ ab

Illustrissimo Frederico Borromæo data fuit eximiæ Sodalitati ibidem erectæ per Illustrissimum Henricum de Goudy Cardinalem & Episcopum Parisiensem in honorem S. Catoli, cui & Episcopi & Archiepiscopi, ac Doctores, Pastoresque eximij adscripti sunt. Multi autem in ægritudinibus, aut afflictionibus ad hanc Stolam confugientes, remedium & solatium reperiunt.

EADEM DOMINICA.

Lect. 36 bipart. *Domine filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.* Matth 9.

PARS I. *Documenta moralia exparte puellæ & patris eius continet.* 4. *Reg.* 4.

MAterno impulsa affectu Sunamitis accedit ad Elizæum Prophetam, & se ad pedes illius abjiciens supplicat pro filio recenter defuncto, ut diguetur secum venire Propheta eamq; vitæ reddere. Vnde apprehendens ipsius pedes, ait: *Vivit Dominus, & vivit anima tua, non dimittam te.* Quapropter, *surrexit & secutus est eam*; non obstante quod iam præmisisset famulum suum Giezi cum baculo, quem poneret super faciem pueri. Ingressus est igitur Elizæus domum, & clausit ostium super se, & super puerum, & incubuit super illum, & reversus est spiritus, redditeque filium Matri suæ, corruenti iterum ad pedes Prophetæ & adoranti supet terram. In Evangelica autem hodierna historia ecce non mulier, sed Vir inter suos præcellens, Princeps utique Synagogæ, paterno impulsus affectu, lugens languentem filiam, & ad extrema vitæ deductam accurrit, non ad Prophetam, sed ad Prophetarum Magistrum, docentem tunc eos qui sibi magisterium usurpabant, hoc est Pharisæos. Coram illis procidit ad pedes eius (sciebat hunc Magistrum aures in pedibus habere deprecans submississimè & obnixissimè ut dignetur secum venire, & imponere manum suam filiæ in extremis agenti, vel iam defunctæ, non dubitans sic posse eam vitæ & sanitati reddere. Neque dedignatur Christus ipse venire, aut imperfectam eius respuit fidem, qua putat opus esse ut in suam domum adveniat pro reddenda vita aut sanitate; nec quempiam ex discipulis suis mittit qui Magistri utatur auctoritate & imperio: sed personaliter sequitur Principem hunc supplicem & humiliatum, eiusque fidem erigit & perficit, dicens: *Noli timere tantum modò crede.* Tandemque domum appulsus, semovet turbam, & assumptis Patre ac Matre puellæ cum tribus suis discipulis, claudit ostium, tenet puellæ manum. Sic dum ipse inclamat *Puella surge* confestim reversus est spiritus, & illa surrexit. Attende hic nonnulla similia cum facto Elizæi Prophetæ quia Elizæus & resuscitatio per eum effecta typus erat Christi & suscitationis per Christum peragendæ, Attende etiam nonnulla dissimilia. quia perfectius Christus maiorique cum auctoritate sua edit miracula, utpote propria potestate. Namut ostenderet se docere & operari aliter quam soliti sunt alij Prophetæ, utitur imperio dum sanat languidos, vel suscitat mortuos. Si enim leprosum alloquitur, dicit ei; *Volo mundare.* Si mortuum quempiam in vitam revocat, cum imperio idipsum peragit: *Adolescens tibi dico, Surge. Lazare veni foras Thabitha cumi: Puella surge.* Vnde S. Ambrosius hac de re mentionem faciens, & ostendens olim aliena virtute patrata à Sanctis miracula, à Christo autem virtute propria, sic dicit: *Si Tobias lumen recepit, Angeli fuit non hominis medicina: Si Elias mortuum suscitauit, ipse rogavit, obsecro Domine ut reverteatur anima pueri in viscera eius, Si Elizæus leprosum mundavit, valuit figura mysteris, non auctoritas præcepti.* In Christo ergo morti prævaluit potestas præcipientis & leviter manum tangentis, in Elizæo oratio toto corpore mortuo puero incubantis. Interim pleraque consimilia in utroque suscitationis mysterio reperiunt: nam utrobique impellit supplicantes pius affectus ergà proles: utrobique ad pedes procidendo fit supplicatio: utrobique petitur ut in domum ubi jacet funus, accedat suscitaturus, utrobique contactus fit emortui cadaveris; utrobique secernitur turba & ostium claudtur, ut velut in secreto res peragatur. Sic typus conformis est veritati, Elizæus Christo Domino, in cuius virtute suscitat non absimilis est, nec ubsimiliter se gerit.

Porro ad moralem doctrinam nonnulla hic documenta annotabimus, primo quidem ex parte puellæ, secundo ex parte patris.

1. Ex parte puellæ salubre documentum elicimus, quandoquidem illa nobis ante oculos ponit miseriam conditionis humanæ, cui omnis ætas, omnisque status subditus est. Erat ipsa filia Principis, erat unica Patri suo, erat ex asse totius hæreditatis, erat spes, decor, & columna domus; erat duodecim annorum, jam nubilis & floridæ ætatis, at ecce morbo & morti obnoxia lugetur. Vnde ipsa moriens dicere potest; *Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me.* O quã recte comparatur mundus arbori varios flores, variosque fructus ferenti, sed paucos ad maturitatem perducenti! Nempe alij vento excutiuntur, alij vredine correpti ustulantur, alij verme corrosi excidunt, alij intempestivè exciduntur. En tibi ea in re præclara mundi & gloriæ eius fallacis figura. Quam multi enascuntur quasi flores & fructus speciosi, sed vel febre, vel ægritudine alia, quasi æstu vel frigore mox correpti in sepulchrum decidunt, & conculcationi sunt obnoxii quasi flores emarcidi? An non hoc ipsum Iob dicere voluit, dum de homine dixit: *Quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra.* Quandonã egreditur ut flos nisi in oriente vitæ & infantiæ suæ? Aliquamdiu quidem videtur florere & odorem dare sed mox conteritur varijs ærumnis & morbis, tandemque deficiente Sole redditur occidenti suo & terræ

1. *Ex parte puellæ.*

Isai. 38.

Iob. 14.

De hac vide plura sup. de filio Regul.

Ieem de adolescente in Naim mortuo.

terræ, iacetque in vmbra mortis, & tota eius gloria & spes evanescit. Aptè igitur monuit Rex & Propheta: *Nolite confidere in filiis hominum: Exibit spiritus eius & revertetur in terram suam, in illa die peribunt cogitationes eorum.* Frustra Ionas confidebat in vmbra hederæ & eius virore, quia mox vento vrente & verme erodente emarcuit. Nec benè iracscebatur ipse vmbra illa fugiente, quia eius fugacitatem debuerat agnoscere & prævidere, nec in illa confidere. Prudenter Archisynagogus videns filiæ suæ mortem, non irascitur, nec impatienter ferret, licet sub eius vmbra conquiesceret, & spem multam in ea haberet, seu in coniugio honorato & prædiuite, ad quod idonea propediem cernebatur cum magno familiæ gaudio sed humiliatus & lugens adit eum, qui florem hunc exeisum suæ potest radici refigere, vt iterum efflorescat, & germinet lætius & fœcundius. Nec spe sua frustratur; non *in filiis hominum, in quibus non est salus,* sed in Filio Dei & hominis confidens, qui hominum salus advenerat.

Psal. 145. Ioan. 4.

2. Ex parte patris eius.

2. Ex parte Archisynagogi pro filia supplicantis etiam hoc pro documento advertimus, quod in Evangelica historia multa nobis proponantur exempla parentum, qui ad Christum veniunt pro filijs supplicaturi, nullum verò habemus in quo filij pro parentibus obsecrate cernantur.

Ioan. 4.

Sic Regulus obsecrat pro filio febri correpto & ad extrema deducto: *Descende priusquam moriatur filius meus.*

Matt. 15.

Sic Chananæa obsecrat pro filia: *Miserere mei Fili David, quia filia mea malè à dæmonio vexatur.*

Matt. 20

Sic Mater Zebedæi accedit pro duobus filijs magno affectu supplicatura, vt sedeant ad dextram & ad sinistram.

Luc. 9.

Sic denique apud Lucam quidam filium suum adduxit ad discipulos Christi, & ad Christum, qui ab infantia à dæmonio vexatus fuerat.

Luc. 7.

Sic quoque lachrymæ viduæ in Naim censentur pro filij vita obsecrare, & à Domino exaudiuntur.

Revolue Evangelica gesta, filios aut filias pro parentum vita aut sanitate deprecantes apud Christum Dominum non reperies. Advenit quidam ad eum, mortuis iam recens parentibus, & dicit ei: *Magister dic fratri meo vt dividat mecum hæreditatem.* Non obsecrat vt in vitam Patrem aut Matrem suscitet, sed mavult hæreditatem quam eorum incolumitatem; ideoque pro illius partitione rogat, vt scilicet Dominus ei apud fratrem velit fautor esse.

Luc. 12.

Affectus parentum est maior in proles quàm proli um in parentes.

Ex his colligimus, longè maiorem esse affectum parentum erga proles, quam prolium erga parentes: immò hunc læpius deficere, & perverso affectu quosdam magis affici patrimonio & hæreditati, quam Patri & Pietati: magisque gaudere de hæreditate relicta, quam de parentum lugeant morte funesta. Quia ergò ea est ingratitudo hominum erga suos progenitores, speciali mandato præcepit Dominus honorari parentes, tam externo & interno honore & amore, quam cura & sustentatione, si fortè contingat eos indigere. Non legimus autem præceptum speciale à Domino datum parentibus, vt filios diligerent, & pro illis solliciti forent, curamque gererent illorum: quia hoc satis superque factum erant, maximè si de corporalibus & temporalibus agatur, de quibus sæpè nimia est pro illis sollicitudo. Quapropter nonnulli parentum similes se reddunt Pellicano, qui dicitur proprium pro pullis elicere & exhaurire sanguinem, vt eis vitam impertiatur, vel eam foveat. Sic aliqui dilacerant se & corpore & anima, vt prolibus provideant, affectuque nimio eis indulgent cum proprio nocumento, sudorem & sanguinem exantlando. Non approbatur à Domino hæc nimia erga proles sollicitudo: moderata & bonæ conscientiæ confœderata laudabilis est, quæ à pietate procedit: *& hanc repensabit parentibus Parens omnium Deus,* inquit S. Chrysost. serm. 33. Ibi etiam de sollicitudine & dolore huius Archisynagogi propter filiam morientem sic eleganter loquitur: *Circumstante familia, inter tenera & blanda obsequia propinquorum molli sita decumbit in lectulo: Pater pronus jacet tacet & versatur in terra. Illa deficit corpore, hic mente & animo contabescit. Illa secretas languoris sui justitiæ passiones, hic fœdus & lugubre totus toto fertur & tactatur in populo. Illa moritur ad quietem, hic vivit ad pœnam.*

Porrò hic Archisynagogus sic lugens, sic sollicitus pro filiæ suæ morte, quæ vnica erat, etiam nos instruit quantum luctus & doloris impendere, quantumve curæ & sollicitudinis peccator gerere debeat pro anima sua per peccatum mortua, quandoquidem vnica sit, quam qui perdit omnia perdit: *Quid prodest homini, si vniversum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Omnia duplicia nobis dedit Deus,* ait S. Chrysost. hom. 22. ad Pop. *duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes: si horum vnum læditur, per alterum nos consolamur. Animam verò dedit vnam, si hanc perdiderimus quanam vtemur? Huius ergò providentiam faciamus: vtibil salutis illius præferentes.* Hæc Chrysost. Hæc est illa vnica pro qua frequenter in persona peccatoris orat Rex & Propheta: *Erue à framea Deus animam meam & de manu canis vnicam meam.* Quasi dicat: Eruc eam à morte, erue eam à dæmonis potestate, quia vnica est, & digna tua compassione: hanc nobis in depositum dedisti sacratissimum, hanc tuo pretioso sanguine redemisti, hanc ne pereat æternum: sed si per infirmitatem mortua est & in manus ac potestatem hostis tradita, erue eam & potestate tua suscita, eam iterum vt tuam tibi vendica. Leonibus infesti & Satanæ malignitati exposita, magnis circumuncta est periculis: *Sed tu Domine quando respicies? Restitue animam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam.* Sic quia vnica est, custodienda sollicite

Quantum pro anima peccatrice lugendum & dolendum.

Psal. 21.

Psal. 34.

Deo

Deo commendanda obaiissimè. Votis est anxijs gatus, nomen Domini invocaret, & agnosceret Salrequirendus, vt iterum viuificet, si quandoque in uatorem, inquireretque pro filia & pro se salutem. infirmitatem aut mortem cadat. Hoc sua erga filiam vnicam sollicitudine, & ad Christum Viuificatorem propero gressu nos docet hic Archisynagogus Quam toll citudinem approbans Dominus, illius preces & lachrymas benignè suscipit, eius vota illicò exaudit. Filia autem hæc prima est inter eos, qui à Christo suscitantur, & significat animam illam peccatricem, quæ animo peccatum concepit, sed necdum opere compleuit. & ideò reputatur defuncta in domo, ibidemque suscitatur. Alter adolescens qui efferebatur defunctus extra portas, significat peccatorem per peccatum mortuum, qui opere compleuit voluntatem, & non solùm interno sed etiam exterius consummato peccato sibi mortem conscinit. Lazarus verò quatriduanus & fœtidus eos designat, qui consuetudine peccandi iam fœterent, & putorem coram Deo & hominibus exhalant. Ideò difficilius suscitantur quam priores recenter adhuc mortui, in quibus Dominus non præcipere. Sic inter retatur id S. Gregorius 18. Moral. c. 25. *Foras turbæ eijcitur vt puella jus citetur: quia nisi prius à secretioribus cordis expellitur jecularium multitudo curarum, anima quæ intrò secus mortua iacet, non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desiderioru cogitationes sparget, ad considerationem sui se nullatenus colligit.* Hæc ille.

Tres mortui à Christo jusciatati quid significent.

PARS II. *Moralia, ex parte Christi continet.* 1.

EX parte etiam Christi Domini nonnulla elicimus salubria documenta. Ac in primis docet benignitatem etiam erga inimicos, quando ad primam petitionem mox sequitur. Principem Synagogæ, vt eius votis satisfaciat quantocyus. Non enim se morosum exhibet, non eius adhuc imperfectam fidem arguit, quod præsentiam Domini corporalem existimet necessariam ad suscitandam filiam: sed carbones ignis congerit super caput eius, & beneficijs eum sibi devincit ac benignitate, sequendo, & ei obsequendo quam propere. Cùm ergò hic fuerit Princeps Pharisæorum, qui Christo Domino erant infensissimi hostes, illum volut & illos sic vincire, & vincere, vt odium deponerent, *Psal. 11.* & ad ipsum venirent attracti *in funiculis Adam, in vinculis charitatis.* Immò Christus tamquam magnes mysticus occulta sua virtute animum huius Principis ad se attraxit, antea fortasse durum & rigidum instar ferri. Immisit illi afflictionem, tribulationem, & dolorem ex interitu filiæ, vt hoc quasi funiculo attractus, aut pungente velut calcari instigatus, & ad ipsum veniret. Secundò, Christus Dominus adventans ad do- 2.
mum Principis Synagogæ vt suscitet filiam, seme- *Cur tibicines ad. hibiti sint ad funera*
uer turbam tumultuantem ac Tibicines. Hi adve- nerant, inquit Theophilactus, quia moris erat apud Iudæos in funer. Virginum Nobilium, in signum Virginitatis intactæ, eosdem Tibicines & Lutores advocare qui iolent nuptijs adesse. vel certè ideò vocabantur, vt accentu lugubri ad luctum omnes conciarent, sicut & antiquitus lamentatrices ad eum effectum adhibebantur. Per hoc verò quod tumultum omnem & turbam secreuit Dominus, significauit & nos edocuit, illum qui peccato mortuus est, non facilè ad vitam gratiæ redire, si in medijs agat turbis: ideoque necessarium esse turbam secedere, vt vitam cordis in secreto possit recipere. Sic inter retatur id S. Gregorius 18. Moral. c. 25. *Foras turbæ eijcitur vt puella jus citetur: quia nisi prius à secretioribus cordis expellitur jecularium multitudo curarum, anima quæ intrò secus mortua iacet, non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desiderioru cogitationes sparget, ad considerationem sui se nullatenus colligit.* Hæc ille.

Propterea etiam in historia defuncti pueri cum 4. Reg 4.
Mater procur. sset omni cum sollicitudine, vt filiæus ei vitam refunderet, dicitur quod ingressus Elizæus locum vbi puer iacebat, clauso ostio super se & super puerum, oraueit ad Dominum. Nequidem domesticos admisit, se solum Elizæus & puerum inclusit. Figura iterum hic est peccatoris, qui debet ab omni familiarium conversatione secedere, & solus cum Magistro spirituali includi, vt ad salutem & vitam valeat reviti, spiritumque diuinum rursum concipere. Hoc ipsum adverit quidam ex Doctoribus antiquis sic sapienter de hac re loquens: *Nec Matri carnali ad filium mortuum admittendus datur, vnde enim debet secretius in sepulturæ locus mortuo in peccatis prefiari, vt nihil capiatur amplius quam Medicus & cadauer.* Ita, ô peccator, quære tibi locum & cubiculum absconditum, vt peccata defleas, vt salutem & vitam gratiæ, spiritumque diuinum iterum recipias, & reddatis Patri spirituum, ac Ecclesiæ Matri tuæ cum gaudio sanus & incolumis. Sic nimirum multi in cubiculo & loco secreto exercitijs animæ interioribus vacantes, vitam & spiritum recipiunt, vbi solùm Medicus est & cadaver. Quapropter Magistri spirituales vitæ annuam recollectionem & secessum in locum aliquem à turbis remotum suadent vnicuique ad animæ statum perfectè investigandum, ad exscindendam & amouendam penitus peccatorum occasionem, ad resuscitandum spiritum & spiritus fervorem. De qua re specialiter tractaui in Virga Aaronis Tract. 3. Lect. 13. Vide ibi dicta.

Bacharius ep ad Ianua.

Tertiò, in hac quod Christus Dominus ait, *Non* 3.
est

Vanam gloriam fugiendā docet Christus in hac suscitatione

est mortua puella, sed dormit, & postea præcipit præsentibus suscitationi, ut nemini dicant, docet nos fugere ostentationem & vanam gloriam. Sic enim fere solet suas virtutes celare, & magnalia sua immanuere. Ideo ergo maluit hic mortem vocare somnum ut sic obtegeret laudem & gloriam; potuit verò cum veritate dicere: *Non est mortua sed dormit.* quia hæc mors non tam mors quam somnus erat quem excutere venerat Dominus, quasi dormientem excitaturus; & ideò vocat somnum, quia tam facilè ei erat à morte quàm à somno eam excitare. Sed audi hac de re Sedulium lib. 3. Paschal. cap. 11. *Cunctis corpus videbatur extinctum, soli Christo qui ad vitam venerat largiendam, sopor apparebat insusus. Et hoc ad eius gloriam pertinuit singularem, quod defunctum dixerit dormientem, ut admirabilia facta virtutum monstraturus, minus se donare pronunciās quàm donabat, humanæ laudis declinaret iniuriam.* Hæc ille. Sic nimirum Christus opera sua celat, ut nos doceat nostra non prædicare, aut exaggerare, sed potius à laudibus quasi ab iniurijs nos subtrahere. Propter hanc enim causam etiam alibi dixit, *Lazarus amicus noster dormit, & ego vado ut à somno excitem eum.* Sic & Moyses, licet iam inauguratus foret ut Legatus Dei & populi Israel Liberator per miraculum rubi & missionem Dei, tamen hoc celat proficiscens in Ægyptum, & socero solummodo dicit: *Revertar ad fratres meos in Ægyptum ut videam si adhuc vivant.* Non dicit, ut educā eos iuxta potestatem mihi datam; hoc ipsum sub secreto tenet, quia non suam sed Dei ambiebat gloriam sicque docet non propalare facilè gratiam sibi à Deo collatam, quia opportuno tempore illam Deus poterit manifestam reddere.

Joan. 11.

Exod. 4.

Marc 5.

Quod autem Dominus præcepit his qui præsentes erant suscitationi ut nemo id sciret, idque *præcipit vehementer*, non sic locutus est cum præcepto, ut peccati vinculo quempiam obstringeret, sed ut humilitatis documentum daret, & ab inani gloria ac ostentatione magnopere se alienum ostenderet. Vnde S. Gregor. 19 Moral. c. 14. sic dicit: *Servus suus Christus exemplum dedit, ut ipsi quidem virtutes suas occultare desiderent, & tamen ut alij proficiant eorum exemplo, prodantur invicti. Et facta quidem occultando sua se ipsos custodiant, sed dū produntur invicti, bona ad proximos suos exempla transmittant. Occultentur ergo studio, necessitate pubicentur; & eorum occultatio sit custodia propria, eorūque publicatio sit utilitas aliena.* Hæc ille.

4. In bono opere progrediendum, non obstante malorum irrisione

Quartò, quod Dominus dum divinum ac mysticum verbum pronuncians; *Non est mortua puella, sed dormit*, permittit se rideri à turba rem crassè intelligente & ignorante: significavit & docuit non obstante irrisione malignantium vel ignorantium in pio opere esse progrediendum. Sic David ante arcam Dei totius virtibus saltans derideretur à Michol. Sed nihilominus prosequitur opus ex pietate susceptum & dicit: *Vivit Dominus quia luxam & vilior fiam plus quam factus sum, & ero humilis in oculis meis.* Sic populus alienigena deridet populum Dei ædificantem, imo quibus potest modis impedire conatur: at ille irrisiones alienigenarum contemnit, & conatibus eorum obsistit perseverans in opere: *Vna manus opus faciebant, altera gladium tenebant*, ut dicitur: Sic & justi una debent manu operari, altera patientiam tenere in medijs vel ludibrijs, vel contumelijs, vel conatibus obsistentium mundanorum hominum. Nec debent filij lucis inquietari propter noctuas ululantes: nec propter canes oblatrantes debet qui rectam viam carpsit ab ea recedere. Nam & hoc præmonuit Sapiēs *Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via.* Sed hoc contemnendum, tamquam si cæcus deridet videntem, claudus rectè gradientem, æger sanum. Non est vituperium lucis, si odit eā aut ridet vespertilio, nocte laudans.

2. Reg. 6.

1. Esd. 4.

Prov. 14

Postremo non sine mysterio Christus ad puellam veniens, eius tenet manum, quia etiam nō sine mysterio rogatus fuerat his verbis: *Veni, & impone manum tuam super eam.* Vnde S. Chrysologus subtiliter serm. 33. hac de re sic loquitur: *Archisynagogus hic legis notitiam habebat, & cum verbo cætera, hominem manu Dei legerat figuratum. Credidit ergo Deo, quia eadem manu qua creasam senserat filiam, credidit recreari & resuscitasse ad vitam; ideoque rogat ut qui sponte posuit manum ad creandum, adreparandū iterum exoratus imponat. Huc spectat illud Prophetæ: Tu formasti me, & posuisti super me manū tuam. Qui posuit cum formaret ex nihilo, imposuit iterum ut reformaret ex perdito.* Hoc etiam nonnulli advertunt, quod nullius viri Dominus manum tenuerit ut suscitaret, nequidem ipsius Lazari dum eum ad vitam revocavit; suscitans autem puellam tenet manum, sic etiam ab æger itudine sanans Petri socrum. Quid ita? Audi S. Chrysologum serm. 18. *Quæ necessitas tangendi erat, ubi inerat ius iubendi? Sed Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem. Tenuit manum eius, ut quod manus præsumētis amiserat, manus repararet auctoris. Tenuit manum eius ut acciperet indulgentiam manus quæ carpserat de morte sententiam.* Hæc Chrysol iterum subtiliter & eleganter. Quod autem S. Lucas dicit Dominum clamasse ut rediret spiritus puellæ, S. Marcus addit eam ambulasse, & iterum S. Lucas ait, jussisse Dominum ut ipsa comederet, omnia ista indicant ea quæ fieri solent in peccatoribus suscitatione ad vitam gratiæ. Inprimis Deus ei inclamat fortiter, *Surge*, & commovet interris metu & minis gehennæ, ut spiritum concipiat. Deinde manum illi porrigit in auxilium, & in symbolum amicitiæ recuperandæ. Denique iubet ambulare, hoc est in bonis procedere, atque etiam cibum sumere, hoc est Eucharistico pane se reficere in signum veræ vitæ. Concludamus & dicamus Domino vitæ nostræ auctori, formatori, reformatori,

5. Cur Christus manum puellæ tenuerit.

Luc. 8.

VEni Domine Iesu Christe, & impone manum tuam super omnes animas in lecto mortis seu peccā-

peccati jacentes, excita eas voce tua, manu tua, imperio, tuo, ut iterum concipiant spiritum vitæ, & respirent ad te, respirent in te, qui auctor es & dator veræ vitæ. Ne permittas eas in corpotis sui lutea domo defunctas diu iacere, ac tandem efferri ad æternam mortem, & in gehennæ sepulchrum inferri: sed iu signum vitæ. jube eas surgere, ambulare, cibum veritatis percipere & te sequi, jugiterque gratias agere, & enarrare omnibus quanta Deus fecit animæ suæ. Sic & nos eis congratulabimur & tibi confitebimur narrantes nomen tuum & mirabilia tua, scientes quia *Sacramentum Regis abscondere*
Tob 12. *bonum est, opera autem Dei revelare & confiteri honorifice um est.*

Exempl. EXemplum non absimile huic à Christo hic exhibito habemus in actis S Theodorici, discipuli S Remigij, apud Baron. tom 6. anno 514. & apud Sur. tom. 4. 1. Iulij Defuncto Rege Clodovæo, quem B. Remigius ad fidem traduxerat, & è sacro fonte susceperat, filius eius Theodoricus regni gubernacula suscepit Is verò nuntios misit ad S. Remigium, obnixius rogans ut ad ipsum veniret, & unicæ eius filiæ graviter laboranti manus imponeret. At S. Remigius adversa tunc corporis valetudine impeditus, B. Theodorico quem gratia curationum præditum divinitus cognovit, suas vices demandavit. Ille jussa Magistri exequens ad Regis Palatium proficiscitur, in ipso autem itinere tristis ei affertur nuncius de obitu puellæ, rogantque eum qui missi erant à Rege ne se frustra fatiget. At ille à proposito non discedens venit ad Palatium, Regemque & Reginam cum tota familia mœrentes reperit. Illorum ergò lachrymis etiam ipse ad lachrymandum permotus: *Scædit*, inquit, *paululum parenturque funeri oportuna, ego interim id exequar cuius gratia veni.* Cumque nonnisi illi quos ipse jusserat, mansissent, sublatis in cœlum oculis ac manibus, preces intra mentis penetralia, lacrymis faciem rigantibus, corde compuncto obtulit: deinde accessit ad corpus exanime, & illud unxit oleo sancto. Et ecce subitò omnes expertes vitæ artus suo vigori restituuntur, & puella se palam profiteur vitæ redditam precibus Theodorici. Accurrit Rex & Regina, stupent ad miraculum, Palatium omne exultat, cuncti hominem Dei venerantur. At non tibi hic simile geri videtur sicut in familia Principis Synagogæ, ubi à Domino suscitata est puella unica eaque dilectissima, cum totius familiæ mirò applausu, exeunte fama in universam terram illam; Sed id fecit Dominus Iesus Christus sua potestate & imperio; *Hunc enim Pater signavit & in mundum misit* ad mortuos in vitam resuscitandos: S. au-
Rom. 6. tem Theodoricus id precibus suis & lachrymis sanctis impetravit, & virtute Christi Domini fecit, quicquid hic effecit miraculi.

DOM. VLT. POST PENTEGOSTEN.

Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiat.

PARS I. *Quam sæ lubriter timeatur iudicium antequàm ventat.*

Apoc. 14. INter varias mysteriis plenas apparitiones S. Ioanni in Apocalypsi factas, illa hodierno Evangelio & nostro proposito apprime congruit, ubi refert se vidisse *Angelum volantem per medium cœlum, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem & tribum, & linguam, & populum.* Hic Angelus volabat per medium cœlum, ut ab omnibus videri posset, habebatque Evangelium æternum, hoc est, in quo æterna salus continetur, in quo & æterna bona promittuntur ad aliciendum, & æterna mala denuntiantur ad terrendum. Habebat porro commissionem ad evangelizandum omni genti & populo, sed specialiter his qui sedent super terram, hoc est qui incurij terræ inhærent, terræ insident, terram spectant, & ad terrena toto desiderio anhelant, negligentes cœlestia & æterna, parum sollicitè de salute sua. Hi nimirum aperte dicuntur sedere super terram, & ad hos oportune mittitur Angelus volans per medium cœlum cum Euangelio æterno, ut ad cœlum oculos erigant à terra, & mentem aures que arrigant ad vocem æterna promittentem bona, vel supplicia denunciantem æterna. Hi qui stant vel ambulant super terram, quasi illam calcantes & eam supereminentes mente & corde, non ita indigent allici vel terreri voce Angeli, cùm jam sint erecti & attenti ad divinas promissiones vel minas.

Iam attende quid voce magna & sonora enunciet pro themate suo Angelus ille evangelizans ex adeo sublimi cathedra. Hoc nempe Thema eius est: *Timete Dominum & date illi honorem, quia venit hora iudicii eius, & adorate eum qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aquarum.* Quando dicit: *Timete Dominum*, rationem timoris satis ipso hoc verbo indicat. Timendus nempe est, quia Dominus est, quia in manu eius est vita nostra ut de illa pro suo disponat beneplacito; quia in Domino eius plenissimo & perfectissimo est corpus & anima nostra, dicente ipsomet: *Timete eum qui corpus & animam potest mittere in gehennam.* Hoc ipsum a-
Matt 10. gnoscebat Psaltes dicens huic Domino *In manibus tuis sortes meæ*, sive ut alij legũt. *In manibus tuis*
Psal. 30. *tempora mea*; vita scilicet & mors, tempus & æternitas felix & infelix in manu Domini nostri est, & ideo eum meritò timere debemus Sed etiam specialem huius timoris rationem reddit Angelus: *Quia venit hora iudicii eius.*

Timēdum Dominus quia venit hora iudicii eius.

Hæc est propositio Angeli, quem S. Ioannes per medium cœlum volantem, & audivit voce magna clamantem, ut ipse scriptis mandaret, toto publicandum orbi in finem usque sæculi, quod ex tunc

Angelus

Angelus publicabat. Id nempe publicandum mandabat non solum Apostolo & Evangelistæ Ioanni, sed etiam omnibus Cathedram ascendentibus. Angelicum & Apostolicum officium obeuntibus, populis evangelizando Evangelium æternum, volando per medium cœlum, hoc est alis spiritus diuina contemplando, & ea annunciando ex obligatione sublimis & cœlestis status sui, quasi cum cœlo zelum coniungendo.

Huic Themati per Angelum proposito consonat Evangelium hodiernum, in quo inclamatur omnibus voce magna: *Timete Dominum, quia venit hora iudicii eius.* Timete eum dum adhuc tempus est, & date ei honorem, antequam veniat tempus in quo infructuosè timebitis, antequam veniant dies afflictionis in quibus dicetis: *Non mihi placent.* Quinam hi dies? Nonne hos describit Evangelista dum dicit: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio vsque modò, neque fiet.* Addit alter Evangelista: *Arescentibus hominibus præ timore & exspectatione eorum, quæ superuenient vniuerso orbi.* Timete ergò Dominum, & date ei honorem, & adorate eum, qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aquarum, antequam cœlum & terra & mare ac fontes aquarum, & totus orbis terrarum insonet & pugnet contra vos tamquam insensatos, & antea velut insensibiles, dum vocem cœli & terræ, & omnium creaturarum ad amorem Creatoris vos invitantem non attendebatis. Antequam obscuretur Sol & Luna, nigro partim & cilicino, partim sanguineo amictu vindictam inclamantes. Antequam stellæ cœlo cadant, & virtutes cœlorum commoueantur, ad terrorem impietati incutiendum, & errorem excutiendum. Antequam flumina, fontes & maria sonitum dent confusionis fluctibus suis, & in caput vestrum exundent. Antequam rupes & montes terræ motu horrifico collidantur, & intentent minas impijs insupportabiles, ita vt dicant Montibus: *Cadite super nos, & Collibus operite nos.* Antequam pereat signum filij hominis & plangant omnes fines terræ, & qui eum pupugerunt. Antequam ira Agni iam fiat Leonis rugientis ira, horribili vultu & voce omnes exterrens etiam Principes & Reges. Antequam ignis faciem eius præcedat, & fluant montes sicut cera à facie & ira eius.

Eccles 12.

Matt. 24.

Apoc. 6.

Timete igitur *Dominum, quia venit hora iudicij eius*, hoc est, quia appropinquat illa dies, illa hora tremenda, quando Iudex est venturus, cuncta strictè discussurus. Et quidem hoc rectè pronunciat Angelus ille Apocalypticus, quia personam gerit Prædicatorum, qui in fine mundi venient vt hunc salubrem timorem omnibus incutiant, doceantque fugere à ventura ira. Vnde & post illum mox alius Angelus sequitur inclamans itidem: *Cecidit, cecidit Babylon* illa, hoc est, congregatio impiorum in infernum ruere mox cernetur cum confusione æterna sempiternis pœnis inuoluenda. Sed quodlibet etiam tempore rectè inclamamus: *Timete Dominum, quia venit hora iudicij eius*, quandoquidem eius vltrix manus peccantium semper incumbat cervici, quos iusto iudicio statim potest è vita tollere, & æterno igni addicere. Propterea dicit Psaltes quibusdam impijs: *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum sicut viuentes, sic in ira absorbet eos.* Vbi legit S. Hieronymus: *Priusquam spinæ vestræ crescerent in rhamnum, & pervenirent ad duritiem spinarum grauiter ladentium, vos abscissi estis & absorpti, ô impij!* Quod idem ac si diceremus. Antequam plenissimè complere possetis malitiam cõtra Deum & iustos conceptam, in medijs sceleribus absorbuit vos ira iusta Dei; & sicut Core, Dathan, & Abiron, viuentes absorpti sunt à terra sese aperiente: non absimiliter se vobiscum gerit Deus, vos è terra tollens, & iustum iudicium iuum omnibus manifestans.

Psal. 57.

Quinimmò etiam loquendo de iudicio rectè dicimus; Venit & appropinquat hora eius, quia breuis est mora huius temporis adhuc duraturi, si æterni comparetur. *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna quæ præterijt.* Propterea dicitur nobis: *Nos sumus in quos fines sæculorum deuenerunt. Filioli nouissima hora est.* Si homo dicitur breui morituru dum decrepitus est, & incuruatus præsenio, diciturque tunc appropinquare tempus & hora eius: ita rectè enim dicimus de mundo, quia iam senescit, iam prope interitum est, minaturque occasum. Vnde & peccatores monentur, vt illum intueantur & contemnant, vtque Deum & eius iudicium timeant. Scire ergò debemus iam mundum senescere & ad occasum & interitum tendere, nec illis viribus stare quibus prius stetit, nec robore ac vigore illo valere quo antea præualebat. Hoc mundus ipse iam loquitur & occasum sui rerum labentium probatione testatur, non frugibus ætate torrendis solita flagrantia est, nec sic verna temperie omnia læta, nec adeò arboreis fœtibus autumnus fœcundus est. Minus de effossis & fatigatis montibus eruuntur marmorum crustæ, minus argenti & auri opes suggerunt exhaustæ iam venæ metallicæ. Deficit iam innocentia in foro, iustitia in iudicio, veritas in consortio, in amicitijs concordia, in artibus sincera peritia, in moribus disciplina. Minuatur necesse est quicquid fine iam proximo in occidua & extrema devergit. Cum olim vltra octingentos annos vita hominum procederet, vix nunc ad octogenarium numerum potest pertingere. Canos videmus iam in iuuenibus, capilli deficiunt antequam crescant; nec ætas in senectute desinit, sed incipit à senectute. Sic in ortu adhuc suo ad finem nativitas properat, sic quodcumque nunc nascitur, mundi senectute degenerat, vt nemo mirari debeat singula iam in mundo cepisse deficere, quando totus iam mundus in defectione sit & in fine. Cum ergò mundi finis semper approximet ad Deum, mentes nostras Dei timore decet convertere; *Timete Dominum, quia venit hora iudicii eius.*

Psal. 89.

1. *Ioan.* 10

1. *Ioan.* 2.

Mundus senescens.

Hac consideratione efficaci S. Gregor ep. 16. l. 6.

exhortatur Andream quemdam illustrem Virum ad mundum contemptum. Vbi sic ait: Cur magnifice fili non consideras quia mundus in fine est? Omnia vrgentur quotidie, ad reddendas rationes æterno & tremendo Iudici ducimur. Quid ergò aliud nisi desiderius adventu cogitare debemus? Vita enim nostra naviganti est similis. Is namque qui navigat, stat, sedet, iacet, vadit, quia impulsu nauis ducitur: Ita ergò & nos sumus, qui siue vigilantes, siue dormientes, siue loquentes, siue tacentes, siue ambulantes, siue iacentes, siue volentes, siue nolentes, per momenta temporum quotidiè ad finem rendimus. Cùm igitur finis nostri dies advenerit, vbi nobis erit omne quod tanta cura quæritur, & cum sollicitudine congregatur? Si ergò bona quærimus, illa diligamus, quæ sine fine habebimus. Si autem mala pertimescimus, illa timeamus quæ à reprobis sine fine tolerantur. Hæc S. Gregor.

PARS II. *Quo tempore iudicium fiet, & mundus finietur.*

AT forsitan hic adhuc non quiescit multorum animus, sed cum discipulis interrogant: *Quando hæc erunt? Et quod signum adventus Domini, & consummationis sæculi* Hinc diuersæ opiniones fuerunt de tempore, quo hæc consummatio futura est. Nonnulli enim dixerunt tantundem duraturum mundum post Christum, quam ante Christum, rationem asserentes, quia non minor numerus sit electorum post Christum, quam ante; impleto autem numero electorum finietur mundus iste, qui propter electos factus est. Vnde animabus Sanctorum Martyrum adspirantibus ad corporis vnionem in beata resurrectione iterum futuram, & inclamantibus: *Vsquequo Domine sanctus & verus non iudicas & vindicas sanguinem nostrum?* Apoc. 6. Responsum fuit, *Expectate adhuc modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.* Alia opinio dicit duraturum mundum sex millibus annorum. Vnde duo fuerant millia aut circiter legis naturæ ab Adam vsque ad Abraham? cui cum circumcisionis lex data fuerit, incepit tunc initium legis Iudaicæ & Mosaicæ. Durauit autem circumcisio & lex Mosaica etiam ferè per bis mille annos vsque ad Christum, vt Chronologi nonnulli declarant. Sic & à Christo vsque ad finem mundi data lege gratiæ, bis mille aut circiter anni excurrent, vt si proportio quædam inter tres leges & status qui fuerunt successiuè in mundo, nimirum inter legem naturæ, legem Iudaicam, legem Christi.

Figuram horum duorum mille annorum, quibus Christi lex & baptismus perduraturus creditur, putant nonnulli præcessisse in eo quod iussu Domini debuerit in transitu Iordanis arca præcedere & distare bis mille cubitis à populo. Per id equidem significatum existimant, duobus millibus annorum tempus illud describendum, quo sacer baptismus per Iordanis flumen designatus, & alia Sacramenta vigerant. Hoc verò tempore nonnisi procul Arcam & mysteria in ea latentia cernemus, in hoc est Christi humanitatem & in ea latentem diuinitatem, quæ iam per mille sexcentos annos antecessit facie autem ad faciem eam contemplati sumus in terra promissa, expletis bis mille annis. Iosue 3.

Vlterius dicta opinio probari potest, quia sex diebus mundus creatus fuit, postea requies & Sabbatum in die septima fuit. Cum ergò *mille anni* apud Deum sint vt *dies vnus*, rectè dicitur mundus duraturus sex annorum millibus, ita vt postea sequatur Sabbatum, hoc est requies, & dies septimas, æternitatis scilicet dies. Ille enim dies quo Deus ab opere cessauit, diem beatæ quietis Sanctorum post resurrectionem designat, sicut & illi sex præcedentes designant dies laboris, & huius sæculi tempus in sex millenarijs comprehensum. Hanc explicationem tradunt nonnulli ex Sanctis Patribus. *Mundus duraturus sex millibus annorum* 2. Pet 3. Psal. 89.

Inprimis audi S. Augustinum l. 20. de Civit. ca. 7 qui explicans mille annos, de quibus mentio fit in Apoc. sic dicit: Mille anni duobus modis possunt intelligi, aut quia in vltimis mille annis ista res agitur, id est, sexto annorum millenario, tanquam sexto die, cuius nunc spatia posteriora voluuntur, secuturo deinde Sabbato quod non habet vesperam, requie scilicet Sanctorum quæ non habet finem, vt huius millenarij tamquam nouissimam partem quæ remanebit vsque ad terminum sæculi, mille annos appellauerit, eo loquendi modo quo pars significatur à toto. Aut rectè mille annos pro annis omnibus huius sæculi posuit, vt perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo. Hæc ille.

Audi etiam S. Hieronymum in illud: *Mille anni tamquam dies hesterna*, &c. Ego arbitror ex hoc loco mille annos pro vna die solitos appellari, vt scilicet quia mundus in sex diebus est fabricatus, sex millibus annorum credatur subsistere, & postea venire septenarium & octenarium numerum, in quo verus exerceatur sabbatismus: vnde & octo beatitudinibus bonorum operum præmia prominentur. Hæc ille. Psal. 89.

Audi denique S. Gaudentium Brixianum tract. 10. vbi sic ait; Expectamus illum verè sanctum septimi millesimi anni diem, qui adveniet post istos sex dies, sex millium scilicet annorum sæculi, quibus completis requies erit veræ sanctitati, & fideliter credentibus in resurrectione Christi. Nam nulla erit ibi pugna contra diabolum, qui tunc vtique detinebitur suppliciis religatus. Hoc ille. *V. Gloss. in cap. 5. Gen.*

Addit Isidorus in cap. 5. Genesis, quod sex primi parentes orbis, Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, mortui sunt, septimus Enoch viuus translatus est, quia post millenarios sex quibus labor & mors viguerit, initium erit quietæ & immortalis vitæ.

Itaque hæc opinio de sex millibus annorum duorationis mundi passim recepta fuit apud veteres. Hanc enim docent S. Justinus q. 71. ad Gentes, Irænеus l. 5. c. vlt. Lactantius l. 7. c. 14. Hilarius can. 17. in Matth. & alij. Quam etiam sequuntur ex recentioribus Theologis nonnulli. Hæc tamen sic intel- *Citantur à Sixto Senen. li. 5. Bibliot. annot. 190.*

ligenda est (vt probabilis sit) non definitè, definiendo scilicet præcisè annum aut diem, vtpote quia istud pendet à decreto Dei secreto & nobis ignoto; sed probabili coniectura nihilominus asserendo ex multorum veterum sententia, & interpretatione non longè exceſſurum tempus huius sæculi sextum millenarium annorum, illumque sextum millenarium circiter adimplendum. Quod si quis nimis anxiè vel curiosè voluerit inquirere præcisè de anno, veliam ei dicendum est illud Domini. *De die illa nemo scit, neque Angeli in cœlo.* Nam licet illi scirent numerum prædestinatorum, & quot homines assumendi sint ad ruinas Angelicas reparandas, prout docere videtur S. Augustinus Enchir. c. 62. nesciunt tamen quanto tempore numerus ille sit implendus. Non ergò nimis curiosè hic inquirendum, ne cum discipulis audiamus illud à Domino: *Non est vestrum nosse tempora, & momenta quæ Pater in sua posuit potestate.* Vnde eleganter & peracutè dicit S. Augustl lib. 18. de Civit. c. 53. *Hæc responsio omnium calculantium digitos resolvit, & quiescere iubet:* Interim omnibus est inculcandum, vt iudicio se præparent, & illis dicendum cum Apostolo, *Fratres videte quomodò cautè ambuletis tempus redimentes, quia dies mali sunt.* Rememorandum quoque omnibus est illud: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo quoniam omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Et mundus transit, & concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Filioli nouissima hora est.* Qui caducæ & labili inititur rei, & ipse cadet: figendus ergò affectus in rebus fixis, non in terrenis & mundanis. Vnde Boëtius eleganter l. 2. metro 3.

Rara si constat sua forma mundo,
Si tantas variat vices,
Credo fortunis hominum caducis,
Bonis crede fugacibus.
Constat æterna positumque lege est.
Vt consset gentium nihil.

Mar. 13.

Act. 1.

Ephes. 5.

1. Ioan. 2.

PARS III
De signis iudicium præcedentibus.

LIcet porrò incertum nobis voluerit Dominus esse diem iudicij postremi, multa tamen illius signa antecedentia in hoc nostro Evangelio designauit.

Inprimis inter illa enumeratur *Abominatio desolationis stans in loco sancto.* Quam quidem abominationem volunt nonnulli ex Sanctis Patribus Antichristum designare, qui in templo velut Deus sedebit, & ibidem suam imaginem adorandam constituet, sicut de eo S. Paulus dicit: *Ita vt in templo sedeat ostendens se tamquam sit Deus.* Ita interpretatur S. Irenæus l. 5. c. 25. S. Hieronymus Matt. 24. S. Hilarius canone 25. vbi dicit: *Antichristus est abominatio, quod aduersus Deum veniens honorem sibi Dei vendicet. Desolationu autem abominatio, quia bellis & cadibus terram desolaturus est.* Sic etiam S. Ambr. dicit: *Abominatio desolationis execrabilis Antichristus adventus est.* Nempe quantum in se est Antichristus vires confert ad desolandum, & evertendum Christi Ecclesiam & populum, eritq; abominabilis propter vitia omnis generis in ipso vigentia. Propterea enim Antichristus nominatur, quia in omnibus Christo contrarius existet, in doctrina, moribus, operibus, cogitationibus.

2. Thess. 2.

Antichristus Christo in omnibus contrarius erit.

1. Sicut omnis Christi cogitatio ad hominum directa fuit salutem, ita omnis Antichristi cogitatio in eorum dirigetur perniciem; quia *omnem Satanæ afflatum suscipiet*, vt dicit S. Damascenus. Nec vaquam bonæ inspirationi locum dabit, ob perpetuam cum Satana coniunctionem, ita vt postquam ad vsum rationis pertigerit, desereadus sit ab Angelo Custode; quia nullum effectum custodiæ poterit circa illum exercere, vt docet S. Antonius.

1.

Damasc. l. 4. de fide, c. 27.

2. Sicut omnis Christi doctrina & omnia eius verba, veritatis erant doctrina & sapientiæ verba, ad id directa vt eruditent ad viam vitæ, & iter cœleste demonstrarent: ita Antichristi doctrina erit falsissima, & omnia eius verba & promissa mendacissima erunt, nonnisi eo tendentia, vt illaqueatos verbis & promissis suis homines in Tartarum devoluant. Vnde ad hunc effectum faciet loqui imaginem suam in templo constitutam, quæ hic dicitur *Abominatio desolationis stans in loco sancto*, desolans scilicet, & abominabiliter evertens doctrinam de Sacramentis, & vero Christi sacrificio.

2.

3. Sicut omnia in Christo opera & facta ad nominis Dei, siue ad Patris sui gloriam, ac hominum sanctificationem ordinata fuerunt: *Ego honorifico Patrem meum*, ait ipse: ita iterum, *Cibus meus est vt faciam voluntatem Patris mei.* Ita Antichristi omnia opera & facta, omnia miracula fictitia, ad hoc ordinata erunt vt solus ipse Deus agnoscatur, & colatur super omne quod Deus dicitur & colitur, inquit Apostolus.

3.

Ioan. 8. Ioan. 4.

1. Thess. 2.

4. Denique, sicut Christus humillimus fuit, patientissimus, misericordissimus, temperantissimus, castissimus, mitissimus, omniqúe virtute adornatus; Ita Antichristus summe erit superbus, crudelis, furibundus, libidinosus & luxuriosus, ex luxurioso & libidinoso concubitu oriundus, blasphemijs, flagitijsqúe omnigenis coopertus. Vnde dicit S. Irenæus, quod in ipso fit recapitulatio omnis iniquitatis; quia nimirum sicut in Christo omnis plenitudo Diuinitatis habitauit, ita in Antichristo plenitudo omnis malitiæ. Hanc suscipiet à dæmone, à quo dirigetur & ducetur in totius mali abyssum. Ita vt propterea Filius iniquitatis, Homo peccati, Filius perditionis, Caput impiorum, per excellentiam rectè nominetur, propter malitiæ perfectionem & influxum.

4.

Omnis impius, præcursor Antichristi.

Immò omnes impij dicuntur membra, ministri, præcursores Antichristi, maximè qui Ecclesiam & fidem Christi persequuntur. Vnde eos vocat S. Ioannes Antichristos, dum dicit: *Audistis quia Antichristus*

1. Ioan. 2.

christus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.
2. Thess. 2. Et S. Paulus etiam de illis pronunciauit, *Mysterium nunc operatur iniquitatis*; hoc est, in sceleratorum coniunctè, qui eodem spiritu aguntur & operantur, quo agetur Antichristus, totius iniquitatis Caput & Princeps iam censetur operari, mysticusque eius typus præcedere & præcurrere: censentur enim illi viam præparare, ipsumque quodammodo pattu-rire & attrahere, sicut membra prius enata quadam ratione caput attrahunt vt enascatur. Quapropter S. Gregor. in Iob. cap. 34. sic vniuersim loquitur: *Quamus plerique principatum Antichristi non viderunt; tamen eius principatui peccatorum suorum conditione deseruiunt, & quem dominantem sibi non conspiciunt, eum procul dubio perverse viuendo venerantur.* Sic etiam S. Hilarius in Apolog. ad Constantium Imper. Arianum sæuientem in Orthodoxos palam eum proclamat Antichristum. Audi eius vocem intrepidam: *Nunc pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum; qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat: non proscribit ad vitam, sed ad mortem ditat; non tradit carcere ad libertatem, sed in palatio honorat ad seruitutem; non gladio caput secat, sed animam auro occidit; non ignes publicè minatur, sed gehennam priuatam accendit: non contendit ne vincantur, sed adulatur vt dominetur. Christum confitetur vt negет: vnitatem procurat, ne pax sit: hæreses comprimit, ne Christiani sint: Sacerdotes honorat, ne Episcopi sint: Ecclesia tecta struit, vt fidem destruat.* An non hæc etiam modo vera sunt de quibusdam qui dominantur in regnis, & sub titulo fidei fidem destruunt, sub titulo conciliandæ pacis vniuersalis vniuersalem Ecclesiam inquietant, sub titulo Sacerdotij Sacerdotium inhonorant, desolationemque statuunt & abominationem in loco sancto, vbi pietas stare deberet & deuotio? *Qui legit, intelligat*, vt in nostro hoc dicitur Euangelio. Sed prosequitur S. Hilar. inconcusso animo & voce: Proclamo tibi Constanti, quod Neroni locuturus fuissem, quod ex me Decius & Maximianus audiuissent. Contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sæuis, Sanctos persequeris, Prædicatores Christi odis, religionem tollis, tyrannus non iam humanorum, sed diuinorum. Hæc tibi & illis communia sunt, nunc propria tua accipe: *Christianum te mentiris & Christi nouus es hostis, Antichristum præuenis, & arcanorū mysteria eius operaris. Condis fidem, contra fidem viuens, Doctor profanorum es, indoctus piorum, Episcopatus tuis donas, bonos malis demutas, exercitus tuos ad Ecclesiæ terrorem dispones, dissensiones artifex nutris, fautores instigas, veterum turbator es, profanus nouorum es.* Hæc S. Hilarius ad Constantium: quæ vtinam ad alios etiam non spectent huiusce nostri ævi infelicis dominatores, specie externa pro Deo, sed in veritate contra Deū pugnātes.

Nomen Antichristi hæreticis conuenit.

Cæterum, licet omnibus impijs nomen Antichristi conueniat, quia Christo contrarij sunt vita & moribus, specialiter tamen hæreticis illud convenit, qui doctrina blasphema Christo adversantur, sicut & vita. Quocirca hæresim etiam aptissimè nominamus *Abominationem stantem in loco sancto*, dum in quibusdam locis & templis conspicitur, in quibus antea colebatur Christi vera religio. De qua re sic loquitur S. Hieron. Matth. 24. *Abominatio desolationis intelligi potest omne dogma peruersum, quod cum viderimus stare in loco sancto, debemus fugere ad montes.* Sed quid est fugere ad montes? An non rectè montes censuerit is viros pietate & doctrina sancta præditos? An non eminent hi inter cæteros, tamquam colles inter valles? Quid igitur hæresēon abominationem cernit, fugiat ad illos. Consideret tot viros sanctos ab Apostolis, & ab exordio Ecclesiæ vsque modò, qui doctrinam Catholicam & dictis & scriptis docuerunt, sanctissimeque vixerunt, & in hac fide nostra defuncti sunt, miraculisque postmodum claruerunt. Hos qui consideraverit, facilè abominabiles & profanas nouitates contemnet, immò abhorrebit. Quid est iterum fugere ad montem, nisi recurrere ad Romanam Ecclesiam, quæ est Mons in vertice montium, Ecclesiarum caput & vertex, magistra cæterarum, & Doctrix, Doctrixque? Hic est mons fertilis & pinguis, cuius pascuis Christi oves pascuntur, saginantur, oblectantur. An non de illa verum est, *Mons Dei Mons pinguis, Mons coagulatus, Mons pinguis, Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem?* Vt quid hæretici suspicantur montes alios coagulatos? Vt quid suis inanibus figmentis in suspicionem alijs adducunt dari alios montes vberes? Eorum certè doctrinæ omnes & Synagogæ, vel vallibus sterilibus similes sunt, vel colibus venenatis, è quibus oves Christi non pabulum hauriunt, sed venenum. Romana autem Ecclesia & doctrina, mons est ille, in quo beneplacitum est Deo habitare vsque in finem. Sedes est Dei, in qua sedebit Christus in finem vsque sæculi, per se quidem invisibiliter, per Vicarium autem visibiliter. Non stabunt hæreses vsque in finem sæculi, sed defluent velut torrentes, & peribunt. *Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens*, vt loquitur Propheta. Vnde Aug. hoc expliceans, tractansque hunc Psalmi versum, sic dicit: *Non vos terreant fratres quidam fluuii, qui dicuntur torrentes, hyemalibus aquis implentur: aqua ad tempus perstrepit, mox cessant, diu stare non possunt. Multæ hæreses iam emortuæ sunt: tucurrerunt in ruinis suis quantum potuerunt: siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur. Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens.* Dicamus rursus: Quid est fugere ad montes, dum hæresis abominatio cernitur stare in loco sancto? Vtique est recurrere ad sacras Scripturas Apostolorum & Prophetarum, quorum doctrina in monte est constituta, vt ad eam refugium habeamus: non secundùm interpretationem priuati cuiusque sed secundùm interpretationem Apostolicæ Ecclesiæ, situe illius quæ *superædificata est supra fundamentum Apostо-*

Psal. 67.

Psal. 57.

Ephes. 2.

Apostolorum & Prophetarum, ipso summo Angulari lapide Christo Iesu. Hæc iterum est Romana Ecclesia ab Apostolis Petro & Paulo fundata, & in eadem quam ipsi traditerat fide firmata. De qua re sic bene loquitur S. Irenæus Apostolis proximus lib. 15. cap. 20 *Maxima & antiquissima & omnibus cognita, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundata & constituta Ecclesia eam habet ab Apostolis traditionem & annunciatam hominibus fidem; per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, per quam confundimus omnes eos qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malæ sententiam præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab iis qui sunt undique, conservata est quæ est ab Apostolis traditio.* Hæc S. Irenæus,

2. *Matt. 24. Cur tribulationem magnam Deus permittet in fine mundi.*

Secundò, inter signa adventus Domini ad judicium enumeratur illud: *Erit tribulatio magna qualis non fuit ab initio usque modo, neque fiet.* Indicatur his verbis persecutio futura omnium atrocissima. Nam teste S. Augustino in Psal 9. Prima persecutio Ecclesiæ violentia, fuit omninò per Tyrannos: Secunda fraudulenta fuit per hæreticos & falsos fratres: Tertia omnium periculosissima erit: quia violentiam cum fraudulentia mirè conjunctam ostentabit. Et hanc permittet Deus, ut electos suos velut aurum in fornace probet, expurget, exornet, tandemque coronet, Totus tunc solvetur inimicus ut omnes exerat vires, qui iam est ex parte ligatus, tunc virtus electorum militum eluceſcet, quia cum eo in certamine illo novissimo colluctabuntur, nec vincentur. Sed sicut Rubus Moysis igne circumdatus non consumebatur, quin potius illuminabatur: sic & ignis ille tribulationis non absumet animum congregationis justorum, sed augebit & illustrabit. Ac sicut Arca Noe quanto magis fluctus augescebant, & mirabiles erant elationes maris, tanto magis elevabatur, nec depressa subsidebat: ita continget tunc Ecclesiæ his fluctibus persecutionis non submergi, sed exaltari.

Hoc autem fiet speciali auxilio Dei, qui suis ministrabit gratiam peculiarem & efficacissimam ad fidem profitendam contra hostem suum juratum, quem antea prædixerat venturum. Adjuvabit etiam ad id adventus Eliæ & Enoch, qui tamquam Duces mittentur, ut huic adversario obsistant, & fideles verbis & doctrina, miraculis & vita immaculata, intrepidaque fortitudine confirment in vera fide. Nam si Antichristus verbis & miraculis mendacibus decipere conetur, illi veram doctrinam veraque miracula opponent, tamquam obstantes per hæc electos, & ex adverso erroris ordinantes aciem veritatis. Et licet occidendi sint bi Duces ab Antichristo, attamen mox resurgent, postquam corpora eorum jacuerint in plateis per tres dies, cum dimidio. Spiritus enim vitæ ingredietur in eos, & audietur vox cœlestis *Ascendite huc;* & ascendent in nube in conspectu omnium, eritque istud verè fidei & missionis eorum maximum argumentum. Nam postea subditur, quod factus sit terræ motus, decimaque pars civitatis ceciderit, quodque occisis septem millibus hominum reliqui timore correpti dederint gloriam Deo. Deinde in hoc Dei auxilium patescet, quod propter electos breviabit dies illos tribulationis, ut expresse dicit Evangelista. Sicerit ista nubes tempestatibus & pluvijs violentis gravida, sed paulo post pertransibit, & redibit tranquillitas. Nam & Iudæis ut convertantur, apparebit Arca testamenti, quæ tanto tempore permansit abscondita; Nam *Dixit Hieremias quod ignotus erit locus; donec congreget Dominus congregationem populi, & tunc Dominus ostendet eam.* Quod de fine sæculi, quando Deus congregabit populum Iudæorum, ut sit eis propitius, & convertantur ad Christum, intelligunt nonnulli ex sanctis Patribus, inter quos Sanctus Epiphanius in vita Hieremiæ, & S. Dorotheus in Synopsi. Apparebit autem tunc, ut testimonium ferat Prædicationi & doctrinæ Enoch & Eliæ; ipsi enim illam demonstrabunt, & Iudæos sic ad fidem adducent, ostendentes quomodo illa non apud hostem Christi Antichristum, sed apud Messiam sit & Christum quem prædicant, & apud Christianos quibus à Deo est manifestata. Sic erunt ipsi *quasi duæ Olivæ & duo Candelabra ante Dominum*, & ante Arcam fœderis, quia oleum doctrinæ tum Christianis, tum Iudæis instillabunt, ne ignis divinus, qui animas illuminat & accendit, statu turbulentæ persecutionis extinguatur: & sicut candelabra suo fulgore Ecclesiam & fidem illuminantia apparebunt omnibus. Atque ubi vos extinxerit Antichristus, extinguetur & ipse eorum sanguine, ut loquitur Tertull. l. de anima cap. 50. ubi dicit: *Eliam & Enoch reservari, ut Antichristum suo extinguant sanguine.* Nam de fructu quem fecerunt, in Apocalypsi nihil dicitur, nisi jam ipsis mortuis. Sicque hic habent partem cum Christo, qui instar Sampsonis plures occidit moriens quam vivus, occidit scilicet peccato, ut viverent justitiæ. Vnde quoque illud tunc verum erit *Sanguis Martyrum semen est Christianorum.* Ille ergo sanguis in mentibus Iudæorum occidet Antichristum: tunc enim demum maxima pars Iudæorum converteturi, discipulis Eliæ & Enoch fidem & recentia gesta eorum prædicantibus, ac resurrectionem eorum cœlesti voce adeò manifestam attestantibus, arcamque fœderis deferentibus. Tunc scilicet ille qui est *Lapis Angularis*, quem prius reprobaverant, coniunget Iudæos & Gentes in unam Ecclesiam & in templum sanctum Domino. De Antichristo & persecutione tunc futura, ac de illis, quæ contingent per Enoch & Eliam plura dixi Horti Pastorum Tract. 3: Lect. 29. illuc Lectorem remitto.

Apoc. 11.

2. *Mach. 2.*

Arca Testamenti Iudæis in fine mundi apparebit.

Apoc. 11.

Tertiò, inter signa adventus Domini hic illud recen-

recensentur: *Sol obscurabitur, Luna non dabit lumē suū, Stellæ de cœlo cadent, & virtutes cœlorum commovebuntur.* Quanto tempore Solis sit hæc obscuritas duratura, incertum est. Nihil tamen verat dicere non minus duraturas tenebras illas horrendi istius extremique temporis, quam duraverint illæ quibus oppressa fuit Ægyptus, de quibus dicitur: *Facta sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti Tribus diebus nemo vidit fratrem, neque novit se de loco in quo erat;* Itaque aliquot fortè diebus dies nox erit, Deo lucem Soli & syderibus subtrahente, ut impijs horrorem incutiat, & ut significet Solem quodammodo contra eos vindictam inclamare. Sic de illis verum erit quod de Ægyptijs dicit Sapiens. *Dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, pavētes horrendā. Nec quæ eos continebat spelunca sine timore cuncta fugiebat, nam & sonitus descendens perturbabat eos, & personæ tristes illæ apparentes pavorem præstabant. Et ipsis superposita erat nox gravis, imago tenebrarum quæ superventura illis erant, ipsi ergò sibi erant graviores tenebræ.* O tenebras & noctem & obscuritatem horribilis, cœlo, Sole, luna lucem subtrahentibus, ita ut videantur tunc erubescere de turpissimis sceleribus hominum, quibus lucem suam mutuarint, ac quodammodo pœnitere, quod servierint ingratis hominibus & adeò impijs Dominis, ut alibi dixi.

Exod. 10.

Sap. 17.

V. dicta in Evam Dom. 1. Advent.

Quantum porrò ad stellas quæ hic dicuntur de cœlo casuræ, S. Chrysost. cum quibusdam existimat litteraliter id verum esse, & debere intelligi sine metaphora; quia cum post judicium nulla sit nox futura, stellæ non erunt usui; non enim servient nocti illuminandæ, nec servient diei, quia Solis & Lunæ, quæ tunc Solis instar fulgebit, obscurabuntur splendore; itaque casuræ sunt ante judicium, sicque disparebunt & peribunt. Hoc ipsū indicari videtur in illo. *Stellæ de cœlo cadent, sicut ficus amittit grossos suos cum à vento movetur.* Item *Stellæ cadent sicut folia de vite.* Quod explicans iterum Chrysost. sic ait: *Sicut vites cum uvarum fructibus prægravantur, foliorum exposcunt auxilium necessarium ut protegatur, cum autem depoluerint fructū, necesse est ut foliis nudentur. Sic se habet hoc sæculum, quamdiu habuerit in se humanum genus, tenebit & cœlum stellas, sicut & vitis folia. Nam nocte pereunte, sine dubio stellarum utilitas simul cum nocte deficiet.* At multi existimant, non verè stellas casuras è cœlo, licet casura sit eorum lux, illorumque luce ad tempus obscurata non micabunt in cœlo, quod quasi perinde erit ac si cecidissent, sicque est tropica quædam locutio. Vlterius addunt alij, quod extremo illo tempore censentur fulgura, cometæ, igneæ inflammationes & exalationes, instar stellarum dispositæ in aereo cœlo; illæque casuræ sunt super terram cum horrore, ideoque dici hic ab Evangelistis, *Stellæ cadent de cœlo super terram*, idque etiam significari, locis jam citatis.

Euthi: Maldon. & alij. Quid sit stellas de cœlo cadere.

Apoc. 6.

Isaiæ 34.

Chrysost. homil. ad Neophitos. to. 5.

Ribera Forerius Corne. Barra &jus. & alij.

Denique, id quod additur, *Virtutes Cœlorum cōmovebuntur*, multiplicem habet interpretationem. Quidam enim existimant Virtutes cœlorum non aliud esse, quam ipsorum cœlorum vires, sive potestates corporum cœlestium & influentias earum, quæ isto extremo tempore movebuntur, & a solitis actionibus desistent. Alij per Virtutes cœlorum intelligunt iterum ipsa sydera & astra, quæ solent in scripturis sacris vocari, *Militia cœli & Virtutes, sive exercitus cœlorum*: & tunc mirè a solito statu commovebuntur.

Caiet. Titel.

S. Chrysost. per Virtutes cœlorum intelligit Angelos, qui etiam dicuntur *Militia & exercitus cœli*, hi judicij tempore quodam admirantis motu, & reverentiali timore Dei Judicis videntur commoveri, inquit S. Chrysostomus his verbis: *Mirabuntur viventes universa commutari conservos rationem vitæ referre, orbem totum terribili assistente Tribunali, atque omnes qui ab Adam ad adventum usque illum facti sunt rationes operum reddentes.* Eandem sententiam sequitur Augustinus serm. 130. de tempore. *Sicut Principe judicante terrentur non solum rei sed & officia quæ nihil sibi conscia sunt timore & tremore comprehenduntur propter Judicis terrorem: ita & tunc cum genus humanum judicabit, ac etiam cœlestes ministri pavebunt, & ter ibili apparatu de Judicis intuitu horrenda formidine contremiscent.*

Ianſ. Quid sit Virtutes cœlorum cōmoveri

Hæc porrò intelligenda sunt per quamdam hyperbolem, quia significetur Judicis adeò tunc tremendam fore iram & potentiam, ut etiam ipsi Angeli contremiscere videantur, & admiratione commoveri in his quæ tunc gerenda sunt stupore digna. His conformiter interpretatur S. Gregorius illud *Columnæ cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus*, in quæ verba sic dicit: *Ipsæ virtutes cœlestium quia Deum conspiciunt in ipsa sua contemplatione contremiscunt. Sed id non tremor ne eis pœnalis sit, non timor ejus, sed admirationis.*

Iob. 26.

Quærò inter signa adventus Domini ad judicium referatur Crucis apparitio, de quo Evangelista: *Tunc parebit signum Filij hominis in cœlo*; de quo etiam inter Syrillina Carmina l. 6 hæc extant Carmina.

O Felix lignum, in quo Deus ipse pependit,
Nec terra capit, seu cœli tecta videbat.
Cum renovas Des facies ignita micabit.

Vnde veram Crucem tunc apparituram, recolligitis eius per orbem partibus, & virtute divina redintegratis, ac postmodum incorruptione donatis, nonnulli Theologi existimant. Atque hanc Crucem cum Dominus ad judicandum descenderit, instar vexilli regij Judici præferendam piè meditantur: tum ad significandum quod per eam sit consecutus judiciariam potestatem, tum quod ea sit Clavis David, per quam nobis aperitur regnum, sive regia domus ejus: tum denique quia debet servire tunc tanquam signum condemnans eos qui tantam gratiam & misericordiam, quam per Crucem nobis præparatam, neglexerunt, vel contem-

Crucis apparitio

pserua-

pserunt. Audi S. Aug. serm. 130. de temp. *Sicut Imperatorem regalis pompa præcedit & militaris ordo præeundo vexilla humeris portat, sicque eius adventus declaratur. Sic Domino de cœlis veniente Angelorum & Archangelorum multitudo illud signum portant humeris excelsis, & regalem adventum nunciat.* Addit S. Thomas opusc. 2. cap 244. etiam alia tunc Passionis insignia demonstranda, columnam scilicet clavosque & coronam, & his similia. Vnde quidam Theologus de his sic loquitur: Dicunt Contemplativi quod inferiores Angelorum ordines Christum præcedent, & alij sequentur secundum dignitatem suam. Primus infimi ordinis portabit crucem in hac processione. Primus Angelus secundi ordinis portabit Funes quibus ligatus fuit Dominus. Primus tertii ordinis feret columnam. Primus quinti feret vestem qua illusus est. Primus sexti Clavos. Primus septimi spongiam. Primus octavi hastam. Primus noni coronam spineam. Hæc consideratio & meditatio pia est.

Vigueri in c. 21. Theolog. sua.

Quicquid sit, dum parebit signum illud Filii hominis in cœlo, *plangent omnes tribus terræ*, & impii contremiscent eius aspectu exulcerari. De quo planctu & horrore, qui serò futurus est & inutilis pro impiis, multa dixi in Horto Pastorum Tract. 3. Lect. 30. simulque de aliis signis ibidem tractatum est, quæ Lector poterit consulere, utpote hic opportuna.

Concludamus, & dicamus mirabilia tunc iræ divinæ signa futura, dum præ timore & pressura arescent homines impii, quando etiam Sol Mysticus & Luna & Stellæ obscurabuntur, & terrorem inducent.

Christus Sol mystic. non obscurabitur.

1. Sol gratiæ & lætitiæ Christus Dominus, qui non erat nisi ad lucem cordibus fundendam (quia Oriens ex alto per viscera misericordiæ venerat illuminare his qui in tenebris & umbra mortis sedent, ac dirigendos pedes eorum in viam pacis) tunc obscurabitur illis, & subtrahet lumen suum, iamque nonnisi lumen odiosum funder, quo eorum peccata detegantur, & omnibus pateſcant maxima cum ignominia & confusione. Ipse equidem lucem præbuit gratiæ & benignitatis durante hac vita: tunc autem instar tenebrarum eruet graves illæ comminationes justitiæ suæ, quæ etiam mox impios in tenebras devolvent æternas. Tunc eius facies & crux, quæ luminosa prius erat, horrorem tenebrosum incutiet, ita ut quærant impij tenebras & latibula, ut absondantur à facie iræ Agni, dicentes *Montibus, cadite super nos, & collibus, Operite nos.*

Luna B. Virgo nō lucebit.

2. Luna illa mystica aspectu pulcherrima, Virgo Maria, quæ semper peccatoribus in nocte lucere parata fuit, & lucida ipsis impertire dona ad tenebras peccati depellendas, tunc inquam, illa obscurabitur & converterur in sanguinem, quia filii sui vindictam in impios approbabit. Et quæ tamquam Mater & Regina misericordiæ, ac Porta lucis fulgida, misericordiam & lucem tot peccatoribus etiam desperantibus produxit, tunc Mater erit & Regina justitiæ, mutato jam vultu propter ingratitudinem horribilem eorum qui permanserunt in peccatis obstinati, nec lucem respicere voluerunt dum tempus erat: & lucerna Dei fulgebat super caput eorum. Quia scilicet de his verum est Illud: *Ipsi fuerunt rebelles lumini, & nescierunt viam eius, nec reverſi sunt per semitas eius. Si apperuerit eu aurora, arbitrantur umbram mortis.* Poterit ergo tunc ipsa dicere filio: *Recordare quod steterim coram te ut loquerer pro eis bona, & averterem indignationem tuam ab eis. Sed nunc videam ultionem tuam ex eis, tibi enim revelavi causam meam, Domine Sabaoth, qui iudicas iuste, & probas renes & corda.*

Iob. 24.

Hier. 11. Hier. 18.

Stella hoc est sancti commovebuntur contra impios.

3. Sancti quilibet, qui tanquam Stellæ fulgebant omnibus per merita & intercessiones, & peccatoribus lucem impetrabant, tunc obscurabuntur & commovebuntur contra eos justo zelo iustitiæ, ut judici se conforment justè judicanti; & contumelias sibi Sanctisque illatas vindicanti. Non stabunt, nec orabunt tunc Noë, Daniel, & Iob pro filiis aut amicis suis, qui olim pro illis gratiam apud Dominum impetrarunt, sed potius stabunt contra illos, & justitiam Iudicis invocabunt ob perversitatem obstinatam mentis eorum. Non adstabunt Martyres coram Domino, ut pro suis exorent persecutoribus, ut olim Stephanus Protomartyr, & Paulus, & Iacobus, & alii plerique sed potius tunc. *Exultationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, & ut faciant iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis eius.* Denique, nec Angeli, fidi isti comites & custodes hominum, tunc vultum eis benignum exhibituri sunt, sed obscurum & severum, quia suis monitis dum tempus erat, nō obtemperarunt, unde & hi sunt qui eos colligunt & colligant tamquam fasciculos zizaniorum ad comburendum igni inextinguibili, hi sunt ministri qui ligant eis manus & pedes, proijciuntq; eos tandem in tenebras horribiles, & in caminum ignis, ubi fletus est stridor dentium præ amara rabie desperantium.

Ps. 149.

Conclusio & Oratio.

IMprime, Domine Deus, cordibus nostris salubrem timorem, qui timeamus te, & adoremus te antequam veniat hora terribilis judicij tui, antequam veniat tempus quo infructuose terrebimur & timebimus, antequam cœli & terra commoveantur, & concutiantur, ut pugnēt contra nos insensatos, quia contra cœlum & terram, contra te sceleribus nostris pugnavimus. Fac ut revertamur ad te, & demus tibi honorem per cordis nostri veram contritionem & oris perfectam confessionem antequam Sol & Luna nobis obscurentur, & sanguineo nigroque amictu nos impetessuram & inextricabilem tribulationem inducant, vindictam contra peccata nostra inclamantes. Denique effice, ut Sol gratiæ Christus nobis numquam occidat, num-

quam obſcuretur, nunquam facilem avertat, aut illam ſic immutet per iram tremendam, ut cogamur clamare præ timore & deſperatione: *Opterite nos, ô Montes. Cadite ſuper nos, ô Colles: & abſcondite nos à facie iræ Agni.* Nunquam etiam illa quæ pulchra eſt ut Luna, roris Mater, Nutrix gratiæ, Genitrix vitæ nobis obtenebreſcat, nec aſtra fulgida quæ illam circumſtant; ſed ſuis iunctim meritis & intercеſſionibus nobis lucem impertent veritatis, qua in hac via tenebroſa & confragoſa pertingere valeamus ad lucem perennem beatæ æternitatis; ducatum nobis præſtent in hoc itinere inter æſtus & caliginoſa diſcrimina, quaſi Columna nubis de die, quaſi Columna Ignis de nocte, ut ad terram promiſſionis feliciter appellere valeamus, ubi laudes divinas cum ipſis, & celeuma triumphale decantemus in ſæcula ſæculorum,

Amen.

AD VIRGINEM DEIPARAM
PERORATIO ET ELEGIA
Coronidem huic imponens Operi Evangelico.

Virgo Dei Mater, noſtræ ſpes certa ſalutis,
Sit mihi in incerta Dux, & Comes, & via.
Pauca loquor mœſtus: ſortem deploto malorum.
Quæ pariet exilium, quæro quoque auxilium.
Sum Cinis & Pulvus, ſed ſum *Dei ſtatus Imago*,
Carnis maſſa ſolo, *Mens* tamen orta polo.
Sæpius hanc gemit ipſa viam, Patriamque requirens,
Conſociat lachrymis fervida vota ſuis.
Spemque metumque inter *Divinæ Portio Mentis*
Nititur, ut *Toti* junctaſit ipſa ſuo.
Sed variis opus eſt caput objectare periclis;
Dum miſer ad Patrium tento redire ſolum.
Virgo Dei Mater, noſtræ Spes certa Salutis,
Sit mihi in anceps Dux, & Comes, & via.
Hinc *Caro* cingit iter, Veneris cum milite prædam
O mihi quam carò conſtat amica Caro!
Inde oculos *Mundus* perſtringit, & arte doloſa
Fallit, ut immundo tramite falſus eam.
Ludit & illudit rerum rutilante colore;
Paſcit divitijs, paſcat ut & vitijs.
Mille dolos, mille inſidias, mox *Damon* adornat:
Quis fugiet tantos Marte vel arte dolos?
Anxius ergo viæ Comitemque Ducemq; requiro
Huic volo ſit vitæ provida cura meæ.
Virgo Dei Mater noſtræ Spes certa Salutis,
Sit mihi in ambigua Dux, & Comes, & via.
Si gravet ipſa dies æſtu ſis *Roſcida Nubes:*
Nox premit & tenebræ: *Fulgor & Ignis eris.*
Ergo pias lachrymas, pia reſpice vota precantis,
Quæ tutrix animæ diligis eſſe meæ.
In me tela Venus mittit ſua tela Cupido;
Sed jubeas alio fiegre caſtra loco.
Illa puerque ſuus frudes mihi nectet inanes,
Si pro me ſteteris Tuque Puerque tuus.
Per medias acies, laqueos, mediosque per hoſtes,
Te Comite, ô Virgo, Te Duce tutus ero.
Nil *Caro*, *Mundus*, *Dæmon*, Fremitusq; Acherontis
Lædere nil poterunt, Te Duce, Te Comite.
Me tibi jungat amor dum ſpiritus hos reget artus,
Extremo ut puncto Te mihi jungat amor.
Obſecro Diva Fave, tapiet cum cæca tenebris
Mors pavidum repetens: Obſecro Diva Fave.
Sors eadem, Tecum, Cœlo manet una Corona.
Vltima meta Deo ſi tamen ipſa manet.
Virgo Dei Mater, noſtræ Spes certa Salutis,
Sumihi in extrema Dux, & Comes, & via.

VOTVM SACRVM.

HOc Opus noſtrum abſolutum in die, quo Filium in Templo præſentaſti, Tibi ô Virgo Mater, acceptum refero, ut digneris virgineis manibus illud præſentare Filio tuo, meque cum illo & efficere, ut omnia mea in illius cedant gloriam, qui eſt *Splendor gloriæ Patris*, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, cui ſoli honor & gloria in ſæcula ſæculorum, AMEN:

FINIS.









MARCHANT

Th
3319

MARCHANTIꝰ

Conciones

XVI

3.